BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE V. E. II
204
19 F
16
ROMA

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

44. 5. 11.

FRATRIS

PETRI DE ARAGON,

ORDINIS EREMITARVM SANCTI AVGVSTINI, ARTIVM ET SACRÆ

Theologiæ Magiſtri, & in clariſsima Salmanticenſi Academia publici profeſſoris, In Secundam Secundæ Diui Thomæ Doctoris Angelici commentariorum.

TOMVS PRIMVS.

AD ILLVSTRISSIMVM D. D. FRANCISCVM Zapata Comitem de Barajas Philippi II. Hiſpaniarum Regis potentiſsimi, ſummum Præſidem.

204.19.F.16

SOC. IESV * BIBL. SEC. COLL. ROM.
IHS



Cum Priuilegio.

SALMANTICÆ,
Excudebat Ioannes Ferdinandus.
M. D. LXXXIIII.

EL REY.

POR quanto por parte de vos fray Pedro de Aragon, Maeſtro en ſancta Theologia del gremio de la Vniuerſidad de Salamanca, de la orden de S. Auguſtin, cathedratico de propriedad en la dicha Vniuerſidad: nos fue fecha relacion q̃ vos auiades compueſto vna parte de Commentarios, ſobre la Secunda Secunde de Sancto Thomas: la qual ſe entendia feria de mucho ſeruicio a nueſtro Señor, y vtilidad de la republica Chriſtiana, ſuplicando nos os mandaſſemos dar licencia para le poder imprimir, y preuilegio para le vender, por eſpacio de veynte años, o como la nueſtra merced fueſſe. Lo qual viſto por los del nueſtro conſejo, por quanto ſe hizieron las diligencias que la pragmatica por nos fecha, ſobre la impreſſion de los libros diſpone, fue acordado que deuiamos mãdar dar eſta nueſtra cedula para vos en la dicha razon, y nos tuuimos lo por bien. Por la qual vos damos licencia y facultad para que vos, o la perſona que vueſtro poder tuuiere, y no otra alguna, podays hazer imprimir y vender, la dicha parte de Commentarios, que de luſo ſe haze mencion, en todos eſtos nueſtros reynos de Caſtilla, por tiempo y eſpacio de diez años primeros ſiguientes, que corran y ſe cuenten deſde el dia de la fecha deſta nueſtra cedula en adelante, So pena que la perſona, o perſonas que ſin tener para ello vueſtro poder, lo imprimiere, o vendiere, o hiziere imprimir, o vender, pierda la impreſsion que hiziere, con los moldes, y aparejos dello, y mas incurra en pena de cincuenta mil maranedis, cada vez que lo contrario hiziere: la qual dicha pena, ſea la tercia parte para la perſona que lo acuſare, y la otra tercia parte, para el juez que lo ſenteneiare, y la otra tercia parte para la nueſtra camara, y fiſco: con tanto que todas las vezes que huuieredes de hazer imprimir la dicha parte de Commentarios, durante el dicho tiempo de los dichos diez años, la traygays al nueſtro conſejo, juntamente con el original, que en el fue viſto, que va rubricado cada plana, y firmado al fin de Iuan Gallo de Andrada nueſtro ſcriuano de camara, de los que reſiden en el nueſtro cõſejo, y con que antes que ſe venda, le traygays ante los del nueſtro conſejo, juntamente con el dicho original, para que ſe vea ſi la dicha impreſsion eſta conforme a el, y traygays fee, en publica forma en como por corrector nombrado por nueſtro mandado, ſe vio y corrigio la dicha impreſsion por el dicho original, y ſe imprimio conforme a el, y quedan anſi miſmo impreſſas las erraras, por el apuntadas, para cada parte, de las que anſi fueren impreſſas, y ſe oſtaſſe el precio que por cada volumẽ aueys de auer. So pena de caer y encurrir, en las penas contenidas en las dichas Pragmaticas, y leyes de nueſtros reynos. Y mandamos a los del nueſtro conſejo, y otras qualeſquier juſticias deſtos nueſtros Reynos que guarden y cumplan, y executen eſta nueſtra cedula, y todo lo en ella contenido. Fecha en ſant Lorenço a diez y nueue dias del mes de Mayo, de mil y quinientos y ochenta y quatro años.

YoelRey.

Por mandado de ſu Mageſtad.

Antonio de Eraſſo.

Magiſter frater Ioannes de Gueuara huius prouinciæ Caſtellæ ſacri Ordinis Eremitarum D. Auguſtini prior prouincialis, Magiſtro Fratri Peiro de Aragon eiuſdem Ordinis, & voti Salutem. Plurimum honoris & ſanè vtilitatis non parum toti ordini noſtro iam pridem Magiſtri noſtri parere potuiſſent, ſi operas ſuas quas laborioſo peruigilio elucubrarunt, in lucem ederent. Quod ſi feciſſent, & totum ordinem, & me præcipuè ingenti beneficio deuinxiſſent: qui quo ad potui nihil vnquam in votis magis habui, quam vt noſtrorum fratrum labores typis excuſsi in manus hominum irent, priuſquam ab alijs cum dedecore noſtro (id eſt ſine fœnore eius gloriæ, quam lucrari poſſemus) emitterentur. Quare quod Commentarios in Secundam partem Secundæ partis D. Thomæ à te compilatos, & elaboratos publicos facere inſtitueris, non poteſt non acceptiſsimū, & gratiſsimum eſſe mihi. Age ergo & cura vt breui prodeant, & perge quemadmodum atque cœpiſti, vt ea quæ ſuper reliquum Secundæ partes Secundę D. Thomæ collecta habes, aut paras colligere, mundo fiant communia. Quod vt diligentius exequaris & libentius, iniungo tibi præceptum ſalutaris obedientiæ, & eiuſdem tenore præcepti ſtrictè præcipio, nemo vt auſit ex noſtræ prouinciæ fratribus, tibi eſſe impedimento, aut huic copiæ quam tibi indulgeo, quoquo modo contraire. Subibunt autem iſti tui Commentarij prius cenſuram Magiſtri Fratris Michaëlis à Sanctis, cuius approbatione habita, iuxta noſtrarum conſtitutionum tenorem, excudi poterunt. Dat. Burgis. Idib. Auguſti 1583.

Valeat ſic.

Frater Ioannes de Gueuara
Prior Prouincialis.

EGO Frater Franciſcus Montilla Ordinis beatiſsimæ Trinitatis in ſacra Theologia Magiſter, Commentaria in Secundam Secundæ D. Thomæ, hoc primo tomo contenta à doctiſsimo admodumque Reuerendo Patre Magiſtro Fratre Petro de Aragon in lucem edita, mandato Supremi ſenatus Regij qua potui cura & diligentia vidi & perlegi. Quibus nec vllum verbum quod Fidei Ortodoxæ ſacroſanctæque Romanæ Eccleſiæ decretis contrauenire videatur, reperi, quinpotius ſic cõſona exiſtere omnia vt ex eiſdem fidei principijs quilibet depromptum iri iudicauerit. Præterea exquiſitam eruditionẽ in exponendis ſacrorum doctorum, præcipue Angelici D. Thomæ, ſentẽtijs, acerrimas in extirpandis Hęreticorum dogmatibus rationes, in virtutibus Fide, Spe, & Charitate extollẽdis, vitijſq; contrarijs deprimendis, ingenij perſpicuitatem, ſermoniſque facundiam ſimul cum breuitate coniunctam hoc feliciſsimum opus vnicuiq; prælegentium præſeferre non ſine incredibili labore autoris aſſiduiſq; lucubrationibus perſpicuum erit. Quare vt vniuerſæ Theologorum ſcholæ perutile in publicumq; ſcholaſticorum commodum, pernecesſarium iure optimo prodire, præloq; committi cenſui.

Magiſter F. Franciſcus
de Montilla.

EX mandato per quam Reuerendi patris Magiſtri Fratris Ioãnis de Gueuara Sacri noſtri Ordinis Eremitarum D. Auguſtini in hac prouincia vtriuſque Caſtellæ Prioris Prouincialis digniſsimi. Ego frater Michael de Sanctis, vidi atque perlegi hoſce in Secundam Secundæ Commentarios, à Reuerendo admodum Patre Magiſtro Fratre Petro de Aragon, nunc fœliciter editos qui viſi mihi quidem ſunt, non ſolum omni erroris, & prauæ ſiue etiam (quod his temporibus magnopere cauendum eſt) ambiguæ, atque ſuſpectæ doctrinæ labe immunes: verum etiam pro eximia autoris pietate eruditione, ingenijq; præſtantia & dexteritate ſingulari vſque adeo pij, ſani, incorrupti, docti, enucleati, perſpicui atque diſtincti, vt eis qui illorum lectioni ſeſe dederint magnam cum ad Chriſtianam pietatem, tũ ad ſacram doctrinam acceſsionem factũ iri non dubitem. Nihil igitur fidei catholicę repugnans in his Commentarijs continetur: nihil almę matris Eccleſiæ atque ſanctorum Patrum ſcitis ſiue decretis aut bonis moribus contrariũ. Imo vero multa quæ Fidei, Spei, & Charitatis, aliarumq; virtutum rationẽ explicant, ſacroſanctę Eccleſiæ ſtatuta declarãt, probos ac ſanctos mores inſtituũt & componunt. Eſtq; procul dubio liber iſte qui merito dici poſsit, haud Alcinoi quidem ſilua, vt olim erat in fabulis, ſed Spiritus ſancti potius ſacer quidam ortus atq; cœleſtis quoddam copiæ cornu.

F. Michael de Sanctis.

ILLVSTRISSIMO DOMINO D. FRANCISCO ZAPATA,

Comiti de Barajas, Philippi II. Hiſpaniarum Regis potentiſſimi, ſummo Præſidi, Magiſter Petrus de Aragon ordinis Eremitarum D. Auguſtini, & in clariſsima Salmanticenſi Academia profeſſor publicus. S. P. D.

ASSIDVA ſolicitudine (princeps illuſtriſsime) quærebam diebus iam multis, qua ratione hunc noſtrum Auguſtinianum, quem profeſſus ſum ordinem, de meo erga ipſum gratiſsimo animo, certum facerem. Obtulit autem ſeſe quæſita opportunitas, qua ſecundaria iſta Theologica, & nomini, & tanti principis fauori committerem. Admodum enim fortunatè contigit familiæ noſtræ, vt te ſupremum Hiſpaniarum gubernatorem, & præcipuis totius orbis prouincijs dantem iura, ſibi vni clariſsimum haberet patronum. Et licèt beata iſta ſors omnibus ſit nobis communis, mihi vero ſpeciali caſu cenſenda eſt proprior: eò quòd chariſsimum filium tuum, & fratrem iam noſtrum Franciſcum Zapata, quem vnicè amas, præcipua dilectionis ſtudio ſim proſequutus: vt omittam plures etiam beneuolentiæ recordationes, quas germanus meus D. Antonius del Caſtillo Portocarrero, pro ſuſceptis à te ſummis beneficijs immortali gratificationis memoria referebat. Eſt autem debitum officium ſuperſtitis, vt eius qui diem obijt, quaſi abſentis negotio non deſit. Quare noſtros hos labores tibi deſero, ceu pro magnis acceptis beneficijs per paruum ſymbolum. At tu princeps illuſtriſsime ſi oblata deſpicis, votum tamen offerentis ſuſcipias.

VALE.

MAGISTER F. PETRVS de Aragon clariſsimo Theologorum Collegio Salmanticenſi Salutem.

AD FAMILIAREM ſibi Lucillum plures epiſtolarum, vel magis ſententiarũ libros ſcripturus Seneca, Ego, inquit, cupio in te omnia transfundere, & in hoc gaudeo aliquid diſcere, vt doceam: nec me vlla res delectabit, licèt eximia ſit, & ſalutaris, quam mihi vni ſciturus ſum. Si cum hac exceptione detur ſapientia, vt illam incluſam teneam, nec enunciem, reijciã. Pręclaram profectò vocem, & ſuo dignam authore, qui egregiam diuinamque ſupellectilem, ſapientiam, ſcilicet, & doctrinam, quam importuno labore perdidicerat, gaudet in alios ingenua liberalitate tranſfundere. Mirarer verũtamen prudentis hominis non adeò modeſtum ſermonem, & in medijs oraculis inane verbum, niſi hoc ipſum commune & ingenitum vniuerſæ naturæ ingenium eſſe experiremur omnes: videmus enim qualis ſit & fructicum, & cuiuſuis plantulæ feracis conditio, vt niſi ijs, quos ediderint vberes partus, nudari contigerit, in vindictam domini parcentis ſtatim ſterileſcant. Et ea quippe ratione (aiebat Philoſophus) pacta eſt nobiſcum Fortuna, vt ſi quid egregium fuerit elargita, nemo recondat ſibi, ſed omnes omnibus, etiam non exigentibus partiamur. Dùm namque in noſtros tantum vſus bona accepta conuertimus, fideliores ipſa diſpenſatores exquirens, theſauros ſuos hinc inde ſingulis momentis aſportat: idque non ob incóſtantiam, vt immeritò ſolemus queri, ſed propter meliorem rerum prouidentiam. Ecce igitur vnde ſapientiæ & bonarum litterarũ ſtudioſus homo ſibi ſoli didiciſſe contentus non ſit, ſed pretioſas doctrinarum margaritas communicaturus accipiat. Quantum vero ad nos attinet, non ob id lucubrationes has qualeſcunque noſtras in lucem protulimus, quòd rati ſimus, tantam illis ineſſe gloriam doctrinæ, vt ſi non alios habeant participes, poſſeſſorem ſuum turpis ſilentij reprehendant. Sed quæ duæ res & huic me labori inſudare, & elaborata hæc commentaria proferre coegerunt

egerunt

egerunt: ex ipſę profecto ſunt, quæ neminem ocioſum eſſe permitterent, Videbam enim primùm noſtrorum Salmanticenſium Magiſtrorum prælectiones in doctrinam ſanctam mirabiles, vniuerſo orbi inenarrabili deſiderio exoptatas, nemini non maioris eſſe gloriæ quam ſuis, &, quod vniuerſorum iudicio magis eſt miſerabile, extraneo & honori & nomini deſeruientes, ipſos iam patrios lares non agnoſcere. Quid igitur culpæ fuerit, vel quid potius non meriti, ſi ea quæ Auguſtiniano labore ſunt elucubrata, Auguſtiniano ſimul titulo publicentur? Quia verò ingenerosum eſt (vt idem Seneca dicit) ſolùm ſapere ex cómentario, ijs quæ à magiſtris noſtris accepimus non pauca appoſuimus vt opus ipſum auctius, & perfectius, in lucem prodiret. Præter hæc autem ægro ferebam animo, à Theologicis ſtudijs quaſi exul fieri: quibus & ab ipſis (vt aiunt) cunabulis, me totum dederam, & in eis prælegendis duodecimum iam agebam annum: quòd ſi non amplius, ſit ætatis breue ſpaciú in culpa. Sed poſtquàm ijs noſtris Salmanticenſibus ſcholis, Theologię cathedram ſepténio rexi, alteriuſq; rationis diſciplinam, vt daretur locus tempori, libuit perſequi: id nihilominus in perpetuo fuit voto, nec per momentum quidem à ſacræ meditatione doctrinæ feriari. Eam rem vt efficerē, nulla ſe commodior via demonſtrabat, quá, vobis hæc in D. Thomam Commentaria colligere, quæ & in patris noſtri Auguſtini Eremitarum ordinem debitum obſequium, & in vos qualemcunq; gratitudinem referant.

¶ 5

LECTORI.

NON poſſum inſtituti mei pleniorem tibi, Lector optimè, non reddere rationem: & quam in ſuperiori oratione leuiter attigi, non in præſenti amplius explicare. Sudores, operaſque præſtantiſsimorum virorum Fratris Ioannis de Gueuara, & Fratris Luyſij Legionenſis ſiue de Leon (quos ceu Hiſpaniarum Magiſtros mirantur omnes, & ego tãquam diſcipulus & amo, & veneror) in aliorum vſus cedere, atque alijs gloriam potiuſquam ſibi parere, moleſtiſsimò animo ferebam olim. Quam ob rem vbi ab alijs curis feriatum me reperi, vt animum meum ab illa moleſtia liberarem, exiſtimaui rem non omnino pœnitendam facturum, ſi tantorum virorum labores in ipſorum gloriam conuerterem, & eorum ſtudia lucernam olentia euulgarem. Per triginta enim ferme annos pertinaciſſimè in totius mundi nobiliſsimo Gymnaſio excubantes, alias atque alias diuinæ Theologiæ cathedras glorioſe regentes, & ordinem noſtrum ſplendore, & mundum fama ſui nominis, & diſcipulos vtilitate, & ſeipſos tandem immortali laude, & honore repleuerunt. Quoniam verò duo iſti ſunt iſtar mille ſuperuacaneum reputo, elenchum texere aliorum ex noſtris magiſtorum, quorum ſtudijs, & lucubrationibus, cùm Gymnaſia Hiſpanica, tùm verò Gallica, & Italica plurimum floruiſſe ſe iactant. AEgidium intelligo Romanum, Thomam de Argentina, Alphonſum Toletanũ Hiſpalenſem Archiepiſcopum, Ariminenſem Gregorium, Paulum Venetum, & ex recentioribus Franciſcum de Chriſto, Laurentium à Villauicentio, Alphonſum Orozco, Thomam de Villanoua Valentinum Archiepiſcopum, Didacum Stunicam, Ambroſium Calepinum Dictionarij collectorem, alioſque præter hos, quos tumultuariò & vt memoriæ ſuccurrebant, enumeraui. Sed quo piaculo taceam, poſtquam ſemel cœpi, Ioannem Súarez, & Gaſparem Caſalium? quorum poſterior qui adhuc diem agit priori in Epicopatu Conimbricenſi ſucceſſit, vterque autem nominis ſui ſpecimen Tridentinæ Synodo primùm, deinde toti mundo libris editis dederunt, longè clariſsimum. Creſceret autem in immenſum ſeries, numeruſque ſi concionatores, ideſt, prædicatores ſacros non infimæ, ſed ſupremæ profecto claſsis viros, quibus religio noſtra ſemper enituit, vellem in medium producere. Quia tamen Hiſpaniæ templa omnia rem hanc perſonant, recenſere nec poſſum, nec volo, etiam eos quorum recentiſsima eſt apud omnes memoria. Obijcere enim poſſem lectoribus Villauicentium, Soliſium, Gudielem, Dionyſium, Palomum, Villanouam, Caſtrouerdes, Carrançam, Vegam, Aluaradum, &c. qui ingenti ſtupori fuerunt apud omnes, & inſtar Herculis Gallici iniectis in populorum auribus cathenis ſuauiſsimis, illos ſponte ſequentes trahebant. Memini autem Mancium Dominicanum, huius Scholæ primarium profeſſorem, virumq; & candidiſsimum, & ſapientiſsimum dicere ſæpe ſolitum, Ordinem noſtrum Eremitarum; hoc vno præſtare cæteris quod Priores Generales habuerit ſemper ſuprema & ſapientia, & virtute præſtantes. Enumerabat ille AEgidium Romanum qui Generalatus munere glorioſe abſoluto Archiepiſcopus Bituricenſis effectus eſt, & ad cardineam togam iam deſtinatus è viuis deceſsit. Fuit hic diſcipulus & auditor D. Thomæ Aquinatis, & eius doctrinæ propugnator acerrimus, & ob ſolidiſsimam ſapientiam, fundamentalis Doctor appellatus. Thomas autem Argẽtinenſis etiam Generalis & eiuſdem præſtantiæ vir, doctrina ſua Theologiam illuſtrauit. Quid referam, Generalem alium Gregorium, ſcilicet, Arminenſem? cuius acutiſsimum ingenium,

genium, & argutum dicendi & diſputandi ſtylum Theologi admirantur: & ſi D. Auguſtinus è ſuperis vocatus ſuum de Gregorio ferret iudicium, diceret planè à paucis ſe tam eſſe lectitatum, peruolutum, & penetratum, vt ſic dicam, quam à Gregorio. Adde AEgidium Viterbienſem Generalem etiam à Paulo Iouio in cœlum vſq; laudibus euectum, Concionatorem diuinum, Legatum ſedis ſupremæ, Cardinalem Romanū: & enumera poſt ipſum Hieronymum Seripandum etiam Cardinalem in Tridentina Synodo legatum à Latere, & me verum dicere comperies. Cum igitur horum virorum ſcripta ſæpenumero euoluiſſem, vidiſſemq; eorum lucubrationibus deeſſe ea quæ Gueuara noſter, & noſter etiam Legionenſis elaborauerunt, & iuuari me multum vidiſſem ſtudijs miram diligentiam & eruditionem redolentibus, grauiſsimi & eloquentiſsimi Magiſtri Fratris Petri Vzeda, Salmanticenſis etiam publici profeſſoris (vt alios Auguſtinianæ familiæ magiſtros taceam) viſum mihi eſt ex his omnibus, & alijs aliarum religionum grauiſsimis ſcriptis volumen hoc, veluti ſcriptorum farraginem, concinnare & concinnatum emittere. Puto autem rem gratiſsimam ſtudentibus Theologiæ facturum me, & non ingratam Magiſtris meis Gueuaræ & Legionenſi, dùm eorum aurea ſcripta prælo mando. Mille enim ſcholaſticorum vocibus vbique eſt vrgentiſsimè efflagitatum, vt Patrum iſtorum lucubrationes ne dum Hiſpaniæ ſed Europæ fermè toti habitas pro miraculo, communes fierent. Namque doctrina eorum tanta eminet dignitate, & excellentia, vt putauerim ſemper ſi ſacra Theologia periret omnino, in horum Patrum cerebro reſeruatam noua inde natiuitate edendam eſſe. Horum ergo ſcripta, & aliorum à me non ſolum recta methodo ordine, & ſtylo digeſta, ſed multis acceſsionibus aucta & locupletata, accipe Lector benigne, acccepturus deinde in cæteras S. Thomæ partes Commentarios, ſi hos beneuolus acceperis.

Vale.

Argumentum operis.

FIDEM, Spem, & Charitatem, populi Chriſtiani diuitias, Eccleſiæ Catholicæ robur præcipuum, & firmamentum, fidelis animæ inſignia longè clariſsima, æternæ beatitudinis certiſsima pignora, vnicum peregrinationis noſtræ viaticum & ſolamen, virtutum omnium principes, & inter bona omnia quæ à Deo Opt. Max. & homines & Angeli ſuſceperunt (excipio vnionem hypoſtaticam) maxima, eſt animus in præſentiarum pro virili parte illuſtrare, & earum ingenium, naturamq;, & conditiones diſſerere, & deinde ad cæterarum virtutum, quæ ex tribus hiſce originem ducunt, explicationem conari. Rem planè difficilem; ſed gratiſsimam: & quæ difficultate ſui non minus me terruit, quàm dulcedine & ſuauitate appulit ad ſcribendum. Rem inquam, cuius difficultates ſuperare intellectu nemo poterit, niſi eius dulcedine antè guſtata, voluntate ad eius fuerit aſſequutionem conatus. Quî enim valeat quiſpiam virtutum harum effecta explicare, niſi eas exactè cognouerit? cognoſcere autem exactè quî poterit ſi eas non deguſtauerit & habuerit? habere autem & habitas conſeruare, citra magnam diligentiam, & Dei ſingulariſsimum beneficium nemo poteſt. Quam obrem, quod ad partem iſtam attinet, diffiteri non poſſum id, quod à noſtro AEgidio Romano traditum, & ab alijs ſecundum ipſum approbatum eſt in prologo ſententiarum, Theologiam, ſcilicet, noſtram ſcientiam affectiuam eſſe potiusquam ſpeculatricem. Vtinam ergo qui nobiſcum ſtrenuam Theologiæ nauant operam, fidem, ſpem & charitatem affectu priùs, & amore, quàm mente & ingenio apprehendere molirentur. Verùm quoniam mei muneris nunc non eſt corruptiſsimorum ſeculi morum correctionem curare, conabor (quod mei eſt muneris) virtutes has eàtenùs ſcriptis meis exornare, quatenùs lectoribus ſint ingenti & pretio & amori. Videor autem mihi his pauculis verbis iam legentium & beneuolentiam & attentionem captaſſe. Adde quod virtutum harum vel ſola nomina rapiunt omnium animos, & ad lectionem, & inquiſitionem ſui vehementer accendunt. Sed ne te, lector ſtudioſe, ad rei huius meditationem anhelantem, diutiùs detineam, omitto alia, & ad voluminis lectionem, quod iam iam ſequitur, te remitto.

INDEX QVAESTIONVM ET ARTICVLORVM D. THOMAE,

Qui in hoc primò tomo continentur & explicantur.

QVAESTIO PRIMA. Articuli.

ET primò de fide quantum ad eius obiectum.
Vtrum obiectum fidei ſit veritas prima. 1
Vtrum obiectum fidei ſit aliquid complexũ vel incomplexum, id eſt, res, aut enuntiabile. 2
Vtrum fidei poſsit ſubeſſe falſum. 3
Vtrum obiectum fidei poſsit eſſe aliquid viſum. 4
Vtrum poſsit eſſe aliquid ſcitum. 5
Vtrum credibilia debeant diſtingui per certos articulos. 6
Vtrum ijdem articuli ſubſint fidei ſecundum omne tempus. 7
De numero articulorum. 8
Ad quem pertineat conſtituere ſymbolum fidei. 10

¶Quæſt. 2. De fide, quantum ad actum eius interiorem, qui eſt credere.

QVid ſit credere, quod eſt actus interior fidei. 1
Quot modis dicatur. 2
Vtrum credere aliquid ſupra rationem naturalem, ſit neceſſarium ad ſalutem. 3
Vtrum credere ea, ad quæ ratio naturalis peruenire poteſt ſit neceſſarium. 4
Vtrum ſit neceſſarium ad ſalutem credere aliqua explicite. 5
Vtrum ad credendum explicite omnes teneãtur æqualiter. 6
Vtrum habere fidem explicitam de Chriſto, ſemper ſit neceſſarium ad ſalutem. 7
Vtrum credere Trinitatem explicite ſit de neceſsitate ſalutis. 8
Vtrum actus fidei ſit meritorius. 9
Vtrum ratio humana diminuat meritũ fidei. 10

¶Quæſt. 3. De fide quantùm ad actum eius exteriorem, qui eſt confiteri.

VTrum confeſsio ſit actus fidei. 1
Vtrum cõfeſsio ſit neceſſaria ad ſalutẽ. 2

¶Quæſt. 4. De fide quantùm ad ipſum habitum fidei, & quantum ad ipſam fidem.

QVid ſit fides. 1
In qua vi animæ ſit, ſicut in ſubiecto. 2
Vtrum forma eius ſit charitas. 3
Vtrum eadem numero ſit fides formata & informis. 4
Vtrum fides ſit virtus. 5
Vtrum ſit vna virtus. 6
De ordine eius ad alias virtutes. 7
De comparatione certitudinis eius ad certitudinem virtutum intellectualium. 8

¶Quæſt. 5. De habitu fidei quantùm ad habentes ipſam.

VTrum Angelus aut homo in prima ſui cõditione habuerit fidem. 1
Vtrum dæmones habeant fidem. 2
Vtrum hæretici errantes in vno articulo fidei habeant fidem de alijs articulis. 3
Vtrum fidem habentium vnus alio habeat maiorem fidem. 4

¶Quæſt. 6. De habitu fidei quantum ad eius cauſam.

VTrum fides ſit homini infuſa à Deo. 1
Vtrum fides informis ſit donum. 2

¶Quæſtio. 7. De ipſa fide quantùm ad ſuos effectus.

VTrum timor ſit effectus fidei. 1
Vtrum purificatio cordis ſit effectus fidei. 2

Quæſt.

¶Quæſtio. 8. De correſpōdētibus virtuti fidei. Et primò de dono intellectus.

Vtrum intellectus ſit donum Spiritusſancti. 1
Vtrum poſsit ſimul eſſe in eodem cum fide. 2
Vtrum intellectus qui eſt donum, ſit ſpeculatiuus tantum, vel etiam practicus. 3
Vtrum omnes qui ſunt in gratia habeant donum intellectus. 4
Vtrum hoc donum inueniatur in aliquibus abſque gratia. 5
Quomodo ſe habeat donum intellectus ad alia dona. 6
Quę beatitudinū reſpōdeat dono intellec'. 7
Vtrum in fructibus fides reſpondeat dono intellectus. 8

¶Quæſt. 9. De correſpondentibus virtuti fidei quantùm ad donum ſcientię.

Vtrum ſcientia ſit donum. 1
Vtrum ſit circa diuina. 2
Vtrum ſit ſpeculatiua vel practica. 3
Quæ beatitudinum ei reſpondeat. 4

¶Quæſtio. 10. De fide quantum ad vitia oppoſita. Et primò de infidelitate in communi.

Vtrum infidelitas ſit peccatum. 1
Vtrum infidelitas ſit in intellectu ſicut in ſubiecto. 2
Vtrum ſit maximum peccatorum. 3
Vtrum omnis actio infidelium ſit peccatū. 4
De ſpeciebus infidelitatis. 5
De comparatione earum ad inuicem. 6
Vtrum cū infidelibus ſit diſputandū de fide. 7
Vtrum ſint cogendi ad fidem. 8
Vtrum ſit eis communicandum. 9
Vtrū poſsint Chriſtianis fidelibus præeſſe. 10
Vtrum ritus infidelium ſint tolerandi. 11
Vtrum pueri infidelium ſint inuitis parentibus baptizandi. 12

¶Queſtio. 11. De vitijs oppoſitis fidei quantum ad hæreſim.

Vtrum hæreſis ſit infidelitatis ſpecies. 1
Vtrum hæreſis ſit propriè circa ea, quæ ſunt fidei. 2
Vtrum hæretici ſint tolerandi. 3
Vtrum reuertentes ad fidem ſint recipiendi. 4

¶Queſtio. 12. De vitijs oppoſitis fidei quantum ad apoſtaſiam.

Vtrū apoſtaſia ad infidelitatē pertineat. 1
Vtrum propter apoſtaſiam à fide, ſubditi abſoluantur à dominio præſidentium apoſtatarum.

¶Quæſt. 13. De vitijs oppoſitis confeſsioni fidei. Et primò de blaſphemia in generali.

Vtrum blaſphemia opponatur confeſsioni fidei. 1
Vtrum blaſphemia ſemper ſit peccatum mortale. 2
Vtrum blaſphemia ſit maximū peccatorū. 3
Vtrum blaſphemia ſit in damnatis. 4

¶Quæſtio. 14. De blaſphemia in ſpeciali, quæ eſt peccatum in ſpiritum ſanctum.

Vtrum blaſphemia vel peccatum in Spiritū ſanctum ſit idem quod peccatum ex certa malitia. 1
De ſpeciebus huius peccati. 2
Vtrum ſit irremiſsibile. 3
Vtrum aliquis poſsit peccare in Spiritum ſanctum à principio, antequàm alia peccata committat. 4

¶Quæſtio. 15. De vitijs oppoſitis dono intellectus, ſcilicet, de cæcitate mentis & hebetudine ſenſus.

Vtrum cæcitas mentis ſit peccatum. 1
Vtrum hebetudo ſenſus ſit aliud peccatum à cæcitate mentis. 2
Vtrum hæc vitia à peccatis carnalibus oriantur. 3

¶Quæſtio. 16. De præceptis pertinentibus ad prædicta, ſcilicet, ad fidem, & dona ſcientiæ & intellectus.

Vtrum in veteri lege dari debuerint præcepta credendi. 1
Vtrum conuenienter in veteri lege tradantur pręcepta pertinentia ad ſcientiam & intellectum. 2

¶Quæſtio. 17. De ſpe quantum ad ipſam ſpem.

Vtrum ſpes ſit virtus. 1
Vtrum obiectum eius ſit beatitudo æterna. 2
Vtrum vnus homo poſsit ſperare beatitudinem alterius per virtutem ſpei. 3
Vtrum homo licite poſsit ſperare in homine. 4
Vtrum ſpes ſit virtus theologica. 5
De diſtinctione eius ab alijs virtutibus theologicis. 6
Vtrum ſpes præcedat fidem. 7
Vtrum ſit poſterior charitate. 8

Quæſtio.

¶ Quæſtio. 18. De ſpe quantum ad ſubiectum eius.

Vtrum ſpes ſit in voluntate, ſicut in ſubiecto. 1
Vtrum ſpes in beatis. 2
Vtrum ſpes ſit in damnatis. 3
Vtrũ ſpes in viatoribus habeat certitudinẽ. 4

¶ Quæſtio. 19. De dono timoris, quod reſpondet ſpei.

Vtrum Deus debeat timeri. 1
Vtrum timor conuenienter diuidatur in filialem, initialem, ſeruilem. & mundanũ. 2
Vtrum timor mundanus ſemper ſit malus. 3
Vtrum timor ſeruilis ſemper ſit bonus. 4
Vtrum ſit idem in ſubſtantia cum filiali. 5
Vtrum adueniente charitate excludatur timor ſeruilis. 6
Vtrum timor ſit initium ſapientiæ. 7
Vtrum timor initialis ſit idem in ſubſtantia cum timore filiali. 8
Vtrum timor ſit donum Spiritusſancti. 9
Vtrum creſcat creſcente charitate. 10
Vtrum timor maneat in patria. 11
Quid reſpondeat ei in beatitudinibus & fructibus. 12

¶ Quæſtio. 20. De ſpe quantum ad vitia oppoſita. Et primò de deſperatione.

Vtrum deſperatio ſit peccatum. 1
Vtrum deſperatio poſsit eſſe ſine infidelitate. 2
Vtrum ſit maximum peccatorum. 3
Vtrum oriatur ex accidia. 4

¶ Quæſtio. 21. De præſumptione.

Cui obiecto innitatur præſumptio. 1
Vtrum præſumptio ſit peccatum. 2
Vtrum præſumptio opponatur ſpei. 3
Vtrum cauſetur ex inani gloria. 4

¶ Quæſtio. 22. De præceptis pertinentibus ad ſpem, & ad donum timoris.

Vtrum fuerit dandum aliquod præceptũ pertinens ad ſpem. 1
Vtrum fuerit dandum aliud præceptum pertinens ad timorem. 2

¶ Quæſtio. 23. De ipſa charitate ſecundum ſe.

Vtrum charitas ſit amicitia. 1
Vtrum ſit aliquid creatum in anima. 2
Vtrum ſit virtus. 3
Vtrum ſit virtus ſpecialis. 4
Vtrum ſit vna virtus. 5
Vtrum ſit maxima virtutum. 6
Vtrum ſine ea poſsit eſſe aliqua vera virtus. 7
Vtrum ſit forma virtutum. 8

¶ Quæſtio. 24. De charitate in comparatione ad ſubiectum.

Vtrum charitas ſit in voluntate, ſicut in ſubiecto. 1
Vtrum charitas cauſetur in homine ex actibus præcedentibus vel ex infuſione. 2
Vtrum infundatur ſecundum capacitatem naturalium. 3
Vtrum augeatur in habente ipſam. 4
Vtrum augeatur per additionem. 5
Vtrum quolibet actu augeatur. 6
Vtrum augeatur in infinitum. 7
Vtrum charitas viæ poſsit eſſe perfecta. 8
Vtrum conuenienter diſtinguantur tres gradus charitatis, ſcilicet, incipiens, proficiens & perfecta. 9
Vtrum charitas poſsit diminui. 10
Vtrum charitas ſemel habita poſsit amitti. 11
Vtrum amittatur per vnum actũ peccati mortalis 12

¶ Queſtio. 25. De charitate quantum ad eius obiectum: quæ, ſcilicet, ſint ex charitate diligenda.

Vtrum ſolus Deus ſit ex charitate diligendus, vel etiam proximus. 1
Vtrũ charitas ſit ex charitate diligẽda. 2
Vtrum creaturæ irrationales ſint ex charitate diligendæ. 3
Vtrum aliquis ex charitate poſsit ſeipſum diligere. 4
Vtrum poſsit ex charitate diligere corpus proprium. 5
Vtrum peccatores ſint ex charitate diligẽdi. 6
Vtrum peccatores ſeipſos diligant. 7
Vtrum inimici ſint ex charitate diligendi. 8
Vtrum ſint eis ſigna amicitiæ exhibenda. 9
Vtrum Angeli ſint ex charitate diligendi. 10
Vtrum dæmones. 11
Vtrum conuenienter enũmerẽtur quatuor ex charitate diligẽda, ſcilicet Deus, proximus, corpus proprium, & nos ipſi. 12

¶ Quæſtio. 26. De charitate, quantum ad ordinem diligendorum.

Vtrum aliquis ordo ſit in charitate. 1
Vtrum homo debeat Deum plus diligere, quàm proximum. 2

Vtrum

Vtrum plus, quàm ſeipſum. 3
Vtrum ſe plus, quàm proximum. 4
Vtrum debeat homo plus diligere proximũ, quàm corpus proprium. 5
Vtrum plus vnum proximum, quàm aliũ. 6
Vtrum plus proximum meliorem, quàm magis ſibi coniunctum. 7
Vtrum magis coniunctum ſibi ſecundum carnis affinitatem, vel ſecundum alias neceſsitudines. 8
Vtrum magis filium, quàm patrem. 9
Vtrum magis patrem, quàm matrem. 10
Vtrum vxorem plus, quàm patrem vel matrem. 11
Vtrum magis benefactorem, quàm beneficiatum. 12
Vtrum ordo charitatis maneat in patria. 13

¶Quæſtio. 27. De charitate quantùm ad eius actum principalem, qui eſt dilectio.

Vtrum amare ſit magis proprium charitatis, quàm amari. 1
Vtrum amare prout eſt actus charitatis ſit idẽ quod beneuolentia. 2
Vtrum Deus ſit propter ſeipſum amandus. 3
Vtrum poſsit in hac vita immediatè amari. 4
Vtrum poſsit amari totaliter. 5
Vtrum eius dilectio habeat modum. 6
Vtrum diligere amicum ſit melius, quàm diligere inimicum. 7
Vtrum diligere Deũ, ſit melius, quàm diligere proximum. 8

¶Quæſtio. 28. De interioribus effectibus charitatis. Et primò de gaudio, quod eſt interior effectus, cõſequens principalem actum charitatis, qui eſt dilectio.

Vtrum gaudium ſit effectus charitatis. 1
Vtrum huiuſmodi gaudium cõpatiatur ſecum triſtitiam. 2
Vtrum iſtud gaudium poſsit eſſe plenum. 3
Vtrum huiuſmodi gaudium ſit virtus. 4

¶Quæſtio. 29. De effectibus charitatis quantum ad pacem, quæ eſt interior effectus conſequens dilectionem.

Vtrum pax ſit idem quod concordia. 1
Vtrum omnia appetant pacem. 2
Vtrum pax ſit effectus charitatis. 3
Vtrum pax ſit virtus. 4

¶Quæſtio. 30. De effectibus charitatis, quantùm ad miſericordiam, quæ eſt interior charitatis effectus.

Vtrum malum ſit cauſa miſericordiæ ex parte eius, cui miſeremur. 1
Quorum ſit miſereri. 2
Vtrum miſericordia ſit virtus. 3
Vtrum ſit maxima virtutum. 4

¶Quæſtio. 31. De effectibus exterioribus charitatis. Et primò de beneficẽtia.

Vtrum beneficentia ſit actus charitatis. 1
Vtrum ſit omnibus benefaciendum. 2
Vtrum magis coniunctis ſit magis benefaciendum. 3
Vtrum beneficentia ſit virtus ſpecialis. 4

¶Quæſtio. 32. De exterioribus effectibus charitatis, quantùm ad eleemoſynam.

Vtrum eleemoſynæ largitio ſit actus charitatis. 1
Vtrum conuenienter diſtinguantur eleemoſynarum genera, ponendo ſeptem eleemoſynas ſpirituales, & ſeptem corporales. 2
Vtrum eleemoſynæ ſpirituales ſint potiores eleemoſynis corporalibus. 3
Vtrum eleemoſynæ corporales habeant effectum ſpiritualem. 4
Vtrum dare eleemoſynam, ſit in præcepto. 5
Vtrum corporalis eleemoſyna ſit danda de neceſſario. 6
Vtrum ſit danda de iniuſtè acquiſito. 7
Quorum ſit dare eleemoſynam. 8
Quibus ſit eleemoſyna danda. 9
Quis ſit modus eleemoſynæ fiendæ. 10

¶Quæſtio. 33. De exterioribus effectibus charitatis quantùm ad correctionem fraternam.

Vtrum fraterna correctio ſit actus charitatis. 1
Vtrum fraterna correctio ſit ſub precepto. 2
Vtrum hoc preceptum extendat ſe ad omnes, vel ſolum ad prælatos. 3
Vtrum ſubditi teneantur ex hoc præcepto prælatos corrigere. 4
Vtrum peccator poſsit corrigere. 5
Vtrum aliquis debeat corrigere eum, qui ex correctione fit deterior. 6
Vtrum ſecreta correctio debeat præcedere denuntiationem. 7
Vtrum teſtium inductio debeat præcedere denuntiationem. 8

F. PETRI ARAGONII, ORDINIS Sancti Auguſtini, Artium & ſacræ Theologiæ Magiſtri, In Secundam Secundæ Diui Thomæ Commentaria.

PROOEMIVM.

THEOLOGIA, vt nomen præſefert, eſt ſcientia de Deo. Huius autem ſciẽtiæ perfecta traditio, & earum rerũ quæ Deo per ſe competunt, & illarum quæ eidem, ex eo quod mundi & opifex & finis eſt, conueniunt, exacta notitia continetur. Quod aduertens D. Tho. animo capaci cũcta complexus, illam miro artificio tribus magnis voluminibus ad poſteros ſcriptã tranſmiſsit. In quorum primo, de Dei natura, & hominis, Angeli, ac mũdi opificio diſſeruit: hoc eſt, è tribus Theologiæ partibus, duas primas abſoluit. Sed quoniã, & natura Dei tradita, & ratione, qua ab ipſo ſumus profecti, aperta, reliquum erat, vt & viam, qua ad eundẽ redire poſſemus, oſtẽderet: cumque id partim noſtris auſpicijs, partim diuinis auxilijs & præſidijs geratur, tertium volumẽ Chriſto, & ſacramentis, hoc eſt, cœleſtibus humanæ vitę ſubſidijs, dedicauit. In aliud verò, quod reliquũ erat, lõgam de vitijs & virtutibus, ideſt, de actionibus noſtris, diſputationẽ inſtituit: quod merito propter molem immenſam, in duas partes, à poſterioribùs eſt diuiſum. In quarum altera, quæ ſecunda eſt ordine, & propterea Secũda ſecũdæ nuncupatur, res ſigillatim tractãtur: in prima vero, quæ Prima ſecundæ appellatur, generatim & vniuerſe. Operæpreciũ autem erat, vt antequam ad vllam Theologiæ partem pateret acceſſus, genus ipſum doctrinæ, quæ talia ac tanta nos doceret, probè cognitum haberemus, vt ex eius præſtãtia magis perſpecta, vehemẽtius ad illius ſtudium inflamaremur. Qua de cauſa, in ipſo magni operis exordio, D. Tho. quaſi prooemij vice, quæſtionem præmiſsit, quæ, de eius facultatis dignitate, & vtilitate certos nos redderet: quæ in præſenti examinanda nõ eſt ſed ſuo loco relinquenda. In hac igitur Secunda ſecundæ, quam interpretandam ſuſcepimus, diſputat D. Th. de virtutibus, in particulari. Et poteſt diuidi in duas partes principales: in prima diſſerit de virtutibus quæ omnibus hominibus ſunt cõmunes, vt fides, ſpes, charitas, &c. & extẽditur vſque ad. q. 171. in ſecũda autẽ de illis quæ aliquibus ſunt propriæ, & particulares: vt prophetia, gratia miraculorũ. &c. Ad primã ergo partẽ deuenientes, ponit D. Tho. primam quæſtionem, quæ eſt de fide.

QVAESTIO. I.
De Fide, in decem artiulos diuiſa.

CIRCA virtutes theologicas primò erit conſiderandum de fide: ſecūdò, de ſpe: tertiò, de charitate.

¶ Circa fidem verò quadruplex cōſideratio occurrit, prima quidem de ipſa fide: ſecunda de donis intellectus, & ſcientiæ ſibi correſpondentibus: tertia de vitijs oppoſitis: quarta, de præceptis ad hanc virtutem pertinentibus.

¶ Circa fidem verò primò erit conſiderandum de eius obiecto: ſecundò, de eius actu: tertiò, de ipſo habitu fidei.

¶ Circa primū quæruntur decem. ¶ Primò, vtrū obiectū fidei ſit veritas prima. ¶ Secūdò, vtrū obiectū fidei ſit aliquid cōplexum vel incōplexū, id eſt res, aut enuntiabile. ¶ Tertiò, vtrū fidei poſsit ſubeſſe falſum. ¶ Quartò, vtrum obiectū fidei poſsit eſſe aliquid viſum. ¶ Quintò, vtrū poſsit eſſe aliqd ſcitum. ¶ Sextò, vtrum credibilia debeant diſtingui per certos articulos. ¶ Septimò, vtrū ijdem articuli ſubſint fidei, ſecūdum omne tempus. ¶ Octauò, de numero articulorum. ¶ Nonò, de modo tradendi articulos in ſymbolo. ¶ Decimò, cuius ſit fidei ſymbolū conſtituere.

ARTICVLVS. I.

3. diſt. 24. ar. tic. 1. q. 1. & ver. q. 14. ar. 8. & q. 18. art. 3. cor.

¶ *Vtrum obiectum fidei ſit veritas prima.*

AD PRIMVM ſic proceditur. Videtur, quòd obiectum fidei non ſit veritas prima. Illud enim videtur eſſe obiectū fidei, quod nobis proponitur ad credendū. Sed non ſolùm proponuntur nobis ad credendum ea, quæ pertinent ad diuinitatem, quæ eſt veritas prima: ſed etiam ea, quæ pertinēt ad humanitatem Chriſti, & Eccleſiæ ſacramenta, & creaturarum conditionem. Ergo non ſolum veritas prima eſt fidei obiectum.

2. ¶ Præterea, Fides & infidelitas ſunt circa idem, cùm ſint oppoſita. Sed circa omnia, quæ in ſacra Scriptura cōtinētur, poteſt eſſe infidelitas (quicquid enim horum homo negauerit, infidelis reputatur) Ergo etiam fides eſt circa omnia, quæ in ſacra Scriptura continentur. Sed ibi multa de hominibus continentur, & de alijs rebus creatis. Ergo obiectum fidei, non ſolùm eſt veritas prima, ſed etiam veritas creata.

3. ¶ Præterea, Fides charitati condiuiditur, vt ſuprà dictum eſt. Sed charitate, non ſolùm diligimus Deum, qui eſt ſumma bonitas, ſed etiā diligimus proximum. Ergo fidei obiectum non eſt ſolùm veritas prima. p. 2. q. 62. ar. tic. 3.

¶ Sed contra eſt, quòd Diony. dicit. 7. cap. de Di. nominibus, quod fides eſt circa ſimplicem, & ſemper exiſtentem veritatem. Hæc autem eſt veritas prima. Ergo obiectum fidei eſt veritas prima.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd cuiuſlibet cognoſcitiui habitus obiectum duo habet, ſcilicet id, quod materialiter cognoſcitur, quod eſt ſicut materiale obiectū, & id per quod cognoſcitur, quod eſt formalis ratio obiecti, ſicut in ſciētia Geometriæ materialiter ſcita ſunt concluſiones: formalis vero ratio ſciēdi ſunt media demonſtrationis, per quæ concluſiones cognoſcuntur. Sic igitur in fide, ſi conſideremus formalem rationem obiecti, nihil eſt aliud, quam veritas prima. Non enim fides, de qua loquimur, aſſentit alicui, niſi quod eſt à Deo reuelatum. Vnde ipſi veritati diuinæ fides innititur tanquam medio. Si verò conſideremus materialiter ea, quibus fides aſſentit, non ſolùm eſt ipſe Deus: ſed etiā multa alia, quæ tamen ſub aſſenſu fidei non cadunt, niſi ſecundum quod habent aliquē ordinem ad Deū: prout ſcilicet per aliquos diuinitatis effectus homo adiuuatur ad tendendū in diui

in diuinam fruitionem. Et ideo etiam ex hac parte obiectum fidei eſt quodammodo veritas prima, inquantum nihil cadit ſub fide, niſi in ordine ad Deum: ſicut etiam obiectum Medicinæ eſt ſanitas, quia nihil Medicina cõſiderat niſi in ordine ad ſanitatem.

¶ AD primum ergo dicendum, ꝙ ea, quæ pertinent ad humanitatẽ Chriſti: & ad ſacramenta Eccleſiæ, vel ad quaſcũque creaturas, cadunt ſub fide, inquantũ per hæc ordinamur ad Deũ, & eis etiam aſſentimus, propter diuinam veritatem.

¶ Et ſimiliter dicendum eſt, ad ſecundum de omnibus illis, quę in ſacra Scriptura traduntur.

¶ Ad tertium dicendum, ꝙ etiã charitas diligit proximum propter Deũ; & ſic obiectum eius propriè eſt ipſe Deus, vt infra dicetur*.

q.25. arti.1.

SVMMA TEXTVS.

SVppoſita diſtinctione, qua obiectum habitus cognoſcitiui diſtinguitur in materiale, & formale ſub cuius ratione aliquid cognoſcitur: reſpondet D. Tho. per duas cõcluſiones. ¶ Prima cõcluſio. Obiectum formale fidei eſt veritas prima. Probatur, omnia, quæ pertinent ad fidem, cognoſcũtur ſub ratiõe primæ veritatis reuelantis, ergo veritas prima reuelans eſt obiectum formale fidei. ¶ Secunda cõcluſio. Obiectũ materiale fidei eſt Deus. Probatur: id dicitur obiectum materiale alicuius habitus, circa quod talis habitus verſatur, ſed fides verſatur circa Deum, & ſi agit de alijs rebus eſt in ordine ad Deũ, ergo Deus eſt obiectum materiale fidei.

EXPOSITIO ARTICVLI.

DE hac materia diſputant doctores in 3. à diſt. 23. vſque ad. 26. & D. Thom. de veritate. quæſt. 14. ¶ Pro cuius intelligẽtia, vt à nomine ipſo exordiamur, aduertẽdum eſt, quòd hoc nomen fides variè accipitur à doctoribus, vt eſt videre apud Alexandrum Alenſ. 3. part. quæſt. 74. & Gabrielem in. 3. diſt. 23. quæſt. 2. & Vegam in libello de iuſtificatione. quæſt. 1. Cæterũ omnes illæ acceptiones reduci poſſunt ad quatuor. Prior eſt, qua fides accipitur pro fidelitate, id eſt, pro veritate & conſtantia in dictis & factis: in qua ſignificatione dicit Paulus ad Rom. 3. Nunquid incredulitas eorum fidem Dei euacuauit? abſit, & primæ ad Timoth. cap. 5. Adoleſcentiores viduas deuita, cũ enim luxuriatæ fuerint, in Chriſto nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt, id eſt, primam veritatem & conſtantiam, quam voto & ſponſioni ſemel emiſſæ debebant. Eſt ergo fides iſto modo accepta virtus reſidens in voluntate quæ à Latinis appellatur veritas, & de ea agit D. Th. 2. 2. quæſt. 109. diffiniturque à Cicerone. 1. officiorum, quòd ſit fundamẽtum iuſtitiæ, dictorum atque conuentorũ conſtantia & veritas. ¶ Secundò modo, accipitur fides pro conſcientia, in qua ſignificatione dicit Paulus ad Rom. 14. Omne quod non eſt ex fide peccatum eſt, id eſt, omne quod eſt contra conſcientiam, peccatum eſt, vt Gloſſa interlinealis in illo loco exponit. In hac etiã ſignificatione accipitur à D. Tho. 1. 2. quæſt. 19. art. 5. & in c. finali de præſcriptionibus, vbi dicitur ſynodali iudicio diffinitum fuiſſe, quod nulla valeat abſque bona fide præſcriptio, tam canonica quam ciuilis. ¶ Tertiò modo, accipitur fides pro fiducia, quæ vt docet D. Tho. 2. 2. quæſt. 129. artic. 6. nihil aliud eſt quã ſpes quædam roborata, de qua loquitur Iacobus in ſua canonica capit. 1. dum dicit: Poſtulet in fide nihil hæſitans: id eſt, cum ingenti fiducia conſequendi poſtulata. De hac etiam eſt intelligendus Paul. 1. ad Corinth. cap. 13. quando dicit: Si habuero tantam fidem, ita vt montes trãsferam. & Chriſtus Matth. 13. & Luc. 17. quãdo affirmat, eos, qui habuerint tantam fidem ſicut granũ ſinãpis, ingentia effecturos miracula: fides enim cui vis atque poteſtas efficiendi miracula à Chriſto tribuitur, nõ eſt fides catholica, qua credimus, ſed donũ quoddam gratis datum eximiæ cõfidentiæ vt omnes doct. fatentur, vno excepto magiſtro Soto, qui lib. 2. de Natura & gratia. cap. 6. affirmat duo. Primum eſt, quòd fides in ſcriptura nũquam accipitur pro fiducia: alterum quòd fides illa, cui Chriſtus in Euangelio efficientiam tribuit miraculorum, nihil aliud eſt quam ipſa fides catholica, qua credimus. ¶ Cæterũ hæc ſententia quantum ad vtrũque dictũ eſt apertẽ falſa. Et probatur primo, quòd fides accipiatur in ſcriptura ꝓ fiducia, ex illo Mat-

Fides pro fidelitate, hoc eſt pro conſtãtia & veritate in dictis et factis.

Fides pro cõſcientia.

Gloſſa interlinealis.

Capit. firmi. de præſcript.

Fides pro fiducia.

Sentẽtia Soti.

Impugnatur Soto.

thęi.14.vbi Chriſtus Petro ambulāti ſupra mare dum mergeretur, dixit, Modicæ fidei quare dubitaſti? quod autem fides tūc non pro credulitate, ſed pro confidentia acciperetur, conſtat, tùm ex eo quod Petrus eo tempore nō deſijt credere in Chriſtum, quem in ſuum auxilium vocabat, tum etiā ex ipſo cōtextu: dicitur enim quod videns Petrus ventū validum timuit, & cum cœpiſſet mergi clamauit dicēs, Domine ſaluū me fac, & continuo extendes Ieſus manū, dixit, modicæ fidei quare dubitaſti? Ex quibus verbis apertè colligitur, quod Petrus ideò mergi cœpit, quia timuit: atque ex conſequēti, non quia amiſsit credulitatem, ſed quia amiſsit fiduciā: cui vt docet D. Tho. 2.2. quæſt. 129. art.6.ad.2. timor opponitur. ℭ Quod vero fides, quæ efficit miracula, nō ſit ea, qua credimus: vt ſecūdò loco affirmabat Soto, etiā probatur manifeſtè, nam aliâs ſequeretur, omnes fideles poſſe efficere miracula: conſequens autē eſt falſum, vt conſtat ergo. Sequela probatur, quia omnes fideles habēt fidem catholicam, ergo, ſi ea eſt quæ efficit miracula, omnes fideles poſſent efficere miracula, dicente Chriſto, Si habueritis tantam fidē ſicut granū ſinâpis, &c. Itē Apoſtoli atque Diſcipuli interdum caruerunt ea fide, quę erat effectrix miraculorum, vt conſtat ex illo Matth.17. vbi dicitur, Apoſtolos non potuiſſe expellere quoddam Dæmoniū quia non habebant fidem, & tamen tunc, nec carebant fide catholica, nec erant dubij in illa, ergo fides, cui attribuitur vis efficiendi miracula, non eſt fides qua credimus. Et cōfirmatur nam Matth.10. & Luc. 9. legitur Chriſtum dediſſe diſcipulis poteſtatem efficiendi miracula, quam antea nō habebant; & tamen ante illud tempus habebant fidem catholicam, ergo.

Fides cui tribuitur poteſtas efficiendi miracula, non eſt fides Catholica.

Fides pro credulitate.

Quartò & vltimò, fides accipitur pro perſuaſione, & credulitate, id eſt, pro aſſenſu quo aliorum dictis aſſentimur: quā acceptionem propriam eſſe, & apud peritos Latinæ linguæ inueniri, ſatis cōſtat ex illo Poëtæ, credo equidem, nec vana fides, genus eſſe Deorum. Ex quo colligitur perperam Laurentium Vallam in elegantijs, & Budæum in annotationibus in Pandectas ff. de ſermone corrupto. l.1. dixiſſe, quod hoc nomē fides propriè non accipitur pro credulitate, aut aſſenſu, quem aliorum dictis adhibemus, ſed tantùm pro veritate & fidelitate. Nā id falſum eſſe, ex dictis apertè cōſtat. Eſt ergo fides iſto modo accepta, habitus reſidens in intellectu, & ad aſſenſum eorum, quæ à Deo nobis fuerint reuelata, inclināſ. Vnde à D. Pau. ad Hebræos. 11. diffinitur, quod ſit ſubſtātia rerum ſperandarum, argumentum nō apparentium. quam diffinitionē ſufficientem eſſe, oſtendit D. Th. ſuper illum locum, & infra. q.4. art. 1. ℭ Differt autem fides iſto modo ſumpta, ab ea quæ effectrix eſt miraculorū in multis, vt docet Abulenſ. ſuper cap.17. Matt. quæſt.165. Nam primo differunt in eo, quod fides pro credulitate, eſt habitus intellectualis in omnib⁹ fidelibus indiſcriminatim exiſtens: at verò fides, quæ efficit miracula, non omnibus, ſed vni aut alteri à Deo tantùm conceditur. Vnde connumeratur inter gratias gratis datas, à D. Paul. 1. ad Corinth. c.12. dicēte, diuiſiones gratiarū ſunt, &c. Et infra, alij datur ſermo ſcientiæ, alij ſermo ſapientiæ, alij fides in eodem ſpiritu. Quo loco certum eſt, nō loqui de fide catholica, qua credimus, nam hæc communis eſt omnibus fidelibus, ſed de illa, quæ priuatim ab Spiritu ſancto vni aut alteri tribuitur, prout vult, & ꝓpterea dicit, alii datur fides in eodē ſpiritu. ℭ Secundò differunt in eo, quod actus fidei catholicæ eſt aſſentire rebus à Deo reuelatis, actus autem alterius fidei, eſt efficere vt homo certiſsimè, & ſine hæſitatione confidat ſe cōſequuturum à Deo, ea quæ poſtulat. Vnde dicere poſſumus, quod fides catholica credit Deum poſſe miracula efficere, & altera fides confidit, quod Deus ea efficiet, quæ ab ipſo fuerint poſtulata. ℭ Tertiò differunt in eo, quod fides catholica eſt neceſſaria ad ſalutem, ex quo fit vt ſit poſitum in noſtra poteſtate illam habere, & poſtquam ſemel habita fuerit, amitti non poteſt ſine propria voluntate. Cæterùm fides miraculoſa nec eſt neceſſaria ad ſalutem, nec eſt poſita in noſtra poteſtate & poſtquam ſemel habita fuerit, amitti poteſt ſine noſtra voluntate aut culpa, Deo dumtaxat ſuum donum denegante: vt accidit Eliſeo. 4. Reg. cap.4. in dono prophetiæ. ℭ Vltimò differunt in eo, quod fides catholica verſatur circa determinatos articulos quos credimus, Altera vero fides miraculorum ſe extendit ad omnia, quæ nobis petentibus à Deo ſunt facienda, quæ proculdubio ſunt innumera. De hac ergo fide 4. modo ſumpta erit nobis in præſenti diſputatio inſtituenda, & ſic de ea eſt intelligendus

Impugnātur Laurentius Valla & Budæus.

Fidei definitio aſsignata à D. Paulo.

Fides pro credulitate differt à fiducia in multis.

Actus fidei eſt aſſentiri reuelatis.

Fides Catholica eſt neceſſaria ad ſalutē, nec poteſt amitti ſine propria volūtate.

telligendus D.Tho.in art.quando quærit: vtrum obiectum fidei ſit veritas prima. Vt tamē præſens quęſtio perfectiùs intelligatur, explicare oportebit, quid ſit obiectū, & quid veritas prima: his enim terminis ignoratis, quod etiam res ipſa ignoretur, erit neceſſe.

Obiectū qd.

¶ Et quidem quantum attinet ad obiectum, certū eſt in habitibus intellectualibus, qualis eſt fides, id dici obiectum, circa quod talis habitus verſatur: vnde quærere quodnā ſit obiectum fidei, idē prorſus eſt, ac ſi quæramus quidnam ſit id quod credimus, & in quibus rebus credendis fides verſatur. De altero autem termino ſcilicet, veritas prima, maior eſt diſſicultas. Vnde ad illius intelligentiam eſt aduertendum, quod veritas eſt duplex, vna in eſſendo, altera in dicēdo:

Veritas duplex.

Veritas in eſſendo.

veritas in eſſendo, eſt veritas tranſcēdentalis, quæ cōuertitur cū ente, & eſt velut ꝓpria paſsio illius nihil addēs ſuprà ipſam rē. Et ſic idē eſt dicere, homo, & verus homo: lapis, & verus lapis, ſi de veritate in eſſendo loquamur. Et ſecūdū iſtam ſignificationē, verū eſt, quod illud eſt veritas prima, quod eſt primū & maximè ens: ſiquidē teſte Ariſt.2. Meth. Sicut res ſe habēt ad eſſe, ita ſe habēt ad veritatē. Vnde cum Deus ſit primum & maximè ens, quòd etiam ſit veritas prima (loquendo de veritate tranſcēdentali) erit neceſſe.

Veritas in dicendo.

Veritas autem in dicendo cōſiſtit in duobus: primum eſt, adæquatio rei ad intellectum, quæ tunc eſt, quādo intellectus taliter intelligit res, qualiter in ſe ſunt: alterum autem eſt adæquatio verborum ad ipſam cognitionem, quæ tunc eſt, quando taliter prædicantur res, qualiter eſſe cognoſcuntur. Non enim poteſt fieri, vt aliquis verum dicat: niſi & rem cognoſcat, ſicuti eſt in ſe, & præterea verba conformet cum ſua cognitiōe. ¶ Ex quo infertur primò, ad veritatem in dicendo, eſſe neceſſariam veram cognitionem ex parte intellectus, & bonam affectionem ex parte voluntatis: ex defectu enim vtriuſque contingere poterit, vt aliquis falſum dicat: vt ſi vel non cognoſcit rem ſicuti in ſe eſt, & defectu huius errat in dicendo: vel poſtquàm eam verè cognoſcit, non habet voluntatem ita bene affectam, vt velit verba conformare cū ſua cognitione, ne alium decipiat. ¶ Infero ſecundò, ad primam veritatem in dicendo (quæ prorſus aliena eſſe debet ab omni falſitate) neceſſarium eſſe perfectiſſimum intellectum, & perfectiſsimam voluntatem: intellectum quidem, vt ſua cognitione omnia attingat & aſſequatur, etiā minima, ne ex ignoratione falſum dicat credēs dicere verū: voluntatē vero, ne à bono deflecti poſsit, & ex malitia falſum proferre contra propriam cognitionem. Vnde cōditiones primæ veritatis in dicēdo ſunt; vt nec falli ex ignorantia, nec fallere ex malitia poſsit: quas ſoli Deo conuenire notiſsimum eſt iuxta illud Pauli ad Roma. 3. Eſt autem Deus verax, & omnis homo mendax. Et de veritate iſto ſecundo modo accepta, eſt intelligendus Diuus Thomas, quando quærit vtrùm obiectū fidei ſit veritas prima.

Senſus quæſtionis.

Vnde ſenſus quæſtionis eſt, vtrū id, circa quod verſatur noſtra credulitas, ſit ea veritas, quæ nec fallere ex malitia, nec falli ex ignorantia poteſt? Ad cuius explicationem, præmiſſa diſtinctione de duplici obiecto, vno formali, altero materiali, reſpondet D.Tho. per duas concluſiones, quas ſuo ordine explicare oportebit, ſi tamen prius id, quod pro fundamēto ſuæ doctrinæ ſupponit, examinauerimus, ſcilicèt, quod vniuſcuiuſque habitus cognoſcitiui eſt duplex obiectū, materiale, ſcilicèt, & formale. ¶ Videtur enim id eſſe falſum, nā quāuis in habitibus ſcientificis iſta duo obiecta cōſtitui debeant, propterea quod reſpectu illorum cōcluſiones ſcitæ ſunt obiectum materiale, & media, quibus cognoſcūtur, ſunt obiectū formale: tamen in aſſenſu primorum principiorum hoc non inuenitur, cum ipſa ſint ratio formalis, qua concluſiones cognoſcuntur: nec appareat, quidnā aliud, reſpectu illorū, poſsit eſſe ratio formalis cognoſcēdi: maximè quod per ſe ipſa, ſtatim cognitis terminis, cognoſcūtur.

Prima principia cognoſcuntur, per lumen intellectus, tāquā per rationē ſub qua.

¶ Dico tamē, quod etiam reſpectu primorum principiorum, eſt ponenda ratio formalis, per quam cognoſcantur: & ea eſt lumen naturale intellectus nobis à natura inditū, quo tanquā medio, principia cognoſcūtur. Et ſic principia, quæ reſpectu concluſionum, quæ ex illis deducuntur, habent rationem obiecti formalis: reſpectu luminis naturalis, quo ipſa cognoſcuntur, induunt rationem obiecti materialis.

Dubiū circa primam concluſionē D. Thomæ.

¶ Circa primam concluſionem D. Tho. eſt difficultas, vtrum verum ſit, quod veritas prima eſt obiectum formale fidei? In qua re, vt certa ab incertis ſeparemus, dico primò, certum eſſe quod Deus eſt obiectū formale fidei: nam cum in fide catholica,

non ſolum credamus Deum, ſed etiam ita credamus Deo, vt in omnibus fides noſtra nitatur diuino teſtimonio: manifeſtè ſequitur, quod Deus ſit obiectum formale fidei. In qua ſignificatione dixit D. Tho. 1.2. q. 64. trium virtutum Theologalium Deum eſſe obiectum, finem, & regulam.

Deus eſt obiectū formale fidei.

Cæterùm, quia Deus poteſt multipliciter conſiderari, ſecundum diuerſa & multiplicia attributa, quæ in eo inueniūtur: dubiū eſt, ſub qua ratione ſit obiectum formale fidei. Vtrum ſcilicet, ſub ratione Deitatis: vel potius ſub ratione veritatis primæ? Nam de hac re variæ ſunt doctorum ſententiæ.

Opinio Dur.

Durand. enim in. 3. diſt. 24. q. 1. & in prologo Sententiarum. q. 5. apertè dicit, Deū ſub ratione Deitatis eſſe obiectū formale fidei: quam etiam ſententiam tenet Grego. Arim. in prologo quæſtione 4. artic. 2. & Aureolus apud Capreolū in. 3. diſtinct. 24. qua ſt. 1. in argumentis contra quartam cōcluſionem.

Primū arg.

Et probat ſuam ſententiam: primò, nā illud eſt obiectum formale fidei, quòd eſt vltima ratio credendi: ſed talis eſt Deus ſub ratiōe Deitatis, ergo. Conſequentia cum maiori eſt nota, & minorem probo, quia ſi quis interroget fidelem cur credat Deum eſſe trinum & vnū, optimè reſpondebit, quia veritas prima dicit. Si autē rurſus interrogetur, vnde ſciat Deum eſſe primam veritatē, optimè etiā reſpondebit, quia eſt Deus, ergo Deus ſub ratione Deitatis eſt vltima ratio credendi.

Secundū arg.

¶ Secūdò arguitur: fidei, quam habemus in hac vita, in patria ſuccedit viſio, iuxta illud Pauli. 1. ad Corinth. 13. Videmus nūc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem, ſed Deus quatenus Deus, eſt obiectum viſionis, ſub ratione enim Dei beatificat, ergo & fidei: probo conſequentiam, nam per fidem tendimus in finem, quē per viſionē ſumus cōſequuturi.

Tertiū argu.

¶ Tertio ſic argumētor, ſecundū D. Th. 1. part. q. 1. arti. 7. idem eſt obiectum fidei, & Theologiæ, ſed Deus, ſub ratione Deitatis, eſt obiectum Theologiæ, ergo & fidei.

Sētētia Caie.

Altera ſentētia eſt Caiet. in hoc articulo aſſerentis, idem prorſus eſſe dicere, ꝙ Deus eſt obiectum formale fidei, & quod veritas prima eſt obiectum formale fidei. Vnde dicit, quod D. Tho. in præſenti, vtrūque accipit pro eodē, & vt probet ſuam ſententiam ſupponit duo. Primum eſt, quod veritas eſt duplex, vna in eſſendo, altera in dicendo, vt iam explicauimus. Alterū eſt, ꝙ vtroque modo, Deus eſt veritas prima, quāuis propter diuerſas rationes. Eſt enim prima veritas in eſſendo, quia eſt primum ens, eſt autem prima veritas in dicendo, quia omnia intelligit, & omnibus benè vult: ex quo ꝓuenit, vt nec fallere, nec falli poſsit. Cæterū, vtrumque, ſcilicèt, & eſſe primam veritatem in eſſendo, & primam veritatem in dicendo, conuenit Deo, quia Deus eſt. Nā & eſt primū ens, & ſic prima veritas in eſſendo, quia eſt Deus: & prætereà habet perfectiſsimū intellectum, quo omnia intelligit, & perfectiſsimam voluntatē, qua omnibus benè vult: ex quo fit, vt ſit prima veritas in dicēdo, quia Deus eſt.

Probat Caie.

Hoc ſuppoſito probat Caiet. ſuam ſententiam hac ratione. Deum eſſe primam veritatem, nihil aliud eſt, quàm vel eſſe primū ens, ſi de veritate in eſſēdo ſit ſermo, vel habere naturam omnia intelligentem, & neminem decipientē, ſi loquamur de prima veritate in dicendo: ſed vtrumque conuenit Deo, quia Deus eſt: ergo idē eſt dicere quod Deus ſub ratione Deitatis, & quod Deus ſub ratione veritatis primæ, eſt obiectum formale fidei. Si quis autem quærat à Caietano, quæ nā ſit cauſa, ꝓpter quā D. Tho. in præſenti potius dixerit, quod Deus, ſub ratione primæ veritatis, eſt obiectum formale fidei, quàm quod ſub ratione Deitatis: reſpōdet, quod id fecit, & propter explicationem, & propter appropriationē: propter explicationem quidē, quia dicendo, quod veritas eſt obiectum formale fidei, explicatur, eius aſſēſum eſſe certum, & cui falſum ſubeſſe non poſsit: cū nitatur primæ veritati: propter appropriationē autem, quia proprium fidei eſt, inducere ad aſſentiendum, non propter rationem aut argumentationem ex ipſa rerū natura deductam, ſed propter teſtimonium & autoritatem dicentis. Eſt autem proprium veritatis teſtimonium dicere.

¶ Hæc opinio Caiet. nōnullis videtur probabilis, & conſona D. Thom. Ea tamen non obſtante dico, longè eſſe probabilius, quòd Deus, ſub ratione primæ veritatis, eſt obiectum formale fidei, & non ſub ratione Deitatis.

Deus ſub ratione veritatis eſt obiectū formale fidei.

Ita tenet D. Tho. in præſenti, & Maioris in. 3. d. 14. art. 2. & Richardus in. 1. diſt. 24. q. 1. Pro cuius ſententiæ explicatione aduertendum eſt, quod quamuis in Deo omnia ſint vnū, vbi non obuiat relationis oppoſitio: quia tamē noſter intellectus, diuinæ naturæ immenſitatem,

Notādū pro explicatione veritatis.

vnico

vnico cõceptu comprehendere nõ poteſt, fit, vt eam per varios ac multiplices conceptus tãquã diuidat, intelligendo illam, interdũ vt bonam, interdum vt ſapiẽtem, interdũ vt veram, ſeu veracem: & hæc diſtinctio ſufficiẽs eſt ad diſtinguendos diuerſos habitus, atque virtutes. Vnde dicimus ꝙ quamuis fides atque charitas habent Deũ pro obiecto, adhuc tamen diſtinguũtur ex diuerſa ratione tendendi in illum: & quod charitas tẽdit in Deũ quatenus bonus eſt, & non quatenus Deus eſt, quãuis Deitas & bonitas ſint vna & eadem res: fides verò, quatenus verax eſt, & nõ quatenus bonus, aut Deus eſt. Quia ſicut Deus eſt dignus amore, quia bonus: ita etiam eſt dignus cui fides adhibeatur, qa verus ſeu verax eſt. Et ſic cõſtat quod Deus ſub ratione primæ veritatis, & nõ ſub ratiõe Deitatis, eſt obiectũ formale fidei.

Reuelatio nõ eſt de intrinſeca ratione obiecti formalis fidei.

¶ Si quis autẽ quærat, vtrum reuelatio ſit etiam de intrinſeca ratione formali obiecti fidei: reſpondeo quod non, ſed tãtum ſe habet tanquã cauſa ſine qua non. Et ſicut in aſſenſu primorum principiorum, tantùm lumen naturale intellectus eſt ratio formalis aſſentiendi, apprehenſio autem terminorum ſe habet tanquam cauſa ſine qua non, quia terminis non apprehẽſis principia cognoſci non poſſunt: ita etiam in fide, ratio formalis aſſentiendi eſt veritas prima, reuelatio vero eſt cauſa ſine qua non. Niſi enim prima veritas reuelet credenda, eis fidem adhibere non poterimus. Hæc ratio dicẽdi eſt optima: quam & communiter ſequuntur Theologi noſtri tẽporis.

Pro ſolutione arg. nota primo.

¶ Vt tamen ad argumenta in cõtrarium facta reſpondeamus: Notandum eſt primo, quod aliud eſt quærere, à quo res aliqua habeat vt ſit, aliud verò à quo habeat vt credatur talis: vt verbi gratia, aliud eſt quærere, à quo habeat Roma vt ſit, aliud verò, à quo habeat vt credatur talis. Nam ꝙ Roma ſit, cauſa eſt Romulus, qui illam condidit: quod vero ego credam Romam eſſe, cauſa eſt multorum hominum conſentiens teſtimoniũ. Et eodẽ modo dicẽdum eſt de Deo, quod ab alio habet vt ſit bon⁹, verus, ſapiẽs, &c. Ab alio autem quod credatur talis, qualis in ſacris literis prædicatur. Nam quòd ſit bonus trinus, &c. habet à ſua diuinitate: quod autem à nobis credatur talis, ſumma & potiſsima cauſa eſt, quia veritas prima, quæ nec falli, nec fallere poteſt, ita reuelauit.

Secundũ notabile.

¶ Secũdo notãdum, ꝙ quia actus fidei formaliter eſt credere: quãdo fit vltima fidei reſolutio, ſiſtendũ erit in eo, qđ nobis eſt prima ratio credẽdi, quãuis illud nõ ſit prima ratio aut cauſa, propter quã res ipſa ſit.

Ad. 1. arg.

¶ His poſitis, ad primũ argumẽtum reſpõdetur conceſſa maiori, negando minorẽ: & ad probationẽ dico, ꝙ fideli reſpondenti, ꝙ credit Deũ eſſe trinũ & vnũ, quia veritas prima dicit, duplex adhuc poteſt fieri interrogatio, prima eſt, cur credat primæ veritati dicenti, & hæc eſt inſipiens, & ſtulta interrogatio: nã per ſe notũ eſt, primæ veritati eſſe credendũ: nec huius rei ratio aut cauſa vlterius eſt reddẽda, aut inquirenda. Secunda interrogatio eſt, vnde ſciat Deũ eſſe primã veritatem, & huic quidem cõuenienter reſpõdetur, quia eſt Deus. Cęterùm, vt videtis, hæc interrogatio non inquirit cauſam, cur credamus Deũ eſſe trinum & vnũ: ſed rationẽ propter quã Deus ſit prima veritas, & ſic nullo modo pertinet ad fidẽ, nec in eam fidei reſolutio eſt facienda. Et ſic cõſtat quod veritas prima eſt vltima ratio credendi.

Ad. 2. arg.

¶ Ad ſecũdum argumentum reſpõdetur, cõceſſa maiori, atque minori, diſtinguẽdo conſequens, nam ſi intelligatur de obiecto materiali, verum eſt quod fides atque viſio habent idem obiectum, ſcilicet, Deum: ſi autem intelligatur de obiecto formali, falſum eſt: nam quamuis viſio & fides tẽdant in Deum, eſt tamẽ ſub diuerſis rationibus.

Dubium.

¶ In tertio argumento tangitur difficultas, de modo, quo fides & Theologia diſtinguũtur inter ſe ſe, in qua re diffinienda variant doctores: pro eius tamẽ explicatione eſt aduertendum ex Caietano. 1. part. q. 1. artic. 3. quod ratio formalis obiecti eſt duplex, vna vt quæ, altera ſub qua: ratio formalis obiecti vt quæ, eſt ea, quæ primò terminat actum habitus vel potentiæ, & ratione cuius terminatur ad aliud: qualis eſt color reſpectu potentiæ viſiuæ, & entitas reſpectu Metaphyſicæ, & quantitas reſpectu Mathematicæ.

Primum notabile.

Primum enim ad quod terminatur potentia viſiua, eſt color, & ſi terminatur ad aliud, putà ad parietem, eſt quia habet in ſe colorem, & idem eſt de entitate reſpectu Metaphyſicæ, & de quantitate reſpectu Mathematicæ. &c. Ratio autẽ obiecti formalis ſub qua, eſt ea, qua mediante prior ratio poteſt mouere habitum vel potentiam ad ſui cognitionem, ſeù ad tendendum in obiectum, & talis eſt lumẽ

reſpectu potētię viſiuæ,& immaterialitas, ſeu abſtractio ab omni materia reſpectu Metaphyſicæ,& abſtractio a materia ſenſibili, & nō ab intelligibili, reſpectu Mathematicæ. Nō enim poteſt potētia viſiua tendere in colorem, niſi mediante lumine, nec Metaphyſica in entitatem, niſi mediante omni abſtractione, nec Mathematica in quantitatem,niſi abſtrahendo à materia ſenſibili.

Secūdum notabile.

¶ Secundo eſt aduertendū, certum eſſe quod ratio formalis obiecti vt quę,tam in Theologia,quā in fide,eſt Deitas:ea enim eſt,quæ primo terminat tā actū fidei, quā Theologiæ: & ſi terminatur ad aliud, eſt mediāte Deitate.Ex quo infertur,habituū diſtinctionē ſumēdam eſſe, nō ex ratione formali obiecti, vt eſt quædam res, ſed ex ratione formali obiecti ſub qua.

Tertium notabile.

¶ Tertiò notādum,quod ratio formalis obiecti ſub qua in Theologia ſecūdum ſe accepta,eſt lumē diuinitus infuſum,ſiue illud ſit obſcurum,quale eſt in fide,ſiue clarū,vt eſt in prophetia,ſiue euidēs,vt eſt in beatis.Itaque Theologia in genere, exigit tāquam rationē formalē obiecti ſub qua, lumē aliquod diuinū, & ſupernaturale,ad cognoſcēda prima principia:quale autem illud in ſpecie debeat eſſe, nō determinat. Et conſtat ita eſſe, nām etſi prima principia Theologiæ lumine prophetico cognoſcerentur à Theologo, aut etiā lumine beatorū, vt contigit in Chriſto, adhuc tamen eius concluſiones verè pertinerēt ad Theologiam. Vnde dicūt Doct. quod Chriſtus fuit Theologus, omniū, qui fuerūt,cōſummatiſsimus:cum tamē euidenter,& ſine lumine fidei, aſſentiretur principijs,& concluſionib⁹ Theologicis. ¶ Et ſi qs obijciat

Obiectio.

contra hoc, quod Theologi cōmuniter dicūt, principia Theologiæ tātum cognoſci lumine fidei: reſpondetur quod id dicūt,

Solutio.

loquētes tātum de noſtra Theologia, quæ cōmuniter cōparari ſolet, mediāte lumine fidei,rarò autem mediante lumine prophetico,& rariſsimè mediante lumine beatifico:cū tamē his omnibus luminibus vti poſſit,tanq̄ medio: & ſic in eo dicto explicāt, non quod ipſi ſecūdum ſe conueniat, ſed qd noſtræ ſit cōſentaneū. ¶ Ex dictis infero primo, quod alia eſt ratio formalis obiecti ſub qua in fide, alia verò in Theologia ſecūdum ſe cōſiderata. Nam in ratione formali obiecti ſub qua in fide,includitur inuidētia & obſcuritas,cū tamē Theologia

Alia eſt ratio formalis obiecti in fide & alia in Theologia.

ſecundū ſe accepta clara & euidēs eſſe poſſit, Infero ſecūdo, ꝙ fides atque prophetia differunt etiā ſecundum rationem formalē obiecti ſub qua, nam formalis ratio obiecti ſub qua in fide, eſt lumen obſcurū, at ratio formalis obiecti in ꝓphetia eſt lumen clarū & euidens. Preterquā quod etiā inter fidē & prophetiā plura alia poſſunt aſsignari diſcrimina, nā primo differunt in eo, ꝙ prophetia datur hominibus per modum actus trānſeuntis, nec ſemper manet in intellectu prophetæ, vt ſupra diximus de Eliſeo:at verò fides, eſt habitus manens in intellectu,nec ab eò aliquo tempore ſeparatur niſi per infidelitatē cōtrariam. Ex quo fit, vt credamus quotieſcunque volùmus,quia habemus habitū:at verò propheta nō prophetat quoties vult. Secūdo differūt in eo,quod prophetia ipſa per ſe perficit intellectū ſicut ſcientia: vnde non indiget pia affectiōe volūtatis ad hoc vt perſuadeat menti prophetæ id quod demonſtrat:cæterum fides eſt huiuſmodi, vt non poſsit inducere intellectū noſtrū in aſſenſum articulorū,niſi à pia affectione volūtatis adiuuetur. Hoc diſcrimē ponit D. Tho. de veritate.q.12.art.1.ad.4. Ex quo ſequitur vltimum diſcrimē,& eſt,quod prophetia cōparatur viſioni, quia eſt lumen clarum,& ſic appellatur viſio Eſai.c.1.& prophetæ appellantur vidētes. 1.Reg.c.9. Cæterùm fides quia eſt obſcura, cōparatur auditui. ¶ Infero tertiò,quod fides atque noſtra Theologia habent eandē rationem formalem obiecti ſub qua, quæ eſt lumen obſcurū à prima veritate reuelatū,quo mediāte Theologia aſſentitur ſuis principijs, & fides aſſentitur articulis à Deo reuelatis. Et ſic cōſtat quam propriè D. Tho. 1. p. q. 1. artic. 7. dicat, idem eſſe obiectum fidei, & Theologiæ:non enim id ſolum habet verū in obiecto materiali quod eſt Deus, aut in ratione formali obiecti,vt quędam res eſt, quæ eſt Deitas: vt diximus in ſecundo notabili,ſed etiam in ratione formali obiecti ſub qua, ſi de Theologia noſtra ſit ſermo, & ſic patet ſolutio ad tertium argumentū.

Fides & prophetia differunt ſecundū rationes formales & in multis alijs.

1. Reg. 9.

¶ Sed ex hoc conſurgit difficultas, videtur enim quod ex dictis ſequatur noſtram Theologiam, atque fidem, eſſe vnum & eundem habitum, ſiquidem conueniunt in obiecto tam materiali quam formali, vt iam explicauimus. ¶ Ad hoc argumentū reſpōdetur negando ſequelam: nam quātuis fides & noſtra Theologia cōueniant in

Obiectio.

Solutio.

eadem

eadē ratione formali obiecti, differūt tamē ex diuerſo modo tendendi in illud: fides enim tēdit tantùm inducta teſtimonio & autoritate dicentis, at vero Theologia tendit mediāte ratiocinatiōe, & argumētatione, ex quo fit vt differāt plusquam ſpecie, ſcilicèt, genere. Quod vt perfectius intelligatur aduertendum eſt, quod quamuis in habitibus & potentijs, diſtinctio ſpecifica ſumenda ſit ex ratione formali obiecti, vt docet D. Tho. lib. 1. poſteriorum, lectione. 41. diſtinctio tamen generica aliunde ſumenda eſt, ſcilicèt, ex diuerſo modo tēdēdi in obiectū, & ſic dicimus, quod ſcientia & opinio in noſtra Theologia, quāuis habeant eandem rationem formalem obiecti, (vtraque enim verſatur circa primam veritatem reuelantem) adhuc tamen differunt genere, quia habent diuerſos modos tendendi in obiectum: & opinio tēdit mediante ſyllogiſmo probabili, ſcientia verò mediante ſyllogiſmo demōſtratiuo, & neceſſario. Similiter etiam, quamuis intellectus Angelicus & intellectus human⁹ habeant idem obiectum adæquatum, putà ens, & eandem rationem formalem tendēdi, ſcilicet, verum, adhuc tamen differunt genere, quia vnus cum diſcurſu, alter vero ſine diſcurſu tendit in illud: quod ſatis eſt ad genericam diſtinctionem: & idem dicēdum eſt de fide & noſtra Theologia.

Diſtinctio generica in habitibus ſumitur ex diuerſo modo tendendi in obiectum.

Ad argum. pro opinione Caietani.

¶ Ad argumētum in principio dubitationis factum pro opinione Caietani, reſpōdetur cōceſſa maiori, atque minori negando cōſequentiam: nam quāuis in Deo idē ſint Deitas atque veritas, quia tamē poteſt fieri vt Deus à nobis ſecūdum has rationes ſeorſum cōſideretur, fieri etiam poteſt, vt ſecundum vnam rationem ſit obiectum formale fidei, & non ſecundum aliā, ad modum iam explicatum.

Dubium graue.

¶ Suppoſito iā, Deū ſub ratione primæ veritatis eſſe obiectū formale fidei, dubiū cōſequens eſt de eo in quod vltima fidei reſolutio eſt faciēda, Quod eſt quærere vtrū Chriſtianis hominibus ſumma & potiſſima ratio credēdi firmiter, vt credūt, ſit autoritas Eccleſiæ, vel potiùs perſuaſiones & miracula, & cōſentiens teſtimoniū maiorū noſtrorū, an lumē aliquod interius inclināns ad aſſenſum articulorū? Nam in hac re diffinienda non ſatis cōueniunt Doct. Lutherani enim dicūt quod vnuſquiſque ex proprio ſpiritu, atque iudicio, debet ſtatuere, ac iudicare, vtrū ea quæ ei proponūtur credēda, ſint reuelata à Deo nec ne. Nam ſi proprius ſpiritus annuit, credēdum eſt illis: ſi autē renuit, diſſentiendū: & ſic reuocat res fidei ad propriū vniuſcuiuſque hominis iudiciū, & in illud vltimā fidei reſolutionē faciunt. Probātque ſuā ſententiā ex illo. 1. Ioannis. 4. Chariſsimi nolite credere omni ſpiritui, ſed probate ſpiritus an ex Deo ſint, quoniā multi Pſeudoprophetæ veniēt in mūdum. &c. Ex quo loco ſic colligūt argumētum. D. Ioānes, in illis verbis, indiſcriminatim loquitur omnibus, facitque, vt apparet, vnūquenque iudicē ſecundū proprium ſenſum de rebus credendis, vel non credendis, ergo in illud vltima fidei reſolutio eſt facienda. Hæc ſententia Lutheranorū eſt mera inſania: nam præterquam quòd peruertit omnē rationē benè inſtitutæ Reipub. ſiquidē ea admiſſa nihil certi eſſet in fide, ſed ſinguli ea crederent quæ ſibi fingerent credenda: eſt etiam contra Paul. ſecūdæ ad Theſſalonicen. cap. 2. vbi fideles ea admonentur tenere, quæ ex doctrina Eccleſiæ acceperunt, ſiue per epiſtolam, ſiuè per ſermonē. Et ad Epheſ. 4. præcipitur vt vna ſit fides, vnus Deus, vnū baptiſma: & quod non circūferamur omni vento doctrinæ: hoc autem eſſe nō poſſet, ſi vnuſquiſque pro ſua volūtate ea crederet, quæ vellet. Nec obſtat quod adducitur ex D. Ioanne: nam in illo loco non dicitur, quod fideles ex proprio ſpiritu diſcernant credēda, ſed tantum admonemur ne ſimus leues in credendo cuiuis nouam doctrinam afferēti, ſed priùs cautè, & prudenter examinare debemus doctorū ſpiritus, vt cognoſcam⁹ an ſint miſsi à Deo nec ne. Et quod iſte ſit ſenſus illius loci, manifeſtè cōſtat ex ratione ſubiecta dicitur enim quod multi Pſeudoprophetæ veniet in mūdum. &c. De hac re videndus eſt Hoſius de confeſsione Polonica. cap. 18. & Roffenſis in confutatione procemij Lutheranorum veritate. 1. 2. & 3. Hac ergo ſentētia omiſſa, operæpretium erit cum catholicis propoſitam difficultatem diſputare.

Error Lutheranorum.

Fundamentum Lutheri.

Impugnatur Lutherus.

D. Paulus.

Ad fundamentum Lutheranorū.

¶ De qua quidem Scotus in. 3. diſtinctione. 23. quæſt. vnica. multa dicit: eius tamen ſentētia poteſt explicari tribus propoſitionib⁹. Prima eſt, Nemo poteſt aſſentiri per fidem infuſam articulis fidei, niſi eiſdem prius aſſentiatur per fidem acquiſitam: vocat autem fidem acquiſitam eum aſſenſum, qui ortum habet ex teſtimonio humano, & ex quo frequentato generatur

Sentētia Scoti continetur tribus propoſitionibus.

Prima propoſitio.

ratur in nobis habitus fidei acquiſitæ. ¶ In
hac propoſitione conueniunt cum Scoto
Durãdus in.3.d.25.q.3. & Gabriel eadem
diſt.q.2. Et probatur primo, exemplo pue
ri baptizati & in ſiluis nutriti, de quo cer-
tum eſt, quod quamuis habeat fidem infu
ſam, non tamẽ poteſt alicui articulo aſſen-
tiri, niſi illi prius proponatur, & autori-
tate dicentis confirmetur. Ex quo ſequi-
videtur, quod aſſenſus fidei acquiſitæ ne-
ceſſario debet præcedere actum fidei infu-
ſæ. Et confirmatur ex Paul. ad Roma. 10.
dicente, Quomodo credent ſi non audie-
runt, aut quomodo audient ſine prædican
te? Et paucis verbis interiectis, inquit, er-
go fides ex auditu. In quibus uerbis vide-
tur ſignificare ſemper eſſe neceſſariã præ-
dicationem, & auditionẽ exteriorem, quæ
generat fidem acquiſitam. Si quis autem
quærat ab Scoto, quęnam ſit ratio propter
quã ponenda ſit fides infuſa, ſiquidem per
fidem acquiſitam prius aſſentimur articu-
lis à Deo reuelatis, reſpondet quod fides
infuſa tantum ponitur ad hoc vt perfectè,
& faciliùs credamus: cum tamen credere
poſsimus per ſolam fidem acquiſitam.

Secũda propoſitio Scoti.

¶ Secunda propoſitio Scoti eſt, eſſe proba
bile quod vltima fidei reſolutio ſit in fidẽ
acquiſitam, nempè in fidem ortam ex hy-
ſtoria, & teſtimonio humano. Exiſtimat
enim probabilem eſſe ſententiam Duran-
di, qui in.3.diſt.24.q.1. & diſt. 25. q.3. di-
cit duo: primum eſt, fidei reſolutionem fa
ciendam eſſe in autoritatẽ Eccleſiæ, nam
primũ quod creditur, & ratione cuius alia
credũtur, eſt quod Eccleſia regitur ab Spi
ritu ſancto, vt conſtat ex illo celebri dicto
Auguſtini contra epiſtolã fundamẽti. c.3.
Euãgelio non crederem, niſi me autoritas
Eccleſiæ commoueret. Secundum dictum
Durandi eſt, quod illud, ſcilicet, Eccleſia re
gitur ab Spiritu ſancto, credunt fideles fi-
de acquiſita tãtum, ſcilicet, propter hyſto-
riã, & propter cõſentiẽs teſtimoniũ multo
rũ hominum aſſerẽtium Spiritũ ſanctum
viſibiliter illuſtraſſe primitiuam Eccleſiã,
& quod edita ſunt multa miracula à docto
ribus huius doctrinæ, & multi pro hac con
feſsione mortui ſunt. Ex quibus maniſe-
ſtè ſequitur, vltimam fidei reſolutionem
fieri in teſtimonium & fidem humanam.
Cum Durando concordat Gabriel in.3. d.
23.q.2. Hanc ergo opinionem probabilem
reputat Scotus in ſua ſecunda propoſitio-
ne.

Tertia propoſitio Scoti.

¶ Tertia propoſitio Scoti eſt, eſſe pro-
babile, quod vltima fidei reſolutio ſit in
habitum internum, & infuſum fidei: ita vt
ſi quis quærat à fideli cur credat Deũ eſſe
trinum & vnum, non debet reſpondere ſe
id credere, quia veritas prima dicit, ſed qa
habet fidem infuſam, cuius lumine imme-
diatè inclinamur ad credendum hanc pro-
poſitionẽ, & reliquas omnes ad fidem per
tinentes. ¶ In hac ſententia Scoti multa cõ
tinentur falſa. Nam primò falſum eſt dice-
re, quod fides acquiſita ſemper neceſſario
debet præcedere fidem infuſam: ſiquidem
cõtingere poteſt, vt aliquis viſo miraculo
ſtatim credat, aut audita oratione prædica
toris, non propter hominis teſtimonium,
ſed quia à Deo excitatur interiùs, vt conti
giſſe eſt veroſimile illi homini, de quo ſit
mẽtio Ioan.9. qui reſtitutus à Dño ſanita-
ti, ſtatim ac audiuit à Chriſto, quod erat fi-
lius Dei, credidit & dixit, Credo dñe: & Iu
dit.c.13. etiã dicitur de Achior, quod vidẽs
mulierẽ occidiſſe Olofernem, ſtatim credi
dit. Probabile autẽ eſt, quod qui ita ſubito
credũt, nõ ex aliquo motiuo humano, ſed
ex lumine diuino inducũtur ad credendũ.

Impugnatur Scotus.

¶ Secũdò, id quod dicit Scotus, nẽpe fidẽ
humanã noſtris viribus acquiſitã ſufficere
ad credendum omnia, & quod fides infuſa
tantum datur ad faciliter credendũ, falſum
eſt, & Pelagianum, vt infra videbimus.

¶ Tertiò, id quod Scotus reputat proba-
bile, & Durandus dicit eſſe verum, ſcilicèt,
quod vltima fidei reſolutio eſt facienda in
fidem acquiſitam, & teſtimonium huma-
nũ, nec verum eſſe poteſt, nec probabile:
nam ex eo ſequeretur, fidei noſtræ falſum
ſubeſſe poſſe, conſequens autẽ eſt falſum,
ergo. Sequela probatur, nam ſi tota ratio
aſſentiẽdi huic propoſitioni, Eccleſia re-
gitur ab Spirituſancto, eſt hyſtoria, & mul
torum hominum cõſentiens teſtimonium,
cũ hoc falſum eſſe poſsit, fidei noſtræ fal-
ſum ſubeſſe poſſet, quod eſt hæreticum.

¶ Item, ſi prima origo, vnde manat no-
ſtra fides, eſt teſtimoniũ humanum, ſeque
retur quod etiam eiſdem hominibus con-
traria dicentibus eſſet aſſentiendum, & ſic
mutanda fides, cõſequens autẽ eſt falſum,
& contra Paulum ad Gala.4. dicentem, Si
nos aut Angelus de cœlo euangelizaue-
rit vobis præter id quod euangelizatum
eſt, anathema ſit, ergo noſtra fides nec pen
det, nec reſoluitur in teſtimonium huma-
num. Et hæc de Scoti ſententia. Cæterùm
Caietanus in hoc articulo, dubio tertio,

Sẽtentia Cai.

proprius

propriùs accedit ad veritatem. Dicit enim fidei reſolutionem faciendam eſſe in duo ſumma & prima principia, quorum vnum eſt veritas diuina, alterum autē teſtimoniū Eccleſiæ: quæ ita ſe habent, quòd teſtimoniū Eccleſiæ eſt prima regula in proponēdo, prima autē veritas eſt ipſa formalis ratio credendi. Et ſi quis quærat à Caiet. hoc ipſum quod Eccleſia in proponēdo eſt prima regula, vnde credatur, nam vel creditur quia ipſa de ſe teſtimonium dicit, vel propter miracula in Eccleſia facta, vel propter aliquod lumen interius: id nō explicat: & ſic manca eſt illius poſitio, atque ſententia.

Primum notabile. ¶ Quo circa, ad perfectā huius rei explicationē aduertēdum eſt primo, certum eſſe, quod nullus poteſt aſſentiri omnibus à Deo reuelatis, aſſenſu certo, & ſine formidine, qualis eſt aſſenſus fidei, ſine lumine aliquo ſupernaturali, ſiue illud ſit habitus à Deo infuſus, ſiue auxilium aliquod ſpeciale: de hoc enim in preſenti non diſputamus. Hoc fundamentum eſt de fide tenendū, & præterquā quòd colligitur expreſsè ex Paulo ad Philippen. 2. dicēte, Vobis datum eſt pro Chriſto non ſolum vt in eum credatis, ſed etiam vt pro illo patiamini. & ad Epheſ. 2. Gratia ſaluati eſtis per fidē, & hoc non ex vobis, donū enim Dei eſt. &c. eſt etiam diffinitū in concilio Arauſicano Canone. 5. & in concil. Triden. Seſſ. 6. cap. 6. & Canone. 3. eiuſdem Seſsionis. Quod etiam latè probat Soto lib. 2. de Natura & gratia. c. 8. & Vega in libello de iuſtificatione. q. 9. & Cano lib. 2. de locis. c. 8.

Secundū notabile. ¶ Secundò eſt aduertēdum ex D. Tho. in. 3. diſt. 27. q. 3. art. 2. ad primum. quod illud lumen fidei, quo indigemus ad credendū, eo modo ſe habet circa articulos fidei, ſicut lumen naturale intellectus circa prima principia naturalia. Nam ſicut lumen naturale intellectus non obijcit nobis ipſa principia, ſed poſtquam ſunt propoſita & explicata à magiſtro, facit vt intelligamus ea eſſe vera: ita etiam lumen fidei non obijcit nobis articulos fidei, ſed poſtquā ſunt propoſiti & explicati, facit vt illis aſſentiamur, & credamus eſſe veros: habēt enim ſe articuli fidei velut prima principia noſtræ fidei. Vnde hoc nomine appellātur à Paulo ad Hebræ. 5. dicente, Cum magiſtri eſſe deberetis propter tempus, indigetis vt rurſus doceamini quæ ſint elementa exordij ſermonis Dei. Et. c. 6. explicat quę ſint iſta principia, dicēs, Intermittētes inchoationis Chriſti ſermonē ad perfectionē feramur: non rurſus iacientes fundamentum pœnitētię ab operibus mortuis, & fidei ad Deū, baptiſmatū doctrinæ, impoſitiōis quoque manuum, reſurrectionis mortuorum, & iudicij æterni. &c. De hac re videndus eſt Cano lib. 2. de locis. c. 8. ad. 4. argum.

Tertium notabile. ¶ Tertiò notandum, quod quāuis hoc lumen internum fidei, ex natura ſua habeat vim atque efficaciam ad inducendū noſtrum intellectum in aſſenſum articulorum, adhuc tamē retardatur, & impeditur ex parte ſubiecti ex duplici impedimēto: primum eſt, quod intellectus noſter difficulter aſſentitur rebus, quæ non videt, & ſunt ſupra facultatem ipſius: alterum autem eſt, quod volūtas noſtra, ſicut eſt prona ad decipiēdum alios, ita eſt tarda ad adhibendū fidem alijs. Ex quo fit, vt ſit opus quod hæc prius impedimenta remoueantur, vt lumen internum poſsit actu inducere fideles in aſſenſum articulorum. Remouentur autem quando articuli exterius proponuntur, & explicantur, & rationibus adhibitis perſuadentur à prædicatoribus, quorum munus & officium eſt, non addere veritatē ipſis articulis, ſed ſua oratione atque perſuaſione eas remouere difficultates, quæ ſunt ex parte intellectus, & ex parte volūtatis, vt fideles facilius credant. Ex quo ſequitur, eſſe neceſſariā maiorem propoſitionem & explicationem ex parte articulorum fidei ad hoc vt fideles, mediante lumine ſupernaturali fidei, quod in ſe habent, poſsint illis aſſentiri, quam ex parte primorum principiorum naturalium, ad hoc vt mediāte lumine naturali, quod in nobis eſt, illis aſſentiamur. Nam cum hæc ſint proportionata noſtro intellectui, illa vero excedant facultatem ipſius, quòd inæquali indigeant explicatione & perſuaſione, erit neceſſe.

Vltimum notabile. ¶ Vltimò eſt aduertendū, quod hæc exterior propoſitio & explicatio articulorū neceſſaria ad aſſenſum fidei, non ſemper fit aut facta eſt vno modo, ſed pluribus atque diuerſis. Nam interdum fit à ſolo Deo, qui non ſolum per ſe immediatè articulòs proponit, ſed etiam magno lumine interiùs intellectum illuſtrat, vt facilius perſuadeat: vt contigit Apoſtolis atque Prophetis, qui fundamenta Eccleſiæ erant futuri. Interdum autem fit per homines, idque diuerſimodè, nam aliquando fit ſola oratione, aliquando verò oratione & miraculis,

interdum

interdum autem, & hominum vita, atquē ſanctitate.

Prima cõcluſio.

¶ His poſitis, ad explicationem difficultatis ſit prima concluſio. Ad hoc vt aſſentiamur articulis fidei, regulariter loquẽdo, eſt neceſſarium quod illi nobis exteriùs proponãtur, & adhibitis rationibus & perſuaſionibus explicentur, & perſuadeantur. Probatur, nam quamuis lumen fidei ex ſe ſit ſufficiens ad inducendum noſtrum intellectum in aſſenſum articulorũ, non tamẽ poteſt exire in actum, niſi prius auferatur pertinacia intellectus, & voluntas piè afficiatur, vt diximus in tertio notabili: ſed hoc regulariter loquẽdo, fit prædicatione, & perſuaſione, & miraculis, id eſt, ſufficienti articulorum propoſitione, ergo regulariter loquendo, talis propoſitio eſt neceſſaria (dixi regulariter loquendo) nam poterunt eſſe caſus rari in quibus illud non ſit neceſſarium, ſcilicet, quando Deꝰ immediatè proponit articulos, & animum illuſtrat interiùs. Item præterea probatur concluſio ex illo Pauli ad Rom. 10. Quomodo credent ſine prædicãte? & paulò inferius, ergo fides ex auditu. Ex quibus verbis apertè colligitur, ad credendum eſſe neceſſariam prædicationem, & exteriorem perſuaſionem. Item Ioann. 15. dicit Chriſtus, Si non veniſſem, & loquutus eis non fuiſſem, peccatum non haberent: & Marci vltimò, dicitur de Apoſtolis, ꝙ profecti prædicauerunt vbique, domino cooperante, & ſermonem confirmante, ſequentibus ſignis, ergo id erat medium ad credendum. Tandem probatur exemplo Nathanaël & Samaritanorum, de quibus fit mentio Ioannis. 1. & .4. & dicitur de illis: Non prius crediderũt in Chriſtum, quã illis aperuit ſecreta cordis illorũ. Et quòd hac ratione ſunt inducti ad credẽdũ, ergo.

Ad aſſentiẽdum art. eſt neceſſaria propoſitio.

Secunda concluſio.

¶ Secunda concluſio, Ad aſſentiendum articulis fidei, per accidens eſt quod ab hoc vel ab illo homine, vel ab Eccleſia proponantur. Probatur, nam quamuis ſit neceſſarium quod proponantur, tamen quod ab homine, vel ab Eccleſia, vel à Deo proponantur, id non eſt neceſſarium: quin potius, vt dicebam, interdum illos Deus proponit per ſeipſum, vt contigit Abrahæ, de quo dicitur Geneſis. cap. 15. Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam. Et Paulus ad Galat. 1. apertè fatetur ſe accepiſſe Euãgelium non ab homine, ſed à Deo reuelante, Et Eſai. c. 27. dicit de ſe, Quæ audiui à Dño exercituum, hæc annuncio vobis, ergo nõ eſt neceſſariũ quod ab homine, vel ab Eccleſia proponãtur, ſed id eſt per accidens.

Tertia cõcluſio.

¶ Tertia cõcluſio, Rebus fidei ſufficienter propoſitis, & explicatis, poteſt quidẽ intellectus noſter per ſuas vires vni aut alteri aſſentiri: cæterũ omnibus certo & firmiter aſſentiri, nõ poteſt ſine lumine fidei ſupernaturalis. Prima pars cõcluſionis probatur exemplo Samaritanorum, qui primo ſermone Samaritanæ cõmoti crediderunt in Chriſtum, vt habetur Ioannis, 4. & hæretici ſimiliter aſſentiuntur nõnullis articulis fide dũtaxat acquiſita, ſine fide infuſa. Secunda verò pars probatur ex primo fundamento, nam ſi tantum exterior propoſitio & perſuaſio eſſet ſufficiens ad hoc vt noſter intellectus certò & firmiter omnibus articulis aſſentiri poſſet, nõ eſſet neceſſarium lumen internũ infuſum fidei, quod eſt Pelagianum, vt infra dicemus.

Ioann. 4.

Quarta concluſio.

¶ Quarta concluſio, Quãdo aſſentimur articulis fidei ſufficienter propoſitis & explicatis, illa exterior propoſitio & explicatio, nõ eſt cauſa efficiẽs aſſenſus, ſed tantũ motiua, & ſine qua non. Probatur, illa exterior propoſitio & explicatio ſe habet, reſpectu articulorũ fidei, ſicut ſe habet propoſitio & explicatio facta à magiſtro, quãdo diſcipulis ꝓponit, & explicat aliquod principiũ pertinẽs ad Geometriam, ſiue ad aliam facultatem: ſed propoſitio & explicatio facta à magiſtro, quamuis ſit neceſſaria ad determinãdum intellectum diſcipuli, nõ tamen eſt cauſa efficiens aſſenſus, ſed ſolum lumen naturale intellectus eſt quod efficit aſſenſum, ergo ſimiliter in fide, exterior propoſitio & explicatio articulorũ per prædicatorem, ſiue per Eccleſiam facta, quamuis valeat ad determinandum noſtrum intellectum, & bene afficiendam voluntatem, cauſa tamẽ efficiens aſſenſus ſolum erit lumen fidei interius infuſum, quod lumen, vt diximus in ſecundo notabili, ſe habet reſpectu articulorum, ſicut lumen naturale intellectus reſpectu primorum principiorũ. Poteſt etiam eadem veritas probari ex illo Matthæi. 16. Beatus es Simon Bar-Iona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meꝰ. &c. Vbi Chriſtus confeſsionem à Petro factam reijcit in diuinum lumen, cum tamen iam Petrus audiſſet Ioannis teſtimoniũ dicentis, Ecce agnꝰ Dei, ecce qui tollit peccata mũdi, &c.

Ratio cõmunis.

Et Paulus

D. Paulus. Et Paulus. 1. ad Theſ. c. 2. dicit, Gratias agi
mus Deo quia cũ accepiſſetis à nobis ver-
bũ auditus Dei, accepiſtis illud non vt ver
bum hominis, ſed ſicut verè eſt verbũ Dei,
qui operatur in vobis qui creditis, ergo ſo
lum lumen fidei eſt cauſa efficiẽs aſſenſus.

5. Concluſio. ¶ Quinta concluſio. Vltima fidei reſolu
tio nec fit, nec fieri poteſt in autoritatẽ Ec
cleſiæ, nec in aliam cauſam quæ exteriùs
Ratio cõclu-ſionis. moueat ad credendum. Probatur, vltima
fidei reſolutio eſt faciẽda in id, à quo præ-
cipuè & principaliter cauſatur fidei aſſen-
ſus, ſed autoritas Eccleſiæ, & quodcunque
aliud proponens exterius, nõ eſt cauſa effi
ciens aſſenſus, ſed tantũ cauſa ſine qua nõ,
ergo vltima fidei reſolutio non poteſt fie-
Confirmatur ri in illud. Et confirmatur, ſi prima & po
tiſsima cauſa credendi eſſet autoritas Ec-
cleſiæ, vel aliquod aliud motiuũ exterius,
ſequeretur, ꝙ fides noſtra nõ eſſet eiuſdẽ
rationis cũ fide Apoſtolorum & Prophe-
tarum; conſequẽs autem eſt falſum, ergo.
Sequela probatur, nam haberet diſtinctũ
principium, & diſtinctã rationem forma-
lem credendi à principio & cauſa propter
quam Apoſtoli crediderunt: illi enim cre-
diderunt propter Deũ proponentem, nos
verò credimus ob autoritatem Eccleſiæ, &
teſtimonium hominum.

6. Concluſio. ¶ Sexta concluſio, Vltima fidei reſolu-
tio facienda eſt in lumen internum, & in
motionem Spiritus ſancti, qui interiùs
in animo noſtro fidem operatur, ita vt
ſi quis interroget fidelem cur credat Eccle
ſiam non poſſe errare, & quod regitur ab
Spiritu ſancto? reſpondere debet, ſe id cre-
dere ex lumine interno, & ex motiõe Spi-
ritus ſancti interiùs illum aſſenſum effi-
Ratio concluſionis. cientis. Hæc concluſio ſequitur ex dictis,
Nam ſi fides reſoluenda eſt in id, quod eſt
prima & præcipua cauſa credẽdi, cum hoc
ſit lumen internum fidei, & non autoritas
Eccleſiæ, vel aliquod aliud motiuum exte
rius, manifeſtè ſequitur, quod in lumen in
terius facienda eſt fidei reſolutio. Et præte
rea probatur teſtimonijs ſacræ ſcripturæ,
& primo ex illo Exodi. 14. Credidit popu
lus Deo & Moyſi ſeruo eius, ſuper quæ
verba notãt doctores, quod non dixit ſcri-
ptura credidit populus Moyſi, ſed credidit
Deo, quãuis Moyſes fuiſſet qui propone
bat populo credenda: vt hac ratione ſigni
ficaretur Deum fuiſſe à quo aſſenſus ille
tãquam à præcipua cauſa procedebat. Itẽ
Ioann. 6. cum quibuſdam videretur doctri
na Chriſti difficilis ad credendum, & ob
eam cauſam dixit Chriſtus, Nemo poteſt
venire ad me niſi pater meus traxerit eum:
ſubdit ſtatim, erũt omnes docibiles Dei, id
eſt, docti à Deo, ergo Deus eſt ſumma &
præcipua cauſa credendi. Item Ioann. c. 4.
dicitur, Si teſtimoniũ hominum accipitis,
teſtimonium Dei maius eſt, tanquam ſi di
ceret, ſi fidem adhibetis hominibus, quãto
potius Deo erit adhibenda, qui reuelat res
fidei. Et vt explicaret, quonam loco eſſet il
lud teſtimonium diuinũ, cui à nobis eſſet
fides adhibenda, ſubdit ſtatim, qui credit
in filium habet teſtimonium Dei in ſe. Et
rurſus in eadẽ epiſtola: c. 5. dicit, Spiritus
teſtificatur quoniam Chriſtus eſt Deus.
Hoc ergo teſtimonium internum, & hæc
motio ſpiritusſancti eſt in quam vltima fi
dei reſolutio eſt facienda: & ob hanc cau-
ſam, gentiles vocant fidem noſtram ſtulti-
tiam quia ſcilicet nõ reſoluimus articulos
fidei, & rationẽ credendi, in principia ali-
qua euidentia, ſed in interiorẽ reuelationẽ,
de qua gentilibus cõſtare non poteſt. Tan
dem probatur concluſio ex illo Matth. 16.
Beatus eſt Simõ Bar-Iona. &c. iam citato.
Hãc etiã cõcluſionẽ probat latè Cano lib.
2. de locis. c. 8. & Oſsius de conſ. fidei. c. 16.

¶ Sed contra illã ſunt aliquot argumen- *Primum argum. contra 6. conclu.*
ta. Primum eſt, nam, vt ſupra diximus,
prima veritas eſt obiectum formale fidei,
ergo in illam, & non in lumen internum,
debet fieri vltima fidei reſolutio: patet con
ſequentia. nã in habitibus intellectualibus
reſolutio ſemper debet fieri in id quod
eſt nobis ratio formalis aſſentiendi, vt pa-
tet diſcurrendo per omnes ſcientias, ergo
idem dicendum eſt de fide, ¶ Secundum *Secũdum argum.*
argumẽtum. Si vltima fidei reſolutio eſſet
facienda in lumen internum, & in motio-
nẽ Spiritus ſancti, ſequeretur, quod ad vnũ
quemque hominum pertineret iudicare de
rebus credendis, vel non credendis: conſe-
quens autem eſt falſum, & hæreticũ, vt ſu
pra diximus cõtra Lutherũ, ergo. Sequela
probatur, nã poſſet, vnuſquiſque dicere,
ſe ex lumine interno fidei, & ex motione
Spiritus ſancti inclinari ad credẽdum, quæ
voluerit: quod cũ nobis conſtare non poſ-
ſit, rurſus ſequitur, quod nec etiã talis po-
terit à nobis conuinci falſitatis, atque ex
conſequenti ſtandum erit eius iudicio.

¶ Ad primũ reſpõdetur, cõceſſo antecedẽ *Ad 1. argu.*
ti negando cõſequentiã, & ad probationẽ
dico: eſſe latiſsimum diſcrimẽ inter fidem

& alios

& alios habitus ſcientificos: iſti enim habent rationem formalem aſſentiendi clarã & euidentem: & ſic in eam poteſt fieri vltima illorum reſolutio: cæterum in fide ratio formalis aſſentiendi, nõ eſt clara & euidens, ſed tantũ lumine ſupernaturali nota: non eſt enim nobis euidẽs primam veritatem reuelaſſe credenda, ſed id tantũ de fide habemus. Ex quo ſequitur, quòd vltima fidei reſolutio fieri nõ poteſt in rationẽ formalem credendi, ſed vlterius eſt procedendum, vſque ad primam cauſam efficientẽ, quæ eſt lumen internum fidei, & motio Spiritusſancti ad modũ iam explicatum.

Ad. 2. arg. ¶ Ad Secundum reſpondetur, negando ſequelam, & ad probationem dico: quòd quamuis verum ſit, quòd in vnoquoque homine, vltima fidei reſolutio eſt facienda in lumen internum, & in motionem Spiritusſancti: quia tamen nobis conſtare non poteſt, quãdo ex illo lumine & ex illa motione inclinamur ad aſſentiendum, prouîdit Deus de quadam regula infallibili, quã in hac re ſequi debeamus: & hæc eſt Eccleſia catholica, quæ propter aſsiſtẽtiam Spiritusſancti àdeo eſt infallibilis in proponẽdo, vt tunc tantum dicendum ſit, nos inclinari ex fide infuſa ad credendum, quando noſtra credulitas fuerit per omnia conformis ſuæ propoſitioni: & ſic conſtat quod non pertinet ad vnumquemque hominũ iudicare de rebus fidei, vt Lutherani dicebãt, ſed tantum ad Eccleſiam catholicam, cuius eſt proponere credenda, vt infra dicemus cum de Eccleſiæ poteſtate fuerit ſermo. Nec ex hoc licèt inferre vltimam fidei reſolutionem faciẽdam eſſe in Eccleſiam, tanquã in primam & præcipuam cauſam credẽdi: quia cum propoſitio Eccleſię non ſit cauſa efficiens aſſenſus, ſed tantũ conditio ſine qua nõ, vt diximus in 4. cõcluſione, fieri nõ poteſt, vt in illam, fidem noſtrã reſoluamus: ſed tantum in lumen internũ: ſicut nec etiam reſoluimus cognitionem, quam aliquis habet de primis principijs, in propoſitionem factam à magiſtro quãuis ſit neceſſaria: ſed tantum in lumen naturale intellectus, à quo tãquã à præcipua cauſa talis cognitio procedit.

Ad. 1. arg. factũ in principio. ¶ Reſtat vt reſpondeamus ad argumẽta facta in principio diſputationis: & primò ad illud de puero in ſiluis nutrito, quo Scotus, atque Durandus probant actum fidei acquiſitæ ſemper neceſſario debere præcedere actum fidei infuſæ, reſpõdetur, quod quamuis verum ſit, quod puer ille non põteſt credere, niſi ei prius articuli proponãtur, & explicentur: tamen poſtquam ſunt propoſiti, & explicati, non eſt neceſſariũ, quòd per fidem acquiſitam illis prius aſsẽtiatur, ſed poterit immediatè aſſentiri ex lumine fidei infuſæ, vt ſtatim dicebam: & ſic nõ eſt opus, quod actus fidei acquiſitæ ſemper præcedat actum fidei infuſæ.

Ad confir. ex Paulo. ¶ Ad confirmationem ex Paulo reſpondetur, illo teſtimonio tantum probari, neceſſarium eſſe, quod articuli fidei exterius proponantur, & explicentur, ad hoc vt illis poſsimus aſſentiri: nec ex hoc ſequitur, quòd actus fidei acquiſitæ neceſſariò debeat præcedere actum fidei infuſæ: ſed poterit fieri, vt articulis immediatè aſſentiamur ex fide infuſa.

Ad teſtimoniũ D. Auguſt. ¶ Ad aliud ex teſtimonio Auguſtini dicentis, euangelio non crederem niſi Eccleſia diceret eſſe credendum, quo Durandus probat, vltimam fidei reſolutionem faciẽdam eſſe in authoritatem Eccleſiæ, reſpondetur, quod ex illo loco tantum concluditur Eccleſiam eſſe primã regulam in proponendo, quod quidem eſt verum: cũ hoc tamen ſtat, quod vltima fidei reſolutio, nõ in Eccleſiam, ſed in lumen internum ſit facienda: quia lumen eſt à quo, tanquã à prima cauſa aſſenſus fidei procedit, ad modũ iam explicatum.

Notandũ circa 2. conclu. D. Thom. ¶ Circa ſecũdam cõcluſionem D. Tho. in qua de obiecto materiali eſt ſermo, eſt aduertẽdum, eam eſſe certam, & ab omnibus conceſſam: nam certum eſt apud oẽs, quòd fides tãtum verſatur circa Deum, & circa ea quæ habent ordinem ad Deũ: ſiue quia ad Deũ ſpectãt, ſiue quia à Deo ſunt reuelata. *Dubium.* ¶ Sed Dubium eſt, vtrum omnia ea, quæ à Deo ſunt reuelata, pertineãt ad fidem, & cadãt ſub obiecto materiali illius? Quod eſt quærere, vtrùm fides tantũ inclinet ad aſſentiendum eis reuelatis, quæ ſpectant ad beatitudinem, & cõmune bonum & ſtatũ Eccleſiæ, vel potius, etiã inclinet, ad aſſentiẽdum particularibus reuelationibus? Nã de hac re ſunt variæ doctorũ ſentẽtiæ. *Opinio Caiet. & aliorum.* Caietanus enim in hoc articulo obiter dicere videtur, nõ omnia reuelata pertinere ad fidem: ſed ea tantum, quæ ſpectant ad beatitudinem, & commune bonum. Quam etiã ſententiam tenet Canó, libr. 12. de locis. capit. 3. & Soto libr. 3. de Natura & gratia. cap. 11. ita vt ſi Deus alicui priuatim reuelet, ſe eſſe in gratia, vel aliquid

aliud particulare, tale reuelatum non pertinebit ad fidem, nec cadet ſub obiecto materiali illius: probátque ſuam ſententiam ex illo Eſai. cap. 48. Ego Dominus docens vtilia, & gubernans te in via qua ambulas. Et 2. ad Thimoth. c. 3. dicit Paulus, Omnis ſcriptura diuinitus inſpirata vtilis eſt, ad docẽdum, ad arguendũ, ad corripiendũ, vt perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonũ inſtructus, & ad Epheſ. c. 4. ipſe, inquit loquens de Spiritu ſancto, dedit quoſdam Apoſtolos, quoſdã prophetas, &c. & ſubdit ſtatim cauſam, dicens, ad cõſummationem ſanctorum, in opus miniſterij, ergo, illis tãtum rebus erit fides adhibenda, quæ pertinẽt ad commune bonũ. Item D. Auguſtinus in Enchiridione. c. 8. & 17. dicit quòd fides non verſatur circa omnia, quæ non videntur, ſed circa illa tantum, quæ pertinent ad religionem. Et eandem ratione probatur eadẽ ſententia, fides infuſa, de qua in præſenti eſt ſermo, eſt fides catholica: ſed fides catholica tãtũ habet pro obiecto id, quod catholicè, id eſt, vniuerſaliter proponitur credendũ: ergo fides infuſa ad id tantũ inclinat. Contrariam tamẽ ſententiã tenet Vega lib. 9. ſuper conci. Trid. c. 3. dicens, quòd fides infuſa ex ſe inclinat ad aſſentiendum omnibus, quæ à Deo, ſiuè publice, ſiuè priuatim, fuerint propoſita ad credendum, quæ ſententia meo iuditio eſt longè verior, & probabilior.

Primum notabile. ¶ Vnde ad illius explicationẽ eſt aduertendum primò, quod hoc nomen fides interdum accipitur pro ipſo actu credendi, interdum autem pro obiecto fidei, id eſt, pro rebus quæ creduntur: in qua ſignificatione dixit Athanaſius in ſymbolo: Hæc eſt fides catholica. &c. Explicatis enim omnibus quæ à fidelibus creduntur, ipſorum cõgeriem atque aggregatum appellat fidem.

Secundum notabile. ¶ Secundò notandũ, quod ſiuè fides accipiatur pro obiecto credito, ſiuè pro actũ credendi, fides catholica nonnihil differt à fide infuſa & diuina: nam ſi fides ſumatur pro rebus creditis, tunc fides catholica tantum ſignificat aggregatum omnium illarum rerũ, quæ publicè & vniuerſaliter proponũtur credendæ: quia catholicum idem eſt quod vniuerſale. Cæterum ſi fides accipiatur pro actu credendi, tunc fides catholica dicetur tantum actus ille, qui verſatur circa res vniuerſis ad credendum propoſitas. Vnde dico quod fides catholica addit ſupra fidem infuſam & diuinam, reſpectũ ad obiectum vniuerſaliter propoſitum, & fides infuſa in ſua ratione tantum importat, quod ſit à Deo, & quod verſetur circa res à Deo reuelatas, cum tamen fides catholica addat ſupra hæc, quod verſetur non ſolum circa res reuelatas, ſed etiam circa res reuelatas, & vniuerſaliter propoſitas. Hoc ſuppoſito,

Prima concluſio. ¶ Sit prima concluſio. Ad fidem catholicam tantum ſpectant ea, quæ vniuerſaliter omnibus proponũntur credenda. *Ratio cõcluſionis.* Probatur, nam fides catholica tãtum verſatur circa obiectum vniuerſale, tale autem ſolum eſt quod omnibus proponitur credẽdum, ergo circa illud tantum verſatur. Ex hoc infertur, quod ſi Deus alicui reuelaret quod erat in gratia, ille non teneretur aſſentiri tali reuelationi aſſenſu fidei catholicæ.

Secunda concluſio. ¶ Secunda concluſio. Omne illud, quòd à Deo fuerit reuelatum, ſiuè publice, ſiuè priuatim, ita cadit ſub obiecto fidei diuinæ & infuſæ, vt ad eius aſſenſum inclinet. *Prima ratio.* Probatur, nam ſi Deus alicui reuelaret ſe eſſe in gratia, talis teneretur aſſentiri Deo teſtificãti, & ille aſſenſus eſſet aſſenſus fidei, ergo: conſequentia cum maiori eſt nota, & minor probatur: nam eſſet aſſenſus ineuidens, & procedens à lumine ſupernaturali, ergo eſſet aſſenſus fidei. *Secunda ratio.* Et confirmatur, ſi ille in caſu poſito non aſſentiretur Deo, eſſet infidelis, & amitteret fidem, ergo fides diuina eſt quæ inclinat ad illum aſſẽſum, conſequentia eſt nota, & antecedens probatur quia in caſu poſito ille non poſſet diſſentire Deo, niſi vel dubitando, vtrũ Deus ſit mendax, vel vtrũ teneatur aſſentiri Deo reuelanti: vtrumque autem eſt hæreticũ, ergo. *Tertia ratio.* ¶ Præterea, habitus fidei infuſæ, ex natura ſua inclinat ad aſſenſum earũ rerũ, quæ à Deo fuerint reuelatæ, dũ modo cõſtet de tali reuelatione: ſed ſicut mihi cõſtat, quòd articuli ſunt reuelati à Deo, quia eos Eccleſia proponit, ita etiam conſtat illi cui priuata ſit reuelatio ex ipſa reuelatione, quod ſit à Deo, ergo habitus fidei infuſæ non minus inclinat ad aſſenſum priuatæ reuelationis, quam ad aſſenſum articulorũ.

Dubium. ¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco, Vtrũ fides diuina, & fides catholica, ſint vnus atque idẽ habitus, vel potius diuerſi? *Solutio.* Ad quod breuiter reſpõdetur eſſe vnũ atque eũdẽ habitũ inclinãtẽ ad omnia, quæ à Deo fuerint reuelata, ſiuè priuatim, ſiuè publice proponantur. Cæterũ inquantũ habitus ille exit in actũ ergà res vniuerſaliter propoſitas,

habet

habet rationem fidei catholicæ, in quantũ autem exit in actum circa res priuatim reuelatas, dicitur fides diuina, non tamen catholica. Ad argumenta in cõtrarium facta reſpondetur, & ad omnia teſtimonia adducta dico, quod illa tãtum cõcludũt omnia, quæ continentur in ſacris literis, conducere Eccleſiæ, & quod etiam priuatæ reuelationes ſunt vtiles, quod nos libenter concedimus. Ad rationem reſpondetur concedendo fidem diuinam, & fidem catholicã, eſſe vnum & eundem habitum, differunt tamẽ quadam ratione ex parte obiecti, ad modum iam explicatum.

Ad teſtimonia in contrarium adducta.

Ad rationẽ.

ARTICVLVS. II.

¶ *Vtrùm obiectum fidei ſit aliquid complexum per modum enuntiabilis.*

1. diſt. 41. in exp. lit. et 3. diſt. 24. art. 1. q. 2. Et 1. cõtra. c. 7. Et veri. q. 14. art. 8. con. et ad quintũ, et duodecimũ, & arti. 12. con.

AD ſecũdum ſic proceditur. Videtur quòd obiectum fidei non ſit aliquid complexum per modum enuntiabilis. Obiectum enim fidei eſt veritas prima, ſicut * dictũ eſt. Sed prima veritas eſt quid incomplexum. ergo obiectum fidei nõ eſt aliquid complexum.

** Art. præ.*

2. ¶ Præterea, Expoſitio fidei in ſymbolo continetur: ſed in ſymbolo non ponuntur enuntiabilia, ſed res. Non enim dicitur ibi, quòd Deus ſit omnipotens, ſed, Credo in Deum omnipotentem. ergo obiectum fidei, non eſt enuntiabile, ſed res.

3. ¶ Præterea, Fidei ſuccedit viſio, ſecundũ illud primæ ad Corinthios decimotertio, Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognoſco ex parte, tũc autem cognoſcam, ſicut & cognitus ſum. Sed viſio patriæ eſt de incomplexo, cum ſit ipſius diuinæ eſſentiæ. ergo etiam fides viæ.

¶ SED contra, Fides eſt media inter ſcientiam, & opinionem. Medium autem & extrema ſunt eiuſdem generis. Cum ergo ſcientia, & opinio ſint circa enuntiabilia, videtur, quòd ſimiliter fides ſit circa enuntiabilia: & ita obiectum fidei, cum ſit circa enuntiabilia eſt aliquid complexum.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd cognita ſunt in cognoſcente, ſecundum modum cognoſcẽtis. Eſt autem modus proprius humani intellectus: vt componẽdo, & diuidendo veritatem cognoſcat, ſicut in primo dictum eſt, & ideo ea, quæ ſunt ſecundũ ſe ſimplicia, intellectus humanus cognoſcit, ſecundum quandam complexionẽ: ſicut ecõuerſo intellectus diuinus incõplexe cognoſcit, ea quæ ſunt ſecundum ſe complexa. Sic ergo obiectum fidei dupliciter conſiderari poteſt. Vno modo ex parte ipſius rei creditæ: & ſic obiectum fidei eſt aliquid incomplexum, ſcilicet res ipſa, de qua fides habetur. Alio modo ex parte credentis: & ſecundum hoc obiectum fidei eſt aliquid complexum per modũ enuntiabilis: & ideo vtrunq; vere opinatum fuit apud antiquos, & ſecundũ aliquid vtrunq; eſt verum.

p. p. q. 85. artic. 5.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd ratio illa procedit de obiecto fidei ex parte ipſius rei creditæ.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd in ſymbolo tangũtur ea, de quibus eſt fides, inquantum ad ea terminatur actus credentis, vt ex ipſo modo loquendi apparet: actus autem credentis non terminatur ad enuntiabile, ſed ad rem: non enim formamus enuntiabilia, niſi vt per ea de rebus cognitionem habeamus, ſicut in ſcientia ita & in fide.

¶ Ad tertium dicendum, quod viſio patriæ erit veritatis primæ, ſecundum quod in ſe eſt: ſecũdum illud primæ Ioannis tertio, Scimus quoniam cũ apparuerit ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eũ ſicuti eſt: & ideo viſio illa erit non per modum enuntiabilis, ſed per modum ſimplicis intelligentiæ. Sed per fidem non apprehendimus veritatem primam, ſicut in ſe eſt: vnde non eſt ſimilis ratio.

SVMMA

SVMMA TEXTVS.

SVppoſito quod obiectum fidei poteſt dupliciter cōſiderari, vno modo ex parte ipſius rei creditæ, alio modo ex parte credentis: ponit D. Tho. duas cōcluſiones.

¶ Prima concluſio, Obiectum fidei ex parte rei creditæ eſt quid incōplexum. Probatur, eſt Deus, q eſt res ſimpliciſsima, ergo.

¶ Secunda concluſio, Obiectum fidei ex parte credentis eſt quid complexum per modum enūtiabilis. Probatur, vnūquodq; eſt in cognoſcente per modum ipſius cognoſcentis: ſed proprius modus cognoſcēdi humani intellectus eſt componendo & diuidendo, vnde ea quæ ſecūdum ſe ſunt ſimpliciſsima cognoſcit ſecundum quandam complexionem, ergo obiectum fidei ex parte cognoſcentis, eſt quid cōplexum per modum propoſitionis.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Primum notabile. PRO intelligentia huius articuli aduertendum eſt primo, ex D. Thom. 1. p. q. 14. art. 14. & q. 85. art. 5. hoc eſſe diſcrimen inter intellectum humanum, & diuinum, ſeu angelicum, quod intellectus humanus, quia non ſtatim prima apprehenſione accipit perfectam rei cognitionē, ſed primo apprehendit quiditatem, quæ eſt primum & proprium obiectum intellectus, deinde autē apprehēdit proprietates, & alia accidētia ſeu habitudines circunſtantes eſſentiā, neceſſe habet vnū apprehēſum cū alio cōponere, ſeu diuidere, & ex vna cōpoſitione ſeu diuiſione ad aliam procedere. Et ſic quidquid noſter intellectus intelligit, eſt cōponendo & diuidendo, & formando propoſitiones de re quam cognoſcit. Cæterū intellectus diuinus, ſeu Angelicus, quia ſtatim prima apprehenſione accipit perfectam rei cognitionē, & cognoſcēdo quidditatem ſimul etiam cognoſcit omnia alia, quæ nos per cōpoſitionem & diuiſionem cognoſcere poſſumus, nō eſt neceſſarium quod vnum apprehenſum cum alio cōponat: ſed vnico intuitu omnia cognoſcit. Vnde comparatur intellectus diuinus, ſeu Angelicus, rebus incorruptibilibus, quæ ſtatim à principio habent totā ſuam perfectionem: intellectus verò humanus cōparatur rebus generabilibus & corruptibilibus, quæ nō ſtatim habēt totā ſuam perfectionem, ſed eam ſucceſsiuè acquirunt procedendo de vno in aliud.

Intellectus humanus differt à diuino & Angelico.

Secūdum notabile. ¶ Secundo eſt aduertēdum, quod res cognita à nobis poteſt dupliciter cōſiderari, vno modo ſecūdum eſſe quod habet à parte rei: alio modo ſecūdum eſſe, quod habet in cognoſcēte: vt, verbi gratia, lapis poteſt cōſiderari ſecūdum eſſe quod habet à parte rei, & etiā ſecundum eſſe quod habet in intellectu mediāte ſpecie intelligibili: quę duo eſſe, quāuis ſint diuerſa atq; diſtincta, tamē actus intelligendi nō terminatur pro priè & per ſe ad eſſe, quod eſt in intellectu, ſed ad rē prout eſt in ſe: & dicimus, qđ res ad extra eſt propriū obiectum cognitionis, quāuis ipſa cognoſci nō poſsit niſi per id, quod de tali re eſt in cognoſcente. Et quia vnūquodq; eſt in cognoſcēte per modum ipſius cognoſcētis: & modus proprius cognoſcēdi in homine, eſt cōponendo & diuidēdo, vt ſtatim dicebā, fit, vt res quæ ſecūdum ſe eſt ſimpliciſsima, vt Deus, ſeu veritas prima, poſsit à nobis cognoſci per modū cōpoſitionis & diuiſionis, formando de illa re varias & multiplices propoſitiones, vt de facto formamus, dicēdo de Deo interdum quod eſt bonus, interdū quod eſt ſapiens, interdū quod eſt trinus & vnus. &c. Et propterea D. Tho. dicit, quod quamuis obiectum fidei ſecundum ſe ſit incomplexum, ex parte tamen noſtra eſt quid complexum per modum propoſitionis.

Vnumquodq; eſt in cognoſcēte per modum cognoſcentis.

Tertium notabile. ¶ Tertio notādum, quod cōpoſitio eſt duplex, vna Phyſica, altera Logica, inter quas hoc eſt diſcriminis, quod cōpoſitio Logica eſt idē prorſus, quod enūciatio ſeu propoſitio, pertinetq; ad ſecūdam operationē noſtri intellectus, & eſt formaliter in ipſo intellectu cōponēte & diuidēte, in reb⁹ autē tātum fundamētaliter: cōpoſitio verò Phyſica reperitur in ipſis rebus, ſine vlla prorſus intellectus operatiōe, & quādo D. Th. dicit, qđ obiectū fidei à parte rei eſt quid incōplexum, loquitur de incōplexo Logico, nā ſi de Phyſico loqueretur, eius ſententia eſſet apertè falſa, cū obiectū fidei ſit Chriſtus in quātum homo, qui proculdubio eſt Phyſicè cōplexus, atq; cōpoſitus.

¶ Sed quoniā ſunt plures ꝓpoſitiones, & multi articuli, qui pertinent ad fidē, dubiū eſt, vtrū inter eos ſit vnus aliquis, ad cuius aſſenſum primo & immediatè fides inclinet, & mediante eo ad reliquos oēs: vel pótius ex æquo, & immediatè inclinet ad oēs. Nam de hac re ſunt variæ doctorū ſententiæ: Durādus enim in. 3. d. 24. q. 1. dicit, quod fides primo & immediatè inclinat ad aſſenſum vnius articuli, & mediāte illo in-

clinat ad reliquos. Quod etiã tenẽt Marſ. in.3.diſt. 24. artic.2. & Gabriel in.3.d.23. quæſt.2.& Almai.in ſuis Moralibus, Tractatu.2.cap.3.& in.3.diſt. 2.q.3. Articulus autẽ, ad quẽ fides immediatè inclinat, ſecũdum Durãdum eſt, quòd Eccleſia regitur ab Spiritu ſancto: ſecundũ alios verò, quod omne reuelatũ à Deo eſt verũ, & mediante aſſenſu huius articuli dicunt, quod fides inclinat ad aſſentiendum omnibus alijs, faciẽdo iſtũ ſyllogiſmũ, Omne reuelatum à Deo eſt verũ, hoc eſt reuelatũ, ergo eſt verum. Huic etiam ſententiæ fauere videtur D.Tho.qui articulo pręcedẽti dixit, quod fides nõ aſſentitur alicui, niſi fuerit reuelatũ à Deo. Vnde fides ipſi diuinę veritati nititur tãquã medio. Quibus verbis videtur ſignificare, quod fides immediatè inclinat ad aſſenſum huius propoſitionis, omne reuelatum à Deo eſt verũ, & mediante illo inclinat ad alios.

Primũ argumentum. Probanq́; poteſt hæc ſententia primo, nam lumen naturale intellectus immediatè inclinat ad aſſentiendũ primis principijs, & mediãtibus illis inclinat ad cõcluſiones, ergo pari ratione dicendũ eſt de fide, qđ immediatè inclinat ad vnũ credibile, & mediãte illo ad reliqua.

Secũdum argumentum. ¶ Secũdò, ſicut ſe habet fides acquiſita ad autoritatẽ humanã, ita ſe habet fides infuſa ad autoritatẽ diuinã, ſed per fidẽ acquiſitã prius aſſentimur & credimus hominẽ eſſe veracem, & deinde credimus id quod affirmat eſſe verũ, ergo eodem modo eſt dicendũ de fide infuſa: conſequẽtia cum minori eſt nota, & maior probatur: quia ſicut fides acquiſita innititur autoritati humanæ, ita etiã infuſa innititur autoritati diuinæ, & vtraq; fides habet certitudinẽ, non ex euidentia obiecti, ſed ex autoritate dicentis.

Sentẽtia Scoti atq́ Caietani. Cæterũ Caietanus artic. præcedẽti, dub.4. & Scotus in.3.d.23.q.1. & Capreolus in.3. d.24.q.vnica.in ſolutione ad.3.argu. Scoti contra ſecũdam cõcluſionẽ, contrariam tenẽt ſententiã, dicẽtes quod fides ex ęquo & immediatè inclinat ad omnes articulos. Quorũ ratio eſt, quia cum omnium articulorũ ſit vna & eadem ratio formalis aſſentiendi, ſcilicet, veritas prima reuelans, non poteſt fieri quod fides magis inclinet ad vnum articulum, quam ad alium.

¶ In hac difficultate vt certa ab incertis ſeparemus, Dico primo certũ eſſe & extra controuerſiá poſitũ, quod fides inclinat ad aſſenſum omniũ articulorũ, ſiue mediatè, ſiue immediatè. Secũdò certũ eſt, quod poteſt aliquis homo ex ſua particulari diſpoſitione magis aſſentiri vni articulo, quã alteri: ſed quod vertitur in dubiũ eſt, vtrum fides ex ſua natura atq; [illegible], magis atq; immediatius inclinet ad aſſentiẽdum vni articulo quã alteri.

Prima concluſio. ¶ In quo ſit prima cõcluſio, Non eſt dubitãdum, inter articulos fidei eſſe vnum in quo reliqui oẽs tanquam virtute continentur, & is eſt, quod Eccleſia regitur ab Spiritu ſancto. Probatur, nam ex iſto articulo in bona cõſequẽtia deducũtur reliqui oẽs, ergo continentur in illo: conſequentia eſt nota, & antecedẽs probatur, quia benè ſequitur, Eccleſia regitur ab Spiritu ſancto: & Eccleſia dicit Deũ eſſe trinũ & vnũ, ergo Deus eſt trinus & vnus, & ſic de reliquis. Itẽ, qui aſſentitur iſti articulo, Eccleſia regitur ab Spiritu ſancto, ex conſequẽti aſſentitur & iudicat omnem doctrinam eccleſiaſticam eſſe veram, ſed hoc eſt vniuerſaliter aſſentiri omnibus articulis, ergo omnes continentur in illo.

Ratio concluſionis. ¶ Secunda concluſio, Quamuis verum ſit, quod oẽs articuli in illo vno continentur, lumen tamẽ atq; habitus fidei non inclinat immediatè ad hunc ſolum articulũ, & mediante illo ad reliquos: ſed immediatè inclinat ad omnes, poſtquam ſunt ſufficienter propoſiti.

Secunda ratio. Probatur, na ſi fides mediante illo articulo inclinaret ad reliquos, ſequeretur obiectum formale fidei, & primã rationem credẽdi, non eſſe quia veritas prima dicit, ſed quia Eccleſia affirmat: hoc autem eſt falſum, & cõtra id quod ſupra dictum eſt, ergo. Item ſequeretur, quod excepto aſſenſu illius articuli, Eccleſia regitur ab Spiritu ſancto, reliqui omnes eſſent aſſenſus Theologici, id eſt, cauſati mediante ſyllogiſmo & ratiocinatione: hoc autẽ eſt abſurdũ, ergo. Sequela probatur, nã ſi mediante illo articulo aſſentimur reliquis, ergo aſſenſus illius articuli cauſat aſſenſum reliquorum: ſed ex aſſenſu vnius propoſitionis nõ poteſt cauſari aſſenſus alterius, niſi quia vna propoſitio deducatur ex alia per ſyllogiſmũ in bona conſequentia, ergo ſi aſſentimur omnib' articulis mediãte aſſenſu illius prioris, aſſentimur illis aſſenſu cauſato ex medio ſyllogiſtico, atq; ex conſequenti, non erit aſſenſus fidei, ſed Theologiæ, ſiquidẽ inter fidem & Theologiã, hoc eſt diſcrimmus, quod fides tantùm nititur autoritate dicentis, Theologia verò ratiocinatione & argumentatione.

¶ Ad

¶ Ad primum argumẽtum reſpõdetur, quod potius probat noſtram ſententiam, nam quemadmodum lumen naturale intellect⁹ immediatè inclinat ad omnia principia, & mediantibus illis inclinat ad concluſiones: ita etiam fides immediatè inclinat ad omnia quæ reuelantur a Deo, & mediantibus illis ad cõcluſiones, quæ ex illis deducuntur, & pertinent ad Theologiam.

Ad ſecundũ argum. ¶ Ad ſecundum reſpondetur conceſſa maiori negando minorem, falſum eſt enim, quod per fidem acquiſitam prius ego credã aliquem eſſe veracem, quam credam id quod ab ipſo affirmatur, ſed vnico & eodẽ aſſenſu credo quod dicit propter autoritatem ipſius.

Ad teſtimoniũ D. Tho. ¶ Ad teſtimonium D. Tho. reſpondetur, quod ipſe tãtum loquitur de obiecto formali fidei, quod eſt prima veritas reuelans, quo tãquam medio aſſentitur omnibus reuelatis à Deo admodũ iam explicatum, nec eſt ſermo de ipſis propoſitionibus creditis.

ARTICVLVS. III.

¶ Vtrum fidei poſſit ſubeſſe falſum.

3.q.46.art. 2.ad.4. Et 3.di.24.ar. 1.q.3. & poſt.q.4.art. 1. corpore, in princ.

AD TERTIVM ſic procedit. Videtur, quod fidei poſſit ſubeſſe falſum. Fides enim cõdiuiditur ſpei, & charitati. Sed ſpei poteſt aliquid ſubeſſe falſum. Multi enim ſperant ſe habituros vitam æternam, quam non habebunt. Similiter, & etiã charitati, multi enim diliguntur, tanquam boni: qui tamen boni non ſunt. ergo & fidei poteſt aliquid ſubeſſe falſum.

2 ¶ Præterea, Abrahã credidit Chriſtum naſciturum, ſecũdum illud Ioãnis octauo, Abrahã pater veſter exultauit, vt videret diem meum: vidit, & gauiſus eſt. Sed poſt tempus Abrahæ Deus poterat non incarnari, ſola enim ſua voluntate carnẽ accepit: & ita eſſet falſum, quod Abraham de Chriſto credidit. ergo fidei poteſt ſubeſſe falſum.

3 ¶ Præterea, Fides antiquorum fuit, quòd Chriſtus eſſet naſciturus: & hæc fides durauit in multis vſq; ad prædicationem Euangelij. Sed Chriſto iam nato etiam antequam prædicare inciperet, falſum erat Chriſtum naſciturum. ergo fidei poteſt ſubeſſe falſum.

4 ¶ Præterea, Vnum de pertinentibus ad fidem eſt, vt aliquis credat ſub Sacramento altaris verũ corpus Chriſti contineri. Poteſt autem cõtingere, quando non rectè conſecratur, quod non ſit ibi verum corpus Chriſti, ſed ſolum panis. ergo fidei poteſt ſubeſſe falſum.

¶ SED CONTRA, Nulla virtus perficiens intellectum ſe habet ad falſum, ſecundum quod eſt malum intellectus: vt patet per Philoſophũ in ſexto Ethicor. *Cap. 2.* Sed fides eſt quædam uirtus perficiens intellectũ, vt infrà patebit. *q.4.artic.2. & 3.* ergo ei nõ poteſt ſubeſſe falſum.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd nihil ſubeſt alicui potentiæ, vel habitui, aut etiam actui, niſi mediante ratione formali obiecti: ſicut color videri non poteſt, niſi per lucem: & concluſio ſciri non põteſt, niſi per mediũ demonſtrationis. Dictum eſt autem, *Artic.1. huius quæſt.* quòd ratio formalis obiecti fidei eſt veritas prima: vnde nihil poteſt cadere ſub fide, niſi inquantum ſtat ſub veritate prima, ſub qua nullum falſum ſtare poteſt: ſicut nec non ens ſub ente, nec malũ ſub bonitate. Vnde relinquitur, ꝙ fidei nõ poteſt ſubeſſe aliquod ſalſum.

¶ AD Primum ergo dicendum, quòd quia verũ eſt bonũ intellectus, non autem eſt bonum appetitiuæ virtutis, ideo omnes virtutes, quæ perficiunt intellectum, excludunt totaliter falſum: quia de ratione virtutis eſt, ꝙ ſe habeat ſolum ad bonum. Virtutes autem perſicientes partem appetitiuam, non excludunt totaliter falſum. Poteſt enim aliquis ſecũdum iuſtitiã, aut temperantiam agere: habens aliquam falſam opinionem de eo, circa quod agit: & ita, cum fides perficiat intellectũ, ſpes autem, & charitas appetitiuam partem, non eſt ſimilis ratio de eis. Neq; etiam ſpei ſubeſt ſalſum: non enim aliquis ſperat ſe habiturũ vitam æternam, ſecundum propriam poteſtatem, hoc enim eſſet præſumptiõis:

ſed ſecũdum auxilium gratiæ, in quã, ſi perſeuerauerit, omnino & infallibiliter vitam æternam conſequetur. Similiter etiam ad charitatem pertinet diligere Deum, in quocũq; fuerit: Vnde non refert ad charitatem, vtrum in iſto ſit Deus, qui propter Deum diligitur.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd Deum non incarnari, ſecundum ſe cõſideratum, fuit poſsibile, etiam poſt tẽpus Abrahæ: ſed ſecũdum quod cadit ſub præſcientia diuina, habet quandã neceſsitatem infallibilitatis, vt in primo dictum eſt, & hoc modo cadit ſub fide. Vnde prout cadit ſub fide, non poteſt eſſe falſum. *p.p.q.14. articu.3.&.15.*

¶ Ad tertium dicẽdum, quòd hoc ad fidẽ credentis pertinebat poſt Chriſti Natiuitatẽ, quod crederet eum quãdoq; naſci: ſed illa determinatio temporis, in qua decipiebatur non erat ex fide, ſed ex coniectura humana, poſsibile eſt enim ex cõiectura humana hominem fidelem falſum aliquid ęſtimare: ſed ꝗ ex fide falſum æſtimet, hoc eſt impoſsibile.

¶ Ad quartum dicendum, quòd fides credentis non refertur ad has ſpecies panis, vel illas, ſed ad hoc, quòd verũ corpus Chriſti ſit ſub ſpeciebus panis ſenſibilis, quando rectè fuerit conſecratum, vnde ſi non ſit rectè cõſecratũ, fidei nõ ſuberit propter hoc falſum.

SVMMA TEXTVS.

COncluſio negatiua probatur: nihil poteſt cadere ſub fide, niſi ſub ratione primæ veritatis, quæ eſt ratio formalis ipſius: ſed primæ veritati falſum ſubeſſe non poteſt, ergo nec fidei poteſt falſum ſubeſſe.

EXPLICATIO ARTICVLI.

CIrca iſtum articulũ eſt aduertendum, quod cum fides ſemper nitatur diuinæ autoritati, idem eſt quęrere, vtrùm fidei poſsit ſubeſſe falſum, & vtrum Deus per ſe, vel per alium poſsit mentiri: nam ſi Deus mentiri poteſt, proculdubio fidei falſum ſubeſſe poterit: ſi autẽ non poteſt mẽtiri, quod etiã fides noſtra ſemper verſetur circa verũ, erit neceſſe. Cæterũ ea quæſtio, qua quæritur, vtrùm Deus poſsit mentiri, duplicẽ poteſt habere ſenſum: primꝰ, vtrũ Deus de facto fuerit mentitus in aliquo eorum, quæ in ſacra ſcriptura reuelauit. Alter autem eſt, vtrum dato quod nunquam fuerit mentitus, poſsit tamen de potentia abſoluta per ſe, vel per aliũ mentiri. Nam de vtraq; re ſunt variæ doctorum ſententiæ. Et quidẽ, quãtum ad difficultatem in primo ſenſu, fuit opinio quorundã Armenorum, vt autor eſt Guido Carmelita, & refertur à Caſtro, lib. 5. de hæreſibus, verbo, Deus, Hæreſi.3. qui dixerunt Deum in ſacris literis ſæpè ſæpius fuiſſe mentitum. Priſcillianiſtæ etiam affirmant mẽdacium eſſe licitum, idq; probãt ex eo, quod Deus in ſacris literis protulit multa mendatia, contra quos ſcripſit D. Aug. libro de Mendatio, & lib. cõtra Mendatium, præcipuè cap.2.10.11.&.12. Poteſtq; confirmari hęc ſententia hæreticorum ex multis locis ſacræ ſcripturæ, in quibus aperta mendatia contineri videntur: à quibus abſtinere operæprecium duxi, quia non eſt præſentis diſputationis omnia loca ſacræ ſcripturæ, in quibus cõtradictio ineſſe videtur, interpretari: de illis videndus eſt D. Auguſtinus de concordia Euangeliſtarum, & Ianſenius in ſua concordia, & Cano libr. 2. de locis. c.23.&.24.& etiam Seraphinus Acamiranus in ſuo libro de conciliatione locorum communium. ❡ De altera vero quæſtione, qua quæritur vtrum Deus de potentia abſoluta per ſe, vel per alium poſsit mentiri, ſimiliter etiam fuit ſentẽtia quorundam Theologorum aſſerẽtium partẽ affirmatiuam. Ita tenuit Petrus de Aliaco in.1.d.12. artic.2.& Holcoth in.2.diſt.2.q.2. & Adã Godam in.3.q.5. fuitq; celebris & ferè cõmunis hæc opinio illorum ætate, vt docet Gabriel in.3.d.12.q. vnica, notabili.3. Tẽperabant tamen iſti autores ſuam ſententiã iſto modo, nam dicebant quod mendatium aliquãdo dicitur ſine cauſa, & hoc ſemper eſt malum, nec Deus iſto modo poteſt mentiri: aliquando autem dicitur propter vitandum magnum malum, vel propter conſequendum magnum bonum, & de hoc dicebant quod cum nõ ſit malum, poteſt à Deo fieri. ❡ Probantq; ſuam ſententiam primo, quia id non implicat contradictionem, ergo poteſt fieri à Deo.

Dubium.

Primus ſenſus quæſtionis.

Opinio Armenorum.

Secũdus ſenſus quæſtionis.

Opinio Holcoth.

Primũ argumentum.

❡ Item

Secũdum argumentum.

¶ Item ſecundò, quidquid Deus poteſt facere per cauſam ſecundam, poreſt facere ſe ſolo: ſed Deus poteſt mentiri cum cauſa ſecunda, ergo, poteſt mentiri ſe ſolo: conſequentia cum maiori eſt nota, & minor probatur: nam homine vel angelo mentiente, Deus concurrit ad illum actũ tanquam prima cauſa, ergo poteſt mẽtiri per cauſam ſecundam.

Tertium argumentum.

¶ Tertiò Deus poteſt producere in mente mea aſſenſum tei falſæ, vel habitum inclinãtem ad falſum, ergo poteſt mẽtiri: conſequentia eſt nota, & antecedens probatur, nam cum ego aſſentio rei falſæ, & ſimiliter quando ex aſſenſu rei falſæ frequentato genetatur habitus, Deus concurrit ad illum aſſenſum, & ad illum habitum, ergo poteſt per ſe ſolum illum producere. ¶ Confirmatur, habitus inclinans ad falſum, & ſimiliter aſſenſus falſus non eſt, malum culpæ, ſed pœnæ, ergo poteſt fieri à Deo, probatur cõſequẽtia, quia iſta mala poſſunt fieri à Deo.

Quartum argumentum.

¶ Itẽ quartò, Deus poreſt concurrere ſpeciali auxilio, ad aſſenſum rei falſæ, ergo poteſt mentiri: conſequentia eſt nota, & antecedens probatur: aſſenſus rei falſæ interdum poteſt eſſe meritorius, & ad omne opus meritoriũ Deus cõcurrit ſpeciali auxilio, ergo ad aſſenſum rei falſæ poteſt Deus cõcurrere ſpeciali auxilio: conſequentia cum minori eſt nota, & maior probatur, dato caſu quod aliquis propter Deum ſentiat benè de homine flagirioſo, tũc ille actus erit meritorius, & falſus, ergo.

Cõfirmatur.

¶ Confirmatur, nã ſi alicui homini Chriſtiano fiat iſte ſyllogiſmus, omne reuelatum à Deo eſt verum, Deus reuelauit Antechriſtum nõ futurum, ergo Antechriſtus non erit: talis aſſentitur concluſioni falſæ ex ſpeciali auxilio, ergo Deus ſpeciali auxilio poteſt concurrere ad aſſenſum falſum, atque ex conſequenti poteſt mentiri: conſequentia eſt nota, & antecedens probatur, nam aſſenſus concluſionis cauſatur ex aſſenſu præmiſſarum: ſed ad vnam ex præmiſsis concurrit Deus ſpeciali auxilio, ergo ad concluſionem concurrit ſpeciali auxilio.

Primum notabile pro intelligẽtia veræ ſentẽtiæ.

¶ His tamen non obſtantibus, cõtraria ſententia eſt vera & tenenda, quam tenent cõmuniter omnes doctores. Vnde ad illius explicationem eſt aduertendum primò, quòd quãuis mẽtiri nihil aliud ſit quam falſum dicere cũ animo fallendi, vt docet D. Aug. de mendacio. cap. 3. & 4. & contra mendacium cap. 12. Ex quo fit vt nõ ſemper, qui falſum dicit mentiatur, niſi id efficiat animo fallendi: quod etiam affirmat Gelaſius Papa. 22. q. 2. cap. Beatus. & D. Tho. infra quæſt. 110. artic. 1. cæterum mentiri, & falſum dicere in Deo idem prorſus ſunt: nam cum propter ſuam ſapientiam falli nõ poſſit, neceſſe eſt, vt ſi falſum profert, cõſultò & dedita opera, id faciat, vt decipiat, atque ex conſequenti mentiatur.

Secũdum notabile.

¶ Secundò notandum, aliud eſſe dicere falſum, ſeù mentiri, aliud autem dicere aliquid, ex quo audiens propter ſuam ignorantiam in varios incidat errores, & decipiatur: poteſt enim fieri vt aliquis verum dicat, & tamen ex eo verò malè intellecto, alij percipiant occaſionem errandi.

Primà concluſio.

¶ His poſitis ſit prima concluſio, Deus ſepè dixit aliqua in ſacra ſcriptura, ex quibus àudientes decepti ſunt, idq́; videbat futurum. Probatur ex illo. 2. Petri. c. 3. vbi loquens de epiſtolis Pauli, dicit in eis cõtineri plura difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles deprauant, ſicut & cæteras ſcripturas, ad ſuam ipſorũ perditionẽ. Item idem probatur experientia, videmus enim in ſcripturis contineri plura obſcura, ex quibus hæretici ſumunt occaſionem errandi, idq́; præuidebat Deus futurum.

Secunda concluſio.

¶ Secunda concluſio. Hæreticum eſt dicere quod Deus de facto in ſcriptura, vel alibi fuerit mentitus, Probatur, ex illo numerorum. 23. Non eſt Deus quaſi homo vt mentiatur; & ad Rom. 3. Eſt autẽ Deus verax, & omnis homo mendax. &c.

Tertia cõcluſio.

¶ Tertia cõcluſio, Hæreticum eſt dicere, quod Deus per naturam aſſumptam, vel aliquem alium à ſe, fuerit mẽtitus. Probatur ex Apocalypſi. c. 19. vbi dicit Ioannes ſe vidiſſe cælum apertum, & æquum albũ, ſuper quem qui ſedebat, vocabatur fidelis & verax: certum eſt autem; ſecundum interpretationem omnium ſanctorum, quòd hæc viſio erat intelligẽda de Chriſto. Itẽ ratione idem probatur: nam ſi Deus per naturam aſumptam, vel Apoſtolos, aut Prophetas fuiſſet mentitus, meritò poſſemus dubitare de veritate ſacrarũ literarũ, quod ſine manifeſta hæreſi dici non poteſt. Item idem eſt mentiri per ſe, & inducere alium ad mentiendum, ſed per ſe Deus non eſt mentitus, vt diximus in ſecunda concluſione, ergo neque alium induxit ad mentiendum.

Quarta concluſio.

¶ Quarta concluſio, Deus de potentia ſua abſoluta, neque per ſe, neq; per alium,

poteſt mentiri, aut falsum dicere: & contrarium aſſerere eſt temerarium, & erroneū. Hæc concluſio eſt D. Auguſtini in lib. de Symbolo. cap. 1. dicentis, Deus cū ſit omnipotens, nec mori, nec mētiri poteſt. Et lib. 2. de Ciuitate. cap. 25. dicit, Si vis inuenire quid omnipotens non poſsit, habetur profecto, mentiri nō poteſt. Anſelmus etiam, in lib. cur Deus homo. c. 12. dicit, ſi Deus mentiri poſſet, non eſſet Deus. Vnde Chriſtus Lucæ. 15. meritò dixit, Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt. Et Paulus ad Hebr. 6. volens Deus oſtendere pollicitationis ſuæ immobilitatem, interpoſuit iuſiurandum, vt per duas res immobiles, quib9 impoſsibile eſt Deū mentiri, firmiſsimū ſolatium haberemus. Item ad Rom. 3. dicit, Eſt autem Deus verax, & omnis homo mēdax: in quibus verbis non vult Paulus ſignificare, quod oēs homines actu mentiantur, cum plures fuerint qui gratia diuina adiuti, à mendatio ſe abſtinuerint: ſed tantum ſignificat, homines talis eſſe ingenij atq; naturæ, vt veritatem, quā tenent, facilè poſsint deſtituere: at vero Deus ita eſt verax, vt naturæ ſuæ omnino repugnet mendatium, & ſic mentiri non poteſt. Et ratio eſt manifeſta, nam ſicut malum pugnat cum bono, ita verum cum falſo, ſed Deus, quia eſt ſummum bonum, non poteſt facere malum, ergo quia eſt prima veritas, non poteſt dicere falſum. Dixi autem notanter in concluſione quod contrarium dicere eſt temerarium, & erroneum: temerarium quidem, quia aduerſatur omnibus doctoribus tā antiquis quam neotericis: erroneum autem, quia quodammodo videtur labefactare veritatem & autoritatem ſacræ ſcripturæ: ſiquidem dato quod Deus de potentia abſoluta poteſt mentiri, meritò poſſemus dubitare vtrum aliquando fuerit mentitus.

Deus nec per ſe, nec per alium poteſt mentiri.

Ad primū argum.

¶ Ad primum argumentum reſpondetur negando antecedēs, eſt enim aperta repugnantia quod prima & ſumma veritas per ſe vel per alium mentiatur. ¶ Ad ſecundum argumentum reſpondetur, negando maiorem, nam illa maxima plures patitur inſtātias, & Deus poteſt exercere actū meritorium cum cauſa ſecunda, quem ſe ſolo producere non poteſt. Item poteſt exercere operationes vitales cum cauſa ſecunda, cum tamē eas per ſe ſolum operari non poſsit. Vnde dico, quod ea maxima tantum habet verum in cauſis mere efficientibus, in quibus nihil admiſcetur de cauſalitate formali, vel alterius formæ, qđ in propoſito non contingit. ¶ Vel ſecundò reſpōdetur, quidquid ſit de maiori propoſitione, negando minorem, & ad probationem dico, quod quando Deus concurrit cum aliquo mentiente ad ſuum actū, id tantū facit vt cauſa naturalis, & nō vt cauſa moralis, & ſic quāuis dicatur cōcurrere ad ſubſtantiā actus, ſeu ad materialè peccati: nō tñ dicitur cooperari deordinationi & defectui peccati, vt docet D. Tho. 12. q. 79. artic. 2. ad ſecundum. Vnde non valet hæc conſequētia, homine, aut angelo mentiente Deus concurrit ad illum actum tāquam cauſa prima, ergo mentitur per cauſam ſecundam. Nam ad hoc vt aliquis mentiri dicatur per ſe, vel per alium, neceſſarium eſt, quod ad talem actum concurrat vt cauſa moralis, & nō ſolum vt cauſa naturalis.

Adſecundū argum.

Ad tertium argum.

¶ Ad tertiū reſpōdetur primò, quidquid ſit de antecedenti, negando conſequentiā: nam quamuis Deus poſsit producere in mente mea aſſenſum rei falſæ, vel habitū inclinantem ad falſum, quia tamen talem aſſenſum, vel habitum non produceret vt cauſa moralis, ſed tantum vt cauſa naturalis, adhuc nō diceretur mentiri. Vel ſecūdò reſpōdetur negādo antecedens, & ad ꝓbationē dico, quod quāuis Deus mecū cōcurrat ad producēdum aſſenſum rei falſæ, vel habitum inclinantem ad falſum, quia tamen ille habitus non producitur à me tantùm tanquam à mera cauſa efficienti, ſed etiam tanquā à cauſa formali, non ſequitur quod Deus illum per ſe ſolū producere poſsit, vt diximus in ſolutione ad ſecundum. Et ad confirmationem reſpondetur negando conſequentiam, nam quamuis aſſenſus rei falſæ, & habitus inclinās ad falſum, ſit malum pœnæ illi cui ineſt, quia tamen ille, qui ſciens & prudens talem actum vel habitum producit, contrahit malum culpæ, fit vt à Deo produci non poſsit.

Ad quartū argum.

¶ Ad quartum argumentum reſpondetur, quod quando ego iudico de homine nequā, quod eſt bonus, quia præſefert ſpeciem virtutis, decipior, quia tantum iudico de eo quatenus per ſigna exteriora mihi conſtare poteſt, & ſic Deus non concurrit ad aſſenſum falſum ſpeciali auxilio. Vel ſecūdò reſpōdetur, diſtinguēdo de duplici actu mentorio, vnus eſt elicitus à voluntate, alter autem imperatus. Quo ſuppoſito dico primò, quod quāuis ad actus mentorios

torios elicitos concurrat ſemper Deus ſpeciali auxilio, cæterum ad actus imperatos non ſemper, vt verbi gratia, ad hoc vt ego velim comedere propter Deum finem ſupernaturalem, ſemper concurrit Deus ſpeciali auxilio: cæterùm ad hoc vt re ipſa comedam, nõ eſt opus tali auxilio. Secundò dico, quod quamuis habere bonum indicium de homine nequam, poſsit eſſe actus meritorius, non tamen ad illud concurrit Deus ſpeciali auxilio: quia non eſt actus elicitus ſed imperatus à voluntate. & per hoc paret ſolutio ad argumentum.

Ad confirmationem. ¶ Ad confirmationem reſpondent nonnulli, cõcedẽdo quod quando homini fideli fit illa cõſequẽtia ſeù argumẽtatio, ipſe ex aſſenſu fidei inclinatur ad aſſentiendum concluſioni falſæ, hoc tamen non eſt immediatè, ſed mediante alia propoſitione falſa: nullum autem eſt inconueniens, quod fides mediante alio, concurrat ad falſum, ita reſpõdebat Victoria.

Victoria impugnatur. Cæterùm hæc ſolutio mihi nõ placet: nam cum aſſenſus fidei ſit à Deo concurrente ad illum ſpeciali auxilio, ſi aſſenſus fidei mediatè vel immediatè inclinaret ad falſum, Deus inclinaret ad falſum ſaltim mediatè, quod, vt ſupra diximus, eſt apertè falſum. Quo circa hac ſolutione omiſſa, ad argumentum aliter reſpõdetur dicẽdo, quod in caſu poſito aſſenſus fidei cõcurrit ad aſſenſum cõcluſionis falſæ tãtùm materialiter in quantũ eſt quidã aſſenſus, nõ autẽ formaliter inquantũ eſt aſſenſus falſus: ſicut etiã dicimus de Deo, quod concurrit ad actum peccati & ad materiale ipſius, non autem ad formale quatenus malũ eſt.

Vera ſolutio arg. Et quod hoc ita ſit dicendum probatur: nam quamuis ille homo in caſu poſito aſſentiatur concluſioni ex aſſenſu vtriuſq; propoſitionis, ſcilicèt, ex aſſenſu maioris, atq; minoris, cæterum quod aſſentiatur concluſioni falſæ, id non habet ab aſſenſu maioris, quæ vera eſt, & ex vero non niſi verum, ſed tantum ex aſſenſu minoris quę falſa eſt. Vnde dico, quod quemadmodum homo claudus cum mouetur, à virtute motiua habet quod moueatur, ꝙ verò prauè moueatur, habet à tibia claudicante: ita etiam, in caſu poſito, quod homo aſſentiatur cõcluſioni habet à pręmiſſis, quod verò falſò aſſentiatur, habet à ſola minori quæ falſa eſt, & nõ à maiori quæ eſt vera & de fide.

De. 4. argu. D. Tho. ¶ Circa ſolutionem ad quartum argumentum D. Tho. in qua dicit, quod fides non refertur ad has ſpecies panis vel illas, ſed ad hoc quod verum corpus Chriſti credatur ſub ſpeciebus panis ſenſibilis, quando ritè fuerit conſecratum: vnde quamuis non ſit ritè conſecratum, fidei non ſuberit falſum:

Dubium. eſt difficultas, vtrũ hoſtia quæ adoranda offertur in Eccleſia, ſit adoranda ſub hac cõditione ſi fuerit verè conſecrata. Et pro parte affirmatiua eſt argumentum,

Argumẽtũ. nõ eſt de fide quod corpus Chriſti ſub his ſpeciebus panis cõtinetur, ſed id relinquitur æſtimationi humanæ, cui falſum ſubeſſe poteſt, ergo illa hoſtia non eſt adoranda abſolutè, ſed ſub conditione. Hoc tamẽ non obſtante, dico contrariam ſententiam eſſe veram,

Vera ſentẽtia probatur. 1. & probatur primò autoritate Eccleſiæ, quæ in oratione quam ſacerdos communionem ſumpturus dicit, abſolutè fatetur hanc hoſtiam & hunc calicem continere corpus & ſanguinem Chriſti dicẽs, Libera me per hoc ſacrum corpus, & ſanguinem tuum. &c. Verba autem exterius abſolutè prolata ſunt ſigna interioris mentis abſolutè credentis & venerantis, ergo hoſtia non ſub conditione ſed abſolutè eſt veneranda. Et confirmatur, abſolutè adoramus ſummum Pontificem, & alios Epiſcopos, & tamen non eſt certum de fide ꝙ iſte ſit ſummus Pontifex, aut Epiſcopus, ſed id relinquitur æſtimationi humanæ, nullus enim certò ſcire poteſt vtrum iſte ſit baptizatus nec ne, & vtrum is qui eum baptizauit habuerit intentionem conferẽdi verum baptiſma: quod neceſſarium eſt ad hoc vt poſsit eſſe ſummus Pontifex, aut Epiſcopus: ergo idem dicendum eſt de hoſtia conſecrata. Imo ſi contraria ſententia eſſet vera, ſequeretur quod cuicumq; ſacerdoti eſſet facienda confeſsio ſub conditione, & ſimiliter quod ſacerdos deberet abſoluere, & alia ſacramenta cõficere, etiã ſub conditione propter ſimile dubium ſi eſt baptizatus aut ordinatus. &c. Conſequẽs autem eſt falſum, & abſurdum, ergo.

Secũda ratio. Item ratione ſic argumentor, actus humanus cadens ſuprà debitam materiam, cum debitis circunſtantijs quando vbi, & ſicut oportet, moraliter eſt bonus, ſed actus voluntarius credentis abſolutè hanc hoſtiam eſſe conſecratam, cadit ſupra debitam materiã cum debitis circunſtantijs, ergo. conſequentia cum maiori eſt nota, & minor probatur, ea dicitur debita materia humani actus, quę vt in plurimum eſt bona, nec apparet aliqua ratio dubitatio propter ꝙ

contrarium exiſtimemus, eſſet enim indiſciplinati animi in his rebus quærere maiorem certitudinem, vt docet Ariſtoteles. 2. Met. ſed vt in plurimum, hoſtiæ ritè conſecrantur, & in hoc particulari, non apparet aliqua rationabilis ratio propter quã exiſtimemus, hanc hoſtiam non fuiſſe ritè conſecratam, ergo actus voluntarius abſolutæ adorationis, cadens ſupra illam, cadit ſuprà debitam materiam cum debitis circunſtantijs, atque ex conſequenti eſt bonus.

Ad argum. ¶ Et ad argumentum in contrarium factum reſpondetur conceſſo antecedenti, negando conſequentiã, nam ad hoc vt ſine periculo poſsit aliquis abſolutè adorare hoſtiam cõſecratam ſatis eſt, quod habeat certitudinem moralem de illius cõſecratione,

ARTICVLVS. IIII.

¶ *Vtrum obiectum fidei poſsit eſſe aliquid viſum.*

1.2.q.67.ar tic.3.cor.2. ad primum. Et.3.q.7.ar. 3.cor. & ad tertium. & 3. diſt. 24. art.2.q.10.

AD QVARTVM ſic proceditur. Videtur quòd obiectũ fidei ſit aliquid viſum: dicit enim Dominus Thomæ, Ioan. 20. Quia vidiſti me, credidiſti, ergo de eodem eſt viſio, & fides.

2 ¶ Prętereà, Apoſtol⁹. 1. ad Corin. 3. dicit, Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate: & loquitur de cognitione fidei, ergo id, quod creditur videtur.

3 ¶ Præterea, Fides eſt quoddã ſpirituale lumen: ſed ſub quolibet lumine aliquid videtur, ergo fides eſt de rebus viſis.

4 ¶ Præterea, Quilibet ſenſus viſus nominatur: vt Auguſtinus dicit * in libro de verbis Domini: ſed fides eſt de auditis: ſecundum illud ad Rom. 10. Fides ex auditu. ergo fides eſt de rebus viſis.

** Ser.33.to. 10.*

¶ SED CONTRA eſt, quod Apoſtolus dicit ad Hebr. 11. quod fides eſt argumentũ non apparentium.

¶ RESPONDEO dicẽdum, quòd fides importat aſſenſum intellectus ad id, quod creditur. Aſſentit autem intellectus alicui dupliciter. Vno modo, quia ad hoc mouetur ab ipſo obiecto, quod eſt per ſeipſum cognitũ, ſicut patet in principijs primis, quorũ eſt intellectus: vel eſt per aliud cognitum, ſicut patet de cõcluſionibus, quarum eſt ſcientia. Alio modo intellectus aſſentit alicui, non quia ſufficiẽter moueatur ab obiecto proprio, ſed per quandam electionem voluntariè declinans in vnam partem magis, quã in aliam. Et ſi quidem hoc ſit cum dubitatione. & formidine alterius partis, erit opinio. Si autem ſit cum certitudine abſque tali formidine, erit fides. Illa autem videri dicuntur, quæ per ſeipſa mouent intellectum noſtrum, vel ſenſum ad ſui cognitionem. Vnde manifeſtum eſt quòd nec fides, nec opinio poteſt eſſe de ipſis viſis, aut ſecundum ſenſum, aut ſecundum intellectum.

¶ AD PRIMVM ergo dicendũ, quòd Thomas aliud vidit, & aliud credidit: hominem vidit, & Deũ credens confeſſus eſt, cum dixit, Dominus meus, & Deus meus.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd ea quę ſubſunt fidei, dupliciter cõſiderari poſſunt. Vno modo in ſpeciali: & ſic non poſſunt eſſe ſimul viſa & credita, ſicut dictũ * eſt. Alio modo in generali, ſcicèt, ſub communi ratione credibilis: & ſic ſunt viſa ab eo, qui credit. Nõ enim crederet, niſi videret ea eſſe credenda, vel propter euidentiã ſignorum, vel propter aliquid huiuſmodi. *In cor. art.*

¶ Ad tertium dicẽdum, quòd lumẽ fidei facit videre ea, quæ credũtur. Sicut enim per alios habitus virtutum homo videt illud, quod eſt ſibi conueniens ſecundum habitum illum: ita etiã per habitum fidei inclinatur mẽs hominis ad aſſentiendum ijs, quæ cõueniunt rectæ fidei, & non alijs.

¶ Ad quartum dicendum, quod auditus eſt verborum ſignificantium ea, quæ ſunt fidei: non autem eſt ipſarum rerum, de quibus eſt fides: & ſic non oportet, vt huiuſmodi res ſint viſæ.

SVMMA TEXTVS.

CONcluſio obiectum fidei non poteſt eſſe aliquid viſum, ſiue per intellectum, ſiue per ſenſum. Hanc vt probet D. Thom. ſupponit duo, primũ eſt, quod fides eſt aſſenſus intellectus de re credita: alterum autẽ, quod intellectus dupliciter poteſt alicui rei aſſentiri, vno modo quia ad hoc mouetur ab ipſo obiecto, quod vel eſt per ſe cognitum, vt contingit in primis principijs, & ſic eſt intellect⁹: vel p aliud, vt contingit in concluſionibus, & ſic eſt ſcientia. Alio modo poteſt aſſentiri, non quia ad hoc mouetur ab ipſo obiecto, ſed quia per volũtatem eligit aſſentiri vni magis quam alteri, & tunc aut eſt cum formidine, & ſic eſt opinio: aut ſine formidine, & ſic eſt fides.

¶ His ſuppoſitis, probat D. Tho. ſuam cõcluſionem hac ratione, id dicitur viſum quod per ſe, vel per aliud, mouet noſtrum intellectũ aut ſenſum, ſed ea quę pertinẽt, ad fidem, nec per ſe, nec per aliud, mouent intellectum aut ſenſum, ergo nihil viſum per intellectum aut ſenſum poteſt eſſe obiectum fidei.

EXPLICATIO ARTICVLI.

COncluſio huius articuli eſt certa & ab omnibus cõceſſa. Nam cum certũ ſit fidem in ſua ratione formali includere obſcuritatem, iuxta illud Pauli ad He. 11. fides eſt ſubſtãtia rerũ ſperandarum, argumentum non apparentium: eſſet manifeſta repugnantia, quod circa aliquid viſum verſaretur. Cæterùm, circa id quod dicit D. Thò. in corpore articuli, ſcilicèt, quod fides vel opinio eſt ſecundum quod homo voluntarie eligit alicui rei aſſentiri, eſt difficultas, vtrum credere ſit actus liber & voluntarius? In qua re eſt ſententia Holcoth aſſerentis in. 2. q. 1. quod nõ eſt actus liber, ſed neceſſarius, dicit enim, quod euidentia ſignorum, & teſtimoniorum, & aliæ res quæ fidem noſtram circũſtant, ita eam cõfirmant, vt cogatur noſter intellectus ad aſſentiendum rebus fidei, ſi ea omnia attẽto animo conſiderentur. Et vt optimè explicat Picus Mirãdulanus in Apologia cõcluſione. 8. Holcoth diſtinguit ad illũ modũ: dicit enim quod fides poteſt accipi dupliciter, vno modo vt idem ſit quod aſſentiri reuelatis à Deo poſtquam nobis ſint euidenter propoſita & explicata: alio modo, vt idem ſit quod aſſentiri reuelatis, & præterea velle viuere ſecũdum doctrinam euangelicam, in qua ſignificatione ſacræ litteræ ſæpè ſæpius vtũtur iſta voce fides, id eſt, in quantum ſignificat non ſolum aſſenſum intellectus, ſed etiam volũtatis. Et quidem de fide iſto ſecũdo modo accepta, certum eſt quod eſt actus liber, quia includit in ſe actum volũtatis viuendi iuxta doctrinam Chriſtianam & euangelicam: cæterum ſi loquamur de fide primo modo accepta, dicit, quod non eſt actus liber, nec à voluntate dependens, ſed neceſſarius propter rationẽ iam dictã. Quam ſuam ſentẽtiã probat. 1. ex Ariſt. 2. de anima. tex. 223. vbi dicit, quod imaginari poſſumus cum volumus, opinari verò nõ, ergo, multo minus poſſumus credere cum volumus: atq; ex conſequenti credere non eſt actus liber à volũtate dependens. Et confirmatur, experientia conſtat, non eſſe poſitum in noſtra voluntate credere vel non credere in multis rebus, ſed, etiã ſi maximè velimus, non poſſumus credere quod Roma nõ eſt: & item, etiam ſi maximè velimus non poſſumus credere, quod aſtra ſunt paria, ergo, actus credendi non eſt liber & volũtarius.

Dubium.

Opinio Holcoth.

Primum argumentum.

¶ Item ſecundò, ſi ad fidem, vel opinionẽ eſſet neceſſarius actus voluntatis, ſequeretur, dandum eſſe proceſſum in infinitum. Conſequẽs autem eſt falſum, ergo. Sequela probatur ſuppoſito, quod actum voluntatis neceſſario debeat præcedere iudicium intellectus, ſiquidem, vt omnes concedunt, nihil volitum quin præcognitum. Tunc ſic argumẽtor, & quæro de illo iudicio intellectus requiſito, vtrum ſit euidẽs, vel opinatiuum, primum dici non poteſt, quia ex iudicio euidenti neceſſario ſequitur aſſenſus euidens, & ſic fides aut opinio eſſe non poſſet, ergo dicẽdum eſt, quod eſt iudicium opinatiuum. Tunc vltra, eſt iudicium opinatiuũ, ergo ad illud rurſus prærequiritur alius actus voluntatis, cum opinio per vos libera eſſe debeat, & cum actus voluntatis eſſe non poſsit ſine præcedenti iudicio: ad illã rurſus requireretur aliud iudicium opinatiuum, & ſic in infinitum: ergo fides & opinio nõ ſunt actus liberi, ſed neceſſarij.

Secũdum argumentum.

¶ Vltimo argumentor, res noſtræ fidei, vt docet D. Thom. in hoc artic. ad ſecundum, ſunt euidenter credibiles, ergo non eſt poſitum in noſtra voluntate, illis aſſentiri,

Vltimum argumentum.

ſentiri, aut non aſſentiri.

Prima Concluſio. ¶ Contraria tamen ſententia eſt vera, & tenenda. Vnde ad illius explicationē ſit prima concluſio. De fide eſt, quod actus fidei ita pendet à noſtra voluntate, vt niſi liberè & voluntariè, non credamus. *D. Paul.* Probatur primo, ex Pau. ad Rom. 10. dicente corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem: certum eſt autem, quod nomine cordis in ſacra ſcriptura, vt docet D. Tho. ſupra illum locum, non ſolum intellectus, ſed etiam voluntas ſignificatur: & ſic ſenſus eſt, quòd voluntariè creditur ad iuſtitiam. Item in eodē cap. dicit Paul. non omnes obediunt euangelio, Eſaias enim dicit: domine, quis credidit auditui noſtro? Et paulo inferiùs, tota die expādo manus meas ad populum non credentem, *Eſai. 50.* & contradicentem mihi. Item Eſaiæ. 50. dicitur, Dominus adaperuit mihi aurē, ego autem non cōtradico, retrorſum non abij. *Ioann. 12.* Et Ioan. cap. 12. dicitur, Quòd cum tanta ſigna feciſſet Ieſus, non credebant in eum. ergo poſitum eſt in noſtra voluntate credere vel non credere, nec euidentia ſignorum conuincit intellectum ad credēdum, *Prima ratio.* vt dicebat Holcoth. ¶ Item ratione probatur concluſio, nam eſt præceptum de fide habenda, ergo credere eſt actus liber, & voluntarius, conſequentia eſt nota, cum præcepta non dentur, nec dari poſſint, niſi de rebus liberis & voluntarijs. Antecedens verò probatur ex illo Marci vltimo, euntes in mundum vniuerſum, prædicate euāgelium omni creaturæ: qui crediderit, & *Secunda ratio.* baptizatus fuerit, ſaluus erit, &c. ¶ Secundò, quia niſi eſſet præceptum de credēdo, hæretici & infideles qui nō credūt nō pec- *Tertia ratio.* carēt. conſequēs autē eſt falſum, ergo. Tandē probatur concluſio ex eo, quod quēadmodum Eccleſiaſtici. 11. dicitur, Qui cito credit leuis eſt corde, ita etiam Lucæ. 24. reprehenduntur tardi corde ad credendū, ergo vtrumq; ſcilicet, credere & non credere, eſt poſitum in noſtra volūtate. Vnde *D. Auguſt.* D. Auguſt. Homil. 26. ſuper Ioannem, dicit, Quod intrare Eccleſiam poteſt quis nolens, credere verò non niſi volens. *Concil. Trid.* Denique hęc veritas eſt diffinita in conci. Triden. Seſsione. 6. ca. 6. vbi dicitur, quod diſponuntur homines ad iuſtitiam, dum excitati diuina gratia, & adiuti, fidem ex auditu concipientes, liberè mouentur in Deum. Quam etiam ſententiam latè probat Vega in concilium Tridentinū. lib. 6. cap. 14. & de hoc eſt videndus Soto, lib. 1. Poſteriorum. q. vlt. concluſione. 3.

Secunda concluſio. ¶ Secūda concluſio, Ad mouendum noſtrum intellectum in aſſenſum fidei, non ſufficit præciſè ſola volūtas, ſed vltra hoc requiritur etiam, quod ex parte rei creditæ ſint aliqua motiua, & apparētes rationes, quæ moueant intellectum ad aſſentiendū. Hanc concluſionem acutè probat Picus Mirandul. loco citato. concluſione. 3. & eſt *Prima ratio.* ſine dubio vera. Probatur primo, Nam ad hoc vt habeamus opinionem de aliqua re, non ſufficit ſola voluntas, ideſt, non ſufficit velle habere opinionem, ſed vltra hoc etiam requiritur aliqua probabilis ratio ex parte obiecti, ergo neque ad credēdum ſufficit ſola voluntas. Patet conſequentia, quia cum ſit firmior aſſenſus fidei quam *Secunda ratio.* opinionis, plura erunt neceſſaria ad fidem, quam ad opinionem. ¶ Item ſecundò, ad hoc vt aliquis credat aliquam rem talem eſſe, neceſſe eſt, vt illi appareat talis: implicat enim quod ego opiner Petrum eſſe doctum, aut bonum, & quod non appareat mihi talis, ſed non eſt in poteſtate noſtræ voluntatis præciſe facere vt obiectum appareat tale, ſed id habet obiectum vel ex ſe ſe, vel ex rationibus, & teſtimonijs, quæ afferuntur ad id probandum, ergo nō eſt poſitum in noſtra voluntate credere, *Fides & opinio generatur, in nobis mediante ratione, vel autoritate.* aut non credere. Ex dictis infertur, quod fides tā diuina quam humana, & etiā opinio generatur in nobis ratione aliqua, vel autoritate concurrente ſimul cum pia affectione voluntatis: vbi enim euidentia non eſt, plurimum iuuat pia affectio. Et ſic conſtat experientia, quod propoſitis nobis æqualibus rebus, magis aſſentimur vni quam alteri, quia magis circa vnā, quam circa aliā ſumus affecti. Vnde D. Thom. infra. q. 4. art. 2. dicit quod fides, quamuis formaliter pertineat ad intellectum, tamen per quandam redundantiam eſt etiam in volūtate, & ſic vtriuſq; potentiæ actus requiritur ad credendum, vt infra dicemus.

Ad primū argumentū. ¶ Ad primū argumentū ex Ariſt. reſpōdetur ꝙ probat ſecundam noſtram cōcluſionem, quando enim dicit, quòd non eſt poſitum in noſtra poteſtate opinari cum volumus, non negat ad opinionem eſſe neceſſarium actum volūtatis: ſed tantum docet, illum præciſè nō ſufficere ſine aliqua ratione ex parte rei credendæ, vt diximus in ſecunda concluſione. Ad cōfirmationē reſpondetur cōcedendo verum eſſe, quod aliquæ

aliquæ res ita ſunt teſtimonio & conſenſu ferè omnium hominum confirmatæ, & roboratæ, vt nullo modo homo benè inſtitutus, poſsit illis non aſſentiri. Cæterum iſtę res comparatæ cum multitudine aliarum rerum de quibus fidem, vel opinionem habemus, ſunt per paucæ, & ſic abſolutè dicimus, ꝙ fides & opinio pendent à voluntate, quamuis id, tantum regulariter loquendo, & vt plurimum, ſit intelligendum. Et proculdubio ita verum eſt, quod in rebus dubijs, de quibus fidem vel opinionem habemus, maiori ex parte plurimum refert, quo animo & voluntate ſimus erga illas affecti, vt conſtat experientia.

Ad ſecundū argum.

¶ Ad ſecūdum reſpōdetur, quod illa voluntas quæ mouet intellectū ad credendū, vel opinandū, ortū habet è iudicio euidēti, quo iudico ea, quæ proponūtur credenda, vel opināda eſſe vel credibilia vel opinabilia: itaq; ex eo, quod euidenter iudico aliquā rem eſſe credibilē, vel opinabilē, volūtas mea circa illam benè affecta, mouet intellectū, ad hoc vt iudicem, non ſolùm eſſe credibilem & opinabilem, ſed etiam eſſe veram, & ſic non datur proceſſus in infinitum.

Dubium graue.

¶ In tertiò argumento tangitur grauis difficultas, vtrum articuli fidei ſint euidenter credibiles? Ad cuius explicationem D. Thom. in hoc articulo in ſolutione ad ſecundum, & in ſolutione ad tertium dicit duo, Primum eſt, quod articuli fidei ſunt euidenter credibiles. Secundum autem, ꝙ illa euidentia ortum habet à lumine fidei infuſæ. Quæ omnia falſa eſſe videntur, &

Primum argumentum.

ſic arguitētor primo, ſi articuli fidei eſſent euidētet credibiles, ſequeretur eos eſſe euidenter veros: conſequēs autem eſt falſum, nā ſic nō haberemus de eis fidē, ſed ſciētiā, ergo & illud ex quo ſequitur: ſequela ꝓbatur, nā non eſt credibile, niſi illud, quod eſt verum, ergo ſi articuli fidei ſunt euidenter credibiles, erunt euidētet veri. Et cōfirmatur à ſimili, qui cognoſcit euidēter aliquam propoſitionem eſſe ſcibilem, euidēter etiam cognoſcit eam eſſe veram, quia nihil eſt ſcibile, niſi verum, ergo pari ratione, qui videt euidenter aliquam propoſitionem eſſe credibilem, etiam cognoſcet euidenter eſſe veram, quia nihil eſt credibile, niſi verum.

Secūdum argumentum.

¶ Secūdò argumētor, ſi articuli noſtræ fidei eſſent euidēter credibiles, id eſſet, vel propter teſtimoniū conſentiēs multorū hominū aſſerentiū eos eſſe veros & credibiles, vel propter miracula, quæ in illorum cōfirmationem ſunt facta: ſed neutrū iſtorum poteſt dici, ergo. Conſequētia cū maiori eſt nota, minor vero probatur, & primò, quod conſentiens teſtimonium multorum non efficiat euidentiam de credibilitate: nam aliàs ſequeretur, quod etiā infidelibꝰ, & idolatris ſua religio eſſet euidenter credibilis, ſiquidem confirmatur multorum hominū conſentienti teſtimonio, conſequens autem eſt falſum, nam ſic non peccarent ſuam religionē ſequentes: ſiquidem habent euidentē cauſam credendi, ergo & illud ex quo ſequitur. Quòd vero neque etiam miracula efficiant euidentiam de credulitate, probatur, ex illo Ioannis. 6. vbi dicitur, quod quidā ex illis, qui ſequebantur Chriſtum, eum deſeruerunt dicentes, Durus eſt hic ſermo, id eſt, ad credendum difficilis, cum tamen illis iam eſſent nota Chriſti miracula, ergo ea nō efficiebant euidentiam de credulitate articulorū.

Tertium argumentum.

¶ Tertiò argumentor & probo, quod euidētia iſta nō proficiſcatur à lumine fidei inſuſę, vt ſecundo loco dicebat. D. Tho. Nam aliàs ſequeretur, quod idem habitus eſſet euidens & ineuidēs, & inclinaret ad aſſenſus cōtrarios, ſcilicet, ad aſſenſum euidentem & clarum, & ad aſſenſum obſcurum; conſequens autem eſt abſurdum, vt conſtat, ergo. Sequela probatur, nam per habitum fidei iudicamus aſſenſu obſcuro, articulos eſſe veros, ergo ſi eodem habitu iudicamus aſſenſu euidenti, eos eſſe credibiles, idem habitus inclinabit ad aſſenſum clarum, & obſcurum, quod eſt impoſsibile. Et confirmatur, ſi lumen fidei efficeret euidentiam de credibilitate articulorū, ſequeretur quod puer baptizatus ſimul ac efficitur cōpos rationis, ipſe per ſe abſq; aliquo proponente, aut explicante, poſſet aſſentiri fidei articulis, conſequens autem eſt falſum, & contra experientiam, ergo. Sequela probatur, nam puer baptizatus habet in ſe lumen fidei, quod ſecundum iſtam opinionem efficit euidētiam de credibilitate articulorum, ergo illud erit ſufficiens ad aſſentiendum articulis abſq; alio proponente, vel explicante

Quartum argumentum.

¶ Quartò ſic argumentor, ex D. Thom. qui in ſolutione ad tertium dicit, quod ſicut aliæ virtutes faciunt videre ea, quæ ſibi conueniunt, ita etiam fides: ſed aliæ virtutes non efficiunt propriè euidentiam de ijs quæ ſibi conueniunt, iuſtitia enim quæ eſt in volū-

tate

tate non poteſt propriè efficere euidentiã quæ pertinet ad intellectum, ergo neque etiam fides poterit efficere propriè euidentiam de credibilitate articulorum. *Vltimum argum.* ¶ Vltimò ſic argumentor, & efficio iſtam conſequentiam, omne credibile per fidem infuſam eſt verum, ſed, quod Deus eſt homo, eſt credibile per fidem infuſam, ergo eſt verum, conſequentia eſt euidens, & etiã maior propoſitio, quia æquiualet huic, omne reuelatum à Deo eſt verum, quæ eſt euidens: ſimiliter etiam maior propoſitio videtur euidens ſecundum iſtam ſentẽtiam, quæ concedit euidẽter eſſe credibile, quod Deus eſt homo, ergo & conſequens etiam eſt euidens, ſcilicet, quod Deus eſt homo. Hoc autẽ eſt falſum, quia illud conſequẽs eſt de fide, ergo & illud ex quo ſequitur.

Prima Concluſio. ¶ His tamen non obſtãtibus dico, quod ſententia D. Thom. eſt vera. Vnde ad eius explicationem ſit prima cõcluſio, Veriſſimum eſt, quod articuli noſtræ fidei ſunt euidẽter credibiles. Probatur ex illo Pſalmi. 118. Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis. Item ratione: *Articuli ſunt euidenter credibiles.* Id eſt euidenter credibile, quod cõfirmatur teſtimonio fidedigno, ſed tales ſunt articuli noſtræ fidei, ergo ſunt euidenter credibiles: conſequentia eſt nota, & antecedens pro maiori patet, nam continet diffinitionem eius, quod eſt euidenter credibile. Minor verò probatur, facta enumeratione teſtimoniorum, quibus res noſtræ fidei confirmãtur.

Primum teſtimoniũ noſtræ fidei. ¶ Primum teſtimoniũ deſumitur ex innumeris miraculis, quæ interdum crebrius, interdum parcius, ſemper tamen diuina virtus in Eccleſia operatur: id quod in nulla alia religione, aut ſecta factũ legimus. Nõ eſt autẽ credibile, quod tot ac tanta, & tam longa temporum ſucceſſione durantia miracula, facta fuerint in teſtimonium rei falſæ. Vnde dicit D. Aug. lib. 21. de Ciuitate. c. 14. Si facta ſunt miracula, grande miraculũ: ſi non ſunt facta, grande miraculũ, ſine miraculis tot homines credidiſſe ea, quę rẽ pugnabãt ſenſibus. *Secũdum teſtimonium.* ¶ Secũdum teſtimonium ad confirmãdas res noſtræ fidei, deſumitur ex eo quod fuerunt prædicatæ & propagatæ à paucis hominibus, & illiteratis, qui moriendo, & ſuſtinẽdo, non autem inferendo aliquam vim, in aſſenſum fidei adduxerunt homines ſapiẽtiſſimos: quod nunquam feciſſent, niſi veritate eſſent armati, atq; inſtructi: & ad hoc pertinet illud Pauli, 1. ad Corinth. 1. Infirma mundi elegit Deus, vt fortia quæq; confundat.

Tertium teſtimonium. ¶ Tertium teſtimoniũ deſumitur ex ſumma ſynceritate & concordantia, quæ eſt in ſacris literis, iſtæ enim ſunt conditiones veritatis. Item, etiam ex eo quod in ſacris literis cõtinentur multæ prophetiæ rerum futurarum, quas poſtea comprobauit euentus, quod quidem manifeſtè declarat, eas fuiſſe traditas à Deo, iuxta illud Eſai. 41. Annuntiate nobis, quæ futura ſunt, & dicemus quia Dij eſtis vos. *Quartum teſtimonium.* ¶ Quartum teſtimonium deſumitur ex ſanctitate & veritate, quę eſt in doctrina morali noſtræ religionis. Nihil enim præcipitur, vel faciendum, vel fugiendum, quod non ſit & ſanctiſſimum, & honeſtiſſimum, ipſis etiam Philoſophis conſentientibus, non eſt autem veroſimile, quod ea hominum ſocietas, quæ nihil errat in doctrina morali, erret in cognitione rerum diuinarum.

Quintum teſtimonium. ¶ Quintum teſtimoniũ deſumitur ex multitudine virorum ſanctorum, qui in noſtra religione omnibus ſæculis extiterũt, quod adeo verum eſt, vt ſi comparetur noſtra religio cum alijs ſectis & religionibus, plures viri ſancti inueniẽtur apud nos in vno ſæculo & ætate, quam apud alios, omnibus ætatibus, atq; ſæculis eſſe ab eiſdem iudicãtur. Non eſt autem veroſimile, quod ea hominũ ſocietas, in qua tot viri ſancti atq; perfecti extiterunt, negligatur à Deo, habeatq; de illo falſas opiniones. *Vltimum teſtimonium.* ¶ Vltimũ teſtimonium ad confirmandas res noſtræ fidei, deſumitur ex ſanguine Martyrum: nõ enim eſt probabile, quod tot homines omnis ætatis atq; ſexus, tam liberaliter, & intrepido animo, mortẽ ſubijſſent pro ſua religione, niſi eſſent certi, & maiori aliquo lumine cognouiſſent, ea, pro quibus moriebãtur, eſſe certiſſima. Cum ergo noſtra fides ſit confirmata, & corroborata, tot & tantis teſtimonijs, manifeſtè ſequitur, eam eſſe euidenter credibilem, aut certè nulla alia res eſt digna, cui fides adhibeatur. De iſtis teſtimonijs vide D. Tho. 1. cõtra gent. c. 9. & ibi Ferraram, & 3. p. q. 43. & 44.

Secunda concluſio. ¶ Secunda concluſio: Hæc teſtimonia, quæ diximus, de ſe ſufficientia ſunt (etiam apud infideles) ad efficiendam euidentiam de credibilitate articulorũ. (dixi notanter) de ſe, nam ſi infideles nolint animum adhibere, & attentè conſiderare, qualia & quãta ſunt hæc teſtimonia, vt plerq; faciunt, non erit mirum ſi nõ iudicent articulos noſtræ fidei eſſe euidenter credibiles: cæterũ,

ſi attento animo ea omnia conſiderent, vel aliquid illorum, proculdubio euidenter cognoſcent, res fidei eſſe credibiles, & quod Chriſtiani ex magnis & grauiſsimis cauſis mouentur ad credendum ea quæ credunt, vt manifeſte conſtat.

Tertia concl. ¶ Tertia concluſio, Fideles nõ ſolum ex teſtimonijs ſuperius poſitis, ſed etiam ex ſolo lumine fidei infuſæ, vident articulos fidei eſſe euidenter credibiles. Hæc concluſio colligitur expreſsè ex D. Tho. in hoc arti. ad tertium, vbi dicit quòd lumen fidei facit videre ea, quæ creduntur: & arti. ſeq. ad primum, etiam dicit quòd fideles per lume fidei vidẽt articulos eſſe credẽdos, quæ õnia de euidẽtia credibilitatis facta ab ipſo lumine fidei, ſunt intelligenda, vt Caietanus declarat in præſenti commento. Itaq; dicere poſſumus, quòd fidelibus ex duplici capite contingit habere euidentiam de credibilitate articulorum, vnum eſt propter teſtimonia, quibus articuli confirmantur, vt diximus in prima cõcluſione, aliud propter lumen fidei intus exiſtens, quod etiã facit euidentiam de credibilitate, vt dicimus in tertia cõcluſione. Cęterũ vt hęc res facilius intelligatur, atq; probetur, ſupponendum eſt primo ex Caietano in præſenti, *Fides ita inclinat in res reuelatas, vt non inclinet in res diuerſas.* quod habitus fidei infuſæ inclinat intellectũ in aſſenſum eorũ, quæ credẽda ſunt, diſcretè, id eſt, ita inclinat in aſſenſum eorũ quæ à Deo ſunt reuelata, vt nõ inclinet ad res diuerſas: ſed ſicut alij habitus naturales tantũ inclinãt ad ea, quæ pertinẽt ad ipſos habitus, & remouent à cõtrarijs, ita etiã fides tantũ inclinat in aſſenſum eorũ, quæ à Deo ſunt reuelata, & remouet à contrarijs, qualia ſunt hæreſes, & alij errores cõtra fidem, vnde D. Ioan. in ſua canonica cap. 2. dicit, Vos vnctionem habetis à ſancto, & noſtis omnia, id eſt, Vos internam habetis Spiritus ſancti inſtructionem, & eo ſuggerente, atque docente, ea omnia, quæ ad veſtram ſalutem ſunt neceſſaria, cognoſcitis, & ſubdit ſtatim, non ſcripſi vobis quaſi ignorantibus veritatem, ſed quaſi ſciẽtibus eam. &c. quibus verbis aperte ſignificat, ignorantibus opus eſſe externa doctrina, ne ab hæreticis ſeducantur, cum tamẽ ſciẽtibus vnctio interna ſit ſufficiens ad repellendum quidquid veritati fidei fuerit contrarium. *Fides intrinſecè eſt quædam lux.* ¶ Secundo notandum & ſupponendum eſt, quod fides intrinſecè & eſſentialiter, eſt quædam lux, vnde frequenter in ſacris litteris appellatur hoc nomine, vt conſtat ex illo Ioann. 12. Dum lucem habetis credite in lucẽ. & Paulus ad Ephes. 5. Eratis aliquando tenebræ, nũc autem lux in Domino, quaſi diceret, eratis aliquando inuoluti caligine infidelitatis, nunc autem perueniſtis ad fidem, quæ eſt vera lux animæ: & ratio huius appellationis eſt manifeſta, nam cum omne quod manifeſtatur, in lumine manifeſtetur, vt dicit Paulus loco citato, & fides ſit, quæ manifeſtat nobis res diuinas atque ſuper naturales, fit vt conuenientiſsimè lux, ſiuè lumẽ appelletur.

¶ Tertio ſupponendũ, Quod quia vnũ quodq; agit ſecundum quod aptum natũ eſt agere, & fides ſecundum ſuam rationẽ, & eſſentialiter eſt quædam lux, fit conſequens, vt quidquid habitus fidei efficit & operatur, id efficiat illuſtrando & illuminãdo: ex quo ſequitur, quod cum propriũ munus fidei ſit diſcernere credenda à non credendis, & ita inclinare in ea, quæ à Deo fuerint reuelata, vt tamen diſſentiat contrarijs, neceſſarium eſt, quod hæc efficiat habitus fidei illuſtrando atq; illuminando ipſos articulos. *Fidei eſt illuſtrare & illuminare.* ¶ His ſuppoſitis, probatur concluſio, habitus fidei diſcernit credenda à non credendis ea illuſtrando atque illuminando, ſed hoc efficere nõ poteſt, niſi quia latẽtem in ipſis articulis vel veritatem, vel credibilitatem, notam & manifeſtam facit, certum autem eſt quod non poteſt facere notam articulorum veritatem: ergo ſaltum manifeſtat illorum credibilitatem. *Prima ratio pro tertia cõcluſione.*

¶ Item ſecundò, hoc eſt proprium luminis, vt quantumuis exiguum illuſtret ſemper aliquo modo illud, cui applicatur, vt, verbi gratia, lumen minimum applicatum Petro oſtendit ipſum eſſe corpus, ſi autem applicetur maius, oſtendit illum eſſe hominem, ſi verò adhuc maius applicetur, oſtendit illum eſſe Petrum, ergo pari ratione, habitus fidei, cum ſit lumen, licèt propter ſuam exiguitatem non oſtendat articulos eſſe veros, ſaltem manifeſtabit, quod ſunt credibiles: quia hæc eſt communior ratio eorũ. *Secunda ratio.* Et confirmatur, lumẽ fidei eſt ſecũdum ſuum genus perfectiſsimũ, vt potè diuini ordinis, ergo debemus illi tribuere omnia, quæ faciunt ad perfectionẽ ipſius, dũmodo nõ repugnẽt ſuæ naturæ: ſed facere euidentiam de credibilitate articulorum, facit ad perfectionem ipſius habitus, nec repugnat ſuę naturæ, ergo debemus illi hoc tribuere. *Tertia ratio.* Et meritò, vt hic dicit

Caie-

Caietanus, vt hac ratiõe credulitatis motus, ſupra viſionis immobilitate firmetur, & imperfectio ineuidentis, à perfectione euidentis procedat ſecundum ſe.

Quarta cõcl. ℭ Quarta concluſio, Quamuis omnes fideles habent lumen fidei infuſæ, non tamẽ omnes cognoſcunt ex lumine, quòd articuli ſunt euidenter credibiles, ſed illi tantũ qui ſunt rectè diſpoſiti ad iſtum effectum ſuſcipiendũ. Hæc cõcluſio ponitur à Caie. in præſenti, & probatur: nam nõ eſt neceſſarium, quòd habitus maximè infuſi exerceant omnẽ ſuum actum in omni ſubiecto in quo ſunt, ſed in eo tantum, quod fuerit rectè diſpoſitum ad ſuſcipiendam omnem vim atque efficatiam talis habitus: ſed ſic eſt, quòd ſunt plures fideles parũ perfecti in cogitatione rerum diuinarum, & parum exercitati in vſu habituum infuſorum, qui ex conſequenti etiam ſunt pleni impedimentis, & indiſpoſiti ad ſuſcipiendũ omnẽ effectum habitus fidei, ergo nõ eſt neceſſariũ, quòd in illis omnem ſuum actum exerceãt: atque ex conſequenti poterit contingere, quod in illis ſit habitus fidei inclinãs ad aſſenſum articulorum, qui nec efficiat euidentiam de veritate, nec etiam de credibilitate illorum, ſed eam tantum habebunt ex teſtimonijs, quibus res fidei confirmantur.

Ad. 1. arg. ℭ Sed reſtat, vt ad argumẽta reſpondeamus: & ad primum reſpondetur negando ſequelam, & ad probationẽ dico, quod nõ omne credibile eſt verũ, ſed ſæpè ea, quæ falſa ſunt, eſt euidens eſſe credibilia: quia ad hoc vt aliqua res ſit euidẽter credibilis, ſatis eſt quod confirmetur teſtimonio fide digno, quãuis ipſum teſtimonium falſum eſſe poſsit. Ad confirmationem reſpondetur conceſſo antecedenti, negando conſequentiam: nam eſt latiſsimum diſcrimen inter ſcibile, & credibile: quod enim aliqua propoſitio ſit ſcibilis, id prouenit ex ipſa rei natura; quæ habet cauſam neceſſariam ſuæ veritatis, & ſic omne ſcibile eſt verum. Cæterum quod aliqua propoſitio ſit credibilis, non prouenit ex natura rei ſignificatæ, ſed ex eo quod cõfirmatur teſtimonio fidedigno extrinſecus allato, quod tamen falſum eſſe poteſt, & ſic non omne

Ad. 2. arg. credibile eſt verũ. ℭ Ad ſecundum reſpondetur conceſſa maiori, negando minorem, & ad primam probationem de infidelibus dico, quod quãuis infideles aliqua ratione excuſari poſsint à peccato, in eo quod nõ credunt religioni noſtræ, quia illam ſufficienter nõ audierunt: cæterùm in eo quod ſuæ religioni aſſentiuntur, nulla ratione poſſunt à peccato excuſari: tum quia motiua, quibus ad id mouentur, nõ ſunt ſufficientia ad efficiendam euidentiam de credibilitate illius: tum etiam, quia quamuis in illorum religione contineantur aliqua vera, ſunt tamẽ alia multa euidenter falſa, & contra rationem naturalẽ: quod poſſent ipſi euidenter videre, niſi haberent animũ excæcatum malitia atque peccatis, iuxta illud Pauli. 2. ad Corinth. capit. 4. Quòd ſi opertum eſt euangelium, in ijs qui pereũt opertum eſt: in quibus Deus huius ſæculi excæcauit mentes infidelium, vt non fulgeat illuminatio euangelij gloriæ Chriſti, qui eſt imago Dei.

ℭ Ad ſecundam verò probationem ex Ioanne cap. 6. reſpondetur, quod illi qui dixerunt, Durus eſt hic ſermo, proculdubio iudicarunt quod Chriſti doctrina erat creditu indigna: cæterum id fuit, quia non cõſiderarunt attento animo Chriſti perſonã atque vitam, eiuſque miracula, ſed potiùs quadam mentis cæcitate ducti, auerterunt cogitationes ſuas à luce.

ℭ Ad tertium reſpondetur, concedendo *Ad. 3. arg.*
ſequelam, nõ enim eſt inconueniẽs, quod ab eodem habitu proficiſcantur actus contrarij reſpectu diuerſorũ obiectorum formalium, vt cõtingit in præſenti: nam quãuis hæc propoſitio, verbi gratia, Deus eſt homo, ſit vna tantum, ab alio tamen habet quod ſit vera, ab alio quod ſit credibilis. Nã quod ſit vera, habet ex ipſa natura rei: quod autem ſit credibilis, habet ex teſtimonio quo confirmatur, & ſic fieri poteſt quod per habitũ fidei aſſentiamur illi propoſitioni, in quantum eſt vera, aſſenſu obſcuro & euidenti, & per eundem habitum aſſentiamur eidem, in quantum eſt credibilis, aſſenſu claro & euidenti: ſiquidem hæc ſunt duo obiecta formaliter diſtincta. ℭ Ad confirmationẽ reſpondetur negãdo ſequelã, nam, vt diximus in quarta cõcluſione, lumen fidei non facit euidentiam de credibilitate articulorum, niſi in ſubiècto diſpoſito, qualis non eſt intellectus pueri in ſiluis nutriti, & à conſortio hominum ſeparati.

ℭ Ad quartum reſpondetur cum Caie *Ad. 4. arg.*
tano in præſenti quod D. Thom. vſus eſt eo exẽplo de virtutibus, ad probãdum duplici ex capite, ſcilicet à minori, & ab effe-

ctu, quòd

ctu, quòd fides propriè facit euidentiam de credibilitate articulorum: a minori quidem id probat, quia ſi aliæ virtutes perficientes partem appetitiuam efficiunt practicam euidentiam eorum quæ ſecundum ipſas homini conueniunt, inclinando ipſum hominem in ea: quanto magis habitus fidei, qui eſt virtus exiſtens in intellectu, inclinando hominem ad ſibi conueniens, efficiet euidentiam ſibi poſsibilem? ſiquidem, vt conſtat, perfectio partis intellectiuæ propinquior eſt vt efficiat euidentiam, quæ pertinet ad intellectum, quam perfectio partis ſenſitiuæ. Qualiter autem aliæ virtutes efficiant iſtam practicam euidentiam, explicat Caietanus ex doctrina Ariſt. 3. Ethicorum cap. 4. dicentis, Qualis vnuſquiſq; eſt, talis finis ei videtur: quorũ verborũ ſenſus eſt, quod eo modo quiſq; iudicat agendum eſſe in rebus, quo diſpoſitus eſt ſecũdum affectum. Qui enim per habitum iuſtitiæ benè affectus eſt ad rem iuſtam, is rectè & iuſtè operandum quacũq; occaſione oblata ſemper iudicat. Et temperatus ſimiliter habet euidens iudicium practicum circa actus ſuos, & ſic de alijs virtutibus. Cum ergo fidelis quiſque ex lumine fidei infuſæ ſit propenſus in credibilia, fit vt ex ipſo habeat euidens iudicium practicum quo iudicet ea eſſe credibilia. Ab effectu autem probat D. Thom. ſuam ſententiam eodem exemplo hoc modo, nam quia lumen fidei inclinat ad credenda diſcretè, vt ſuprà diximus, fieri non poterit, vt id efficiat abſq; eo quod efficiat ſibi conſonam euidentiam & proportionatam, qualis eſt euidentia de credibilitate articulorum.

Vltimum argumentum. ¶ Ad vltimum argumentum reſpondetur negando quod illa minor propoſitio ſit euidens, nam quamuis fides infuſa efficiat euidentiam quod articuli ſunt credibiles, non tamen eſt euidens, quod creduntur per fidem infuſam, quod neceſſarium erat, ad hoc vt conſtaret id eſſe credibile per fidẽ infuſam, & ſic euidẽter verũ.

Ad aliud, cuius occaſione hæc dicta ſunt. ¶ Ad aliud verò argumentũ, cuius occaſione hæc omnia dicta ſunt, in quo ex eo quod articuli ſunt euidenter credibiles, infertur actum fidei non eſſe liberum, ſed neceſſarium, reſpondetur negando conſequẽtiam, nam licèt ex teſtimonijs noſtræ fidei benè conſideratis conuincatur intellectus ad iudicandum articulos fidei eſſe euidenter credibiles, non tamen conuincitur ad iudicandum illos eſſe veros: ſiquidem multa falſa poſſunt eſſe euidẽter credibilia. Quare quiſque dicere poterit apud ſe, quod quamuis articuli fidei ſunt euidenter credibiles, nõ tamen vult illis aſſentiri: poſſunt enim eſſe falſi. Vnde ſemper eſt neceſſarius actus voluntatis ad credendum.

Dubium. ¶ Sed dubiũ eſt vtrũ ad hoc vt aliquis credat articulos fidei, neceſſariũ ſit qđ prius iudicet eos eſſe euidenter credibiles. De qua re D. Tho. in ſolutione ad. 2. partem videtur tenere affirmatiuam, dicit enim quod non crederet, niſi videret ea eſſe credenda.

Primum argumentum. ¶ In contrarium tamen ſunt aliqua argumenta. Primũ deſumitur ex ipſa experientia, videmus enim quod ſæpè fidẽ adhibemus rebus, quas non euidenter, ſed tantum probabiliter iudicamus eſſe credibiles, ergo non ſemper eſt neceſſarium, quod tale iudicium præcedat: conſequentia eſt nota, & antecedens probatur, nam illa tantũ res eſt euidenter credibilis, quæ confirmatur teſtimonio fidedigno: ſed interdum dubitantes vtrum teſtis ſit fidedignus nec nè, aſſentimur rebus teſtificatis, ergo ſine euidentia de credibilitate articulorum poſſumus per fidem illis aſſentiri.

Secũdum argumentum. ¶ Item ſecundò, pueri ſtatim atq; accipiũt à ſuis parentibus fidei doctrinam, credunt nullo præcedẽte iudicio vtrùm illa doctrina ſit euidenter credibilis necne, ergo tale iudicium non eſt neceſſarium. Et confirmatur, Indi nunc credunt articulos noſtræ fidei nullo viſo miraculo, ſed tantùm ex relatione vnius monachi in ſpecie vilis, nec aliquid fidedignum præ ſe ferentis, ergo adhoc vt aliquis habeat fidei aſſenſum, non eſt neceſſarium quod prius iudicet res quas credit, eſſe euidenter credibiles.

Sententia Cani. Propter hæc argumenta Magiſter Cano ſolitus erat dicere, quod doctrina D. Tho. qua dicit, neceſſarium eſſe, quod homo prius iudicet articulos fidei eſſe euidẽter credibiles, ad hoc vt illis aſſentiatur, tantum eſt intelligenda vt in plurimũ, ita vt ſenſus illius ſit, quod maxima ex parte nullus poteſt credere ea, quæ ſunt fidei, niſi prius euidenter iudicet ea eſſe credibilia: tamẽ aliquando benè poterit contingere, vt quis firmiter credat ea, quæ videt confirmari teſtimonio, de quo dubitat, vtrum ſit fidedignum nec nè.

Sententia Caietani. Cæterum Caietanus in hoc articulo aliter reſpondet ad hanc difficultatem dicẽs, quòd credere poteſt accidere dupliciter, vno modo prudenter & cordatè, id eſt, ex idonea cauſa, & iſto modo nullus poteſt credere, niſi

niſi prius euidenter iudicet ea, quæ credit, eſſe digna quibus fides adhibeatur: alio autem modo poteſt accidere, vt quis credat ex leuitate & præcipitãtia: & qui iſto modo credunt, non habent neceſſe, vt prius euidenter iudicent ea, quæ credunt, eſſe digna quibus fides adhibeatur. Quando autem D. Tho. dicit: quod euidens iudicium de credibilitate, debet præcedere fidei aſſenſum, tãtùm loquitur de eo, qui prudenter & cordatè credit, non autem de eo qui credit ex leuitate.

Cõcluſio iuxta ſententiã Caietani.

¶ Mihi ex his ſententijs ea quæ eſt Caietani ſemper viſa eſt longè probabilior. Vnde ad eius explicationem pono iſtam concluſionem, Nullus poteſt firmiter & prudẽter credere, niſi prius euidenter iudicet ea, quæ credit, eſſe euidẽter credibilia. Probatur hac ratione, quando ego, verbi gratia, credo furtum cõmiſſum eſſe à Ioanne, quia alius dicit, vel iudico euidenter, quod illud teſtimonium eſt fide dignum, vel iudico oppoſitum, vel dubito atq; hæſitans ſum, vtrum ſit fidedignũ nec ne. Si dicamus primum, habeo intentum, ſcilicet, quod iudicium clarum de rei credibilitate ſemper neceſſario debet præcedere fidei aſſenſum: ſi verò dicamus ſecũdũ, ſcilicet, quod euidẽter iudico illud teſtimoniũ eſſe fide indignũ, iam manifeſtè ſequitur, quod non poſſum aſſentiri rei ab ipſo teſtificatæ: implicat enim, quod ego alicui rei aſſentiar propter alterius teſtimonium, quod tamen euidenter iudico eſſe fide indignum. Si autem dicamus tertium, ſcilicet, quod dubito de dignitate teſtimonij, etiã manifeſtè ſequitur, quod dubito, vel certe dubitare debeo de re teſtificata, atq; ex conſequenti, non prudenter & firmiter illi adhæream, ſiquidem, vt conſtat, non habeo idoneam cauſam adhærendi, ergo ad hoc vt aliquis firmiter & prudenter alicui rei per fidem adhæreat, ſemper eſt neceſſarium, quod prius iudicet euidenter eam eſſe credibilem.

Ad. 1. arg.

¶ Et ad argumenta in contrarium facta reſpondetur, & primò ad illud de experiẽtia, quod ea fides, quę ſine idonea cauſa habetur, nõ eſt aſſenſus firmus, & certus, ſed opinio quædam vacillãs, & leuis aſſenſus.

Ad. 2. arg.

¶ Ad aliud verò de pueris, & Indis, Dico primo eſſe vehementer timendum, quod illi qui tã cito credunt, non habent veram fidem, ſed fictam, & leuem quandam perſuaſionem, quam cito amittunt, vt rerum probat euentus. Vel ſecundo reſpondetur, concedẽdo quod pueri, atq; Indi, qui tam cito credunt, habent euidentiã de credibilitate articulorũ antecedẽtem ipſam fidem, vel natura, vel tẽpore, nõ quidem ortã per ſe ex teſtimonio monachi externus prædicantis, illud enim non eſt euidenter fidedignum: ſed ortã, partim ex iſto teſtimonio, maximè autem ex lumine interno cælitus infuſo pueris in baptiſmo, & Indis prius natura quam credant.

ARTICVLVS. V.

¶ Vtrùm ea, quæ ſunt fidei, poſſint eſſe ſcita.

AD QVINTVM ſic proceditur. Videtur, quod ea, quæ ſunt fidei, poſsint eſſe ſcita. Ea enim, quæ non ſciuntur, videntur eſſe ignota: quia ignorantia ſcientiæ opponitur: ſed quæ ſunt fidei, non ſunt ignota. Horum enim ignorantia ad infidelitatem pertinet, ſecundũ illud primæ ad Thimotheum primo capite, Ignorãs feci in incredulitate mea: ergo ea, quæ ſunt fidei, poſſunt eſſe ſcita.

Suprà art. 4. et infra. q. 4. art. 1. & 3. q. 7. artic. 3. & 3. d. 24. artic. 2. q. 2. & 3. Et 1. contra. c 8. Et veri. q. 4.

2 ¶ Præterea, Scientia per rationes acquiritur: ſed ad ea, quæ ſunt fidei, à ſacris autoribus rationes inducuntur. ergo ea, quæ ſunt fidei, poſſunt eſſe ſcita.

3 ¶ Præterea, Ea, quæ demõſtratiuè probantur, ſunt ſcita: quia demonſtratio eſt ſyllogiſmus faciens ſcire: ſed quædam, quæ in fide cõtinentur ſunt demõſtratiuè probata à Philoſophis, ſicut Deum eſſe, vt Deum eſſe vnum, & alia huiuſmodi. ergo ea, quæ ſunt fidei, poſſunt eſſe ſcita.

4 ¶ Præterea, Opinio plus diſtat à ſcientia quam fides, cum fides dicatur eſſe media inter opinionẽ & ſciẽtiam: ſed opinio & ſcientia poſſunt eſſe aliquo modo de eodẽ, vt dicit in primo *Poſterior. ergo etiam fides & ſciẽtia.

Text. 4.

¶ SED CONTRA eſt, quòd Gregorius* dicit, quòd apparẽtia non habent fidem, ſed agnitionem. Ea ergo, de quibus eſt fides, agnitionem nõ

Hom. 26. in Euan.

habent: ſed ea, quæ ſunt ſcita, agnitionem habent: ergo de eis, quæ ſunt ſcita, non poteſt eſſe fides.

¶RESPONDEO dicendum, quòd omnis ſcientia habetur per aliqua principia per ſe nota, & per conſequens viſa: & ideo oportet quæcunq; ſunt ſcita, aliquo modo eſſe viſa. Non autem eſt poſsibile, quòd idem ab eodem ſit viſum & creditum: ſicut ſuprà dictũ eſt.* *Art. præc.* Vnde etiam impoſsibile eſt, quòd ab eodem idem ſit ſcitum & creditum. Poteſt tamen contingere, vt id, quod eſt viſum vel ſcitum ab vno, ſit creditũ ab alio. Etenim, quæ de Trinitate credimus, nos viſuros ſperam*: ſecũdum illud primæ ad Corinthios decimo tertio. Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem: quam quidem viſionem iã Angeli habent. Vnde quòd nos credimus, illi vident. Et ſic ſimiliter poteſt contingere, vt id, quod eſt viſum, vel ſcitum ab vno homine etiam in ſtatu viæ, ſit ab alio creditum, qui hoc demonſtratiuè non nouit. Id tamẽ quod cõmuniter omnibus proponitur hominibus vt credẽdum, eſt communiter non ſcitum. Et iſta ſunt, quæ ſimpliciter fidei ſubſunt: & ideo fides & ſciẽtia non ſunt de eodem.

¶AD PRIMVM ergo dicẽdum, quòd infideles eorum quæ ſunt fidei, ignorantiam habent: quia nec vident, nec ſciunt ea in ſeipſis, vt cognoſcant ea eſſe credibilia. Sed per hunc modum fideles habent eorum notitiã non quaſi demonſtratiuè ſed in quantum per lumen fidei videntur eſſe credenda, vt dictum eſt*. *Art. præc. ad.2.&.3.*

¶Ad ſecundum dicendum, quòd rationes, quæ inducũtur à ſanctis ad probandum ea quæ ſunt fidei, nõ ſunt demonſtratiuæ, ſed perſuaſiones quædã manifeſtantes non eſſe impoſsibile qđ in fide proponitur: vel procedunt ex principijs fidei, ſcilicet, ex autoritatibus ſacræ ſcripturæ, ſicut dicit Dionyſius, ſecundo capite de Diuinis nominibus. Ex his autem principijs, ita probatur aliquid apud fideles, ſicut etiam ex principijs naturaliter notis probatur aliquid apud omnes. Vnde etiam Theologia ſcientia eſt, vt in principio operis dictum eſt.* *p.p.q.1.arti.2.*

¶Ad tertium dicẽdum, quòd ea, quæ demonſtratiuè probari poſſunt, inter credẽda numerantur: nõ quia de ipſis ſimpliciter ſit fides apud omnes, ſed quia præexigũtur ad ea, quę ſunt fidei, & oportet ea ſaltem per fidem præſupponi ab his, qui eorum demonſtrationem non habent.

¶AD quartum dicendum, quòd ſicut Philoſohus ibidem dicit,* *Libr.1.poſt. tex.44.* à diuerſis hominibus de eodem omnino poteſt haberi ſcientia & opinio: ſicut & ſupra dictum* *†Art. præced.* eſt de ſcientia, & fide, ſed ab vno, & eodem poteſt haberi fides, & ſcientia de eodem ſecundum quid, ſcilicèt, de ſubiecto, ſed nõ ſecundũ idem. Poteſt enim eſſe, quòd de vna, & eadẽ re aliquis aliquid ſciat, & aliquid aliud opinetur. Et ſimiliter de Deo poteſt aliquis demonſtratiuè ſcire, quòd ſit vnus, & credere, quòd ſit trinus. Sed de eodem, ſecũdum idẽ non poteſt eſſe ſimul in vno homine ſcientia, nec cum opinione, nec cum fide: alia tamẽ, & alia ratione. Scientia enim cum opinione ſimul eſſe nõ poteſt ſimpliciter de eodem: quia de ratione ſciẽtiæ eſt, quòd id, quod ſcitur, exiſtimetur eſſe impoſsibile aliter ſe habere. De ratione autem opinionis eſt, quòd id, quod eſt opinatum, exiſtimetur poſsibile aliter ſe habere. Sed id, quod fide tenetur, propter fidei certitudinem exiſtimatur etiam impoſsibile aliter ſe habere: ſed ea ratione non poteſt ſimul idem, & ſecundum idem eſſe ſcitum, & creditum: quia ſcitum eſt viſum, & creditum eſt non viſum, vt dictum eſt.* *In cor. ar. & art. præc.*

SVMMA TEXTVS.

PRima concluſio. De vna & eadem propoſitione, nõ poteſt eſſe ſimul fides & ſcientia in vno eodemq; ſubiecto. Probatur illud, quod eſt ſcitũ, eſt aliquo modo viſum: ſed de rebus viſis fides eſſe nõ poteſt, ergo nec de ſcitis: conſequẽtia cum minori eſt nota, & maior probatur, id quod eſt ſcitum, habetur ex principijs per ſe notis, ergo eſt aliquo modo viſum.

¶ Secũda cõcluſio, In diuerſis ſubiectis, bene poteſt eſſe fides & ſcientia de vna & eadẽ propoſitione. Probatur primò, nam ea, quæ à nobis de Trinitate creduntur, videntur in patria à beatis, ergo idem poteſt eſſe creditũ, & ſcitum in diuerſis ſubiectis. Secundò, in via id quod vnus credit, ſcilicet, Deum eſſe, alius poteſt cognoſcere demonſtratiuè per ſcientiam, ergo.

¶ Tertia cõcluſio, Ea quæ ſimpliciter pertinẽt ad fidẽ, qualia ſunt ſupernaturalia, nõ poſſunt in hac vita eſſe ſcita. Probatur, quia non poſſunt demonſtratiuè cognoſci.

EXPOSITIO ARTICVLI.

Dubium. CIrca iſtũ articulũ eſt difficultas, vtrũ de vna & eadem propoſitione poſſit eſſe ſimul fides, & ſcientia, in vno & eodẽ ſubiecto. Ad cuius intelligẽtiam eſt aduertendum, quod præſens quæſtio poteſt habere triplicẽ ſenſum, primus eſt, vtrum habitus fidei, & habitus ſciẽtiæ, poſſint eſſe ſimul. *Primus ſenſus quæſtionis.* Et in hac re nulla eſt difficultas, certum eſt enim quod philoſophus Chriſtianus habet habitũ ſcientificum circa multa de Deo, ad quæ etiam habitus fidei inclinat: & ſic ſimul habet habitũ ſciẽtiæ, & habitum fidei reſpectu eiuſdẽ propoſitionis.

Secũdus ſenſus. ¶ Secũdus ſenſus eſt, vtrum habitus fidei, & habitus ſcientiæ inclinent ad vnum & eundem aſſenſum. Et in hoc etiam eſt certum, quod pars affirmatiua eſt vera: videmus enim in philoſopho Chriſtiano habẽte demonſtrationem de iſta propoſitione, Deus eſt, quod tam habitus ſcientiæ, quam habitus fidei: inclinat ad aſſenſum illius atq; ex conſequenti, quod habet aſſenſum ortum, tam ab habitu fidei, quam ab habitu ſciẽtiæ: qui quidem aſſenſus, in quãtum eſt à ſciẽtia, habet quod ſit certus & clarus; in quãtum autem eſt à fide, habet quod ſit certiſsimus, & magis firmus quã aſſenſus ſciẽtificus. Itaq; quemadmodum aqua Soli expoſita, quæ etiam habet ignem ſuppoſitũ, à Sole tãtũ habet quod ſit clara, quod verò ſit calida habet non ſolum à Sole, ſed etiã ab igne ſuppoſito: ſic etiam, aſſenſus huius propoſitionis, Deus eſt, in philoſopho Chriſtiano, quod ſit clarus habet à ſciẽtia, quod verò ſit certus habet non ſolum à ſciẽtia, ſed etiã à fide, quæ maiorẽ illi præſtat certitudinẽ, quã ſcientia.

Tertius ſenſus. ¶ Tertius ſenſus eſt, vtrum poſsit quis de eadẽ propoſitione ſimul habere duos aſſenſus, vnũ qui ſit fidei, alterum qui ſit ſcientiæ id eſt, vtrum poſsit per fidem credere id, quod euidẽter cognoſcit per demõſtrationem. Et pro parte affirmatiua eſt argumẽtum: id poteſt eſſe ſcitũ, quod neceſſaria ratione poteſt probari, ſed ea, quæ creduntur, poſſunt probari neceſſaria ratione, ergo & poſſunt eſſe ſcita: cõſequentia cũ maiori eſt nota, & minor probatur ex Ricardo de ſancto Victore, qui dicit ad omnia, quæ credere oportet, non deeſſe rationem, non ſolũ probabilem, ſed neceſſariã. *Primũ argumentum.*

Secũdum argumentum. ¶ Secundo ſic argumentor, certius & efficatius eſt Dei teſtimoniũ, quam hominis quantumcũq; ſcientis; ſed de iis, quæ procedunt ex ſuppoſitione teſtimonij alicuius hominis, dicimur habere ſcientiam, vt patet in ſcientijs ſubalternatis, ergo & à fortiori de iis, de quibus habemus fidem, dicemur habere ſcientiam: ſiquidem procedũt ex teſtimonio diuino. Et confirmatur, Theologia noſtra eſt vera ſcientia ſubalternata, vt docet D. Thom. 1. p. q. 1. art. 2. ſed omnia, de quibus habemus fidem, ſciuntur per Theologiam, ergo de eiſdem poterit eſſe fides, & ſcientia.

Vltimum argumentum. ¶ Vltimò, lumen gratiæ diuinitus infuſum efficatius eſt, quam lumẽ naturæ, ſed ea, quæ manifeſtantur lumine naturali, dicũtur ſcita, & non ſolum credita, ergo à fortiori, & ea, quæ manifeſtantur lumine fidei, dicentur ſcita, & non ſolum credita, atq; ex conſequenti de eadem propoſitione dicetur eſſe fides & ſcientia.

De eadẽ propoſitione non poteſt eſſe fides & ſciẽtia. ¶ His tamen non obſtantibus, dico eſſe impoſsibile, quod quis ſimul habeat actũ fidei, & actũ ſcientiæ de vna & eadem propoſitione. Ita affirmat D. Tho. in hoc arti. cuius ſentẽtiam cõmuniter tenẽt Doct. cũ Magiſtro in 3. d. 24. Et ratio eſt manifeſta: nã fides, & ſciẽtia ſe habet ſicut lumen perfectũ & imperfectũ in ordine ad ſubiectũ: & ſciẽtia illuſtrat intellectũ perfectè: fides verò imperfectè: ſed implicat cõtradictionẽ, quod reſpectu eiuſdẽ, intellectus ſit perfectè, & imperfectè illuſtratus, ergo etiã implicat, quod reſpectu eiuſdẽ propoſitionis,

ſit

ſit fides & ſcientia. Quod intelligendũ eſt de ſcientia perfecta, id eſt, de ſcientia, quæ efficit per ſe euidentiã, qualis nõ eſt noſtra Theologia, vt notat Caietanus in præſenti: & per hoc ſoluũtur plura argumenta, quæ facit Scotus in.3.d.23.q.vnica. Nec ex hoc infertur, ineuidẽtiam eſſe de ratione formali obiecti fidei, ſed tantũ eſt quædã cõditio ſe tenẽs ex parte ſubiecti, vt docet D. Th. 1.2.q.67.art.3.& de veritate.q.14.art. 9.& ratio formalis obiecti fidei eſt veritas prima reuelãs: vt diximus art. primo huius.q.

Ad. 1. arg. ¶ Ad primum argumentum reſpondetur verum eſſe, quod omnia, quæ credũtur, poſſunt probari neceſſarijs rationibus: illæ tamen non ſunt nobis notæ, quanuis ſint notæ Deo, atque beatis: et ſic de illis habemus fidem. *Ad. 2. arg.* ¶ Ad ſecundum reſpondetur, quod potiùs probat noſtram ſententiã: nam quemadmodum ille, qui habet ſcientiam ſubalternatam, non dicitur ſcire ea, quæ ſupponit, ſed tãtum concluſiones, quæ ex principijs ſuppoſitis deducuntur per neceſſariam cõſequentiã: ita etiã fidelis nõ dicetur ſcire articulos fidei, quos tanquã veros ſupponit ex teſtimonio diuino: ſed concluſiones tantũ, quæ ex illis principijs deducũtur, & pertinẽt ad Theologia. Quare de eadem re non erit fides, & ſcientia. ¶ Ad cõfirmationem reſpondetur negando minorem, quia tãtum ſciuntur per Theologiam concluſiones, quæ deducuntur ex principijs fidei per euidentem conſequentia. Vel ſecundo reſpondetur, quidquid ſit de antecedenti, negãdo conſequentiam: nam quando dicimus, quod fides & ſcientia non poſſunt eſſe de eadẽ re, loquimur de ſcientia perfecta, quæ per ſe efficit euidentiam, qualis non eſt Theologia, aut quæuis alia ſcientia ſubalternata, quæ euidentiam non habet, niſi quatenus eius cognitio continuatur cum cognitione ſuperioris ſcientiæ ſubalternãtis. *Ad vltimũ argum.* ¶ Ad vltimũ reſpondetur cõceſſo antecedenti negando conſequentiam: nã quanuis lumen diuinũ ſit efficatiùs quam naturale, adhuc tamen in hac vita non efficit euidentiam eorum, quæ manifeſtat, propterea quod nõ perfectè ſed imperfectè à nobis participatur pro iſto ſtatu: ſecus autẽ erit quando illud perfectè participabimus in patria: vbi in lumine Dei videbimus lumen.

ARTICVLVS. VI.

¶ *Vtrum credibilia ſint per certos articulos diſtinguenda.*

ADSEXTVM ſic proceditur. Videtur, quòd credibilia non ſint per certos articulos diſtinguenda. Eorum enim omnium, quæ in ſacra Scriptura continentur, eſt fides habenda: ſed illa non poſſunt reduci ad aliquẽ certum numerum, propter ſui multitudinem, ergo ſuperfluum videtur articulos fidei diſtinguere. *3.d 25.q.1. art.1.cor. et arti.2.ad.6. & .1.cor.15 c.l.3 princi.*

2 ¶ Præterea, Materialis diſtinctio, cũ in infinitum fieri poſsit, eſt ab arte prætermittẽda: ſed formalis ratio obiecti credibilis eſt vna & indiuiſibilis, vt ſupra dictum eſt*, ſcilicèt, veritas prima: & ſic ſecundum rationem formalem credibilia diſtingui non poſſunt, ergo prætermittenda eſt credibilium materialis diſtinctio per articulos. *Arti. 1. huius.q.*

3 ¶ Præterea, Sicut à quibuſdã dicitur, articulus eſt indiuiſibilis veritas de Deo artans nos ad credendum, ſed credere eſt voluntarium: quia ſicut Auguſt.* dicit, Nullus credit, niſi volens, ergo videtur ꝙ inconuenienter diſtinguatur credibilia per articulos. *Tract.16. in Ioan.*

¶ SED CONTRA eſt, quod Iſidorus dicit, Articulus eſt perceptio diuinæ veritatis tendens in ipſam: ſed perceptio diuinæ veritatis competit nobis, ſecundũ diſtinctionẽ quãdam. Quæ enim in Deo vnũ ſunt, in noſtro intellectu multiplicantur, ergo credibilia debent per articulos diſtingui.

¶ RESPONDEO dicendũ, quòd nomen articuli ex Græco videtur eſſe deriuatum. Arthron enim in Græco quòd in Latino articulus dicitur, ſignificat quandam coaptationem aliquarum partium diſtinctarum: & ideo particulæ corporis ſibi inuicem coaptatæ dicuntur mẽbrorum articuli. Et ſimiliter in Grammatica apud Græcos dicũtur articuli quædam partes orationis coaptatæ alijs dictionibus ad exprimendum eorum genus, numerũ, vel caſum. Et ſimiliter in Rhetorica articuli dicuntur quædam partium coaptationes. Dicit enim Tullius

Ad Heren. aulò ante medium.

in quarto Rhetoricæ,* quòd articulus dicitur cum ſingula verba interuallis diſtinguũtur cæſa oratione, hoc modo, Acrimonia, voce, vultu aduerſarios perterruiſti. Vnde & credibilia fidei Chriſtianæ dicuntur per articulos diſtingui, inquantum in quaſdam partes diuiduntur habentes aliquam coaptationem adinuicem. Eſt autem obiectum fidei aliquid non viſum circa diuina, vt ſuprà dictum * eſt: & ideo vbi occurrit aliquid ſpeciali ratione nõ viſum, ibi eſt ſpecialis articulus. Vbi autem multa, ſecundum eandem rationem ſunt cognita, vel non cognita, ibi non ſunt articuli diſtinguendi. Sicut aliam dificultatem habet ad videndũ, quòd Deus ſit paſſus, & aliã quòd mortuus reſurrexerit. Et ideo diſtinguitur articulus reſurrectionis ab articulo paſsionis. Sed ꝙ ſit paſſus, mortuus & ſepultus, vnam & eandem difficultatẽ habent: ita quòd vno ſuſcepto, non eſt difficile alia ſuſcipere: & propter hoc omnia hæc pertinent ad vnũ articulũ.

Art. 4. huius q.

¶ AD PRIMVM ergo dicendũ, quòd aliqua ſunt credibilia, de quibus eſt fides ſecundum ſe: aliqua verò ſunt credibilia, de quibus nõ eſt fides ſecundum ſe, ſed ſolum in ordine ad alia: ſicut etiam in alijs ſcientijs quædã proponũtur vt per ſe intenta, & quædã ad manifeſtationem aliorum. Quia verò fides principaliter eſt de ijs, quæ videnda ſperamus in patria, ſecũdum illud Hæbræorũ vndecimo, Fides eſt ſubſtantia ſperandarũ rerum, ideo per ſe ad fidem pertinent illa, quæ directè nos ordinant ad vitã æternã, ſicut ſunt tres perſonæ omnipotẽtis Dei, myſteriũ Incarnationis Chriſti, & alia huiuſ modi. Et ſecundũ iſta diſtinguũtur articuli fidei. Quædam verò proponũtur in ſacra Scriptura, vt credẽda, nõ quaſi principaliter intenta, ſed ad prædictorum manifeſtationẽ: ſicut quod Abrahã habuit duos filios, quòd ad tactum oſsiũ Eliſæi ſuſcitatus eſt mortuus, & alia huiuſmodi, quæ narrãtur in ſacra Scriptura, in ordine ad manifeſtationem diuinæ Maieſtatis, vel incarnationis Chriſti: & ſecundum talia nõ oportet articulos diſtinguere.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd ratio formalis obiecti fidei poteſt accipi dupliciter. Vno modo ex parte ipſius rei creditæ: ſic ratio formalis omniũ credibilium eſt vna, ſcilicet, veritas prima, & ex hac parte articuli non diſtinguuntur. Alio modo poteſt accipi ratio formalis credibilium ex parte noſtri: & ſic ratio formalis credibilis eſt, vt ſit non viſum: & ex hac parte articuli fidei diſtinguũtur, vt viſum eſt.* *In cor. art.*

¶ Ad tertiũ dicendum, quòd illa diffinitio datur de articulo magis ſecundum quãdam ethymologiam nominis, prout habet deriuationem Latinã, quam ſecundum eius veram ſignificationem, prout à Græco deriuatur: vnde non eſt magni ponderis. Poteſt tamen ſic dici, quòd licèt ad credendum neceſsitate coactionis nullus arctetur, cum credere ſit voluntarium: arctatur tamẽ neceſsitate finis, quia accedentẽ ad Deũm oportet credere: & ſine fide impoſsibile eſt placere Deo, vt Apoſtolus dicit ad Hebr. 11.

EXPLICATIO ARTICVLI.

CONCLVSIO eſt affirmatiua. Pro intelligentia huius articuli eſt aduertendum, varias fuiſſe ſententias de ſignificatione iſtius vocis, articulus, & de eius deriuatiõe. Quidã enim dicũt, quod deriuatur ab arctando, & quod dicitur articulus, quaſi arctans hominem ad credendum. Ita tenet Gabriel in. 3. diſt. 24. q. 1. dub. vltim. & D. Tho. in. 3. d. 25. q. 1. art. 1. quæſtiuncula ſecunda. Cuius etiam acceptionis mentionem facit in hoc articulo ad tertium. Ex quo infert Gabriel, vniuerſas veritates quibus per fidem aſſentimur, eſſe appellandas fidei articulos: propterea quod ad eas omnes credendas per fidem arctamur, vt conſtat. Cæterùm hæc deductio communiter reijcitur ab omnibus doctoribus tanquam Barbara, & eſt magis Barbarum corollariũ, quod ex ea deducit Gabriel. Nã *Sentẽtia Gabrielis.*

cum

cum ex vniuerſis veritatibus, quæ ad fidē pertinent, per paucæ appellentur articuli apud Theologos, fieri nō poterit, vt oēs veritates ad fidem pertinentes articuli dicantur.

Sententia D. Thom. Quocirca D. Tho. hic aliter procedit: dicit enim quod hæc vox, articulus, deriuatur à voce Græca, *Arthros*, quæ ſignificat quandam coaptationē partium diſtinctarum. Quidquid tamē de hoc ſit, dico quod hæc vox, articulus, proprius videtur deriuari à voce Latina, artus, quæ ſignificat nodum, qui in corpore animalis ex duorum oſsium extremitatibus cocūtibus reſultat, & ita appellatur ab arctandis, id eſt, continendis & colligandis oſsibus. Eſtq; articulus, ſecūdum iſtam deductionē, nomen diminutiuum ſimiliter ſignificans iuncturā, ſeu nodū, quo membra ipſa ligantur: à qua ſignificatione poſtea per metaphorā, tranſlatum eſt nomen ad plures alias res ſignificandas. Appellamus enim ſarmētorum articulos, eos nodos, quibus partes cōiunguntur: & temporis articulos, ea momēta, quibus tempora diſtinguūtur: & in eadem ſignificatione dicūtur etiam fidei articuli, illæ propoſitiones, quibus tanquam nodis reliquæ ad fidem pertinentes continentur

Diffinitio articuli. & colligantur. Vnde articulum, ſecundum iſtam ſignificationem, diffinire poterimus ꝙ ſit, propoſitio Catholica, & veluti principium in materia fidei, omnibus ad credēdum explicitè propoſita, continensq; peculiarem difficultatem vt credatur.

Primum corollarium. ¶ Ex dictis infero primò, quod conuenientiſsimè credenda, fuerūt diſtincta per articulos, quibus, veluti in quibuſdā principijs, reliqua omnia continerentur.

Secūdum Corollarium. ¶ Secundò infero, tantum eſſe ponendum nouum articulū, vbi eſt ſpecialis ratio nōviſi, ineſtq; noua difficultas ad credendū. Quare reſpectu horum, Deus eſt mortuus, paſſus, & ſepultus, vnicus tantum ponitur articulus, quia vnicam & eandem continent difficultatem: & ſuſcepto vno, nō eſt difficilè alia ſuſcipere: cæterū reſpectu horum, Deus eſt mortuus, & reſurrexit, ponuntur duo articuli, quia quodlibet illorū nouam cōtinet difficultatem. De hac re videndus eſt Durandus, in 3. d. 25. q. 2. & Marſ. in tertio, quæſt. 14. artic. 2.

Nota. ¶ Circa id quod dicit D. Tho. in hoc articulo, ſcilicet, obiectū fidei eſt non viſum, aduertēdum eſt, quod non loquitur de ratione formali obiecti, ſed de conditione ſe tenente ex parte ſubiecti, quæ eſt obſcuritas: ratio autem formalis eſt veritas prima, vt diximus articulo primo, huius quæſtionis. Et quia diſtinctio articulorū, ſumitur non ex parte rei creditæ, ſed ex parte ſubiecti, idcirco ratio formalis diſtinctiua articulorū aſsignatur, non veritas prima, ſed non viſum, vt optimē explicat Caietanus in ſolutione ad ſecundum.

ARTICVLVS. VII.

¶ *Vtrum articuli fidei, ſecundum ſucceſsionem temporum, creuerint.*

AD SEPTIMVM ſic procedi tur. Videtur quòd articuli fidei non creuerint, ſecundum temporum ſucceſsionem: quia, vt Apoſtolus dicit ad Hebræos vndecimo. Fides eſt ſubſtātia ſperandarum rerum: ſed omni tempore ſunt eadem ſperanda, ergo omni tempore ſunt eadem credenda. *Infrà. q. 174 art. 6. co: Et 3. d. 25. q. 2. ar. 2. q. 1. et 1. Cor. 15. col. 3. princi.*

2 ¶ Præterea, In ſcientijs humanitus ordinatis per ſucceſsionem temporū augmentum factum eſt propter defectum cognitionis in primis, qui ſcientias inuenerunt: vt patet per Philoſophum in ſecūdo Metaphy.* ſed doctrina fidei nō eſt inuenta humanitus, ſed tradita à Deo. Dei enim donum eſt: vt dicitur Epheſiorū ſecūdo. Cum ergo in Deum nullus defectus ſcientiæ cadat, videtur quòd à principio cognitio credibilium fuerit perfecta; & quòd non creuerit ſecundum ſucceſsionem temporum. *Lib. 2. tex. 1. & 2.*

3 ¶ Præterea, Operatio gratiæ nō minus ordinate procedit, quàm operatio naturæ: ſed natura ſemper initium ſumit à perfectis, vt Boëtius dicit in libro de *Conſólatione. Ergo etiam videtur quòd operatio gratiæ à perfectis initiū ſumpſerit: ita quòd illi qui primo tradiderunt fidem, perfectiſsimè eam cognouerunt. *Lib. 3. Proſa 10.*

4 ¶ Præterea, Sicut per Apoſtolos ad nos fides Chriſti peruenit: ita etiam in veteri teſtamēto per priores Patres ad poſteriores deuenit cognitio fidei: ſecūdū illud Deuter. 32. Interroga patrē tuum, & annuntiabit tibi: ſed Apoſtoli pleniſ-

pleniſsimè fuerunt inſtructi de myſte
riis: acceperũt enim ſicut tẽpore priùs,
ita & cæteris abundantiùs. vt dicit glo.
interlin. ſuper illud Romanorũ * octauo, Nos
ipſi primitias ſpiritus habentes. Ergo
videtur, quòd cognitio credibilium
nõ creuerit per tẽporum ſucceſsionẽ.

¶ SED CONTRA eſt, ꝙ
Homil. 6. in Ezech. Greg. * dicit, quòd ſecũdum incremẽ
ta temporum creuit ſciẽtia ſanctorũ
Patrum: & quãto viciniores aduentui
Saluatoris fuerunt, tanto Sacramenta
ſalutis pleniùs perceperunt.

¶ RESPONDEO dicendũ,
quòd ita ſe habent in doctrina fidei ar-
ticuli fidei, ſicut principia per ſe nota
in doctrina quæ per rationem natura-
lem habetur: in quibus principijs ordo
quidam inuenitur, vt quædam in alijs
implicitè contineantur: ſicut omnia
principia reducuntur ad hoc, ſicut ad
primũ, Impoſsibile eſt ſimul affirma-
At ex 9. per multos textus. re & negare, vt patet per Philoſophũ *
in. 4. Meta. Et ſimiliter omnes articuli
implicitè continentur in aliquibus pri
mis credibilibus, ſcilicèt, vt credatur
Deus eſſe, & prouidentiam habere cir
ca hominum ſalutem: ſecũdum illud
ad Hebræos vndecimo, Accedentem
ad Deum oportet credere, quia eſt, &
quòd inquirẽtibus ſe remunerator ſit.
In eſſe enim diuino includuntur om-
nia, quæ credimus in Deo æternaliter
exiſtere, in quibus noſtra beatitudo
exiſtit. In fide autem prouidentiæ
includuntur omnia, quæ temporali-
ter à Deo diſpẽſantur ad hominnm ſa
lutem, quæ ſunt via in beatitudinem.
Et per hunc etiam modum aliorum
ſubſequentium articulorum, quidam
in alijs continentur, ſicut in fide rede-
mptionis humanæ implicitè cõtinen-
tur, & incarnatio Chriſti, & eius paſ-
ſio, & omnia huiuſmodi. Sic ergo dicẽ
dum eſt, quod quantum ad ſubſtantiã
articulorũ fidei nõ eſt factum eorum
augmentum, per temporum ſucceſ-
ſionem: quia quæcũq; poſteriores cre
diderunt, cõtinebãtur in fide præcedẽ
tium Patrũ, licèt implicitè. Sed quan-
tum ad explicationẽ creuit numerus
articulorum: quia quædam explicitè
cognita ſunt à poſterioribus, quæ à pri
oribus non cognoſcebantur explicitè.
Vnde Dominus Moyſi dicit Exod. 6.
Ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac,
Deus Iacob: & nomẽ meum, Adonai,
non indicaui eis. Et Dauid dicit, Super
ſenes intellexi. Et Apoſtolus dicit ad
Epheſ. 3. In alijs generationibus non
eſt agnitum myſterium Chriſti, ſicut
nunc reuelatum eſt ſanctis Apoſtolis
eius, & Prophetis.

¶ AD PRIMVM ergo dicen-
dum, ꝙ ſemper fuerũt eadem ſperãda
apud homines à Chriſto: quia tamen
ad hæc ſperanda homines, non perue-
nerunt, niſi per Chriſtũ, quãto à Chri-
ſto fuerunt remotiores, ſecũdum tem
pus, tanto à conſecutione ſperandorũ
longinquiores. Vnde Apoſtolus dicit
ad Heb. 11. Iuxta ſidem defuncti ſunt
omnes iſti non acceptis repromiſsio-
nibus, ſed à lõgè eas reſpiciẽtes. Quan
to autem aliquid à longinquioribus vi
detur, tanto minus diſtinctè videtur:
& ideo bona ſperanda diſtinctius co-
gnouerunt, qui fuerunt aduẽtui Chri-
ſti vicini.

¶ Ad ſecundum dicẽdum, ꝙ profe
ctus cognitionis dupliciter contingit.
Vno modo ex parte docẽtis, qui in co
gnitione proficit, ſiue vnus, ſiue plu-
res per tẽporum ſucceſsionem: & iſta
eſt ratio augmenti in ſcientijs per ratio
nem humanitus inuentis. Alio modo
ex parte addiſcẽtis, ſicut magiſter, qui
nouit totam artem, non ſtatim à prin-
cipio tradit eã diſcipulo, quia capere
non poſſet: ſed paulatim cõdeſcendẽs
eius capacitati: & hac ratione profece-
runt homines in cognitione fidei per
temporum ſucceſsionem. Vnde Apo-
ſtolus ad Galatas. 3. comparat ſtatum
veteris teſtamenti, pueritiæ.

¶ Ad tertiũ dicendum, ꝙ ad genera-
tionem

tioné naturalem duæ cauſæ præexigũ tur,ſcilicet,agens & materia. Secundũ ergo ordinem cauſæ agentis,naturaliter prius eſt quod eſt perfectius: & ſic natura à perfectis ſumit exordiũ, quia imperfecta nõ ducuntur ad perfectionem niſi per aliqua perfecta præexiſtẽtia: ſecundũ vero ordinem cauſæ materialis prius eſt.quod eſt imperfectius & ſecundũ hoc natura procedit ab imperfecto ad perfectũ. In manifeſtatione autẽ fidei Deus eſt ſicut agens, qui habet perfectam ſcientiam ab æterno: homo autẽ eſt ſicut materia recipiens influxum Dei agẽtis:& ideo oportuit, quòd ab imperfectis ad perfectũ procederet cognitio fidei in hominibus. Et licet in hominibus quidã ſe habuerint per modũ cauſæ agentis,quia fuerũt fidei doctores,tamen manifeſtatio ſpiritus datur talibus ad vtilitatẽ communem, vt dicitur primæ ad Corint. duodecimo. Et ideo tantum dabatur Patribus,qui erãt inſtitutores fidei, de cognitione fidei, quantum oportebat pro tẽpore illo populo tradi, vel nude, vel in figura.

¶ Ad quartũ dicendum, ꝙ vltima cõſummatio gratiæ facta eſt per Chriſtũ vnde & tẽpus eius dicitur tempus plenitudinis,ad Gal.4. Et ideo illi,qui fuerũt propinquiores Chriſto,vel ante,ſicut Ioãnes Baptiſta,vel poſt,ſicut Apoſtoli, plenius myſteria fidei cognouerũt: quia & circa ſtatum hominis hoc videmus,quòd perfectio eſt in iuuentute: & tãto habet homo perfectiorẽ ſtatũ vel ante,vel poſt, quãto eſt iuuẽtuti propinquior.

SVMMA TEXTVS.

Concluſio,Quãuis articuli fidei, quantum ad ſubſtantiam,non creuerint tẽporum ſucceſsione,creuerunt tamen quantum ad explicationẽ. Singulas partes probat D.Tho. & primo,quod non creuerint quantum ad ſubſtãtiam: nam principia in materia naturali taliter ſe habẽt,quod quãuis ſint numero multa,omnia tamen reducuntur ad vnum, in quo alia tãquam virtute cõtinentur:ex quo fit, vt ipſa principia naturalia,quãtum ad ſubſtantiam, creſcere non potuerint temporum ſucceſsione:ſed articuli, in doctrina fidei,ſe habẽt tanquã prima principia, ergo quãuis ſint numero multi, omnes tamen reducẽtur ad vnũ,vel ad duos, qui erunt primò credibiles, & in quibus alij continebũtur: atq; ex cõſequẽti, quantum ad ſubſtãtiam, creſcere non poterunt tẽporum ſucceſsione. Si quis autem quærat à D.Thom. quinã ſint illi primi articuli,in quibus alij tanquam virtute continentur;reſpõdet quod ſunt,qui aſsignãtur à Paulo ad Hebræ.11.dum dicit, Accedentẽ ad Deũ oportet credere quia eſt,& quia remunerator eſt. &c. Quòd verò articuli creuerint quãtum ad explicationẽ,probatur ex eo,quod quædã credita ſunt explicitè à poſterioribus,quæ à prioribus implicitè cognoſcebãtur. Vnde Exod.6.dixit Dominus ad Moyſen,Ego ſum Deus Abrahã, Deus Iſaac,& Deus Iacob,& nomen meũ Adonai,nõ manifeſtaui eis,&c. & Dauid Pſal.118.Super ſenes intellexi,&c.

EXPLICATIO ARTICVLI.

De his concluſionibus vidẽdus eſt D. Tho.de veritate.q.14.art. vlti.& Caſtro lib.1.de hæreſibus.c.2.vbi dicit, quod Eccleſia ea de cauſa in Canticis cap.6.comparatur auroræ,quia ſicut aurora paulatim atq; ſenſim,pulſis tenebris,fit magis ac magis illuſtris, ita etiam Eccleſia per temporis ſucceſsionem, in ſua doctrina fuit facta magis ac magis illuſtris: atq; ex cõſequenti,articuli,quãtum ad explicationem,creuerunt.

¶ Sed dubium eſt, vtrùm Eccleſia, quæ nunc eſt,plura credat explicitè,quam credidit Eccleſia, quæ fuit tempore Apoſtolorũ? Et pro parte affirmatiua eſt argumẽtum: nam ea de cauſa facta videntur tot cõcilia,& Pontificũ decreta, vt ea,quæ erant obſcura in fide,& implicitè continebãtur, nobis explicitè traderẽtur, ergo plura nos nunc credimus explicitè, quam Apoſtoli crediderunt. In hoc tamen ſit prima cõcluſio;Apoſtoli,cum in die Penthecoſtes accẽperunt Spiritum ſanctum, non omnia explicitè cognouerunt, ſed poſtea tẽpore ſuccedẽte, fuerũt edocti atq; inſtructi de pluribus alijs rebus ad fidem, & religionem, pertinentibus. Probatur ex Actis Apoſtolorũ.c.10. vbi Petrus apertè fatetur ſe vſq; ad illum diem ignoraſſe,vtrũ gentes eſſent

Dubium.

Argumentum pro parte affirmatiua.

Prima concluſio.

recipiēdæ ad fidē, necne; & quod fuit edoctus de ea re per peculiarē reuelationem.

Secunda conclusio. ¶ Secūda concluſio, Erroneū eſt dicere, quod Apoſtoli non crediderunt explicitè omnia ea, quæ nunc nos explicitè credere tenemur. *Ioan. 6.* Probatur ex Ioāne. c. 6. vbi Chriſtus dixit Apoſtolis, Cum venerit paracletus docebit vos omnē veritatē, ergo Apoſtoli nihil eorū, quæ credenda erant, ignorabāt. *Ioan. 15.* Item Ioānis. 15. dixit Chriſtus, Vos dixi amicos, quia quæcūq; audiui à Patre, nota feci vobis: *D. Paulus.* & Paul. ad Epheſ. 1. dicit de ſe & alijs Apoſtolis, Secūdum diuitias gratiæ eius, quæ ſuperabundauit in nobis in omni ſapientia, & prudētia, &c. Ex quo loco colligit D. Tho. temerarium eſſe aliquos ſanctos cum Apoſtolis cōparare, in gratia, & gloria, &c. Itē ad Rom. 8. dicitur de Apoſtolis, quòd erāt primitias ſpiritus habentes: ſuper quæ verba dicit D. Tho. ꝙ hoc dixit Paulus, quia ſpiritum ſanctū, ſicut tēpore prius, ita & cæteris abūdātius, Apoſtoli habuerunt. Ex quo fit, vt omnibus alijs ſanctis, quacūq; prærogatiua præfulgeāt, ſiue virginitatis, ſiue doctrinæ, ſiue martyrij, præferendi ſunt, tanquā abundantiùs Spiritū ſanctū habentes, &c. *Ratio.* Tandem ratione probatur concluſio, nam Eccleſia, quæ ſucceſsit Apoſtolis, nullam habuit nouam reuelationem, ſed omnia quæ credit, accipit, vel ex ſacris literis, vel ex traditione Apoſtolorū, ſed Apoſtoli exactiſſimè intelligebant ſcripturas, iuxta illud Lucæ. c. vlti. Aperuit illis ſenſum, vt intelligerēt ſcripturas. & 2. ad Corinth. c. 2. dicit Paulus, Nos ſenſum Chriſti habemus, &c. Ergo Apoſtoli magis explicitè, atq; clariùs quā nos, cognouerunt, quæ nos cognoſcimus. Quare de illis canit Eccleſia, quorū doctrina fulget Eccleſia, vt Sole Luna.

Ad argum. ¶ Et ad argumentum in cōtrarium factum reſpondetur, quod quando dicimus, quod articuli fidei creuerunt quantum ad explicationem, eſt intelligēdum de Eccleſia quæ ſucceſsit Apoſtolis. Quoniā enim multa continebantur in ſcriptis Apoſtolorum obſcura valdè, & quæ vix intelligi poterant, neceſſarium fuit, vt per ſubſequentem Eccleſiam explicarentur. Vide Caiet. circa ſolutionem ad. 3. & 4. argum.

ARTICVLVS VIII.

¶ *Vtrùm articuli fidei conuenienter enumerentur.*

AD OCTAVVM ſic proceditur. Videtur, quòd inconuenienter articuli fidei enumerētur. Ea enim quæ poſſunt ratione demonſtratiua ſciri, non pertinent ad fidem: vt apud homines ſint credibilia, ſicut ſuprà dictum eſt, ſed Deum eſſe vnum poteſt eſſe ſcitum per demōſtrationem. Vnde & Philoſophus hoc, in. 12. Meta. probat, & multi alij Philoſophi ad hoc demonſtrationes induxerunt. Ergo Deum eſſe vnum, non debet poni vnus articulus fidei. *2. d. 25. q. 1. artic. 2. Et opuſ. 3. c. 5. Et opuſ. 5. p. tex. & opuſ. 23. corp. 2. Art. 5. huius q. Text. vlt. & praeed.*

2 ¶ Præterea, Sicut de neceſsitate fidei eſt, quòd credamus Deum omnipotentem: ita etiam, quòd credamus eum omnia ſcientem, & omnibus prouidentem: & circa vtrumque horum aliqui errauerūt, debuit ergo inter articulos fidei fieri mentio de ſapientia, & prouidentia diuina, ſicut & de omnipotentia.

3 ¶ Præterea, Eadem eſt notitia Patris & filij: ſecundum illud Ioan. 14. Qui videt me, videt & Patrem: ergo vnus tantum articulus debet eſſe de Patre & Filio, & eadem ratione de Spiritu ſancto.

4 ¶ Præterea, Perſona Patris non eſt minor, quàm Filij & Spiritusſancti: ſed plures articuli ponuntur circa perſonam Spiritusſancti, & ſimiliter circa perſonam Filij. Ergo plures articuli debent poni circa perſonam Patris.

5 ¶ Præterea, Sicuti perſonæ Patris & perſonæ Spiritus ſancti aliquid appropriatur, ita & perſonæ Filij ſecundum diuinitatem: ſed in articulis fidei ponitur aliquod opus appropriatum Patri, ſcilicet opus creationis, & ſimiliter aliquod opus appropriatum Spiritui ſancto, ſcilicet, ꝙ locutus eſt per Prophetas. Ergo etiam inter articulos fidei debet aliquod opus appropriari Filio ſecundum diuinitatem.

6 ¶ Præterea, Sacramentum Euchariſtiæ habet ſpecialē difficultatē præ mul

multis articulis, ergo de eo debuit poni ſpecialis articulus. Non videtur ergo quod articuli ſufficienter enumerentur.

Diſt.23.ca. qui Epiſco. ¶SED IN CONTRARIVM eſt autoritas Eccleſiæ* ſic enumerantis.

Ar.6.ad.1. ¶RESPONDEO dicendum, quòd ſicut dictum* eſt illa per ſe pertinent ad fidem, quorum viſione in vita æterna perfruemur, & per quæ deducemur ad vitam æternam. Duo autem nobis videnda proponuntur, ſcilicet occultum diuinitatis: cuius viſio nos beatos facit: & myſterium humanitatis Chriſti, per quod in gloriam filiorum Dei acceſſum habemus: vt dicitur ad Roma.5. Vnde dicitur Ioan.17. Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Et ideo prima diſtinctio credibilium eſt, quòd quædam pertinent ad maieſtatem diuinitatis: quædam vèro pertinent ad myſterium humanitatis Chriſti, quod eſt pietatis ſacramentum, vt dicitur 1.ad Timoth.4. Circa maieſtatem autem diuinitatis tria nobis credēda proponuntur, primo quidem vnitas diuinitatis: & ad hoc pertinet primus articulus. Secundò Trinitas perſonarum: & de hoc ſunt tres articuli ſecundum tres perſonas. Tertiò vero proponuntur nobis opera diuinitatis propria, quorum primū pertinet ad eſſe naturæ: ſic proponitur nobis articulus creationis. Secundum vero pertinet ad eſſe gratię: & ſic proponūtur nobis ſub vno articulo omnia pertinentia ad ſanctificationē humanā. Tertium vero pertinet ad eſſe gloriæ: & ſic proponitur nobis alius articulus de Reſurrectione carnis & de vita æterna: & ita ſunt ſeptem articuli ad diuinitatem pertinentes. Similiter etiam circa humanitatem Chiſti ponuntur ſeptem articuli, quorum primus eſt de Incarnatione, ſiue de Conceptione Chriſti. Secundus, de Natiuitate eius ex virgine. Tertius de paſſione eius & morte & ſepultura. Quartus eſt de deſcenſu ad inferos. Quintus eſt de Reſurrectione. Sextus de Aſcenſione. Septimus, de aduentu ad iudicium. Et ſic in vniuerſum ſunt quatuordecim. Quidam tamen diſtinguunt duodecim articulos fidei: ſex pertinentes ad diuinitatem, & ſex pertinentes ad humanitatem. Tres enim articulos trium perſonarum comprehendūt ſub vno, quia eadem eſt cognitio trium perſonarum. Articulum verò de opere glorificationis diſtinguunt in duos, ſcilicet Reſurrectionem carnis, & gloriam animæ. Similiter articulum Conceptionis, & Natiuitatis coniungunt in vnum. Annot.

¶AD PRIMVM ergo dicendum, quòd multa per fidem tenemus de Deo, quæ naturali ratione inueſtigare Philoſophi non potuerunt, putà circa prouidentiam eius & omnipotentiam, & quod ipſe ſolus ſit colendus, quæ omnia continentur ſub articulo vnitatis Dei.

¶ Ad ſecundum dicendum, ꝙ ipſum nomen diuinitatis importat prouiſionem quādam, vt in primo libro* dictū eſt. Potentia autē in habentibus intellectum non operatur, niſi ſecundum voluntatē & cognitionem: & ideo omnipotētia Dei includit quodammodo omnium ſcientiam & prouidentiam, non enim poſſet omnia quæ vellet in iſtis inferioribus agere, niſi ea cognoſceret, & eorum prouidentiā haberet. Quæſt.13.artic.8.

¶ Ad tertium dicendum, ꝙ Patris, & Filij, & Spiritusſancti eſt vna cognitio quantū ad vnitatem eſſentiæ, quæ pertinent ad primum articulum: quantū verò ad diſtinctionem perſonarū, quæ eſt per relationes originis, quodammodo in cognitione Patris includitur cognitio Filij. Non enim eſſet pater ſi filium non haberet: quorum nexus eſt Spiritusſanctus, & quātū ad hoc bene

moti ſunt, qui poſuerunt vnum articulum triũ perſonarum. Sed quia circa ſingulas perſonas ſunt aliqua attendenda, circa quæ contingit eſſe errorem, quantũ ad hoc de tribus perſonis poſſunt poni tres articuli. Arrius enim credidit Patrem omnipotentem & æternum: ſed non credidit Filium coæqualem & cõſubſtantialem Patri; & ideo neceſſarium fuit apponere articulum de perſona Filij ad hoc determinandũ. Et eadem ratione contra Macedoniũ neceſſe fuit ponere articulum tertiũ de perſona Spiritusſancti. Et ſimiliter etiam cõceptio Chriſti & natiuitas: & etiam reſurrectio, & vita æterna ſecundum vnam rationem poſſunt cõprehendi ſub vno articulo, inquantum ad vnum ordinantur, & ſecundum aliam rationem poſſunt diſtingui inquãtum ſeorſum habent ſpeciales difficultates.

¶ Ad quartum dicendum, ꝙ Filio & Spirituiſancto cõuenit mitti ad ſanctificãdam creaturã: circa quod plurima credenda occurrunt: & ideo circa perſonam Filij, & Spiritusſancti plures articuli multiplicantur, quam circa perſonam Patris, quæ nunquam mittitur: vt in primo dictum eſt. *q.13.arti.4.*

¶ Ad quintum dicendum, ꝙ ſanctificatio creaturæ per gratiã, & conſummatio per gloriam fit etiam per donũ charitatis, quod appropriatur Spiritui ſancto, & per donum ſapientiæ quod appropriatur Filio: & ideo vtrunque opus pertinet ad Filium & ad Spiritũ ſanctum per appropriationem ſecundum rationes diuerſas.

¶ Ad ſextum dicendum, ꝙ in ſacramento Euchariſtiæ duo poſſunt cõſiderari: vnum, ſcilicet, quòd ſacramentum eſt: & hoc habet eandem rationẽ cum alijs effectibus gratiæ ſanctificãtis. Aliud eſt, quòd miraculoſe ibi corpus Chriſti continetur: & ſic concluditur ſub omnipotentia, ſicut & omnia alia miracula, quæ omnipotentiæ attribuuntur.

SVMMA TEXTVS.

CONcluſio eſt affirmatiua. Sufficientiã autem articulorũ colligit D. Tho. hac ratione, ea pertinet ad fidẽ, quorũ viſione in patria beatificamur, & quibus ducimur, ad vitã æternam: duo autem ſunt, quorũ viſione in cælis beati efficimur, vnũ pertinet ad eſſentiã diuinitatis, alterũ autẽ ad Chriſti humanitatẽ, iuxta illud, Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolũ verũ Deũ, & quem miſiſti Ieſum Chriſtũ. Ex quo fit, vt credibilia prima ſui diuiſione diſtinguantur, in pertinentia ad maieſtatẽ diuinitatis, & pertinẽtia ad humanitatẽ. Dé diuinitate autẽ tria nobis proponũtur credenda. Primum eſt vnitas ipſius Dei, & ſic ponitur primus articulus de vnitate. Secundùm eſt Trinitas perſonarũ, & ſic ponũtur tres articuli diſtincti, iuxta numerũ ipſarum perſonarũ. Tertiùm autẽ ſunt opera ipſius Dei propria, quorũ primum pertinet ad eſſe naturæ, & ſic ponitur articulus creationis. Secũdũ ad eſſe gratiæ, & ſic ſub alio articulo ponũtur omnia, quæ pertinẽt ad gratiã. Tertiùm autẽ pertinet ad eſſe gloriæ, & ſic ponitur articulus, quòd eſt glorificator De humanitate autem Chriſti ponũtur alij ſeptem articuli, vt clarè patet in litera. &c.

¶ Circa iſtum articulum eſt aduertẽdum, quòd, vt optimè adnotat Caietanus, numerus articulorũ ſumitur per ordinem ad materiam, de qua tractãt, & non per ordinem ad Apoſtolos, qui illos condiderunt: ſiquidem, vt conſtat, per accidens eſt quod articuli ab iſto, vel ab illo, ſint prolati. De ſufficientia autem articulorum, videndus eſt D. Tho. opuſculo. 5. & Gabriel in. 3. d. 25. *Nota.*

ARTICVLVS IX.

¶ *Vtrum conuenienter articuli fidei in ſymbolo ponatur.*

ADNONVM ſic proceditur. Videtur quòd inconueniẽter articuli fidei in ſymbolo ponãtur. Sacra enim ſcriptura eſt regula fidei, cui nec addere, nec ſubtrahere licet. Dicitur enim Deutero. 4. Non addetis ad verbum quod vobis loquor, neque auferetis ab eo, ergo illicitũ fuit aliud ſymbolum cõſtituere, quaſi regulam fidei, poſt Sacram ſcripturam editam. *Quæſtio. 3. d. 25. q. 1. arti. 22. & opuſ. 9 & 6.*

2 ¶ Præterea, Sicut Apoſtolus dicit ad Epheſ.4. Vna eſt fides: ſed ſymbolum eſt profeſsio fidei. Ergo inconuenienter traditur multiplex ſymbolū.

3 ¶ Præterea, Confeſsio fidei, quæ in ſymbolo continetur, pertinet ad omnes fideles: ſed non omnibus fidelibus conuenit credere in Deum: ſed ſolum illis, qui habēt fidem formatam, ergo incōuenienter ſymbolum fidei traditur ſub hac forma verborum, Credo in vnum Deum.

Arti.8.

4 ¶ Præterea, Deſcenſus ad inferos eſt vnus de articulis fidei, ſicut ſupra dictum* eſt: ſed in ſymbolo antiquorum Patrum non fit mentio de deſcēſu ad inferos. Ergo videtur inſufficienter collectum.

Tract.29. in Ioan. à medio. tomo. 9.

5 ¶ Præterea, Sicut Auguſt.* dicit exponēs illud Ioan. 14. Creditis in Deū, & in me credite. Petro aut Paulo credimus: ſed non dicimur credere niſi in Deum. Cū ergo Eccleſia catholica ſit purè aliquod creatum, videtur quòd inconuenienter dicatur. In vnam ſanctā catholicā & apoſtolicā Eccleſiā.

6 ¶ Præterea, ſymbolum ad hoc traditur, vt ſit regula fidei: ſed regula fidei debet omnibus proponi & publicè: quodlibet ergo ſymbolum deberet in miſſa cātari, ſicut ſymbolum Patrū: non videtur ergo eſſe cōueniens editio articulorum fidei in ſymbolo.

¶ SED CONTRA eſt, quòd Eccleſia vniuerſalis nō poteſt errare, quia Spiritu ſancto gubernatur, qui eſt Spiritus veritatis. Hoc enim promiſit Dominus diſcipulis Ioann. 16. dicens, Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem: ſed ſymbolum eſt autoritate vniuerſalis Eccleſiæ editum. Nihil ergo inconueniens in eo continetur.

¶ RESPONDEO dicendū, ꝙ ſicut Apoſtolus dicit ad Hebræ. 11. Accedendentē ad Deum oportet credere: credere autem nō poteſt aliquis, niſi ei veritas, quam credat, proponatur. Et ideo neceſſarium fuit, fidei, veritatem in vnum colligi, vt facilius poſſet omnibus proponi, ne aliquis per ignorantiam fidei à veritate deficeret: & ab huiuſmodi ſententiarum fidei collectione nomē ſymboli eſt acceptū.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd veritas fidei in ſacra Scriptura diffuſè cōtinetur & varijs modis, & in quibuſdam obſcure, ita quòd ad eliciendū fidei veritatem ex ſacra Scriptura, requiritur longum ſtudium & exercitium, ad quod non poſſunt peruenire omnes illi, quibus neceſſarium eſt cognoſcere fidei veritatem: quorū plerique alijs negotijs occupati, ſtudio vacare non poſſunt. & ideo fuit neceſſarium, vt ex ſentētijs ſacræ Scripturæ aliquid manifeſtum ſummariè colligeretur, quod proponeretur omnibus ad credendum: quod quidem nō eſt additū ſacræ Scripturæ, ſed potius ex ſacra Scriptura ſumptum.

¶ Ad ſecundum dicendū, ꝙ in omnibus ſymbolis eadē fidei docetur veritas. Sed ibi oportet populū diligentius inſtrui de fidei veritate, vbi errores inſurgunt, ne fides ſimplicium per hæreticos corrumpatur. Et hæc fuit cauſa quare neceſſe fuit edere plura ſymbola, quæ in nullo alio differunt, niſi ꝙ in vno plenius explicatur, quæ in alio cōtinētur implicitè, ſecūdum quod exigebat hæreticorum inſtantia.

¶ Ad tertium dicendum, ꝙ cōfeſsio fidei traditur in ſymbolo, quaſi ex perſona totius Eccleſiæ, quæ per fidē vnitur: fides autem Eccleſiæ eſt fides formata: talis enim fides inuenitur in omnibus illis, qui ſunt numero & merito de Eccleſia. Et ideo cōfeſsio fidei in ſymbolo traditur, ſecundum quod conuenit fidei formatæ: vt etiam ſiqui fideles fidem formatam non habent, ad hanc formam pertingere ſtudeant.

¶ Ad quartum dicendum, quod de deſcenſu ad inferos nullus error erat exortus apud hæreticos: & ideo non fuit

fuit neceſſarium aliquam explicationem circa hoc fieri, & propter hoc nō reiteratur in ſymbolo patrum, ſed ſupponitur tanquam prædeterminatum in ſymbolo Apoſtolorum: non enim ſymbolum ſequens abolet præcedēs, ſed potius illud exponit, vt dictū eſt.

In ſolutione ad. 2. art. ¶ Ad quintum dicendum, quòd ſi dicatur. In ſanctā Eccleſiam catholicā, hoc eſt intelligendū ſecundum quod fides noſtra refertur ad Spiritū ſanctū qui ſanctificat Eccleſiam, vt ſit ſenſus, Credo in Spiritum ſanctum ſanctificātem Eccleſiam: ſed melius eſt & ſecundum communiorem vſum, vt nō ponatur ibi, In, ſed ſimpliciter dicatur ſanctam Eccleſiam catholicam: ſicut etiam Leo Papa dicit.

¶ Ad ſextum dicendum, quòd quia ſymbolum Patrum eſt declaratiuum ſymboli Apoſtolorum, & etiam fuit cōditum fide iam manifeſtata, & Eccleſia pacem habente: propter hoc publicè in miſſa cantatur, ſymbolum autem Apoſtolorū quod tempore perſecutionis editum fuit, fide nondum publicata, occultè dicitur in Prima & in Completorio quaſi cōtra tenebras errorū præteritorum & futurorum.

SVMMA TEXTVS.

CONCLVSIO affirmatiua. Probatur, nullus poteſt credere neceſſaria ad ſalutem, niſi ſibi exterius proponantur, ſed hæc propoſitio fit in ſymbolo, in quo oēs articuli continentur collecti, ergo.

EXPLICATIO ARTICVLI.

CIRCA iſtum articulum eſt aduertendum, quòd hoc nomen ſymbolū, deductū eſt à verbo Græco, *ſymbolon*, quod interdum collectionem, interdum militiæ teſſeram, ideſt, ſignum quo milites vtūtur, ſignificat: interdum etiam accipitur pro pecunia quam quiſque confert pro ſpectaculis, vt conſtat ex Theophraſtro in libello de notis moralibus. Et ſecundum iſtas ſignificationes rectè regula noſtræ fidei appellatur ſymbolū, vel quia in vnum colligit varias ſententias noſtræ fidei, vel quia eſt quoddā tāquam ſignū, quo cōmuniter *Primum notabile.* omnes Chriſtiani vtūtur, & diſtinguūtur ab infidelibus. Ex quo infertur, perperam Gloſſam ſuper. c. firmiter, de ſumma Trinitate & fide Catholica. & Gabrielē in. 3. d. 25. q. vnica. dixiſſe, quod nomen ſymbolū dicitur à ſyn. quod eſt ſimul & bolus, quod eſt morſus, quia ſinguli Apoſtolorum in ſymbolo ſuam particulam contulerunt: hæc enim ethimologia ridicula eſt, vt eſt videre apud Calepinū, verbo ſymbolum, præterquam quod etiā, vt docet Caietanus art. præcedenti, ſymbolum dicitur nō à collectoribus, ſed à rebus collectis: per accidēs enim eſt, quod res fidei ab vno vel à pluribus fuerint collectæ. *Impugnatur Gloſſa.*

¶ Secundò notandum, quod ſymbolū prudentiſſimè ab Eccleſia fuit inuentum, & excogitatum, propter multas & grauiſſimas cauſas. Prima eſt, vt ſic haberet fideles confeſſionem ſuæ fidei breuiſſimis verbis cōprehenſam, qua vterentur quoneſcunque cōfeſſio fidei eſſet neceſſaria. Secūdò, quia cum inter fideles, quidā ſint perfecti, & alij imperfecti, quib' lacte opus eſt, neceſſarium erat, vt ſymbolum cōderetur, in quo imperfecti haberent doctrinam noſtræ fidei ſimpliciter & breuiter expoſitā, & ad captū illorum accommodatam. De qua re videndus eſt D. Auguſt. in libro de Symbolo ad Cathecumenos. c. 2. *Secūdū notabile.*

¶ Tertiò notādū, quod ſymbola quæ in Eccleſia circūferuntur, ſunt in triplici differentia: nā præter illud, quod vocatur Apoſtolorū, eſt etiā aliud cōpoſitū à ſynodo Nicena cōtra Arrianos, quod poſtea in Cōc. Cōſtantinopo. 1. latius fuit explicatū atq; auctum: & deinde multo magis in ſynodo Epheſina, & deniq; poſtea fuit plenariè expoſitū in multis alijs ſubſequētibus cōcilijs, maximè Toletanis. 1. 2. 4. 5. 6. 8. & 11. vt eſt videre in cap. firmiter, de ſumma Trinitate & fide Catholica; & in Clementina vnica, eodē. tit. ¶ Tertiū ſymbolū eſt Athanaſij; & multiplicata ſunt tot ſymbola in Eccleſia, quia nouis quotidie exorientibus hæreſibus, neceſſariū fuit vt quæ implicitè erant in vno ſymbolo, in alio explicitè inuenirentur. *Tertiū notabile.*

¶ Sed dubiū eſt, vtrū ſymbolū quod nomine Apoſtolorū circūfertur, ab illis fuerit cōfectū? De qua re eſt ſententia quorūdam tenentiū partē negatiuā, idq; probant, nam ſi ſymbolum ab Apoſtolis fuiſſet confectum, procul dubio conſtitueretur inter ſacras ſcripturas ſicut alia, quæ ab Apoſtolis fuerunt *Dubium.* *Argumentum propter negatiua.*

fuerunt edita: ſed nō ponitur, ergo. Dicunt autem quod vocatur ſymbolum Apoſtolorum, quia continet primam fidem, quā Apoſtoli prædicarunt.

Sententia auctoris. ¶ Hoc tamen non obſtante, dico veriùs eſſe quòd ſymbolū Apoſtolorum fuit ab ipſis confectum. Et probatur hæc ſententia ex epiſtola. 1. Clementis Papæ, vbi dicit, Symbolum, quòd Latinè collectio dicitur, Apoſtoli cōdiderunt: et Leo Papa in epiſtola. 2. etiā dicit, Catholici ſymboli breuis & perfecta confeſſio duodecim Apoſtolorum eſt ſignata ſententijs. Et Ruffinus in expoſitione ſymboli, & habetur in. 4. tomo operum D. Hieronymi dicit, Tradunt maiores noſtri Apoſtolos ſymbolū fidei condidiſſe, ne diſcordarent in proponenda fide. Eiuſdem etiam ſententiæ eſt D. Ambroſius in lib. de Spiritu ſancto: & D. Hieronimus in epiſtola ad Pāmachium cōtra errores Ioānis Hieroſolymitani. Et quidē ſi ab alio vel cōcilio, vel ſummo Pontifice, aut ſancto doctore, tale ſymbolum fuiſſet collectū, & nō ab Apoſtolis, proculdubio conſtaret de eius autore, non autem conſtat, ergo dicēdum eſt, q eſt ab Apoſtolis.

Ad argum. ¶ Et ad argumentum in contrarium factum reſpondetur quòd non omnia, quæ fuerunt ordinata ab Apoſtolis, enumerantur inter ſacras ſcripturas: maximè quòd nec eſt de fide, quòd ſymbolū ab ipſis fuerit cōfectum, ſed id habetur ex teſtimonio ſanctorum patrum.

Aliud dub. ¶ Sed quæret aliquis hoc loco, vtrum ſinguli Apoſtoli ſingulas ſententias protulerint ad ſymbolum cōſtituendum, vt vulgo fertur? In qua re D. Tho. in. 3. d. 25. q. 1. art. 5. & Gabriel eadem diſt. partem tenent affirmatiuam. Quam colligere videntur ex Clemente, & Leone, locis citatis: et ex antiqua traditione.

Solutio. Cæterùm, licet hæc ſententia ſit probabilis, non tamen eſt cenſenda minus probabilis ea, quæ aſſerit omnes Apoſtolos ſimul hos articulos ex ſacra ſcriptura collegiſſe, veluti quædā capita, quæ omnibus fidelibus proponerentur credenda, quæ, quia duodecim erant, vt docet D. Thom. artic. 8. duodecim Apoſtolis fuerunt appropriata.

Inſtantia. ¶ Siquis autem quærat, quando huiuſmodi ſymbolum fuerit conſtitutum? dico veroſimile eſſe, quod Apoſtoli profecturi ad prædicandum Euāgelium conſultarunt inter ſe ſe de articulis proponendis, ſicque, inito cōſilio ſymbolum condiderunt, in quo omnes fidei articuli continerentur.

Dubium. ¶ In ſolutione ad quintum tāgitur difficultas, vtrum in ſymbolo ſit dicēdum, Credo ſanctam Eccleſiam Catholicam, vel credo in ſanctam Eccleſiam. Ad quam difficultatem D. Tho. reſpōdet eſſe legendum, credo ſanctam Eccleſiā, ſine præpoſitione, in, quod affirmat D. Cyprianus ea ratione permotus quod præpoſitio, in, denotat finem ipſius fidei, qui ſolus Deus eſt, & non Eccleſia: vnde dicit, Hac præpoſitione, in, ſecernitur creator à creaturis, & diuina ab humanis ſeparamus: & cū dicimus, credo ſanctā Eccleſiam, ſignificamus nos credere illam eſſe vnam tam in doctrina, quam in Sacramētorū adminiſtratione, & eſſe ſub vno capite Chriſto eiuſq; in terris vicē gerente Summo Pōtifice. Dico tamen, quod etiam poſſumus dicere, credo in ſanctā Eccleſiam. Quod & affirmat D. Aug. in epiſtola ad Neophytos: & refertur de cōſecratione. d. 4. c. prima. Ità etiam legunt D. Anſelmus, & Albertus Magnus, in expoſitione ſymboli. Et tūc ſenſus ꝓpoſitionis eſt, quod credimus in Spiritum ſanctum, ſecūdum operationem ſibi propriam, quæ eſt ſanctificare Eccleſiam, & ſuis donis eam illuſtrem, ac claram reddere.

ARTICVLVS. X.

¶ *Vtrum ad Summum Pontificem pertineat fidei ſymbolum ordinare.*

AD DECIMVM ſic proceditur. Videtur quòd nō pertinaat ad ſummū Pontificem fidei ſymbolū ordinare. Noua enim editio ſymboli neceſſaria eſt propter explicationem articulorum fidei, ſicut dictum eſt: ſed in veteri teſtamento articuli fidei magis ac magis explicabantur ſecūdum tēporum ſucceſsionem: propter hoc, quod veritas fidei magis manifeſtabatur ſecūdum maiorem propinquitatem ad Chriſtum, vt ſuprà dictum eſt. Ceſſante ergo tali cauſa, in noua lege non debet fieri maior ac maior explicatio articulorum fidei. Ergo non videtur ad autoritatem ſummi Pontificis pertinere noua editio ſymboli. *Infra. q. 11. ar. 2. & 3. Et poſ. q. 10. ar. 4. ad. 13.* *Art. præce.* *Art. 1. ar. 7. ad. 1.*

2 ¶Præ-

2 ¶ Præterea, Illud, quod eſt ſub anathemate interdictū ab vniuerſali Eccleſia, non ſubeſt poteſtati hominis alicuius: ſed noua ſymboli editio inter dicta eſt ſub anathemate autoritate vniuerſalis Eccleſiæ. Dicitur enim in geſtis primæ Epheſinæ ſynodi, quod prælecto ſymbolo Nicenæ ſynodi, decreuit ſancta ſynodus, aliam fidem nulli licere proferre, vel conſcribere, vel componere præter diffinitum à ſanctis Patribus, qui in Nicena congregati ſunt cum Spiritu ſancto: & ſubditur anathematis pœna: & idem etiā reiteratur in geſtis Chalcedonēſis ſynodi. ergo videtur quod non pertineat ad autoritatem ſummi Pontificis noua editio ſymboli.

In conc. Chalced. actio. 4.

3 ¶ Præterea, Athanaſius nō fuit ſummus Pontifex: ſed Alexandrinus patriarcha, & tamen ſymbolum conſtituit, quod in Eccleſia cātatur, ergo nō magis videtur pertinere editio ſymboli ad ſummū Pontificem, quā ad alios.

¶ SED CONTRA eſt, quod editio ſymboli facta eſt in ſynodo generali, ſed huiuſmodi ſynodus autoritate ſolius ſummi Pontificis poteſt cōgregari: vt habetur in Decret. diſti. 17. ergo editio ſymboli ad autoritatē ſummi Pontificis pertinet.

Diſtin. 17. in decret. cap. Necliceat. & c. multis, & in trión. prioribus. c. eiuſdem diſt.

¶ RESPONDEO dicēdum, quòd ſicut ſupra dictum eſt, noua editio ſymboli neceſſaria eſt ad vitādum inſurgētes errores. Ad illius ergo autoritatē pertinet editio ſymboli, ad cuius autoritatem pertinet finaliter determinare ea quæ ſunt fidei, vt ab omnibus inconcuſſa fide teneātur. Hoc autem pertinet ad autoritatem ſummi Pontificis, ad quem maiores & difficiliores Eccleſiæ quæſtiones referūtur, vt dicitur in Decret. diſt. 43. Vnde & Dominus Lucæ. 22. Petro dixit quem ſummum Pontificem conſtituit. Ego pro te rogaui, Petre, vt non deficiat fides tua: & tu aliquādo conuerſus confirma fratres tuos. Et huius ratio eſt, quia vna fides debet eſſe totius Eccleſiæ: ſecundum illud. 1. ad Corinth. 1. Id ipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata. Quod ſeruari nō poſſet, niſi quæſtio fidei de fide exorta determinetur per eum, qui toti Eccleſiæ præeſt: vt ſic eius ſententia à tota Eccleſia firmiter teneatur. & ideo ad ſolā autoritatem ſummi Pōtificis pertinet noua editio ſymboli: ſicut & omnia alia quæ pertinent ad totam Eccleſiā, vt congregare ſynodum generalem, & alia huiuſmodi.

Habetur. 2. q. 6. c. omnis oppreſſus.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd in doctrina Chriſti & Apoſtolorum veritas fidei eſt ſufficienter explicata: ſed quia peruerſi homines apoſtolicam doctrinam & cæteras doctrinas & ſcripturas peruertunt ad ſui ipſorum perditionem, ſicut dicitur. 2. Pet. vltimo, ideo neceſſaria fuit temporibus præcedentibus explicatio fidei contra inſurgentes errores.

¶ Ad ſecundum dicēdum, quòd prohibitio & ſententia ſynodi ſe extendit ad priuatas perſonas, quarum non eſt determinare de fide. Non enim per huiuſmodi ſententiam ſynodi generalis ablata eſt poteſtas ſequēti ſynodo nouam editionē ſymboli facere: nō quidem aliam fidem cōtinentem, ſed eandem magis expoſitam. Sic enim quælibet ſynodus obſeruauit, vt ſequēs ſynodus aliquid exponeret ſupra id, quod præcedens ſynodus expoſuerat, propter neceſsitatem alicuius hæreſis inſurgentis. Vnde pertinet ad ſummum Pōtificem, cuius autoritate ſynodus congregatur, & eius ſentētia confirmatur.

¶ Ad tertium dicendum, quòd Athanaſius non compoſuit manifeſtatione fidei per modum ſymboli, ſed magis per modum cuiuſdam doctrinæ, vt ex ipſo modo loquendi apparet. Sed quia integram fidei veritatem eius doctrina breuiter continebat, autoritate ſummi Pontificis eſt recepta, vt quaſi regula fidei habeatur.

SVM-

SVMMA TEXTVS.

CONcluſio affirmatiua. Probatur, nam editio ſymboli eſt neceſſaria ad vitãdos ingẽtes errores, ergo ad illum pertinet, cuius eſt finaliter determinare ea, quę ſunt fidei, vt ab omnibus incõcuſſa habeantur, talis autem eſt Summus Pontifex, vt conſtat ex Decreto. 24. d. Vnde Chriſtus dixit Petro, quem Summũ Pontificem conſtituebat, Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, ergo ad Summũ Põtificem pertinet noua ſymboli editio. Et confirmatur, quia fides debet eſſe vna toti Eccleſiæ, iuxta illud. 1. ad Corinth. 1. Idipſum dicatis omnes, ſed hoc eſſe non poſſet niſi quæcunq; quæſtio de fide exorta, ab eo determinaretur qui præeſt toti Eccleſiæ: ergo ad ſolum Summum Pontificem pertinet editio noui ſymboli.

EXPLICATIO ARTICVLI.

IN hoc articulo vnũ præſupponitur, & alterũ quæritur: quod præſupponitur eſt, in Eccleſia eſſe viſibilem aliquã autoritatem, & manifeſtũ tribunal, ad quod pertineat ſine errore determinare ea, quæ ſunt fidei. Quod autẽ quæritur eſt, vtrum hæc poteſtas atq; autoritas ſit penes Summum Pontificẽ? Cæterùm quoniã illud præſuppoſitum non ab omnibus recipitur, eſt dubitatio vtrũ verum ſit? In qua re hæretici Lutherani partẽ tenẽt negatiuam: dicunt enim in Eccleſia nullũ eſſe externũ, & viſibilem iudicẽ, ad quem pertineat ſine errore iudicare de fide, & moribus: & quod Spiritus ſanctus vnicuiq; iuſto in quo eſt, dictat, atq; inſpirat, id quod ſequi debet, quod dictamen atq; iudiciũ eſt certa, & infallibilis regula, quam in fide, & moribus ſequi debemus. Probantq; ſuã ſentẽtiam primò, ex illo primæ Ioannis. c. 2. vos vnctionem habetis ab Spiritu ſancto, & noſtis omnia. Et rurſus in eodem cap. Vnctio quam accepiſtis, manet in vobis, & non neceſſe habetis, vt quis doceat vos, ſed ſicut vnctio eius docet vos, ita verũ eſt, & nõ eſt mendatiũ. ¶ Item. 1. ad Corinth. cap. 2. dicit Paulus, Quod non accepimus ſpiritũ huius mũdi, ſed ſpiritũ qui ex Deo eſt, vt ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis: & paulò inferius, Spiritualis, inquit, homo iudicat omnia, & ipſe à nemine iudicatur: & ad Roma. 14. vnuſquiſq; in ſuo ſenſu abũdat: & ad Philip. 3. cũ expoſuiſſet ſuã ſententiam adiecit ſtatim, Quicũq; ergo perfecti ſumus, hoc ſentiamus, & ſi aliquid aliter ſapitis, & hoc vobis Deus reuelauit, &c. Cũ ergo Paulus nõ velit, vt cæteri fideles ſtent ſuo iudicio, ſed quod ſinguli in iudicando ſequantur ſuum internũ iudicium, atq; inſpirationẽ Spiritus ſancti, manifeſtè ſequitur, nullũ eſſe in Eccleſia externũ, & viſibilẽ iudicẽ, quem in fide & moribus ſequi debeamus.

Dubium.

Error Lutheranorum.

Argumenta Lutheranorum.

¶ His tamen non obſtantibus, ſit prima cõcluſio, De fide eſt, quod in Eccleſia eſt aliquis externus iudex, & viſibilis regula, quã omnes fideles in fide & moribus ſequi debemus. Probatur primo, ex illo Matth. 18. Dic Eccleſiæ, quod ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi tanquã Ethnicus & publicanus. Ex quibus verbis ſic colligo argumentum Chriſtus dominus dicit, eũ habendum eſſe tanquam Ethnicum, & publicanum, qui Eccleſiam, id eſt, iudicium externum eccleſiaſticum non audierit: ergo eſt in Eccleſia aliquis externus iudex à Chriſto inſtitutus, quem in fide & moribus ſequi debemus. Probatur conſequẽtia, nam alias non eſſet quẽ audire deberemus, ne tanquam Ethnici & publicani iudicaremur. Itẽ Matth. c. 23. dicit Chriſtus. Super cathedrã Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi, quæcunq; dixerint vobis facite, & apud Ioan. c. 21. dictum eſt Petro & eius ſucceſſoribus, Paſce oues meas. Ex quo loco apertè colliguntur duo, primũ eſt, quod Summis põtificibus tradita eſt poteſtas paſcẽdi, hoc eſt, inſtruẽdi in fide & moribus. Alterũ autem, quod nobis etiã eſt addita neceſsitas ſequẽdi, & accipiendi paſtũ doctrinæ ipſorũ, atq; ex cõſequenti quod in Eccleſia ſunt iudices aliqui externi, quos in fide & moribus ſequi debemus. Item Actorũ. 20. loquens cũ maioribus Eccleſiæ dicit Paulus, Attẽdite vobis, & vniuerſo gregi, in quo poſuit vos Spiritus ſanctus Epiſcopos paſcere Eccleſiã Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo & ad Epheſ. 4. Quoſdã dedit Apoſtolos, quoſdã Prophetas, alios Euãgeliſtas, alios verò Paſtores & Doctores, &c. ergo penes huiuſmodi homines, eſt poteſtas iudicãdi, & præcipiendi circa fidem, & circa mores. ¶ Item ratione probatur concluſio, ſi in Eccleſia nõ eſſet aliquis externus iudex, & manifeſtũ tribunal, ad quod pertineret iudicare de rebus fidei, & morũ, ſequeretur Chriſtianam rempub. peſsimè fuiſſe à Chriſto inſtitutam: hoc autẽ eſt abſurdum, & hæreticũ, ergo. Sequela probatur nã nõ eſſent in Eccleſia varia officia, & munera mẽbrorum,

Prima concluſio, de fide

Matth. 18.

Matth. 23.

Acto. 20.

Prima ratio.

rum, ſed omnes fideles eſſent capita: & ſic quot capita, tot ſententiæ, ex quo magna confuſio in Eccleſia oriretur. Vnde eadem ſapientia, qua Deus voluit vt in naturalibus inferiora regerentur a ſuperioribus, vt autor eſt Ariſt. 1. Met. & in cæleſtibus, inferiores Angeli illuminarentur à ſuperioribus, eadem etiam in Eccleſia inſtituit, vt eſſet ordo rerum, & diſtribuerētur officia, ita vt alij oculi, alij manus, alij pedes eſſent. *D. Paulus.* Quod & D. Paulus eleganter oſtendit. 1. ad Corinth. 12. dicēs, Sicut corpus vnū eſt, & multa habet membra, omnia autem membra corporis, cum ſint multa, vnum corpus ſunt: ſic & Chriſtus, &c. Et Ariſtoteles. 1. Politicorū dicit, expedire in omni multitudine rectè cōpoſita, vt aliquis principetur, & cæteri pareant: nam in hoc conſiſtit ratio poteſtatis. *Secunda ratio.* ¶ Et confirmatur, certum erat, in eccleſia futuras hæreſes: ergo ſi Chriſtus non inſtituiſſet manifeſtum aliquem iudicem, ad quem pertineret ſine errore iudicare de fide & moribus, non rectè illi eſſet prouiſum: Antecedēs eſt manifeſtum, & conſequētia probatur, nam aliàs, vnuſquiſq; poſſet dicere ſe ab Spiritu ſancto interius moueri ad credendum quæ vellet, & ſic non poſſent hæretici dignoſci à Catholicis, nec falſa doctrina à ſana, quod eſt maximum inconueniens. *Tertia ratio.* ¶ Tandem probatur concluſio, quia non eſt deterioris conditionis Chriſtiana reſpublica, quam fuit olim vetus Synagoga, ſed in illa fuerunt poſiti iudices manifeſti, atque viſibiles, qui de rebus dubijs ad fidem pertinentibus iudicarēt, vt patet ex illo Deut. c. 17. Si difficile, & ambiguū iudicium apud te eſſe perſpexeris, ſurge, & aſcēde ad locum quem elegerit dominus Deus tuus, & ad ſacerdotes Leuitici generis, qui iudicabūt tibi iudicij veritatem, & facies quæcunq; dixerint qui præſunt loco, quem elegit dominus: ergo etiā in Eccleſia poſuit Deus ſimiles iudices.

Secunda concluſio. ¶ Secunda concluſio, Poteſtas atque autoritas definiendi, & iudicandi in fide & moribus, quæ eſt in iudicibus eccleſiaſticis, prorſus eſt aliena à poteſtate laica, atq; ciuili. Hanc concluſionem latè probat Victoria in Relectione de poteſtate Eccleſiæ quæſt. 1. tum, quia actiones pertinentes ad poteſtatem eccleſiaſticā ſunt ſpirituales, aliæ verò temporales: tum etiam, quia fines, atq; bona, ad quæ iſtæ poteſtates ordinantur, ſunt diuerſa, atque diſtincta. Nam cum poteſtas in republica conſtituatur, vt homines ad bonum prouocentur, & arceantur à malis (iuxta illud. 1. Petri cap. 2. Poteſtas eſt ad vindictam malorum, laudem vero bonorum: & ad Rom. 13. vis non timere poteſtatem? fac bonum, & habebis laudē) manifeſtè ſequitur, quod tot erunt poteſtates, quot ſunt bona ad quę homines prouocantur, & mala à quibus arcentur. Vnde cum fideles non ſolum tendant in finem, & ſtatum ciuilem, ſed multo impenſius in bona perpetua, timeātq; non ſolùm mala huius vitæ, ſed etiam pœnas æternas, rurſus ſequitur neceſſarium eſſe, conſtituere aliam poteſtatem diſtinctam à ciuili, qua & homines dirigantur in finem illum ſupernaturalem, & præterea in rectam viam præmio vel timore reuocentur, ſi ab ea forte aberrauerint. Hanc rationem ponit optimè Hugo de Sacramentis parte. 2. vbi dicit, quod duæ ſunt vitæ, vna terrena, alia ſupernaturalis: & vt vtraq; in iuſtitia ſeruetur, & vtilitas proueniat, primum diſtributi ſunt, qui vtriuſq; bona ſecundum neceſſitatem acquirant, deinde alij qui eam ſecundum æquitatem diſpenſent. Si ergo nō poteſt humana ſocietas ſine vtraque vita manere, neceſſaria eſt duplex poteſtas ad conſeruationem iuſtitiæ: vna quæ præſit terrenis, ad ordinādam vitam terrenā: alia quæ præſit ſpiritualibus, ad ordinādā vitā ſpiritualem. *Secūda ratio.* ¶ Et cōfirmatur: Apoſtoli habuerunt autoritatem, & poteſtatem eccleſiaſticam, vt conſtat ex illo Matt. 16. Tibi dabo claues regni cælorum. & Ioann. 20. Quorum remiſeritis peccata. & ex pluribus alijs teſtimonijs, ſed poteſtas Apoſtolorum non erat ciuilis, cū nec regnum, nec poteſtas eorum, fuerit de hoc ſæculo, ergo poteſtas eccleſiaſtica eſt diſtincta à poteſtate ciuili. *Tertia ratio.* ¶ Item apud paganos eſt integra poteſtas temporalis & ciuilis, vt patet ex Paulo ad Roma. 13. vbi præcipit, vt ſimus ſubiecti principibus, etiam paganis: ſed apud illos non eſt poteſtas eccleſiaſtica, ergo poteſtas ciuilis eſt alia à poteſtate eccleſiaſtica. *Quarta ratio.* ¶ Et confirmatur: regia poteſtas continet omnem poteſtatem ciuilem, nec habet autoritatem ad cultum diuinum, & ad actiones ſpirituales: ergo poteſtas eccleſiaſtica eſt alia à poteſtate ciuili, conſequentia eſt nota, & antecedens probatur ex. 1. Reg. cap. 10. vbi dicitur, quod Saul ad mandatum Domini fuit inſtitutus in regē, illi autem non fuit data poteſtas ſacer-

ſacer-

ſacerdotalis: imo cum poſtea Saul in Gal-
gala obtuliſſet Holocauſtũ propter abſen
tiam Samuelis, vindicata fuit à Domino
ſeueriſsime eius præſumptio, & dictum ei
primi Reg. cap. 13. Stultè egiſti, nec cuſto-
diſti mandatum Domini, quod præcepit
tibi: quod ſi non feciſſes, præparaſſet Do-
minus regnum tuum in ſempiternum ſu-
per Iſrael. Et non ſolum apud Hebræos,
ſed etiam apud Gentiles, erant Pontifices,
& Sacerdotes, ad quos ſpectabat admini-
ſtratio ſacrorum, & non ad Conſules, aut
ad alios magiſtratus, ergo poteſtas Eccle-
ſiaſtica diſtincta eſt à poteſtate ciuili.
Quod etiã probari poteſt ex Pelagio Pa-
pa, qui in cap. duo ſunt. 96. diſt. dicit, Duo
ſunt, Imperator Auguſte, quibus principa
liter hic regitur mundus, autoritas ſacra
Pontificum, & regalis poteſtas. & in capit.
Si imperator, eadem diſt. dicit, Si impera-
tor catholicus eſt, filius eſt, nõ præſul Eccle
ſię, quod ad religionem cõpetit, diſcere cõ-
uenit, nõ docere: habet priuilegia poteſta-
tis ſuæ, quæ adminiſtrandis legibus publi
cis diuinitus conſequutus eſt. Idem etiam
docet Innocentius Tertius in cap. Solitæ.
Simile. de maioritate & obedientia. Vnde dico, ꝙ
quemadmodum fecit Deus duo lumina-
ria magna in firmamento cœli, ita in vni-
uerſali Eccleſia duas inſtituit dignitates,
vnam ſpiritualem, alteram temporalem:
et de vtraque habemus in veteri teſtamen-
to apertiſsima exempla. De ſæculari enim
Exodi. 18. Exod. 18. dicitur, quod Moyſes ex electis
viris ſtrenuis de cũctis Iſrael, cõſtituit prin
cipes populi, tribunos, & centuriones, &
quinquagenarios, & decanos, qui iudica-
rent populum Dei omni tempore. & Nu-
merorum capi. 3. ponuntur gradus ſummi
Num. 3. ſacerdotis Aaron, & minorum ſacerdotũ
ſubminiſtrantium: Sumpti, inquit, ſunt ſa
cerdotes Eleazar. &c. in nouo autem teſta
mento dicit Paulus ad Romanos. 12. &. 13.
Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus
ſubdita ſit. & Petrus prima canonica cap.
2. Subditi eſtote omni humanæ creaturæ
propter Deum, ſiue regi, quaſi præexcel-
lenti, ſiue ducibus, tãquã à Deo miſsis. &c.
De ſpirituali autem poteſtate, etiam ſunt
plura teſtimonia, quæ ſupra adduximus.
Ad arg. Lutheranorũ. ¶ Ad primum argumentum ex Ioann.
reſpondetur primo, quod Ioannes in illo
loco, vnctionis nomine, intelligit fidei do-
ctrinam, quam cum fideles facti ſumus, ac
cipimus. Itaque quoniam hortabatur fide-
les eo in loco, vt cauerent ſibi ab hæreticis,
qui iam prodire ceperant, quaſi per corre-
ctionem adiecit, ſed vos vnctionem habe-
tis, & noſtis omnia: quaſi diceret, non erat
neceſſarium vt vos admonerem, cum ſitis
probè inſtructi atq; edocti in fide, per meã
& aliorũ prædicationẽ. Vel ſecundo reſpõ
detur cõcedẽdo quod vnctionis nomine in
telligatur gratia Spiritu ſancti, quæ quãtũ
eſt ex ſe ſatis ſufficiẽter eum, in quo eſt, &
illuminat ad verũ, & impellit ad bonũ: &
propterea dicit, Sed vos vnctionẽ habetis,
& noſtis omnia: cæterum, quoniam nemo
poteſt certo ſcire vtrum habeat in ſe ſe iſtã
gratiam, nec præterea quamuis, habeamus
eam, eſt neceſſarium, quod ſemper ſequa-
mur eius impulſum, ſed potius poſſumus
illi reſiſtere, id circo quamuis ipſa gratia,
atque vnctio ex ſe ſit ſufficiens, non tamẽ
ſequitur quòd nos ſine externo docto-
re poſsimus per eam perfectè de rebus fi-
dei edoceri. Sed quemadmodum Ioannes,
in eadẽ epiſtola. c. 3. cum dicit, Omnis qui
natus eſt ex Deo non peccat, tantũ ſignifi
cat gratiæ naturam, quæ quantum eſt ex
ſe, auertit hominem à peccato, cum quo ta
men ſtat, quod ille, qui habet eam peccare
poſsit: ita etiam cum dicit, ſed vos vn-
ctionem habetis, exprimit gratiæ ingeniũ,
quæ, quantum eſt ex ſe, ſatis ſufficienter il
luminat eum, in quo eſt; cum hoc tamẽ
ſtat, quod egeamus externo doctore, & ꝙ
non debeat vnuſquiſq; in rebus fidei ſuũ
proprium iudicium ſequi, ad modum iam
explicatum. ¶ Ad aliud ex Paulo. 1. ad
Corinth. 2. reſpondetur, quod illis ver-
bis non excluditur exterior Eccleſiæ do-
ctrina, ſed tãtum docemur veram fidei co-
gnitionem, debere eſſe, & proficiſci ab Spi
ritu ſancto, qui interdũ per externã Eccle-
ſiæ vocem, interdum autem per internam
illuminationem, inſtruit fideles de rebus fi
dei & morum. Ad aliud ex epiſtola ad Ro.
14. reſpondetur, quod ea ſententia non eſt
vniuerſaliter intelligenda, ita vt ſignificet,
Paulus, ꝙ vnuſquiſq;, etiã in rebus fidei,
poſsit in ſuo ſenſu abundare: ſed tantum
eſt intelligenda de rebus indifferentibus,
vt de eſcis, & de delectu ciborum, in qui-
bus, quidam homines gaudent nimia abſti
nentia, alij verò non item: cæterum quia
vtrumq; poteſt licitè fieri, dicit Paulus, ꝙ
vnuſquiſq; in ſuo ſenſu abundet, dummo
do alter alterũ non cõdemnet, & quod iſte
ſit ſenſus illius loci, conſtat ex ipſo textu

D in quo

in quo de iſs tantum rebus agebat D.Paul.

¶ Ad vltimũ autem ex epiſtola ad Philipen.ſ.cap.3.reſpondetur, quod D.Paulus in illis verbis nõ concedit eis, qui aliter ſentirent, quam ipſe, quod permaneant in ſua ſentẽtia, quaſi Deus id illis reuelauerit: ſed potius, vt docet Chryſoſtomus ſuper illum locum, & D.Augu.ſermone. 15. de verbis Apoſtoli, dicit futurũ eſſe quod Deus eos homines aliter ſentiẽtes illuminabit: ſicq; efficiet, vt ſint in eadem ſententia, in qua erat Paulus: nam, reuelabit, futuri tẽporis eſt legendum, & non reuelauit, præteriti: vt cõſtat ex D.Augu. in libro de prædeſt. ſanctorum. c.1. & ex codice Græco, & ex codicibus magis correctis.

D.Chryſoſto.
D. Auguſt.

¶ Suppoſito iam in Eccleſia ponendũ eſſe iudicem externum, & manifeſtum tribunal, penes quod ſit poteſtas atque autoritas diffiniendi, & iudicãdi ſine errore de rebus fidei & morum: ſupereſt vt dicamus quisnã ſit huiuſmodi iudex? & penes quẽ hominum ſit ponenda iſta autoritas: vtrũ, ſcilicet, penes Eccleſiam vniuerſalem, vel penes ſacrã ſcripturam, vel penes conciliũ generale, vel penes ſummum Pontificem? de his enim omnibus merito poſſumus dubitare. Cæterũ quia iſta res ſufficienter explicari non poteſt, niſi explicata prius ratione iſtorum quatuor, operæpretium erit de illis ſuo ordine diſſerere. Et primo de Eccleſia, dicturi poſtea de reliquis.

Tractatus de Eccleſia.

Primum notabile.

ET vt à nomine ipſo exordiamur, aduertendum eſt primò, quod Eccleſia eſt nomen Græcum ſæpè ab ſcriptoribus, tam ſacris, q̃ prophanis vſurpatũ, ſignificatq; Latinè cõuocatam cõtionẽ, id eſt, cœtũ & congregationem hominum, alicuius voce atq; imperio in vnum conuenientium. Et differt à Synagoga, vt autor eſt D.Auguſt. ſuper pſalm.77.&.78. in eo, quod Synagoga, quod etiam eſt nomẽ Græcũ, ſignificat ſimpliciter quamcunque cõgregationem, ſiue hominum, ſiue pecudum: nam etiam pecora cõgregari dicũtur, iuxta illud Mat. 23. Gallina congregat pullos ſuos. At vero Eccleſia tantum ſignificat cõgregationem eorum, qui ratione vtuntur: hi enim ſolũ ſunt, q cõuocari poſſunt. ¶ Accipitur etiã Eccleſia interdum pro loco ipſo, in quo homines cõgregantur, vnde ipſa templa Eccleſias appellare ſolemus: eſtq; iſta ſignificatio non multum aliena à ſacris literis, nã Iudith. c. 6. dicitur, Cõuocatus eſt omnis populus, & per totam noctem intra Eccleſiam orauerũt. Similiter Lucianus accepit Eccleſiam in hac ſignificatione in multis locis ſuorum dialogorum. De hac re uidendus eſt Caſtro lib.6.de Hæreſ.verbo Eccleſia, & lib.1.cap.6.& Victoria in relectione de poteſtate Eccleſiaſtica, in principio, & Cano de locis lib.4.c.2.& Driedo lib.4.de Eccleſiaſticis dogmatibus.c.2.& Albertus Cãpẽſis, lib.1.de Eccleſiaſtica Hierarchia. cap.1.& Turrecremata.lib.1. ſuæ ſum.c.1.

D. Auguſt.

¶ Secundò eſt aduertẽdum, quod licet Eccleſia ſecundum totam ſuam latitudinem accipiatur pro quacunque hominũ congregatione, ſiue bonorũ ſiue malorũ, ſiue fidelium ſiue infidelium, vt cõſtat ex illo pſalm.21. Odiui Eccleſiam malignantium: tamen nos in præſenti tantum accipimus hoc nomen, in quantum ſignificat congregationem hominum in Chriſtum credentium, cui opponitur altera congregatio hominum aberrantium à Chriſto, & à vera religione, quæ à ſacris ſcriptoribus appellatur Eccleſia Sathanæ, ſeu ciuitas Babylonis, eſtq; huiuſmodi congregatio ſimul orta cũ Chriſti Eccleſia, & ſimul cũ illa creuit, & eſt perſeueratura vſq; ad ſinẽ mundi, vt ſuo loco dicemus. Vnde Eccleſiam de qua in præſenti eſt ſermo, diffinire poterimus, quod ſit, Multitudo hominũ fidelium, in fide & cultu vnius Dei conuenientium, ad finem ſupernaturalem comparandũ. Quam diffinitionem ponit Gloſſa ſuper capitulum Eccleſia, de conſecratione.d.1. Ex quo infertur beatos non pertinere ad Eccleſiam. Nam quamuis in ſacra ſcriptura congregatio, tam viatorum, quam comprehẽſorum, ſiue Angelorum, appelletur Eccleſia, vt conſtat ex illo Pauli ad Epheſ.1. Ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam, quem locum D. Tho. exponit tam de Eccleſia militante, quam de Eccleſia triumphante: tamen Eccleſia, de qua in præſenti loquimur, tantum ſignificat, congregationem fidelium viatorum; de qua eſt intelligẽdus D. Paul. ad Epheſ.5. cum dicit, Chriſtus eſt caput Eccleſiæ, & ſaluator corporis eius: & paulo inferius Chriſtus dilexit Eccleſiam, & tradidit ſemetipſum

Secundũ notabile.

Diffinitio Eccleſiæ.

metipſum pro ea, vt illam ſanctificaret, mundãs eam lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet eam ſibi glorioſam Eccleſiam, &c. Et in fine eiuſdem capitis, Propter hoc relinquet homo patrẽ & matrẽ, & adhærebit vxori ſuæ, & erũt duo in carne vna: ſacramẽtum hoc magnum eſt, ego autem dico, in Chriſto & Eccleſia. Quibus verbis Apoſtolus tangere videtur quatuor cauſas Eccleſiæ, ſcilicet, efficientem, materialem, formalem, & finalem, ex quarum cognitione ipſius Eccleſię perfecta notitia colligi debet. Cauſa efficiens duplex eſt, vna principalis, altera inſtrumentalis: principalis, eſt ipſe Chriſtus, qui Eccleſiam plantauit, atque fundauit: iuxta illud Hieremiæ. c. 2. Ego plantaui vineam electam. & Matth. 16. Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Et hanc cauſam tangit Apoſtolus dicens, quòd Chriſtus eſt Caput Eccleſiæ, & ſaluator corporis eius. Cauſa autem inſtrumetalis ſunt ſacramenta, quæ à Chriſti paſsione deriuata, tanquã inſtrumenta diuinæ pietatis operantur ad ædificationem corporis Eccleſiæ: & hanc tangit Apoſtolus cum dicit, Mũdans eam lauacro aquæ, in verbo vitæ. Cauſa autem materialis ſunt ipſi fideles: & hæc explicatur dum dicitur, quòd Chriſtus dilexit Eccleſiam. Eccleſia enim, vt ſuprà diximus, idem eſt quòd collectio fideliũ. Cauſa formalis eſt vnitas corporis myſtici: & hanc tangit Apoſtolus cum dicit, Erunt duo in carne vna: ſacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto & Eccleſia. Et tandem cauſa finalis eſt duplex, vna in præſenti, quæ eſt ſanctificatio: altera quæ expectatur in alia vita, & eſt glorificatio. Priorem tangit Apoſtolus dicens, vt illam ſanctificaret: ſecundam autem dum dicit, vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiã.

Quatuor cauſa Eccleſia.

Tertium notabile.

¶ Tertiò eſt aduertendum, quòd omnes tam Catholici, quam hæretici conueniunt in hoc, quòd iſta Eccleſia de qua loquimur eſt Vna, Sancta, Catholica, & Apoſtolica: vt habetur expreſſe in concilio Conſtantinopolitano. 1. cap. 7. & in Chalcedonenſi actione. 2. & in Niceno. 2. actione. 7. Vna quidem, vnitate fidei, & legis Chriſti, & ſacramentorum. Nam quemadmodum ab vnitate ſectæ, quo ad religionem, dicitur vna reſpublica Sarracenorum, & altera Idolatrarum, quamuis quãtum ad ciuilia, ſint in ea multa regna, & plura eſſe poſſint: ita etiam, ab vnitate fidei, & ſacramentorum, & legis Chriſti, dicitur vna Eccleſia quantum ad religionem, quamuis quã tum ad ciuilia ſint in ea multa regna, & plura eſſe poſſint. Si enim fides diuina, in quã omnes fideles vocati ſunt, eſt Chriſtianæ religionis fundamentum, vt dicit D. Chryſoſt. neceſſario ab vnitate huius fidei, Eccleſia, quæ ſupra illam fundatur, erit dicenda vna. Propter quam fidei communitatẽ, dicit D. Auguſt. ſuper Ioannem, Omnes vnum ſumus: iuxta illud Apoſtoli, omnes vnum vos eſtis in Chriſto Ieſu. & D. Hierony. ſcribens ad Euandrum Epiſcopum, cuius verba referũtur. in. c legimus. 93. diſt. affirmat, nec altera Romanæ vrbis Eccleſia, altera totius orbis exiſtimanda eſt: & Galliæ, Britanniæ & Africæ, & Perſiæ, & Oriens, & India, & omnes Barbaræ nationes, vnum Chriſtum adorant, vnam obſeruãt regulam veritatis. Dicitur præterea Eccleſia vna unitate principis, ſeu capitis, quo gubernatur, & regitur: qui vnus eſt, ſcilicet, Chriſtus Ieſus, quem pater dedit caput ſuper omnẽ Eccleſiam, quæ eſt corpus eius, vt dicit Paul. ad Epheſ. cap. 1. Et etiã dicitur vna, vnitate ſpei, qua ad bona cœleſtia erigitur: iuxta illud ad Epheſ. 4. Vocati eſtis in vnã ſpem vocatiõis veſtræ. Et tandem eſt vna vnitate charitatis, qua connectitur, & vnitate ſpiritus viuificantis: vnus enim & idem ſpiritus, tanquam vltima & principalis perfectio corporis myſtici, eſt in omnibus membris Eccleſię, diuidens ſingulis prout vult. Diuiſiones enim gratiarum ſunt, idem autem ſpiritus, vt dicit Apoſtolus. 1. ad Corinth. cap. 12. Cum ergo tot rationibus Eccleſia ſit vna, conuenienter omnes conſentiunt in hoc, quòd Eccleſia vna appelletur. Vnde de ea dicitur Cant. 6. Vna eſt amica mea, columba mea. Et ad Epheſ. 4. Vnũ corpus, vnus ſpiritus, vnus Deus. Et. 1. ad Corinth. 10. omnes nos in vnum corpus baptizati ſumus. ¶ Dicitur deinde Eccleſia ſancta, id eſt, pura, munda, & immaculata, vtpotè quę regitur ſanctis & puris regulis, habetq́; ſacramenta, quibus gratia confertur, & mũdantur homines à peccatorum ſordibus, & decori fiunt apud Deum. Vel dicitur ſancta, à fine ad quem ordinat & ordinatur, ſcilicet, ad ſanctitatem, & puritatem vitæ, gratiæ, & gloriæ. Habet etiam ſancta miniſteria, officia, gradus, & dona diuina, quibus ad ſanctitatem ducitur, & gubernatur, quamuis hoc de ſacramentis, & gradibus

Eccleſia vna.

D. Auguſt.

D. Hier.

Cant. 6.

Eccleſia ſancta.

eccleſiaſtici, negatur ab hæreticis.

Eccleſia catholica.

¶ Tertio dicitur eccleſia Catholica. Pro quo eſt aduertendum, quòd tribus rebus conſueuimus hoc nomen Catholicum tribuere, ſcilicet eccleſiæ, fidei Chriſtianæ, & hominibus fidẽ Chriſti habẽtibus. Cõfitemur enim eccleſiã Catholicam cũ patribus in ſymbolo Niceno: & fidẽ Chriſti Catholicã, cũ beato Athanaſio in ſuo ſymbolo, dicẽte, Hæc eſt fides Catholica: & etiã vocamus Chriſtianũ Catholicum, cũ D. Hieronymo, qui in. c. hæc eſt fides. 24. q. 1. dicit, Quicumq; me culpare voluent, ſe imperitum, vel maleuolum, vel etiam non Catholicum, ſed hæreticum cõprobabit. Catholicum autem, nomen Græcum eſt, idem Latinè ſonans, quod vniuerſale. Dicitur ergo primo, fides Chriſti Catholica, multis de cauſis, quas refert Turrecremata libr. 1. ſuæ ſummæ cap. 13. ſed præcipua eſt, quia annunciata, plãtata, & ſeminata fuit, per vniuerſum orbem, & apud omnes gentes: iuxta illud Pſal. 18. In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum: & Eſai. cap. 56. gentium vocationem, quæ per Chriſtum futura erat, referẽs dicit: Ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in ſplendore ortus tui: filij tui de longe venient, & filiæ tuę de latere ſurgẽt. Et rurſus, Quãdo cõuerſa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi, &c. Dicitur autem Eccleſia Catholica, hoc eſt, vniuerſalis, primò quãtum ad gentes ex quibus cõſtat, colligitur enim Eccleſia ex omni tribu, lingua, populo, & natione, iuxta illud Apocalyp. 5. Redemiſti nos Deus in ſanguine tuo, ex omni tribu, lingua, populo, & natione, & feciſti nos Deo noſtro regnum. Propter quod D. Petrus Acto. 10. dicebat, In veritate comperi, quia non eſt perſonarum acceptor Deus, ſed in omni gente, qui timet eum, & operatur iuſtitiam, acceptus eſt illi. Dicitur etiam Eccleſia vniuerſalis, ſeu Catholica, quo ad locum, quia eſt toto orbe diffuſa: & quo ad tempus, quia à principio mundi incepit, & nunquam eſt defutura; & etiam quoad conditiones hominum, quia nullus ab Eccleſia eijcitur: non dominus, non ſeruus, non maſculus, non fœmina, non Græcus, non Iudæus, iuxta illud Apoſtoli ad Coloſſenſ. 3. Non eſt maſculus & fœmmina; Gentilis & Iudæus, circuncíſio & præputium; Barbarus & Scytha: ſeruus & liber: ſed omnia in omnibus Chriſtus.

Actorũ. 10.

Eccleſia Apoſtolica.

Tandem Eccleſia dicitur Apoſtolica, tum, quia quo ad fidem fundatur, Supra doctrinam Apoſtolorum, vt conſtat ex illo ad Epheſ. 2. ſuperædificati ſupra doctrinam Apoſtolorũ, & Prophetarum: tum etiam quia omnis Chriſtianæ religionis ritus, & ſacrarũ inſtitutionũ Eccleſiaſticarũ obſeruantia, à traditione Apoſtolica creditur in Eccleſia deriuata, vt in cap. Eccleſiaſticarũ. 11. d. dicitur, illudq́, ita eſſe affirmat D. Aug. lib. 2. de baptiſmo contra Donatiſtas dicens, Illa quæ per vniuerſam cuſtodiuntur Eccleſiã, ab ipſis Apoſtolis tradita, & commemorata creduntur, quamuis in eorũ dictis vel conſilijs non reperiãtur. Itaq́; in his omnibus, tam Catholici, quam hæretici conueniunt.

Dubium.

¶ Sed quoniam hæretici dicunt, quod ipſorum congregatio eſt vera Chriſti Eccleſia, Sancta, atque Catholica, & non ea quæ apud nos inuenitur, dubium eſt, quibus notis, atque ſignis poſſimus diſcernere, & diſtinguere veram Eccleſiam, à falſa, & congregationem fidelium, à congregatione Sathanæ. In qua re, vt certa ab incertis ſeparemus, dico primò, certum eſſe, ꝙ vera Eccleſia ſemper eſt coniuncta atque copulata cum vera Chriſti doctrina, & vero vſu ſacramentorum, ita vt liceat ducere argumentum ab vno ad aliud, quia vt infrà dicemus, vera Eccleſia, in ijs quæ ſunt fidei, errare non poteſt, ipſis etiam hæreticis conſentientibus. ¶ Dico ſecundò, etiam eſſe certum, quòd quamuis vera doctrina ſit certum ſignum ad cognoſcendam verã Eccleſiam, eſt tamen ſignum obſcurum, atque ex conſequenti minus vtile ad illius manifeſtationem. Nam cum de hoc ipſo, ſcilicet, quæ nam ſit vera doctrina, & verus vſus Sacramentorum, ſit nobis magna cõcertatio cum hæreticis, fieri non poterit, vt ex eo veram Eccleſiam à falſa ſufficienter diſtinguere poſſimus: & ſic alijs nouis ſignis vtendum erit. ¶ Dico ergo, primum ſignum, non ſolum certum, ſed etiam manifeſtum, & illuſtre ad diſcernendam veram Eccleſiam à falſa ſumendũ eſſe ex concordi & vnanimi confeſſione fidei Chriſtianæ, quam nobis Apoſtoli verbo & ſcripto tradiderunt: intellectæ eo modo, quo ab initio naſcentis Eccleſiæ ſancti Patres, & ſummi Pontifices, atque concilia, intellexerunt: ita vt eam ſolam verã Eccleſiam dicamus, in qua hæc omnia inueniuntur. Et ꝙ hoc ſit manifeſtum, & clarum ſignũ,

Signum clarum & illuſtre ad cognoſcendum verã Eccleſiã.

patet:

patet: nã euidens eſt qui nã ſint illi, quorum doctrina cõcordat cum ſenſu ſanctorum patrum, & conciliorum, & qui homines ſequantur, in intelligentia ſcripturæ, autoritatem ſanctorum, & ſummorum põtificum: & qui ſectentur nouas intelligentias. Quod vero, etiã ſit hoc ſignum clarũ, & infallibile probatur, nam cum ſanctarũ literarum intelligentia ſit obſcura, & multis difficultatibus implicata, ita vt ſinguli ſingulas afferant intelligentias, conſentaneũ eſt rationi, quod credamus ex omnib⁹ eã eſſe veriſsimã, & certiſsimã, quã ab initio naſcẽtis Eccleſiæ tot ſancti patres, atq; concilia, approbarunt, & non eam quam pauci, & flagitioſi homines adinuenerunt. Siquidem illi, & non iſti, legitimam faciũt probationem: vt docet D. Auguſt. libr. 2. contra Manichæos. Et ad hoc facit illud Deuteronom. cap. 32. & Iob. c. 8. Interroga patres tuos, & annunciabunt tibi: ſcilicet, veritatem. & Pſalm. 42. Patres noſtri annunciauerunt nobis: & Prouerb. 3. Ne innitaris prudẽtiæ tuæ, ſuper quæ verba dicit Gloſſa, illum inniti ſuæ prudentiæ qui ſuum ſenſum, aliorum & maximè doctorũ ſententiæ, anteponit. & Eccleſiaſ. 8. Ne te prætereat narratio ſeniorum. De hac re videndus eſt Corduba, libr. 4. q. 1. conclu. 6. vbi etiam plura alia ſigna ponit ad cognoſcendam veram Eccleſiam. *Corollariũ.* Ex quibus omnibus infertur, veram Chriſti Eccleſiam, eſſe eam hominum congregationem, qui in Chriſtum credentes, in fide & vſu ſacramentorum, tenent eam doctrinã, quam ex ſacris & Apoſtolicis literis, & ex antiqua traditione, Sancti patres atq; concilia vnanimiter elicuerunt.

Prima quæſtio principalis. His conſtitutis, eſt prima quæſtio principalis, ex quibus hominibus tanquam membris conſtet iſta Chriſti Eccleſia, quæ à nobis explicata eſt? Nam de hac re variæ exiſtunt ſententiæ. *Sententia Lutheranorũ.* Hæretici enim Lutherani dicunt, Eccleſiam tantum conſtare ex hominibus interioribus: nam, vt conſtat ex Paulo in multis locis & præcipuè 2. ad Corin. 4. & 1. ad Corinth. 15. duplex eſt homo, vnus interior, alius exterior, exterior eſt qui ducit originem ab Adam ſecundum carnalem generationem, interior vero qui ducit originem à Chriſto per fidem: nam cum credimus in Chriſtum, regeneramur ex ſpiritu, id eſt communicatur menti noſtræ quidam ſpiritus cœleſtis, quo animati interius, viuere incipimus nouam vitam ſpiritualem, & præſtantiorem ea, quam à noſtris parentibus accepimus. Dicunt ergo Lutherani, quod Chriſti Eccleſia tantùm conſtat ex hominibus interioribus, & quod eſt quædam congregatio animorum per Chriſtum regeneratorũ, & viuentium vitam ſpiritualem: & quia animi ſunt inuiſibiles, ex conſequenti etiam dicunt, quod iſta Chriſti Eccleſia eſt inuiſibilis. Ex quo fit vt reijciant, atq; dãnent omnem Dei cultum viſibilem, & leges externas, reuocent que omnia ad ſpiritum, & hominem interiorem. *Primũ argumentum pro ſententia Lutheri.* Et probant ſuam ſententiam primo, teſtimonio Hieremiæ cap. 31. vbi de eccleſia noui teſtamenti dicit, Dabo legem meam in cordibus eorum & in mentibus eorum ſuperſcribam eam, ex quo loco ſic colligunt argumentum, lex eccleſiæ atq; Chriſtiana, ſecũdum hoc vaticinium, eſt ſpiritualis, & inuiſibilis, ergo & ipſa eccleſia etiam erit ſpiritualis, patet conſequentia, quoniam lex & reſpublica, cui fertur, debẽt eſſe proportionata. *Secũdum argumentum.* Itẽ Lucæ. 17. dicit Chriſtus, Non veniet regnũ Dei cum obſeruatione, nec dicent ecce hic, aut ecce illhic, & ſubdit ſtatim, regnũ Dei intra vos eſt: ſed regnum Dei eſt eccleſia, ergo ſi illud eſt intra nos, erit inuiſibile, & conſtat ex hominibus interioribus. Et confirmatur, nam templũ, ſacrificium, ſacerdotium, & lex, quibus eccleſia vtitur, ſunt inuiſibilia & ſpiritualia: vt conſtat ex illo. 1. Petri cap. 2. Vos tanquam lapides viui ędificamini domos ſpirituales, ſacerdotiũ ſanctum, ad offerendum ſpirituales hoſtias, ergo & ipſa eccleſia eſt ſpiritualis, & conſtat ex hominibus inuiſibilibus: patet conſequentia, quia hæc omnia debent eſſe proportionata. *Tertium argumentum.* ¶Tertio ſic argumẽtor, eccleſia eſt congregatio fidelium credẽtium in Chriſtum, ſed non poſſumus videre qui nam ſunt illi, qui credunt, cum fides ſit inuiſibilis, & lateat in corde, ergo & ipſa eccleſia eſt inuiſibilis: atq; ex conſequenti tãtum conſtat ex hominibus interioribus, Et cõfirmatur, nã in ſymbolo dicitur, Credo ſanctam Eccleſiam, & nõ video ſanctã Eccleſiam, ergo illa eſt inuiſibilis. *Secunda ſententia Donatiſtarum.* ¶Secũda opinio, ſeu potius ſecũdus error, eſt Donatiſtarũ, qui vt refert D. Aug. in li. de hæreſibus cap. 69. & lib. 3. contra Parmenianũ. c. 2. dixerunt eccleſiam tantum conſtare ex bonis & iuſtis hominibus, & quod mali nullo modo ſunt dicendi partes eccleſiæ. In eodem etia errore fuerũt Lutherani:

n[illegible] cui[illegible] ſſerent eccleſiam tantum con ſtare ex hominibus interioribus credentibus in Chriſtum, ex quo [illegible] ſtea ſerebant, malos non pertinere ad eccleſiam. Et in eadem ſententia etiam fuerunt Cathari, ita appellati a [illegible] puritate, quam ſibi arrogater attribuebant, quorum hyſtoriam ponit Euſebius lib.6. hyſtoriæ Eccleſiaſticæ. c.28. Et probari poteſt primo ex illo Pauli ad Ephe.5. Chriſtus dilexit eccleſiam & tradidit ſemetipſum pro ea, vt eam ſanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ſibi glorioſam eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiuſmodi, ſed vt ſit ſancta, & immaculata, &c. Item Actorū.c.4. dicitur de eccleſia, Tota pulchra es amica mea, & macula nō eſt in te. Et Eſaiç.62. nō tranſibit per illam incircuncisus, & immūdus. Et in ſymbolo, Credo ſanctam Eccleſiam, ſed hæc omnia vera eſſe non poſſent, ſi mali ad Eccleſiam pertinerent: ergo non pertinent. Probatur minor, nam ſi boni & mali ſimul pertinerēt ad eccleſiam, ſicut dicitur ſancta propter bonos, diceretur mala propter malos, atq; ex conſequenti non eſſet tota pulchra. Et confirmatur, ſanctitas autore D. Diony. c.12. de Diuinis nominibus, eſt ab omni impuritate libera mundities, ergo ſi in eccleſia ſunt multi iniqui, & immundi, tanquam membra illius, nullo modo poterimus dicere, Credo ſanctā Eccleſiam. Item ſecundo ſic argumentor: eccleſia eſt corpus Chriſti myſticum, & ſinguli fideles ſunt membra illius. ſed in corpore naturali, membra mortua non dicuntur proprie membra, ſed æquiuoce, ergo nec peccatores, qui mortui ſunt, proprie [illegible] dicendi membra eccleſiæ. Et cōfirmatur, nulli [illegible] poteſt eſſe ſimul membrū Chriſti & membrum Diaboli. ſed peccatores ſunt filii Diaboli, & membra illius, vt conſtat ex illo Ioan. 8. Vos ex patre Diabolo eſtis, &c. ergo non poſſunt eſſe membra Chriſti, atq; ex conſequenti nec pertinere ad eccleſiam. Tertio argumentor, corpus eccleſiæ, & ſingula eius membra, viuificantur a Spiritu ſancto: vnde dicitur in ſymbolo, [illegible] ſpiritum ſanctum dominum, [illegible] ſunt in peccato mor[illegible] Spiritu ſancto. er[illegible] eccleſiæ. Tandem pro[illegible] teſtimonio D. Auguſt. [illegible] eam [illegible]: & præ[illegible] contra Petilianum, cap. vlti-

mo: vbi dicit, Mali non ſunt computandi in corpore Chriſti, quod eſt Eccleſia. Et libro.2. contra Creſconium, loquens de ſide libus exiſtentibus in peccato mortali, ita dicit, Abſit omnino, vt om[illegible] in membris Eccleſiæ computentur. Idem etiam affirmat in libr. de vnitate Eccleſiæ, cap.12. & lib.4. de baptiſmo contra Donatiſt. cap.3. & lib.6. contra eoſdem, cap.3. & lib.7. cap.49. & 50.

¶ Tertia ſententia eſt Ioannis Hus, & Viucleff, qui dicūt, Eccleſiā tantū cōſtare ex hominib⁹ prædeſtinatis, ſiue boni ſint, ſiue mali: ſiue fideles ſiue infideles. Itaq; ſecundum iſtos, tantum gratia prædeſtinationis eſt vinculum, quo totū corpus Chriſti coniungitur. Et probant ſuam ſententiam primo, ex illo Ioan. cap.2. Ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis: nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent vtiq; nobiſcum. Quem locum de prædeſtinatis intelligendum eſſe, docet D. Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos: & D. Auguſt. de correctione & gratia, cap.9. & de bono perſeuerantiæ, cap. 8. ergo tantum prædeſtinati pertinent ad Eccleſiam. Item ad Ephef.5. dicit Paul. quod Chriſtus eſt caput Eccleſiæ, & ſaluator corporis eius: ſed tātum ſaluantur per Chriſtum illi, qui ſunt prædeſtinati: ergo illi tantum pertinent ad Eccleſiam. Item D. Aug. lib.5. contra Donatiſtas. c.17. qui dicit, quod ex ſolo numero prædeſtinatorum, qui intus in occulto ſunt, conſtat hortus cōcluſus, fons ſignatus, & puteus aquę viuæ: ſed per iſtum hortum, & fontem, ſecūdum communem intelligentiam ſanctorum, intelligitur Eccleſia: ergo ſolum prædeſtinati pertinent ad illam. Idem etiam confirmat D. Aug. lib.5. contra Donatiſt. cap.18. ex illo 1. Petri cap.3. vbi dicitur quod arca Noe fuit typum Eccleſiæ, in qua octo animæ ſaluæ factæ ſunt per aquam: ergo ad Eccleſiam tantum pertinent illi, qui ſaluātur, quales ſunt prædeſtinati.

¶ Ex i[illegible]ta ſententia infertur primò, quod illi, qui ante ſinem conuerſionem ad ſidem atque iuſtitiam, non erant membra Eccleſiæ, nec etiam poſt conuerſionem erunt dicendi membra illius. ¶ Infertur [illegible]ndo, q̄ ſi aliquis dū eſt in gratia, e[illegible] mēbrū [illegible] ſi, et [illegible] poſtea diſcedat [illegible] ſide, etiam erit membrum Chriſti. ¶ T[illegible] infertur, quod D. Paul. atque Auguſt. etiam dum erant infideles, erant membra Eccle-

ſiæ

Primum argum. pro. 2. ſententia.

Secundū argum.

Tertiū argum.

Vltimū arg.

Tertia ſententia [illegible]

Primum [illegible]

Secundū argum.

Tertiū argum.

ſiæ:at verò Iudas, etiam quādo erat in gratia & Apoſtolus, non erat membrū illius.

Quarta ſententia Caſtri & aliorum.

ℭ Quarta ſententia eſt quorundam catholicorum, qui alium extremum tenentes, dicunt, non ſolum fideles ſiue boni ſiue mali ſint, ſiue prędeſtinati ſiue reprobi, pertinere ad Eccleſiam: ſed etiā hæreticos eſſe partes illius. Hāc ſententiam tenēt Caſtro lib. 2. de Iuſta hæret. punitio. c. 24. & Caiet. in opuſculo de autoritate Papæ & Concilij, cap. 22. & Didacus à Stuniga lib. 1. de Vera religione cap. 7. vbi etiam dicit cōtrariam ſententiam eſſe periculoſam, & errori affinem. Et probant ſuam opinionem primo, ex illo. 1. ad Corinth. 4. Quid mihi de ijs, q foris ſunt, iudicare? Sed Eccleſia iudicat de hæreticis, ergo ſunt intra ipſam: atq; ex cōſequenti mēbra illius. Et cōfirmatur, hęretici tenētur parere præceptis, & mādatis Eccleſiæ: ergo ſunt membra illius.

Primum argumentum.

Secundū argumentum.

ℭ Secundo argumētor, oues, quæ inueniūtur notatæ ſigno atq; charactere alicuius, adhuc ſi aberrent ab ouili, pertinēt ad illū: ſed hęretici inueniūtur ſignati Chriſti charactere, quod in baptiſmo acceperunt: ergo quāuis aberrent ab Eccleſia, erunt dicendi pertinere ad illā. Et cōfirmatur, ſi fideles tātū pertinerēt ad Eccleſiam, ſequeretur, quod Eccleſia eſſet inuiſibilis, cōſequens aut eſt falſum, & hæreticū: ergo. Sequela probatur, nam ſi fideles tantum pertinerent ad Eccleſiam, fides eſſet id, quo Eccleſiæ partes primo & immediate diſtinguerētur: ſed fides eſt inuiſibilis: ergo & ipſę partes eſſent inuiſibiles, atq; ex cōſequenti tota Eccleſia.

Tertium argumentum.

ℭ Tertio argumētor ex Paul. 2. ad Timot. cap. 2. dicēte, Prophana, & inaniloquia deuita, multum enim proficiunt ad impietatem, & ſermo eorū vt cancer ſerpit, ex quibus eſt Hymenęus, & Philetus, qui à veritate exciderunt, dicentes reſurrectionem eſſe iam factam, & ſubuertunt quorundā fidem, &c. Ex quo loco ſic colligo argumētum, certum eſt, ꝙ Hymenęus & Philetus fuerunt hæretici, ſiquidem à veritate ceciderunt, & affirmarunt reſurrectionem iam eſſe factam: ſed iſtos adhuc D. Paulus affirmat pertinere ad domū Dei, hoc eſt ad Eccleſiā: ſubdit enim ſtatim, Nam in magna domo non ſolum ſunt vaſa aurea, & argentea, ſed etiam lignea, & fictilia; & quędam in honorem, quædam autem in contumeliam, &c. vbi vocat hæreticos vaſa domus Dei lignea, atq; fictilia, & in cōtumeliam comparata, ergo hæretici pertinent ad Eccleſiam, Et cōfirmatur ex D. Aug. qui lib. 4. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 12. explicans teſtimonium Pauli modo citatum, non ſolum ſubſcripſit huic ſententię, ſed etiam illam p̄bobat pluribus argumentis: & adducit pro ſe teſtimonium Cypriani grauiſsimè increpantis contrarium aſſerentium temeritatem, ergo hæretici pertinent ad Eccleſiam.

Primum notabile.

His tamē, & multis alijs ſententijs quæ in hac re afferri poſsēt, prætermiſsis: ad exactā intelligentiam difficultatis propoſitę, eſt aduertendum primo, ꝙ Eccleſia in ſacris literis, multis ac diuerſis nominib⁹ appellatur, vt hac ratione eius vis, atq; efficacia commodè explicari poſsit. Appellatur enim interdum columna, interdum amica, ſponſa, regnum, domus, ciuitas, ſagena, nauis, &c. & alia huiuſmodi, de quibus copioſè diſſerit Turrecremata lib. 1. Summę Eccleſiæ, à cap. 31. vſque ad. 44. Tamen inter omnes iſtas appellationes, nullum nomen eſt magis aptum ad ipſam rem ſignificandam, quam nomen, corpus: quo nomine frequentiſsimè vtitur D. Paul. vt doceat ex Chriſto & Eccleſia vnum confici integrū corpus, cuius caput eſt Chriſtus, à quo omnis virtus in membra deriuatur. Vnde ad Epheſ. 4. dicit, Qui eſt caput Chriſtus ex quo totum corpus compactū & connexum eſt, per omnem iuncturam adminiſtrationis, ſecundum operationem in menſuram vniuſcuiuſq; membri, augmentum corporis facit, in ædificationem ſui in charitate, &c. & ad Ro. 12. Sicut in vno corpore multa mēbra habemus, omnia autē mēbra non eūdem actum habent, ita in Chriſto vnum corpus ſumus. Et. 1. ad Corinth. cap, 13. & ad Epheſ. 1. idē affirmat dicens, quòd omnia ſubiecit ſub pedibus eius, & ipſum dedit caput ſupra omnem Eccleſiā, quæ eſt corpus eius.

Secundū notabile.

ℭ Secundo aduertendum quod ad hoc, quod aliquid dicatur vere membrum alicuius corporis, duo requiruntur, primum eſt, quod accipiat influxum aliquem vitalem ab anima, alterum autem, ꝙ habeat ordinem ad reliquum corpus: nam membra ſibi inuicem ſunt membra, & mutuo ſe iuuant: & ſi deſit aliquod iſtorum, membrū eſſe non poterit: quare veſtes quibus tegimur, & inſtrumenta quibus vtimur, membra dicenda non ſunt: nam quāuis habeāt ordinem ad corpus, non tamen accipiunt aliquem vitalem influxum ab anima: & ſimili-

ſimiliter, ſi fingamus brachium abſciſſum habere influxum vitalem ab anima, adhuc membrum dici non poſſet, quia non habe ret ordinē ad reliquū corpus. Itaq; vtrūq;, ſcilicet, & habere ordinēm cum corpore, & præterea accipere influxum vitalem ab anima, eſt neceſſarium adveram rationem membri, & altero illorum deficiēte, quòd etiam ratio membri deficiat, erit neceſſe.

Tertium notabile.

¶Tertiò notandum, quòd quamuis anima influat in totū corpus vitam, ſenſum, atque motum: iſtum tamen influxum nō ex æquo omnia membra participant, ſed magis aut minus pro vniuſcuiuſq; diſpoſitione: & membra ſana, ſuſcipiunt quidem iſtum influxum integrè, atque perfectè: at vero membra infirma minus ſuſcipiūt, & membra torpentia, viuunt quidem, atque ſentiunt, ſed non accipiunt vim motiuam: at verò membra emortua, nec accipiūt motum, nec ſenſum: ſed tantum quandam vegetabilē vim, qua à corruptione prolubētur, quandiu corpori manent coniuncta. Cæterùm membra abſciſſa, nihil prorſus ab anima ſuſcipiunt, quamuis propter cōiunctionem, quam habuerūt ad reliquum corpus, retineant nomen antiquum, & appellentur membra non propriè, ſed æquiuoce.

Quartum notabile.

¶Quartò notandum, quòd bona, quæ à Chriſto deriuantur in Eccleſiam tanquam in eius corpus, ſunt in duplici differentia: quædam enim ſunt, quæ tantum pertinēt ad priuatam ſalutē, & vtilitatem eius membri, in quo recipiuntur: qualia ſunt fides, ſpes, charitas: quæ bona, quamuis, quantum eſt ex parte Dei, ſemper inſundantur omnibus membris, tamen non omnes ex æquo illa ſuſcipiunt, ſed magis aut minus pro ſua diſpoſitione: nam iuſti tanquam membra ſana, omnia illa bona ſuſcipiunt: peccatores vero tanquam mēbra infirma, non omnia, ſed aliqua, ſcilicet fidē, & ſpē. Cæterùm infideles, atque hæretici tanquā membra omnino abſciſſa à corpore Chriſti, quod eſt Eccleſia, nihil illorū ſuſcipiūt. Alia bona, quæ deriuantur à Chriſto, pertinēt non ad ſuſcipientium vtilitatem, ſed ad communem totius corporis Eccleſiaſticā ſalutem: qualia ſunt, gratiæ gratis datæ, vt [illegible] interpretatio ſermonū. &c. de quibus [illegible] Paul. 1. ad Corinth. 12. d[illegible] V[illegible] datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem, alij quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ, alij autē ſermo ſcien-

tiæ, &c. & ad Epheſ. 4. Poſuit quoſdam Apoſtolos, quoſdam Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios vero paſtores & doctores, &c. ad conſummationem ſanctorum, in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti. Et quamuis vtraque iſta bona ſint neceſſaria ad conſtituēdum corpus Eccleſiæ (nā per bona primi generis accipiunt membra vitam à capite, per bona autem ſecundi generis habēt mutuum ordinem inter ſe ſe) nō tamē eſt neceſſarium, quòd ſingula membra habeant vtraque iſta bona, vt verè membra dicantur, ſed ſatis fuerit, ꝙ tantum participent aliqua ex bonis primi generis, vt ſic accipiant influxum à Chriſto, & habeant ordinem ad reliquum corpus Eccleſiæ.

Prima conclusio.

¶His cōſtitutis ſit prima cōcluſio, Chriſti Eccleſia nō tātum cōſtat ex hominibus interioribus, & inuiſibilibus, vt dicebat Lutherani, ſed etiā ex hominibus exterioribꝰ, & viſibilibus: ex quo fit, vt eccleſia ſit quædā res viſibilis, & ſenſibꝰ expoſita. Hæc cōcluſio eſt de fide tenenda, & probatur primo, ex Paulo. 1. ad Corint. 6. dicente, Neſcitis quòd corpora veſtra membra ſunt Chriſti? Et paulò inferiùs, Neſcitis quod corpora veſtra templum ſunt Spiritusſancti? ergo Eccleſia nō ſolum ex animis, ſed etiam ex corporibus conſtat. Item Matth. 18. dixit Chriſtus, Si te non audierit dic Eccleſiæ, & ſi Eccleſiam nō audierit, ſit tibi tanquā Ethnicus, & publicanus: ſed ſi Eccleſia eſſet inuiſibilis, non poſſet nobis conſtare vbi nam eſſet, nec poſſemus illi denunciare de fratre peccante, ergo eſt quædam res viſibilis, atque ex conſequenti conſtat non ſolum ex animis, ſed etiam ex hominibus exterioribus. Itē ratione idē probatur, caput eccleſiæ, ſcilicet, Chriſtus in quātū homo, eſt viſibile, & ſacramēta ſimiliter ſunt viſibilia, ergo & ipſa eccleſia. Et confirmatur, ſi eccleſia eſſet inuiſibilis, eo modo, quo aſſerunt Lutherani, ſequeretur maxima omnium rerum confuſio: hæc autem non eſt ponenda in repub. bene inſtituta, ergo. Minor probatur, nā nullus poſſet cognoſcere, quænam, aut vbinam eſſet eccleſia, & cum omnis regula rectè credendi, & operandi, ſit poſita in eius iudicio, nihil ex conſequenti certi, in fide, aut moribus habere poſſemus. Tandem hæc concluſio probatur eiſdem rationibus, & teſtimonijs, quibus ſupra probauimus [illegible] de ſi ponendum eſſe iudicem externum, ad

quem

quę pertineat iudicare de fide & moribus.

Secunda concluſio. ¶ Secunda concluſio, Eccleſia Chriſti, non ſolum conſtat ex bonis, aut prædeſtinatis hominibus, ſed etiam ex iniuſtis, & reprobis fidelibus. Probatur primò, ex Paulo.1. ad Corinth. 5. vbi in eccleſia Corinthiorum, quam in principio capitis ſanctã appellauerat, confitetur eſſe peccatores, atque carnales, & fornicarios. Item Matth.3. comparatur eccleſia areæ, quæ continet paleam, & triticum: & ſemini, cui eſt admiſtũ loliũ: & ſagenæ miſſæ in mari, ex omni genere piſcium congreganti. Et Ioann.15. comparatur vineæ, quæ non ſolum profert vuas, ſed etiam labruſcas: & Matth.25. aſsimilatur decem virginibus, partim prudentibus, & partim fatuis, ergo eccleſia, non ſolum ex bonis & prædeſtinatis, ſed etiam ex malis & reprobis cõſtat. Item præterea, Apoſtoli erant de eccleſia, & præcipua illius pars, iuxta illud, ad Epheſ. 4. Quoſdã dedit Apoſtolos: ſed vnus ex illis, ſcilicet, Iudas, nec erat iuſtus, ſiquidem erat fur, & latro, & Diabolus miſerat in eius cor, vt traderet Chriſtũ Redẽptorem. Vnde Ioan.13. dixit Chriſtus, Vos mundi eſtis, ſed non oẽs, ſciebat enim quis traderet eum: qui erat Iudas, vt poſtea comprobauit euẽtus. Nec etiã erat prædeſtinatus, ſiquidem fuit damnatus. Cõſtat autem quòd Iudas toto tempore vitæ ſuæ, & quoaduſq; ſuſpenſus crepuit medius, non perdidit Apoſtolatus officium, vt docet D. Bernard. ſerm. 66. ſuper Cantica: & colligitur ex Actis.c.1. ergo Eccleſia non ſolum conſtat ex bonis & prædeſtinatis, ſed etiam ex malis & reprobis. Et ratio eſt manifeſta: nam omnes fideles, etiam ſi ſint mali, atque reprobi, conueniunt in vno & eodem fidei ſpiritu, & in exteriori fidei profeſsione, & vſu ſacramentorum: & præterea habent inter ſe ſe mutuũ ordinem, nam ſunt coordinati ſub vno capite, ſcilicet, ſub vno Chriſti vicario, & ſunt vel pedes, vel manus, vel oculi, vel denique ſunt ſubditi, vel pręlati: ergo eccleſia etiam conſtat ex malis, & reprobis. Hæc concluſio diffinita eſt in concil. Cõſtantienſi, ſeſsione.15. vbi cõtrarius error damnatus eſt, ſimul cum illis propoſitionibus, quæ ex illo ſequuntur. De hac concluſione videndus eſt Corduba libr.4. quæſt.1. propoſitione.11. & Magiſter Didacus Stunica Auguſtinianus, lib.1. de vera religione. c.4. & Turrecremata lib.1.c.3.

Tertia concluſio. ¶ Tertia concluſio, Hæretici, propriè loquendo, non pertinent ad eccleſiam, nec ſunt membra illius. Hæc concluſio eſt contra Caiet. & contra Alphonſum de Caſtro: illã tamen tenent Cano, libr.4. de locis. capite. 2. & Victoria relectione de poteſtate eccleſiæ, & communiter omnes doctores. Et probatur primò, nam eccleſia conſtat vno Deo, vna fide, vno baptiſmate, vt dicitur ad Epheſ.4. ſed hæretici non habent veram fidem, ergo non pertinent ad Eccleſiam. Item hæretici nullum influxum recipiunt à capite, nec habent ordinem ad reliquũ corpus, ergo non ſunt membra Eccleſiæ: conſequentia tenet ex ſecundo notabili, antecedens vero probatur: quia primum, quod influit Chriſtus in membra, eſt fides: ſed non habent fidem, ergo. Item Diuus Grego. lib.12. Moral. cap.15. dicit, quòd hæretici ab vnitate fidei, ſunt egreſſi, iuxta illud Ioann. Ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis, ergo non manent intra eccleſiam, Vnde Nicolaus Papa, & habetur de conſecratione, diſtict.1. cap.1. diffiniens Eccleſiam dicit, quòd eſt cõgregatio fidelium catholicorum.

Dubium. ¶ Sed dubitauit aliquis hoc loco, vtrũ ſchiſmatici, & excõicati, pertineãt ad eccleſiã? In quo ſit quarta concluſio, *Quarta concluſio.* Excõicati, verè & propriè, pertinent ad Eccleſiam: & ſimiliter illi ſchiſmatici, qui nulla hæreſi ſunt infecti. Probatur, quoniam huiuſmodi omnes accipiunt à Chriſto fidei influxum, & habent ordinem ad reliquum corpus: imò & excõmunicati poſſunt etiam habere charitatem, ſi ante abſolutionem pœniteant de peccato, propter quod fuerunt excommunicati, ergo ſunt membra Eccleſiæ. De alijs autem ſchiſmaticis, ſeu apoſtatis, qui fidem reliquerunt, idem iudiciũ eſt, ac de alijs hæreticis. ¶ Ex dictis infertur, Eccleſiam tantum conſtare ex ijs hominibus, tãquam partibus, qui in fide permanentes, habent ordinem ad reliquum corpus eccleſiæ, ſiue boni ſint, ſiue mali, ſiue reprobi, ſiue prædeſtinati. Itaque fides eſt vinculum quo eccleſia colligatur.

¶ Sed reſtat vt reſpõdeamus ad argumenta in contrarium facta, & primo, ad argumenta Lutheranorũ, qui dicebãt Eccleſiã eſſe inuiſibilẽ. *Ad.1. argu. ꝓ prima ſententia.* Ad primum reſpõdetur, negãdo quòd noſtra lex ſit inuiſibilis: & ad teſtimonium ex Hierem. dico, illis verbis vſum fuiſſe prophetam, ad ſignificandum quoddam maximum diſcrimen, quod eſt inter legem nouam, & legem veterẽ: nam

lex vetus, quia tãtum præcipiebat ea, quæ erant facienda, nec ſuggerebat vires ad illa implẽda, dicitur lex ſcripta in tabulis lapideis. Cæterùm lex noua, quia non ſolùm ponit præcepta viſibilia, ſed etiam per ſua ſacramenta, & aliàs rationes, ſuggerit magnam copiã gratiæ, qua homo & ſanetur, & roboretur ad implenda, quæ præcipit, dicitur collocata in mentibus, & cordibus noſtris: & proptereà dicit, Dabo legẽ meã in cordibus eorũ. Et quòd hoc ſit propriũ legis Euãgelicæ, conſtat ex D. Thom. 1. 2. quæſt. 106. artic. 1. & ex D. Aug. in libr. de ſpiritu & litera, vbi per multa capita copioſe docet, quod quælibet exterior propoſitio præceptorum, etiam naturalium, aut quorumcũq; aliorum, eſt litera occidens, lex autem viuificans eſt gratia, & charitas, quæ propriè eſt lex Euangelica, conferens vires ad implenda ea, quæ præcipiuntur. Vnde à D. Paul. 2. ad Corinth. c. 1. appellatur lex ſpiritus. & D. Ioann. cap. 1. loquẽs de ea, dicit, Lex per Moyſen data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum. Quaſi diceret, hoc fuit proprium legis Chriſti, & in quo ipſe ſuperauit alios legiſlatores, quod Chriſtus dedit gratiam, & veritatẽ, id eſt, infudit cordibus hominum iuſtitiam, qua inclinauit eorum mẽtes ad bonum, & ſuggeſsit vires ad exequẽda operà virtutum: & idcirco lex Euãgelica dicitur data in cordibus noſtris.

Ad. 2. argu. ¶ Ad aliud ex Luca. cap. 17. reſpondetur notando, quod hæc vox, regnum

Regni cœlorum multiplex acceptio

cœlorum, variè accipitur in ſacra ſcriptura, vt latè docet Driedo libr. 3. de dogmatibus, tract. 2. c. 1. nam primò, regnum cœlorũ accipitur pro hac Eccleſia militante, id eſt, pro congregatione fideliũ, ſub vno capite Chriſto, degentium: in qua ſignificatione dixit Chriſtus Matth. 7. Et colligent de regno eius omnia ſcãdala. & Matth. 25. Simile eſt regnũ cœlorum, decem virginibus. Secundo modo accipitur tantum pro congregatione ſanctorum, & iuſtorum, in qua ſignificatione dixit Chriſtus Matth. 11. A diebus Ioannis Baptiſtæ, regnum cœlorũ vim patitur, & violenti rapiunt illud: & Paul. 1. ad Corinth. 15. Cũ tradiderit regnũ Deo, id eſt, cum iuſtos atq; ſanctos perduxerit ad viſionem Dei. Tertio modo accipitur regnum cœlorum pro prædicatione Euangelica, & doctrina ſacrarum literarum: & in hac ſignificatione dixit Chriſtus Matth. 21. Ideò auferetur à vobis regnum, & dabitur genti facíẽti fructus eius, id eſt, tolletur à vobis doctrina, atq; cognitio diuinarum ſcripturarum. Item etiam regnũ cœlorum pro doctrina Euangelica, cõparatur grano ſynâpis, & theſauro abſcondito in agro, vt cõſtat ex communi interpretatione ſanctorum. Quarto modo accipitur regnum cœlorum, pro fide, & alijs donis Spiritus ſancti, quæ hoc nomine appellantur, quia per ea homines principaliter pertinent ad Eccleſiam, & ratione illorũ propriè Chriſtus dicitur, regnare in nobis. Hanc acceptionẽ approbat D. Augu. lib. vnico de fide & operibus: & Greg. Nazianzenus, vt refert D. Tho. in Catena ſuper. 17. c. Lucæ: & in hac ſignificatione dixit Paul. ad Rom. 14. quod regnũ Dei nõ eſt eſca, & potus: ſed iuſtitia, & pax, in Spiritu ſancto. Hoc ergo ſuppoſito reſpondetur primò ad argumẽtũ, quod regnũ cœlorũ, in illo loco, non accipitur pro congregatione fidelium, & Eccleſia, de qua agimus, ſed accipitur ſecundum vltimam acceptionẽ, pro fide & regenerationis ſpiritu: vt docẽt D. Aug. & Grego. Nazianzenus, locis citatis. Et ſic ex illo teſtimonio nullũ ſumitur argumentum contra nos. Vel ſecundo reſpondetur & melius, quòd Chriſtus eo in loco, nomine regni cœlorũ, nec ſignificat Eccleſiam, nec interiora dona Spiritus ſancti: ſed tantum ſuum ad homines aduẽtum. Itaq; quãdo dicit, Regnum cœlorum intra vos eſt, tãtum vult ſignificare ſe iam veniſſe, & inter homines verſari. Et quod iſte ſit legitimus ſenſus illius loci, patet ex iis, quæ præceſſerunt: nam cum interrogarent Phariſæi, quonam tempore vẽturum eſſet regnum Dei, id eſt, quo tempore Meſsias veniens eſſet regnaturus, nimirum temporaliter, vt ipſi arbitrabantur, & aduentus Meſsiæ futurus eſſet duplex, vnus glorioſus ad iudicium, alter humilis ad ſalutem, volens Chriſtus loqui de vtroq; aduẽtu reſpondit dicens: Regnum Dei, id eſt, aduentus Meſsiæ glorioſus, quem vos intelligitis, nõ veniet cum obſeruatione, nec dicent, Ecce hic, aut ecce illhic, id eſt, non veniet ſic, vt homines poſsint imminens tempus aduentus obſeruare, & proſpiciendo præcognoſcere, nec cum venerit dicere poterunt, ecce hic, aut ecce illhic eſt regnũ cœlorum: ſed ſubito & [illegible] a-tè veniet. Sicut enim fulgur exit ab Oriente, & paret vſque in Occident[illegible] ad-uẽtus filij hominis. Cæterũ de alio aduẽtu humili ſubdit [illegible], regnũ Dei intr[illegible] vos eſt:

Duplex a[illegible]tus Chriſ[illegible]

eſt, ac ſi dixiſſet, aduentus illius glorioſi, de quo interrogatis, habet se eo modo, quo dixi: tamen aliud ad tentum, quo vos ignoratis: in quo Chriſtus non temporaliter, ſed ſpiritualiter eſt regnaturus per gratiam, iam eſt intra vos. Et ſic [illegible] ex illo loco nõ colligitur, Eccleſiam eſſe inuiſibilem.

Ad confirmationem. ¶ Ad confirmationem reſpondetur negando antecedens, & ad probationem ex D. Petro dico, quòd hæc nomina templi, ſacerdotium, & ſacrificium, poſſunt accipi dupliciter, vno modo proprie, & ſic tãtum dicuntur de rebus viſibilibus & exterioribus: alio modo impropriè, & ſic per ſimilitudinem quandam traduci poſſunt ad res inuiſibiles: nam animus iuſtorũ, per ſimilitudinem à templo exteriori, dicitur templu: & orationes dicuntur ſacrificia. Quando autem D. Petrus dicit, quòd fideles ædificant, tãquam lapides viui, domos ſpirituales, & ſacerdotium ſanctũ: accipit hæc nomina impropriè, ducta ſimilitudine à proprijs templis, & ſacerdotijs exterioribus, quæ ſunt in Eccleſia, à quibus habet quòd ſit viſibilis, & ſenſibus expoſita. Vel ſecũdo reſpondetur notando, quòd dupliciter poteſt dici aliquid ſpirituale, vno modo eſſentialiter, & ſic tantum dicuntur ſpiritualia ea, quæ ſunt inuiſibilia: alio modo cauſaliter, & ſic dicitur ſpirituale, omne illud quòd habet ortum à gratia, quamuis ſit viſibile & corporale: quo modo accipitur ſpirituale in diffinitione ſimoniæ, quando dicimus: quòd eſt ſtudioſa voluntas emendi vel vẽdendi aliquid ſpirituale, aut ſpirituali annexum: & ſimiliter quãdo homines ſanctos, [illegible] appellamus ſpirituales, cum Paulo dicente ad Galatas. 6. Vos qui ſpirituales eſtis [illegible]. Hoc igitur ſuppoſito dico quòd D. Petrus in illo loco accipit ſpirituale ſecundo modo, id eſt quod, quod ſit viſibile id, quod ſpirituale appellatur.

Ad. 3. argu. ¶ Ad tertiũ argumentum reſpondetur concessa maiori negando minorem: [illegible] fides lateat in corde, nec à nobis videri poſsit: videmus tamen exteriorem fidei profeſsionem, quam ſignis exterioribus eſt [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] penes illos eſſe veram Eccleſiam. Nam quãuis aliqui illorum, qui fidem exterius profitentur, poſsint nos decipere non habere enim fidem quam [illegible] [illegible] moraliter loquendo, nõ eſt poſsibile, [illegible] ta ipſa fidelium congregatio fidem [illegible] & mendaciter profiteatur. Et ſic ex prædicto ne fidei certò cognoſcimus, quòd iſti qui fidẽ profitentur, vel omnes, vel maxima eorum pars conſtituunt veram Eccleſiam: atque ex conſequẽti, Eccleſia non inuiſibilis, ſed viſibilis appellanda eſt.

Ad confirmationem ex ſymbolo. ¶ Ad confirmationem ex ſymbolo reſpondetur, vtrumque eſſe verum, ſcilicet, quod Eccleſia creditur à nobis, atq; etiam videtur: nam videmus hominum cõgregationem, exterius fidem Chriſti profitentium, & credimus quòd iſta congregatio interius viuificatur ab Spiritu ſancto per fidẽ, ſpem, atq; charitatẽ: & propterea dicitur, Credo ſanctã Eccleſiã.

Ad argum. pro. 2. ſententia. ¶ Ad argumenta facta pro ſecunda ſententia Donatiſtarum, qui dicebant, Eccleſiam tantum cõſtare ex hominibus iuſtis, atque bonis.

Ad primũ. ¶ Ad primum reſpondetur, quòd non loquitur in illo loco de Eccleſia ſecundum præſentem ſtatum, ſed ſecundum ſtatum futurum in gloria: & ſic dixit, vt exhiberet ſibi Eccleſiã glorioſam, non habentem maculam, aut rugam. Nam Eccleſia in hac vita plures habet maculas, atque rugas, à quibus quotidie mundatur per ſacramenta, & per applicationem paſsionis Chriſti. Ita exponit hunc locum D. Aug. lib. 4. contra ſecũdam epiſtolam Pelagij: & D. Thom. 3. p. quæſt. 8. art. 3. ad. 2. Similiter etiam eſt intelligendũ de Eccleſia glorioſa, illud Eſaiæ, Non trãſibit per eam incircifus, aut immundus. ¶ Ad aliud autem ex ſymbolo, Credo ſanctam Eccleſiam, reſpondetur primò, cum D. Auguſt. lib. 3. de doctrina Chriſtiana, cap. 32. quòd eccleſia creditur ſancta, à principaliori parte, quæ ſancta eſt. Vel ſecundo reſpõdetur, & melius, quòd dicitur, ſancta, non quia omnia eius membra ſancta ſunt: ſed quia ſunt Deo dicata, nam ſanctum in ſcriptura ſæpeſæpiùs ſignificat, non quod iuſtum eſt, ſed qd eſt Deo dicatum, iuxta illud, Lucæ cap. 2. Omne maſculum adaperiens vuluam, ſanctum domino vocabitur, id eſt, cõſecratum, & dicatum Deo. De hac re vidẽdus Turrecremata, libr. 1. ſuæ ſummæ. c. 9. & Hoſius in confeſsione fidei cap. 21. vbi plures alias rationes ponũt, propter quas, Eccleſia dicenda ſit ſancta. ¶ Ad aliud ex Cãticis poſitũ in eodem primò argumento, ſcilicet, Tota pulchra es amica mea, &c. reſpondet iſta verba tantum dici de Eccleſia, prout comprehendit ſolos iuſtos habentes fidem, ſpem, atque charitatem, qui immaculati dicuntur, non quia nihil habeant peccatum, etiam veniale

ſed

ſed quia carent omni peccato mortali : & præterea non negligunt emendare venialia eleemoſynis, aut alijs remedijs, vt docet D. Auguſt. in libr. de perfectione iuſtitiæ. hos enim ſcriptura immaculatos appellat, vt ſatis cōſtat ex illo Pſal. Ero immaculat⁹ cū eo, & obſeruabo me ab iniquitate mea. Et ex illo, Beati immaculati in via, &c.

Ad. 2. argu. ¶ Ad ſecundū reſpondetur, quòd quamuis peccatores, comparatione ad iuſtos, dicantur mēbra mortua, quia nō habent charitatem : tamē abſolutè loquēdo, non ſunt dicendi penitus membra mortua, ſiquidem, vt diximus, accipiunt à Chriſto fidei influxum, & ſic propriè pertinent ad Ec-

Ad confirmationem. cleſiam. ¶ Ad confirmationem reſpondetur, negando maiorem, nō enim eſt inconueniens, quod idem ſit ſimul membrum Chriſti, & membrum Diaboli, ſecundum diuerſas conſiderationes : nam ſunt mēbra Chriſti in quantum ab eo accipiūt fidem & ſpem, atq; alia dona neceſſaria ad ſuā, & aliorum ſalutem. ſunt autem membra Diaboli, ratione peccatorū, quæ ſunt propria opera Diaboli: iuxta illud, Vos ex patre Diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis facere. Itaq; Chriſtus atq; Diabolus concurrūt in vno & eodem homine, Chriſtus quidem influendo fidem, Diabolus

Ad. 3. arg. autem mouendo ad peccatum. ¶ Ad tertiū reſpondetur, quod licèt peccatores non viuificentur perfectè ab Spiritu ſancto per gratiam & charitatem, viuificantur tamen imperfectè, recipiētes ab illo fidem & alia dona ſpiritualia, quæ in peccatoribus repe-

Ad vltimū. riuntur. ¶ Ad vltimum ex D. Auguſt. reſpondetur, ꝙ quando apud ſanctos inueniūtur ſimilia verba, ſcilicet, peccatores nō ſunt membra Eccleſiæ, vel nō pertinent ad corpus Eccleſiæ, aut ſunt membra in potentia, & non in actu : ſunt intelligendi id aſſerere in ordine ad iuſtos, & non abſolutè: & ratio eſt, nam medium quod participat vtroq; extremo, reſpectu cuiuſcunq; illorum habet rationem contrarij, & eius nomē ſortitur, verbi gratia, viride, quòd eſt medium inter album & nigrum, ſi comparetur ad nigrū, dicitur albū, & ſi cōparetur ad album, dicitur nigrum. Cum ergo peccatores fideles ſint medij inter homines iuſtos, qui propriè & perfectè ſunt mēbra Eccleſiæ, & infideles, qui omnino ſunt extra Eccleſiam: ſi comparentur ad iuſtos dicuntur, ꝙ non ſint membra, quia non ita perfectè participat capitis influxum, ſicut illi: ſi verò comparentur ad infideles dicuntur membra: & ſic conciliari poſſunt diuerſa loca ſanctorum, quæ inter ſe diuerſa eſſe videntur. Vel ſecundo poſſunt conciliari ex eo, quod notat D. Aug. lib. 4. contra Donatiſt. c. 12. & de fide ad Petrum cap. 42. ſcilicet, quod Eccleſia poteſt accipi dupliciter, vno modo ſtricte pro ſola cōgregatione iuſtorum, de qua loquitur Diuus Ioan. in Apocalypſi cap. 2. quando dicit, Vidi ciuitatem ſanctam Hieruſalem, ſicut ſponſam ornatam viro ſuo. & Paul. ad Titum. 2. dum dicit, Chriſtus dedit ſemetipſum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populū acceptabilem, ſectatorem bonū operum, & Eccleſia iſto modo accepta eſt inuiſibilis, & ſoli Deo cognita : quia vt dicit idem Apoſtolus, Nouit dñs, qui ſunt eius. &c. Alio modo poteſt accipi Eccleſia large, ꝓ congregatione omnium fidelium, ſiue boni ſint ſiue mali, quo modo à nobis in pręſenti accipitur. Et hoc ſuppoſito dico, ꝙ quando ſancti excludunt peccatores ab Eccleſia, loquuntur de ea primo modo accepta, cum tamen ijdem propriè pertineant ad Eccleſiam ſecundo modo dictam, & ſic conciliantur inter ſe ſe.

¶ Ad argumēta Ioan. Hus, & Vvitcleff, qui dicunt, Eccleſiam tantum conſtare ex prædeſtinatis. *Ad argumēta pro. 3. ſententia.* Ad primum ex epiſtola. 1. Ioan. cap. 2. reſpōdetur primò, quod quando Apoſtolus dicit, Nō erat ex nobis, tantū vult ſignificare, quòd illi, qui receſſerūt à fide, non erant veri Chriſti diſcipuli, quales ipſi Apoſtoli erant : nam ſi tales eſſent, permanſiſſent vtiq, nobiſcum. *Ad. 1. arg.* Vel ſecundo reſpondetur, quod dicit non eſſe ex nobis, quia non erant Apoſtoli, tametſi aliquādo fuerint Chriſtiani. nam ſi Apoſtoli eſſent, miſſi a Deo ad prædicationem permanſiſſent vtique nobiſcum. [illegible] ritatem enim Euangelij pertinebat, vt primis illius prędicatoribus, ſuppeteret perpetua, & conſtans ratio vitæ, atque doctrinæ. Si quis autem velit propter authoritatem Auguſt. atque Hieronymi, interpretari iſtum locum de prædeſtinatis, poterit ſecundo reſpondere ad argumentum, negando, quod ex hoc ſequatur tantum prædeſtinatos pertinere ad Eccleſiam : nam quando Apoſtolus dicit, non erant ex nobis, non vult ſignificare ꝙ non pertinerent ad Eccleſiam, ſed qđ nō erāt ex numero electorum, in quo ipſi Apoſtoli inueniebatur. Non. n. valet illa conſe-

conſequentia, Petrus non eſt de electorum numero, ergo non pertinet ad Eccleſiam: nam Eccleſia eſt magna domus, in qua multa vaſa eſſe oportet, alia in honorem, alia in contumeliam, vt dicit Apoſtolus. 2. ad Timot. 2. ¶ Ad ſecundum ex Paulo ad Epheſ. 5. reſpondetur, quod Chriſtus dicitur caput Eccleſiæ, & Saluator corporis eius, non quia omnes qui ſunt in Eccleſia ſaluentur: ſed quia pro omnibus quantum ad ſufficientiam dedit remedium ſufficiẽs ad ſalutem conſequendam, quamuis quantum ad efficaciam, ſolum illi ſalutem conſequãtur, qui ſibi efficaciter applicãt Chriſti paſsionem. ¶ Ad vltimum ex Auguſt. reſpondetur, quod loquitur de Eccleſia, non ſecundum præſentem ſtatum, ſed futurum, ad quẽ ſolum ſpectãt prædeſtinati, illumq; ſtatum appellat fontem ſignatum. ¶ Ad confirmationem ex eodem reſpondetur, quod Arca Noë in hoc ſolum fuit figura Eccleſiæ, quod ſicut extra illam nullus ſaluus factus eſt, ita etiam extra Eccleſiam nulli poteſt ſalus contingere: quod & explicãs D. Petrus in eodem loco dicit, Ita nos ſimilis formæ ſaluos fecit baptiſma: quaſi diceret, quod ſicut illi per arcã ſalui facti ſunt à diluuio, ita & nos à peccatis per baptiſma. Imò & hæc figura potius facit pro nobis, quam contra nos: nam quemadmodum in arca Noë fuerunt diuerſa genera animalium, quædam munda, alia immunda, vt dicitur Geneſ. 7. ita in Eccleſia ſunt varij homines, quorum aliqui ſunt iuſti atque prædeſtinati, alij mali atque reprobi.

Ad 2. arg. *Ad vlti. ex Auguſt.*

¶ Ad argumenta pro quarta ſententia aſſerentium hæreticos pertinere ad Eccleſiam. Ad primũ ex Paul. 1. ad Corinth. 4. reſpondetur, quòd quamuis hæretici ſint extra Eccleſiam, quia tamen aliquãdo fuerunt intra illã, & in baptiſmo profeſsi ſunt ſe omni tempore futuros Chriſtianos, idcirco poteſt Eccleſia ab illis exigere, vt ſeruent fidem promiſſam: quod niſi fecerint, poterit illos punire. D. autem Paul. tãtum loquitur de infidelibus & paganis, ſupra quos Eccleſia nullum habet ius: ſiquidem nec ſunt intra illã, nec profeſsi ſunt ſe futuros Chriſtianos. ¶ Ad confirmationem ſimiliter reſpondetur, quòd hæretici tenentur parere præceptis Eccleſiæ, ratione profeſsionis factæ in baptiſmo. ¶ Ad ſecundũ reſpondetur, φ character baptiſmalis non eſt ſufficiens ad efficiendum membrum Chriſti, vel Eccleſiæ: ſiquidem per illum hæretici nullum influxum accipiunt à Chriſto, ſed tantũ eſt quædam nota, atq; ſignum, quo Eccleſia vtitur ad cognoſcendum, quænam oues, vel ſunt, vel fuerunt, de ſuo ouili, vt illas aberrãtes ad illud reducere poſsit. ¶ Ad confirmationem reſpondetur, negando ſequelam, & ad probationem dico, quòd quamuis fides lateat in mẽte, exterior tamen fidei profeſsio, quam ſignis exterioribus faciunt fideles, facit vt ipſa Eccleſia ſit uiſibilis, non enim ſolum tenentur homines credere, ſed etiam ſuam fidem ſignis, atq; ſacramentis viſibilibus manifeſtare, vt ſuprà diximus. Vnde non valet hæc conſequentia, fides eſt id, quo primũ membra Eccleſiæ talia cõſtituũtur: & fides eſt inuiſibilis, ergo Eccleſia eſt inuiſibilis. Sicut nec etiã valet hęc, influxus, quem membra ſuſcipiunt à capite, eſt primum, quo ipſa membra talia conſtituuntur: & influxus eſt inuiſibilis, ergo membra ſeu corpus eſt inuiſibile. Nam ad hoc vt membra aliqua viſibilia dicantur, ſatis eſt, φ virtute influxus, quẽ ſuſcipiunt à capite, exerceant operationes aliquas viſibiles, quamuis influxus uideri non poſsit: & ita contingit in propoſito. ¶ Ad tertium argumentum ex Paul. 2. ad Timo. cap. 2. reſpondetur, quod ſi verba illa, In magna domo non ſolum ſunt vaſa aurea & argentea, referantur ad Hymenæum & Philetum, tunc quidem ea non expectant ad id tempus, quo iam de communi domo fidelium per ſectam priuatam exierãt: ſed ad illud potius, quo per ſuſceptam fidem & baptiſmum in ipſa domo continebantur: dixerat enim Apoſtolus, quoſdam à veritate excidiſſe, dicentes reſurrectionẽ iam factam, & ne omnes fragiles exiſtimarentur, ac proinde Eccleſiæ fidei timeremus, ſubiecit ſtatim, Sed firmum Dei fundamentum ſtat. &c. Quia autem poterat quis dubitare, cur Deus in ſua Eccleſia alios firmos, alios infirmos haberet, & hos ſtare, illos vero excidere pateretur? huic tacitæ obiectioni reſpõdet dicens, in magna domo non ſolũ ſunt vaſa aurea & argẽtea, ſed etiã lignea & teſtacea, quaſi ſignificãs ad diuinam prouidentiam ſpectare, φ habeat in ſua Eccleſia quoſdã, qui à vera fide deficere poſsint. Ex hoc tamẽ nõ infertur φ eo tẽpore, quo iã defecerũt, pertineãt ad Eccleſiam, ſed tantũ φ quãdiu retinent verã fidem, defectibilem tamen, ſunt vaſa teſtacea

Ad arg. pro 4. ſententia. *Ad. 1.* *Ad. 2. arg.* *Ad. 3. arg.*

ſtacea domus Dei. Ita exponit hunc locum D. Thom. & Titelmānus Commentarijs ſuper epiſtolam Pauli, de quo videndus eſt Canus lib. 4. de locis.cap.2.

Ad confirmatiōnē ex Auguſt. ¶ Ad confirmationem ex Auguſtino reſpondetur, quod D. Auguſt. potius tenet ſententiam contrariam: ſi quando autem dicit hęreticos pertinere ad eccleſiam, eſt quia ab illa puniri poſſunt, ratione factæ promiſſionis in baptiſmo.

Primum argumentum. ¶ Sed vltra hæc, ſunt alia duo argumenta, quæ videntur habere difficultatem, ad probandum quod hæretici propriè pertineant ad eccleſiam, & ſint membra illius. Primùm eſt, Epiſcopus hæreticus poteſt conficere Euchariſtiæ ſacramentum, conſecrare miniſtros eccleſiæ, & conferre ſacramentum confirmationis, ergo eſt membrum eccleſiæ; patet conſequentia, nam hæc, niſi à membris eccleſiæ fiant, facta non tenent.

Secūdum argumentum. ¶ Item ſecundo, Papa, etiam ſi ſit hæreticus, donec ab eccleſia deponatur, retinet ſuā autoritatē, & eſt caput eccleſiæ, ergo eſt membrum illius: atq; ex cōſequēti hæretici propriè pertinent ad eccleſiam.

Dubium. ¶ In his argumentis tāgitur difficultas vtrū per crimen hæreſis amittatur poteſtas, quā habet, vel quilibet ſacerdos, vel epiſcopus, vel ſummus Pontifex ſuprà corpus Chriſti verum, vel ſupra corpus Chriſti myſticum? Quod eſt quærere, vtrum quilibet eccleſiæ miniſter, eo ipſo quod ſit hæreticus, amittat omnem poteſtatem, quam habet, ſiue illa ſit ad conſecrandum corpus Chriſti verum, ſiue ad aliud ſacramentum conferendum, aut aliquid aliud efficiendum. Quam difficultatem latè proſequitur Caſtro libr.2. de iuſta hæret. punit. cap.21. & ſequentibus. Et ad illius explicationem aduertendum eſt, quòd vt conſtat ex communi omnium Theologorum ſententia, poteſtas, quæ cōuenit eccleſiæ miniſtris, eſt duplex, vna, quæ dicitur ordinis ſeu ſacramētalis: altera, quæ dicitur iuriſdictionis, de quibus agit D. Tho. 2.2. quæſt.39. artic.3. inter quas hoc eſt diſcriminis, quod poteſtas ordinis ſeu ſacramentalis, ſemper per aliquam conſecrationē cōfertur, & ordinatur ad collationem alicuius ſacramenti: at vero poteſtas iuriſdictionis, non per conſecrationem, ſed per ſimplicem iniunctionem, aut commiſsionem alicuius hominis donatur.

Sentētia Abulenſis. ¶ Abulenſis in ſuo defenſorio, parte.2. cap.62. alia ratione diſtinguit iſtas duas poteſtates, dicēs, quòd poteſtas ordinis eſt ea, quæ ſupra corpus Chriſti verum ſiue directe, ſiue indirectè verſatur: at vero poteſtas iuriſdictionis tantum reſpicit corpus Chriſti myſticum, quod eſt eccleſia. Quidquid tamen de hoc ſit, hoc pro certo & indubitato accipiendum eſt, quòd huiuſmodi poteſtates ita diſtinguūtur, vt vna ſine alia inueniri poſsit: & ſic de vtraq; poteſt eſſe dubitatio, vtrùm per crimen hæreſis auferatur ab eo, qui illam habet? Dicamus prius de poteſtate ordinis, dicturi poſtea de poteſtate iuriſdictionis.

Dubiū de poteſtate ordinis. De qua ęſt opinio Magiſtri ſententiarum, qui in. 4. diſtinct. 13. dicit, quod poteſtas ſupra corpus Chriſti verum non manet in eo, qui vel factus fuerit hæreticus, vel eſt excommunicatus: itaque tenet quod hæreticus vel excommunicatus non poteſt cōſecrare ſacramētum Euchariſtiæ, quamuis ſit ſacerdos. *Opinio Magiſtri ſent.* In eadem etiam ſententia videtur eſſe Gratianus, qui. 24. quęſt.1. c. audiuimus, dixit, quòd quicunque ab vnitate eccleſiæ, quæ per Petrum intelligitur, fuerit alienus, exercere quidem poteſt, conſecrare non valet. Idem tenet Gloſſa peculiariter de degradatis, in capitulo accedens. 50. diſt. & in capitulo degradatio, de pœnis. libr.6. *Arg. pro ſententia Magiſt.* quod & probat ex verbis ipſius degradationis, quæ in dicto capitulo habentur, & ſunt huiuſmodi. Autoritate Dei omnipotentis Patris, & Filij, & Spiritusſancti, & noſtra, tibi auferimus habitum clericalem, & deponimus, & degradamus, expoliamus, & exuimus te omni ordine, beneficio & priuilegio clericali: ſed ille qui expoliatus eſt ordine clericali, conſecrare non poteſt, ergo degradatus non poteſt conſecrare.

Concluſio. ¶ Hoc tamen non obſtante ſit concluſio. Quilibet ſacerdos rite conſecratus, etiā ſi ſit hæreticus, vel degradatus, poteſt conficere verum Chriſti corpus. Ex quo apertè conuincitur, quòd poteſtas ordinis non amittitur per crimen hęreſis. Probatur iſta poteſtas nihil aliud eſt, quàm character, qui à Deo in anima ſacerdotis imprimitur, quādo epiſcopus ei dicit, Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium Deo, miſſaſq; celebrandi: ſed iſte character eſt indelebilis, vt diffinitum eſt in concilio Florentino, ergo & ipſa poteſtas eſt indelebilis, & auferri non poteſt. *Concil. Flor.* Item ſacerdotes hæretici reſipiſcentes non indigent noua ordinatione, vt conſecrare poſsint, ergo

ergo per crimen hæreſis non amiſſerunt ordinis poteſtatem: conſequentia eſt nota, & antecedens probatur ex eodem concilio Florētino, vbi dicitur ꝙ tria ſacramēta, ſcilicet baptiſmus, confirmatio, & ordo iterari non poſſunt: quia imprimunt characterē, qui indelebilis eſt. Et id quod dicimus de poteſtate ordinis ad conſecrandum, eſt etiam intelligendum de poteſtate ordinis, quæ requiritur ad abſoluendum, & confertur cuique ſacerdoti quando conſecratur ab Epiſcopo, per illa verba, Accipe Spiritum ſanctum quorum remiſſeris peccata, &c. vt habetur expreſsè in eodem Concilio Florentino, & in Concilio Tridentino, ſeſſ. 23. cap. 15. quoniam hæc ordinis poteſtas, nec quæcunque alia exiſtens in Epiſcopo, vel ad confirmandū, vel ad cōſecrandos Eccleſiæ miniſtros, poteſt ab eis aliqua ratione auferri: cum omnium ſit vna & eadem ratio, vt latè oſtendit Caſtro lib. 2. de iuſta hæret. puni. c. 23.

Concil. Trid.

Ad argum.

¶ Et ad argumētum in cōtrarium factum reſpōdetur, quod in illo capitulo Degradatio, non dicitur quod degradatus priuatur ordine, quantum ad poteſtatem conſecrandi, ſed tantū ſignificatur, quod priuatur ordine, quantū ad legitimū illius vſum. Nam vt notat Cardinalis in cap. accedens. 50. d. quotieſcunq; in iure habetur, ꝙ degradatus vel non habet ordinē, vel amittit ordinē, eſt intelligēdū de executione, & nō de poteſtate ordinis. Quod etiā docet Adrianus in. 4. in. q. de cōfirmatione. arti. 3. ¶ Eſt tamen aduertendum, quod quamuis hæreticus celebrans verū conficiat corpus Chriſti, quia conſecratio fit nomine Chriſti, vt patet ex illis verbis, Qui pridie quam pateretur, accepit panē, & gratias agens benedixit, ac fregit, deditq; diſcipulis ſuis dicēs, accipite & mādúcate, Hoc eſt corpus meū, tamen per orationes antecedētes, & ſubſequentes conſecrationem, nec ſibi, nec alijs prodeſſe poteſt: quia illas facit nomine Eccleſiæ, à qua eſt præciſus & ſeparatus: ſecus autem eſt de eo, qui celebrat in peccato mortali: per orationes enim quāuis non proſit ſibi, tamē prodeſt alijs, quia illas offert nomine Eccleſiæ, cuius oratio & oblatio non poteſt non eſſe accepta.

Dubiū de poteſtate iuriſdictionis.

¶ Hoc igitur conſtituto reſtat diſputare de poteſtate iuriſdictionis, de qua maior eſt difficultas, vtrùm vel Papa, vel Epiſcopus eo ipſo, quod ſit hæreticus, amittat omnem poteſtatem iuriſdictionis quam habet in Eccleſia, ita vt amplius nec Papa, nec Epiſcopus ſit cenſendus. In qua difficultate, vnū præſupponitur, & alterum quæritur. Quod præſupponitur eſt, quòd Epiſcopus, vel Papa poteſt eſſe hæreticus, de quo, quantū attinet ad Epiſcopos nulla eſt cōtrouerſia: nā multa & certiſsima experiētia conſtat, plurimos Epiſcopos fuiſſe, nō ſolū hæreticos, ſed hæreſiarchas. Cæterū de Papa, maior eſt difficultas, quoniā aliquot Catholici dicūt, nulla ratione fieri poſſe, quòd Papa ſit hæreticus. De hoc tamen nos infra dicemus in tractatu de ſummo Pontifice: & pro nunc ſupponimus pro certo, quod quamuis Papa vt eſt publica perſona, in dandis toti populo Chriſtiano fidei decretis, errare non poſsit: poteſt tamen vt ſingularis & priuata perſona eſſe hæreticus. Et ſic rationabiliter dubitatur, vtrum eo ipſo quod ſit hæreticus amittat omnem poteſtatem quam habet, & deſinat eſſe caput. Quæ quidē difficultas examinari poterit, & ſecundū ius humanum; & ſecundum ius diuinum: nam ſecundum ius humanum certiſsimè conſtat, quòd aliter eſt ſentiendum de Epiſcopo, aliter de Papa. Epiſcopi enim cum ſubdātur humano iuri, optime per illud priuari poterunt ſua dignitate Epiſcopali ob ſua delicta, nec de hoc vnquam aliquis dubitauit. Cæterùm Papa cum ſit ſupra totum ius humanum, nec habeat ſuperiorem in terris, ipſe enim omnes iudicat, & à nemine iudicari valet, vt habetur in cap. ſi Papa. 40. diſt. & in cap. nemo. 9. quæſt. 3. & in cap. omnes. 2. quæſt. 7. nullo modo per ius humanum Pontificali ſua dignitate priuari poterit, imò vt docent D. Thom. in. 4. diſt. 19. q. 1. artic. 3. & D. Bonauent. & Albertus Magnus eadem diſt. nec ipſe poteſt ſe ſua ſpōte ſubmittere alterius iudicio in foro exteriori, vt ab eo vel excommunicetur, vel deponatur. Ex quo infertur, perperam aliquos dixiſſe, omnia iura, quæ de hæreticis aliquid decernunt, comprehendere etiam ipſum Papam, ſi fiat hæreticus: nam cum ipſe ſit ſupra omne ius poſitiuū, ab eo nec excōmunicari, nec deponi ipſo facto, vlla ratione poteſt. Vnde Papa effectus hæreticus, niſi ex diuino iure impediatur, ex humano impediri non poſſe conſtat, quominus antequam ab Eccleſia deponatur, omnem ſuam iuriſdictionem & dignitatē conſeruet. Vtrum autem Epiſcopi per ius humanū ſint ipſo facto priuati ſua dignitate

Epiſcopi per ius humanū poſſunt priuari ſuo officio & dignitate.

Papa per ius humanū priuari non poteſt.

tate

tate Epiſcopali, atque iuriſdictione ſtatim
ac incidũt in crimen hæreſis, varietate opi
Primum dictum. nionum diſputatur à doctoribus. ¶ Ego
tamen ad huius difficultatis explicationẽ
dico primo certum eſſe, quod omnes Epi-
ſcopi, ſtatim ac incidũt in crimen hæreſis,
ſunt ipſo facto excõmunicati: nam excom
municatio quæ imponitur in capit. noue
rit. de ſententia excommunicationis, vni-
uerſaliter omnes comprehendit, qui ipſi iu
ri ſubijciũtur, quales etiam ſunt Epiſcopi.
Secũdum dictum. ¶ Dico ſecũdò, quòd ſi Eccleſia ſtatuiſſet,
quod Epiſcopi, ſtatim ac incidunt in cri-
mẽ hæreſis, eſſent ipſo facto priuati ſua di
gnitate atque iuriſdictione: proculdubio
facti hæretici talem pœnam incurriſſent:
quia quamuis ipſi habeant ſuam dignitatẽ
ex iure diuino, habent tamen illã ſubordi-
natam ſummo Pontifici, qui eos propter
Tertium dictum. ſua delicta ea priuare poſſet. ¶ Dico tertiò,
ꝙ nullibi in iure inuenitur, Epiſcopos fa-
ctos hæreticos, ꝓpter crimẽ hæreſis eſſe ip
ſo facto priuatos ſua dignitate atq; iuriſdi
ctione. Ita tenet Caſtro, lib. 2. de iuſta hæ-
reticorũ punitione. c. 23. Ex quo infertur,
ꝙ omni iure diuino ſecluſo, ſi ſecũdum ſo-
lũ ius humanũ hęc quęſtio definienda eſt,
Epiſcopus factus hæreticus, licèt meritò
ob hoc ſit deponẽdus, non tamen eſt ipſo
facto depoſitus, quamuis ſit excommuni-
catus.

Dubium. ¶ Sed dubium eſt vtrum ex iure di-
uino Epiſcopus vel Papa factus hæreticus
ſit priuatus ſua dignitate atque iuriſdictio
ne? Pro cuius intelligentia explicare opor
tebit ex diuinis literis, quænam ſint condi
tiones neceſſario requiſitæ ad eſſe Papæ,
vel ad eſſe Epiſcopi: nam ex hoc facilè in-
telligemus, vtrùm facti hæretici ſint ipſo
iure priuati ſuis dignitatibus necne? Siqui-
dem ratione naturali conſtat, tunc aliquid
neceſſario perire, quãdo deſunt illi ea, quæ
ad ſuum eſſe, ſunt neceſſaria. Si verò econ-
tra habeat omnia, quæ ad ſuam eſſentiam
ſunt requiſita, quod ipſa res deſit, eſt im-
poſsibile. Et dicemus de ſummo Põtifice,
nam ex hoc, quid dicendum ſit de Epiſco-
Nota. pis facilè, conſtare poterit. ¶ Ad explica-
tionem ergo huius difficultatis aduerten-
dum eſt, quòd conditiones in ſummo Pon
tifice inueniendæ ſunt in duplici differen-
tia, quædam enim ſunt quæ tãtum requi-
runtur ad bene eſſe ipſius, vt ſciẽtia rerum
diuinarum, prudentia rerum agendarum,
charitas, &c. Quamuis enim ſine his Papa
eſſe poſsit, non tamen bonus Papa. Et de
his conditionibus in præſenti non diſputa
mus. Aliæ conditiones ſunt neceſſariò &
ſimpliciter requiſitæ ad eſſe Papæ: & hęc
quidẽ ſunt duæ. Prima eſt voluntas ipſius *Prima cõditio requiſita ad eſſe Papæ.*
Pontificis, qua ſuæ electioni conſentiat:
ſed hæc conditio tantum eſt neceſſaria in
fieri, non in facto eſſe. Nam quamuis nul
lus inuitus Papa fieri poſsit, tamen poſt-
quam conſenſit ſuæ electioni, & Papa fa-
ctus eſt, etiam ſi eum pœniteat voluntatis
præteritæ, & renuntiet Papatui, adhuc ta-
men erit Papa, quoaduſque ab Eccleſia
eius renũciatio ſit accepta, vt habetur ex-
preſsè in cap. 1. de renuntiatione. libr. 6. Et
ratio eſt, quia quando Papa conſenſit ſuæ
electioni, ſicut ipſe acquiſiuit ius ſupra Ec
cleſiam ad eam regendam, ita etiam Eccle-
ſia acquiſiuit ius ſupra ipſum, ad hoc vt ab
eo doctrinam & reliqua, quę ex officio Pa
pali tribuere tenetur, petere poſsit. Nullus
autem poteſt renũtiare iuri alterius, quam
uis poſsit renunciare ſuo iuri, vt habetur
expreſsè in dicto capitulo. Quia tamen
quandò primo electus eſt, adhuc Eccleſia
nullum ius habet ſupra illum, fit vt electio
ni de ſe factæ renunciare poſsit, tanquàm
ille, qui renuntiat iuri ſuo.

¶ Secunda cõditio neceſſaria ad eſſe Pa *Secũda cõditio requiſita ad eſſe Papæ.*
pę, nõ ſolũ in fieri ſed in facto eſſe, eſt fides
ſiue formata ſiue informis: de hoc enim nõ
curamus. Itaq; deficiẽte fide nullus poteſt
in Papam creari, & ſi creatus fuerit, eo ipſo
quod decidat à fide, deſinit eſſe Papa. Et ꝙ
hæc cõditio ſit neceſſario requiſita, proba
tur ex illo Matth. 16. Tu es Petrus & ſuper
hanc petram ædificabo Eccleſiam meã: ſu
pra quæ verba dicit Theophilactus, quod
illa confeſsio ita erat futura fundamentum
omnium credentium, vt omnis, qui ſidei
domum eſſet intraturus, hoc prius iacturus
eſſet fundamentum: & D. Cyrillus, lib. 4.
de Trinitate, interpretans eadẽ verba Mat
thæi, dicit: quod Chriſtus inconcuſſam &
firmiſsimam diſcipuli fidem petram ap-
pellauit, in qua Chriſti Eccleſia ita fun-
data eſſet, vt nunquã laberetur, & eſſet in-
expugnabilis: ſed ſublato fundamẽto ædi
ficij neceſſarium eſt, quod quidquid ſupra
illud ædificatum fuerit, ruat, ergo Papalis
dignitas, & ſimiliter Epiſcopalis, quæ ad
ædificium Eccleſiaſticum pertinent, ſubla
to fidei fundamẽto, neceſſario ruere debẽt,
hoc idem affirmat D. Aug. in libro de Fide
& operibus. c. 16. vbi explicãs illud Pau. 1.

ad Corinth.3. Fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus, dicit. Si Chriſtus eſt fundamentum proculdubio & fides Chriſti: per fidem enim habitat in cordibus noſtris, ſicut idem Apoſtolus ait. Item, Paul. ad Coloſſen. capit. 1. apertiſſimè dicit fidem eſſe fundamentum Eccleſiæ: affirmat enim quòd Chriſtus recōciliauit nos in corpore carnis ſuæ per mortē, vt exhiberet nos ſanctos, & immaculatos, & irreprehenſibiles coram ipſo: ſi tamen permanſerimus in fide fundati: ergo ſublata ratione fidei, totum ædificium Eccleſiaſticum ruit, atque ex conſequenti Papa, vel Epiſcopus factus hæreticus iure diuino amittit ſuam dignitatem, atq; iuriſdictionem. Item, Lucæ. 22. dixit Chriſtus Petro, Simon, Sathanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum: ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos. Ex quibus verbis colligitur, primum officiū Petri, & ſucceſſorū eius, eſſe confirmare in fide fratres ſuos: ſed ille qui fidem nō habet, non poteſt alios in fide confirmare, ergo nec eſſe Papa. Præterea Ioann. vlt. dū conſtitueret Chriſtus Petrū ſummum Pōtificem, & in illo omnes eius ſucceſſores, dixit illi, Paſce oues meas, ſcilicet, pabulo doctrinæ fidei, vt omnes doctores exponūt; ſed qui hæreticus eſt, non poteſt illas ſic paſcere: ergo eſt priuatus paſtorali officio. Hoc idē probat Caſtro loco citato pluribus alijs rationibus, quas breuitatis cauſa omitto. Ex quibus manifeſtè colligitur, quid reſpondendum ſit ad difficultatē propoſitam, cuius etiā determinatio eſt expreſſa ſententia D. Tho. 2.2. q. 39. art. 3. vbi dicit, quod in hereticis & ſchiſmaticis nō manet poteſtas iuriſdictionis, nec quātum ad legitimum vſum poteſtatis, nec quantum ad ſubſtantiam illius. Et eandem ſententiā tenet Turrecremata, libr. 2. ſummæ Eccleſiæ. c. 112. & lib. 4. ca. 18. & Auguſt. de Ancona, lib. de poteſtate Eccleſiæ. q. 5. artic. 2. & Syluеſt. verbo Papa. 4. num. 7.

Argum.

❡Sed cōtra hāc doctrinam eſt argumentū, Si Papa, vel Epiſcopus eo ipſo, ꝙ amittit fidē, deſineret eſſe Papa, vel Epiſcopus, ſequeretur, quòd meritò homines poſſent dubitare de quocumq;, vtrùm eſſet Papa, vel Epiſcopus: hoc autem eſt falſum: nam ſic ſequeretur maxima perturbatio in republica, ergo.

Solutio.

Ad hoc argumentum reſpondetur cum Turrecremata, lib. 4. ſummæ Eccleſiæ. part. 2. cap. 20. negando ſequelam: nam quamdiu Papa vel Epiſcopus non eſt de hæreſi ſuſpectus, tenentur fideles illum habere tanquam Papam, & quæ ab ipſo tradita fuerint, recipere: quia ſecundum regulam iuris, vnuſquiſque præſumitur eſſe bonus, quoaduſque malus probetur: nec ex hoc aliqua ſequitur perturbatio: nā Chriſtus, qui eſt principale caput Eccleſiæ, ſemper ei aſsiſtit, ne in ſimilibus caſibus erret.

Ad.1.argu. ex prius poſitu.

❡Ad primum argumentum ex ijs, quorum occaſione hęc omnia dicta ſunt, reſpōdetur conceſſo antecedenti negando conſequentiam: nam ad conſecrandum, & alios actus ordinis exercēdos, ſufficit character, per quem accipit Epiſcopus à Deo poteſtatem ad illa omnia efficienda.

Ad.2.argu.

❡Ad ſecūdum autem reſpondetur negando antecedens: nā eo ipſo, quod Papa ſit hæreticus, amittit omnem poteſtatem, quam habet, & deſinit eſſe caput, propter rationem iā dictā: tenemur tamē ei obedire, quoaduſq; ab Eccleſia deponatur, quāuis omnia ab ipſo facta ſint ipſo facto nulla: qa nobis cōſtare non poteſt, vtrum ſit Papa necne. Sicut etiam obedire tenemur ei, qui non baptizatus promouetur in Epiſcopum, vel in Papam, quamuis omnia ab ipſo facta ſint ipſo facto nulla, quia nobis conſtare non poteſt, vtrum ſit baptizatus nec ne.

Dubium.

❡Sed dubitabit aliquis hoc loco, vtrum quemadmodum Epiſcopus, vel Papa priuantur ſuis dignitatibus eo ipſo, quod incidunt in hæreſim: ita etiam clericus hæreticus priuetur ipſo facto, ſuo beneficio?

Opinio Alphonſi à Caſtro, & aliorum.

In qua re Caſtro de iuſta hæret. punitione, lib. 2. c. 9. partem tenet negatiuam, quam etiā Simancas in ſuis Catholicis inſtitutionibus, cap. 45. nu. 26. tanquam benigniorem, & veriorem amplectitur. Et ratio illorum deſumitur, ex cap. ad abolendam, de hæreticis. §. præſenti. Vbi dicitur, Præſenti ordinatione ſancimus, vt quicunq; fuerit maniſeſtè in hæreſi deprehenſus, ſi clericus eſt, vel cuiuſcunque religionis obumbratione fuſcatus, totius Eccleſiaſtici ordinis prærogatiua nudetur: quæ quidem verba non continēt ſententiam latam, ſed ferendam à iudice: ergo clericus hæreticus non eſt ipſo iure priuatus ſuo beneficio. ❡Et ſi quis obijciat, Epiſcopus, & Papa eo ipſo ꝙ incidunt in hæreſim amittunt ſuas dignitates, ergo idem dicendū de clerico haben-

te beneficium: reſpondent iſti doctores, negando conſequentiam: nam cùm Epiſcopus atq; Papa ſint longè digniores, plus requiritur ad eſſe Epiſcopi, & eſſe Papæ, quàm ad eſſe alteri⁹ ſimplicis ſacerdotis. ¶ Ego tamen ad explicationē difficultatis dico duo. Primū eſt, quod hæreticus ità eſt inhabilis ad omne officiū publicū, & ad omne beneficiū eccleſiaſticū, vt ſi ei alicuius beneficij fiat collatio, ſit irrita & nulla ipſo facto. Ita tenet Caſtro de iuſta hæret. punitione, lib. 7. c. 9. & probatur ex. c. quicūq; de hæreticis, in. 6. §. hæretici: vbi decernitur, vt ſi publicū officiū, vel beneficiū Eccleſiaſticum cōferatur hęretico, ſit irritū & inane. Item, collatio beneficij facta excōicato, ipſo iure eſt nulla: vt cōſtat ex. c. cū inter, de electionibus: & ex. c. conſtitutis, de appellationibus: ſed hęreticus eſt ipſo facto excōicatus, ergo. Hanc etiā ſententiam tenet Couar. in relectiōe ſuper cap. alma mater. par. 1. §. 7. quā dicit eſſe cōmunem. ¶ Dico ſecundo, clericus habens beneficiū Eccleſiaſticū, eo ipſo, ꝙ fit hæreticus, manet priuatus illo. Ita tenet Præpoſitus in. c. quo iure. 8. d. & diſt. 19. c. vlt. & Cōpoſtellanus in. c. quod ſicut. de electione. & eandem tenēt multi alij propter eaſdem rationes, quas adduximus de Papa atq; Epis. Nec obſtat capitulū ad abolendā: nā illhic nō eſt ſermo de Eccleſiaſtico beneficio, ſed de priuilegio clericali, quo gaudēt hæretici, quoadusq; à iudice cōdemnētur. Et hæc de iſta difficultate.

Sententia autoru.

Dubium. ¶ Conſtituto iam Eccleſiā conſtare ex omnibus fidelibus tanquā partibus, dubiū eſt, vtrū ſit vna vel plures? In qua re fuit error Henrici regis Angliæ aſſerentis tot eſſe Eccleſias quot ſunt regna: cōſtituebat enim vnumquēq; regē ſummū caput Eccleſiæ: & ſic dicebat, tot eſſe capita inter ſe ſe non ſubordinata, quot erāt reges. ¶ Et quidem ꝙ Eccleſia nō ſit vna, probatur primo ex Paulo ad Galat. 1. vbi ſalutat Eccleſias, quę ſunt Galatiæ. & Ioan. in Apocalyp. c. 1. facit mentionem ſeptē Eccleſiarū, quæ ſunt in Aſia, ergo ſunt plures. ¶ Itē, ratione ſic argumētor, Catechumeni pertinent ad Eccleſiā, ſiquidē ſaluari poſſunt, & tamen nō cōtinētur in Eccleſia Chriſti: quia nō ſunt baptizati, ergo ad min⁹ ſunt duę Eccleſiæ. ¶ Tertio, vbi ſunt plura capita nō ſubordinata, neceſſario ſunt plura corpora conſtituenda: ſed tot ſunt capita nō ſubordinata, quot ſunt Epiſcopi, ergo & tot ſunt Eccleſiæ. Conſequētia cū maiori eſt nota, &

Opinio Henrici, Regis Angliæ.

Primum argumentum.

2. Argum.

3. Argum.

minor probatur teſtimonio Cypriani, qui vt refert D. Aug. libr. 2. de baptiſmo contra Donatiſt. cap. 2. dicit, quod nullus Epiſcopus poteſt ab alio iudicari: ſed omnes à Chriſto, vel conſtitui, vel deponi poſſunt.

1. Concluſio. ¶ In hoc tamē ſit prima cōcluſio, De fide tenēdum eſt, quod Eccleſia eſt vna. Probatur ex illo cant. 6. Vna eſt colūba mea, vna eſt perfecta mea, &c. Et ex ſymbolo Niceno vbi dicitur, Credo vnam Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam. &c.

2. Concluſio. ¶ Secunda cōcluſio, Eccleſia dicitur vna multis rationibus: nam primo dicitur vna vnitate capitis, quod eſt Chriſtus: iuxta illud ad Epheſ. 1. Ipſum dedit caput ſupra omnem Eccleſiā. ¶ Secūdo dicitur vna vnitate vicarij, ſcilicet ſummi Pōtificis, qui in terris gerit vicē Chriſti. Vnde dicitur Ioan. 10. Erit vnum ouile & vnus Paſtor, & Ioā. vlt. dictum eſt ſoli Petro, Paſce oues meas.

Eccleſia dicitur vna, multis rationibus.

¶ Tertio dicitur vna vnitate fidei, qua illuſtratur, & in qua fundatur: iuxta illud D. Auguſt. ſuper Ioan. c. 17. Omnes vnū ſumus, iuxta illud Apoſtoli ad Galat. 3. Oēs vnū vos eſtis in Chriſto Ieſu, id eſt, in fide Ieſu, vt Gloſſa interpretatur. Et D. Hieronymus ſcribens ad Euādrum Epiſcopū, vt habetur in. c. legimus. 93. d. dicit, Nec altera Romanæ vrbis Eccleſia, altera totius orbis exiſtimanda eſt, & Galliæ, Britanniæ, & Africæ, & Perſiæ, & Orieus, in India, & oēs barbarę nationes, vnum Chriſtū adorant, vnā obſeruant regulam veritatis. ¶ Quartò dicitur vna vnitate ſpiritus fouētis, & viuificantis omnia membra, iuxta illud ad Ephe. 4. ſolliciti ſeruare vnitatē ſpiritus in vinculo pacis, id eſt, ſolliciti ſeruare vnitatē Eccleſiaſticā, quā facit Spiritus ſanctus, vt vnū corpus ſuis opere Spiritus ſancti, vt dicit Gloſſa ſuper illū locū. ¶ Quinto, Eccleſia dicitur vna, quia vtitur vnis & eiſdē ſacramētis: iuxta illud Paul. ad Ephe. 4. Vnus Dñs, vna fides, vnum baptiſma.

¶ Sextò dicitur vna vnitate ſpei, qua ad bona cæleſtia erigitur, & vnitate charitatis qua cōnectitur & viuificatur. De ſpe dicit Apoſtolus ad Epheſ. 4. Vocati eſtis in vnā ſpem vocationis veſtræ. De charitate autē ad Philip. 2. Eandem charitatem habētes, vnanimes idipſum ſentientes, &c. ¶ Tandem eſt vna, vnitate finis, ad quē omnes tēdunt, ſcilicet, ad claram Dei viſionē. Vnde idem denarius, per quē doctores ſancti beatitudinē intelligūt, omnibus fidelibus pro mercede laborum legitur aſsignatus, Matthæi. 20.

thæi.20. De hac cõcluſione videndus Turrecremata, libr.1. ſuæ ſummæ. c.6. & .7.

3. Concluſio. ¶ Tertia cõcluſio, Quãuis Eccleſia ſemper fuerit vna, tamẽ in vno tẽpore fuit magis vna, quam in alio. *Eccleſia magis vna vno tempore quã alio.* Probatur, nam Eccleſia, quę nunc eſt, eſt magis vna quã ea, quę fuit ante Chriſti aduentum, ergo. Antecedẽs probatur, Eccleſia, quæ nũc eſt, eſt vna vnitate vicarij, & tamen illa, quæ fuit ante Chriſti aduentũ, nõ habebat vnũ vicariũ, ille enim, qui præſidebat Iudęis, non præſidebat Gentilibus. Item, Eccleſia quæ nunc eſt, habet vna & eadẽ ſacramẽta, & eandẽ legẽ: & tamen ea, quæ fuit ante Chriſti aduẽtum, nõ habebat eadẽ ſacramenta, nec eãdẽ legẽ: Iudæi enim vtebãtur lege ſcripta, & ſacramẽtis Moſaycis: Gentiles verò vtebantur lege naturæ, & ſacramentis, quæ in illa lege erant ſtatuta, ergo Eccleſia, quæ nunc eſt, eſt magis vna q̃ ea, quę fuit antea.

Ad.1.argu. ¶ Ad primũ argumẽtũ reſpõdetur, quod partes Eccleſię, interdũ Eccleſię appellãtur partiales tñ, ex quibus vna, & vniuerſalis Eccleſia cõficitur, & tales erãt Eccleſiæ Aſiæ & Galatię. *Ad. 2.* ¶ Ad ſecũdũ de Catechumenis reſpõdetur, tripliciter poſſe cõtingere, quod aliquis ad Eccleſiã pertineat, ſcilicet, numero tantũ, merito tãtũ, numero & merito ſimul. Tantũ numero, pertinent ad Eccleſiam peccatores baptizati: merito vero, oẽs iuſti, quãuis baptizati nõ ſint: vt Catechumeni: numero, aũt, & merito ſimul ptinẽt ad Eccleſiã, q & iuſti & baptizati ſunt, & ſic cõſtat ꝙ catechumeni nõ pertinẽt ad aliam Eccleſia præter eã, quæ eſt Chriſti.

Ad.3.arg. ¶ Ad tertium argumẽtum reſpõdetur, ꝙ quãuis Epiſcopi ſint capita nõ ſubordinata in ordine ad ſuas Eccleſias partiales: ſubordinãtur tamẽ in ordine ad Eccleſiã vniuerſalem. Ex illis enim partialibus Eccleſijs efficitur vna vniuerſalis, ſub vno capite, qđ eſt Papa: vt infrà videbimus, cum de Summo Pontifice fuerit ſermo.

Dubium. ¶ Aliud dubium eſt, a quo tẽpore incepit Eccleſia, & quãdiu ſit duratura? *Pro ſentẽtia hæreticorũ.* De qua re ſunt varię doctorũ ſentẽtię. Quidã enim hæretici dicũt, Eccleſiã incepiſſe poſt Chriſti Natiuitatẽ, & quod ea, apud patres veteris teſtamẽti, non fuerit. *1. Argum.* ¶ Quam ſuam ſententiã probat primò, ex illo Matth.16. Tu es Petrus, & ſuper hãc Petrã ædificabo Eccleſiã meã: ſi ergo Eccleſia ſupra Petrũ eſt ædificata, manifeſte ſequitur eã non fuiſſe ante Chriſti aduẽtum. *2. Argum.* ¶ Item ſecũdo, Vera Eccleſia eſſe nõ poteſt ſine vera fide: ſed ante aduẽtum Chriſti nõ fuit vera fides, ergo. Conſequentia cũ maiori eſt nota, & minor probatur ex Paul. ad Galat. 3. dicente, Lex pædagog⁹ noſter fuit in Chriſto, vt ex fide iuſtificemur, at vbi venit fides, iam nõ ſumus ſub pædagogo. Quibus verbis apertè ſignificat, fidem nõ fuiſſe ante aduẽtum Chriſti. Et ad Hebræos. 11. loquens de patribus veteris teſtamẽti, dicit, Iuxta fidem defuncti ſunt oẽs, non acceptis repromiſsionibus. ¶ Tandem hæc ſentẽtia probatur ex D. Aug. qui ſuper pſal.147. dicit, Cepit Eccleſia ab Hieruſalẽ, & it per oẽs nationes. *Vltimũ arg.* Et in tractatu ſecũdo ſuper canonicã Ioa. dicit, Ibi inchoata eſt Eccleſia, vbi venit de cælo Spiritus ſanctus. & Gloſſa ſuper illud Pſal.9. Vt annũtient oẽs laudationes tuas in portis filiæ Sion, dicit, Filia Sion eſt Eccleſia, Sion enim oẽs Eccleſias mundi generauit, q a ibi nata eſt, vnde fides incepit. Et ſuper Pſal.4. tractans illud, Nũquid qui dormit, non adijciet vt reſurgat? dicit, ꝙ ſicut de latere dormientis Adæ, qui erat forma futuri Chriſti, aſſumpta eſt coſta, de qua formata fuit Eua, ita dormiuit Chriſtus ſomno mortis, vt de latere dormiẽtis, de quo profluxerũt ſanguis & aqua, quæ ſunt noſtræ redẽptionis ſacramẽta, formetur ſponſa Eccleſia: & idem habetur in Gloſſa ad Epheſ. cap.4.

2. Sententia. ¶ Alij fuerunt in alio extremo, qui dixerunt, Eccleſiã ſimul cũ angelis fuiſſe ortã, ab illiſq; initium habuiſſe. Quam ſuã ſentẽtiam probãt ex eo ꝙ Angeli, ſtatim à ſua creatione, habuerũt gratiã, atq; fidẽ, vt autor eſt D. Augu. lib.12. de Ciuitate, ſed Eccleſia nihil aliud eſt, q̃ congregatio fideliũ, ergo. Item D. Bernard. Homil. 27. ſuper Cantica, dicit, Cum haberet Deus à principio ſponſam ſibi inhęrentem multitudinem Angelorũ, placuit ei, & de hominibus Eccleſiam conuocare. *3. Sentẽtia.* ¶ Alij autores, quorum vnus eſt Albertus Campẽſis, lib.1. de Eccleſiaſtica Hierarchia. c.2. & .3. dicũt, ꝙ Eccleſia incepit ab Adam & Eua ante peccatũ. *1. Argum.* Idq; probãt primo, ex eo quod Adã ante peccatũ habuit fidẽ de incarnatione, vt colligitur ex illo Geneſ. c.2. Hoc nũc os ex oſsibus meis, & caro de carne mea: quæ verba Apoſtolus ad Epheſ.5. de Chriſto interpretatur dicẽs, Sacramẽtum hoc magnũ eſt, ego autem dico in Chriſto & Eccleſia. *2. Argum.* ¶ Item Adã fuit membrum Chriſti, ſiquidẽ habuit fidem formatam charitate, ergo alicuius corporis fuit membrum. ſed corpus

Chriſti eſt Eccleſia: ergo Eccleſia incepit ab Adam. *Nota.* Pro explicatione huius differentię eſt aduertendum, ꝙ de Eccleſia poſſumus loqui dupliciter, vno modo ita vt Eccleſia nihil aliud ſit quam congregatio aliquorũ ratione vtẽtium, qui fidem Dei habeãt: alio modo magis ſtricte, pro cõgregatione fideliũ, qui fidem ſuã ſigno aliquo viſibili & Sacramentis proteſtatur, quo modo cõmuniter Doctores loquũtur de Eccleſia: & nos etiam loquimur in præſenti, cum tantum agamus de Eccleſia viſibili. Sed Eccleſia adhuc põt accipi dupliciter, vno modo pro quacũq; congregatione fideliũ fidem ſuã ſigno aliquo viſibili proteſtantium, alio modo ſtrictiſsimè, pro ea cõgregatione, quæ fidem ſuam proteſtatur, ſignis & ſacramentis à Chriſto inſtitutis.

1. Concluſio. ¶Hoc ſuppoſito ſit prima concluſio, Loquendo de Eccleſia primo modo, certum eſt eam incepiſſe à conditione angelorum. Hanc concluſionem probant argumẽta facta pro ſecunda opinione.

2. Concluſio. ¶Secũda cõcluſio, Loquẽdo de Eccleſia ſecũdo modò, quo modo præſens quæſtio intelligenda eſt, certa fide tenendũ eſt, eam incepiſſe ante Chriſti aduentũ. Probatur, de fide tenẽdum eſt, ante Chriſti aduẽtum fuiſſe homines, qui fidẽ ſuã ſignis exterioribus proteſtarẽtur, ergo de fide eſt, ante illud tẽpus fuiſſe Eccleſiã ſecũdo modo acceptã: conſequẽtia eſt nota, & antecedẽs ꝓbatur, nõ ſolũ ex eccleſiaſtica traditione, vt autor eſt D. Aug. lib. 15. de Ciuit. & lib. de Catechizãdis rudibus, à c. 18. vſq; in finẽ: ſed etiã ex toto veteri teſtamẽto, in quo fit mẽtio fidei ſignis exterioribus proteſtatę, quã fideles habebant ante Chriſti aduentum.

Ad argumẽta primæ opinionis. Nec obſtãt teſtimonia adducta in argumẽto primæ opinionis, quibus probabamus fidẽ nõ fuiſſe ante aduẽtum Chriſti, nã cũ Apoſtolus dicit, Vbi fides venit, iam non ſumus ſub pędagogo, nõ loquitur de aduẽtu fidei Chriſti ſimpliciter, quaſi voluerit ſignificare, eam antea non fuiſſe: in eodem enim. c. dicit, iuſtus ex fide viuit. Et ad Hebr. 11. longo ſermone probat, oẽs quotquot ſalui facti ſunt, per fidẽ ſaluos factos fuiſſe: ſed loquitur de aduẽtu fidei ſecundũ manifeſtationẽ: vnde Gloſſa ſic habet, Vbi venit fides, id eſt, poſtquã reuelata eſt, quæ prius occulta fuerat in antiquis. Et Nicolaus de Lyra, venit fides, id eſt tẽpus fidei reuelatæ: vel poteſt exponi, venit fides, id eſt, impletum eſt illud, quod credebatur futurum: tunc enim promiſsio dicitur veniſſe, qñ id, quod ꝓmittitur, adimpletur. Ad aliud ex epiſtola ad Hebr. c. 11. reſpõdetur ꝙ Apoſtolus dicit, Antiquos defunctos fuiſſe iuxta fidẽ, non quia eam non habuerũt, ſed quia eã moriẽtes habuerunt ſociã, atq; comitẽ. Vnde Gloſſa dicit, Iuxta fidẽ, id eſt, adhęrentes fidei mortui ſunt.

¶Tertia concluſio, Hæc Eccleſia ſecũdo modo ſumpta initiũ ſumpſit ab Abel iuſto. *3. Concluſio.* Hæc concluſio, quæ cõmunis eſt omniũ ſanctorũ, probatur primò, ex D. Aug. qui ſuper Pſal. 142. loquẽs de Eccleſia dicit, Hæc ciuitas initiũ ſumpſit ab Abel iuſto, ſicut mala ciuitas à Cain. Idem etiã affirmat ſuper Pſal. 118. & lib. 15. de Ciuitate per multa capita. Itẽ ratione idẽ probatur, Eccleſia ſecũdo modo accepta eſſe non poteſt ſine fide ſigno aliquo viſibili proteſtata, vt cõſtat non ſolũ ex ijs, quæ diximus, ſed etiã ex D. Aug. in multis locis, & pręcipuè cõtra Fauſtũ, ſed primus, qui ſignis exterioribus fidem ſuam proteſtatus eſt, fuit Abel, vt patet ex Geneſ. c. 3. ergo ab illo eccleſia initiũ ſumpſit. Et cõfirmatur, Eccleſia, vt poſtea dicemus, à tẽpore, quo primũ incepit eſſe, ſemper perſeuerauit, abſque aliqua interruptione, ergo non ab Adam, ſed ab Abel iuſto initium ſumpſit: patet conſequentia, nam ſi eccleſia incepiſſet ab Adam, eo tempore interrupta eſſet, in quo Eua atq; Adam peccauerũt, cum Eccleſia ſine charitate eſſe non poſsit, ergo non ab Adam, ſed ab Abel iuſto incepit. Tandẽ probatur ex Paulo, qui ad Hebræos. 12. dũ repetit oẽs iuſtos atq; fideles, qui fuerũt in Eccleſia, initiũ facit ex Abel, ergo ille fuit primus eorũ, qui pertinebãt ad Eccleſiam. Hanc eandẽ concluſionẽ probat pluribus alijs rationibus Turrecremata, libr. 1. ſuæ ſummæ. c. 25. ¶Et ſi qs obijciat cõtra illã, *Obiectio.* Adã videtur ſuã fidẽ proteſtatus fuiſſe aliquo ſacrificio & ſigno ſenſibili, dicit enim Magiſter in hiſtorijs, ꝙ Adã docuit filios ſuos offerre primitias, atq; decimas, ergo nõ ab Abel, ſed ab Adã incepit Eccleſia.

¶Item mortuo Abel Eccleſia manſit in Adam, atq; Eua, vt omnes doctores fatentur, ergo etiam incepit ab Adam.

¶Ad primum reſpondetur negando antecedens, & ad id, quod adducitur ex Magiſtro in hyſtorijs, dico, ꝙ ſi verum eſt, ꝙ Adam docuit filios offerre primitias, non eſt verum, ꝙ ipſe eas per ſe obtulerit: vnde quamuis ſit primus eorum, qui habue-

runt

runt fidem, non tamen dicitur initium Eccleſiæ. Ratio autem propter quam, non legitur Adam ſacrificium obtuliſſe, aſsignatur a D. Tho. 2. 2. quæſt. 85. artic. 1. qui dicit, id factum fuiſſe, ne in eo, in quo notatur origo peccati, ſimul etiam ſanctificationis origo ſignificaretur. Quod etiam notaſſe videtur Apoſtolus ad Hebr. 11. dum fidem Sanctorum Patrum veteris teſtamẽti cõmemorans, ab Abel incipiens dicit, Fidei plurimam hoſtiam, id eſt, maioris precij. Abel quàm Cain obtulit Deo, per quã teſtimoniũ cõſequutus eſt eſſe iuſtus. &c.

ℭ Ad ſecundum reſpondetur conceſſo antecedenti negando conſequentiam, plus enim requiritur ad hoc, vt Adam dicatur initium Eccleſiæ, quam ad hoc, vt mortuo Abel in ipſo Eccleſia perſeueret: maximé quòd non eſt veroſimile, quòd tunc Adam atq; Eua non habuerint alios filios, qui ſimiliter ad Eccleſiã pertinebant, quãuis eorum mẽtionem non faciat ſcriptura.

Ad argumẽta pro. 3. ſententia. ℭ Ad alia autem argumẽta adducta pro tertia ſententia reſpondetur, quod quamuis Adam ante peccatum habuerit fidem, & gratiam: quia tamen illã non eſt proteſtatus ſigno aliquo exteriori, quod neceſſariũ eſt ad Eccleſiæ rationem, nõ dicitur ad Eccleſiã pertinere, nec ꝙ ab eo incœpit ea eccleſia, de qua nos in pręſenti diſſerimus.

4. Concluſio. ℭ Quarta concluſio: Loquẽdo de Eccleſia, prout dicit congregationem fidelium proteſtantium fidem ſignis atque ſacramentis à Chriſto inſtitutis, dicendum eſt quod incœpit poſt Chriſti paſsionẽ. Hanc concluſionẽ probant argumenta facta pro prima opinione.

5. Coclusio. ℭ Quinta concluſio, Hæc Eccleſia, quæ nunc eſt, & ea, quæ fuit ante Chriſti paſſionem, eſt vna & eadem Eccleſia. Probatur, omnes iuſti, quotquot fuerunt ab initio mundi vſq; ad iſtud tempus, & quotquot poſtea ſunt futuri, habuerunt vnam & eandem fidem, ergo pertinẽt ad vnam & eandem Eccleſiam, patet conſequentia: nã Eccleſia per fidem conſtituitur: antecedẽs vero probatur ex Paul. 2. ad Corinth. c. 4. vbi loquens de iuſtis nouæ & antiquæ legis oſtendit, oẽs eundem fidei ſpiritum habuiſſe, ergo oẽs pertinẽt ad eandẽ Eccleſiã.

6. Concluſio. ℭ Sexta cõcluſio: De fide tenẽdum eſt, ꝙ hęc Eccleſia, quæ ab Abel incœpit, vſq; ad finem mũdi ſit duratura. Probatur apertis teſtimonijs ſacræ ſcripturæ, & primo ex illo Pſal. 47. Deus fundauit eã in æternum. Quem locũ intelligẽdum eſſe de Eccleſia, docet D. Aug. dicens, Fortè iſta ciuitas, quę mundũ tenuit aliquando euertetur? Abſit. Deus fundauit eam in æternum. Si ergo Deus fundauit eam in æternũ, quid times ne cadat firmamentum? Et Eſai. cap. 9. dicitur de regno Eccleſiæ, quod multiplicabitur imperium eius & pacis non erit finis. Super ſolium Dauid & ſuper regnum eius ſedebit, vt confirmet & corroboret in iudicio, & iuſtitia, amodo & vſq; in ſempiternũ. Et Lucæ c. 1. dicitur de Chriſto, Regnabit in domo Iacob, id eſt in Eccleſia, in ęternum, & regni eius non erit finis. Et Oſeæ cap. 2. dicitur ad Eccleſiã ex perſona Dei: Et ſponſabo te mihi in fidem ſempiternã, & Matth. 16. Portæ inferi non præualebũt aduerſus eam: ſed præualerent ſi Eccleſia ante finem mundi eſſet interitura, ergo.

ℭ Sed dubitauit aliquis hoc loco; vtrũ Eccleſia à tẽpore ſuæ inceptionis, aliquãdo deſierit eſſe? Et pro parte affirmatiua eſt argumẽtũ, in tẽpore paſsionis Chriſti, ſola Beata Virgo habuit fidẽ, cũ reliqui fideles illã amiſerint, ergo in illo tẽpore non fuit Eccleſia, patet conſequentia, quoniã Eccleſia eſt congregatio plurium fideliũ, nec in vno conſeruari poteſt. *Dubium.* *Argum. pro parte affirmatiua.*

7. Concluſio. ℭ In hoc tñ ſit ſeptima cõcluſio, De fide tenẽdũ eſt, ꝙ Eccleſia ab eo tẽpore quo primũ incœpit, nũquã deſijt eſſe, nec deficiet aliquando. Hęc cõcluſio, præterquã ꝙ probari poteſt ex Eccleſiæ traditiõe, probatur ex D. Auguſt. qui ſuper Pſal. 118. dicit, Eccleſia nunquam defuit in terris ab initio generis humani. Quod autẽ nec etiã deficiet probatur, quia alias ſequeretur, ꝙ eo tẽpore Chriſtus nõ eſſet apud nos, hoc autẽ eſt abſurdũ: nam ipſe promiſit ꝙ futurus erat nobiſcum, vſq; ad conſummationem ſæculi, ergo. Ex dictis infertur, quod ab eo tẽpore, quo primum Eccleſia incœpit, ſemper fuit in mũdo vera fides, vera charitas, & verus vſus ſacramẽtorũ: quia Eccleſia ſine his conſtare non poteſt. ℭ Et ad argumentum in contrarium factũ reſpondent nonnulli, vt docet Turrecremata, lib. 1. ſuæ ſummæ, cap. 30. conceſſo antecedenti, negando conſequẽtiam, habẽt enim pro certo, quod Eccleſia in vno poteſt conſeruari. Hanc ſententiã tenet Alexan. Alenſ. 3. p. q. vlt. art. 2. & Guillhelmus Pariſienſis in lib. qui dicitur Rationale diuinorum officiorum. Dicit enim ꝙ candela quæ occultatur in officio matutinali triũ dierũ hebdomadæ ſanctæ, *Ad argumẽtum.*

ſignificat fidẽ Chriſti, quæ ſola in virgine remanſit. Hæc tamen ſolutio ſuſtineri non poteſt, nã cum eccleſia ſit collectio fideliũ, implicat cõtradictionẽ, quod in vno cõſeruetur. Quocirca ea omiſſa aliter ad argumẽtũ reſpondetur, primò, dicendo falſum eſſe, quòd in triduo mortis Chriſti permãſerit fides in ſola Beata Virgine, nã vt probat Abulenſis ſuper Matth. tom. 1. q. 13. extra Hieruſalẽ erãt multi fideles, qui per Chriſti prædicationẽ fuerant conuerſi, ad quos crucis ſcandalum non peruenit. Vel ſecundò reſpondetur, etiã eſſe falſum, quod omnes Apoſtoli eo tẽpore fidem amiſerunt, cum D. Petrus eã ſeruauerit, vt infra dicemus, ad qđ probãdum facit illud Lucę. c. 22. Ego rogaui pro te, vt nõ deficiat fides tua. Et hęc de iſta difficultate dicta ſufficiãt.

Aliud dubium. ¶ Aliud dubium eſt, quo nã loco, & apud quos homines, iſta eccleſia ſit quęrẽda. Qđ eſt quęrere, vtrum vera Chriſti eccleſia ſit apud Germanos, vel potius apud eos, qui Romano Põtifici obediũt? Nã in hac re hęretici Lutherani dicunt, verã Chriſti eccleſiã eſſe apud ipſos, & ꝙ cõgregatio eccleſiæ Romanæ eſt conuẽticulũ Antichriſti, imo ſinguli quiq; cœtus hæreticorũ, ſe potiſsimũ Chriſtianos, & ſuam eſſe catholicã eccleſiã exiſtimãt, & profitẽtur. *Sententia Lutheranorũ.* Vnde Cyprianus ad Iubaianũ de Nouatiano dicebat, ꝙ more ſimiarũ, quæ cũ homines nõ ſint, homines imitantur, cũ ipſe in eccleſia non eſſet, imo adhuc inſuper contra eccleſiã rebellis extitiſſet, hoc ſibi vẽdicabat, vt apud ſe eccleſiam eſſe diceret, ac nos hæreticos faceret. Et D. Hilarius ad Conſtantiũ etiam affirmat, quod ſuo ſeculo Antichriſti Synagoga, Chriſti eccleſiam ſe eſſe mẽtiebatur. Et de Donatiſtis ſcribit D. Aug. epiſtola. 56. & 166. quod eccleſiam in Africa tantũ eſſe, & nõ in tota, ſed ſolũ in parte Donati contẽdebant. Et D. Bernat. ſermone. 66. in Cantica, dicit, ſuis tẽporibus fuiſſe etiã aliquos, qui ſe Apoſtolos vocabant, & eccleſiã apud ipſos eſſe dicebant, quorũ temeritatem poſtea ſunt imitati Pauperes de Lugduno, quorum ſoboles nũc ſunt Picardi.

Concluſio de fide. ¶ Cæterũ cõtra hos omnes hæreticos eſt cõcluſio de fide tenenda, quod illa congregatio fidelium, quæ Petri ſucceſſorem Chriſti vicariũ Romanum Pontificẽ ſuum caput agnoſcit, & ſequitur, qualis eſt ea congregatio, quæ nunc eſt ſub Gregorio *Primaratio.* XIII. ſummo Pontifice, eſt vera Chriſti eccleſia, de qua loquimur, quæ regitur ab Spiritu ſancto, & extra quam nõ eſt ſalus. Hãc cõcluſionẽ probo primo, nã vera Chriſti eccleſia eſt ea, quę de fide, & ſacramẽtis, tenet illa, quæ habentur in ſacris literis, eo modo intellectis, quo ſancti patres atq; cõcilia intellexerunt: ſed talis eſt eccleſia Romana, quæ nũc eſt ſub Gregorio XIII. & non eccleſia Germanorum, & hæreticorũ, ergo eccleſia Romana eſt vera Chriſti eccleſia, conſequentia eſt nota, minor eſt euidens, maiorem vero probo ex ijs quæ diximus, cum ageremus de ſignis, quibus eccleſia eſſet dignoſcenda.

¶ Secũdò, vera Chriſti eccleſia eſt firma, immobilis, & inconcuſſa manens contra omnes mũdi turbines & procellas, ſed talis eſt eccleſia Romana & non eccleſia Germanorum, aut hæreticorũ, ergo ſola eccleſia Romana eſt vera Chriſti eccleſia: conſequentia eſt nota, & maior patet ex illo Matth. 7. vbi eccleſia comparatur domui ædificatæ ſupra firmam petram, quam nec irruentes fluuij, nec ventorum flatus vertere potuerunt: & ex illo quod dictum eſt Petro Matth. 16. Portę inferi non pręualebunt aduerſus eam. Vnde in Cãticis dicitur de illa, quod eſt terribilis tanquam caſtrorũ acies ordinata. De quo videndus D. Chryſoſt. Homilia de expulſione ſua, quæ habetur in. 5. tomo. Minor verò probatur, ſcilicet, quod eccleſia Romana ſit firma & ſtabilis, & non eccleſia hęreticorum: nam ſola Romana eccleſia tenet eandem fidem, quã tenuit ab initio: & eccleſię hęreticorum ſæpeſçpius ſunt mutatę atque extinctę, id enim quod modo aſſerit Lutherus, iam olim alius hęreticus aſſeruerat, & fuit exploſum ab eccleſia, ergo ſola cõgregatio, quæ ſequitur Romanũ Põtificem, eſt firma & ſtabilis, atq; ex conſequenti vera Chriſti eccleſia. *Secunda ratio.*

¶ Tertiò probatur concluſio, vera Chriſti eccleſia eſt ſancta, atque perfecta, propter ſanctam & honeſtam viuendi rationem, quæ in ea inuenitur: ſed talis eſt eccleſia Romana, & non eccleſia Lutheranorũ, ergo. Conſequentia eſt nota, maior patet ex ſymbolo dicente, Credo ſanctam eccleſiã, &c. minor vero probatur: nã tria requiruntur ad rectã viuendi rationem, ſcilicet, religio in Deũ, temperantia erga ſeipſum, & iuſtitia erga proximos, iuxta illud Michęę. c. 6. Indicabo tibi, o homo, quid ſit bonũ, & quid dominus requirat à te, vtiq, facere iudicium, & diligere miſericordiã, & ſolicitum ambulare cum Deo tuo. Primum *Tertia ratio.*

mum pertinet ad temperantiam, quam debet homo habere erga ſeipſum. Secundum, ad iuſtitia erga proximos, Tertium autem, ad religionem erga Deum, quibus perfecta viuendi ratio continetur: ſed hæc omnia inueniuntur in Eccelſia Romana, & non in Eccleſia Germanorum, aut hæreticorum, ergo. Minor probatur, nam in primis religio erga Deum, & cultus diuinus est in Eccleſia Romana bene inſtitutus, poſitis tēplis, & adhibitis miniſtris, atq; cæremonijs ad id conuenientibus: cum apud hæreticos & Germanos, nec templa ſint, nec ſacerdotes, nec vlla ratio Deum precandi, atq; laudandi. Item, in noſtra eccleſia habetur magna ratio temperātiæ, quod conſtat ex eo, quod apud nos ſunt tot ieiunia, & tātus delectus ciborum, quarū rerum apud Germanos nulla eſt. Tandem, eſt etiam in noſtra eccleſia maximus cultus iuſtitiæ erga proximos, cum doceat bona opera eſſe meritoria vitę æternę, mala autē ſupplicio æterno, quæ omnia Germani nihili faciūt dicentes, nec iuſtis, nec iniuſtis operibus poſſe nos aliqd mereri, aut demereri apud Deum, ergo Eccleſia Romana ſanctior eſt quam eccleſia Germanorum: atq; ex conſequenti eſt vera Chriſti eccleſia. ¶ Quarto, Vera Chriſti eccleſia eſt vna, vt habetur in ſymbolo: ſed talis eſt eccleſia Romana, & non eccleſia Germanorum, ergo. Conſequentia cum maiori eſt nota, & minor probatur, & primo, nam vt ſupra diximus, Eccleſia dicitur vna vnitate fidei: ſed hanc ſeruat ſola Eccleſia Romana, quæ à principio vnū & idem ſentit, cū Germani inter ſeſe ſint diuiſi, & in varias ſectas diſtincti. Item, Eccleſia dicitur vna vnitate capitis, & tū ſola Eccleſia Romana eſt, quæ in terris agnoſcit vnū tantū caput, ſcilicet, Romanum Pontificem, cū Germani ſub diuerſis capitibus collecti inueniantur, ergo ſola Romana eſt vera Chriſti eccleſia.

Quarta ratio

Quinta ratio ¶ Quinto, ꝓbatur concluſio, Vera Chriſti eccleſia ita eſt Catholica & vniuerſalis, vt ſit diffuſa per totū orbē, & pertineat ad vniuerſa loca, & vniuerſa tempora, & vniuerſas nationes: vt conſtat ex pluribus locis ſacræ ſcripturæ. Nā primo, quod ſit diffuſa per totum orbem, patet ex illo Pſal. 18. In omnem terra exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorū. & ex illo Marci vltimo, quod dictum fuit Apoſtolis, Ite in mundum vniuerſum & prædicate Euangeliū omni creaturæ, &c. Quod autem ſe extendat ad omnia tēpora, patet ex ijs, quę diximus, cum de initio & duratione Eccleſiæ ageremus. Et tandem quod ſe extēdat ad omnia genera hominū, & ad omnes ſtatus, cōſtat ex illo Paul. ad Roma. 10. Nō eſt diſtinctio Iudæi & Græci. Et ad Coloſ. 3. Apud Deum nec circūciſio aliquid valet, nec præputium, ſed noua creatura: ſed talis eſt eccleſia Romana, vt cōſtat ex hyſtorijs, & non eccleſia Germanorum, aut Lutheranorum, quæ ab hinc quinquaginta annis orta eſt, & incluſa in vna natione & angulo terrarum, ergo ſola eccleſia Romana eſt vera Chriſti eccleſia. ¶ Sextò, vera Chriſti eccleſia eſt Apoſtolica, hoc eſt, quæ continet, & ſequitur doctrinam traditam ab Apoſtolis: ſed talis eſt eccleſia Romana & non eccleſia Germanorum, aut hæreticorum, ergo. Conſequētia eſt nota, maior patet ex ſymbolo, vbi dicitur, Credo vnā ſanctam Catholicam & Apoſtolicam eccleſiam: minor autem probatur, nam doctrina Apoſtolica, nō ſolum ſcripto, ſed etiam traditione conſtat, vt patet ex Paulo. 1. ad Corinth. c. 11. vbi de Euchariſtiæ ſacramēto dicit, Cætera cum venero diſponam. Ex quo loco colligit D. Auguſt. epiſtola. 118. ritum conficiendi ſacramentum Euchariſtiæ fuiſſe traditum ab Apoſtolo, non ſcripto, ſed verbis. Et. 2. ad Timoth. cap. 2. dicit Paul. Laudo vos fratres, quod ſicut tradidi vobis præcepta, tenetis. Et ad Theſalonicēſes cap. 2. State, & tenete traditiones, quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam. Et Ioannes ſecunda ſua canonica dicit, Plura habens vobis ſcribere, nolui per chartam, & atramētum: ſpero enim me futurum apud vos, & ore ad os loqui. Idem etiam cōfirmat Irinæus, lib. 3. c. 4. & D. Hilarius in libr. ad Conſtantinum Auguſtū, & Athanaſius in lib. de decretis ſynodi Nicænę, & Theodoretus aduerſus gētes, lib. 1. cap. 8. ſed eccleſia Romana ſeruat traditiones Apoſtolorum, & non Eccleſia Germanorum, aut hæreticorum, vt conſtat, ergo ſola Romana eſt vera Chriſti eccleſia. ¶ Septimò, ꝓbatur concluſio, vera Chriſti eccleſia eſt ea, in qua inuenitur legitima ſucceſſio Epiſcoporū, ab ipſis vſq; Apoſtolis repetita, ita vt ſemper alij alijs ſuccedāt, tā in cathedra, quā in fidei cōfeſſione, vt cōſtat ex Irinæo, lib. 4. c. 63. vbi dicit, quod cognitio veræ eccleſiæ eſt ex Apoſtolorum doctrina, & antiquo eccleſiæ ſtatu, ſecūdū ſucceſſionē Epiſcoporū: & lib. 4. c. 43. etiam

Septima rō.

Sexta ratio.

dicit, quod illis tantum Epiſcopis eſt obediendum, qui ſucceſsionem habẽt ab Apoſtolis: hi enim ſunt, qui ſucceſsione Epiſcopatus certum chariſma veritatis acceperunt. Idem etiam docet D. Auguſt. contra Epiſtolam Manichæi.c.4. & Tertullianus in lib. de præſcriptionibus aduerſus Hæreticos: ſed hæc perpetua ſucceſsio Epiſcoporum, tam in fidei confeſsione, quam in dignitate & cathedra, tantum inuenitur in Eccleſia Romana, & non in Eccleſia Germanorum, aut Hæreticorum, vt cõſtat manifeſtè ex omnibus hyſtorijs, ergo ſola Romana eſt vera Chriſti eccleſia.

Vltima ratio

¶ Vltimo ſic argumentor, in vera Chriſti Eccleſia eſt ordo, ita vt alij ſint prælati, alij ſubditi, alij alia munera exerceant: ſed iſte ordo tantũ inuenitur in eccleſia Romana, & non in eccleſia Germanorum, aut hæreticorum, qui dicunt omnes, etiam fœminas, eſſe ſacerdotes atque iudices Eccleſiaſticos, ergo ſola Romana eſt vera Chriſti Eccleſia. De hac concluſione videndus eſt Hoſius, Tomo.2.libr.5.

Dubium.

¶ Sequitur alia difficultas, Vtrum iſta vera Chriſti eccleſia poſsit eſſe in aliquo errore circa doctrinam fidei & morũ? Ad cuius explicationem aduertendum eſt, tripliciter poſſe contingere quod aliquis erret in fide, vno modo quia prorſus caret vera fide, vt contingit hæreticis, & infidelibus: alio modo, quia quãuis habet veram fidem, ignorat tamen inuincibiliter aliquẽ fidei articulum. Tertiò, quãdo non ſolum ignorat aliquem articulum inuincibiliter, ſed etiam eſt perſuaſus de errore cõtrario, ſine pertinacia tamen.

Prima concluſio.

¶ Hoc poſito ſit prima concluſio, Eccleſia vniuerſalis nõ poteſt ita errare in fide, vt ab ea deficiat. Hæc concluſio ſufficienter probatur ex his quæ diximus ſupra, cũ oſtenderemus in eccleſia perpetuo ſituturã eſſe verã fidem, quod & aperte docet Leo Papa, epiſt.14.&.69. De hac re videndus eſt Driedo, lib.4. de Eccleſiaſticis dogmatibus, cap.3.part.3. & Vega, lib.15. in concil. Trid.c.3. & Thomas Vvald. libr.2. doctrinalis fidei, cap.19. & Albertus Pighius, in lib. de Eccleſiaſtica Hierarchia.cap.26. & Antonius a Cordiba, lib.4.quæſt.1. propo[illegible].4.

Secunda concluſio.

¶ Secunda concluſio, Eccleſia vniuerſalis non poteſt ita in fide errare, vt aliquid eorum, quæ neceſſaria ſint ad ſalutem, inuincibiliter ignoret. Probatur primo ex Ioãnc.c.14. vbi Chriſtus dixit, Spiritus paracletus manebit vobiſcum in æternum, & docebit vos omnem veritatem, ſcilicet, earum rerum, quæ neceſſariæ ſunt ad ſalutẽ. Et Ioan.c.16. etiam dixit Chriſtus Apoſtolis, Vos autẽ dixi amicos, quia omnia, quæ audiui à patre meo, nota feci vobis. Et ratio eſt manifeſta, nam ſi eccleſia vniuerſalis laboraret ignorantia alicuius rei neceſſariæ ad ſalutem, huius rei culpa eſſet referenda in Chriſtũ, qui eſt ſponſus & caput ipſius, & ad quẽ ſpectat ſuppeditare omnia neceſſaria ad ſalutẽ: hoc autẽ eſt abſurdũ, ergo.

Eccleſia nihil poteſt ignorare eorum, quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem.

Tertia concluſio.

¶ Tertia concluſio. Ea, quæ eccleſia vniuerſalis habet pro certis & indubitatis, nulla ratione falſa eſſe poſſunt. Hæc cõcluſio manifeſte ſequitur ex ſuperiori, nam ſi eccleſia non poteſt habere ignorãtiam inuincibilem alicuius rei neceſſariæ ad ſalutem, multò minus habere poterit errorem poſitiuum, amplectẽdo falſa pro veris, cum peius ſit poſitiuè errare, quàm aliquid ignorare. Sed probatur præterea ex D. Paul.1.ad Timoth.c.3. vbi dicit de eccleſia, quod eſt firmamentum, & columna veritatis: hoc autem eſſe non poſſet, ſi falſa pro veris admitteret. Et confirmatur, nam eccleſia nihil habet pro certo & tanquam de fide, niſi id, quod, vel in ſacris literis eſt expreſſum, vel à legitimò cõcilio fuerit definitũ: ſed iſtæ regulæ ſunt infallibiles, vt poſtea ſimus dicturi, ergo eccleſia nihil falſum pro verò poteſt admittere. Et eſt aduertendum, quod hęc concluſio, & alię, quę de eccleſia Catholica loquuntur, intelligendę ſunt pro omni tempore, ita vt nec Eccleſia, quę nunc eſt, nec illa, quę fuit tempore Apoſtolorũ, nec etiã illa, quę præceſsit Chriſti aduẽtu, potuit habere aliquem errorem circa fidẽ & mores. Sẽper enim eccleſia fuit ſancta, & in fide firmata, vt latè docet Vvaldenſis lib.2. doctrinalis fidei art.2. per multa capita. Et Axiomata Chriſtiana, lib.3. art.1.c.7. & lib.4. diſp.2.c.6.7. & ſequentibus.

Quarta concluſio.

¶ Quarta concluſio, Ea, quę eccleſia habet pro veris, ſed non indubitatis, poſſunt interdum eſſe falſa: & ſic in eorũ iudicio errare. Vt verbi gratia, vniuerſalis eccleſia tenet Beatam Virginem nõ fuiſſe conceptã in peccato originali, & tenet hoc non tanquam certum & indubitatum de fide, ſed tanquam verum & pium: dico ergo, quod nihil prohibet eccleſiam in hac re falli, nam aliàs nullum eſſet diſcrimen, inter hoc, quod eſt Beatã Virginem fuiſſe conceptã ſine

ſine peccato originali, & eam virginem periiſſe, quod tamẽ eſt falſum. Item, probabilis opinio tenet, vt poſtea ſumus dicturi, ꝙ ſummus Põtifex falli poteſt in canonizatione Sanctorum, & ex cõſequenti, quod vniuerſalis Eccleſia, quæ in tali re Pontificis iudicium ſequi debet, falli poteſt in hac re, nec ex hoc aliquod ſequitur inconueniens, quia quãuis Eccleſia iudicet aliquẽ eſſe ſanctum, nõ ita illud iudicat, vt ſit certum, & de fide, ſed tãquam verum & piũ.

Dubium graue.

¶ Hoc iam cõſtituto, eſt grauis difficultas vtrum vera iſta Chriſti eccleſia habeat poteſtatem definiendi res fidei & morum? In qua re, vt certa ab incertis ſeparemus, dico primo certum eſſe, quod eccleſia habet huiuſmodi poteſtatem iudicandi, ſtatuendi, & definiendi res fidei & morum, vt ſupra oſtendimus, cum de iudice externo & viſibili in eccleſia conſtituendo ageremus. Sed dubium eſt penès quem hominum ſit iſta poteſtas? Vtrum ſcilicet ſit in tota eccleſia, vel in aliquo eius membro. Nam in hac re

Sententia Lutheranorũ.

hęretici Lutherani, ſicut & in omnib⁹ alijs, faceſſunt nobis negotium, dicẽntes interdum, huiuſmodi poteſtatem eſſe penes ſolos reges, interdum autem, penes ſingulos Chriſtianos, & vtrumq; probanꝫ varijs argumẽtis.

Primum argumentum. ad probandum quòd poteſtas definiendi eſt penes Reges.

Nam primum, ſcilicet, quod hæc poteſtas ſit penes ſolos reges, probant ex verbis Dauid, qui in pſal. 138. dicit Non ne, qui oderũt te domine oderam, & ſuper inimicos tuos tabeſcebã? ex quo loco ſic colligunt argumentum, ad regem proprie pertinet deteſtari impiam doctrinam, & illam perſequi, vt patet ex hoc teſtimonio: ſed hoc efficere non poteſt, niſi prius iudicet, quæ nam ſit vera vel impia doctrina, ergo ad reges proprie pertinet poteſtas diffiniendi res fidei, & diſtinguendi veram doctrinam à falſa.

Secundũ argumentum.

¶ Item ſecundo, in lege veteri iudicium de religione non ſolum pertinebat ad ſacerdotes, ſed etiam ad reges ſeculares, ergo ſimiliter dicẽdũ eſt de eccleſia: cõſequentia tenet ex paritate rationis, antecedens vero probatur multipliciter ex ſacra ſcriptura. Et primo ex illo Deuter. cap. 17. vbi præcipit dominus Iudæis, vt in rebus dubijs conſulãt, nõ ſolum ſacerdotes Leuitici generis, ſed etiam iudicẽ, qui eo tempore fuerit, qui exponent omnem veritatem. Et. 2. Paral. cap. 17. etiam dicitur, quod Ioſaphat rex abſtulit loca dicata idolorum cultui, & reformauit totam Synagogam miſsis ſacerdotibus per ſingulas vrbes, & 1. Paralip. cap. 13. dicitur de Dauide, quòd inſtituit & ordinauit totã rationem cultus diuini, ergo ad regem proprie pertinet poteſtas iudicandi de rebus fidei. Et confirmatur, nam in aliquibus concilijs generalibus, Imperatores, & Reges ſubſcripſiſſe dicũtur, ſicut alij Epiſcopi, ergo.

Cõfirmatur.

Quod vero iſta poteſtas ſit penes ſingulos Chriſtianos probant primo, ex eo ꝙ ſinguli Chriſtiani ſecundum ipſos ſunt reges, & ſacerdotes, vt conſtat ex Apoca. cap. 2. & 3. vbi dicitur, nos factos fuiſſe Deo noſtro reges, & ſacerdotes, ergo nullus eſt qui excludatur à poteſtate iudicandi de rebus fidei & morum.

Primum argumentum ad probandũ quòd poteſtas definiẽdi eſt penes ſingulos Chriſtianos.

¶ Item ſecundo, Chriſtus dicit Matth. 7. vniuerſis fidelibus, vt caueant à falſis prophetis, qui venturi ſunt in veſtimentis ouium: ſed hoc efficere nõ poſſunt, niſi prius iudicent, quæ ſit vera & falſa doctrina, ergo ſinguli habent poteſtatem hoc iudicandi.

Secũdum argumentum.

¶ Item, Ioã. 4. dixit Chriſtus loquens ad vniuerſos fideles, Nolite credere omni ſpiritui, ſed iudicate ſpiritus, vtrum ex Deo ſint, ergo ſinguli Chriſtiani habẽt poteſtatẽ hoc iudicandi.

Tertium argumentum.

Vltimum argumentum.

¶ Vltimo, Deutero. cap. 17. præcipit Dominus, vt faciamus quęcunq; dixerit ille, qui præeſt loco, quẽ elegit Dominus, & quę docuerit nos iuxta legem eius: in quibus verbis non abſolute dicitur, quod faciamus ea, quæ præceperit ſacerdos, ſed ea, quæ præceperit ſecundum legem Domini, ergo poſt latam ſentẽtiam à ſuperiori, habet vnuſquiſq; poteſtatem iudicandi, vtrum talis ſententia ſit ſecundum legem Domini, nec ne? atq; ex conſequenti ſinguli Chriſtiani habent poteſtatem iudicandi de rebus fidei & morum.

1. Concluſio.

¶ His tamen non obſtantibus ſit prima cõcluſio. Poteſtas definiendi, & iudicandi res fidei, non eſt penes reges. Hæc concluſio eſt de fide tenenda, & probatur primo ex communi conſenſu & conſuetudine eccleſiæ, ex qua manifeſte patet nec Imperatores, nec Reges hanc ſibi poteſtatem vſurpaſſe, ſed illam reliquiſſe Epiſcoporum iudicio.

Poteſtas definiendi nõ eſt penes Reges.

Vnde Iouinianus Imperator in quadam ſua conſtitutione, quæ habetur inſerta in actis quintæ ſynodi, dicit, Imperator in iis, quæ pertinent ad religionis cauſam, imperiale iudicium Epiſcoporum iudicio ſubmittit. Et Valentinus Imperator, rogatus à quibuſdam Epiſcopis vt concilium cõuocaret, vt eſt videre lib. 6. Hyſtoriæ Eccleſiaſticæ, cap. 7. reſpondit, Mihi qui ſum è plebis ſorte, fas nõ eſt, talia curioſius perſcrutari:

ſcrutari: ſacerdotes, quibus intereſt cura hæc, conueniant inquocunque loco illis placuerit. De hac etiā re habentur præclara verba Hoſij Epiſcopi Cordubenſis, quivt refert Athanaſius, dixit Conſtantio Imperatori; Ne te miſceas eccleſiaſticis, princeps, nec nobis in hoc genere precipe: ſed à nobis ea diſce: tibi Deus Imperium cōmiſit, nobis autem quæ ſunt eccleſiæ concredidit. Similiter D. Ambroſ. dixit Valentiniano Imperatori, vt refert Hoſius inter alia lib. 2. de legitimis iudicibus rerū eccleſiaſticarū, ſtatim in principio, Noli te grauare Imperator, vt putes te in ea, quæ diuina ſunt, imperiale aliquod ius habere: noli te extollere, ſed ſi vis diutius imperare, eſto Deo ſubiectus, ſcriptum eſt enim, Quæ Dei Deo, & quæ Cæſaris Cæſari, ad Imperium palatia pertinent, ad ſacerdotem eccleſiæ. Et D. Auguſt. epiſtola. 67. refert de Conſtantio Imperatore, quod cum ad ipſum deferretur cauſa cuiuſdam Epiſcopi ſchiſmatici, noluit, nec auſus eſt, eā iudicare: ſed illā ad alios Epiſcopos tranſmiſit, ergo poteſtas definiendi res fidei non eſt penes Reges. Idem etiam probatur ex D. Chryſoſt. qui Homil. 4. de verbis Eſaię dicit, Alios eſſe terminos Regis, alios ſacerdotum: nam Rex ius habet ſuper ea, quę interris ſunt; ſacerdotibus vero cœleſtia ſunt cōmiſſa. Vnde. 2. Paralip. 26. dicitur de Ozia Rege, q̄ fuit percuſſus lepra grauiſsima, eo quòd auſus fuerit offerre incenſum Domino. Et primo Regū cap. 13. grauiter increpatur Saul, propterea quòd in abſentia Samuelis, obtulit Deo holocauſtum in Galgala, ergo ad Reges nō pertinet ea, quę ſunt ſacerdotis, tractare. De hac concluſione videndus eſt Hoſius loco citato.

Secūda cōcl.

¶ Secunda concluſio. Poteſtas diffiniendi res fidei non eſt penes ſingulos Chriſtianos. Probatur primò, nam alias ſequeretur maxima confuſio & varietas opinionum in eccleſia vnoquoq; affirmāte, id, quod ſibi melius videretur: hoc autem eſt abſurdū & contra rationem omnis benè inſtitutæ reipub. ergo. Itē, ſi de illis rebus, quæ ſunt decretæ & determinatæ in Concilijs, ſinguli Chriſtiani poſſent liberè iudicare (vt hæretici d[illegible] eſſet finis in re dubia iudicandi [illegible]ed omne iudicium fidei abiret in [illegible] m[illegible] atq; ex conſequenti nec poſſet eſſe [illegible] eccl[illegible] r[illegible]la aliqua efficax, & infal[illegible] [illegible] res fidei ſtatuendas: hoc autem eſt ab[illegible], & [illegible]tra rationem diuinæ prouidentiæ, ergo. Item, illi habent in eccleſia poteſtatem iudicādi de rebus fidei, quibus Chriſtus promiſit Spiritum Sanctum perpetuo affuturum: ſed hæc promiſsio non eſt facta ſingulis Chriſtianis, ſed toti eccleſiæ, ergo ſinguli non habent poteſtatem iudicandi de rebus fidei. Et cōfirmatur ex illo, quod habetur Exod. 24. vbi dixit dominus ad Moyſen, Ne pateretur populum aſcendere montē eo tempore, quo ipſe legem daturus deſcenderet: ſed aſcenderet ipſe ſolus, aſſumptis ſecum paucis & electis hominibus, & manente populo ad radices montis, ergo non pertinet ad ſingulos de media plebe, res diuinas & altas cognoſcere: atq; te ex conſequenti multo minus de illis ſententiam ferre.

poteſtas definiendi no eſt penes ſingulos Chriſtianos.

¶ Tertia concluſio. Omnes alij ab Epiſcopis, tam laici, quā ſacerdotes, ſiue copulatim, ſiue diuiſim, non habent a Chriſto poteſtatem definiendi, & iudicandi de rebus fidei. Et quidem quod ſinguli non habeāt patet ex pręcedenti cōcluſione. Quod autem nec etiam habeant huiuſmodi poteſtatē omnes copulatim probatur, quia eſt impoſsibile, quod omnes ſimul in vnum conueniant, ergo fruſtra illis hæc poteſtas eſſet cōceſſa. Imo dico, quod quamuis poſſent ſimul in vnum conuenire, adhuc non poſſent res fidei definire, vt patet ex concilio celebrato tempore Apoſtolorū, de quo fit mentio act. 14. vbi dicitur, quod conueniente multitudine populi & ſeniorum cū Apoſtolis, ſoli Apoſtoli & ſeniores ſenſētiā dixerunt: reliqui autem ex populo tacuerunt, ſic enim dicitur, quod omnis multitudo tacuit: ſignum, ergo erat, quod multitudo non habeat poteſtatem res fidei deſiniendi. Idem etiam probatur ex communi vſu eccleſiæ, ex quo conſtat in concilijs, pręter Epiſcopos, reliquos non habere poteſtatē definiendi, ſed tantum vocem c[illegible]. Vnde D. Aug. epiſtola. 1[illegible]9. & 152. & lib. 6. contra Donatiſt. cap. 35. vniuerſales ſynodos, appellat concilia Epiſcoporum; quod & facit Marcellus Papa epiſtola. 2. Et in cōcil. Chalcedonēſi actione prima, ſemel atq; iterum appellatur ſynodus Epiſcoporum, & non clericorum. Item, idem confirmari poteſt teſtimonio Theodoſij Imperatoris ſcribentis ad ſynodum Epheſ[illegible] pr[illegible]ā, & refertur. 96. diſt. cap. ſatis euidenter, vbi dicit, illicitum eſſe, illum, qui non eſt ex ordine ſanctiſsimorum Epiſcop[illegible] eccleſiaſticis intereſſe tractatib⁹. Et ex ep[illegible] la Paſche-

Tertia cōclu.

Poteſtas definiendi [illegible] penes alios [ab] Epiſcopis [nec] diuiſim ſi[ue] copulatim

Pulcheriæ Auguſtę, quæ habetur in initio cõcilij Chalcedonenſis, vbi monet præfectum Bithyniæ, vt clericos, monachos, laicos, quos nulla ratio ad concilium vocat, de ciuitate expellat, ſignum ergo eſt, quod penes hos non eſt poteſtas definiendi. De hac re videndus eſt Hoſius lib. 2. de legitimis iudicibus rerum eccleſiaſticarum ſtatim in principio.

Argumentum contra tertiam concluſionem.

¶ Sed contra iſtam concluſionem eſt argumentum deſumptum ex cap. vbi nam. 96. diſt. vbi dicitur, Nicolaum Papam dixiſſe Michaëli Imperatori hæc verba. Vbi nam legiſtis anteceſſores veſtros Imperatores ſynodalibus conuentibus interfuiſſe, niſi forte in quibuſdam, vbi de fide tractatũ eſt, quæ vniuerſalis eſt, quæ omnium communis, quæ non ſolum ad clericos, verum etiã ad laicos, & ad oẽs omnino pertinet Chriſtianos, ergo penes omnes Chriſtianos ex determinatione ſummi Pontificis eſt poteſtas determinandi res fidei.

Solutio argumenti.

¶ Ad hoc argumentum reſpondetur, quod Nicolaus Papa in illo loco diſtinguit duo genera conciliorum, vnum in quo agitur de cauſa alicuius epiſcopi, vtrũ, ſcilicet, ſit rectè electus, vel vtrum ſit deponendus? alterum autem in quo agitur de rebus dubijs ad fidẽ pertinentibus: & dicit ſummus Pontifex, quòd in prioris generis concilijs, nulli Reges aut ſęculares intereſſe debent: contra quod fecerat Imperator conuocans propria autoritate concilium contra Ignatium Archiepiſcopum Conſtantinopolitanum, quo illum depoſuit, & elegit loco illius quẽdam Photium, id, quod Papa dicit factũ cõtra leges & bonos mores. Cæterum in concilijs, in quibus agitur de reb' in fide dubijs, poſſunt intereſſe quicunq; ſęculares, quãuis non pręeſſe, aut ſententiam ferre, vt poſtea dicemus. Et ſic nihil obſtat argumẽtũ.

4. Concluſio.

¶ Quarta concluſio. Poteſtas definiendi res fidei eſt penes conuentum legitimum Epiſcoporum, quem vocamus concilium generale. Hæc concluſio probatur primo, à ſufficienti diuiſione: nam hæc poteſtas eſt in Eccleſia, vt diximus, & non penes alios ab epiſcopis, ergo eſt penes ipſos epiſcopos. Item idem probatur ex Innocentio Papa, cuius verba habentur in cap. de quibus. 20. diſt. vbi dicitur, q in rebus dubijs, ſi alijs remedijs tentatis, verum inueniri non poteſt, congregandi ſunt ſeniores, id eſt Epiſcopi, & eorum ſtandum eſt ſententiæ. De qua etiam re extat præclara oratio Imperatoris in. 8. ſynodo Conſtantinopo. quod item affirmat D. Auguſt. li. 1. de Baptiſmo contra Donatiſtas, cap. 18. Et præterea probatur, nam ſolis Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus Epiſcopis, eſt tradita poteſtas paſcendi gregem Domini, ergo ſolis Apoſtolis & ſucceſſoribus Epiſcopis eſt tradita poteſtas definiendi res fidei & morum, patet cõſequentia: nam vnum ex neceſſarijs ad paſtum fidelium eſt determinare res credendas. Et confirmatur ex conſuetudine eccleſiæ, quæ ſemper ſenſit hanc poteſtatem eſſe tantùm penes Epiſcopos. Nec obſtat, quod Gracianus. 18. q. 1. affirmat, concilia Epiſcoporum eſſe inualida ad definiendum: nam appellat eo loco concilia Epiſcoporum, ea, quæ à ſingulis Epiſcopis in ſuis Diecæſibus celebrãtur: quæ nos nũc Prouincialia appellamus. De hac concluſione plura infra dicemus, cum de concilijs ſuerit ſermo.

Poteſtas definiendi eſt penes conuentũ legitimũ epiſcoporum.

5. Concluſio.

¶ Quinta concluſio, Poteſtas definiendi res fidei etiam eſt penes ſummum Pontificem. Hæc concluſio definita eſt in concilio Epheſino primo contra Neſtorium, & in cõcilio Chalcedonenſi, & in concilio Conſtantienſi ſeſsio. 8. & 15. de quo videndus eſt Caietanus in libello de primatu Eccleſiæ, & in tractatu de autoritate Papę 1 & Caſtro lib. 15. de Hæreſi. verbo Papa, & Roffenſis artic. 25. contra Lutherum, & Thomas Vvaldenſis lib. 2. doctrinalis fidei à cap. 28. vſq; ad. 39. de quo etiam nos infrà dicemus in tractatu de ſummo Pontifice.

Poteſtas definiendi eſt penes ſummũ pontificem.

Ad primũ argumẽtum factũ pro prima ſentẽtia.

¶ Reſtat nunc vt ad argumenta reſpondeamus. Et ad primum, quo probatur, poteſtatem definiendi res fidei eſſe penes Reges, reſpondetur, verum eſſe, quod ad Reges pertinet deteſtari impiam doctrinam, & illam armis & gladio perſequi, ad quod neceſſarium, eſt quod præcedat iudicium determinans, quæ ſit vera & falſa doctrina: cæterũ huiuſmodi iudicium facere non ad Reges, ſed ad Epiſcopos pertinet: à quibus Reges inſtruendi ſunt.

Ad. 2. arg.

¶ Ad ſecundum argumentum reſpondetur negando antecedens, & ad primam probationem ex Deuteron. dico, quod eo in loco, cauſæ dubiæ religionis deferri præcipiũtur ad ſacerdotes, & ad iudices ſęculares, diuerſimode tamen: nam ad ſacerdotes deferri debent, vt illas ſua ſentẽtia definiant: ad iudices vero & Reges, vt quod à ſacerdotibus definitũ fuerit, executioni mãdent. Et hoc verum eſſe probatur ex ipſo textu, vbi expoſito munere ſacerdotis,

dotis, explicatur ſtatim munus iudicis ſecula2is & Regis, cum dicitur, Qui autem ſuperbierit nolens obedire ſacerdotis imperio, qui eo tempore adminiſtrat Deo, ex decreto iudicis moriatur homo ille, & auferes tantum malum ex Iſrael. Ex quo patet, poteſtatem iudicis non ſe extendere ad definiendas res fidei, ſed tantùm ad hoc vt executioni mandari faciat ea, quę in Cōcilijs fuerint determinata: & ad hoc etiam ad Cōcilia vocātur Reges, vt docet, Hoſius tomo.1.c.24. ¶ Ad aliud autem qđ adducitur in eodem argumento de Ioſaphat, & Dauide, reſpondetur primò cum D. Hieronymo in commentarijs ſuper primum caput Ionæ, quòd priuilegia paucorū non ſunt habēda pro lege communi, quod etiā docet Gregorius Nazianzenus in ſermone de Epiphania. Vel ſecundo reſpondetur, ꝙ neuter illorum Regum res dubias in fide definiuit, ſed vterq; fecit id, quod à quocūq; alio iudice ſæculari fieri poterat. Nam Dauid ſcripſit de rebus ſacris, quod cuiuis docto homini licet, & deinde inſtituit rationem pſallēdi & canendi in templo, hoc autem non eſt definire res fidei. Similiter Ioſaphat non definiuit aliquas controuerſias de religione, ſed cum vidiſſet, quod populus Iſraeliticus defeciſſet ab obſeruantia diuinæ legis, miſit, per vrbes regni ſui, ſacerdotes, qui docerent legem populum.

Ad confirmationem. ¶ Ad confirmationem reſpondetur, Quod ſi aliquando ſubſcripſiſſe dicuntur Reges & Imperatores in aliquibus Cōcilijs (quod quidem rariſsime contigit) id non fecerūt tanquam definitores rerū fidei, ſed vt ſubſcriptione ſua teſtarentur ſe recipere illam fidem, & operam daturos, vt ea inuiolata ab omnibus ſeruetur.

Ad. 1. arg. ¶ Ad primum argumentum ex ijs, qui bus probatur, poteſtatem definiendi res fidei eſſe penes ſingulos Chriſtianos, reſpōdetur, quod ſinguli Chriſtiani appellantur Reges & ſacerdotes per metaphoram, & ſic nihil cōcludit argumētū. *Pro ſecunda ſententia.* ¶ Ad ſecundū reſpondetur cōcedendo, omnibus fuiſſe præceptum, quod ſibi cauerent à falſis prophetis, ad quod neceſſario præcedere debet iudicium de vera & falſa doctrina, cæterùm huiuſmodi iudicium facere, non ad ſingulos Chriſtianos, ſed tantum ad conuentum Epiſcoporum pertinet, vt iam diximus. *Ad. 2. arg.*

Ad. 3. arg. ¶ Ad tertium ex Ioan. cap. 4. reſpondetur, quod illo loco tantum eſt ſermo de priuato ſpiritu cuiuſcumq; hominis, id eſt, de eo, quod quiſq; priuato iudicio verum vel falſum putat: hoc enim non ſtatim ſequendum eſt, ſed prius præcedere debet prudēs & maturum iudicium, quo cognoſcatur, vtrum ille ſuus ſpiritus ſit à Deo nec ne? & hoc eſt, quod docet D. Ioann. in illo loco. Non autem loquitur de ſpiritu Cōciliorū, aut de iudicijs illorum, hæc enim ſtatim ſequenda ſunt, & amplectenda, vt infra dicemus. ¶ Ad vltimum argumentū reſpondetur, quod vt verba Deuteronomij efficiant legitimum ſenſum, ſic ſunt ordinanda, vt poſt illud, Facies quæcunq; dixerit tibi, punctus conſtituatur, & quod poſtea ſubditur, ſcilicet, Iuxta legem eius, nec declinabis ad dexteram, nec ad ſiniſtram, ad ſententiam ſacerdotis eſt referēdum: illud enim pronomen, eius, non Dei ſed ſacerdotis relationem facit. Vnde ſenſus eſt, ꝙ præcipit Dominus, vt faciamus quæcunq; dixerint nobis, qui præſunt loco, quem elegit dominus, & quæcunq; docuerint nos, iuxta id, quod ab ipſis ſacerdotibus fuerit decretum. Quaſi ſignificans ipſorum ſacerdotum ſententiam futuram regulam infallibilem, à qua nec ad dextram, nec ad ſiniſtram, declinare licebit. Et ſic intellectus locus iſte, potius confirmat concluſionem à nobis poſitam, quam probat ad ſingulos Chriſtianos pertinere, res fidei definire. Et quod iſte ſit legitimus ſenſus illius loci, cōſtat primum, ex Hebraica veritate, quæ ſic habet, Iuxta ſermonē legis, quo docuerint te, & iuxta ſententiam, quam dixerint tibi facies, nec declinabis ad dexteram, nec ad ſiniſtram. Item etiā cōſtat, ex interpretatione Latina ſeptuaginta interpretū, quæ ſic habet, Cuſtodies valde, vt facias ſecundum omnia, quæ definita fuerint tibi ſecundum legem: & iuxta iudicium: quod dixerint tibi, facies, nec declinabis ad dexteram nec ad ſiniſtram. Et apertiùs in Paraphraſi Caldaica, Cuſtodies et facies iuxta omnia, quę docuerint te, iuxta præceptum legis, & ſecūdum iudicium, quod fecerint tibi facies, nec declinabis ad dexteram, nec ad ſiniſtram. *Ad vlt. arg.*

Tractatus de Concilijs.

Explicata iam diſputatione de Eccleſia, ſequitur vt de Concilijs dicamus. Et vt a nomine ipſo exordiamur, no- *Primū nota*

tandum

dum eſt: ꝙ nomen Concilium, vt dicit D. 1. *Notabile.* Iſidorus lib. 6. Etymologiarum cap. 18.& refertur cap. canones. 15. diſt. dicitur à conſidendo, quaſi conſidiũ: & hoc quia in Cõcilijs conſident maiores, ſecũdum morem tractantium grauiter & mature res ad vniuerſitates pertinentes. Vel ſecundo dicitur Conciliũ à conſulendo, & recte, ad hoc enim viri ſapientes ad Concilia vocantur, vt ſuper agendis conſulãt. Nam cum in rebus agendis multa incertitudo inueniatur, & in dubijs, & incertis, ratio recte iudiciũ proferre non poſsit ſine præuia inquiſitione, opus eſt vt ea præcedat: & huiuſmodi inquiſitionem & conſultationem, Concilium vocamus. *Definitio Cõcilij in genere.* Ex quibus colligere poſſumus definitionem quandam communem ad omnia Cõcilia, tam Eccleſiaſtica, quàm ſecularia, quæ Imperatores, & Reges, cum magiſtratibus & principibus ſuorum regnorum, pro rebus arduis agere conſueuerunt. Definitio autem eſt talis, ꝙ Conciliũ eſt congregatio ſeu conuentus hominum prudentum, publica autoritate conuocatorum, ad tractandum communi intentione, de rebus neceſſarijs, & cõmodis ſuæ reipublicæ, ſiue vniuerſitatis. Quam definitionem recte explicat Turrecremata lib. 3. ſummæ Eccleſiæ cap. 1. Sed quamuis, iuxta dicta, poſsint eſſe Concilia tã Eccleſiaſtica quàm ſecularia: tamen nos in præſenti tantum de eccleſiaſticis agere debemus, ſecularibus concilijs omnino prætermiſsis.

2. *Notabile.* Vnde ad noſtrum inſtitutum propius accedentes, Aduertendum eſt ſecundo quod antiquiſsimo Eccleſiæ vſu, & Apoſtolorũ inſtitutione, receptum eſt, vt quotieſcũq; aliqua difficilis quæſtio, & grandis difficultas extitiſſet, conuenirent Epiſcopi, qui re verè cognita & perſpecta, de communi ſententia, quid optimum, & verum eſſet, iudicarent: quos conuentus, nos Concilia Eccleſiaſtica vocamus. Et eorum quidem originem, in nouo teſtamento, repetere poſſumus ab ipſo Chriſto, qui de ſe traditurus doctrinã, cõuocatis omnibus diſcipulis interrogauit ſingulos, quid de ſe ſentirent: & Petri confeſsione approbata, diffiniuit ſe eſſe verum filiũ Dei viui, vt patet Matth. 16. Qui vſus Concilia conuocandi ſæpiſsime fuit poſtea ab Apoſtolis vſurpatus, vt docet Turrecremata lib. 3. cap. 2. vbi connumerat plura concilia Apoſtolorum. Sed nũquam veriùs fuit hoc factum ab Apoſtolis, quàm cum fuit agitata quæſtio de ceſſatione legalium: cuius rei mentio fit Actorum cap. 15. Nihilominus tamen à tẽpore Conſtantini Imperatoris, maxima ſolennitate, Concilia celebrari, & Canones Conciliorũ in pretio haberi, ceperunt, vt dicitur cap. Canones. 15. diſt. In præcedentibus namq; annis, proſecutione feruente, docendarum plebium minime dabatur facultas, nec Epiſcopis erat licentia in vnum conueniendi.

¶ Secundo eſt aduertendum quod iſta 3. *Notabile.* conſuetudo Concilia celebrandi, inducta eſt, & inſtituta, propter multas & graues cauſas: quas late recẽſet Turrecremata lib. 3. cap. 9. ſed præcipue propter duas. Primò vt quæſtione & difficultate propoſita, multorum iudicio in vnum conuenientium, facilius, quod optimum & veriſsimum eſt, inueniatur: nã vt dicitur Prouerb. 11. Vbi multa Concilia, ibi multa eſt ſalus. Et Eccleſiaſtici. 6. Multitudo ſapientum ſanitas eſt orbis terrarum. Altera cauſa eſt, quia cum omnium fidelium ſit vna & eadem fides, ita vt vnum atq; idem omnes ſentiamus, nec aliquod in nobis ſit ſchiſma, vt docet Paulus, qua ratione fideles, etiam catholici appellantur, quia ſcilicet, ſinguli eandẽ quam vniuerſi, fidem tenent, (Catholicus enim idẽ eſt quod vniuerſalis) neceſſe fuit, vt quoties de fide ambigitur, non ſinguli Epiſcopi ſuis omnibus preponerẽt id, quod ſibi videretur: ſic enim facillime in populo Chriſtiano ſchiſmata orirentur: ſed potius omnes Epiſcopi conuenientes, & ſuas ſententias in medium adducentes, id in quo omnes conſenſiſſent, pro certo omnibus fidelibus traderetur credendum: & ſic ſemper maneret vna & eadem fides.

¶ Quarto eſt aduertẽdum quod triplex 4. *Notabile.* eſt genus Conciliorum, vnum quod vocatur Epiſcopale, in quo Epiſcopus cum clericis ſuæ diœceſis congregatis, Concilium celebrat: *Triplex genus Conciliorum.* de quo in cap. quando. 38. diſt. & in cap. Abbates. 18. q. 2. Cuius concilij forma preſcripta eſſe videtur in Cõcilio, quod beatus Iacobus celebraſſe dicitur Hieroſolymis, cum ſenioribus pro abolenda ſuſpicione orta cõtra Paulum, de quo Act. cap. 20. Alterum vocatur Prouinciale, in quo congregantur Epiſcopi totius prouinciæ, vel autoritate ſummi Pontificis, vel ſola autoritate Metropolitani. Et forma huius Concilij præſcripta videtur in Concilio, quod Paul. in Mileto, conuocatis maioribus prouinciæ Epheſinę, dicitur celebraſſe Acto. cap. 20. Tertium genus conciliorum eſt,

eſt, quod vocamus generale & œcumenicũ, in quo conuenire debent omnes Epiſcopi ex toto orbe. Eſt tamen hoc prudenter intelligendum, ſcilicet, quod conuocatis omnibus, vel nominatim, vel publico poſito edicto, Cõcilium celebretur ab iis, qui conuenerint, etiam ſi ſint minus multi, vt docet Turrecremata lib. 3. cap. 16. Sed eſt aduertendum, quòd quamuis in huiuſmodi cõcilijs poſsint deeſſe aliqui ex Epiſcopis, tamen quòd Papa per ſe, vel per ſuos legatos adſit, neceſſe eſt, vt patet in decretis diſ. 17. Nec poſſunt, regulariter loquẽdo, conuocari Epiſcopi, niſi ſummi Pontificis autoritate. Vnde ſynodus Alexãdrina in Epiſtola ad Felicem Papam dicit, Scimus in Nicena magna ſynodo ab omnibus fuiſſe concorditer roboratum, non deberi abſque Romani Pontificis ſententia Concilia celebrari. Dixi, regulariter loquẽdo; nam ſunt ſpeciales caſus, in quibus vel à Cardinalibus, vel à Regibus, vel ab ipſis Epiſcopis vltrò ſe ſe cohortantibus, poſſunt concilia congregari, vt docet Turrecremata lib. 3. cap. 8.

Papa debet intereſſe concilio per ſe, vel per legatos.

Dubium.

Concilia Epiſcopalia, nõ poſſunt aliquid de fide definire.

¶ His ſuppoſitis eſt dubium, vtrũ Cõciliũ poſsit errare in diffiniẽdis reb⁹ fidei & morũ? In qua quæſtione, vt certa ab incertis ſeparemus, dico primo certũ eſſe, quòd primi generis Concilia nihil poſſunt de fide diffinire, ſed ea tantum congregantur ad correctionem & inſtructionem clericorum diœceſis, & alia huiuſmodi commoda, quæ ex illa congregatione, priuatim oriri poſſunt pro ouibus illius Epiſcopatus.

Concilia prouincialia poſſunt errare.

¶ Secundo certum eſt, quod Concilia ſecundi generis, ſcilicet, prouincialia, errare poſſunt in diffinitione fidei & morum, vt docet Aug. libr. 2. de baptiſmo contra Donatiſtas, cap. 3. Et probatur ipſa experiẽtia: nam ſæpenumero talia concilia errauerũt, vt patet de concilio Carthaginenſi congregato tempore Cypriani, vbi diffinitum fuit, quod baptizati ab hæreticis, iterum erant rebaptizandi. Nihilominus tamen ea, quæ in Concilijs prouincialibus definiuntur, ſunt habeda pro veris: & illa negare eſt pluſquam temerarium, donec contrarium conſtiterit, vel per Concilij plenarij, vel ſummi Pontificis autoritatem & determinationem, vt conſtat ex cap. ad abolendam, de hæreticis: vbi excõmunicãtur, qui vel per Pontificem Romanum, vel per Cõcilium prouinciale fuerint damnati hæretici. Et ratio eſt quia licet ſit verum, Concilium prouinciale poſſe errare, non tamen eſt credendum tot homines doctos, tanta adhibita diligentia, in iudicando erraſſe: donec Concilium generale, vel autoritas Pontificia aliud decernat. Itaq; hæc certa ſunt. ¶ Sed dubium eſt, Vtrùm tertij generis Cõcilia, ſcilicet generalia, poſsint errare in diffinitione fidei & morum? Et pro parte affirmatiua ſic argumentor: Multa concilia generalia de facto errauerunt, ergo poſſunt errare: antecedens probatur, nã concilium Epheſinum ſecũdum, quod quidem fuit congregatum autoritate Leonis Papæ, vt ipſe fatetur epiſtola. 11. 12. &. 13. & epiſtola. 22. &. 28. errauit cum Eutichete, vt habetur in concilio Chalcedonenſi, actione. 1. & ſequentibus. Item, concilium Ariminenſe, quod fuit ſexcentorum Epiſcoporum, errauit diffiniens ſentẽtiam Arij: vnde huiuſmodi cõcilium reprobatur, cap. ſancta Romana Eccleſia. 15. diſt. Item, aliud conciliũ Conſtantinopolitanũ, quod fuit tempore Damaſceni, errauit diffiniẽs imagines reprobandas. Item, concilium Baſilienſe, quod quidem legitimè fuit congregatũ autoritate Eugenij Papæ. IIII. errauit in fide, ſeſsione. 2. diffiniens Conciliũ per Papam, nec diſſolui, nec ad alium locum transferri aut prorogari poſſe, abſq; eiuſdem concilij deliberatione, & conſenſu. 1. Argum.

Itẽ, in alio decreto eiuſdẽ, ſeſſ. 3. 8. & . 33. decreuit concilium habere à Deo immediatè poteſtatem ſuprà Papam, etiam ad illum deponendum, quòd à multis Catholicis erroneum exiſtimatur. Item, Toletanum cõcilium primum errauit, cum in canone. 17. & habetur. 24. diſt. c. is qui, dicit, non eſſe excludendos à cõmunione, qui vna tantũ fœmina, vel vxore, vel concubina fuerint contenti. Quo loco videtur inſinuari, non eſſe peccatum habere concubinam: quod eſt falſum, & hæreticum. Item, concilium Conſtantiẽſe, quod quidem legitimè fuit congregatũ, & approbatum à Martino. V. fatetur Papam inferiorem eſſe concilio: cuius tamen oppoſitum fuit diffinitum in cõcilio Florentino in vnione Græcorum & Armenorum. Tandem Nicena ſynodus, quę adeo fuit legitima, vt Leo Papa in Epiſtola quadã de ea dicat, diuino priuilegio fuiſſe cõgregatam, adhuc errauit in doctrina morum, damnans in canone. 12. militiã: nam dicit graui pœna puniendos eſſe eos, qui poſt baptiſmum ſuſceptum, militauerunt. Item, in concilio Romano ſub Nicolao, Berengarius coactus eſt abiurare in

verba

verba falſiſsima, quæ nec Roffenſis lib. 2. contra OEcolampadium, nec Caiet. in libello de cœna Domini, ab errore liberare potuerunt: ergo Concilium generale errare poteſt in doctrina fidei & morum.

2. Argum. ¶ Secūdo principaliter ſic argumentor, Si aliqua ratione eſſet aſſerendum concilia non poſſe errare, maxime ex ea quia, ſcilicet, Chriſtus promiſit ſe affuturum perpetuò Eccleſiæ: ſed promiſsiones diuinas nō eſt neceſſe ſemper adimpleri, vt patet Deuterono. cap. 20. vbi Deus promiſit Iſraelitico populo, ſe illi perpetuò auxilium præſtaturum contra hoſtes, & tamen hac promiſsione non obſtante multoties fuit Iſraëliticus populus ab hoſtibus ſuperatus, ergo. Et confirmatur, nam eodē modo promiſit Deus ſe perpetuo affuturū veteri Synagogæ, quo Chriſtus promiſit ſe affuturum Eccleſiæ, ſed vetus Synagoga ſæpeſæpius errauit in doctrina fidei & morum, ergo Eccleſia nunc poteſt errare: conſequentia eſt nota, & maior probatur ex illo Geneſ. 24. Statuam pactum meum inter me & te: & Leuit. 26. Ponam tabernaculū meum in medio veſtri: & Numero. 25. Ego ſum Dominus, qui habito in medio veſtri: & reliqua huiuſmodi: minor autem, ſcilicet, ꝙ his non obſtantibus Synagoga errauerit, etiam probatur ex Scriptura. Nam primo errauit Synagoga damnans Eſaiam prophetam tanquam blaſphemum, quia dixit, Vidi Dominum, propter quod fuit morte crudeli affectus. Item Synagoga tēpore Chriſti habuit pro certo voluntatem occidendi hominem non eſſe peccatum: & meliuseſſe offerre munus Deo quam alere parentes inopia laborantes: & quod iurare per templum aut per altare non habebat vim iuramenti: & plura alia, quæ Chriſtus Matth. 5. falſa eſſe oſtendit. Tandem, errauit Synagoga in Concilio congregato a Cayphæ ſummo ſacerdote, quo definitū fuit Chriſti doctrinam eſſe falſam, eumque dignum eſſe morte, ergo.

3. Argum. ¶ Tertio ſic arguitur, Si Concilia non poſſent errare in diffiniendis rebus fidei et morum, ex eo eſſet ꝙ Eccleſia tenetur credere ea, quę in Concilijs diffiniuntur, quę ſi falſa eſſe poſſent, tota Eccleſia aliquando induceretur in errorem quod nullo modo eſt dicendū: ſed hæc ratio nihil valet, ergo. Conſequentia cum maiori eſt nota, & minor probatur: nā fideles non tenentur credere ea, quæ in Concilijs generalibus diffiniuntur: quamuis enim certum ſit de fide, ꝙ Cōcilia legitime congregata errare non poſſunt, tamen ſi fidelibus non conſtat hoc eſſe verum, & legitimum Cōcilium, quod neceſſarium eſt, vt illi fidem adhibere teneantur: ſicut ex dicimus de hoſtia conſecrata, ergo quamuis Cōcilium errare poſsit, cum illi fideles aſſenſum non teneantur, non ſequitur, ꝙ Eccleſia in errorem induceretur.

¶ Vltimo argumentor pro eadem parte ex D. Aug. qui lib. 2. contra Donatiſtas cap. 3. dicit, etiam ipſa plenaria concilia fuiſſe à poſterioribus emendata: & D. Iſidorus, vt refertur cap. Domino ſancto. 50. diſt. etiam dicit, ꝙ ſi in geſtis Conciliorum inuenitur diſtans ſententia, illi ſtandum eſt, cuius potior, & grauior, & antiquior eſt autoritas, ergo ſecundum hos doctores, Concilia generalia errare poſſunt. Vltimum argumentum.

¶ Ad explicationem huius difficultatis 1. Notabile. eſt aduertendum, ꝙ Cōcilium generale poteſt eſſe duplex, vnum cui nec ſummus Pōtifex, nec eius legati interſunt: & hoc quidem appellatur illegitimum, quamuis ſit autoritate ſummi Pōtificis inchoatum, dūmodo illo renuente ſit perfectum. Aliud eſt, quod inchoatur, & perficitur autoritate ſummi Pontificis: & cui vel ipſe ſummus Pontifex per ſe vel per legatos intereſt: quod definitur à Gloſſa in cap. generalia. 17. diſt. hoc modo, Concilium generale eſt, Diffinitio cōcilij. quod à Papa, vel eius legato, cum Epiſcopis vniuerſi orbis celebratur. Vel poteſt definiri, & melius, huiuſmodi concilium, vt definitur à Turrecremata lib. 3. cap. 5. qui dicit, Concilium generale eſſe congregationem maiorum prælatorum Eccleſię, autoritate ſummi Pontificis factam, ad aliquid commune tractandum in religione Chriſtiana, Papa ſedēte, vel alio loco illius.

¶ Secundo eſt aduertendum, ꝙ Conci- 2. Notabile. lium generale legitimum eo modo congregatum, vt diximus, vere repręſentat totam Eccleſiam, vt patet ex D. Aug. qui lib. 1. de Baptiſmo contra Donatiſt. cap. 18. dicit, Concilij ſententia eſt habenda pro conſenſu totius Eccleſiæ: & Gelaſius Papa in cap. confidimus. 25. q. 1. dicit, Confidimus quod nullus iam veraciter Chriſtianus ignoret vniuſcuiuſq; ſynodi conſtitutum, quod vniuerſalis Eccleſiæ probauit aſſenſus, &c. Et D. Grego. in cap. ſicut. 15. diſt. dicit, Ea quæ ſunt in Concilijs vniuerſalibus conſtituta, eſſe vniuerſali Eccleſiæ aſſenſu conſtituta.

¶ His

¶ His poſitis ſit prima concluſio, Concilium generale ſi illegitimũ ſit, id eſt, abſq; Pontificis autoritate cõgregatum, vel ipſo renuẽte proſequutum, errare poteſt in diſfinitione fidei & morũ. Probatur, nã de facto ſæpenumero huiuſmodi Concilia errauerunt, ergo errare poſſunt: conſequentia eſt nota, & antecedẽs probatur. Primò, ex concilio Ariminenſi, quod quidem illegitimum fuit, tum quia iuſſu Imperatoris hæretici, ſcilicet, Conſtantij congregatũ, tum etiam quia omnes ferè Epiſcopi in eo exiſtentes erant Arriani, & ſic Catholicos vi & metu compulerunt vt illi ſubſcriberent, vt dicit Damaſus Papa epiſtola. 5. & D. Hieronimus in Dialogo cõtra Luciferianũ. Vnde damnatur hoc Concilium à Gelaſio Papa. 15. d. cap. ſancta Romana, quia errauit definiẽs hæreſim Arrianã. Item, Concilium Epheſinum. 2. fuit illegitimum multis de cauſis. Primò, quia Theodoſius Imperator illi præfecit Epiſcopum Alexandrinum, cum tamen Concilio adeſſent legati ſummi Pontificis, vt conſtat ex epiſtola eiuſdem Theodoſij miſſa ad Concilium, quæ habetur inſerta Concilio Chalcedonẽſi. ¶ Secundò quia Epiſcopus Alexandrinus, qui Concilio præſidebat, non permiſit vt epiſtolæ miſſæ à ſummo Pontifice, quibus ſuam explicabat voluntatem, legerentur. ¶ Tertiò, quia vi atq; metu & introductis in Concilium militibus, reliqui Epiſcopi coacti ſunt ſubſcribere ſentẽtiæ Epiſcopi Alexandrini, & Epiſcopi ſubſcripſerunt. (En blanco) Poſtea autem Epiſcopus Alexandrinus ſcripſit, quod ſibi placuit. Itaque hoc Concilium, quod tot de cauſis illegitimum fuit, errauit definiens hæreſim Eutichetis, ergo Concilium illegitimum poteſt errare. ¶ Item, Concilium Conſtantinopolitanum. quod congregatum fuit cõtra voluntatem ſummi Pontificis, errauit prohibens vſum imaginũ, contra quã ſynodum congregauit poſtea aliam Stephanus Papa, qua docuit eſſe irrita omnia in Concilio Conſtãtinopolitano diffinita. Idem etiam dici poteſt de Concilio Achiſano, & Baſilienſi, & Achiſgranẽſi, & multis alijs, de quibus eſt videre Turrecrematam lib. 3. cap. 58. concluſione. 2. ergo Concilia generalia, ſi illegitima ſint, errare poſſunt in fide & moribus. Idem etiam docet Auguſtinus in epiſtola quadam contra Donatiſ. & D. Iſidorus, & refertur in capite Domino ſancto. 50. d. & idem colligitur ex cap. cuncta per modum. 9. quæſt. 3.

¶ Secunda Concluſio. Concilium generale legitimè congregatum, capite & membris conſtans, non poteſt errare, etiam per modicum tempus, in diffinitione fidei, & morum. Hanc concluſionem tenent communiter omdes Catholici, paucis exceptis, & hi ſunt Okan in Dialogo de Eccleſiæ poteſtate. Gerſon. 1. parte de examinatione doctrinæ. Tho. Vvald. lib. 2. doctrinalis fidei, cap. 19. & 26. & Panor. in cap. ſignificaſti. de electione. qui omnes dicunt Concilium poſſe errare. Probatur tamen noſtra concluſio, nam Eccleſia vniuerſalis errare non poteſt, ſed huiuſmodi Concilia generalia repræſentant totam Eccleſiam: & illorum iudicium eſt habendum pro iudicio totius Eccleſiæ vniuerſalis, ergo errare non poſſunt: cõſequentia eſt nota, & maior patet ex ijs, quæ diximus, cũ de Eccleſia agere mus: minor vero probatur ex ſecundo notabile, & ex Leone Papa qui epiſtola. 24. & 26. dicit ea, quæ Nicena ſynodus ſtatuit, eſſe conſtituta à totius mundi ſacerdotibus. & Concilium Cõſtãtinopolitanum. 8. act. prima, appellat Concilium, totum mundum: quia totius mundi & vniuerſalis Eccleſiæ vicem gerit. Hoc etiam docet D. Chryſoſto. Homili. 1. operis imperfecti in Matthæum. Item, præpterea probatur concluſio: nã Spiritus ſanctus aſsiſtit plenario Concilio, & eius nutu fiunt & decernũtur omnia, quæ in illo ſtatuuntur, ergo non poteſt errare: conſequentia eſt nota, & antecedens probatur, ex Actis. c. 15. quo loco Concilium ab Apoſtolis celebratum hoc modo exorditur: Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis: & Math. 28. Ego vobis cum ſum, inquit Chriſtus, vſque ad conſummationẽ ſeculi: & Ioannis. 14. Ego rogabo patrem, & aliud paracletum dabit vobis Spiritum veritatis, qui maneat vobiſcum. &c. Ex quibus locis ſic colligo argumentum, hæc promiſsio facta eſt nõ ſingulis Chriſtianis, nã dicit vobiſcum, ſed facta eſt Apoſtolis, & non ſolum illis perſonaliter: ſed etiam eorũ ſucceſſoribus, ſcilicet, Epiſcopis, cum dicat, vſq; ad cõnſummationem ſeculi, & tamen Apoſtoli non erant perpetuo duraturi, ergo neceſſe eſt dicere quod Spiritus ſanctus aſsiſtit legitimę cõgregationi Epiſcoporum, & ſic errare nõ poteſt. Item, ad Cõcilium legitimum Epiſcoporum, quale eſt Concilium generale, ſpectat iudicare de rebus fidei, vt ſupra dictum eſt cum de Eccleſia age-

Secunda co. Concilium legitimum no poteſt errare.

mus,ergo non poteſt falli:nam alioqui nihil eſſet in Eccleſia certum. Et cõfirmatur, nam quæro vtrum omnes fideles teneãtur aſſentiri rebus in Cõcilijs diffinitis vel nõ: ſi dicatur primum,& Concilia poſſunt errare, ſequeretur, ꝙ vniuerſa Eccleſia poſſet errare,quod eſt hæreticum:ſi dicatur ſecundum,ſcilicet,ꝙ fideles non tenentur illis rebus aſſentiri, eſt apertè contra ſcripturam: nam Chriſtus dixit Matthæi.10. Qui vos audit me audit,& qui vos ſpernit me ſpernit,ergo Cõcilia non poſſunt errare. Item Eccleſia,cum ſit columna veritatis, non poteſt errare in diffinitionibus fidei & morũ: ſed tota Eccleſia ſimul non poteſt habere aliquem actũ determinandi, & diffiniendi res dubias:cũ non poſsit tota ſimul ad id cõuenire.imo quãuis poſſet,eſſet valde abſurdum, vt de rebus ſacris & difficillimis,quales ſunt res fidei, ſententiam ferret garrula anus, & inſanus ſenex, vt dicit D.Hieronymus, ergo cũ fatemur Eccleſiam vniuerſalem non poſſe errare,nomine Eccleſiæ intelligimus Concilium legitimum vniuerſale:nam reliquæ partes, nec poſſunt in vnũ congregari,nec ſententiam ferre. Item probatur concluſio teſtimonio Iſidori,& habetur.15.diſt.c.Canones,vbi loquens de Concilijs dicit,Concilia quæ ſancti Patres ſpiritu Dei pleni ſanxerunt:& in.c.Violatores eadem diſt.dicit Damaſus Papa,violatores Conciliorum & ſacrorum canonum,grauiter à ſanctis patribus iudicantur, & à Spiritu ſancto,cuius inſtinctu congregati ſunt. Item, ea, quæ diffinita ſunt in Cõcilijs plenarijs, iterum in quæſtionem reuocari non poſſunt,ergo Concilia non poſſunt errare: patet conſequentia: nam ſi errare poſſent, conſequens eſſet,vt de eorum diffinitionibus dubitatio haberi poſſet,vt veritas pateſieret, & error exploderetur:antecedens autem probatur ex Athanaſio in epiſtola de ſynodis habitis Seleuciæ, & Arimini, vbi id dicit. Idẽ etiã affirmat Leo Papa,epiſtola.63.&.78. vbi dicit, Quæ patefacta ſunt quærere, quæ diffinita & perfecta ſunt,retractare, quid aliud eſt quã de adeptis gratiam non referre,& ad interdictæ arboris cibum improbos appetitus extendere? Et Gelaſius Papa in epiſtola ad Epiſcopos Dardaniæ dicit,Sancti patres,quæ in vnaquaq; ſynodo ſimul congregati ſanxerunt,inconcuſſa deinceps, & firma voluerũt perſiſtere, ſapientiſsime prouidentes, quoniam ſi decreta ſalutis quemq; liceat tetractare nullum contra ſingulos errores ſtabile perſiſteret decretum, ergo concilia generalia capite & membris conſtantia non poſſunt errare.Pro hoc etiam facit illud Matth. 18. Vbicunq; fuerint duo vel tres congregati in nomine meo,ibi ſum in medio eorũ. Ex quo loco dupliciter licebit argumentari, primo à minori ad maius: nam ſi duobus vel tribus tractãtibus de religiõe Chriſtus promiſit ſe affuturum, quanto magis erit præſens Concilio, vbi tot homines in nomine Chriſti congregantur. Secundo ſic argumentor, congregari in nomine Chriſti eſt congregari in perſona Chriſti: ſed iſto modo tantum congregantur conuẽtus legitimi Epiſcoporum,qui etiam, vt diximus,referunt perſonã totius Eccleſiæ,ergo eſt dicendũ quod Chriſtus exiſtit in medio eorum. Et eſt aduertendũ ꝙ notanter dixit Chriſtus duo vel tres. Primo, vt innueret ſe non promittere ſuã præſentiã numeroſis conuentibus, ſed Concilio ſuo nomine cõgregato,etiam ſi cõſtaret ex paucis hominibus.Secũdo, vt doceret,ꝙ quãuis numerus fidelium reduceretur ad eam paucitatẽ, vt præter duos vel tres non eſſent,qui ad concilium congregarẽtur,nihilominus,illis adhuc non eſſet defuturus Chriſtus. Hãc eandem concluſionem probat pluribus alijs teſtimonijs ſanctorũ & Cõciliorũ Frater Antonius à Corduba,lib.4.q.1.concl.9.Poſui autem in cõcluſione illã particulã, nec per modicũ tempus,propter Syluestrũ, qui in ſumma,verbo Cõcilium.§.3. dicit,Cõcilia per modicum tempus errare poſſe, ſcilicet, diffiniendo rem aliquam quam poſtea mutare poſſunt:ſed iſta ſententia eſt aperte falſa, nam vt colligitur ex teſtimonijs citatis, Spiritus ſanctus promittitur perpetuò affuturus Eccleſiæ. *Impugnatur Gabriel.*

¶ Sed dubium eſt, vtrum propoſita concluſio ſit de fide tenenda? Quidam enim dicunt, illam eſſe veram, ſed non ita certam, vt oppoſitum dicere ſit error in fide. *Dubium.* ¶ In hoc tamen ſit tertia concluſio, Quod Concilium plenarium, quale deſcripſimus, capite & membris conſtans, non poſsit errare, certa fide eſt tenendum: & contrarium dicere eſt aperta hæreſis. *3. Concluſio.* Probatur: nam illa veritas, ſcilicet, Conciliũ errare non poſſe, probata eſt teſtimonijs ſacræ Scripturæ, & ſummorum Põtificum,& dictis ſanctorum, & etiam rationibus ex proprijs fidei deductis: ergo eſt de fide. Itẽ præterea: quia ſi non eſſet certum de fide, Concilia plena- *De fide eſt ꝙ Conciliũ non poteſt errare.*

ria, de quibus loquimur, errare non poſſe:
nihil prorſus eſſet in Chriſtiana religione,
quod de fide tenendum eſſet: conſequens
autem eſt hæreticum, ergo. Sequela proba
tur, nam primo, non eſſet de fide, hanc ſcri-
pturam, qua vtimur, eſſe ſacram, & diuinã,
atq; ex conſequenti, quæ in illa traduntur
non erunt de fide: & tamen tradũtur in ſcri
ptura, vel implicitè, vel explicitè omnia,
quę in Chriſtiana religione cõtinentur, er-
go ſi nõ eſt de fide, Conciliũ non poſſe erra
re nihil eſt de fide. Itẽ, ſi iſta propoſitio, Cõ
cilium generale, de quo loquimur, nõ po-
teſt errare, non eſt de fide, ergo ſua cõtradi-
ctoria nõ eſt hæretica, ſcilicet, Conciliũ po
teſt errare, atq; ex conſequẽti nec iſta Cõci
lium. v.g. Nicenũ, vel Tridentinum errauit
de facto: nam nulla alia ratione certi ſumus
Conciliũ Nicenum, vel Tridentinum non
errauiſſe, niſi quia habemus pro certo erra-
re non poſſe. Tunc vltra, nõ eſt hæreticum
dicere quod Concilium Nicenum errauit:
ergo nec quòd filius non ſit eiuſdem ſub-
ſtantiæ & eſſentiæ cum Patre, cuius con-
trarium diffinitum eſt in illo Concilio: hoc
tamen eſt falſum, ergo.

Ad. 1. argu. ℭ Reſtat, vt ad argumẽta reſpondeamus,
Ad primum reſpondetur negando antece-
dens, & ad probationem ex Cõcilio Ephe
ſino. 2. & ex Ariminenſi, & ex Conſtanti-
nopolitano, & Baſilienſi, dico, quòd pro-
bant primã concluſionem: nam illa omnia
Concilia fuerũt illegitima: vt illo loco oſtẽ
dimꝰ, & declarat Turrecremata, lib. 3. c. 58.
ℭ Ad aliud ex Concilio Toletano reſpon-
detur cum Graciano, & cum Turrecrema-
ta ſuper cap. is qui. 34. diſt. ꝙ Concilium
Toletanum vocat concubinam legitimam
vxorem, quæ viro nupta eſt mutuo cõſen-
ſu, tamen ſine aliquo publico & ſolenni ri
tu: quo modo vocabant Hebræi concubi-
nas eas ancillas, quæ dominis ſuis nubunt,
ſine ſcriptura & publica cęremonia: vt con
ſtat Geneſis. ca. 25. de Cetura vxore Abra-
hæ, cui nupſit poſt obitũ Saræ, quæ, quam
uis eſſet legitima vxor, dicitur concubina,
quia nullo ſeruato ritu, & publica cæremo
nia ei nupſerat. Eodem modo etiam Gene-
ſis. 35. Bala dicitur concubina Iacob. Et dor
miuit, inquit, loquens de Ruben, cum Ba-
la concubina patris ſui. Hoc modo etiam
intelligẽdum eſt illud Canticorum, cap. 6.
Sexaginta ſunt Reginæ, & octoginta con-
cubinæ, nam vxores proprias, & ſolenni ri
tu coniunctas, Reginas appellat: concubi-
næ autem appellantur, quæ non ſic erant
coniunctæ viris ſuis, quarum etiam filij nõ
poterant eſſe hæredes totius hæreditatis pa
ternæ, vt patet ex loco citato. ℭ Ad aliud
ex Concilio Conſtãtienſi, quo diffinitum
eſt Papam eſſe inferiorem Concilio, reſpõ
det Caietanus in Tractatu de autoritate Pa
pæ, cap. 3. dupliciter. Primò, quod decreta
in illo Cõcilio ſunt irrita, quia fuit celebra
tum tempore ſchiſmatis, quo erant tres
Papæ in Eccleſia. Et ſiquis obijciat, quod
Martinus Quintus, poſteà approbauit de-
creta in illo Concilio, dicens in ſeſsione vl-
tima, ſe velle, quòd omnia, & ſingula deter
minata, concluſa, & decreta in materijs fi-
dei per præſens Concilium, conciliariter,
& inuiolabiliter obſeruentur: ſicque con-
ciliariter facta ſe approbare, & ratificare: cõ
ſtat autem, ꝙ Cõcilium eſſe ſupra Papam,
pertinet ad materiam fidei, ergo hoc etiam
fuit approbatum à Martino Quinto, reſpõ
detur cum Caiet. loco citato, quòd duplici
ter aliquid poteſt tractari, vt pertinens ad
materiã fidei: vno modo materialiter, alio
modo formaliter. Tunc tractatur formali-
ter materia fidei, quando tractatur, vt credẽ
da, vel non credenda: tunc autem tractatur
materialiter, quando tractatur quidem res
pertinens ad fidem, ſed non, vt credenda,
vel non credenda, ſed alia ratione. Et quia
verba ſunt formaliter intelligenda, idcircò
verba Martini Quinti, illa vltima ſeſsione,
ſunt intelligenda formaliter. Conſtat autẽ
quòd in illo Concilio fuerunt multa in ma
teria fidei tractata, & deciſa formaliter con
tra Vuitcleff, Ioannem Hus, & Hierony-
mum à Praga, ſeſsione. 8. 15. &. 21. Et
prætereà fuerunt etiam multa alia tracta-
ta, ſed non, vt pertinentia ad fidem forma-
liter, inter quæ computatur illud, quòd
Cõcilium eſt ſupra Papam, & omnia alia,
quæ habentur ſeſsione. 4. &. 5. In cuius
ſignum videmus, quòd ibi nulli fuerunt
deputati ad vidẽdum de fide. nec ſit men-
tio de credendo, vel non credendo: ſed hæc
deputatio cœpit ſeſsione, 6. Et ſic dicẽdum
eſt, quòd id non fuit approbatum à Marti-
no Quintò: qui tantum approbauit decre-
ta in materia fidei formaliter. ℭ Vel ſecun-
dò reſpondetur ad argumentum princi-
pale, quòd dato verum ſit, quod Marti-
nus Quintus approbauit illam determina-
tionem Concilij Conſtantienſis, adhuc
tamen eſt intelligenda cum grano ſalis,
non de omnibus ſummis Pontificibus: ſed
de

de illo tãtum, de quo dubitatur, vtrum fuerit rectè electus, necne: tunc enim dubius Papa tenetur ſtare, & obedire Concilio, vt explicat Caietanus loco citato. ¶ Ad aliud ex Concilio Niceno dico, quòd quamuis nõnulli viri docti, propter id decretum existiment militiã eſſe illicitam, tñ re bene intellecta Conciliũ nõ damnat militiam: ſed eos, qui ſemel profeſsi Chriſtianã fidẽ, coctã Pagano iudice poſteà à vera cõfeſsione deficiũt. Quod vt intelligatur, ſciendũ eſt, quòd paulo ante tempora Concilij Niceni Imperatores ſæuientes in Chriſtianos, publico edicto decreuerunt, vt qui ex militari ordine Chriſtum profitentur, dignitatem & ſignum, quod erat in militia amitterẽt. Factum eſt autem, vt nõnulli ex militari ordine Chriſtum confiterentur, & ſic dignitate militari expoliarentur. Qui poſteà mutata ſententia in numerum militum adſcribi volebant, dignitate recuperata teſtantes, ſe etiam fidem & religionem mutauiſſe: quos quidem damnat Cõcilium, non quia milites erant, ſed deſertores eius fidei, quam ſemel acceperunt. Et hoc ità eſſe conſtat ex ipſo canone, & etiã ex Theodori & Ioannis Zonoræ commẽtarijs in Cõcilium Nicenum: quorum verba, & ſententias adducit Hoſius, lib. 2. contra Brentium, circa medium. ¶ Ad aliud ex Cõcilio Romano ſub Nicolao reſpõdetur falſum eſſe, quòd Berengarius coactus fuerit abiurare in verba falſiſsima: quin potiùs dico, quòd Concilium loquutum fuit ad ſenſum fidelium accõmodatiſsimè. Quod, vt explicemus, ponemus prius verba ipſius Concilij: deinde autẽ explicabimus, vtrũ vera ſint an falſa. Verba Cõcilij ſunt, quod Berengarius, pręſcripta ab ipſa ſynodo confeſsionis forma, dixit, Profiteor Berengarius, non ſolùm Sacramentum, ſed verum etiam corpus Chriſti manibus ſacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri. Circa quæ verba, ſuppoſito quòd Chriſtus in ſeipſo nec tractatur à ſacerdotibus, nec frangitur, poteſt eſſe difficultas, vtrum corpus Chriſti ratione Sacramentalium ſpecierum verè dicatur tractari, atq; frangi. De qua re Roffenſis, & Caiet. locis adductis in argumento, partem tenent negatiuam. Quibus non obſtantibus dicimus contrariam ſententiam eſſe veram, quam tenet Vvaldenſis, lib. de Sacramentalibus. tit. 4. cap. 43. vbi docet huiuſmodi loquendi formas eſſe veriſsimas, & olim à Patrib⁹ vſurpatas. Quod probat primo teſtimonio Dionyſij, in lib. de Eccleſiaſtica Hierarchia. capite. 3. & Chryſoſt. Homilia. 83. in Matthæum. Et item præterea: nam fideles, cũ ſpecies Sacramentales vident, Chriſtum ſe vidiſſe teſtantur, ergo cum frangunt, & tangunt eaſdem ſpecies, poſſunt ſimiliter dicere quòd frangunt & tangunt corpus Chriſti. Et confirmatur, nam motis ſpeciebus Sacramentalibus Chriſtus etiam, quãuis per accidens, moueri dicitur, vt omnes doctores concedunt, ergo pari ratione dicendum erit, quod viſis atq; tactis eiſdem ſpeciebus corpus Chriſti videatur, atq; tangatur. Quo modo loquendi vtitur, etiam Diuus Thomas, in. 3. part. quæſt. 77. arti. 7. ad. 3. argum. Et ſic apparet, quod male Caietanus atq; Roffenſis reprehendant Berengarium, quia ità fuerit loquutus. De hac re videndus eſt Cano, lib. 5. de locis. cap. vlti. in ſolutione ad vltimum argumentum.

¶ Ad ſecundum argumentum principale reſpondetur, negando minorem: & ad probationem, ex Deuteronomio dico, id non ſimpliciter fuiſſe promiſſum, ſed conditione adiuncta, nempè, ſi ipſi Iudæi ſeruaſſent legem poſitam, vt patet ex eodem loco. Ad confirmationem reſpondetur conceſſa maiori, negando minorem, ſcilicet, veterem Synagogam ſæpeſæpius erraſſe in diffinitione fidei & morum: & ad probationem deſumptam ex morte Eſaiæ reſpondetur, quòd Eſaias non fuit occiſus à ſynagoga, ſed ab impio rege Manaſſe, vt oſtendit Galatinus, libr. 4. de Arcanis noſtræ fidei, cap. 23. Ad aliud autem de erroribus, qui erant in Synagoga tempore Chriſti, dico, eos errores non fuiſſe comprobatos totius Synagogæ conſenſu atque iudicio, ſed priuatorum hominum opinione, ſcilicet, Scribarum, & Phariſæorum perperam ſcripturam interpretantium. Ad aliud de Concilio celebrato contra Chriſtum reſpondetur primo, quòd non errauit iudicando Chriſtum reum eſſe mortis: quin potiùs, hoc dixit Cayphas ſpiritu Dei plenus, vt patet ex Ioann. cap. 11. vbi dicitur, quod à ſemetipſo hoc non dixit, ſed cum eſſet Pontifex anni illius prophetauit. Qualiter autem verum ſit Chriſtum reũ fuiſſe mortis, declarat Hoſius lib. 2. contra Brentium: vbi etiam oſtendit, iudicium illud fuiſſe iniquũ, quãuis verũ. Vel ſecundo reſpondetur, ꝙ Chriſto veniente, qui erat verus ſacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech, Ad. 2. argu.

 ſacer-

ſacerdotium Leuiticum, & Moſaicum fuit extinctum: & ideo mirum videri non debet, ſi Caiphas, cum non eſſet legitimus ſacerdos, errauerit. ❡ Ad tertium argumentum reſpondent nonnulli dicentes, illam propoſitionem, ſcilicet, hoc eſt legitimum Concilium, eſſe euidentem quadam euidentia morali, ſiquidem de illa habetur tãta certitudo, quanta haberi poteſt ſecundũ qualitatẽ rei, de qua agitur: & ex vna præmiſſa de fide, & altera euidenti moraliter, ſequitur concluſio de fide. Vnde fit, quòd in hac argumentatione: Concilium legitimè congregatum errare nõ poteſt, hoc eſt, legitimum Concilium, ergo non poteſt errare: concluſio eſt de fide, quia ſequitur ex maiori de fide, & minori euidenti moraliter. Ita affirmat Vega lib.9. in concil. Trid. cap.39. ❡ Sed tamen hæc ſolutio mihi non placet. Nam quamuis verum ſit, quod ex vna de fide, & altera euidenti naturaliter, concluſio ſequatur de fide: vt infrà explicabimus. q.4. art. 8. tamen ex vna de fide, & altera euidenti moraliter, concluſio non ſequitur de fide: nam tota illa euidentia moralis non trãſcendit limites fidei humanæ, eſt autem certum ex Dialectica, ꝙ concluſio non poteſt eſſe magis certa quam principia, ex quibus deducitur, & quod ſequitur debiliorem partem. Quò circà alij aliter reſpondẽt dicentes, ꝙ illa propoſitio, ſcilicet, hoc eſt legitimum Concilium, eſt euidens euidentia morali, tamen concluſio eſt de fide non ex vi præmiſſarum, ſed ex inclinatione habitus fidei, & luminis ſupernaturalis interiùs exiſtentis: quod quidem lumen immediatè, & ſine aliquo ſyllogiſmo, inclinat ad propoſitiones fidei, ſtatim ac fiunt ſufficienter propoſitæ, ſecundum moralem prudentiam. Et cùm ſit ſufficienter propoſitum, quod ab vniuerſali Cõcilio hominũ ſanctiſsimorum & doctiſsimorũ proponitur credendum, ſequitur, quod fides immediatè inclinat ad aſſenſum illius. Hæc ſolutio ſimiliter non placet aliquibus. Et ideò tertio reſpondetur, & melius, ꝙ illa propoſitio, ſcilicet, hoc eſt legitimũ Concilium, eſt de fide, quod ita eſſe à nobis colligitur, nõ ex eo quòd eadẽmet Cõcilia diffiniunt ſe eſſe in Spiritu ſancto legitime congregata, vt nonnulli affirmãt, hæc enim ratio eſt inſufficiens, quia ſimiliter concilia profana & illegitima in principio ſuorum decretorum ſimilem faciunt determinationem, vt patet ex Concilio Baſilienſi, & alijs, quæ ſuprà tanquam profana reiecimus: & ſic ex eiuſmodi diffinitione, nihil certum haberi poteſt: ſed colligitur a poſteriori, ſcilicet, ex eo, quod tale Cõcilium ꝓpoſuit toti Eccleſiæ res de fide credendas, & tota Eccleſia illis aſſenſit: quod nullo modo eſſe poſſet, niſi Conciliũ illud eſſet legitimum. Quod ita eſſe probatur: nam omne Concilium diffiniẽs res fidei, cui vniuerſalis Eccleſia aſſenſum præbet, eſt legitimum Concilium: ſed hoc Tridentinum Concilium eſt huiuſmodi, ergo eſt legitimum. Conſequentia eſt euidens, maior eſt de fide: nam alioqui vniuerſalis Eccleſia poſſet errare, ſi præberet aſſenſum Concilio illegitimo: minor verò etiam eſt euidens, ergo concluſio, ſcilicet, concilium Tridentinum eſt legitimum, eſt de fide. Eadem etiam ratione probari poteſt, Gregorium. XIII. eſſe verum Pontificem, & baptizatum. ❡ Ad vltimum argumentum ex Diuo Auguſtino reſpondetur, quòd D. Auguſt. intelligit Concilia priora emendari à poſterioribus, quãtum attinet ad canones ſpectantes ad gubernationem Eccleſiæ, qui variantur pro diuerſitate temporũ & perſonarum, nec hoc militat contra noſtram concluſionem. Vel ſecundo reſpondetur, Diuum Auguſt. loqui de plenarijs Concilijs illegitimis, quæ emendantur per poſteriora: nam paulò ante tẽpora D. Auguſtini fuerunt celebrata plura Concilia illegitima, quæ à poſterioribus legitimis fuerunt emendata. Et eodem modo reſpondetur ad teſtimonium Iſidori.

Ad 3. argu. *Sententia Vegæ.* *2. Sententia.* *Vera ſolutio argum.* *Ad vlt. argum.*

❡ Suppoſito, quod Cõcilium generale, cui Papa per ſeipſum intereſt, errare nõ poteſt in diffinitiõe fidei & morum, ſupereſt, vt dicamus, de alio genere plenariorũ Conciliorum, quibus Papa per ſe non adeſt, ſed per legatos ſummi Pontificis celebrantur: & ſic de his eſt ſecũda difficultas vtrùm talia Cõcilia errare poſsint in diffinitione fidei, & morum. Et vtrum eorum diffinitiones ità ſint veræ, vt habeãt plenam fidem, etiam antequam accedat ſummi Pontificis confirmatio? Nam de hac re ſunt variæ doctorum ſententiæ. Ad quarum explicationem, & intelligẽtiam quæſtionis, eſt aduertendum primo, quod quando dicimus, Cõcilium errare non poſſe in fide, duo præſuponimus. Primum eſt, quòd Cõcilium habet poteſtatem diffiniẽdi res fidei: alterum eſt, quod illi diffinienti aſſiſtit Spiritus ſanctus: nã ſine Spiritus ſancti aſsiſtentia Concilium

Secũda difficultas de Cõcilijs per legatos celebratis *Primum notabile.*

cilium errare poſſet, & Spiritus ſanctus nunquam aſsiſteret, ſi Cõcilium ſibi vſurparet poteſtatem, quam non habet. Vnde affirmãtes Concilia per legatos celebrata errare non poſſe, conſequenter dicunt, illa vtrumq; habere, ſcilicet, poteſtatem diffiniendi, & aſsiſtentiam Spiritusſancti. Qui autẽ contrariũ tenẽt, horũ aliqnd adimunt ab huiuſmodi Concilijs: alij quidem poteſtatem diffiniẽdi: alij autem aſsiſtentiam

2. Notabile. Spiritus ſancti. ¶ Secundò eſt aduertendum, eſſe latiſsimum diſcrimen inter aſsiſtentiam Spiritus ſancti, & poteſtatẽ diffiniendi: nam aſsiſtentia Spiritus ſancti pertinet ad gratias gratis datas, & reduci poteſt, vel ad donum prophetiæ, vel ad donum interpretandi ſacras ſcripturas, quæ dona conſequuntur perſonam, cui conferuntur, nec poſſunt de vno in alium mutari: poteſtas tamen diffiniendi pertinet ad iuriſdictionem. Munus enim iuriſdictionis eſt, vt Eccleſia gubernetur, interdum leges ponendo & caſtigando, interdum veram fidem docẽdo, & determinãdo. Vnde diſtinguũt Theologi in Eccleſia duplicem poteſtatem iuriſdictionis, vnam legiſlatiuam, alteram fidei diffinitiuam: quæ differunt inter ſeſe. Nam ea, quæ fiunt per poteſtatem legiſlatiuã, mutari poſſunt, vt quotidie contingit: nec habent vim obligandi ipſum legiſlatorem: at verò ea, quæ per poteſtatem fidei diffinitiuam cõſtituta ſunt, iterùm reuocari non poſſunt, & obligant non minus ipſos diffinitores, quàm reliquos fideles: reſidetq; huiuſmodi poteſtas in Epiſcopis & prælatis Eccleſiæ, ſed præcipuè in ſummo Pontifice.

¶ His conſtitutis dico, quòd Turrecremata, lib. 3. ſuæ ſummæ, à. c. 33. vſq; ad. 58.

Opinio Caietani & aliorum. & Caiet. de autoritate Papæ & Concilij, cap. 11. & 16. & Albertus Pighius, libr. 6. Hierarchiæ Eccleſiaſticę, cap. 6. affirmant, quòd Concilia vniuerſalia per legatos celebrata errare poſſunt, & quòd non habẽt robur, & firmitatem, quoadusque accedat ſummi Põtificis determinatio. Quam ſuã

1. Argum. ſententiam probant primo, quia nulla poteſtas eſt in Concilio, quæ non deriuetur à ſummo Pontifice: cum Concilium eſſe non poſsit, niſi illud Pontifex congregari præcipiat, atque legatos mittat: ſed poteſtas infallibilis diffiniendi, qualis eſt in Papa, nõ poteſt alteri delegari, ergo Cõcilium non habet poteſtatem diffiniendi; & ſic poteſt errare. Conſequentia cum maiori eſt nota, & minor probatur: poteſtas infallibilis diffiniẽdi includit in ſe aſsiſtentiam Spiritus ſancti, quæ pertinet ad gratias gratis datas cõſequentes perſonas, quę in tertiam transferri non poſſunt, vt patet ex dictis, ergo. ¶ Item ſecundò, nam ferè *2. Argum.*
omnia Concilia tam antiqua, quam moderna, quibus ſummus Pontifex non interfuit, petierunt à ſummo Pontifice confirmationem: ergo ipſo facto huiuſmodi Concilia cõfitentur, ea, quæ definiunt, eſſe infirma ante Pontificis confirmationẽ, atque ex conſequenti errare poſſunt.

¶ Tertio ſic argumentor: celebrato Con- *3. Argum.*
cilio Chalcedonenſi, multi illi fidem adhibere noluerunt: quia dubitabant vtrum à Papa confirmatum eſſet necne, vt ſcribit Marcianus Imperator in Epiſtola ad Leonem Papam, quæ inſerta habetur primæ actioni Concilij Chalcedonẽſis, ad quem Leo Papa reſcripſit, ſe iam illud confirmaſſe, & denuò confirmare, præcipitque epiſtolam mitti ad vniuerſos, & ſingulos Epiſcopos, ne vltrà dubitent: ſignum ergo eſt, Eccleſiam vniuerſalem eo tempore iudicauiſſe Concilia errare poſſe ante Pontificis confirmationem.

¶ Contrariam tñ ſentẽtiam tenet Caſtro libr. 1. de iuſta hæreticorum punitione. c. 6. & Soto in. 4. diſt. 20. quæſt. 1. artic. 4. ad ſecundum, vbi dicit, quòd huiuſmodi Cõcilia, poſtquam ſunt legitimè congregata, habent immediatè poteſtatem à Deo diffiniendi infallibiliter res fidei. Quæ ſententia, meo iudicio, eſt longè probabilior.

Vnde ad explicationem difficultatis eſt *Primum notabile pro explicatione veræ ſententiæ.*
aduertendum primò, ſummi Pontificis legatos non ſolere ad Conciliũ, quo quæſtio de fide agitanda eſt, accedere, niſi inſtructos prius, & admonitos de Eccleſiæ Romanæ fide circa ea, quæ ſunt in Concilio diffiniẽda. Dixi, non ſolere, quoniam hoc nõ eſt neceſſarium: legati enim in conciliũ Tridentinũ miſsi non potuerunt cõmodè de quæſtionibus differendis ante inſtrui: quoniam erant innumeræ, & propemodum infinitæ: ſed acceperunt autoritatem eas omnes tractandi, & diffiniendi. Cæterum ferè omnia alia Concilia ad vnam, vel alteram cauſam fidei tractandam fuerunt coacta, & ideò legati de Apoſtolicæ Eccleſiæ fide prius inſtructi accedere potuerunt.

¶ Secundo eſt aduertendum, quod ſicut ali- *2. Notabile.*
quando Cõcilium poteſt legatorum doctri-

næ & inſtructionē repugnare: ità etiam è contra legati poſſunt repugnare Concilio: quo in caſu Concilij decreta ſunt prorſus irrita. Nam ſicut cōgregatio Concilij, recla mante vero Pontifice facta, vana eſt, & irrita, vt ſuprà diximus: ſic etiam doctrina, cui vel præſens Pontifex, vel abſens per legatos ſuos contradicit, incerta eſt & imbecilla. Vtrobiq; enim autoritas Romani Pōtificis deeſt, ſine qua, nec Conciliū nec Cōcilij decreta rata aut firma eſſe poſſunt: nec de iſtis Cōcilijs nos in præſenti loquimur, ſed tantum de illis, quibus legati & Epiſcopi conueniunt in vna re diffiniēda: de quo videndus eſt Cano, lib. 5. de locis. c. 5. q. 2.

Prima concluſio. ¶His ſuppoſitis ſit prima cōcluſio, Plenarium Concilium legitimè cōgregatum, cui legati ſummi Pontificis interſunt, habet poteſtatem diffiniendi res fidei. Quæ concluſio, meo iudicio, eſt ità certa, vt contrarium dicere ſit error. Et probatur primò ex perpetuo vſu Conciliorum, quæ initio ſuorum decretorum res fidei diffinire dicunt, & anathematizantur quicūq; contrarium dixerint, aut ſenſerint: ſignū ergo eſt, ꝙ habent poteſtatem diffiniendi. Et confirmatur ex cap. quoniā. 16. diſt. vbi dicitur, Placuit Concilio, & huic ſanctæ ſynodo. &c. Et octaua ſynodus Conſtantinopolitana in condemnatione Fotij ſic dicit, Fotium inobedientem huic ſanctæ ſynodo condemnamus, & anathematizamus. Idē etiam patet ex forma quam Epiſcopi habent in ſubſcribendo in Concilijs, ſcilicet, Ego Epiſcopus diffiniens, ergo habent poteſtatem diffiniendi res fidei. Item, ſi Concilia, de quibus loquimur non haberent poteſtatem diffiniendi res fidei, ſequeretur, quod nullum eſſet diſcrimen inter Concilium Epiſcoporum ritè congregatum, & congregationem laicorum hominum: conſequens autē eſt falſum, ergo. Sequela probatur, nam prædicta Cōcilia per te nō poſſunt diffinire res fidei, ſed tantum diſputare & conſultare controuerſias in fide oblatas: ſed hoc idem poteſt efficere congregatio laicorum hominum, ergo. Et confirmatur. Si Epiſcopi conuenirēt in illum locum propria autoritate, ſine conuocatióne facta à ſummo Pontifice, poſſent de quæſtionibus fidei diſputare, & deliberare, ergo ſi cōgregātur autoritate Papæ, poterunt diffinire, alioquin ex conuocatione Papæ nulla poteſtas accederet Concilio. ¶ Item vltimo, In Concilio Niceno ſtatutū eſt, quod Concilia prouincialia non diffiniant res fidei, ſed tantū generalia, ergo generalia habent hanc poteſtatem diffiniēdi. ¶Ex hoc infertur, quod Epiſcopi in Cōcilijs exiſtētes non ſolùm ſunt dicendi Conſiliarij, ſed etiam veri iudices. Et ſiquis obijciat, Si Epi- *Obiectio.* ſcopi eſſent veri iudices, & haberent poteſtatem diffiniendi, ſequeretur quod ſummus Pontifex, in ferenda ſententia, teneretur maiorē partem iudicū ſequi, eorumq; doctrinam approbare: conſequens autem videtur abſurdum: nam ſic Pontificis iudicium ſubderetur aliorum iudicio, quod eſt inconueniens, ergo. Sequela probatur: quia in omni rectè inſtituto tribunali, is, qui præſidet, plurium iudicium cōfirmare debet, & paucorum negligere. Ad hoc argumentum, vt reſpondeat Turrecremata, lib. 3. ſummæ Eccleſiæ. c. 64. &. 65. ſequutus iuriſperitos multa dicit, quæ mihi non probātur. Vnde eis omnibus omiſsis, quia animus nō eſt ſingula perſequi, & cuiuſq; opiniones refutare, reſpondeo negando ſequelā, & ad probationē dico, in diuinis nō eſſe metiēdam ſententiā, ſicut in humanis. ex numero ſuffragātium: interdū enim cōtingit, vt melior pars vincat maiorē, nec ſemper ea ſunt optima, quæ placēt pluribus, ſed quę placent ſapiētioribus. Quadraginta prophetæ mētiti ſunt Achab, & ex ore ſolius Michææ & ſpecie vilis, veritas egreſſa eſt. Et in cōcilio Epheſino. 2. maior pars in Dioſcori ſententiā venit, nec tamē propterea legati pluriū iudicio ſubſcripſēre: quod & ſummus Pontifex facere poterit: imò ſiue pauci, ſiue plures ad errorem deflexerint, munus Apoſtolici antiſtitis eſt, ad verā fidem oēs reuocare, iuxta illud, quod dixit Dominus Petro, Ego rogaui pro te, &c. Sed tu aliquando cōuerſus confirma fratres tuos, &c. Vide Cano libr. 5. cap. 5. quæſt. 2. circa finem.

2. Concluſio. ¶ Secunda concluſio, Probabile eſt, ꝙ plenaria Concilia, de quibus loquimur, habent poteſtatem diffiniendi res fidei immediatè à Chriſto. Hanc concluſionē pręter omnes doctores Pariſienſes, tenet Soto in. 4. diſt. 20. quæſt. 1. art. 4. ad. 2. Et probatur ex octaua ſynodo Conſtantinopolitana, in condemnatione Fotij, vbi dicitur, Fotium excōmunicamus, & à tota Eccleſia facimus alienum, per datam autoritatem in Spiritu ſancto à primo & magno autore Deo, liberatore & ſaluatore cunctorum, ergo habēt immediatè autoritatem à Deo.

¶Item

℄ Itèm ſecundò, ſinguli Epiſcopi habent à Deo immediatè autoritatẽ, & poteſtatem regendi & gubernãdi priuatas & proprias Eccleſias, tùm per leges, tùm etiã per fidei doctrinã gregẽ paſcendo, ergo pari ratione, cùm vniuerſi in vnũ locum congregantur, immediatè accipiunt à Deo poteſtatẽ diffiniendi, & gubernãdi vniuerſalẽ Eccleſiam. Cõſequentia tenet ex paritate rationis: ſicut enim ſe habent ſinguli Epiſcopi ad ſingulas diœceſes, ità & vniuerſi, ad totam Eccleſiam: antecedens autem probatur ex illo Marci vlti. cap. Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euãgelium omni creaturæ: & Ioan. 20. Accipite Spiritũ ſanctum, quorũ remiſſeritis peccata. Et Paulus Acto. 17. loquens ad Epiſcopos dicit, Attẽdite vobis & vniuerſo gregi, in quo poſuit vos Spiritus ſanctus, Epiſcopos regere Eccleſiã Dei. Quæ teſtimonia, non ſolùm de Apoſtolis, ſed etiã de Epiſcopis, & eorum ſucceſſoribus, ſunt intelligenda. Hanc eandẽ concluſionem probat latè Frater Antonius à Corduba, libr. 4. q. 1. conc. 9. dub. 2. & conc. 10. dubio etiam. 2.

3. *Concluſio.* ℄ Tertia concluſio, Etiam ſi non eſſet ſatis certum Concilium, de quo loquimur, habere immediatè à Deo poteſtatem diffiniendi res fidei, certum tamen eſſe debet, eam habere à ſummo Pontifice, per legatos deriuatam. Hæc concluſio ſequitur ex dictis. Nam ſi Concilium per legatos celebratum habet poteſtatem diffiniendi, vt diximus in prima concluſione, & illam habere non poteſt, niſi, vel à Deo immediatè, vel à ſummo Pontifice deriuatam, manifeſtè ſequitur, quod ſi non eſt certum illam habere immediatè à Deo, certum eſſe debere, quod illã habet à Papa, maximè quòd, vt videbimus in ſolutione ad primum argumẽtum, poſſet ſummus Pontifex hanc poteſtatem Concilio delegare, quanuis non alteri.

4. *Concluſio.* ℄ Quarta concluſio, Quæ diffiniuntur in huiuſmodi Concilijs, etiam ante Pontificis confirmationem, pro veris habenda ſunt: ità, vt contrarium aſſerere, eſſet, non ſolùm temerarium, ſed etiam ſuſpectum in fide, & errori proximum. Hanc concluſionem omnes fatentur, etiam illi, qui dicunt huiuſmodi Concilia errare poſſe: & ratio eſt manifeſta. Nam diffinitio horum Conciliorum maiorẽ autoritatem habet, quàm cõſenſus centum Doctorum idẽ affirmantium: ſed cõſenſus tot Doctorum facit rem ità certam, vt contrarium ſit ſuſpectum in fide, & errori proximum, ergo & Cõciliorum diffinitio.

5. *Concluſio.* ℄ Quinta concluſio, Concilia generalia, de quibus loquimur, errare non poſſunt in diffinitione fidei, & morum. Hæc concluſio eſt contra Turrecrematam, & contra Caietanum, & Albertum Pighium locis citatis. Probatur tamẽ primò, quia nullum Concilium huiuſmodi vſq; adhuc errauit, ex quo Concilia congregari cœperunt, vt patet diſcurrendo per omnia, ergo non poteſt errare, patet conſequentia: quia in re morali, id, quod nunquam fuit, probabile eſt nũquam futurum, nec eſſe poſſe. Item, Cõcilia huiuſmodi habẽt poteſtatem diffiniendi res fidei, & eas vniuerſali Eccleſiæ proponendi, ergo non poſſunt errare: antecedens patet ex prima cõcluſione, & conſequentia probatur: quia aliàs vniuerſalis Eccleſia poſſet in errorem induci, ſi illi aſſentire teneretur. Item, autores contrariæ ſententiæ, vt Turrecremata, libr. 3. c. 64. concedit, quòd ſi in Concilio, cui præeſt Papa, contingeret, quod patres Concilij in re dubia vnam ſententiam tenerent, & ſummus Pontifex contrariam, potiùs ſtandum eſſet Concilio: & ſummus Pontifex teneretur ſuum iudicium deponere. Ex quo ſic colligo argumentum: Papa tenetur confirmare ea decreta, quæ diffiniuntur in Concilijs per legatos celebratis, ergo tale Concilium non poteſt errare. Patet conſequentia, quoniam aliàs Papa confirmaret errorem: antecedens autem probatur ex dictis: nam ſi, cùm patres Cõcilij de aliqua quæſtione diſputant, Papa tenetur ſequi ſententiam, quam patres Concilij tenent, proprio iudicio depoſito, à fortiori, cùm non ſolùm conſultant, ſed etiam diffiniunt & proponunt credenda. Item, Concilia generalia errare non poſſunt in diffinitionibus fidei & morum, vt latè probat Caſtro, lib. 3. de hæreſi. verbo, Concilium: ſed Cõcilia, quæ per legatos celebrãtur ſunt legitima, plenaria, & generalia, ergo. Et confirmatur: nam ſi tàm hæc Concilia generalia, quam prouincialia, egerent Summi Pontificis cõfirmatione, & vtraq; poſſent errare, nullum eſſet diſcrimen inter hæc, & illa: hoc autem eſt falſum, & cõtra Auguſtinum lib. 2. de baptiſmo. cõtra Donatiſtas. cap. 3. ergo. Vltimò, ſummus Pontifex propoſita ſibi aliqua fidei quæſtione tenetur adhibere ſufficientem diligentiam, pro rei grauitate, ad illius

determinationē, alioquin poſſet errare, vt infrà dicemus cùm de Papa fuerit ſermo: & ſic tenetur acceptare id, quod verum eſſe perſpexerit: ſed maxima & ſumma diligentia, quæ adhiberi poteſt in fidei quæſtionibus diiudicandis, eſt illa quæ adhibetur in Concilijs legitimis & plenarijs, ergo Papa tenebitur ſequi quod in huiuſmodi Concilijs determinatum eſſe perſpexerit: atque ex conſequenti non poterunt errare. ¶ Eſt tamen aduertendum, quod hæc concluſio intelligitur, dummodo legati aut Conciliū non intendant diffinire aliquid contra, aut præter inſtructionem quam à ſummo Pontifice acceperunt: tunc enim non mirum eſſet, ſi tale Cōcilium errâſſet, quia iam redderetur illegitimum, dicente Agathone Papa actione.4. ſextæ ſynodi: Autoritatē eis, hoc eſt, legatis dedimus, inquantum eis duntaxat iniunctum eſt, vt nihil pręſumāt augere, minuere, vel mutare: ſed traditionē huius Apoſtolicæ ſedis ſynceriter enarrare. Et Leo, epiſtola.43. ad Pulcheriam Auguſtam, Lucentium, inquit, Epiſcopū, & Baſilium, præsbiterū dirigere præparaui, qui diſpoſitiones meas, ſecundum eas, quas acceperūt regulas exequātur. Decreta igitur, ſi quæ à legato contra ſedis Apoſtolicæ traditionem approbantur, nō habent Romanæ Eccleſię autoritatē, nec aliter ſe habent, quā ſi per Cōciliū ſine legatis prodijſſent.

Ad.1.arg. ¶ Ad primum argumentū reſpondetur primò negando maiorem, quia, vt diximus in ſecunda cōcluſione, valde probabile eſt, quod Cōcilium, poſtquam fuerit à ſummo Pontifice legitimè congregatum, accipit à Deo immediatè autoritatē, & poteſtatem diffiniendi, & non à Papa. Vel ſecundò reſpōdetur, quidquid ſit de maiori, negando minorem, ſcilicet, quod ſummus Pontifex non poteſt Concilio delegare poteſtatem infallibiliter diffiniēdi res fidei, nā quamuis infallibilis poteſtas diffiniendi includat aſſiſtētiam Spiritus ſancti ad gratias gratis datas pertinentem, quę in alium trāſferri nō poteſt: hæc tamen aſsiſtentia eſt in Concilio legitimè congregato, nō ex delegatione Papæ, ſed ex propria promiſsione Chriſti ipſi Eccleſię facta: & ſummus Pontifex tantum communicat illi poteſtatem diffiniendi, quæ pertinet ad munus iuriſdictionis. Ex quo infertur, quod quāuis illa poteſtas diffiniendi res fidei, quæ à Papa in Concilium deriuatur, ea ratione quia à Papa deriuatur, nō habeat infallibilitatem (quia ipſe non poteſt alteri aſsiſtentiam Spiritus ſancti delegare) eſt tamē infallibilis, quatenus recipitur in tali ſubiecto, ſcilicet, Concilio legitimè congregato, quod errare non poteſt, propter aſsiſtentiam Spiritus ſancti, quam ex Dei promiſsione habet. Itàque cùm in Concilio ſint duo, ſcilicet, poteſtas difiniendi res fidei, & aſsiſtentia Spiritus ſancti, ex quibus ſimul ſumptis prouenit infallibilitas rerum in Concilio diffinitarum, primum horum, ſcilicet, poteſtatem diffiniendi confert ſummus Pontifex legatis, quo tempore Concilium legitimè congregat: alterum autem, ſcilicet, aſsiſtentiam Spiritus ſancti, nec legatis, nec Concilio Papa poteſt delegare: ſed illam habet Concilium ex promiſsione Chriſti. Vnde infallibiliter poteſt res fidei diffinire.

obiectio. ¶ Et ſi quis obijciat, Soli Petro, & eius ſucceſſoribus promiſſum fuit donum aſsiſtentiæ Spiritus ſancti, vt conſtat ex illo Lucæ.22. Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, ergo aſsiſtentia Spiritus ſancti, vel non eſt in Concilio, vel illam habet deriuatam à ſummo Pontifice. *ſolutio.* Reſpondetur, verum eſſe ſine dubio, quod in hoc loco, ſoli Petro & eius ſucceſſoribus promiſſio aſsiſtentiæ Spiritus ſancti facta fuerit, quod fuit priuilegiū peculiare huius Apoſtoli, & ſedis Apoſtolicæ, atque Romanæ: tamen, quod ſingulis Apoſtolis non fuit conceſſum, vniuerſis ſimul cōgregatis conceſſum eſt, vt patet ex illo Ioannis.14. Ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis, ſpiritū veritatis, qui maneat vobiſcū in æternum. Vobiſcum, ait, vt hac ratione intelligerent, non ſingulis per ſe, ſed omnibus ſimul promiſſum fuiſſe Spiritum ſanctum. *Ad.2.arg.* ¶ Ad ſecundum argumētum reſpondet Caſtro, lib.1. de Iuſta hæretic. punitione, cap.6. Concilia petere à ſummo Pontifice confirmationem: non quia poſſunt errare in diffiniendo, ſed propter alias cauſas: quarum prima eſt, vt omnibus conſtet legatos fideliter ſuo officio fuiſſe functos, & ſeruaſſe formam in mandato ſibi præſcriptam: contingit enim aliquando, quod legati munus ſuum infideliter agant, vt conqueritur Nicolaus Papa primus in Epiſtola ad Epiſcopos in Aſia & Lidia exiſtētes. *Prima cauſa propter quā Concilia petunt cōfirmationē à ſummo Pōtifice.* Et quemadmodum, vt Concilium ſit legitimum neceſſarium eſt, vt legati adſint, ità etiam, vt ſeruēt formam ſibi traditam à Papa: quapropter, hoc per Pontificis confirmationem manifeſtare, neceſſe eſt.

¶ Secunda

2. Cauſa. ¶ Secunda cauſa, ne ſi fortè Papa diſsideat poſteà à Concilio factus hæreticus, poſsit dicere ſe nunquam illis rebus & diffinitionibus conſenſiſſe: quare, vt propria ſubſcriptione poſsit damnari, operæpretium eſt, vt Concilia petant ab eo ſuorũ decretorum confirmationem. *3. Cauſa.* ¶ Tertia cauſa eſt, quia quamuis iſta Cõcilia in diffiniẽda fide errare non poſsint, tamen in alijs rebus ad leges ferendas, & Eccleſiæ gubernationem pertinẽtibus, poſſunt errare, & ego omnia illa confirmatione Papæ, vt legum robur obtineant: nam ad Papam præcipuè ſpectat Eccleſiam gubernare. *Vltima cauſa.* Quibus additur vltima cauſa, & eſt, quia poſita iam varietate opinionum in hac re exiſtente, quibuſdam dicentibus, hæc Concilia errare poſſe, & alijs negãtibus: optimum conſilium eſt petere confirmationem à ſummo Pontifice, vt omnis cauſa dubitandi amoueatur, & veritas in Cõcilijs diffinita conſtans & firma maneat. *Ad 3. arg.* ¶ Ad tertium reſpondetur, concedendo verum eſſe, aliquos noluiſſe Chalcedonenſi cõcilio fidem adhibere: hoc tamen nõ fecerunt ex eo, quòd iudicarent Concilia legitimè congregata errare poſſe ante Pontificis confirmationem, ſed quia dubitabant, vtrùm illud Concilium eſſet legitimum nec ne. Et ratio dubitandi erat, nam recordabantur cõcilij Epheſini ſecundi paulò ante celebrati, quod, licet, fuit celebratum per legatos, conſtabat eſſe illegitimum, propter cauſas ſuperius dictas dubio præcedenti, concluſione. 1.

Argumentũ. ¶ Sed vltra hæc argumenta eſt aliud, quod videtur habere difficultatem, id autem eſt tale: Si Concilium legitimè congregatum, & celebratum per legatos habet et poteſtatem diffiniendi, & errare non poſſet: ſequeretur, quod, tempore, quo Concilium celebratur, eſſent in Eccleſia duo capita, vel ſaltim duæ regulæ infallibeles, ſcilicet, Concilium, atq; Papa: conſequens autem eſt abſurdum, & contra rectum Eccleſiæ ordinem, qui in vnius poteſtate conſiſtit, ergo. *Solutio.* ¶ Ad hoc argumentum reſpondetur, & primò ad illud de duplici capite, negando ſequelam. Nam quãuis Concilium habeat immediatè à Deo poteſtatem diffiniendi res fidei, non ſequitur, quòd ſit caput Eccleſiæ: plura enim alia requiruntur ad rationem capitis, quæ in Concilio non inueniũtur. Præſertim, quod hãc etiam poteſtatem, & quamcũq; aliam habet Concilium communicatam à Papa, vel ab illo dependentem, non ſolùm in fieri, ſed etiam in conſeruari: nam quemadmodum Papa poteſt congregare Concilium, ità & diſſoluere. ¶ Ad aliud autem de duplici regula infallibili, reſpondetur primò, quòd iſtæ duæ regulæ non ſunt ità diſtinctæ, vt merito poſsint dici duæ, tùm, quia in Concilio includitur ipſa perſona Papæ: tùm etiã, quia regula fidei ex duobus conſtat, ſcilicet, poteſtate diffiniendi, & aſsiſtentia Spiritus ſancti, & in Papa & Cõcilio non ſunt duæ poteſtates diffiniendi, ſed vna tantum principaliter in Papa exiſtens. Vel ſecũdò reſpondetur, concedendo, illo tempore in Eccleſia eſſe duas regulas, quantum attinet ad fidei quæſtiones diffiniendas, nec hoc eſt inconueniens, quia cùm vtrique regulæ aſsiſtat Spiritus ſanctus, qui eſt ſpiritus pacis, & veritatis, nullum periculum eſt, ne vna regula ab alia diſcordet, & contraria diffiniat. Quin potiùs eſt couenientiſsimum, eſſe hanc duplicem regulam: quia cum in Eccleſia quotidie ſint fidei quæſtiones aliæ alijs grauiores, & difficiliores, & non deceat grauiſsimas quæſtiones vnius hominis iudicio determinari, nec etiam ſit cõueniens, vt ad leuiſsimas quaſque quæſtiones diffiniendas, conuentus Epiſcoporum congregentur, prouidentiſsima ratione à Chriſto fuit inſtitutum, vt eſſent in Eccleſia duo iudicia atq; regulæ infallibiles, vnum iudicium cõſtans plurimorum hominum iudicijs, quale eſt Cõcilium, in quo res difficillimæ tractentur, & determinentur: alterum autem poſitum in ſententia vnius hominis, puta ſummi Põtificis, quod quotidianis vſibus, & facilioribus quæſtionibus eſſet expoſitum. Et hæc de Concilijs dicta ſuficiant.

Tractatus de ſummo Pontifice.

Explicatis ijs, quæ ad Eccleſiæ autoritatem, & Conciliorum poteſtatem ſpectant, ſequitur, vt dicamus de ſummo Pontifice, omnium capite atque paſtore. Et vt ordinatè procedamus, aduertendum eſt primò, quòd cùm neceſſariò in Eccleſia, inter perſonas, graduum ac dignitatis ordo eſſet collocandus, ſine quo Eccleſiæ hierarchia conſtare non poteſt, & progreſſus in infinitum rerum naturæ aduerſetur, ſit, vt *1. Notabile.*

vnus omninò ſuperior ſit in Eccleſia ponẽdus, qui ità omnibus præſit, vt ipſe à nullo gubernetur, & hũc ſummum Pontificem appellamus: de quo vatizinatus eſt Ezech. cap. 34. dicẽs, Suſcitabo ſuper eas paſtorem vnũ, qui paſcat eas, ſeruum meum Dauid: ipſe paſcet eas, & ipſe erit eis in paſtorem. Et quod hoc fuerit cõuenientiſsimè à Deo ordinatum, præter alias rationes, quæ adducuntur à Ioanne Blaſio Valentino libr. 2. de Eccleſiæ principatu. cap. 1. & à fratre Antonio de Corduba Franciſcano, lib. 4. q. 1. cõcluſione. 8. hæc vna cõuincit: nam cõueniebat, vt Chriſtus, eam gubernandi formam in Eccleſia relinqueret, quæ reliquas omnes ab hominibus inuẽtas ſuperaſſet: præſtantiſsima autem gubernãdi forma eſt ea, in qua omnia vnius autoritate gubernantur, vt docet Ariſto. lib. 3. Polit. quam Monarchiam appellauit, ergo cõueniebat, hãc formam gubernandi à Chriſto eſſe inſtitutam in Eccleſia. Et ſic in exordio naſcentis Eccleſiæ Petrũ Apoſtolum Paſtorem vniuerſalem inſtituit, vt patet Ioann. 21. dum dixit, Paſce oues meas. Quæ verba declarans Innocentius, & habetur in cap. Solitę, de maioritate & obediẽtia, dicit, Nõ diſtinguit inter has oues & illas, vt alienam à ſuo demonſtraret ouili, quæ Petrum paſtorem non recognoſceret. Idem etiã probatur ex illo Matthæi. 16. Beatus es Simon Bar-jona quia caro & ſanguis non reuelabit tibi, ſed pater meus cœleſtis. &c. & ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hãc petram edificabo Eccleſiam meam: & quodcũq; ſolueris ſuper terram erit ſolutum & in cœlis. Quæ verba latiſsimè declarat, ad hoc propoſitum Cano libr. 6. de locis. c. 3. vbi hanc eandem veritatem pluribus alijs teſtimonijs ſcripturæ demonſtrat. Et ſic conſtat Chriſtum in initio, vnum paſtorem vniuerſalis Eccleſiæ Petrũ inſtituiſſe, quo defuncto, diuino iure, alij ſuo ordine illi ſuccedunt in eadẽ autoritate, & poteſtate. Nam cum oues Chriſti vſq; ad ſeculi conſummationẽ eſſent duraturæ, neceſſarium erat, vt Chriſtus perpetuum paſtorũ ordinem, & ſucceſsionem cõfirmaret. Et ſic quod Dominus, dum inſtitueret paſtorale Eccleſiæ munus, primo paſtori contulit, id ordinatè cuilibet ſucceſſori intelligitur contuliſſe, vt docet laté Cano lib. 6. c. 3. conc. 3. & probatur ex Paulo ad Ephæſ. 4. dicente, In Eccleſia vſq; ad cõſummationem ſeculi futuros paſtores, & Apoſtolos. &c.

Dubium.

¶ Hoc ſuppoſito eſt dubium, vtrùm iſte ſummus Pontifex, qui loco Petri ſuccedit, poſsit errare in diffinitionibus fidei & morum? Et quoniam Papa conſiderari poteſt dupliciter, vno modo, vt priuata perſona, alio modo, vt perſona publica, & caput Eccleſiæ, de eo vtraque ratione conſiderato mouenda erit diſputatio. Et ſic eſt prima quæſtio, vtrùm ſummus Põtifex, tanquam priuata perſona: poſsit errare in fide, id eſt, ſibi perſuadere aliquem errorem, ità pertinaciter, vt ſit cenſendus hæreticus? In qua re Albertus Pighius libr. 4. de Eccleſiaſtica Hierarchia. cap. 8. contra communem omnium opinionem aſſerit, quod Papa nec, vt priuata perſona poteſt in fide errare: idẽ etiam tenet Hoſius lib. 2. contra Brentium.

Opinio Alberti Pighij & Hoſij.

1. Argum.

Et probatur primò hæc ſententia, ex illo Lucæ. 22. Ego rogaui pro te, vt nõ deficiat fides tua: quo loco promiſit Chriſtus Petro & eius ſucceſſoribus, futurum eſſe, vt fides illorum ſimpliciter non deficiat, nulla facta diſtinctione de Petro, vt perſona ſingularis eſt, aut, vt perſona publica, ergo dicendum eſt, quòd Papa ſimpliciter non poteſt errare, & ſic nulla ratione erit hæreticus.

2. Argum.

¶ Secundò, ad ſummum Pontificem ſunt deferendæ cauſæ Eccleſiæ, & fidei quæſtiones, in quibus diffiniendis errare non poteſt, vt poſteà dicemus, ergo nec poteſt eſſe hæreticus, patet cõſequentia: nam ſi poſſet eſſe hæreticus, non eſt dubium, quin iuxta falſam conſiderationem, quam haberet poſſet iudicare, & ſic inducere in errorem totam Eccleſiam. ¶ Tertiò arguitur, bona pars doctrinæ Chriſtianæ, & Eccleſiaſticæ, tradita eſt nobis à Chriſto, non quidẽ ſcripto, ſed viua voce, quæ ad nos vſq; deriuata eſt per Apoſtolos, & per perpetuos ſibi ſuccedentes Epiſcopos: ſed illa doctrina non poterat integra ad nos vſque peruenire, niſi in vna aliqua Eccleſia perpetuò ſibi ſuccederent Epiſcopi, quorum fides deficere nõ poſſet; & omnes aliæ Eccleſiæ à Romana habuerunt plures Epiſcopos hæreticos, vt patet ex hiſtoria, ergo dicendum eſt, quod in Romana Eccleſia, & in Epiſcopis Romanis fides integra ſemper permanſit, & ſic quod errare non poſſunt.

Prima concluſio.

Papa, vt priuata perſona poteſt eſſe hæreticus.

¶ His nõ obſtãtibus ſit prima cõcluſio, Summus Pontifex, vt priuata perſona poteſt eſſe hæreticus. Hanc cõcluſionem communiter tenent omnes Theologi, & Canoniſtæ: & probatur. Nam affirmare, quod Papa, vt priuata perſona non poteſt eſſe

hære

eſſe hæreticus, eſt priuilegiũ, & maximum priuilegium, ergo nõ debet tribui ſummis Põtificibus ſine aperto Scripturæ teſtimonio, aut Eccleſiæ definitione: quorum neutrum exiſtit. Item, ſi id eſſet cõceſſum ſummis Pontificibus, illud eſſet propter publicam vtilitatem, & Eccleſiæ cõmodum: ſed ad Eccleſiæ vtilitatẽ illud non ſpectat, nec eſt neceſſarium, ergo. Minor probatur: nã ad commodam gubernationem Chriſtianæ reipublicæ ſatis eſt, quòd tãquam perſona publica, & caput Eccleſiæ errare non poſsit.

¶ Tertiò, eodem modo eſt neceſſaria Eccleſiæ exterior fidei confeſsio, ſicut & fides peculiaris ſummi Põtificis: ſed exterior cõfeſsio non eſt ita neceſſaria, vt non poſsit Papa ab illa deficere, vt patet de Diuo Petro, & de Marcellino, qui ab exteriori fidei confeſsione defecerunt, ergo nec fides particularis Papæ erit ità neceſſaria, vt ab illa deficere non poſsit. Et confirmatur, nam Bonifacius Papa, & habetur in capite ſi Papa. 40. diſt. & Euſebius, & refertur. 2. quæſt. 7. cap. oñes: & Innocentius in ſermone de conſecratione ſummi Pontificis, dicunt, ꝙ ſummus Pontifex nullo modo poteſt ab Eccleſia iudicari, niſi in caſu hæreſis, ergo fatentur apertè iſti Pontifices, poſſe accidere, ꝙ Papa ſit hæreticus.

Secunda concluſio.

¶ Secunda concluſio, Re ipſa fuerunt hæretici Anaſtaſius, & Liberius atque Honorius ſummi Pontifices. Probo ſingulas partes. Et primo, quod Anaſtaſius fuerit hęreticus, cõſtat ex Gratiano. c. Anaſtaſius 19. diſt. De Liberio autem, quod fuerit hæreticus, probatur ex Damaſo Papa eius ſucceſſore, qui id affirmat in libr. pontificali, in vita Liberij: vbi dicit, illum fuiſſe catholicum, taliter quod propter fidem catholicam fuit miſſus in exilium à Coſtantino Imperatore, poſtea vero perraſus ab Vrſitio & Valerio Arrianis, inductus fuit, vt cõſentiret in impietate Arriana, & ob id reuocatus fuit ab exilio. Idem etiam affirmat D. Hieronymus in libr. de viris illuſtribus. Et Athanaſius, in epiſtola ad agentes vitã ſolitariam, fatetur Liberium, poſt exactum in exilium biẽnium, inflexum fuiſſe, & ad ſubſcriptionem inductũ ab hæreticis. Idẽ etiam affirmat Martianus Scorpus, cuius verba habentur in primo tomo Conciliorum ante decreta Liberij Papæ.

Liberius & Anaſtaſius fuerunt hæretici.

¶ Quod verò Honorius fuerit hæreticus, probatur ex ſexta ſynodo Cõſtantinopolitana actione. 13. quo loco damnatur à Concilio tanquam hæreticus Honorius Epiſcopus Romanus, propter epiſtolam quandã eiuſdẽ Honorij ad Sergium, in qua affirmauit in Chriſto tantum eſſe vnam volantatem. Verba autem Concilij ſic ſe habent, A ſancta Eccleſia catholica proijci, ſimulque anathematizari præuidimus Honorium, qui fuit Papa antiquæ Romæ, quia vidimus per ſcripta eius, quæ facta ſunt ad Sergiũ quod in omnibus illum eſt ſequutus, & impia dogmata confirmauit. Ad hoc teſtimonium reſpõdet Albertus Pighius loco citato dupliciter, primò quod Concilium errauit, & ſic ſine merito damnauit Honoriũ. Secundo, quod illæ actiones, in quibus mẽtio fit de Honorio, fuerũt confictæ & inſertæ Concilio. Cæterum vtrumque falſum eſt. Nam primum, ſcilicet, Concilium non erraſſe nõ indiget probatione, primo quia ſatis impudenter dicitur totum Concilium erraiſſe. Secundo, quia licet concedamus Alberto Campenſi, patres Cõcilij iniuſtè damnauiſſe Honorium, tamen neceſſe eſt nobis ipſe concedat, Concilium ipſum iudicaſſe, & habuiſſe pro certo, Papam errare poſſe, quod eſt noſtrum intentum. Quod autem ſit etiam falſum, quod illæ actiones fuerunt confictæ, & inſertæ Concilio, probatur primo, quia nullus ante illum hoc dixit, & Eccleſia tot ſeculis tranſactis, eas pro certis habuit. Item præterea, quia vel ipſæ actiones fuerunt confictæ in ipſa celebratione Concilij, vel poſtea, primum dici nõ poteſt, quia cum ibi adeſſent legati ſummi Põtificis, id nulla ratione permiſiſſent: nec ſecũdum, quia ſic etiam exemplaria, quæ ab ipſis legatis fuerunt delata ad ſummum Põtificem, eſſent deprauata: ſiquidem omnia alia, quæ ex ipſis fuerunt deſumpta, tã Græcè quam Latinè, eodem modo habent cauſam Honorij. Dicendũ ergo eſt, quod iuſtè Honorius fuit damnatus hæreticus. Idem etiam probatur ex epiſtola Leonis ad Agathonem, in qua confirmat ea, quæ facta ſunt in illo Concilio: & in primis damnationẽ Honorij. Anathematizamus, inquit, noui erroris inuentorẽ Sergium, necnon & Honorium, qui hanc Apoſtolicam Eccleſiam, non Apoſtolica traditione, ſed prophana impietate, deturpauit. Itẽ etiam Adrianus ſecundus in Concilio Romano, alloquutione ſecunda, quod Concilium habetur inſertum in Concilio Conſtantinopolitano. 8. actione. 7. affirmat Honoriũ fuiſſe

Honorius Papa fuit hæreticus.

Impugnatur Albertus Pighius.

fuiſſe hæreticũ, iuſtèque damnatum à Cõcilio. Et accedit, quod in Concilio Lateranenſi celebrato à Martino primo, quo damnata fuit hæreſis aſſerentium, in Chriſto eſſe vnicam voluntatem, actione. 4. illius Concilij, recitatur quædam epiſtola cuiuſdam Pauli à Cõſtatinopoli, in qua ſcriptum eſt Honorium Sergio cõſenſiſſe, & nullus reclamauit. Item etiam Vmbertus Cardinalis, in libro cõtra Nicetam, aperte affirmat, Honorium damnatum fuiſſe in illo Concilio Conſtantinopolitano.

Primũ arg. ¶ Sed contra hoc eſt argumentum. Illi, qui ſcribunt vitas Pontificum, vt Platina atque Sabellicus, dicunt Honorium fuiſſe primum, qui cõdemnauit Pirrum & alios, qui aſſerebant in Chriſto eſſe unicam voluntatem, ergo non eſt dicendum, ꝙ ipſe inciderit in eandem ſententiam. *Secundũ ar.* ¶ Item ſecundo, in ipſa ſexta ſynodo actione. 13. legati ſummi Põtificis probant Græcos corrupiſſe quintã ſynodum, & inſeruiſſe quædam falſa in actione. 7. quibus probarent Vigilantium, & Menam ſummos Põntifices fuiſſe hæreticos, ergo probabile eſt idẽ feciſſe in Honorium. *Ad. 1. arg.* ¶ Ad primum reſpõdetur primò, quod iſta duo nõ repugnant; ſcilicet, quod Honorius damnauerit Pirrũ, & quod fuerit hæreticus: nam Pirrus, non ſolum ponebat in Chriſto vnam tantum voluntatem, ſed etiam cum Eutichete ponebat vnam naturam ex humanitate & diuinitate cõflatam: quem errorem ipſe Honorius abhorrebat. Vel ſecũdo reſpõdetur, falſum eſſe, quod Pirrus fuerit damnatus ab Honorio: nam alij ſcriptores, vt Theophanes, & Anaſtaſius antiquiſsimi autores dicunt, quod qui primus damnauit iſtã hæreſim, fuit Ioãnes. 4. ſummus Pontifex, qui fuit. 4. Papa poſt Honorium: deinde fuit damnata à Theodoſio ſummo Pontifice, & tandem à Martino primo in Cõcilio Lateranenſi citato. *Ad. 2. arg.* ¶ Ad ſecundum reſpõdetur, quod illud potius probat noſtram ſententiam: nã ſicut legati Pontificis, vt vindicarent Vigilantiũ, & Menam à nota hæreſis falſo ſibi impoſita, dicunt quintam ſynodum fuiſſe corruptam: idem etiam affirmarent in fauorem Honorij, niſi cognoſcerent illũ iuſtè fuiſſe damnatum. Pluribus alijs rationibus nititur probare Albertus Pighius loco citato, ꝙ nec Anaſtaſius, nec Liberius fuerint hæretici: cæterum oẽs illæ ſunt perfaciles, & quæ ſecũ pugnare vidẽtur, & ideo à me hoc in loco ꝑtermittũtur.

¶ Sed dubitabit aliquis conſequenter, *Dubium.* quanam certitudine ſit tenendum, Papam poſſe eſſe hæreticum? In quo ſit tertia conclufio, *Tertia concl.* Adeò verum eſt, Papam poſſe eſſe hæreticum, vt illud negare ſit errori proximum. Probatur, quia qui hoc negat, neceſſario debet affirmare, vel quod plenarium & legitimũ Concilium iniuſtè damnauit Honorium, vel quod acta illius Cõcilij nõ ſunt vera: quorum primum eſt manifeſta impudentia, & impietas: ſecũdum autem eſt duorum ſummorum Pontificũ, & duorum Conciliorum dicta negare, ergo eſt erroneum id affirmare.

¶ Ad primum argumentum reſpondetur, *Ad. 1. arg.* quod cum Chriſtus dixerit Petro illa verba, vt paſtori futuro totius Eccleſiæ, juxta omniũ doctorum interpretationem: tantum ſequitur ex illis, quod Petri ſucceſſores, quatenus paſtorale officiũ exercent, errare nõ poſſunt in fide diffiniẽda. *Ad. 2. arg.* ¶ Ad ſecundum argumentum reſpodetur conceſſo antecedenti, negando conſequentiã, nam ex eo, quod ſummus Pontifex ſit iudex in fidei quæſtionibus, tantũ ſequitur quod non poſsit errare, cum iudicat: quod quidem verum eſſe concedimus. *Ad. 3. arg.* ¶ Ad tertium reſpondetur, quod ad hoc, vt doctrina viua voce tradita à Chriſto, & Apoſtolis in Eccleſia duret incorrupta, non eſt neceſſe, vt in aliqua priuata Eccleſia, ſcilicet, Romana aut Toletana ſit perpetua Catholicorum Epiſcorum ſucceſsio: ſed ſatis eſt, quod in vniuerſali Eccleſia, omni tempore, omni ætate, & omni ſeculo, extiterint aliqui Epiſcopi Catholici, penes quos illa doctrina integra maneret.

¶ Secundum dubium eſt, vtrum ſummus Põtifex, vt perſona publica, & caput Eccleſiæ poſsit errare in diffinitione fidei & morum: id eſt, rem falſam diffinire, & eam toti Eccleſiæ proponere credendam. *Ad dubium principale ſi Papa, vt eſt perſona publica.* In qua re, vt certa ab incertis ſeparemus, dico primo, certũ eſſe, quod ſummus Pontifex in ijs, quæ ſunt facti, id eſt, quãdo illius ſentẽtia non eſt, nec verſatur, circa res fidei, aut morum, poteſt errare: nam in his cauſis iudicandis Papa vtitur teſtimonio humano, & coniecturis humanis, quæ omni fallibilia ſunt. Ita docet Caietanus in li. de autoritate Papæ. c. 11. & colligitur expreſſe ex Innocẽtio tertio in cap. à nobis. de ſententia excõmunicationis. ¶ Item ſecundo certum eſt, quod ſiue Papa poſsit errare, ſiue non poſsit errare: tamen nullo modo

modo licet diſſentire ab ijs, quæ Romanus Pontifex diſſinit, & proponit credenda toti Eccleſiæ: nam ad ſubditos ſpectat doceri & nõ docere: alioqui perturbaretur ordo Eccleſiæ. Vnde in cap. ſi quis. 23. q. 2. dicitur, quod ſi quis dogmata, pro Catholica fide à ſedis Apoſtolicæ præſide promulgata, cõtempſerit, anathema ſit: & Matth. c. 23. dixit Chriſtus, Super cathedrã Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi, quæcunque dixerint vobis facite: & Deuteronomij. c. 17. præcipitur populo Iſraëlitico, ne à ſummi ſacerdotis ſententia diſcrepet, nec declinet ad dexteram, aut ad ſiniſtram. Ex quibus locis aperte colligitur, quod nullo modo licet à ſummi Pontificis ſententia diſſentire: ſiue ipſe errare poſsit, ſiue non. De qua re videndus eſt Caſtro libro. 2. de iuſta hæreticorum punit. c. 5. & Albertus Pighius li. 4. de Eccleſiaſtica Hierarch. c. 3. Itaq; hæc certa ſunt.

Dubium. *Sentẽtia Pariſienſium.*

¶ Sed dubiũ eſt, vtrũ in rei veritate ſummus Põtifex poſsit errare in diſſinitione fidei & morũ? In qua re Pariſienſes partẽ tenent affirmatiuam: & idẽ aſſerit Gerſon in tractatu de examinatiõe doctrinali. cõſideratione. 1. & 2. & Almainus in. 3. d. 24. q. 5. dub. 6. & tractatu de poteſtate Eccleſiaſtica. c. 10. & Adrianus in. 4. in materia de cõfeſſione. q. vltima, in ſolutione ad ſecundũ. Et probari poteſt hæc ſententia aliquibus argumentis.

Primũ arg.

Primo ſic, plures ſummi Pontifices de facto errauerunt, diffiniẽtes res fidei & morum: ergo poſſunt errare: conſequentia eſt nota, & antecedens probatur, plurimis adductis exemplis, ex quibus conſtat ſummos Pontifices erraniſſe.

Controuerſia inter Nicol. & Ioannem 22. ſummos Pontifices.

Nam primo, Nicolaus. III. in extrauaganti, Exit qui ſeminat, de verborum ſignificatione, in. 6. diffinit Chriſtum, & Apoſtolos nihil in communi habuiſſe: cuius tamen contrarium determinat Ioannes vigeſimusſecundus in extrauaganti, cùm inter nonnullos, eodem titulo: & ſic neceſſe eſt, quòd alter illorum errauerit. Item, Celeſtinus tertius diffiniuit, quod cum alter coniugum in hęreſim labitur, matrimonium dirimitur, vt patet ex cap. Quanto. de Diuortijs: quod tamen contrariatur veritati & Euangelio.

Alex. 3.

¶ Item, Alexander tertius in cap. licet. de ſponſa duorũ, aſſerit, quoſdam prædeceſſores ſuos ſummos Pontifices iudicaſſe, ꝙ ſi poſt matrimonium contractum per verba de præſenti, nõ tamen conſummatũ, aliud nouum conſummetur, primum dirimitur & ſecundum eſt validum: quod tamen eſt falſum, & contra determinationem illius textus.

Nicolaus Papa & Pelagius cõtrarij.

¶ Item, Nicolaus Papa, & refertur de conſecratione diſt. 4. cap. à quodam Iudęo. diſſinit, quod ſi in nomine Chriſti aliquis baptizetur, non debet iterum rebaptizari: cum tamen, eius contrarium determinet Pelagius Papa, & refertur eadem diſt. cap. multi. & cap. ſi vera.

D. Gregor.

¶ Item, D. Greg. in epiſtola quadam ad Auguſtinum Canturienſem, & Gregorius tertius en epiſtola ad Bonifacium Epiſcopum, ex Apoſtolicæ autoritatis plenitudine diſſinierunt, ꝙ ſi mulier infirmitate aliqua fuerit correpta, nec valuerit marito debitum reddere, maritus aliam vxorem ducere poterit, ea tamen lege, vt ſubſidiũ opem priori coniugi non ſubtrahat: quod quidem repugnat doctrinæ Euangelicæ, vt Gracianus. 32. q. 7. docet.

Alex. 3.

¶ Item, Alexander tertius in cap. cum eſſes. de teſtamentis. diffinit, alienum eſſe à generali Eccleſiæ conſuetudine, & à diuina lege, atque ſanctorũ Patrum inſtitutis, vt teſtamenta, niſi quinque vel ſeptẽ teſtium fuerint ſubſcriptione firmata, penitus reſcindantur: cum tamen cõſtet ciuiles leges, quæ huiuſmodi teſtamẽta minus ſolennia irritant, à viris Eccleſiaſticis hodierna die comprobari: falſus, ergo fuit Alexãder tertius in materia fidei, & morum: atq; ex conſequenti ſummus Pontifex, vt perſona publica, & cũ diffinit res fidei & morum, poteſt errare.

Secundũ ar.

¶ Secundò principaliter ſic argumentor, Sæpèſæpius ſummi Pontifices falſó ſacras literas interpretantur: ergo poſſunt errare in materia fidei. Conſequentia eſt nota: nam, ſicut ex vera Scripturæ interpretatione dogmata fidei oriuntur, ità etiam ex falſa eiuſdem Scripturæ declaratione, errores trahuntur. Antecedens vero probatur multipliciter: Nam primo, Pelagius Papa, & refertur in capite quãuis. 21. diſt. & Anacletus Papa, vt habetur in capite, Sacroſancta. 22. diſtin. probant Romanam Eccleſiã. cæteris omnibus eſſe prelatam, ex illo Matthæi. 16. Tu es Petrus, & ſuper hãc petram ædificabo Eccleſiam meam: cum tamen nihil minus in illo loco agatur, quàm de Eccleſiæ Romanæ excellentia. ¶ Item plures alij Pontifices ad probandum maiores cauſas Eccleſiæ ad Romanam ſedem eſſe deferendas, inducunt illud Lucæ. c. 22. Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, quod tamen ad rem nõ facit: nam eo in loco Dominus

minus, ſoli Petro, & non ſucceſſoribus loquebatur: vt conſtat ex eodem textu, ſubdit enim ſtatim: Et tu aliquando cõuerſus confirma fratres tuos, quæ verba, ſi ad poſteros referantur, oportet prius ſummos Põtifices fuiſſe auerſos, vt aliquando conuerſi confirmarẽt fratres ſuos: quod quidem eſt falſum. Plura alia loca, quæ videntur falſò à ſummis Põtificibus interpretata adducit Caietanus in opuſculo. 27. quæſtionum. q. vltima, ergo Papa poteſt errare in fidei determinatione. ¶ Tertio argumentor, ſi Papa nõ poſſet errare in diffinitione fidei, & morum, ſequeretur, quod fruſtra generalia Concilia cõgregarentur ad fidei quæſtiones determinandas: conſequens autem eſt falſum, & contra vſum Eccleſiæ, ergo & illud ex quo ſequitur: ſequela probatur, nã ſi ſufficit ſola Papæ determinatio, & tantæ eſt poteſtatis ſummus Põtifex in diffiniẽdo, ſicut vniuerſale Concilium, fruſtra illud congregaretur.

Tertiũ argu.

¶ Vltimò, Summus Pontifex, vt ſupra diximus, poteſt eſſe hæreticus, ergo poterit errorem, quem ipſe habuerit, proponere Eccleſiæ credendum, & ſic errare in fidei determinatione.

Vltimũ arg.

¶ His tamen non obſtantibus ad explicationem difficultatis ſit prima concluſio, Papa cum diffinit doctrinam fidei, & morum, eamque proponit toti Eccleſiæ credẽdam, nullo modo poteſt errare. Hæc concluſio eſt contra omnes doctores ſupra poſitos: illam tamen tenet D. Thom. hic, & in tractatu contra errores Græcorum cap. 67. & Caietanus in tractatu de primatu Eccleſiæ Romanæ. cap. 13. & de autoritate Papæ & Concilij. cap. 9. & Turrecremata libr. 2. ſummæ Eccleſiæ cap. 109. & Albertus Pighius lib. 4. de Eccleſiaſtica Hierarchia. c. 2. & Driedo lib. 4. de Eccleſiaſticis dogmatibus. cap. 3. & Victoria in relectione de poteſtate Eccleſiaſtica, & Roffenſ. art. 28. contra Lutherum. Et probatur primò, nam Eccleſia tenetur aſſentiri Papæ diffinienti, vt ſupra diximus, & docuimus tanquam certum, ergo Papa non poteſt errare in diffinitione fidei & morum: probatur conſequentia, nam aliàs Eccleſia vniuerſalis poſſet in errorem induci, quod eſt hæreticum. Et cõfirmatur, ad ſummũ Pontificem ſunt deferendæ cauſæ maiores Eccleſiæ, vt eas diffiniat, & determinet, ergo in eis diffiniendis errare nõ poteſt: patet conſequentia, nam aliàs de eis omnibus eſſemus dubij: & ſic alia certior regula quærenda eſſet. Antecedens autem probatur, primo ex cap. maiores, de baptiſmo, & eius effectu: vbi id expreſſè dicitur. & ex. c. quoties. 24. quæſt. 1. vbi dicitur, quod quoties ratio fidei ventilatur, ad Petrum, id eſt, ſui nominis & honoris autoritatem, referri debet. Idem etiã diffinitur in cap. ſic omnes. 19. diſt. & in. c. vrbes. 8. diſt. Quod etiam expreſſius determinat Iulius Papa in epiſtola ad Orientales Epiſcopos dicens, Conciliorum conuocandorum iura, & maiores Eccleſiæ cauſas ad ſedem Apoſtolicam, Euangelicis, Apoſtolicis, canoniciſq; inſtitutis, referre oportet. Idem etiam docet, & declarat in epiſtola ad Epiſcopos Antiochiæ congregatos. Quod & probatur diffinitione Cõcilij Niceni dicentis, quod omnes Epiſcopi in cauſis grauioribus, ad Apoſtolicam ſedem cõfugiũt, quaſi ad matrem, cuius diſcuſſioni, maiores Eccleſiæ cauſas, antiqua Apoſtolorum, & eorum ſucceſſorum traditio & autoritas reſeruauit. ¶ Item ſecundo probatur concluſio, Concilium generale non poteſt celebrari, nec congregari, niſi raro, quia maxima cum difficultate & expenſis cõgregatur: ſed cauſæ Eccleſiæ quæ graues ſunt & egent diffinitione, non raro, ſed frequenter incidunt, ergo præter Concilium, neceſſarium fuit ponere in Eccleſia alium, qui poſsit ſine errore diffinire huiuſmodi cauſas: non autem eſt alius niſi ſummus Pontifex, ergo. Tertio probatur concluſio teſtimonijs ſacræ Scripturæ. Et primo ex illo Deutero. ca. 17. vbi Dominus præcipit, omnia dubia referri ad ſummos ſacerdotes, qui docebunt omnẽ iudicij veritatẽ. Et Ioannis. 11. dicit Euangeliſta de Caypha, Cum eſſet Põtifex anni illius prophetauit. Ex quo loco colligitur, Spiritum ſanctum ita aſsiſtere ſummis Pontificibus, vt errare non poſsint. Et Lucæ. 22. dixit Chriſtus Simoni, Sathanas expetiuit, vt cribraret vos ſicut triticum, ſed ego rogaui pro te, vt nõ deficiat fides tua. Quem locum de fide Petri, in Apoſtolica ſede indefectibiliter mãſura, intelligendũ eſſe teſtantur ſancti Doctores, ſcilicet, Leo Papa in ſermone. 2. ſuæ ordinationis, & Agatho Papa in ſuggeſtione quam Conſtantino Imperatori ſcribit, & à tota. 6. ſynodo vniuerſali fuit vniuerſaliter acceptata, de quo teſtimonio videndus eſt Caietanus in Apologia cap. 14. Itẽ præterea probatur cõcluſio ex illo Matth. 16. Beatus eſt Simon Bar-iona, quia caro & ſanguis

Prima cõcl.

Papa in diffinitione fidei nõ poteſt errare.

Prima ratio.

Secunda rõ.

Tertia ratio.

Quarta rõ.

& ſanguis non reuelauit tibi. &c. In quo teſtimonio eſt primo conſiderandum, quod tēpore, quo fidei quæſtio diſcutiebatur, ſolus Petrus pro omnibus reſponſum dedit, idque ex Dei reuelatione, vt intelligeremus D. Petrum, & dignitate & aſsiſtentia Spiritus ſancti, reliquos alios Apoſtolos antecedere, quod & de ſucceſſoribus verū eſt. Secundo eſt conſideranda diligentia, quam Chriſtus adhibuit, vt omnes intelligerent, ſe, quæ diceret, Petro dixiſſe. Dicit enim, Beatus es Simon, ecce antiquum nomen, & ſubdit ſtatim, Filius Ioannis, vt intelligeremus, non de aliquo alio Simone loqui. Et ſubito ſubdit, Ego dico tibi, non Ioanni, aut Iacobo: quod tu es Petrus, nō tantum hominum opinione, ſed ſecundū rei veritatem: & ſuper hanc petrā ædificabo Eccleſiā meā: & tibi dabo claues regni cœlorum. &c. Quod quidem maximè facit ad confirmationem noſtrę cōcluſionis, nam claues ideò dicuntur, quia aperiunt nobis cœlum, id eſt, tollunt omnia illa, quę poſſunt eſſe impedimento, ne beati ſimus: ſed non minus impedimentum eſt ex parte intellectus ignorantia fidei, quā ex parte voluntatis praua affectio, ergo ſimul data eſt Petro poteſtas ad vtrumque impedimentū remouendum: atque ex conſequēti quæcunque ſoluerit, aut ligauerit Petrus, ſiue ad intellectum ſpectent, ſiue ad voluntatem, illa rata erunt & in cœlo, & ſic ſummus Pontifex non poteſt errare. *Vltima rat.* Tandem probatur cōcluſio diſſinitionibus Conciliorū, & ſanctorum Patrum: nam Boniſatius ſecūdus in epiſtola ad Eulalium dicit, Quia in ſede Apoſtòlica citra maculam ſemper eſt ſeruata religio, anathematizamus omnes, qui contra Romanam Eccleſiam ſuas erigunt ceruices. Et Agatho Papa in confeſsione fidei, quæ habetur in 6. ſynodo Coſtantinopolitana actione. 4. dicit, Hæc eſt Apoſtolica doctrina, quam Beatus Apoſtolus tradidit, cuius firmata præſidio hæc Apoſtolica ſedes nunquam à via veritatis in qualibet erroris parte deflexa eſt. Et infra, Hęc Apoſtolica Eccleſia nunquam per fidei gratiam à tramite verę traditionis errauiſſe probatur. Idem aſſerit Cyprianus in tractatu de ſimplicitate prælatorū, & libr. 1. epiſtolarum ad Corneliū, & lib. 4. in epiſtola ad Papinianū. De qua re videndus D. Cyrillus lib. 2. ſuper Ioann. c. 12. & Origenes homil. 6. ſuper Matthęū & Chryſoſt. homil. 55. in Matth. & Theophilactus commentarijs in Lucam, cap. 22. & D. Hieronymus in epiſtola ad Damaſum Papam, de nomine Hypoſtaſis. & Diuus Auguſtinus Tract. 56. ſuper Ioānem: & in epiſtola. 106. quę eſt ad Paulinum. & Diuus Thomas in lib. contra errores Græcorum: & Turrecremata, lib. 2. ſuæ ſummę cap. 107, & ſequentibus. Quo loco eandem veritatem pluribus alijs rationibus & teſtimonijs, tam Scripturæ, quàm Conciliorum probat. Et idem facit Cano de locis, lib. 6. à c. 4. vſque ad. 8. Ex quibus omnibus colligitur, ſummum Pontificem, tanquam caput Eccleſiæ errare nō poſſe in diſſinitione fidei, & morum.

Secunda concluſio.

¶ Secunda concluſio, Id, quod diximus in ſuperiori concluſione, Papam nō poſſe errare, eſt intelligendum dummodo adhibeat ſufficientem diligentiam pro qualitate quæſtionis. Itaque iſta conditionalis eſt vera, Si Papa diſſiniat nō adhibita diligentia ſufficiēti pro qualitate quæſtionis, pōt errare. *Papa diſſiniens ſine inſufficienti diligētia poteſt errare.* Quæ cōcluſio ab omnib⁹ cōceditur Et probatur primò, ex ſuaui Dei diſpoſitione, qui per apta & cōueniētia media perducit ad finē propoſitum & optatum: ſed medium opportunius, & conuenientius ad inueniēdam veritatem eſt eiuſdem diligens inquiſitio, ergo ea debet præcedere. Item ſecundò probatur ex vſu Eccleſiæ, quæ nunquam acceſsit ad veritatem diſſiniendā, niſi magna adhibita diligentia. Et cōfirmatur ex illo, qđ dicit Chriſtus Ioā. 5. Scrutamini ſcripturas, illæ enim ſunt quæ teſtimonium perhibēt de me. & Actorum. 15. quo loco, primi Concilij ab Apoſtolis celebrati ſit mentio, dicitur, quod magna & ſumma facta fuit conquiſitio, ergo ea opus eſt. ¶ Sed obijciet aliquis, nam ex hoc ſequi videtur, decreta omnium ſummorum Pontificum eſſe dubia, & incerta: ſiquidem nullo modo certi eſſe poſſumus, vtrum illa edita fuerint ſufficienti adhibita diligentia. *Obiectio.*

Tertia cōcluſio.

In quo ſit tertia cōcluſio: Quotieſcūq; ſummus Pontifex diffiniat aliquid de fide, & id proponit toti Eccleſiæ credendum: pro certo tenendum eſt, illum adhibuiſſe ſufficiētem diligentiam. Et ratio eſt, quia Deus ad quē ſpectat aſsiſterę ſummis Pontificibus, ne illis errantibus Eccleſia erret, nunquam permittet illos aliquid diſſinire, non adhibita diligentia.

Dubium.

¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco, in quo gradu ſit tenēdum, ſummū Pontificē

errare

errare nõ poſſe? In quo ſit quarta cõcluſio, Quod ſummus Pontifex errare nõ poſsit, non eſt de fide, eſt tamen adeò certum, vt contrarium dicere ſit graue peccatum, & errori proximum. Et quidem quòd non ſit de fide probatur, nam nullibi inuenitur expreſsè diffinitũ. Quod autem ſit graue peccatum id negare, probatur, nam ea opinio præbet cauſam ſchiſmatis, & inobedientiæ cõtra ſummos Pontifices: & planè perturbat totum ordinem Eccleſiæ. Et eſt erronea, quia aduerſatur communi ſenſui & ſentẽtiæ doctorum, quos ſupra poſuimus, & pluriũ aliorum idem aſſerẽtium. Quin potius Melchior Cano libr. 6. de locis. c. 7. addit, quòd ipſe non appellat hæreticum eum, qui tenuerit contra noſtram concluſionem, quia non vult præuenire iudicium Eccleſiæ: cum tamen certò credat, quod ſi ad Concilium generale talis quæſtio deferretur, hæreſis nota inureretur quicunque diceret, Papam in rebus fidei diffiniendis errare poſſe.

Ad. 1. arg. de controuerſia Nicolai et Ioã. XXII.

¶ Ad primum argumentum reſpondetur negãdo antecedens, & ad primam probationẽ ex cõtradictione Ioãnis. XXII. & Nicolai. III. reſpondetur, illos Pontifices ſecum nõ pugnare, ſed idem prorſus ſentire: nam Chriſtus Dominus quodam tẽpore poſſedit aliquid in communi, idq; diffinit Ioãnes. XXII. ceterũ alio tẽpore nihil prorſus habuit, nec in communi nec in particulari, & hoc determinat Nicolaus Papa. Quod, vt intelligatur, notandum eſt, cum Turrecremata. 2. lib. c. 112. quod duas paupertates legimus Chriſtum ordinaſſe, conuenientes exercitijs perfectorum. Primam pro illis, qui prædicaturi mittendi erant in Iudæã, & erat, nihil proprium habere ſub cœlo, nec in communi, nec in particulari.

Duplex paupertas à Chriſto inſtituta.

Vnde mittẽs Dominus diſcipulos ad prædicandũ Matth. 10. dixit illis, Nolite poſſidere aurum, nec argentum, nec pecuniam in zonis veſtris, non peram, nec duas tunicas, nec calciamenta, nec virgam. &c. Hoc autem præcepit Dominus Apoſtolis, vt dicit D. Hieronymus, ne cauſa lucri, & non cauſa ſalutis prædicare viderentur. Secunda paupertas eſt pro illis, qui fixi permanſuri erant in cõgregatione fidelium, & hæc eſt nihil habere, in particulari proprium, bene tamen in cõi. De qua Actorũ. c. 4. dicitur, Multitudinis autẽ credentiũ erat cor vnũ, & anima vna, nec quiſquã eorũ, quæ poſsidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat: ſed erant illis omnia cõmunia. Hoc ſuppoſito dico, quod Chriſtus volens vtramque paupertatem approbare, aliquãdo tenuit primam, nihil penitus habens, nec in cõmuni nec in particulari, ſed viuebat ex eis, quæ deuotæ fœminæ eũ ſequẽtes, ſibi, & Apoſtolis miniſtrabant, vt habetur Lucæ. cap. 8. Et hoc eſt, quod Nicolaus III. diffinit. Secundã autem paupertatem approbauit Chriſtus exemplo, loculos habens, in quibus ſeruarentur ea, quæ ei dabãtur ad ſui & ſuorum neceſsitates ſubleuandas, vt patet ex Ioan. c. 13. vbi dicitur, quod Chriſtus dixit Iudæ, Quod facis fac citius: hoc autẽ nemo ſciuit diſcũbẽtiũ, ad quid dixerit ei: quidã enim putabant, quia loculos habebat Iudas, ꝙ dixiſſet ei Ieſus, eme ea, quæ opus nobis ſunt ad diem feſtum, aut egenis vt aliquid daret. Ex quo colligitur Chriſtum eo tempore, aliquid in cõmuni poſsidere: & hoc eſt quod diffinit Ioãnes. XXII. De qua re videndus eſt Turrecremata lib. 2. c. 112.

Ad aliud I Celeſtino III.

¶ Ad aliud ex Celeſtino III. reſpondetur notãdo, quod duplex eſt error, vnus perſonalis alius iudicialis. Error perſonalis eſt priuatus cuiuſq; error: iudicialis autem eſt publicus: verbi gratia, edidit Innocẽtius commẽtaria in libros decretalium, ſi quid in his erratum fuerit, priuati, nimirum, hominis error erit, non Pontificis: quamuis à Pontifice erant ea commentaria edita. Cæterum ſi idem Innocentius in iudicandis quæſtionibus fidei, aliquid diffiniret, quod re vera eſſet falſum, talis error nõ particularis, ſed Põtificis, vt Pontifex, ac proinde iudicialis eſſet appellãdus.

Duplex error vnus perſonalis alter iudicialis.

Hoc ſuppoſito dico, quòd Celeſtinus non diffiniuit, quod altero coniugum in hæreſim lapſo, matrimonium diſſoluitur, nec id dicitur in cap. quanto, in quo tantum habentur quædam verba Innocentij III. aſſerentis, ꝙ tale matrimonium non dirimitur, licet aliqui eius prædeceſſores aliter ſenſiſſe videãtur, quod de Celeſtino III. intelligendũ docet Hoſtienſis: ſentire autem nõ eſt diffinire: & ſic ex eo loco tantum colligitur, eum aliquãdo habuiſſe illam opinionem, nunquã tamen eam, vt Põtifex, diffiniuit: quod non eſt inconueniens. Et eodem modo reſpondetur ad illud ex cap. licet, de ſponſa duorum, iudicare enim, non eſt diffinire in illo loco, ſed ſentire, aut opinari: quod non eſt inconueniens.

Ad illud I controuerſia Nicolai & Pelagij.

¶ Ad aliud de contradictione Nicolai, atque Pelagij ſuper baptiſmum in nomine Chriſti

Chiſti factum reſpondetur, quod neuter ib Pontifex illam controuerſiam diffinit: mos enim erat ſummorum Pontificum, interdum ad priuatos huius, vel illius Epiſcopi quæſtiones reſpondere: nõ ſententiam ferendo, ſed ſuam ipſorum opinionem de rebus propoſitis explicando, quod & illis locis contigiſſe iudico. Et, vt de Pelagio taceamus, quòd Nicolaus id non diffinierit, probatur, non enim illi propoſita fuerat quæſtio, an baptiſmus in nomine Chriſti collatus eſſet validus, necne: ſed an baptizatus à Pagano, vel Iudæo, verũ ſacramẽtũ baptiſmi ſuſciperet: et obiter cũ huic quæſtioni propoſitæ reſponderet, de ſuo, non interrogatus adiecit: ꝙ baptiſmus in nomine Chriſti confertur: quia in re ſalli ſine dubio potuit, imò falſus eſt.

Ad illud de D.Greg. ¶ Ad aliud ex Gregorio reſpondetur, quòd ſolum loquitur de illa fœmina, quæ, antequam cõtraheret matrimonium, erat inepta ad reddendũ debitum: huiuſmodi enim matrimonium nullum eſt, vt cum fœmina eſt frigida vel maleficiata. &c. Et quòd hoc ita ſit, probatur ex eodem Gregorio, qui ſuam ſententiam atque mentem explicat ad Rauennatem Archiepiſcopum ſcribens, vt habetur in decret. 33. quęſt. 1. cap. requiſiſti. & dicit, Requiſiſti de ijs, qui ob cauſam frigidæ naturæ dicunt ſe non eſſe inuicem. &c.

Ad illud de Alex. III. ¶ Ad aliud ex Alexandro III, qui conſuetudinem illam, etiam ciuili lege cõformatam, quæ teſtamenta minus ſolennia irritat, reprehendit, & dicit, eam eſſe alienam à diuina lege, & à Patrum inſtitutis &c. vt reſpõdeamus ſupponẽdum eſt primo, ꝙ Alexãder. III. in eo loco, ex Põtificia autoritate loquitur, atque determinat: prohibet enim ibi ſub interminatione anathematis, ne quis huiuſmodi audeat reſcindere teſtamẽta: & in. cap. proximè ſequenti, præcipit iudicibus, vt in id genus cauſis tres duos vè tantum teſtes exigant, nec ciuiles leges nec canonica decreta ſequantur. Quæ quidem niſi à Potifice, pontificia autoritate loquente, dici non poſſent. Ex quo manifeſtè ſequitur, falſam eſſe eorum interpretationẽ qui dicunt, Alexandrum III. non, vt ſummum Pontificem, ſed ex propria ſentẽtia loquutum fuiſſe in illo cap. cum eſſes de teſtamentis.

Primum præſuppoſitum.

Secundũ præſuppoſitum. ¶ Secundò eſt ſupponendum, nõ eſſe aliquod præceptum euangelicum, ſeù diuinũ, quod præcipiat, vt omnes cauſæ tribus duobus vè tantum teſtibus abſoluantur: alioqui nõ ſolùm Imperatores præcipientes, vt teſtamenta non valeant, niſi quæ fuerint ſeptem teſtibus obſignata: ſed etiam Leo IIII. in cap. præſul, & in cap. nullam. 2. q. 5. & Syluester in cap. 3. ſynodi Romanæ, legem Deo atque euangelio contrariam edidiſſent. Decreuerunt enim hi Pontifices, vt niſi in ſeptuaginta duobus teſtibus Epiſcopus non damnetur, quod tamen nulla ratione eſt dicendũ. Sed his duobus tãquam veris præſuppoſitis, maxima cõſurgit difficultas: qua ratione verum eſſe poſſit, quod Alexander affirmat, ſcilicet, quod lex ſeù conſuetudo, quæ teſtamenta in duobus, vel tribus teſtibus facta reſcindit, atque irritat, eſt contraria diuinæ legi, & patrum inſtitutis, atque generali Eccleſiæ conſuetudini? Quod vt explicent iuris periti aduertunt, quod in decretis ſummorum Pontificum duo poſſumus diſtinguere: vnum, quod ſe habet tanquam intentio & concluſio decreti: alterum autem, quod ſe habet tanquam ratio & cauſa reddita à Põtifice eius rei, quam ſtatuit, atque decernit. Inter quæ hoc eſt diſcriminis, quod in concluſione ſummi Põtifices errare non poſſunt, ſi fidei quæſtionem, tanquam Põtifices determinent. Cæterũ in rationibus ſępeſępius errant: nec omnes ab ipſis adductæ ſunt neceſſariæ, nedum apertæ, probabiles, & idoneæ. Hoc ſuppoſito dico, ꝙ Alex. III. in illo cap. cùm eſſes. non determinat, conſuetudinem irritandi teſtamẽta duobus vel tribus teſtibus facta, eſſe cõtra legem diuinam: ſed tãtum præcipit, vt in legatis pijs duo tantum vel tres teſtes à iudicibus exigantur. Et hæc eſt concluſio illius decreti: nec dubium eſt, quin ſummus Pontifex rem hãc ſuo iure præſcribere potuerit. Reliquum autem, quod ſubdit ſcilicet, quia à diuina lege, & ſanctorum patrum inſtitutis, & à generali Eccleſiæ cõſuetudine, id noſcitur eſſe aliẽnũ: ad rationem & cauſam potiùs pertinet, quam ad concluſionem: & ſic non eſt multum immorãdum in illius explicatione, ſiquidem maniſeſtè cõſtat, quod Põtifices in huiuſmodi cauſis ponendis quandoque falluntur. Hæc dicunt communiter iuris periti.

Sententia iuriſprudẽtiũ.

Sententia autoris. ¶ Ego tamẽ potiùs dicerẽ, quod eo in loco nec errauit Alex. III. in concluſione, nec in rationibus & cauſis. Et quidem, quod non errauerit in concluſione, eſt res manifeſta: ſiuè dicamus, quod loquitur tantum in legatis pijs, ſiuè, vt alij exponunt, quod imponit legẽ ſuis in vtroq; foro ſubiectis:

qua vult, vt iudices, etiam laici, in Eccleſiæ patrimonio, non ſecundum Imperatorum leges, ſed ſecundum ſtatuta canonum, iudicent de teſtamentis: ſicque tantũ exigãt in illis, duos vel tres teſtes, nõ obſtantibus quibuſcũq; legibus ciuilibus, quibꝰ Imperatores aut Reges, in regionibus ſibi ſubiectis, vtantur: vtrunque enim Alex. III. iure ſuo præcipere poterat. Quod autem nec etiam errauerit in rationibus, probatur: nã quamuis non ſint neceſſariæ, nõ tamẽ ſunt prorſus ineptæ. Cõſuetudo enim, quæ plures, quam duos vel tres teſtes, poſtulat in teſtamentis, primùm eſt aliena à diuina lege veteris, ſcilicet, inſtrumenti, quæ duos tantum vel ad plurimũ tres teſtes exigebat, vt conſtat ex illo Deuteronomij. c. 17. In ore duorum vel trium teſtium ſtet omne verbum. Eſt etiam aliena à Patrum inſtitutis, hoc eſt, à more & iure canonico, ſecũdum quod in rebus, præſertim tẽporalibus, duo tantũ teſtes ſufficiunt. Ac demũ eſt aliena à generali Eccleſiæ cõſuetudine, quæ ſemper in huiuſmodi cauſis duobus vel tribus teſtibus fuit contenta: dicitur autem aliena non quaſi contraria, ſed tanquam noua & extranea. Quod ſi hãc veteris legis, ac iuris canonici cõſuetudinem, principes ſeculares in ſuis tribunalibus ſequi noluerint: ſed, vt fraudes tollant, maiorem teſtium numerũ, in teſtamentis ſuorum ciuium, exigere voluerint: id liberè efficere poterunt, nec Alex. III. contrarium dicit per illam epiſtolã decretalem, quæ ſolum loquitur de legatis pijs: vel tantum ligat eos, qui Eccleſiæ, in vtroque foro, fuerint ſubiecti, ad modum iam explicatum.

Ad. 2. argu. ¶ Ad ſecũdum argumentum principale reſpondetur negando antecedens. Et ad probationẽ dico, rectiſsimè illos ſummos Pontifices, ex locis adductis in argumẽto, collegiſſe Romanã Eccleſiam cæteris omnibus eſſe prælatam: & quod ſummæ cauſæ Eccleſiæ ad ipſum Romanum Pontificem ſunt deferendæ: quamuis maxima ſit difficultas in explicanda vi, quam habent huiuſmodi argumentationes: Chriſtus dixit Petro, Tu es Petrus, & ſuper hãc petrã ædificabo Eccleſiam meam, ergo Romana Eccleſia cæteris omnibus eſt prælata: & Chriſtus dixit Petro, Ego rogaui pro te, vt nõ deficiat fides tua: ergo ſummæ cauſæ Eccleſiæ ſunt deferendæ ad ſummum Pontificem: quæ quidem ab illis ſummis Pontificibus fiunt locis adductis in argumento.

Vnde ad huius rei intelligentiã eſt aduertendum primò, quod, vt communiter docent omnes ſacri doctores, ea, quæ in Euangelio dicta ſunt Petro, non, vt homini priuato, ſed vt Eccleſiæ præfecto, ad ſucceſſores etiã in ſenſu literali pertinere ſunt intelligenda: & quæ Dominus Apoſtolis commendauit æquè cõgruentia omnibus fidelibus, eadem futuris Chriſtianis omnibus, in ſenſu literali, ſunt commendata, vt Chriſtus explicauit Marc. 13. dicens. Quod vobis dico, omnibus dico, vigilate. Et quæ Dominus Apoſtolis dixit ad ipſos pertinẽtia, quatenus Eccleſiæ ſacerdotes, hæc non ad fideles omnes, ſed ad reliquos futuros in Eccleſia ſacerdotes, referuntur: quale eſt illud Lucæ. 22. Hoc facite in meam commemorationẽ. Et quæ Chriſtus eiſdem, quatenus Eccleſiæ paſtores futuri erant, mandaſſe legimus: hæc Epiſcopis, & paſtoribus ſuccedẽtibus ad literam credimus eſſe mãdata: quale eſt illud Matth. 18. Quæcũque ligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlis: quo loco de poteſtate excõicãdi eſt ſermo, & ad prælatos Eccleſiæ tantũ dicta eſſe intelligimus. Ex quo infertur, quod ea, quæ Petro in Euãgelio dicta ſunt, aptè ac prudẽter ſunt diſtinguenda. Nã ſi quid illi, vt priuato, congruit, hoc ad ſingulos fideles ſpectare intelligemus, cuiuſmodi eſt illud, Si peccauerit in te frater tuus. &c. ſin verò quidquam illi conuenit, vt Apoſtolorũ principi, & Eccleſiæ paſtori, hoc ad ſuccedentes in Põtificatu, in ſenſu literali ſunt ſimiliter referenda: namque, quæ legiſlator ſuis delegatis præſcripſit, nõ ad eum ſolum, cui viua voce loquitur, ſed ad cæteros quoſq; qui eidem in eodem officio ſuccedunt, referri debent. *Nota. 1.*

¶ Secundò eſt aduertendum, quod quãuis non ſit per ſe in ſacris literis reuelatum, Romanum Pontificem Petro ſuccedere iure diuino, eſt tamẽ ità certum ex hiſtorijs grauiſsimis, & ſacrorum doctorũ teſtimonijs, necnon ex traditione vetuſtiſsima Eccleſiæ, vt contrarium dicere ſit manifeſta hæreſis. Ea enim, quæ ad fidẽ noſtram ſpectant, non ſolum ſcripto, ſed etiam traditione continentur. Vnde, licet Romanos Epiſcopos Petro ſuccedere, in ſacris literis non habeatur ſcriptum: ab Apoſtolis tamẽ Eccleſiæ, quaſi per manus traditum eſt: & ſic eos eſſe Chriſti vicarios, & veros Petri ſucceſſores, de fide tenendum eſt. Et quidẽ quod Romanus Pontifex ſuccedat Petro, *Nota. 2.*

per

per traditionem habeatur, docet Anacletus Petri diſcipulus in epiſtola. 1. de oppreſsione Epiſcoporũ:& Sixtus.I. ad Gallicanas Eccleſias: & Eleutherius ad eaſdẽ: & plures alij, quos refert Cano lib. 6. de locis. c. 8. ad. 10. arg. Et huius rei eſt euidens ſignũ, quod ante quemcunque, poſt Neronem, Imperatorem: & ante quodcunque Concilium Eccleſiæ: & ante quoſcunque, poſt Petrum Pontifices maximos, ſemper à viris Eccleſiaſticis Romanus Pōtifex Petri ſucceſſor ſit agnitus: vnde de fide eſt, Romanum Pōtificem eſſe verum Chriſti ſucceſſorem. Ex quo colligitur, quod ea, quæ Chriſtus Petro dixiſſe legitur, tanq́ capiti & vniuerſali Eccleſiæ paſtori, de Romano Pontifice in ſenſu literali ſint intelligenda, iuxta regulam modo traditam. His poſitis manifeſtè colligitur, qualiter ex eo, quod Chriſtus dixit Petro, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meã rectè colligatur in ſenſu litterali, Romanam Eccleſia cęteris omnibus eſſe prælatã. Nam cum in illis verbis Chriſtus loqueretur Petro, vt paſtori futuro totius Eccleſiæ atq; ex cõſequenti, verba illa ſint extendẽda ad veroſillius ſucceſſores, quales ſunt Romani Pontifices, ad modum iam explicatum: benè ſequitur, ipſam Romanam Eccleſiam eſſe eam, quam Chriſtus ſupra Petrum fundauit: atque ex conſequenti, eſſe cæteris omnibus præferẽdam. Et ſimiliter cũ Chriſtus verba illa, Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, Petro dixerit, vt paſtori vniuerſali Eccleſiæ, atque ex conſequẽti, cæteris omnibus veris ſucceſſoribus Romanis Pōtificibus, quiquidem, vt ex illo textu conſtat, errare non poſſunt in rebus fidei & morum, ſufficiẽter colligitur, ſummas cauſas Eccleſiæ ad Romanum Pōtificem eſſe deferendas, tanquam ad regulã infallibilem, & quod ſine errore quod iuſtum & rectum eſt iudicabit. Nec obſtat, q̃ adiecit ſtatim Chriſtus, Et tu aliquando cõuerſus cõfirma fratres tuos, hæc enim ad ipſum, vt priuatam perſonam, & de facto particulari ipſius dicta eſſe, ſunt intelligenda: & ſic non opus eſt, vt de ſucceſſoribus verificentur: ſicut nec illud, Amẽ dico, tibi, quia antequam gallus cantet, ter me negabis: continet enim factum particulare Petri, non obſtante, quod in eodem contextu plura contineantur, quæ ad ipſum vt paſtorem ſunt referẽda. ¶ Ad tertium argumentum reſpondetur negando ſequelam,

Ad. 3. arg.

& ad probationẽ dico, quod non propter ſolam poteſtatem diffiniendi Concilia congregantur, ſed propter collationẽ, & diſcuſſionem quæſtionum fidei cũ multitudine vniuerſali virorum ſapientum: & vt ſic in rebus fidei iudicandis, habeantur iudices indubitabiles ab omnibus acceptati, & omni exceptione maiores: & etiã propter alias plures cauſas, & commoditates, quæ ex celebratione conciliorũ ſequuntur Eccleſiæ. Nam quanuis Papa tantæ ſit autoritatis in diffiniendo, Ac ipſum Concilium, quod Papam continet: non tamen eſt tantæ ſapientiæ, nec tantæ acceptationis indubitatæ ab omnibus, vt ex opinione contrariũ ſentientium conſtare poteſt: nec item tantæ ſolennitatis, præſertim, quod, vt ſupra diximus, ſi ſummus Pōtifex nõ adhibeat ſufficientẽ diligentiam ad determinandã quæſtionem fidei, poterit errare: maior autem diligentia, quæ in his rebus adhiberi poteſt, eſt Concilium vniuerſale, quo res & difficultates diſputantur maxima cum eruditione, auditis omnium ſententijs: & ſic patet, quod Concilia ſunt maximè neceſſaria. ¶ Ad vltimum reſponderi poteſt dupliciter, iuxta duas opiniones, quæ poſſunt eſſe de Papa hæretico. Prima eſt, q̃ eo ipſo, quod Papa eſt hæreticus, iure diuino eſt depoſitus, & ſic Eccleſia, cum exterius illũ deponit, nihil aliud facit, quam declarare eſſe depoſitum. Ita tenet Turrecremata libr. 4. ſuæ ſummæ part. 2. c. 18. & 19: & Auguſtinus de Ancona in li. de poteſtate. Papæ. q. 5. artic. 1. & Silueſt ver. Papa. 4. num. 4. & Driedo de libertate Chriſtiana libr. 1. c. 4. & Caſtro de iuſta hæreticorum punitione. cap. 22. & 23. Huius opinionis præcipuum fundamentum eſt, quia papalis dignitas fundatur in fide, iuxta illud Matth. c. 16. vbi Petro verã fidem confitẽti dixit Chriſtus, Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Super hãc petram, id eſt, tuã fidei confeſsionem. Et ſic iuxta hanc opinionem facile eſt reſpondere ad argumentum. Nam quamuis Pontifex hæreticus diffiniat ſuum errorem, & illud proponat Eccleſiæ credendum, non tamen inde ſequitur, quod ſummus Pōtifex poteſt errare: nam ille hæreticus Pontifex iam nõ eſt Papa: cum iure diuino fuerit depoſitus, eo ipſo, quod incidit in hæreſim.

Ad vltimũ argum.

¶ Altera opinio eſt Caietani in opuſculo de poteſtate ſummi Pontificis cap. 18. & 19. quod Papa non ipſo facto, quod ſibi

tur in hæreſim eſt depoſitus, ſed eſt deponendus ab Eccleſia. Et ratio eſt: quia videtur valde durum, q̄ tota Eccleſiæ guberna tio, & iuriſdictio pẽdeat à fide interiori vni us hominis, quæ nullo modo cognoſci po teſt: & ſic ſemper Eccleſia haberet iuſtam cauſam dubitandi, vtrum eſſet deſtituta ſi deli Pontifice necne. Et ſecundũ iſtam opi nionem, quæ proculdubio eſt probabilior & rationabilior, ad argumentum reſpondetur negãdo conſequentiam. Et ratio eſt, quia Spiritus ſanctus qui aſsiſtit ſummo Pontifici, nõ quatenus perſona priuata eſt (vnde ſic poteſt errare) ſed quatenus perſona publica, non permittet illum errare in diffiniendo: quia cum diffinit, gerit perſonam publicam: & vt ſic nunquam fuit in Eccleſia Papa hæreticus.

Dubium. ¶ Sed, quia, vt ſupra diximus, Papa vt priuata perſona poteſt errare, & nõ vt perſona publica: dubium conſequens eſt, qui bus notis atque ſignis cognoſcere poſsim quando ſummus Põtifex loquatur, vt per ſona publica, & quando vt priuata perſona? Ad cuius explicationem dico breuiter, quod id cognoſcere poſſumus multipliciter, Primò, ex verbis adiunctis. Nam quan do Papa vtitur his verbis, decernimus, ſen timus, mandamus, &c. dicendum eſt, quod loquitur, vt perſona publica: hæc enim omnia autoritatem important, quæ tantũ perſonæ publicæ conuenit. Secũdò poteſt cognoſci ex pœna adiũcta, vt cum, ſcilicet, eos, qui contrarium, vel dixerint, vel fecerint anathemate percutit: quia pœnã impo nere, proprium eſt eius, qui ſua vtitur poteſtate & iuriſdictione. Tandem id poſſumus cognoſcere ex euentu, tanquam à poſteriori, ſcilicet, ex conſenſu Eccleſiæ ſubſequente. Nam cum Eccleſia vniuerſalis aliquid ſuſcipit, cum ipſa errare nõ poſſit, hoc ipſo ſatis declaratur, id aſſertũ fuiſſe, atque propoſitum à Pontifice non hæſitã do, ſed diffiniendo, & tãquam perſona pu blica: quamuis in illis verbis nec pœna imponatur, nec vtatur verbis iuriſdictionis. Et hæc de iſta difficultate.

Signa, ad cognoſcendũ, quando Papa loquitur vt p̄ſona publica.

Dubium. ¶ Eſt aliud dubiũ, vtrum ſummus Pon tifex poſsit errare in canonizatione ſancto rum? quod eſt quærere, vtrum ſummus Põ tifex aliquem poſsit in numerum ſancto rum referre, qui tamen re vera non ſit ſanctus, ſed damnatus? De qua re eſt ſententia D. Antonini Archiepiſcopi Florẽtini in 3. parte. tit. 12. capi. 8. & Driedonis libr. 4. de dogmatibus cap. 1. & aliorum doctorum aſſerentium quod ſummus Pontifex in ca nonizatione ſanctorum errare poteſt. Præ cipuum fundamentum huius opinionis eſt, quia ſummi Pontifices, in huiuſmodi rebus ordinandis & iudicandis, vtuntur teſtimonijs humanis & fallacibus, ergo poſſunt errare.

Prima concl. ¶ Hoc tamen non obſtante, ad explicationem difficultatis ſit prima cõcluſio, Di cere quod Eccleſia, vel ſummus Pontifex, nõ poſſunt aliquem ſanctum canonizare, eſt aperta hæreſis. Ita aſſerit Vbaldenſis to mo. 2. cap. 122. contra Vvitcleff. Et probatur primo, ex perpetuo vſu Eccleſiæ. Item præterea, quia ſi Eccleſia nõ poſſet ſanctos canonizare, nec poſſet illos venerari: hoc autem eſt hæreticum, vt docet Caſtro de hæreſibus, verbo ſanctus, ergo.

Secunda cõcluſio. ¶ Secunda cõcluſio, Summus Pontifex non poteſt errare in canonizatione ſancto rum: & contrarium dicere eſt periculoſum & falſum. Hæc concluſio eſt D. Tho. quot libeto. 9. art. vltimo: & Vvaldenſis loco citato, & Silueſtri, verbo canonizatio, & Alphonſi à Caſtro de iuſta hæreticor. pun. lib. 1. cap. 6. Et probatur, nam proculdubio eſſet turpiſsimus error, ſi Eccleſia haberet pro ſancto hominem nequam in inferno exiſtentem. Item, quia ſummus Pontifex, vt ſupra probauimus, in ijs, quæ ad mores ſpectant non poteſt errare: ſed ſcire, quinã ſint colendi, vel non, maximè pertinet ad mores, ergo.

Tertia concl. ¶ Tertia concluſio, Dicere, q̄ ſummus Pontifex de facto errauit in ſpeciali huius vel illius ſancti canonizatione, eſt ſententia valde temeraria: & ſi intelligas de illis ſanctis, quos antiquitas cõprobauit, certè ſententia erit hæretica, vel proxima hæreſi. Probatur, quia qui id affirmaret, antepone ret ſuum iudicium toti Eccleſiæ, quæ maxima diligentia hoc facit: qui quidem eſt grauiſsimus error, & hæreſi proximus.

¶ Et ad argumẽtum in contrariũ factũ reſpondetur conceſſo antecedenti, negando cõſequentiam, nam licet ſit verum, quod teſtimonia humana interdum ſunt falſa: tamen ſummus Pontifex nunquam adhi bet fidẽ illis, niſi cum ſunt vera: & ſpectat ad curam, & aſsiſtentiam Spiritus ſancti, vt non permittat illum errare, dum nititur teſtimonijs humanis.

Dubium. ¶ Eſt aliud dubium, vtrum Papa poſsit errare in approbãda aliqua religione? Ad

quam

quam difficultatem Cano libro. 5. de locis. c. 5. circa finem, reſpondet affirmatiuè. Quam ſuam ſententiam probat primo ex Cõcilio Lugdunenſi, & habetur in cap. religionum, de religioſis domibus in. 6. vbi dicitur, quod Cõcilium quoſdam ordines, etiam per ſedem Apoſtolicam approbatos tanquam Eccleſiæ, vel noxios, vel inutiles abolendos eſſe, ità decreuit, vt nulli deinceps ad illorum poſſeſsionem admittãtur. Item etiam Celeſtinus. V. approbauit religionem Fratricellorũ, quam tamen poſtea Bonifacius, ex certis, & rationabilibus de cauſis reprobauit. Et Paulus III. dicitur ſuis literis approbaſſe ordinem, quem in Italia frater Baptiſta Cremẽſis inſtituit, cum tamen nuper ordo ille Venetijs, publico edicto, fuerit exploſus: & doctrina eiuſdem Baptiſtæ Romæ cõdemnata, ergo ſummus Pontifex in approbanda religione poteſt errare.

Sententia Cani.

Sententia autoris.

¶ His tamen non obſtantibus, meo iudicio, ad propoſitam difficultatẽ ſub diſtinctione erat reſpondendum, notando, quod de vnaquaque religione duo poſſumus cõſiderare. Primum eſt, vtrum eius regula, atque leges contingant aliquid illicitum: Secundum autem, vtrum talis regula, vel leges, ſint cõuenientes huic tempori: & his hominibus cum alijs debitis circũſtantijs? Quo ſuppoſito dico, quod quãtum ad primũ certum eſt, quod Papa, cum approbat aliquam religionem, nõ poteſt errare, quia cum id quodammodo pertineat ad diſfinitionem morum, ſi ille erraret, erraſſet quidem in diffinitione morũ, quod eſt abſurdum. Vnde dicẽdum eſt, quod cum Papa approbat aliquam religionem, eo ipſo credendũ eſt, quod in eius regula, vel legibus, non continetur aliquid, quod ſit illicitum, aut contrarium legi Euangelicæ. Cæterum quantum ad ſecundum dico, quod Papa poteſt errare, & ratio eſt: quia illud pertinet ad prudentiam humanam, quæ, vt recta ſit, indiget pene infinitarum rerum cognitione, & conſideratione. Ex quo ſit, vt cum Papa approbat aliquam religionem, non teneamur credere, quod eius leges & ſtatuta ſint conuenientia, & vtilia, conſideratis omnibus circunſtantijs, temporis, & loci: & hoc pacto eſt intelligendus Cano, cũ dicit, quod Papa poteſt errare in approbatione alicuius religionis. Hoc loco erat diſputandum, ſuppoſito, quod nec Concilium nec Papa poſſunt errare in diffinitione fidei & morum: vtrum horum diffinitiones eſſent numerandæ inter ſacras ſcripturas? Sed de hoc infra dicemus commodiùs, cum de ſacra ſcriptura fuerit ſermo.

De ſacra Scriptura.

EX quatu[illegible]imus poſſ[illegible]re, pene[illegible]eſtas diffi[illegible]di de rebus fidei ſine err[illegible]cleſia, de Cõcilijs, de Pa[illegible]criptura, abſoluimus tres p[illegible]es: & ſic tãtum reſtat, vt de Scr[illegible]amus. Ad cuius intelligẽtiam ſup[illegible]um eſt, ſacram Scripturã, ex comm[illegible]omnium doctorum ſententia eſſe illã, quæ eſt à Deo autore, ſiuè quia ipſe ſolus illã ſcripſit, ſicut digito ſuo legitur ſcripſiſſe decalogum in duabus tabulis: ſiuè, quia ad id vſus fuerit alicuius hominis miniſterio: vt in omnibus alijs libris ſacris factum credimus. Ex quo manifeſtè ſequitur, ad hoc, vt aliqua ſcriptura ſit ſacra, opus eſſe, vt ex diuina inſpiratione ſit ſcripta. Sed cũ tripliciter poſsit contingere q̃d aliquid dicatur ſcriptum ex diuina inſpiratione, Primo, quia id, quod ſcribitur eſt occultum ſcriptori, & ex Dei reuelatione ſit notũ. Secundò, quia quanuis res, quæ ſcribuntur ſint notæ ſcriptori, ipſe tamen, cũ accedit ad ſcribendũ, fouetur quadam ſpeciali aſsiſtentia Spiritus ſancti, ne in ſcribẽdo, vel malitia animi, vel obliuione decipiat, vel decipiatur, & ſic, vel addat aliquid falſum, vel prætermittat neceſſarium. Tertiò, quia quãuis id ſit notum ſcriptori, mouetur tamẽ, & inſtigatur à Deo, ad hoc, vt velit illud ſcribere, & literis mandare. Cũ inquam, his tribus modis poſsit cõtingere quod aliquid dicatur ſcriptũ ex diuina inſpiratione, meritò poſſemus dubitare, quidnam horum ſit neceſſarium, ad hoc, vt aliqua ſcriptura ſit ſacra. De qua re ſunt variæ doctorum ſententiæ. Sed quoniam mihi non eſt in animo, longam de hac re texere diſputationem: ſed illam relinquere ſapientiſsimo Magiſtro meo fratri Ludouico Legionẽſi ſacrorum Bibliorum cathedræ, in hac inclyta Salmãticenſi Academia, meritiſsimo præfecto: qui de hac re, & de alijs pluribus ad ſacram ſcripturam pertinẽtibus eruditiſsimos parat edere tractatus, ad quos, velut ad diuinũ oraculum

videmus tamē quod oppoſitum omnes doctores curioſe & religioſe faciunt, non arbitrantes ſe in hoc errare: ſignum ergo eſt, ꝙ Spiritus ſanctus in Scriptura ſacra, non ſolum ſententias, ſed etiam ſingula verba dictauit. Et cōfirmatur, quia alias ſequeretur, nullum eſſe diſcrimē inter ſacram Scripturam, & diſſinitiones Conciliorum, conſequens autem eſt falſum, vt conſtat, ergo & illud ex quo ſequitur. Probo ſequelam, quia certum eſt, Spiritum ſanctum ità aſsiſtere patribus in Concilio, vt ſententiam inſpiret, nec permittat illos diffinite aliqd, vel falſum, vel inutile.

Primum corollarium.

¶ Ex dictis infero primò, quòd omnia, quæ continentur in ſacris literis, ſunt vtilia, & publicæ, & priuatæ vtilitati. Nam cum omnia, quæ cōtinentur in ſacris literis, ſint ſcripta Spiritu ſancto mouente, & impellente ſcriptorem ad ſcribendum, vt iam diximus, & Spiritus ſanctus nihil poſsit agere temerè, & ſine magna cauſa, manifeſtè ſequitur, ꝙ omnia debent eſſe vtilia & publicæ & priuatæ vtilitati: quod etiam docet Paulus. 2. ad Timoth. c. 3. dicens, Omnis ſcriptura diuinitus inſpirata vtilis eſt, ad docēdum, ad arguēdum, & corripiendum. &c.

Secūdum corollarium.

¶ Infero ſecundò, quòd ea tantum dicetur Scriptura ſacra, quæ Deo ſpecialiter ſcriptoris voluntatem mouente, & intellectum dirigente, & non ſolum ſententias, ſed etiam ſingula verba ſuppeditante, fuerit ſcripta ad publicam & priuatam vtilitatem.

Tertium corollarium,

¶ Infero tertiò, quod omnia, quæ continentur in ſacra Scriptura, ità erunt vera, ut nulla ratione liceat de illis dubitare: nam cum ſint ſcripta Spiritu ſancto dictante, non ſolum ſentētias, ſed etiam verba, qui mentiri non poteſt, vt in ſuperioribus explicauimus, nulla ratione fieri poterit, vt falſa inueniātur.

Quartum corollarium.

¶ Infero quarto, quòd ſacra Scriptura eſt habenda, tanquam menſura & regula infallibilis, non ſolum eorum, quæ pertinent ad fidem, ſed etiam omniū aliarum ſententiarum. Itàque ſecundum ipſam, quidquid fuerit, vel in Philoſophia tam naturali, quam morali: vel in omnibus alijs ſcientijs, & artibus, erit interpretandum: ſacra enim Scriptura, longiſsimè diſtat ab eo, vt mentiri poſsit. Et ſi quis quærat, quinam libri ſint illi, qui ad ſacram Scripturam pertinent? reſpondeo, quòd ſunt omnes illi, qui in ſacro Concilio Tridentino ſeſsione. 4. enumerantur. De qua re videndus Driedo, libr. 1. de cathalogo ſacrorum librorum. Et hæc dicta ſufficiant, quantum attinet ad noſtrum inſtitutum.

Difficultas.

¶ Sed quoniam ad Eccleſiam pertinet iudicare, quinam libri ſint ſacri, atque diuini, maxima conſurgit difficultas, vtrùm Eccleſia ſit maioris autoritatis, quam ſacra Scriptura, vel potius è contra, ſcriptura habeat maiorem autoritatem, quam Eccleſia? De qua re ſunt variæ doctorum ſententiæ.

Prima opin.

Prima eſt quorūdam aſſerentium, Eccleſiam ſimpliciter eſſe maioris autoritatis, quàm ſacra Scriptura: idque probant ex Diuo Auguſtino, qui contra epiſtolam fundamenti. cap. 4. dicit, Euangelio non crederem, niſi me commoneret Eccleſiæ autoritas. Hanc ſententiam tenet Abulenſis, in prologo ſuper Matthæum, quæſtione. 19. & Albertus Pighius in ſua Hierarchia: & Eckius contra Lutherum, articulo. 1.

Secunda opi.

¶ Secunda ſententia eſt in alio extremo, quæ aſſerit, ſacram Scripturam ſimpliciter eſſe maioris autoritatis, quàm Eccleſiam: quāuis id aſſerentes differūt in ratione, & fundamento ſuæ opinionis. Quidam enim dicūt, id ità eſſe, quia Eccleſia nihil aliud eſt, q̄ quædam hominum cōgregatio, nullam habens aſsiſtentiam Spiritus ſancti, ac proinde eius iudicia nihil aliud ſunt, quàm humanæ cogitationes: ex quo fit, eam nullo modo comparandam eſſe cum ſacra Scriptura. Cæterùm hanc ſententiam hæreticam eſſe, ex ſuprà dictis manifeſtè patet: & ſic in præſenti de ea nihil amplius eſt dicendum. ¶ Alij verò dicunt, ſcripturam eſſe maioris autoritatis, quàm Eccleſia. Quia quamuis Eccleſia etiā habeat aſsiſtentiam, & promiſsionem Spiritus ſancti, nihilominùs tamen multò maiori, & excellentiori cōcurſu concurrit Spiritus ſanctus cum autoribus ſacræ Scripturæ, qui fuerunt vaſa Spiritus ſancti, & eiuſdem Spiritus primitias acceperunt, teſte Apoſtolo, quàm cum autoribus Eccleſiaſticorū decretorum, qui nec tanta vitæ ſanctitate, nec tanta ſpiritus abundantia floruerunt. Hanc ſententiam tenet Medina lib. 7. de recta in Deum fide. cap. 18.

Tertia opin.

¶ Tertia ſententia eſt Driedonis, libro. 2. de Eccleſiaſticis dogmatibus. cap. 3. ad quartum argumētum, qui media via procedit. Nam dicit, quòd Eccleſia poteſt conſiderari dupliciter: vno modo, prout includit Prophetas, Euangeliſtas, Apoſtolos, & reliquos diuinorum librorum autores: alio

modo,

modo, prout nunc eſt, & qualis in Concilio generali per paſtores, & Pontifices, ex omnibus partibus coactos, exprimitur, & repræſentatur. Dicitur ergo, quòd Eccleſia primo modo conſiderata ſuperat Scripturam autoritate. Primò, quia autores ſacræ Scripturæ intra ambitum Eccleſiæ continentur, tanquam partes illius: & ſic neceſſe eſt, minorem habeant autoritatem quàm tota Eccleſia, cùm pars inferior eſſe debeat ſuo toto. Tum etiam, quia prædicatio Apoſtolorum, & Prophetarum confirmata ſignis atque portentis, & varijs donis Spiritus ſancti, certior erat, quàm ſacra Scriptura: ſed illi Prophetæ atque Apoſtoli erant membra & partes Eccleſiæ, ergo ipſa Eccleſia, prout illos cõprehendit, eſt maioris autoritatis, quàm ſacra Scriptura. At verò Eccleſia ſecundo modo conſiderata eſt minoris autoritatis quam ſacra Scriptura. Primo, quia Eccleſia hoc modo ſumpta nõ aliunde ſuam autoritatem perſuadere contendit, quàm ex ſacra Scriptura: principium autem ſemper eſt maioris autoritatis quam concluſio, quæ ex illo deducitur. Secundò, quia autores ſacræ Scripturæ maioris ſunt autoritatis, quàm patres, qui modo viuunt in Eccleſia: & ſic videtur, quòd illorum ſcripta maioris debent eſſe ponderis. Tertio, quia Eccleſia, quæ hoc tempore eſt, & ſemper fuit à tempore Apoſtolorum, in omnibus, quæ agit, dirigitur ab Scriptura: nec tota ſimul Eccleſia poteſt vnum articulum condere: ergo autoritas Scripturæ eſt maior, quàm autoritas Eccleſiæ.

Argum. pro 3. ſententia.

1. Notabile.

¶ Mihi, ex his ſententijs, ſecunda videtur longè probabilior. Vnde ad illius explicationem eſt aduertendum primo, quòd varia ſunt, & longè diuerſa, Euangelium, ſeu veritas Scripturæ, & ſacra Scriptura. Fuit enim aliquando Euangelium, cùm nulla eſſet ſcriptura Euangelij, vt apertè conſtat ex Matthæo. capit. 24. vbi Chriſtus differens de ſignis præcedentibus ſeculi conſummationem dicit, Prædicabitur Euangelium hoc in teſtimoniũ omnibus gentibus: at verò eo tempore non erat ſcripto mandatum Euangelium. Item Matthæi. 26. dixit Chriſtus Iudæis ægrè ferentibus iacturam vnguenti, Quid moleſti eſtis huic mulieri? Dico vobis, vbicunque prædicatum fuerit Euangelium hoc, in toto mundo, &c. Et tamen nulla erat tunc temporis Euangelij ſcriptura: & ſic conſtat, quòd aliud eſt Euangelium ſeu veritas Euangelij: aliud autem ſcriptura Euangelij. Idem etiam dico de quacunque ſcriptura, & eius veritate.

Veritas Euangelij & ſacra ſcriptura differũt.

2. Notabile.

¶ Secundò notandum, quòd quantum attinet ad veritatem & infallibilitatem, nullum eſt diſcrimen inter ſacram Scripturam, & Eccleſiaſticas determinationes: ſed ſicut iſtæ ſunt veræ, ita & illa, nec alicui illarum falſum ſubeſſe poteſt, propter aſsiſtentiam Spiritus ſancti: & ſic quantum ad hoc æquales ſunt Eccleſia & ſacra Scriptura. Et ratio eſt, quia cùm veritas, teſte Ariſtotele lib. 2. Perihermе. nihil aliud ſit, quàm reſpectus quidam rationis, conſurgens ex adæquatione rei ad intellectum: & reſpectus non admittat magis, aut minus, fit, vniuerſa vera eſſe æqualiter vera: aut ſi non ſint æqualiter vera, alterum illorum verum eſſe non poſſe. Cùm hoc tamen ſtat, quòd aliquis aſſenſus dicatur verior alio, ratione obiecti habentis maiorem aut minorem neceſsitatem, & immutabilitatem, quàm aliud. Nam ſicut obiecta ipſa ſunt alia alijs veriora, ſcilicet, neceſſaria ſunt veriora contingentibus, & mutabilibus, & ex neceſſarijs illa ſunt veriora, quæ habent maiores cauſas ſuæ neceſsitatis: vt magis neceſſarium eſt quòd Deus ſit, quàm, quòd homo ſit rationalis: quia magis illud diſtat ab eo, vt falſum eſſe poſsit, quàm hoc: ita etiam ſit, vt magis verum ſit, quòd Deus eſt, quàm quòd homo eſt rationalis: quamuis in omnibus ſit æqualis adæquatio rei ad intellectum: & ſimiliter etiam contingit in omnibus alijs, quæ vera ſunt.

Omnia ſunt æqualiter vera.

3. Notabile.

¶ Tertiò eſt aduertendum, quod quamuis primitiua Eccleſia, tempore Prophetarum, Apoſtolorum, & Euangeliſtarum, maiorẽ habuerit autoritatem ad miracula edenda, & ad loquendum varijs linguis, & prophetandum, & alia huiuſmodi, quæ fidelibus illius temporis fuerunt conceſſa, tamen Eccleſia, quæ nunc eſt, ab illa non diſtinguitur, vel fide, vel ſacramentis: ſed ab ea deriuatur perpetua ſucceſsiõe Epiſcoporum. Hæc, inquam, Eccleſia, quæ tantũ a priori diſtincta eſt in perſonis, æqualem autoritatem habet cum illa, quo ad poteſtatem ordinis, & iuriſdictionis, & ad rectam fidem conſeruandam, & ſacram Scripturam interpretandam, & exponendam, & dubia quæcunque in fide & moribus diffi-

Eccleſia quæ nunc eſt, ſolũ in perſonis diſtinguitur à primitiua Eccleſia.

diffinienda: quia eodem ſpiritu veritatis à Chriſto ſponſo ſuo, quantum ad prædicta omnia, ducitur & gubernatur, & ducetur vſq; in finem mundi: & ſic ſemper erit eadem quantum ad hoc.

4. Notabile. ¶ Quartò eſt aduertendum, quòd quanuis antequam Euangelium per Apoſtolos & Euangeliſtas ſcriberetur, Eccleſia Chriſti, & eius autoritas nobis innotuerit per prædicationem Apoſtolorum, & poſteà per eandem Eccleſiam conſtiterit nobis, quæ ſcriptura Euangelica ſit vera & autentica, nihilominus tamen nunc, poſtquam ſemel ipſa ſcriptura Euangelij, vt canonica recepta eſt, per eam nobis conſtat de vera catholica Eccleſia, & de eius fide, & autoritate, vt rectè explicat Hoſius tomo. 1. cap. 15. & Petrus à Soto in defenſione confeſsionis catholicæ, cap. 58. & 59. & parte. 2. cap. 47. & Turrecremata diſt. 4. capi. noli. Ex quo ſequitur, quòd licet de aliquibus libris olim dubitatum fuerit, an eſſent canonici, & poſteà Eccleſia determinauit eos veros eſſe, & tanquam canonicos recipiendos, non tamen poteſt eoſdem modo, vti non canonicos, repudiare: nec contra ibi ſcripta quidquam facere: ſicut nec poteſt ſibi ipſi ſpiritus Domini contradicere: quanuis bene poteſt eoſdem interpretari, & declarare: & eius interpretationi & declarationi ab omnibus ſtandum eſt.

1. Concluſio. *Autoritas Eccleſiæ eſt prior tempore, quam autoritas ſcripturæ.* ¶ His poſitis ſit prima concluſio, Autoritas Eccleſiæ prior tempore eſt, quàm autoritas Scripturæ. Probatur, nam initio mundi, & ſtatu legis naturæ, fuit vera Dei Eccleſia, ſiquidem fuit vera fides mediatoris externis quibuſdam ſignis declarata: at verò tunc non erat aliqua ſacra Scriptura, quanuis eſſent veritates in Scriptura contentæ, ergo autoritas Eccleſiæ tempore eſt prior, quam autoritas Scripturæ. Nec obſtat, ſi dicatur in ſtatu legis naturæ fuiſſe aliquam Scripturam ſiquidem, vt teſtatur Diuus Iudas in ſua canonica, Enoch ante diluuium aliquid in poſteros ſcriptum tranſmiſit. Nam quanuis hoc ità ſit, tamen certum eſt, à temporibus primorum parentum & Abelis, fuiſſe veram Eccleſiam, cùm adhuc nulla eſſet Scriptura, & ſic vera eſt noſtra concluſio. Cæterum, ſi de Eccleſia in ſtatu noui teſtamenti diſputemus, & eam cum ſcripturis noui teſtamenti comparemus, quantum attinet ad prioritatem temporis, res apertiſſima eſt eam fuiſſe priorem Scriptura, nam erat tunc temporis Eccleſia, cum nulla eſſent penitus Euangeliſtarum, vel Apoſtolorum ſcripta, vt diximus in primo fundamento, & conſtat ex Marco vltimo capit. vbi Chriſtus præcepit, vt Apoſtoli prædicarent Euangelium: cùm tamen nullum adhuc eſſet ſcriptum. Nam Apoſtoli primũ viua voce Euangelium docuerunt, & deinde ſcriptis mandauerunt: vt aſſerit Diuus Chryſoſtomus Homilia. 1. in Matth. & Theophylactus in principio commentariorum in Mattheum, & Diuus Hieronymus in catalogo ſacrorum ſcriptorum, & colligitur ex Luca Actorum cap. 1. vbi dicit ſe velle ſcribere hiſtoriam, prout ipſe audierat. &c. ergo autoritas Eccleſiæ, quomodocunq; ſumatur, eſt prior tẽpore, q̃ ſacra Scriptura. De hac cõcluſione videndus eſt Hoſius de fide & Symbolo. c. 15. vbi inter alia dicit, Non fuit obſcura Eccleſiæ natura, & autoritas, quæ cũ fuerit antiquior quã vniuerſa, nõ modo noui, verũ & veteris teſtamenti Scriptura, creditũ eſt illi ſine omni ſcripturarũ præſidio. Apud quoſcũq; fuit fides mediatoris, apud eos Eccleſiã fuiſſe, quatenus ab illã ſe nõ præſciderunt, dubiũ non eſt. Ex illo itaq; tẽpore cœpit Eccleſia, quę nunquã vna, & eadẽ eſſe deſinit, iuxta ſeriem ſucceſsionis, continata ab orbe condito vſq; ad nos: vſq; ad ſeculi cõſummationẽ duratura. Scriptura vero multis fuit ſeculis poſterior, quã ante Moyſen nullam fuiſſe palàm eſt, inter quam & primum hominem creatum annorũ duo millia trecenti ſeptuaginta tres interceſſiſſe putantur. Hæc Hoſius.

¶ Secunda concluſio, Vniuerſalis Eccleſiæ autoritas latior eſt autoritate ſacræ Scripturæ: & eſt dicere, quòd Eccleſia poteſt ſe extendere ad diffinienda, & declaranda aliqua, quæ ex ſacra Scriptura nobis conſtare non poſſunt. Probatur, quia vna & eadem eſt Eccleſia præſens cum ea, quæ fuit temporibus Apoſtolorum, ergo eandem habet poteſtatem: ſed tunc poterat diffinire ea, quæ ad mores & fidem ſpectabant, quanuis non haberentur in ſacra Scriptura, ergo poterit modo, orta noua quæſtione, quæ credenda erunt determinare, quanuis non conſtent ex Scriptura. Conſequentia eſt nota, antecedens autem patet ex primo & tertio fundamento. Item prætereà: nam maximè neceſſarium eſt ad fidem, pro certo ha- *2. Concluſio.*

bere quatuor Euangelia, quæ Eccleſia ſuſcipit, eſſe ſcripturas canonicas dictatas ab Spiritu ſancto, ſed hoc colligi non poteſt ex ſacra Scriptura, ſed ex ſola Eccleſiæ determinatione. Si quis enim percontetur, cur fidem adhibeamus Euangelio Matthæi? nulla alia reſponſio dari poterit, niſi quia Eccleſia hãc Scripturam pro canonica amplexa eſt, ergo autoritas Eccleſiæ latior eſt, quàm autoritas Scripturæ. Vtrum autẽ Eccleſia, quæ modò eſt, poſsit augere librum aliquem numero ſanctarum ſcripturarum, & illum, vt canonicum ſuſcipere, agitatur inter doctores: & diuerſi diuerſa dicunt, quamuis omnes ad idem deueniãt. Quod mihi in hac re dicendum videtur eſt, quòd Eccleſia, quæ modò eſt, non poteſt edere, vel ſcribere nouum librum: verùm orta quæſtione, ſit ne aliquis liber canonicus, necne, poterit illud diffinire: aliàs non eſſet rectè à Chriſto Eccleſiæ conſultum, & eſſet Eccleſia veteris teſtamenti, in hac parte, maiori priuilegio à Deo inſignita: ſiquidem eo tempore erat in Eccleſia autoritas, quamcunq; quæſtionem determinandi, & diffiniendi: quod nullo modo dici poteſt. Item, nam tempore Diui Hieronymi vertebatur in dubium, vtrùm liber Apocalypſis eſſet ſacra Scriptura, & ſimiliter etiam dubitatum eſt de libris Machabæorum, epiſtola ad Hebræos, epiſtola Iudæ, &c. vtrum eſſent canonica Scriptura: & autoritate Eccleſiæ huiuſmodi quæſtio determinata eſt, & extincta, ergo & nunc habet eandem poteſtatem.

3. *Concluſio.* ¶ Tertia concluſio, Ea, quæ in ſacris libris continẽtur, & ſimiliter illa, quę ab vniuerſali Eccleſia diffinita ſunt, vſqueadeò ſunt vera, vt his atque illis neceſſario ſit fides adhibenda, & quæcunq; illorum firmiter credenda: veruntamen, nec iis, quæ in ſacris literis continentur, fides datur propter autoritatem Eccleſiæ declarantis hãc eſſe ſacram Scripturam, nec è contra, diffinitionibus Eccleſiæ vniuerſalis fides adhibetur, propter ſacram Scripturam dicentem hanc eſſe Eccleſiam. Probatur concluſio: nam propterea his atque illis catholica fide aſſentimur: quia vera ſunt: at non ſunt vera, quæ Scriptura docet, propter Eccleſiam illa nobis proponentem, nec quæ ab Eccleſia diffinita ſunt, propterea quòd Scriptura teſtatur hanc eſſe veram Eccleſiam: ergo. Conſequentia cum maiori eſt nota, minor verò probatur. Nam veritas ab exiſtentia rerum pendet, veluti à fundamento, & ab eo, quod res eſt, vel non eſt, oratio dicitur vera vel falſa: ſed res ipſæ non erant a parte rei propter teſtimonium Scripturæ, vel determinationem Eccleſiæ: ſed potius, quia iam erant, ſunt dictæ in Scriptura, & ab Eccleſia determinatæ: ergo nec propter Eccleſiæ determinationem ſunt vera, quæ in ſcriptura continentur, nec è contra. Cum hoc tamen eſt verum, quòd quia res, quæ in Scriptura cõtinentur, & ab Eccleſia determinantur, non ſunt nobis notæ: nec videmus, ita ſe habere à parte rei, quales eſſe dicuntur, Eccleſia teſtatur de contentis in Scriptura, & Scriptura de determinatis ab Eccleſia: & ſic ſunt ſibi inuicem teſtes ſuæ veritatis: nec mentiri poſſunt, quia vtraque habet Spiritum ſanctum dictantem & inſpirantem.

¶ Quarta concluſio, Simpliciter, & abſolutè concedendum eſt, quòd ſacra Scriptura eſt maioris autoritatis, quàm Eccleſia. Probatur, quia, quamuis ſint æquales quantum ad veritatem, quæ conſiſtit in indiuiſibili, tamen quãtum attinet ad fundamentum, maior eſt veritas Scripturæ, quàm Eccleſiæ: ergo ſimpliciter & abſolute concedẽdum eſt, quod Scriptura eſt maioris autoritatis, quàm Eccleſia. Conſequentia cum maiori eſt nota ex ſecundo fundamento: minor verò probatur: quia cauſæ veritatis Scripturæ ſunt ſanctitas ſacrorum Scriptorum, & concurſus Spiritus ſancti, qui illam à poſsibilitate mentiẽdi remouet: ſed hæc omnia maiora ſunt in ſcriptura, vt omnes concedunt, quàm in Eccleſia: quod & ità eſſe cõſtat, ex eo, quòd Spiritus ſanctus concurrit cum ſcriptoribus ſacris, ſingula verba dictando: at verò cum patribus Eccleſiæ tantum inſpirando ſententiam: ergo autoritas Scripturæ eſt maior, quam Eccleſiæ. Præterea, quia quod alteri, vt baſi & fundamento nititur, virtute & autoritate ab alio ſuperatur: ſed Eccleſia, quæ modo eſt, nititur ſacræ Scripturæ, vt fundamento, ergo. 4. *Concluſio.*

¶ Et ad argumẽtũ primæ opinionis, quo probatur autoritatem ſcripturæ eſſe minorem, quam Eccleſiæ, quia Auguſtinus dicit, Euangelio non crederem, niſi me autoritas Eccleſiæ commoueret, reſpondetur, nihil concludere: primo, quia abſurdum eſt dicere, quod ea ſolũ ratione, quod Eccleſia nobis Scripturam oſtendit, & pro- *Ad. 4. pro prima opinione.*

ponit,

ponit, ſit maioris autoritatis: nam ex hoc ſequeretur, quod etiam is, qui inter turbas alicui Regem oſtenderet, eſſet maioris autoritatis Rege, & quod lex Moſaica, quæ fuit index Euãgelici ſtatus iuxta illud Ioãnis.c.5. Si crederetis Moyſi, crederetis & mihi: & illud, Scrutamini ſcripturas, quia teſtimonium ipſæ perhibent de me) maioris eſſet autoritatis, quàm Chriſtus, aut Chriſti Euangelium, quod eſt falſiſsimum. Imò Ioannes Baptiſta teſtimonium perhibuit Chriſto: miſſus enim fuit à Deo, vt teſtimonium perhiberet de lumine: & tamen nec fuit Chriſto maior nec æqualis. Et ſimiliter poſſent alia exempla adduci, ad infirmandam eandem rationem. Vndè dico, ex verbis Auguſtini tantum colligi poſſe id, quod nos verum iudicamus, ſcilicet, in libris canonicis cognoſcendis, & in eorum interpretatione, ac proinde in ſacræ religionis dogmatibus, vltimam noſtræ fidei reſolutionem faciendam eſſe in Eccleſiam: non quidem, quia maioris ſit autoritatis, quam Scriptura, ſed quia habet Spiritus promiſſionem, vt in nullo horum poſsit errare, quãuis & hoc etiam nobis conſtet ex ipſa Scriptura, iuxta modum explicatum.

Ad argumẽta pro tertia ſententia. ¶ Ad alia argumenta, quibus Driedo probabat Eccleſiam, pro vt Prophetas, & Apoſtolos, & reliquos ſcriptores ſacros cõprehendit, eſſe maioris autoritatis quam Scriptura, reſpondetur, quòd ea tantùm cõuincunt, Eccleſiam in canonicas ſcripturas habere ius interpretandi, & veras à falſis dignoſcendi: quia autores illarum partes Eccleſiæ extiterunt, quod etiã quibuſcũq; aliis Rebuspublicis in ſuas leges tribuim⁹. Eſt tamen diſcrimen, nam in iis, cum Legiſlatores non ſint alterius ordinis, quam ipſa Reſpublica (ſunt enim homines, & Reipublicæ partes: nec altiori quam humano lumine illuſtrantur) ipſæ Reſpublicæ, non modo ſuas leges interpretandi, & dignoſcendi ius habent, ſed etiam eas emendandi, & pro rerum opportunitate mutandi. Vnde abſolute loquendo, eiuſmodi Reſpublicæ ſunt maioris autoritatis, quàm ſuæ leges. At verò diuina Reſpublica, ſcilicet, Eccleſia, quia non à ſe ipſa, nec ab aliquo ex ipſa, quatenus pars Eccleſiæ erat, ſed cœlitus per diuinam reuelationem, ſuas leges, ſcilicet, ſacram Scripturam, ſuſcipit, nullo modo cum eiſdem legibus autoritate comparanda eſt: ſed ſimpliciter dicendum, eam minoris autoritatis eſſe, quàm Scriptura. Nam quãuis ii, qui ſacros libros ſcripſerunt, partes fuerunt Eccleſiæ, non tamen ea ratione, qua erant partes Eccleſiæ, ſed quatenus inſtrumẽta diuinæ ſapientiæ, illos ediderũt: vnde nulla poteſt eorum, ſub hac ratione, ad reliquam Eccleſiam eſſe comparatio. Et ſic colligo, quod ea ſcripta, quæ Apoſtoli, vel Eccleſiaſtici viri, vt partes erant Eccleſiæ ediderũt, ad reliquam Eccleſiam, quaſi ad totũ, & ad maiorem autoritatem, poſſunt rectè componi: at verò ea, quæ altiori modo atq; ratione iidem ſcripſerũt, puta, vt miniſtri, ac inſtrumenta Spiritus ſancti, cum eadem Eccleſia, & eius autoritate, quaſi partes cũ toto, nullo modo, poſſunt cõparari. Quod iſto exemplo fiet manifeſtum. Nam, quẽadmodum illæ leges, quas Socrates, verbi gratia, in quantum huius Reipublicæ pars tuliſſet, rectè ad eandem, quaſi pars ad totum poſſent comparari: & ſic eſſent minoris autoritatis, quàm Reſpublica: at verò illæ, quas idem Socrates, quaſi altioris potentiæ, putà Regis inſtrumentum, daret, cum eadem Republica, quaſi partes cum toto comparari non poſſunt, & ſic non ſequitur, ꝙ ſint inferioris autoritatis: ad eundem modum dicẽdum eſt de ſcriptis Apoſtolorum, & Prophetarum & aliorum ſacrorum ſcriptorum. Et per hoc patet ſolutio ad argumenta Driedonis.

De Traditionibus.

SEd, quoniã traditiones Apoſtolicæ plurimùm etiam valent, ad probandam fidei doctrinam, videnturque quodammodo pertinere ad ſacram Scripturam, operæpretium erit, vt de illis nonnulla dicamus. Ad cuius explicationem eſt aduertendum primò, quòd antequam eſſet vlla Scriptura, Eccleſia Dei Patrum traditione retinebat fidei doctrinam & morum. *1. Notabile.* Vetuſtiſsimi enim illi Patres, qui in lege naturæ ante Moyſen Dei cultores fuerunt, ſacrificiorum ritum, & veram de rebus diuinis ſententiam, non ſcripto, ſed maiorum traditione acceperunt. Vnde Abraham circuncisionem, & alia ad diuinum cultum pertinentia, non ſcripto, ſed verbis creditur ſuos poſteros docuiſſe:

docuiſſe: & ſimiliter Chriſtus in noua lege, nihil ſcripſit, nec ſcribendum præcepit: ſed tantum, vt diſcipuli prædicarent Euangelũ omni creaturæ. Ex quo fit, vt lex Chriſti, potius tradita, q̃ ſcripta, ſit appellanda, iuxta illud Hieremiæ. 30. Dabo legẽ meã in viſceribus eorum: & in corde eorum ſcribam eam: & .2. ad Corinth. cap. 3. Epiſtola Chriſti eſtis vos, adminiſtrata à nobis, & ſcripta non atramento, ſed ſpiritu Dei viui: nõ in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus. Itaq; Apoſtoli priùs viua voce Euangelium docuerunt, deinde autem aliqua literis mandauerunt, & alia verbo tradiderunt.

2. Notabile. ¶ Secundo eſt aduertendum, ꝙ multa ex illis, quæ pertinent ad doctrinam fidei, & morum, non habentur expreſſè in ſacris literis: qualia ſunt, perpetua Beatæ Mariæ virginitas, deſcẽſus Chriſti ad inferos: baptiſmus paruulorum, conuerſio panis, & vini in corpus & ſanguinẽ Chriſti, proceſsio Spiritus ſancti ex Filio, trium perſonarum in vna ſubſtantia æqualitas, & earum diſtinctio per relationes, &c. Alia autem ſunt, quæ nec apertè, nec obſcurè in ſacris literis continentur: qualia ſunt, verba aliqua, quibus vtimur in conſecratione calicis, ſcilicet, myſterium fidei, & æterni teſtamenti: & illud, eleuatis oculis in cœlũ, ad te Deum Patrem, &c. vt autor eſt Innocentius in capitulo, cum Marthæ, de celebratione Miſſarum. Inſuper, inuocatio ſanctorum, eorum memoria celebranda, imagines eſſe venerandas, in Euchariſtia ſanguinem ſimul cum corpore eſſe à ſacerdotibus ſumendum, ſacramenta confirmationis & ordinis non eſſe iteranda, & tam illa, quæ non habentur expreſſè in ſacris literis, quàm hæc, quæ nec expreſſè, nec obſcurè ex illis colliguntur, ſunt certa & indubitata: quia in traditione Apoſtolorum illa recepimus, ſicut & quod Euangelium Ioannis aut Matthæi eſt ſacra ſcriptura.

3. Notabile. ¶ Tertiò eſt aduertendum, quod Apoſtoli non temerè, ſed magnis & rationabilibus de cauſis, quædam literis, alia autem viua voce prodiderũt. Quæ autem ſint huiuſmodi cauſæ, explicat latè Cano, lib. 3. de locis. c. 3. Et prima eſt, ne fidei doctrina ſcripto tradita, paſsim in vulgus efferretur: ſicque fieret vilis apud Gentiles, non intelligẽtes quãtum myſterij lateat in illa. ¶ Secunda, ne eius doctrinæ diſcipuli literis confiſi, minus memoriæ ſtuderent: nam

Prima ratio propter quã Apoſtoli aliqua non ſcripto, ſed viua voce docuerunt.

2. Ratio.

præſidio literarum, diligentiã in perdiſcendo, & memoriam in retinendo, interdum remitti teſtantur omnes philoſophi. Vnde Cicero, lib. 1. de legibus, dicit, Serendos eſſe in Republica mores, nec ſcriptis omnia mãdãda: & paulò inferius, Sacra melius in Republica conſeruantur, ſi à patribus accepta, deinceps familiæ prodãtur. Ex quo factum fuit, vt hic mos tradendi quædam diſcipulis, nõ ſcripto, ſed verbis fuerit ſemper à philoſophis obſeruatus. Imò de Moyſe teſtantur, non ſolùm celebres Hebræorum doctores, ſed etiam ex noſtris Hilarius ſuper Pſalmum. 2. & Origenes homilia. 5. in Nume. quod cùm, non ſolùm legẽ, ſed etiam ſecretiorem legis enarrationem in monte diuinitus accepiſſet, præceptum fuit ei à Deo, vt legem tantum populo ſcriberet, legis autem occulta myſteria, ipſe miniſtro ſuo Ioſue, & hic deinceps ſuccedentibus ſacerdotum maioribus, magna ſilentij religione reuelaret. Quod & nõ obſcurè teſtatur autor quarti libri Eſdræ. cap. 14. vbi in pſona Dei dicit, Enarraui Moyſi mirabilia multa, & præcepi ei dicens: Hæc in palàm facies verba, & hæc abſcondes. Et etiam Eſdræ, cùm ei Dominus præceptum de inſtauranda lege imponeret, dixit, Quædam palàm facies, & quædam ſapientibus abſconſe trades. De quibus traditionibus videtur loqui Dauid Pſal. 43. cùm ait, Deus auribus noſtris audiuimus, patres noſtri annũtiauerunt nobis: & Pſal. 77. Quanta mandauit patribus noſtris, nota ea facere filijs ſuis. Et Moyſes Deut. 32. dicebat, Interroga patres tuos, & dicent tibi, maiores tuos, & annuntiabunt tibi, &c. Itaq; quædam, non ſcripto, ſed verbo tradere, nõ modo philoſophorum, ſed etiam Moyſis, atq; Dei conſiliũ fuit: quod Apoſtoli ſequuti, multa ex illis quæ à Chriſto tradita fuerunt, ſcribere noluerũt, propter rationes iam dictas. ¶ Tertia ratio eſt, quia *3. Ratio.* cùm habeat neſcio quid latentis energiæ viua vox, & in aures diſcipuli de autoris ore transfuſa, fortiùs ſonet, vt Diuus Hieronymus ad Paulinum docet, indignum videbatur, vt tota Euangelij doctrina, quæ lex eſt ſpiritus, ac vitæ, mortuis tantum literis committeretur, nec vlla ex parte inhæreret cordibus: præſertim cùm de ea ſcriptum ſit, Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam. ¶ Adde etiam, quod ad conuincendos *4. Ratio.* hæreticos maior vis in traditionibus, quàm in Scri-

in ſcriptura eſſe videtur: Scripturæ enim facilè in varios vſus trahuntur: traditiones autem non item. Imo nullus hæreticorum eſt, vt D. Hilarius ad Conſtantium Auguſtum tradit, qui ſe non ſecundum ſcripturas prædicare ea, quibus blaſphemat, mentiatur: & Irenæus, lib. 1. c. 1. dicit, ꝙ hæretici ſcripturis nitũtur ſua dogmata cõfirmare, ne ſine teſte eſſe videantur: imitanturque in hoc parentem ſuum Diabolum, qui Chriſtum Dominum aggreſſurus, ſcripturarum teſtimonijs munitus oppetiuit, dicẽs, Si filius Dei es mitte te deorſum: ſcriptum eſt enim, quia Angelis ſuis Deus mãdauit de te, vt cuſtodiãt te in omnibus vijs tuis. Matth. 4. Et ad hunc modũ etiam hæretici de quocunq; dogmate, quod proferunt, ſtatim dicunt, quia ſcriptum eſt: & non vnum ſed mille teſtimonia parant ex lege, ex Pſalmis, ex Apoſtolis, ex Prophetis, quibus nouo modo interpretatis, ſuam ſententiam probare conantur. Ex quo maniſeſtè colligitur, ꝙ aduerſum hæreticos plus virium habent traditiones, quàm Scriptura: imò omnis fermè diſputatio cum hęreticis, ad traditiones à maiorib⁹ acceptas, eſt deferenda. Nam cùm vtriq;, & Catholici, & hæretici pro ſua ſententia ſacras literas referant, tantum in ſenſu & interpretatione inuenietur diſcrimen: quis autem verus & legitimus ſcripturæ ſenſus habẽdus ſit, niſi ex Eccleſiæ traditione, certò & infallibiliter cognoſci non poteſt: & ſic conſtat ꝙ Apoſtoli, magnis & rationabilibus de cauſis, quædam literis, alia autem viua voce prodiderunt.

4. Notabile. ¶ Quartò eſt aduertendum, ꝙ traditiones Apoſtolorum ſunt in duplici differentia: quædam enim fuerũt temporariæ, aliæ autem perpetuæ. Temporariæ fuerũt illæ quarum cauſa, atq; ratio erat ad tẽpus perſeuerans, vt baptiſmus in nomine Chriſti collatus, & abſtinentia à ſanguine & ſuffocato. Perpetuæ autem ſunt illæ, quarũ cauſa eſt perpetua, & perſeuerans: vt ꝙ aqua admiſceatur calici, & ꝙ talis modus conſecrationis ſeruetur & alia huiuſmodi. Tunc vltrà: ex ijs omnibus traditionibus, quædam ſunt, quas Apoſtoli à Chriſto Domino acceperunt, vt ꝙ matrimonium, confirmatio, extrema vnctio, erant ſacramenta nouæ legis, tantum ab ipſo Chriſto inſtituta: aliæ autem ſunt, quas ipſi Apoſtoli Spiritu ſancto ſuggerente, ad Eccleſiæ vtilitatem ediderunt: vt quod in baptiſmo fieret trina immerſio, & quadrageſimæ ieiunium celebraretur, & alia huiuſmodi. In ter quę hoc eſt diſcriminis; quòd in illis traditionibus, quas à Chriſto acceptas Apoſtoli fidelibus reliquerunt, Eccleſia nullo modo poteſt diſpenſare, ſicut nec in alijs præceptis diuinis, nec vlla conſuetudo poteſt in huiuſmodi traditiones præualere. Cæterùm in alijs, quas Apoſtoli tanquàm Eccleſiæ prælati & paſtores inſtituerunt, benè poteſt ſummus Pontifex, ſicut & in alijs Eccleſiæ legibus diſpenſare: vt habetur expreſſè. 25. q. 1. c. ſunt quidam. & c. cõtra ſtatuta. Et ſimiliter etiam poſſunt tales traditiones, per cõtrariam populi Chriſtiani conſuetudinẽ abrogari: ſicut de facto abrogata eſt cõſuetudo de trina immerſione facienda in baptiſmo.

Ex traditionibus Apoſtolicis, quædam temporariæ et aliæ perpetuæ.

Dubium. ¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco, quanã ratione cognoſcere poterimus, vtrùm hoc aut illud dogma ſit ab Apoſtolis traditum? nam in hac re ignorantia atq; confuſio eſt valdè pernitioſa: & aliquando traditiones noſtras, more Phariſæorum, tanquam diuinas & Apoſtolicas ſectabimur, niſi habeamus viam aliquã planam, & expeditam, qua ad illarũ rectam intelligentiam peruenire valeamus. ¶ Ad cuius explicationem dico breuiter, ꝙ ſunt quatuor regulæ, quas ſi ſequamur in traditionibus Apoſtolicis inueſtigandis minime aberrabimus.

1. Regula. ¶ Prima regula eſt D. Auguſtini, quam ponit multis in locis, & præcipuè, lib. 4. cõtra Donatiſtas. c. 24. dicens, Quod vniuerſa tenet Eccleſia, nec Concilijs conſtitutũ, ſed ſemper retentum eſt, non niſi autoritate Apoſtolica traditũ rectiſsimè creditur. Verbi gratia, dubitat quis, vtrum minores ordines, & ieiunium quadrageſimale ſint ex traditione Apoſtolorum, dico, ꝙ huius rei veritas inueſtigabitur, ſi tam ordinum minorum, quàm ieiunij initium conſideremus. Nam, ſi, vel ordines, vel ieiuniũ ſint ab aliquo, vel Pontifice, vel Concilio, etiam antiquiſsimo, inſtituta, certè Apoſtolorum traditiones eſſe non poterunt. Si autem ante quemcunq; Pontificem, & ante quodcunq; Concilium, huius rei mentio fit apud priores Patres donec ad Apoſtolorum tempora perueniamus: tunc maniſeſtè intelligemus ſecundum doctrinam regulæ à Diuo Auguſtino poſitæ, quòd tã minores ordines, quã ieiunium quadrageſimale, ſint ex traditione Apoſtolorũ, vt re vera fuerũt, quoniã minorũ ordinum non

non ſolum poſteriores, ſed etiam Ignatius epiſtola.8.ad Antiochenos, & Dionyſius c.3.Eccleſiaſticę Hierarchiæ,& Clemẽs in epiſtola ad vniuerſos. & Anacletus in ſuis decretis, tanquam rei in Eccleſia iam receptæ,meminerunt. Et eodem modo probatur, ꝙ ieiunium quadrageſimale, ſimiliter habetur ex traditione Apoſtolorum: quia eius mentionem faciunt, nõ ſolum Auguſtinus epiſtola.118.&.119.& Hieronymus ad Lætam de inſtitutione filiæ, & lib.2.aduerſus Iouinianum, & in Eſaiam.c.58.& D.Ambroſius ſermone.25.&.28.& Diuus Chryſoſt. ad populum Antiochenũ, hom.3.&.16.ſed etiã Ignatius, epiſtola.4. ad Philippenſes: habeturq; de hac re canõ Apoſtolorum, qui eſt.nu.58. Vnde Theophilus Alexandrinus. lib. Paſchali.1.&.3. legem ieiunij non ſolum à maioribus traditam: ſed etiam fuiſſe Euangelicam traditionẽ affirmat. Et Epiphanius hæreſi.80. idem docet. Ratio autem ſuprapoſitę regulæ eſt: Nam ſi cõſuetudinis cuiuſquam diu in tota Eccleſia obſeruatæ, originẽ & principium non ad ſummos Pontifices, nec ad Concilium Epiſcoporũ referre poſſumus, ꝙ eam ad ipſos Apoſtolos,& eorũ tempora referamus, erit neceſſe: & ſic erit traditio Apoſtolorum.

2. Regula. ¶ Secũda regula, Si quod fidei dogma, patres ab initio, ſecũdum ſuorum temporum ſucceſsionem, cõcordiſsimè tenuerũt, eiuſq; contrarium, vt hæreticum refutauerunt, quod tamen ex ſacris literis expreſsè non habetur, id per Apoſtolicam traditionem haberi, erit dicendum. Hæc regula ſequitur ex priori, & illius exempla ſunt, virginitas Beatæ Mariæ virginis, deſcenſus Chriſti ad inferos, & reliqua huiuſmodi, quæ patres ab initio naſcentis Eccleſiæ cõcorditer tenuerunt, eorumq; contrarium, vt hæreticũ iudicarunt: nec tamen expreſſe habentur ex ſacris literis. Et ratio huius regulæ eſt. Nam cùm omnia fidei dogmata ab ipſis Apoſtolis, vel ſcripto, vel verbis acceperit Eccleſia, neq; vllas de nouo habuerit reuelationes: manifeſtè ſequitur, ꝙ & illæ veritates, quas concorditer tenet, ab ipſis vſq; Apoſtolis, fuerint deriuatæ.

3. Regula. ¶ Tertia regula, Si aliquid modò eſt in Eccleſia, cõmuni fidelium conſenſu acceptum, quod humana poteſtas efficere non poteſt, id ex Apoſtolorũ traditione deriuatũ neceſſariò eſt dicendũ. Vt, verbi gratia, vota diſſoluere, & remittere iuramẽta, nõ erat humanæ poteſtatis. Primò, quia iure naturæ quiſquã vota Deo reddere, & iuramenta ſeruare tenetur, & humana facultas ea, quę ſunt iuris naturę, nec cõdonare, nec tollere poteſt. Secundò, quia in his quæ ſuperiori ex conuentione debentur, inferior poteſtas nulla eſt: & ſic dicẽdum eſt, ꝙ poteſtas vota diſſoluendi, & remittendi iuramenta, eſt in Eccleſia ex Apoſtolica traditione: & eadẽ ratio eſt, de dirẽptione matrimonij rati non cõſummati, per votũ ſolenne religionis. Nam, cùm matrimoniũ, etiã non cõſummatũ, ante legem Euãgelicam, iure nautræ eſſet indiſſolubile, nec eſſet in in Repulica humana vlla facultas huiuſmodi matrimonij diſſoluendi, conſequens ſuit, vt hunc Eccleſiæ morem, ex Chriſti, & Apoſtolorum inſtituto deſcendiſſe dicamus. Non enim eſt credibile, quòd Eccleſia aliquam ſibi poteſtatẽ generaliter in ijs, quæ ad ius naturæ pertinebant, vſurpauerit: niſi quam à Chriſto, & Apoſtolis accepit: alioqui grauiter erraſſet in moribus, quod, vt ſupra diximus, eſt impoſsibile.

¶ Quarta regula, Si viri Eccleſiaſtici vno ore teſtentur, aliquod dogma vel aliquam cõſuetudinẽ eſſe ab Apoſtolis deriuatam, id ſine dubio eſt credendum: & hæc eſt melior, & tutior via ad cognoſcendas Eccleſiaſticas traditiones. Vt, verbi gratia, Patres in.7.ſynodo generali, actione.6.dicunt, ꝙ imagines fuerũt ab Apoſtolis traditæ, dico, ꝙ hoc ſine dubio eſt credendum. Similiter etiã, ꝙ ſymbolus fidei fuerit ab Apoſtolis tradit⁹, docẽt cõiter oẽs doctores, vt Ruffinus in expoſitione ſymboli, D. Hieronymus ad Pãmachiũ de erroribus Ioãnis Hieroſolimitani. Ambroſius in ſermone.38.de Ieiunijs quadrageſimalibus. Caſsianus, libro 6.ad Leonẽ Imperatorẽ. Iſidorus lib.6. Etymologiarũ.c.18. Leo Papa Epiſtola.8. Clemens in epiſtola.1.ad Iacobum. Et hoc ſatis eſſe dico, ad hoc, vt credamus id proculdubiò eſſe verũ. Itaq; hæ ſunt regulæ, quibus cognoſcere poterimus, quænã ſint humanæ, & quæ Apoſtolicæ traditiones, 4. Regula.

¶ Sed his conſtitutis, eſt maxima difficultas, quantum autoritatis habeant Apoſtolicæ traditiones, ad fidei dogmata comprobãda? Nam Vvicleff, vt autor eſt Thomas Vvaldenſis, lib.2.doctrina. fidei.c.19. & Lutherus, & alij huius temporis hæretici dicunt, quod traditiones Apoſtolorum nihil habent autoritatis, ad ſ[illegible] dogmata confirmanda. Quod & tenuerunt ex antiquis Dubium.

quis quàplures, vt eſt videre apud Cano, *Primum argum.* lib.3.c.1. Et probabát ſuam ſententiá pluribus argumẽtis. ¶ Primo ſic, traditio dogmatum per manus eſt incerta & infidelis, ergo ea nihil valet ad res fidei probandas: conſequẽtia eſt nota, & antecedens probatur, tũ, quia is, qui accipit, vel nõ ſatis accuratè auſcultat, vel morbi, vel ætatis? vel naturæ iniuria nonnũquam obliuiſcitur, vel certè moritur, antequam tradat accepta: tũ etiam, quia ea, quæ de aure in aurem tranſeunt, aut in dies maiora fiunt, aut non eadé profecto perſeuerant, ergo. *2. Argum.* ¶ Secũdò idem probatur ex Paulo, qui .2. ad Timoth.ca.3. dicit, ſcripturam idoneam eſſe, vt per eam perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus, ergo traditiones non ſunt neceſſariæ. ¶ Et confirmatur ex D. Augu. qui tractatu.49. ſuper Ioannẽ, dicit, multa Dominum, & feciſſe, & dixiſſe, quæ ſcripta non ſunt: electa verò eſſe, vt ſcriberentur, quæ credẽtium ſaluti ſufficerent. *Vltimũ arg.* ¶ Vltimo ſic argumentor, Aliqui lapſi ſunt in errores, propter traditiones Apoſtolorum, ergo illæ non ſunt admittendæ. Conſequẽtia eſt nota, & antecedens probatur: quia, vt refert Euſebius lib.3. Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ cap.vlt. Papias aſſeruit, illos ſuos mil lé annos poſt Reſurrectionẽ futuros, quaſi traditum ab Apoſtolis: & Irinæus libr.1. c.39.&.40. docet, ex traditione Diui Ioannis, & aliorũ Apoſtolorũ, Chriſtũ eo die, quo fuit mortuus, quadraginta annos natũ fuiſſe: quod tamen eſt falſiſsimum, ergo.

Concl. de fide tenenda. ¶ His tamen non obſtantibus ſit cõcluſio de fide tenenda, ꝙ Apoſtolicæ traditiones æqualem autoritatem habent, ad confirmandas res fidei, cũ ſacra Scriptura. Probatur ex Paulo.2. ad Theſalo.c.2. dicente, State, & tenete traditiones, quas accepiſtis à nobis, ſiue per epiſtolam, ſiue per ſermonem, &c. Et.2. ad Corinth.cap.11. Apoſtolus ad cõuincẽdos cõtentioſos, nihil aliud facit, quàm opponere eis Eccleſiæ conſuetudinem dicens, Si quis videtur contentioſus eſſe, nos talem conſuetudinem non habemus, ſed nec Eccleſia Dei. Quaſi diceret, Si quis adeò durus, & pertinax fuerit, vt argumentis propoſitis non adducatur: ſed adhuc contendat fœminam aperto capite orare oportere, hunc ego non aliter, refello, quàm dicens, quòd Eccleſia Dei talem conſuetudinem non habet. Tãta enim eſt in traditione vis, vt quos nec ſcripturæ, nec naturæ ratio mouiſſet, traditionibus mouendos eſſe exiſtimaret D. Paulus. Itẽ ad Galat.1. Si quis vobis annũciauerit præter id, quod Euangelizatum eſt, anathema ſit. Vbi aduertẽdum, quod non dixit, præter id, quod ſcripſit Mattheus, vel Marcus, aut præter id quod nos ſcripſimus, ſed præter id, quòd Euangelizatum eſt: quaſi ſignificans, plura eſſe ab Apoſtolis viua voce tradita, quæ omninò teneri eſſet neceſſe. Ex quibus locis colligit Origenes in cõmẽtarijs ſuper epiſtolam ad Titum, quòd eſt hæreticus ille, qui ſe Chriſto credere profitetur, & aliud de veritate fidei Chriſtianæ credit, quàm habeat traditio Eccleſiaſtica. Hanc etiam concluſionem docent Irinæus, lib.3. aduerſus hereſes. c.4.& lib.4.cap.43. Tertullianus in lib. de corona militis: quamuis hic poſtea, ab Eccleſiæ traditione diſceſsit. Baſilius in libr. de Spiritu ſancto, cap.27. D. Auguſt. in epiſtola ad Ianuarium, & in epiſtola ad Caſulanum. Quibus locis affirmat inſolentiſsimæ inſaniæ eſſe, diſputare an conſuetudines Eccleſiæ ſint ſeruandæ, cùm earum contemptores perinde ſint coercendi, ſicut diuinarum legum præuaricatores. Deniq; hæc veritas fuit diffinita in.7. ſynodo generali, actione.7. & in Concil. Trid. ſeſſ.4. cap.1. vbi dicitur, Sacroſancta œcumenica, & generalis Tridentina ſynodus, in Spiritu ſancto proponens, vt ſublatis erroribus puritas ipſa euangelij in Eccleſia cõſeruetur, quod ꝓmiſſum ante per Prophetas in ſcripturis ſanctis, Dns noſter Ieſus Chriſtus proprio ore primum promulgauit, deinde per ſuos Apoſtolos, tanquã fontem omnis & ſalutaris veritatis & morum diſciplinæ, omni creaturæ prędicari iuſsit: perſpiciẽſq; hanc veritatem & diſciplinam cõtineri in libris ſcriptis, & ſine ſcripto traditionibus, quæ ipſius Chriſti ore ab Apoſtolis acceptæ, aut ab ipſis Apoſtolis, Spirituſancto dictante, quaſi per manus traditæ, ad nos vſq; peruenerunt, orthodoxorũ Patrũ exẽpla ſecuta, oẽs libros tam veteris, quã noui teſtamẽti, nec non traditiones ipſas, tũ ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam vel ore tenus à Chriſto, vel à Spirituſancto dictatas & continua ſucceſsione in Eccleſia Catholica conſeruatas, pari pietatis affectu, ac reuerentia ſuſcipit & veneratur. De hac concluſione eſt videndus Cano. libr.3. de locis, cap.6.

¶ Ad primum argumẽtum reſpondetur negãdo antecedens, & ad probationẽ dico, *Ad .1. arg.* quod

quod cum Chriſtus habeat curam ſuæ Eccleſiæ, ad eius prouidentiam pertinebit, vt non patiatur, quæ ipſe voluerit traditione teneri, ꝙ memoria excidãt, aut ab ore in os delata augeantur, vel mutentur: & ſic traditiones ſemper erunt certæ & fideliſsimæ.

Ad.2.arg. ℭ Ad ſecundum reſpondetur, ꝙ Paulus eo in loco, nihil aliud voluit dicere, q̃ quod ea, quæ ſcripta ſunt, cõferunt quidem ad hoc, vt homo ſit perfectus. Ex hoc tamẽ non ſequitur, quòd ea ſufficiant: ſed præterea eſt neceſſarium, Eccleſiam audire, & traditiones recipere, vt idem Apoſtolus alijs in locis affirmat.

Ad confir. ℭ Ad confirmationẽ ex D. Auguſt. reſpondetur, eius ſententiam fuiſſe, ꝙ ex omnibus dictis & factis Chriſti, non fuit opus alia ſcribere, quam quæ ſcripta ſunt: cum hoc tamẽ ſtat, ꝙ adhuc teneãtur, fideles credere ea, quæ ſibi ex traditiõe fuerint propoſita.

Ad.3.arg. ℭ Ad tertium reſpondetur, ꝙ quemadmodum ex ſcriptura perperam intellecta, multi acceperunt occaſionem errandi: ſic etiam ex traditionibus minus attẽtè auditis, vel parum ſollicite cuſtoditis, aut intellectis, nõnulli decepti ſunt, ſicut & decepti fuerunt Papias, & Irenæus. Et hæc de traditionibus dicta ſufficiant.

QVAESTIO SEcunda, De actu fidei, in decem Articulos diuiſa.

DEINDE conſiderãdũ eſt de actu interiori. Secũdo, de actu exteriori.

¶ Circa primum quęruntur decem.

¶ Primo, quid ſit credere, qđ eſt actus interior fidei.

¶ Secundo, quot modis dicatur.

¶ Tertio, vtrũ credere aliquid ſuprà rationem naturalem, ſit neceſſarium ad ſalutem.

¶ Quarto, vtrũ credere ea, ad quæ ratio naturalis peruenire poteſt, ſit neceſſarium.

¶ Quinto, vtrum ſit neceſſarium ad ſalutem credere aliqua explicite.

¶ Sexto, vtrum ad credendum explicite omnes æqualiter teneantur.

¶ Septimo, vtrum habere fidem explicitam de Chriſto, ſemper ſit neceſſarium ad ſalutem.

¶ Octauo, vtrum credere Trinitatem explicite, ſit de neceſsitate ſalutis.

¶ Nono, vtrum actus fidei ſit meritorius.

¶ Decimo, vtrum ratio humana diminuat meritum fidei.

ARTICVLVS. I.

ℭ *Vtrum credere ſit cum aſſenſione cogitare.*

AD PRIMVM ſic proceditur. Videtur quòd credere non ſit cũ aſſenſione cogitare. Cogitatio enim importat quandam inquiſitionem dicitur enim cogitare, quaſi ſimul cogitare: ſed Dam. dicit. 4. libr. *quòd fides eſt non inquiſitus conſenſus. ergo cogitare nõ pertinet ad actũ fidei. *3.d.23.q.2. art.2.q.1. & verit. q.14. artic.1.* *Fidei Orth. cap.12.*

2 ¶ Præterea, Fides in ratione ponitur, vt infra* dicetur, ſed cogitare eſt actus cogitatiuæ potentiæ, qui pertinet ad partem ſenſitiuam, vt in primo dictum *eſt. ergo cogitatio ad fidem non pertinet. *Q.4. arti.2.* *Q.78. ar.4.*

3 ¶ Præterea, Credere eſt actus intellectus: quia eius obiectum eſt verũ, ſed aſſentire non videtur eſſe actus intellectus, ſed voluntatis: ſicut etiam conſentire, vt ſupra dictum* eſt. Ergo credere non eſt cum aſſenſione cogitare. *p.2.q.15.ar.1.ad.3.*

¶ SED IN CONTRARIVM eſt, ꝙ Auguſt. ſic diffinit credere in libr.* de Prædeſtinatione ſanctorum. *Cap.2.*

¶ RESPONDEO dicendum, ꝙ cogitare tripliciter ſumi poteſt. Vno modo, communiter pro qualicunq; actuali conſideratione intellectus: ſicut Auguſt. dicit in. 14.* de Trinit. Hanc nunc dico intelligẽtiam, quam intelligimus cogitãtes. Alio modo dicitur cogitare magis propriè cõſideratio intellectus, quæ eſt cũ quadã inquiſitione, *Cap.7.*

ſitione, antequā perueniatur ad perfectionem intellectus per certitudinē viſionis: & ſecundum hoc Auguſtinus dicit. 15. de Trinitate: quod Dei filius non cogitatio dicitur, ſed verbum Dei dicitur. Cogitatio quippe noſtra perueniens ad id, quod ſcimus, atque inde formata, verbum noſtrum eſt: & ideo verbum Dei ſine cogitatione debet intelligi, non aliquid habens formabile, quod poſſit eſſe informe: & ſecundum hoc cogitatio proprie dicitur motus animi deliberantis nōdum perfecti per plenam viſionem veritatis. Sed quia talis motus poteſt eſſe vel animi deliberantis circa intentiones vniuerſales: quod pertinet ad intellectiuam partem, vel circa intentiones particulares: quod pertinet ad partem ſenſitiuam: ideo cogitare ſecundo modo ſumitur pro actu intellectus deliberantis, tertio modo pro actu virtutis cogitatiuæ. Si ergo cogitare ſumatur communiter ſecundum primum modum: ſic hoc quod dicitur cum aſſenſione cogitare, non dicit totam rationē eius, quod eſt credere. Nam per hunc modum etiam qui cōſiderat ea, quæ ſcit vel intelligit, cum aſſenſione cogitat. Si vero ſumatur cogitare ſecundo modo, ſic in hoc intelligitur tota ratio huius actus, qui eſt credere. Actuum enim ad intellectum pertinentium quidam habent firmā aſſenſionem abſque tali cogitatione: ſicut cum aliquis conſiderat ea, quę ſcit, vel intelligit, talis enim conſideratio iam eſt formata. Quidam vero actus intellectus habent quidem cognitionem informem abſque firma aſſenſione: ſiue in neutram partem declinent, ſicut accidit dubitanti: ſiue in vnam partem magis declinent, ſed tenentur aliquo leui ſigno, ſicut accidit ſuſpicanti: ſiue vni parti adhæreant, tamen cum formidine alterius, quod accidit opinanti: ſed actus iſte qui eſt credere, habet firmam adhæſionem ad vnam partē, in quo conuenit credens cum ſciente & intelligente: & tamen eius cognitio non eſt perfecta per manifeſtam viſionem, in quo conuenit cum dubitante ſuſpicante & opināte: & ſic proprium eſt credentis, vt cum aſſenſu cogitet: & propter hoc diſtinguitur iſte actus qui eſt credere: ab omnibus actibus intellectus, qui ſunt circa verum vel falſum.

Cap. 16.

¶AD PRIMVM ergo dicendum, quòd fides non habet inquiſitionem rationis naturalis demonſtrantis id, quod creditur, habet tamē inquiſitionem quandam eorum, per quæ inducitur homo ad credendum, putà quia ſunt dicta à Deo, & miraculis confirmata.

¶Ad ſecundum dicendum, quòd cogitare non ſumitur hic prout eſt actus cogitatiuæ virtutis, ſed prout pertinet ad intellectum, vt dictum eſt. *In corp. art.*

¶Ad tertium dicendum, quòd intellectus credētis determinatur ad vnū, non per rationem, ſed per volūtatem: & ideo aſſenſus hic accipitur pro actu intellectus, ſecundum quod à voluntate determinatur ad vnum.

SVMMA TEXTVS.

SVppoſita diſtinctione, qua dicitur quod cogitare accipitur tripliciter, vno modo communiter, pro quacunq; actuali conſideratione intellectus: ſecundò pro conſideratione, quæ eſt cum quadam inquiſitione, antequam perueniat ad perfectionem viſionis, Tertio, pro operatione cogitatiuæ potentiæ: ponit D. Tho. duas cōcluſiones. ¶Prima concluſio, Si cogitare accipiatur communiter pro quacunq; intellectus conſideratione, aut pro operatione cogitatiuæ potentiæ, credere propriè non eſt cum aſſenſione cogitare. Probatur, nam cogitare iſto modo, etiam conuenit alijs actibus intellectualibus. ¶Secunda concluſio, Si cogitare accipiatur pro actu intellectus deliberantis cum quadam inquiſitione, nondum perfecti per plenam veritatis viſio-

nem, credere propriè eſt cum aſſenſione cogitare.

EXPLICATIO ARTICVLI.

PRo intelligentia harum concluſionum eſt aduertendum, quòd aſſenſio, ſeu aſſenſiis in præſenti accipitur à D. Tho. pro iudicio firmo, quod habetur de re aliqua, cui firmiter aſſentimur: & cogitare idem eſt, quod inquirere, ſeu diſcurrere: quod quidem fit, antequam intellectus ad perfectam rei notitiam perueniat per viſionem. Ex quo fit, vt cum aſſenſione cogitare, idē prorſus ſit, quod aſſentiri firmiter, & ineuidenter: quod propriè cōuenit fidei, vt ex ſupradictis patet. Quapropter rectè D. Th. dicit, quod credere eſt cum aſſenſione cogitare. Et per primam particulam diſtinguitur fides ab opinione, dubitatione, & ſuſpicione: per ſecundam autem, à ſcientia, quæ cogitatio propriè dici non poteſt, quia includit claram viſionem. Hæc diffinitio eſt etiā D. Auguſtini in lib. de prędeſtinatione ſanctorum cap. 2. De qua videndi ſunt Doct. in. 3. diſt. 23. & D. Tho. de Veritate. q. 14. artic. 1. videndus etiam D. Aug. ſuper Ioannem tractatu. 79. & lib. de vtilitate credendi cap. 11. & epiſtola. 112. & lib. 10. confeſſio. c. 11. quibus locis explicat, quid ſit credere, & quid ſit cogitare.

Credere eſt cum aſſenſione cogitare.

¶Sed contra ea, quæ diximus, eſt argumentū, D. Auguſtinus lib. 1. Soliloquiorū, cap. 3. dicit, Quodcunq; ſcimus, fortaſſe rectè credere dicimur, ſed non quæcunq; credimus etiam ſcimus: & in lib. de vtilitate credendi cap. 11. etiam dicit, quòd intelligens omnis etiam credit, ſed nō omnis, qui credit, intelligit: & in tractatu. 89. ſuper Ioā nem in illa verba, Dixi vobis priuſquam fiat, dicit, quod credi quandoque dicitur, quod videtur: & in epiſtola. 112. ſæpè confundit hæc duo, ſcire, & credere, ergo falsò dicimus, quod credere, diſtinguitur à ſcire, per illam particulam, cogitare. ¶Secundò ſic argumentor, Aſſenſus Theologicus eſt firmus, & ineuidens: & tamen nō eſt actus fidei, ergo falsò dicitur, quòd credere eſt cū aſſenſione cogitare. Conſequentia cum maiori eſt nota, & minor probatur, quia ſi aſſenſus Theologicus non diſtingueretur ab actu fidei, ſequeretur, quòd alter illorum eſſet ſuperfluus: & etiam ſequeretur, quòd idem actus exiret ab habitu principiorum, & ab habitu concluſionum: fides enim eſt habitus articulorū, qui ſunt principia noſtræ Theologiæ: Theologia autem eſt habitus concluſionum: hæc autem ſunt abſurda, ergo.

1. Argum. ex D. Aug. — *2. Argum.*

¶Ad primum argumentum reſpondetur, quòd apud D. Auguſtinum credere accipitur dupliciter. Vno modo communiter, prout ſe extendit ad omnes actus intellectus, ſiue euidentes ſint, ſiue ineuidentes: & hoc modo accipitur credere in locis adductis in argumēto. Alio modo accipitur propriè, prout diſtinguitur contra ſcientiam, & euidentiam: in qua ſignificatione dixit Petrus prima ſua canonica, cap. 1. In quem non videntes creditis: & Chriſtus apud Ioā nem. 20. Beati, qui non viderunt, & crediderunt: & iſto modo accipitur in præſenti, quando dicimus, quòd credere eſt, cum aſſenſione cogitare. De quo etiam loquutur D. Auguſtinus epiſtola illa. 112. quando dicit, quod videntur præſentia, & creduntur abſentia: & quòd in iis, quæ videmus, nos ipſi teſtes ſumus, in iis autem, quæ credimus, alijs teſtibus mouemur ad fidem. *Ad. 1. argu.*

¶Ad ſecundum argumentum reſpōdetur, quod, quanuis aſſenſus noſtræ Theologiæ ſit firmus, & ineuidens, adhuc tamen non ſequitur, quòd ſit actus fidei: differt enim ab illo ex diuerſo modo tendendi in obiectum, vt diximus. q. 1. art. 1. vbi de differentia, quæ eſt inter fidem & Theologiam, latè diximus. *Ad. 2. arg.*

ARTICVLVS. II.

¶*Vtrùm actus fidei conuenienter diſtinguantur per hoc, quòd eſt credere Deum, credere Deo & credere in Deum.*

AD SECVNDVM ſic proceditur. Videtur quod inconuenienter diſtinguantur actus fidei per hoc quod eſt credere Deo, credere Deum, & credere in Deum, Vnius enim habitus vnus eſt actus: ſed fides eſt vnus habitus, cum ſit vna virtus. Ergo inconuenienter ponuntur plures actus fidei. *3. d. 23. q. 1. a. 2. q. 2. & Ve. q. 14. a. 7. ad. 7. & Io. 9. lect. 3. & Rom. 4. cor. 2.*

2 ¶Præterea, Id quod eſt cōmune omni actui fidei, non debet poni vt particularis actus fidei: ſed credere Deo inuenitur communiter in quolibet actu fidei: quia fides innititur primæ veritati

rati. Ergo videtur, quod inconuenienter diſtinguatur à quibuſdam alijs actibus fidei.

3 ¶Præterea, Id quod conuenit etiam non fidelibus non poteſt poni inter fidei actus. Sed credere Deum eſſe, conuenit etiam infidelibus. Ergo non debet poni inter actus fidei.

4 ¶Præterea, Moueri in finem pertinet ad voluntatem, cuius obiectum eſt bonum & finis: ſed credere non eſt actus voluntatis, ſed intellectus. Ergo non debet poni differentia vna eius, quod eſt credere in Deum, quod importat motum in finem.

¶SED CONTRA eſt, quod Aug. hanc diſtinctionem ponit in libro de verbis Domini,* & ſuper Ioan.

De verbis Domini, ſermo. 61. ſup Ioã. Tract. 29.

¶RESPONDEO dicendum, ꝙ actus cuiuſlibet potentiæ vel habitus accipitur ſecundum ordinem potentiæ vel habitus ad ſuum obiectum. Obiectum autem fidei poteſt tripliciter conſiderari. Cum enim credere ad intellectum pertineat: prout eſt à voluntate motus ad aſſentiendum, vt dictum eſt,* poteſt obiectum fidei accipi vel ex parte ipſius intellectus vel ex parte voluntatis intellectum mouentis. Si quidem ex parte intellectus, ſic in obiecto fidei duo poſſunt conſiderari, ſicut ſuprà dictum eſt,* quorum vnum eſt materiale obiectum fidei: & ſic ponitur actus fidei credere Deũ: quia, ſicut ſupra dictum eſt,* nihil proponitur nobis ad credendum, niſi ſecũdum quod ad Deum pertinet. Aliud autem eſt formalis ratio obiecti, quod eſt ſicut medium, propter quod tali credibili aſſentitur. Et ſic ponitur actus fidei credere Deo: quia, ſicut ſuprà dictum eſt, *formale obiectum fidei eſt veritas prima, cui inhæret homo, vt propterea creditis aſſentiat. Si vero conſideretur tertio modo obiectum fidei, ſecundum quod intellectus eſt motus à voluntate, ſic ponitur actus fidei credere in Deum. Veritas enim prima ad voluntatem refertur, ſecundum quod habet rationem finis.

Ar. præced. ad. 3.

Q.1.art.1.

Q.1.art.1.

Q.1.art.1.

¶AD PRIMVM ergo dicendum, quòd per iſta tria non deſignantur diuerſi actus fidei, ſed vnus & idẽ actus habens diuerſam relationem ad fidei obiectum. Et per hoc patet reſponſio ad ſecundum.

¶Ad tertium dicendum, quòd credere Deum non conuenit infidelibus ſub ea ratione, qua ponitur actus fidei. Non enim credunt Deum eſſe ſub his conditionibus, quas fides determinat. Et ideo nec verè Deum credunt: quia, vt Philoſophus dixit. 9. Meta. In ſimplicibus defectus cognitionis eſt ſolum in non attingendo totaliter.

Tex. 22.

¶Ad quartum dicendum, quòd, ſicut ſupra dictum eſt,* voluntas mouet intellectum & alias vires animæ in finem: & ſecundum hoc ponitur actus fidei credere in Deum.

p.p.q.82. et 12.q.9.a.1.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio eſt affirmatiua, quã, vt probet D. Tho. ſupponit duo. Primũ eſt, quòd actus alicuius habitus, vel potentiæ poteſt conſiderari diuerſimodè, ſecundum diuerſum ordinem, quem habitus, vel potentia habere poteſt ad ſuum obiectum. Secundum, quòd cum credere ſit actus intellectus moti à voluntate, obiectum eius poterit conſiderari, & per ordinem ad intellectum, & per ordinem ad voluntatem. Quibus ſuppoſitis probat D. Tho. ſuam concluſionem. Nam ſi obiectum fidei comparetur ad intellectum, quantum ad materiale illius, ſic ponitur actus fidei, qui eſt credere Deum: nihil enim proponitur nobis ad credendum, niſi ſecundum quod ad Deum pertinet. Si autem comparetur, quãtum ad formale, quod eſt ratio credendi, ſic ponitur actus fidei, qui eſt credere Deo: omnia enim credimus, quia Deus, & veritas prima dicit, & ſic non ſolum credimus Deum, ſed credimus Deo. Si autem conſideretur obiectum fidei, ſecundum quod habet ordinem ad voluntatem mouentem intellectum: ſic ponitur actus fidei, qui eſt credere in Deum: ordinat

enim voluntas actum fidei in Deum, tanquam in finem. Et ſic patet quòd conuenienter actus fidei diuidatur in credere Deum, credere Deo, & credere in Deum.

EXPLICATIO ARTICVLI.

PRo intelligentia huius articuli eſt aduertendum primò, ꝙ litera in textu communiter habetur mendoſe: dicit enim, quod, reſpectu obiecti materialis, proprius actus fidei eſt credere Deo, reſpectu verò obiecti formalis, proprius actus fidei eſt credere Deum, cum tamen contrario modo legi debeat, ſcilicet, quòd reſpectu obiecti materialis, proprius actus eſt credere Deum, reſpectu verò obiecti formalis, proprius actus eſt credere Deo: vt ex ijs, quæ dicemus manifeſtè patebit. *1. Notabile.*

¶Secundò notandum, quòd totus iſte articulus verſatur in expoſitione Diui Auguſtini, qui primus omnium iſta diſtinctione vſus eſt: vt conſtat ex ſermone. 61. de verbis Domini: & ex tractatu. 29. ſuper Ioannem: & ex pſal. 77. vbi explicans ea verba, Non eſt creditus cum Deo ſpiritus eius, dicit, quod plus eſt credere in Deum quam credere Deum, aut credere Deo. Et quidem, vt omnes Doctores explicant, credere Deum, eſt Deum habere pro materia, circa quam verſetur fides, id eſt, credere res diuinas & ad Deum pertinentes, credere autem Deo, eſt id ipſum, quòd credis, credere propter Dei teſtimonium & autoritatem, quod eſt habere Deum pro obiecto formali: at vero, credere in Deũ, eſt habere Deum pro vltimo fine in credendo: ità, vt ad illum, tanquam ad finem referatur actus credendi. Quæ tria, vt ſatis conſtat, aliqua ratione inter ſe ſe diſtinguntur. *2. Notabile.*

¶Sed dubium eſt, vtrùm iſti ſint tres actus fidei diſtincti, vel potiùs vnus tantum, qui ſecundum diuerſas rationes dicatur, credere in Deum, credere Deum, & credere Deo. ¶Ad cuius explicationem dico primò, quod credere Deum, & credere Deo, ſemper ſunt vnus & idem actus, ità vt ſeparari non poſſint: ſed quicunque credit Deum, credit etiam Deo, loquendo de fide Chriſtiana. Nam cum actus fidei verſetur circa res diuinas, & illis aſſentiamur propter Dei teſtimonium, manifeſtè ſequitur, quòd ſemper habet Deũ pro obiecto, tam materiali, quam formali: atque ex conſequenti, quicunq; credit Deum, credit Deo. *Dubium.* *1. Dictum.*

¶Dico ſecundò, quòd quicunque credit in Deum, credit etiam Deum, & Deo: & ſic vnus & idem actus poteſt illa tria continere: & referri ad Deũ tribus illis modis atque rationibus. Nam credere in Deum, eſt credere aliquid diuinum propter Deum, non ſolùm teſtificantem, ſed etiam tanquam finem, ergo quicunq; credit in Deum, credit Deum & Deo. *2. Dictum.*

¶Dico tertio, quòd non quicunque credit Deum, & Deo, credit etiam in Deum. Probatur ex D. Auguſtino in locis citatis, qui dicit, quòd Dæmones credunt Deum, & non in Deum. Et ratio eſt manifeſta, nam credere in Deum eſt credere propter Deum, tanquam finem: ſed poteſt aliquis credere Deum, & Deo, & tamen non ordinare ſuum actum in Deum, tanquam in finem: ergo non quicunq; credit Deum, aut Deo, credit etiam in Deũ. Ex quo ſequitur, quòd iſta duo, ſcilicet, credere Deum, & credere Deo, ex vna parte: & credere in Deum ex alia, habent ſe tanquam includens & incluſum, nō enim quicunque credit Deum, aut Deo, credit in Deum, ſed qui credit in Deum, credit etiã Deum, & Deo. *3. Dictum.*

¶Sed dubium eſt, vtrùm hoc, quod eſt credere in Deum, ſit vnicus tantum actus, vel potiùs aggregatum ex pluribus. Nam Durandus in. 3. diſt. 23. quæſt. 7. affirmat, quod non eſt vnicus tantum actus, ſed plures, ſcilicet, aggregatum ex actu fidei, & charitatis. Idque probat: nam credere in Deum, à duobus habitibus proficiſcitur, ſcilicet, à fide, & à charitate, & ſignificat, credendo, & amando tendere in Deum: ſed hoc importat duplicem actum, ſcilicet, vnum fidei, alterum charitatis: ergo credere in Deum, non eſt tantum vnicus ſimplex actus, ſed plures. *Dubium.* *Opinio Durandi.* *Argumentũ.*

¶Hoc tamen non obſtante dico, quòd credere in Deum, procul dubio eſt vnicus actus elicitus ab intellectu, & imperatus à voluntate. Quod, vt intelligatur, aduertendum eſt cum Caietano in præſenti, quòd quando vnus actus elicitur ab vno habitu, & imperatur ab alio non eſt neceſſarium, quòd ſecundum rem multiplicetur, ad multiplicationem ſuorum principiorum: ſed poterit fieri, quòd vnus atque idem numero actus, à plunbus ſimul virtutibus, proficiſcatur: ab vna quidem, elicitiuè, ab alijs autem imperatiuè: vt patet in actu ieiunij, qui cum vnus tantùm *Sententia autoris.*

tùm ſit, elicitiuè eſt à temperantia, imperatiuè verò ab obedientia, & charitate. Et eodem modo contingit in actu credendi in Deum, quòd cùm ſit vnus tantùm elicitiuè eſt ab intellectu, & imperatiuè à voluntate. Et quod hoc ità neceſſario ſit dicendum, probatur. Nam ſi credere in Deum eſſet duplex actus, vnus intellectus, alter voluntatis, id maximè eſſet, quia credere iſto modo non poſſumus, ſine imperio voluntatis: ſed pari ratione ſequeretur, quod credere Deum, & credere Deo, non vnus ſed duplex actus eſſet: quia quemadmodum, ad credendum in Deum, eſt neceſſaria motio voluntatis per charitatem informatæ, ità etiam ad credendum Deum, & Deo, eſt neceſſaria motio voluntatis piè affectæ, vt infrà dicemus, ergo ſicut credere Deum, aut Deo, non eſt duplex, ſed vnus actus, ità etiam nec credere in Deum. Hanc ſententiam tenet D. Thom. in ſolutione ad primum. Ex quo infert Caietanus, quòd quanuis iſte actus ſit dicendus multiplex, quia habet in ſe vim plurium habituum, ſcilicet, fidei, & charitatis, non tamen eſt dicendus multi actus, ſed vnus. Et per hoc patet ſolutio ad argumentum Durandi. De qua re vide Caietanum ſupra iſtum articulum.

Dubium. ¶Eſt aliud dubium, vtrùm fideles, in peccato mortali exiſtentes poſſint credere in Deum? Et pro parte negatiua eſt autoritas Diui Auguſtini, qui locis citatis dicit, quòd credere in Deum, nihil aliud eſt, quàm credere amando: ſed peccatores id efficere non poſſunt, ergo. Et confirmatur. Credere in Deum, eſt in credendo, Deum habere pro vltimo fine: ſed peccatores quandiu ſunt in peccato mortali, id efficere non poſſunt, ergo. ¶In contrarium tamen eſt, nam fides, quæ eſt in peccatore, eſt eiuſdem rationis cum fide formata, ergo poteſt in quemcunque actum in quem poteſt fides formata: atque ex conſequenti poteſt credere non ſolum Deum & Deo, ſed etiam in Deum. Et confirmatur ex Ioanne cap. 12. vbi dicitur, quòd ex principibus multi crediderunt in Chriſtum: certum eſt autem, quod illi erant in peccato mortali, vt conſtat ex ijs, quæ ſequuntur, ſubdit enim ſtatim, quòd non confitebantur eum, ne extra Synagogam eijcerentur, ergo fideles, in peccato mortali exiſtẽtes poſſunt credere in Deũ.

¶Pro intelligentia huius difficultatis eſt *Nota.* aduertendum, quòd dupliciter poteſt contingere, vt aliquis in credendo habeat Deum pro vltimo fine: vno modo ſimpliciter, alio modo ſecundum quid. Simpliciter eſt, quando præfert Deum omnibus alijs rebus creatis, & credit in eum, eo fine, vt obſequatur ei ſuper omnia ſibi dilecto. Secundum quid autem eſt, quando non præfert Deum omnibus alijs rebus creatis: credit tamen in eum, ea vna & potiſſima de cauſa, vt ipſi præcipienti, & ſatisfaciat, & obediat. ¶Hoc ſuppoſito dico primò, quòd peccatores nullo modo *1. Dictum.* poſſunt credere in Deum primo modo, quia quandiu ſunt in peccato mortali, relicto Deo, conuerſi ſunt ad creaturam, & eam conſtituunt ſuum vltimum finem. Et in hoc ſenſu loquitur Diuus Auguſtinus locis citatis. ¶Dico ſecundo, quòd fideles, in peccato mortali exiſtentes, poſſunt *2. Dictum.* credere in Deum ſecundo modo, quia poſſunt ſic eum habere pro fine in credendo, vt ea potiſsimum ratione credant, vt Deo præcipienti obediant, & ſatisfaciant: & ſic conſtat, quod vtrumque poteſt dici, ſcilicet, quòd peccatores credunt in Deum, & quòd non credunt in Deum, ſecundum diuerſas conſiderationes. Et per hoc patet ſolutio ad argumenta.

¶Circa ſolutionem ad tertium argumentum, in qua dicit Diuus Thom. quòd *Circa ſolutionẽ tertij argumẽti D. Tho.* infideles non credunt Deum, quia vt dicit Philoſophus. 9. Metaphy. In ſimplicibus, defectus cognitionis eſt ſolùm, in non attingendo totaliter, eſt aduertendum, quòd, vt conſtat ex eodem Ariſto. ibidem, inter ignorare, & decipi hoc eſt diſcriminis, quòd ignorare propriè loquendo, tunc eſt, quando intellectus nulla ratione attingit obiectum ſcibile, ſiue ſim- *Ignorare & decipi diſtinguuntur.* plex illud ſit, ſiue compoſitum, vt quando, verbi gratia, merus idiota, nihil de eclipſi, vel de anima ſciens, dicitur hæc ignorare. Decipi autem propriè tunc eſt, quando aliquid ſcimus de re aliqua, & aliquid ignoramus, ſiue ignorantia ſit puræ negationis, ſiue prauæ diſpoſitionis: vt cùm, verbi gratia, quis ſcit hominem eſſe animatum, neſcit tamen animam eſſe immortalem, vel exiſtimat contrarium. ¶Hoc *Deceptio non contingit circa quod quid eſt.* ſuppoſito dicit Ariſtot. duo. Primum eſt, quòd in intellectu noſtro non contingit deceptio circa quod quid eſt, ſiue circa

Deceptio nō contingit circa quod quid eſt. definitionem, niſi per accidens. Et ratio eſt, quia ſicut nulla potentia cognoſcitiua per ſe decipitur circa proprium obiectum, dummodo remoueatur omnis indiſpoſitio ex parte potētiæ, & ex parte obiecti, vt, verbi gratia, viſus, & alij ſenſus exteriores, non decipiuntur circa proprium obiectum ſenſibile: ita etiam, nec intellectus poteſt decipi circa proprium obiectum intelligibile, quod eſt deſinitio, niſi per accidens. Nam ſecundum Ariſto. tertio de anima. ſicut ſe habet ſenſus ad proprium ſenſibile, ità ſe habet intellectus ad proprium intelligibile. De per accidens tamen, bene poteſt contingere deceptio in intellectu, ſicut in ſenſu. In ſenſu quidem, vt quando organum eſt indiſpoſitum, vel medium, per quod fit ſenſatio, non eſt conueniens, vel obiectum non eſt debitè approximatum, vel alijs ſimilibus de cauſis, vt conſtat experientia: in intellectu autem, quando contingit malè ordinare & componere partes diffinitionis, vel malè applicare diffinitionem diffinito, &c. Sed de hoc alibi agendum nobis erit.

¶ Secundum, quod dicit Ariſt. magis attinet ad noſtrum propoſitum, & eſt, quòd circa ſubſtantias incompoſitas & abſtractas, nullo modo, poteſt contingere deceptio, ſed ignorantia. Et ratio eſt, quia cum circa illa tantum ſit deceptio, in quibus contingit aliquid ſcire, & aliquid neſcire, vt ſunt res compoſitæ, de quibus poſſumus ſcire vnum, puta genus, & aliud ignorare, ſcilicet, differentiam; & in ſubſtantijs abſtractis & incompoſitis non contingat aliquid ſcire, & aliquid neſcire, quia ſunt ſimplices & intelligibiles: manifeſtè ſequitur, quòd circa illas non poteſt eſſe deceptio, ſed tantum ignorantia: & neceſſariò, vel ſcimus illas ſimpliciter, vel ſimpliciter ignoramus. *Circa res ſimplices nō poteſt eſſe deceptio.* Quod quidem eſt intelligendum de ipſis rebus ſimplicibus ſecundum ſe conſideratis, & non ſecundum noſtrum modum intelligendi. Nam cùm nos intelligamus res ſimplices, more compoſitarum per compoſitionem, & diuiſionem, vt cognoſcimus de Deo, quòd eſt actus purus, ſimplicisſimus, omnipotens, iuſtus, &c. bene poterimus, noſtro modo intelligendi, circa huiuſmodi compoſitiones aliquid ſcire, & aliquid ignorare, ſicut accidit in cognitione compoſitorum. Cæterum ſi conſideremus eas res, vt ſunt in ſe ſimplices, & indiuiſibiles, nullo modo poterit contingere, quod illas partim ſciamus, & partim ignoremus: ſed qui putat Deum non eſſe omnipotentem, & putat eſſe actum purum, & ſapientem, &c. quicquid intelligit per has affirmationes, non eſt illa res, quæ eſt Deus ſecundum rem: ſed Deus illi ſic putanti repræſentatus. Vnde bene dicit Caietanus in præſenti, quòd in hac re non differunt totum, & aliquid, & quòd non totum & nihil ſunt æquiualentes: quia ſi de ſubſtantijs ſeparatis aliquid cognoſcimus, certè totum cognoſcimus, & ſi non totum, nihil proculdubio nos cognoſcere dicemus: defectus enim cognitionis in huiuſmodi ſimplicibus conſiſtit, in non attingendo illa totaliter. Cum ergo infideles, vt ad noſtrum propoſitum accedamus, non habeant perfectam cognitionem Dei, quam nos per fidem habemus, nihil de illo cognoſcere erunt dicendi: nam Deus ille, quē ſibi videntur cognoſcere, ipſe ſecundum rem non eſt, quem fides noſtra nos docet, atque ex conſequenti, omnes actus fidei, quibus nos Deum, vel Deo, vel in Deum credimus, nullo modo poſſunt eſſe in infidelibus, vt argumentum tertium D. Tho. probare nitebatur.

ARTICVLVS. III.

¶ Vtrùm credere aliquid ſupra rationem naturalem ſit neceſſarium ad ſalutem.

AD TERTIVM ſic proceditur. Videtur quod credere non ſit neceſſarium ad ſalutem. Ad ſalutem enim & perfectionem cuiuſlibet rei ea ſufficere videntur, quę conueniunt ei ſecundum ſuam naturam. Sed ea quæ ſunt fidei, excedunt naturalem hominis rationem, cum ſint non apparentia, vt ſuprà dictum* eſt. Ergo credere non videtur neceſſariū eſſe ad ſalutem.

3.d.24.art.3.q.1. Et 1. con. c.5. Et lib.3.c.118. & .152. Et ve.q.14.ar.10.

** Q.1.art.4.*

2 ¶ Præterea, Periculoſè homo aſſentit illis, in quibus non poteſt iudicare vtrum illud, quod ei proponitur, ſit verum vel falſum, ſecundum illud

Iob.12.

Iob. 12. Nonne auris verba diiudicat? Sed tale iudicium homo habere poteſt in ijs, quæ ſunt fidei: quia homo non poteſt ea reſoluere in principia prima, per quæ de omnibus iudicamus, ergo periculoſum eſt talibus fidem adhibere. Credere ergo non eſt neceſſarium ad ſalutem.

3 ¶Præterea, Salus hominis in Deo conſiſtit: ſecundum illud Pſalm. 36. Salus autem iuſtorum à Domino: ſed inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur: ſempiterna quoque virtus eius & diuinitas, vt dicitur Roma. 1. Quæ autem conſpiciuntur intellectu, non creduntur, ergo non eſt neceſſarium ad ſalutem, vt homo aliqua credat.

¶SED CONTRA eſt, quod dicitur Heb. 10. Sine fide impoſsibile eſt placere Deo.

¶RESPONDEO dicendum, quòd in omnibus naturis ordinatis inuenitur, quod ad perfectionem naturæ inferioris duo concurrunt. Vnum quidem, quod eſt ſecundum proprium motum: aliud autem, quod eſt ſecundum motum ſuperioris naturæ: ſicut aqua ſecundum motum proprium mouetur ad centrum: ſecundum autem motum Lunæ, mouetur circa centrum ſecundum fluxum & refluxum. Similiter etiam orbes planetarum mouentur proprijs motibus ab Occidente in Orientem, motu autem primi orbis ab Oriente in Occidentem. Sola autem natura rationalis creata habet immediatum ordinem ad Deum: quia cæteræ creaturæ non attingunt ad aliquid vniuerſale, ſed ſolum ad aliquid particulare, participantes diuinam bonitatem, vel in eſſendo tantum, ſicut inanimata: vel etiam in viuendo & cognoſcendo ſingularia, ſicut plantæ & animalia. Natura autem rationalis, inquantum cognoſcit vniuerſalem boni & entis rationem, habet immediatum ordinem ad vniuerſale eſſendi principiū. Perfectio ergo rationalis creaturæ nō ſolum conſiſtit in eo, quod ei competit, ſecundum ſuam naturam, ſed in eo etiā, quod ei attribuitur ex quadam ſupernaturali perfectione diuinæ bonitatis. Vnde & ſupra * dictum eſt, quod vltima beatitudo hominis conſiſtit in quadam ſupernaturali Dei viſione, ad quam quidem viſionem homo pertingere non poteſt, niſi per modum addiſcentis à Deo doctore: ſecundum illud Ioan. 6. Omnis qui audit à Patre & didicit, venit ad me. Huius autem diſciplinæ fit homo particeps non ſtatim, ſed ſucceſsiuè ſecundum modum ſuæ naturæ. Omnis autem talis addiſcens, oportet quod credat ad hoc, quòd ad perfectam ſcientiam perueniat, ſicut etiam Philoſophus dicit, quod oportet addiſcētem credere. Vnde ad hoc, quod homo perueniat ad perfectam viſionem beatitudinis præexigitur, quod credat Deo tanquam diſcipulus magiſtro docenti. Q. 3. ar. 8.

¶AD PRIMVM ergo dicendum, quòd quia natura hominis dependet à ſuperiori natura, ad eius perfectionem non ſufficit cognitio naturalis: ſed requiritur quædam ſupernaturalis, vt ſuprà dictum * eſt. In cor. ar.

¶Ad ſecundum dicendum, quòd ſicut homo per naturale lumen intellectus aſſentit principijs: ita homo virtuoſus per habitum virtutis habet rectum iudicium de ijs, quæ conueniunt illi virtuti. Et hoc modo etiam per lumen fidei diuinitus infuſum homini, homo aſſentit ijs, quæ ſunt fidei, non autem contrarijs. Et ideo nihil periculi, vel damnationis ineſt ijs, qui ſunt in Chriſto Ieſu ab ipſo illuminati per fidem.

¶Ad tertium dicendum, quòd inuiſibilia Dei altiori modo quantum ad

plura percipit fides, quàm ratio naturalis ex creaturis in Deum procedens. Vnde dicitur Eccleſiaſt. 3. Plurima ſuper ſenſum hominis oſtenſa ſunt tibi.

SVMMA TEXTVS.

ANtequam D. Tho. reſpondeat ad hanc difficultatem, præmittit aliqua Primũ eſt, quòd in omnibus naturis ordinatis inuenitur, quòd ad perfectionem inferioris naturæ duo concurrunt, vnum quod eſt ſecundum proprium motum, aliud autem, quod eſt ſecundum motum ſuperioris naturæ, vt patet in aqua, & in orbibus planetarum, &c. Secundum quod ſupponit D. Tho. eſt, quòd ſola creatura rationalis habet immediatum ordinem ad Deum: quod probat ex eo, quod ſola cognoſcit vniuerſalem boni rationem, & illam attingit: cùm tamen cæteræ res creatæ non attingant aliquid vniuerſale, ſed tantum aliquid particulare. Tertio ſupponit, quòd vltima hominis beatitudo cõſiſtit in quadam ſupernaturali Dei viſione, ad quam homo pertingere non poteſt, niſi per modũ addiſcentis à Deo doctore. His ſuppoſitis, ponit D. Tho. vnam concluſionem, quæ talis eſt: Ad conſequendam ſalutem eſt neceſſarium, quod homo credat aliquid ſupra naturalem rationem. Probatur, Ad conſequẽdam ſalutem, quæ conſiſtit in clara Dei viſione, eſt neceſſarium, quòd homo ſe habeat ad modum addiſcentis à Deo doctore, ſed omnis addiſcens debet credere, ad hoc, vt poſſit ad perfectam ſcientiam peruenire, iuxta illud Philoſophi, Oportet addiſcentem credere, ergo omnis, qui peruenturus eſt ad claram Deo viſionem neceſſario debet aliquid credere.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Dubium circa primum fundamẽtũ D. Tho.

CIrca primum fundamentum huius articuli eſt difficultas, vtrùm verum ſit? Et pro parte negatiua eſt argumentum: Nam terra eſt vna ex inferioribus naturis, & tamen ad ſuam perfectionem ſolùm cõcurrit proprius motus, quo mouetur deorſum in centrum: ſimiliter primum mobile tantùm mouetur vnico proprio motu, ſcilicet, ab oriente in occidens: & in mixtis etiã non apparet, quomodo duo concurrant ad perfectionem illorum, ergo falſum eſt dicere, quod in omnibus naturis ordinatis, ad perfectionẽ inferioris concurrunt duo, vnũ ſecundum proprium motum, & aliud ſecũdum motum ſuperioris. Ad hanc difficultatem nonnulli dicunt, ꝙ fundamentũ D. Tho. eſt intelligendum tantùm de illis naturis, quæ per ſe ſunt partes vniuerſi cõſeruatiuæ, qualia ſunt elementa, & corpora cœleſtia, & creaturæ intellectuales, quę omnia habent illum duplicem motum: at verò lapis, & lignum, & alia huiuſmodi non ſunt neceſſaria ad conſeruationem vniuerſi: & per hoc ſoluitur inſtantia de mixtis. Cæterum Victoria aliter reſpondebat dicens, ꝙ omnes creaturæ in mundo exiſtentes recipiunt à naturis ſuperioribus aliquã perfectionem, nam cœlũ influit in omnia, ex quo fit, vt etiam in mixtis fundamentũ D. Tho. habeat verum. Quæ ſolutio mihi magis placet. Et ad inſtantiam de terra reſpondetur, quòd etiam ad illius perfectionem duo concurrunt: vnum ſecundũ proprium motum, eſtq; quies in centrum: alterum autem eſt illuminatio Solis, & influentia ſtellarum, ad hoc vt producat herbam virentem & lignum pomiferum, &c. Et quod hoc pertineat ad perfectionẽ terrę probatur ex illo Geneſ. c. 2. Igitur perfecti ſunt cœli, & terra, & omnis ornatus eorũ, &c. Ad aliud autem de primo mobili reſpõdetur, cũ Caietano in pręſenti, ꝙ de illo poſſumus loqui dupliciter, ſcilicet, Theologicè & Philoſophicè. Si loquamur primo modo, dicit, ꝙ primũ cœlũ, quod Empyreũ appellatur, eſt plenum ſpiritibus Angelicis & beatis, quibus maxime ornatur, atq; perficitur: ſi autem loquamur ſecundo modo, dicit, quòd in primo mobili eſt motus circularis illi proprius, & præterea eſt perpetuitas talis motus ab intelligentia proueniens: & ſic ad illius perfectionem duo concurrunt. Vel ſecũdo reſpondetur, & forſan melius, magisque ad mentem D. Tho. quòd hic autor intendit arguere à ſenſibilibus, & corporalibus ad ſpiritualia, & intelligibilia, & dicit, ꝙ quemadmodum inter corporalia & ſenſibilia primum locum tenet primum mobile, ad cuius perfectionem non eſt neceſſe, quod duo concurrant, quia non eſt ſubordinatum alteri naturæ ſuperiori corporali, cùm tamẽ ipſum ad perfectionẽ omnium

Sententia Victoria vera.

omnium aliorum corporum inferiorũ concurrat, vltra propriũ motũ ipſorum, ſic etiã ad perfectionem creaturæ rationalis, vltra proprium motum ipſius, debet concurrere operatio Dei.

Dubium. ¶ Circa ſecundum fundamentũ D. Tho. in quo dicit, quòd creatura rationalis habet immediatum ordinem ad Deum, in quantum cognoſcit vniuerſalem rationem boni, eſt difficultas, de veritate illius? Ad cuius explicationem eſt aduertendum ex Caiet. in præſenti, ꝙ natura rationalis poteſt dupliciter conſiderari: vno modo ſecundũ ſuũ eſſe, alio modo ſecundum operationẽ eius immanentem, quæ eſt cognitio, & appetitio: & adhuc iſto modo poteſt dupliciter cõſiderari, ſcilicet, abſolutè, & ſecundum aliquam particularem rationẽ. Et quidem, ꝙ creatura rationalis, ſecundum ſuum eſſe, ſit immediatè à Deo per creationẽ, eſt res manifeſta. Quòd autem, ſecundum intellectũ & voluntatem, immediatè beatificetur à Deo, etiam eſt certum: nec eſt præſentis loci hoc diſputare. Sed quòd vertitur in dubium eſt, vtrùm creatura rationalis, ſecundum hanc particularẽ rationem, in quantũ ſcilicet, cognoſcit vniuerſalem boni & entis rationem, habeat immediatum ordinẽ ad Deum, tãquam ad vniuerſale eſſendi principium. Et pro parte negatiua eſt argumen-

Argumẽtũ. tum. Nam ſi homo hac ratione haberet immediatum ordinẽ ad Deum, vt D. Tho. dicit, ſequeretur, ꝙ Deus deberet immediatè reuelare hominibus, quæ ſunt fidei, conſequens autẽ eſt falſum: nã id facit mediantibus Angelis, vt patet ex ſacra Scriptura, & ex doctrina D. Dionyſij de Eccleſiaſtica

Explicatio difficultatis. Hierarchia, ergo. ¶ Ad explicationẽ huius difficultatis dico, quòd licet homo, in quantum cognoſcit vniuerſalem boni & entis rationẽ, non immediatè ordinetur à Deo, ſed mediantibus Angelis, à quibus immediatè illuminatur, tamen, in quantum cognoſcit bonum perfectum & vniuerſale, & illud appetit, eſt illius capax, atq; ex conſequenti, quantum ad hoc, habet immediatũ ordinẽ ad ipſum bonum vniuerſale, quod eſt Deus: qui enim cognoſcit vniuerſalem boni & entis rationem, quod etiam habeat naturam eius capacem, licet remotè, ſecundum intellectiuam & appetitiuam partem, erit neceſſe. Vnde quẽadmodum inferiores ſphæræ dicũtur habere immediatum ordinem ad primum mobile, & aqua ad Lunam, quanuis hæc inter ſe multùm diſtent: ità etiam creatura rationalis, quanuis multum diſtet à natura diuina, in quantum tamen eſt ipſius vniuerſalis boni capax, habet immediatum ordinem ad illum, vt ad ſuum obiectum, & finem, & mouens. Nihil enim poteſt mouere ad tale obiectum, & ad talem finem, niſi ſolus Deus, qui eſt vniuerſale principium eſſendi. Et eadem ratio eſt de natura Angelica.

Grauis difficultas. ¶ Circa concluſionem huius articuli eſt difficultas, vtrùm ſemper fuerit neceſſariũ ad ſalutem, habere aliquam cognitionem ſupernaturalem. Quæ quidem quæſtio eſt grauiſsima atque difficilis. Ad cuius explicationem eſt aduertendum primo, quòd in præſenti non quærimus, vtrùm nunc iam promulgato Euangelio ſit neceſſarium credere aliquid ſupernaturale: nam hoc manifeſtum eſt eſſe neceſſarium: ſed quod quærimus eſt, vtrum in vniuerſum, ante tempora Euangelij, aut etiam nunc ijs, qui ignorant inuincibiliter Euangelium, ſit ad ſalutem neceſſarium, credere aliquid ſupernaturale.

Triplex cognitio ſupernaturalis. ¶ Secundo eſt aduertẽdum, quòd præſens quæſtio poteſt habere multiplicem ſenſum, iuxta varias acceptiones terminorum huius quæſtionis. Nam primò cognitio ſupernaturalis poteſt ſumi tripliciter, ſcilicet, effectiuè tantum, obiectiuè tantum, & vtroque modo ſimul. Illa cognitio dicitur ſupernaturalis effectiuè tantum, quæ procedit ab auxilio ſupernaturali, verſatur tamen circa res naturales, quæ non excedunt captum intellectus, vt cum quis ex fide credit Deum eſſe, aut eſſe bonum. Cognitio verò ſupernaturalis obiectiuè tãtum, eſt ea, quæ verſatur circa res ſupernaturales, nõ tamẽ procedit ab auxilio ſupernaturali, qualis eſt cognitio, quã habet hæreticus de hac propoſitione, Deus eſt trinus & vnus: quæ quidem eſt de obiecto ſupernaturali, non tamen procedit ab auxilio ſpeciali, ſed à fide acquiſita. Cognitio autem ſupernaturalis vtroque modo, eſt ea, quæ & verſatur circa res ſupernaturales, & procedit ex auxilio ſpeciali, qualis eſt cognitio fidei, quam habet fidelis de articulis fidei.

¶ Item, quando quærimus, vtrùm cognitio ſupernaturalis ſit neceſſaria ad ſalutem, ly neceſſarium, poteſt accipi tripliciter iuxta tres modos, quibus contingere poteſt, vt ali-

Tripliciter dicitur aliquid neceſſarium. vt aliquid ſit neceſſarium ad aliquem finem conſequendum: vno modo, neceſsitate præcepti, vt non furari, non fornicari, &c. alio modo, neceſsitate finis, quomodo gratia, & alij habitus ſupernaturales, & infuſi dicuntur neceſſarij ad vitam æternam conſequendam. Tertio vtroque modo ſimul, ſcilicet, neceſsitate finis, & neceſsitate præcepti. Et inter ea, quæ neceſſaria ſunt neceſsitate finis, & neceſsitate præcepti; hoc eſt diſcriminis, quod ea, quæ tantum ſunt neceſſaria neceſsitate præcepti, cum ex ignorantia prætermittuntur, nec culpam inducunt, nec impediũt quominus poſsimus finem conſequi ſine illis: at vero illa, quæ ſunt neceſſaria neceſsitate finis, ſic ignorantur inuincibiliter, vt ignorantia excuſet à noua culpa, non tamen poſſumus ſine illis cõſequi finem intentum.

Salus duplex ¶ Item cùm quæritur, vtrùm cognitio ſupernaturalis ſit neceſſaria ad ſalutem, ly, ſalus, poteſt accipi dupliciter: vno modo pro ſalute conſummata, quæ eſt conſequutio gloriæ, alio modo pro ſalute inchoata, quæ eſt per iuſtificationem. Ex quibus manifeſtè ſequitur, quòd propoſita quæſtio poteſt habere multiplices ſenſus. Nam primo, poteſt intelligi de fide, & *Multiplex ſenſus quæſtionis.* cognitione ſupernaturali, vel effectiuè tantum, vel obiectiuè tantum, vel vtroque modo ſimul. Item poteſt intelligi de neceſsitate, vel præcepti, vel finis, vel vtroque modo ſimul. Et tandem poteſt quæri, vtrùm talis cognitio ſit neceſſaria ad gloriæ conſequutionem, vel etiam ad iuſtificationem. Nam iuxta varios quæſtionis ſenſus, variæ extiterunt opiniones.

Sententia Pelagianorum. ¶ Pelagiani enim duo dicebant. Primũ eſt quòd in illis, quibus iam promulgatum eſt Euangelium, ſemper eſt neceſſarium ad ſalutem, habere aliquam cognitionem ſupernaturalem obiectiuè tantum: ità, vt aſſentiantur rebus ſupernaturalibus, quanuis illis aſſentiri poſſunt per ſuas vires, ſine auxilio ſpeciali. Secundo dicebant, quòd, ſimpliciter & abſolutè loquendo, homo poteſt, & iuſtificari, & ſalutem conſequi, ſine aliqua cognitione ſupernaturali, vel ex parte principij, vel ex parte obiecti. Et quanuis Catholici communiter non aſſentiantur Pelagio in primo dicto, dicũt enim quod illi, quibus iam eſt promulgatum Euangelium, nullo modo poſſunt aſſentiri Euangelio, ſine aliquo lumine ſupernaturali: tamen quidam ex illis, in ſecundo dicto, ita accedunt ad Pelagianorum ſententiam, vt vix poſsint ab errore defendi: dicunt enim, quod nunc, iſto tempore, illi, qui inuincibiliter ignorant Euangelium, & tempore legis naturæ, omnes, qui vixerunt illo tempore, non egebant cognitione ſupernaturali, nec ex parte principij, nec ex parte obiecti ad iuſtificationem cõſequendam: ſed quod poterant iuſtificari, quantum eſt ex parte intellectus, cum ſola cognitione naturali. Hanc ſententiam tenet Vega, lib. 6. in concilio Triden. cap. 20. *Sententia Vegæ & aliorũ* & idem tenuit Victoria: & Soto lib. 2. de natura & gratia. c. 11. in prima editione, licet poſtea in ſecunda editione ſententiam mutauerit, & adducit pro ſe Gabrielẽ in. 3. diſt. 25. quæſt. vnica, art. 2. concluſ. 3. & in. 2. diſtin. 2. art. 3. Eſt tamẽ aduertendum, ꝙ quãuis iſti Doctores multũ accedãt ad Pelagianorum ſententiam, differunt tamen non nihil ab illis in eo, quòd Pelagiani dicebant, nec ex parte intellectus, nec ex parte voluntatis, eſſe neceſſarium aliquid ſupernaturale ad conſequendam iuſtitiam. Cæterum iſti Doct. quãuis ex parte intellectus dicãt, non eſſe neceſſariam ſupernaturalem cognitionem, fatentur tamen ex parte voluntatis eſſe neceſſariam ſupernaturalem aliquam motionem, ad hoc, vt homines iuſtificentur. ¶ Alij autem in hac re aliter ſentiunt. Dicunt enim, quòd ſemper fuit neceſſaria ad ſalutem conſequendam, aliqua cognitio ſupernaturalis ex parte principij, licet cognitio ſupernaturalis ex parte obiecti non fuerit neceſſaria. Et eſt dicere, ꝙ *Sentẽtia Soti* non erat neceſſarium, vt homines cognoſcerent aliquid ſupernaturale: ſed ſufficiebat cognitio rerum naturalium: erat tamen neceſſarium, vt ea ipſa, quę per lumen naturale intellectus cognoſcere poterant, vt, verbi gratia, virtutem eſſe ſectandam, & Deum eſſe remuneratorem bonorum atq; malorum, cognoſcerent ex lumine ſupernaturali, vt hac ratione illis rebus aſſentirentur firmiter & efficaciter, & tali cognitione, quæ ſufficiens eſſet ad continendos homines in officio. Hanc ſententiam, vt a maioribus noſtris accepimus, defendebat Soto in publicis concertationibus: & quantum ego iudico eſt Caietani ſuper epiſtolam ad Hebræ. c. 11. in illa verba, Accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt, & quia inquirentium ſe remunerator eſt.

¶ Vt

1. Notabile. ¶ Vt tamen præſens quæſtio perfectè intelligatur ſupponendum eſt primo ex Caietano in præſenti, quòd ea tantum pertinēt ad adultos, qui per proprios actus iuſtificantur, & non ad paruulos, qui ſuſcepto baptiſmo iuſti fiunt. Nam iuſtificatio, vt communiter concedunt Doctores, eſt duplex, vna, quæ fit per ſacramentum, alia, quæ fit ſine ſacramento: & vtraque iſta iuſtificatio formaliter conſiſtit in eo, quod animus hominis, qui anteà erat turpis, & à Deo auerſus, ex diuino auxilio auertitur à peccato, & conuertitur ad Deum. Sed nota, quòd iſta animi rectitudo, in qua formaliter conſiſtit iuſtificatio, eſt duplex, *Animi rectitudo duplex.* vna naturalis, altera ſupernaturalis. Naturalis eſt quædam recta animi affectio concordans cum eo, quod naturalis ratio dictat. Supernaturalis autem rectitudo eſt alia quędam melior animi conſtitutio, quę omnem virtutem humanam vincit, & proximè accedit ad diuinam ſimilitudinem: & hac quidem neceſſarium eſt, vt afficiatur, quicunque ſupernaturaliter iuſtificatur, ſiue iuſtificatio fiat per ſacramentum, ſiue per actus liberi arbitrij. *Diſcrimen inter iuſtificationē, quæ fit cū ſacramento & ſine illo.* Eſt tamen diſcrimen quantum ad hoc, quòd in eo, qui per ſolam ſacramenti ſuſceptionem iuſtificatur, qualis eſt paruulus, illa animi rectitudo, & bona affectio fit à ſolo Deo, qui per gratiæ ſuæ donum, arcana quadam & efficaci ratione, ipſo puero nihil operante, corrigit animum illius à prauitate, & reddit pie affectum, tamen in iuſtificatione, quæ fit non per ſacramentum, ſed per actus liberi arbitrij, vt cùm adultus iuſtificatur, illa animi rectitudo, in qua diximus formaliter conſiſtere iuſtificationem, non fit à ſolo Deo, ſed etiam habet ortum ab actuali conuerſione voluntatis. Nam cum voluntas noſtra ex auxilio diuino permota auerſatur peccatū, & concipit ſpem diuinæ miſericordiæ, conuertitur planè ad Deum amandum, & illo actuali amore ſeipſam, & totam animam reuocat à prauitate in qua erat, & reddit ſeipſam ex omni parte honeſtam. Ex quo ſequitur, quòd ad iuſtificationem adultorum neceſſario requiritur conuerſio voluntatis.

2. Notabile. ¶ Secundo eſt ſupponendum quòd, quoniam iuſtificatio, vt diximus, conſiſtit in quadam animi recta affectione ſupernaturaliter ipſi animæ inhærente per modum habitus, quam rectitudinem in adultis efficit actualis amor, & conuerſio voluntatis in Deum, manifeſtè ſequitur, quòd ad iſtam iuſtificationem efficiendam non ſufficit qualiſcunque amor ſeu conuerſio voluntatis, ſed illa tantum, quæ apta fuerit & potens ad efficiendam ſupernaturalem rectitudinem. Vnde, cùm in conuerſione voluntatis duo poſſumus conſiderare, ſcilicet, modum, & obiectum, dico, quòd ex parte modi, neceſſarium eſt, quod voluntas abſolutè, & non velleitate quadam conuertatur, ex parte autem obiecti eſt neceſſarium, quòd ſtudio, & amore proſequatur, non tantum hoc virtutis genus hominibus notum, ſed etiā aliud diuinius, & ſublimius exiſtenſque ſuper rationem humanam, nempe quòd amet ipſum Deum ſupernaturalis rectitudinis autorem, effectorem, & corroboratorem: nam vtrumque eſt neceſſarium adhoc, vt conuerſio voluntatis poſſit efficere illam ſupernaturalem rectitudinem, in qua formaliter diximus conſiſtere iuſtificationem.

¶ Tertio eſt ſupponendum, quòd cùm voluntas non feratur in incognita, & ad iuſtificationem ſit neceſſaria conuerſio voluntatis, manifeſtè ſequitur, quòd etiam ex parte intellectus eſt ponenda aliqua cognitio, quæ qualis, aut quanta eſſe debeat ex ipſa conuerſione voluntatis, cuius cauſa ponitur, eſt intelligendum: nam illa cognitio erit neceſſaria, quæ fuerit ſufficiens ad efficiendam perfectam, & ſupernaturalem conuerſionem voluntatis. *3. Notabile.*

¶ His conſtitutis ſit prima concluſio: Ex parte intellectus, præter lumen naturale illius, ſemper fuit neceſſarium ad conſequendam iuſtitiam lumen aliud ſupernaturale, & peculiaris quædam Dei illuſtratio, atque inſpiratio, & contrarium dicere eſt grauis error. Itaque ſemper fuit neceſſaria cognitio ſupernaturalis, ſaltim ex parte principij, & effectiuè tantum, ad ſalutem conſequendam. Probatur primo hæc concluſio. Nam ad iuſtitiam conſequendam neceſſaria ſemper fuit conuerſio voluntatis in Deum, maior atque efficacior, quàm eſt conuerſio naturalis, vt omnes catholici fatentur, ergo etiam ſemper fuit neceſſaria maior cognitio ex parte intellectus, quàm eſt cognitio naturalis. Antecedens eſt de fide, & conſequentia probatur *2. Concluſio.* *1. Ratio.*

batur ex tertio fundamento: nam volun-
tas ſequitur in omnibus actionem inrelle-
ctus: nihil enim volitum, quin precognitū.
Ergo, ſi ad iuſtitiam eſt neceſſaria maior
conuerſio voluntatis in Deum, quàm ea,
quæ habetur per naturam, ſimiliter etiam
erit neceſſarium, quod intellectus iudicet
Deum eſſe ſtudio proſequendum certio-
ri & altiori iudicio, quàm eſt illud, quod
2. Ratio. habetur per naturam. Et confirmatur:
Nam quamuis naturali cognitione cogno-
ſcere poſſumus quòd Deus eſt, & quod re-
munerator eſt bonorum atque malorum,
tamen hoc cognoſcitur ſerò, & poſt mul-
tum laborem, & longam inquiſitionem,
habeturque hæc cognitio à paucis, & eſt
ſemper cum dubitatione admiſta. Ergo
ad hoc, vt omnia iſta & cognoſcantur à
multis, & cognoſcantur ſine dubitatione
& formidine, & tali cognitione quæ ſuf-
ficiens ſit inflammare voluntatem amore
& deſiderio talium rerum, neceſſarium
eſt aliquod lumen ſupernaturale ex parte
3. Ratio. intellectus. Item eadem cōcluſio probatur.
Nam fides eſt neceſſaria ad ſalutem conſe-
quendam, vt conſtat ex illo Abachuc cap.
2. Iuſtus ex fide viuit: & ex Paulo ad Ro-
ma. 2. vbi dicit, Iuſtitia Dei per fidem Ie-
ſu Chriſti in omnes & ſuper omnes, qui
credunt in eum: & ad Hebræos. 11. Sine fi-
de impoſſibile eſt placere Deo: ſed fides
eſt donum, & lumen altius, quàm eſt lu-
men naturale, vt conſtat ex Paulo ad Ga-
lat. 2. dicente, Gratia Dei ſaluati eſtis per
fidem, & hoc non ex vobis, donum enim
Dei eſt, ergo ad ſalutem conſequendam
ex parte intellectus requiritur maius lu-
men, quàm eſt lumen naturale. Quod &
ſignificare voluit Dauid pſalm. 88. quaſi-
do dixit, Domine in lumine vultus tui am
bulabunt, & in nomine tuo exultabunt
tota die: his enim verbis apertè fatetur,
nos in via Domini ambulare non poſſe, ni-
ſi maiori vultus Dei lumine illuſtremur.
Vnde Salomon Sapientiæ. 9. dicebat, Da
mihi ſedium tuarum aſſiſtricem ſapien-
tiam, vt mecum ſit, & mecum laboret:
per hanc enim ſancti ſunt, quicunque ti-
bi placuerunt à principio. Item primæ ad
Corinth. cap. 12. dicit Paulus, quòd ne-
mo poteſt dicere, Dominus Ieſus, niſi in
Spiritu ſancto: & cap. 3. quod non ſuffi-
cientes ſumus cogitare aliquid ex nobis,
quaſi ex nobis. Ergo, ſi has res minimas
non poſſumus ſine ſpeciali Dei auxilio,
multò minus poterimus ſine eodem au-
xilio habere eam cognitionem, quæ eſt
initium iuſtitiæ. Tandem probatur hæc *Vltima ratio.*
concluſio ex communi conſenſu omnium
Doctorum: ità enim ſentit Diuus Ambro-
ſius ſuper epiſtolam ad Titum cap. 2. &
lib. 1. de vocatione Gentium capite vlti-
mo. & Diuus Auguſtinus in lib. de Spiri-
tu & litera. cap. 29. &. 30. & in lib. de Gra-
tia & libero arbitrio cap. 7. & lib. 83. quæ-
ſtionum quæſtio. 67. & Diuus Hierony-
mus in epiſtolam ad Epheſios cap. 3. &
Chryſoſtomus in homil. de fide & lege na
turæ. & homilia. 3. ſuper epiſtolam ad Ro-
ma. & Celeſtinus papa in epiſtola ad Gal-
liarum Epiſcopos cap. 8. quæſtio. 10. &. 11.
Item hoc diffinitum eſt in concilio Mile-
uita. canon. 4. & in concil. Arauſi. canon.
5. 6. 7. &. 8. & in concil. Tridenr. ſeſſio.
de iuſtificatione. canone. 3. vbi dicitur. Si-
quis dixerit ſine præueniente Spiritus ſan-
cti inſpiratione, atque eius adiutorio, ho-
minem credere, ſperare, diligere, aut pœ-
nitere poſſe ſicut oportet, vt ei iuſtificatio-
nis gratia conferatur, anathema ſit.

¶ Sed contra iſtam concluſionem ſunt *1. Argum.*
aliquot argumenta. Primum eſt deſum- *cōtra primā*
ptum ex doctrina Diui Thomæ qui. 1. 2. *concluſionē.*
quæſtio. 89. artic. 6. dicit, quòd pueri in
primo inſtanti vſus rationis tenentur con-
uertere ſe in Deum, quod ſi faciant ſtatim
iuſtificantur. Sed ſic eſt, quòd in primo
inſtanti non habent cognitionem aliquam
ſupernaturalem ex parte principij, ergo ea
non eſt ſimpliciter neceſſaria ad ſalutem.

¶ Secundo ſic argumentor: Qui igno- *2. Argum.*
rat inuincibiliter ea, quæ pertinent ad fi-
dem, non peccat non credendo, ergo ſi
aliàs faciat quod eſt in ſe, ſaluabitur ſine
cognitione ſupernaturali. ¶ Tertiò, ſi co- *3. Argum.*
gnitio ſupernaturalis eſſet ſimpliciter ne-
ceſſaria ad ſalutem, ſequeretur, quòd etiam
tempore legis naturæ fuiſſet præceptum
de habenda fide: conſequens autem eſt fal
ſum: nam tunc multa alia præcepta erant
præter naturalia, & ob id lex naturæ fuit
appellata: ergo. Sequela probatur: nam le-
ge naturæ erant in præcepto omnia neceſ-
ſaria ad ſalutem, ergo ſi cognitio ſuper-
naturalis erat eo tempore neceſſaria, ma-
nifeſtè ſequitur, quod etiam erar in præ-
cepto.

¶ Vltimo argumētor ex Paulo ad Ro. 2.
dicenre,

dicente, quòd gentes, quæ legē nō habent, naturaliter, quæ legis ſunt, faciunt: oſtendunt enim opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, vbi gloſſa dicit, naturaliter, id eſt, per naturalem cognitionem, ergo ex ſententia Pauli, per cognitionem naturalem poterant Gentes legem obſeruare, atque ex conſequenti iuſtificari: nam vt docet D. Paulus in eodem loco, Obſeruatores legis iuſtificabuntur: & ſic ad iuſtificationem non erit neceſſaria cognitio ſupernaturalis.

Ad. 1. arg. ¶ Ad primum argumentum, vt reſpondeamus, ſupponendum eſt primò, quòd D. Tho. tenet veram & catholicam ſententiam, quam nos poſuimus in prima concluſione, ſcilicet, quòd iuſtitia non poteſt comparari ſine ſupernaturali cognitione, ità enim affirmat. 1. 2. quæſtio. 113. art. 4. ad ſecundum. Secundò ſuppono, eſſe valde probabile, quod Deus in primo inſtanti vſus rationis, ſicut præcipit hominibus, vt ſe conuertant in ipſum ità etiam illuſtrat ſpeciali auxilio ipſorum mentes, & mouet voluntates ad hoc, vt iuſtificari velint. Quo ſuppoſito ad argumentum reſpondetur, conceſſa maiori, negando minorem: Deus enim in primo inſtanti vſus rationis infundit hominibus fidem, & ſic non iuſtificantur ſine cognitione ſupernaturali. Vel ſecundò reſpondetur negando quod ille, qui in primo inſtanti vſus rationis conuertitur in Deum, quantum per naturam poteſt, ſtatim iuſtificetur, ſed iuſtificabitur poſtea ſecundum diuinam diſpoſitionem, cum fuerit maiori & ſupernaturali lumine illuſtratus. Si quis autem obijciat, quod in illo tempore intermedio poterit peccare venialiter, & ſic tantùm habebit homo peccatum veniale cum originali, quod eſt contra ſententiam D. Tho. reſpondetur, quod ſententia Diui Tho. quantum ad hoc, quod peccatum veniale non poteſt eſſe ſimul cum ſolo peccato originali, tantum eſt probabilis, & forſan oppoſita eſt probabilior. Vnde reſpondeò vel concedendo obiectionem, vel dicendò quòd pertinet ad diuinam prouidentiam efficere, quòd homo illo tempore non peccet ſolum venialiter, propter rationem, quam aſsignat Diuus Tho. 1. 2. quæſti. 89. artic. 6.

Ad 2. Arg. ¶ Ad ſecundum reſpondetur conceſſo antecedenti, negando conſequentiam: nam qui ignorat inuincibiliter credenda, ſi aliàs faciat quod eſt in ſe, illuminabitur ſine dubio à Deo: & ſic non conſequetur ſalutem ſine ſupernaturali cognitione.

Ad. 3. Arg. ¶ Ad tertium reſpondetur conceſſa maiori, negando minorem. Et ad probationem dico, falſum eſſe, quod in lege naturæ nulla alia erant præcepta præter naturalia: quia, vt poſteà dicemus, in omni ſtatu fuit ſemper in Eccleſia doctrina aliqua ſupernaturalis, & cognitio peccati originalis, & medicina inſtituta ad tale peccatum delendum: & fuit etiam ſimiliter præceptum de diligendo Deum altiori modo, quàm per naturam diligi poterat: quæ omnia ſunt præcepta ſupernaturalia. Dicebatur autem illa lex naturæ, primò, quia continebat pauciſsima præcepta ſupernaturalia: ſecundò, ad differentiam legis Moſaicæ, quæ poſteà ſucceſsit, & in qua præceptorum onus in immenſum creuit.

Ad vltimū. ¶ Ad vltimū ex teſtimonio Pauli reſpōdetur, quòd quando Diuus Paulus dicit, quòd gentes naturaliter, quæ legis ſunt faciunt, per ly, naturaliter, non intelligit ſine gratia & ſine auxilio ſpeciali Dei, ſed ſine lege aliqua ſcripta, & ſine præcepto exteriori. Comparat enim Apoſtolus eo in loco gentes cum Iudæis, quibus lex ſcripta data fuerat, & dicit, quod Gentiles erant magis ſtudioſi, quam Iudæi, quibus tam diligenter lex data fuerat. Idque probat ex eo, quòd, cùm non haberent legem aliquam literis ſcriptam ſicut Hebræi, oſtendebant tamen opus legis ſcriptum in cordibus ſuis. Hanc expoſitionem ſequitur Diuus Auguſtinus in lib. de Spiritu & litera cap. 26. & Diuus Tho. 1. 2. quæſtio. 109. artic. 4. ad primum. Vel ſecundò reſpondetur, quòd Diuus Paulus, cùm dicit, quòd Gentes naturaliter quæ legis ſunt faciunt, non docet, quòd Gentes illis ſuis operibus naturaliter factis, iuſtificarentur: contrarium enim tota illa epiſtola docuerat: ſed ad amplificandam Iudæorum negligentiam ex comparatione ad Gentes dicit id, quod veriſsimum erat, ſcilicet, quòd Gentes ſolùm bonitate naturæ inſtructæ, & deſtitutæ omnibus alijs auxilijs, quibus abundabant Iudæi, colebant officium virtutis aliqua ex parte, multò diligentiùs, quàm Iudæi: ille tamen cultus virtutis non erat ſufficiens ad conſequendam iuſtitiam. Ita exponit Caietanus ſupra illum locum, cuius expoſitio mihi maximè placet.

¶ Secun-

2. *Concluſio.* ¶Secunda concluſio, Semper fuit neceſſaria ad ſalutem cognitio aliquarum rerum ſupernaturalium: itaq; non ſolùm ex parte principij, ſed etiam ex parte obiecti ſemper fuit neceſſaria cognitio ſupernaturalis. Hæc concluſio, meo iudicio, nō eſt minùs certa, quàm ſuperior. Et probatur primo, nam ad iuſtificationem requiritur, quod voluntas conuertatur ad altiora bona, quàm ſunt illa, quæ per rationem naturalem cognoſcuntur, vt diximus in ſecundo fundamento, ergo etiam eſt neceſſaria cognitio illorum bonorum. Patet conſequentia: nam nihil eſt volitum, quin præcognitum. Et confirmatur: Si ad ſalutem non eſſet neceſſarium cognoſcere aliquid ſupernaturale, ſequeretur, quòd etiam in aliquo caſu non eſſet neceſſarium lumen ſupernaturale, atque ex conſequēti, quòd poſſet quis ſalutem conſequi ſine cognitione aliqua ſupernaturali, nec ex parte principij, nec ex parte obiecti: conſequens autem eſt hæreticum, ergo. Sequela probatur: nam, ſi ſufficeret ad ſalutem cognitio illarum rerum, quæ per lumen naturale cognoſci poſſunt, quamuis ea rarò & à paucis haberi poſsit, tamen eſſet caſus in quo ab aliquo rectè & perfectè haberetur, ergo in illo caſu non eſſet neceſſarium lumen ſupernaturale ad illas res cognoſcendas, atque ex conſequenti, poſſet tunc iuſtificari homo ſine cognitione aliqua ſupernaturali. Item probatur concluſio ex illo pſalm. 42. Emitte lucem tuam, & veritatem tuam, ipſa me deduxerunt in templum ſanctum tuum: vbi Propheta duo poſtulat, ſcilicet, lucem atque veritatem: lux pertinet ad lumen fidei, & veritas ad ea, quæ credenda ſunt, ergo vtrumque eſt neceſſarium ad iuſtitiam conſequendam, ſcilicet, & lumen ſupernaturale, & cognitio rerum ſupernaturalium.

Obiectio. Si quis autem dicat, quòd ex hoc teſtimonio tantum colligitur ad ſalutem eſſe neceſſariam cognitionem alicuius veritatis, non autem quòd eſt neceſſaria cognitio veritatis ſupernaturalis,

Solutio. Reſpondeo, id eſſe falſum. Et probatur primo ex eo, quod ſtatim adiecit, ſcilicet, Ipſa me deduxerunt in templum ſanctum tuum & in tabernacula tua: nam vt manifeſtè conſtat, cognitio naturalis rerum naturalium non eſt potens perducere nos in illa bona, quæ ſupernaturalia ſunt atque diuina. Item probatur ex illo pronomine, tuam, ſtatim adiecto, quod poſitum fuit, vt per antonomaſiam intelligeremus, illum non de quacunque luce, aut veritate loqui, ſed de luce & veritate inſigni, qualis eſt ſupernaturalis. Item præterea probatur concluſio ex illo Pauli. 1. ad Corinth. cap. 2. Vbi ſapiens, vbi Scriba? nonne ſtultam fecit Deus ſapientiam huius ſeculi? Ex quo loco ſic colligo argumentū. D. Paulus volens oſtendere quod ſcientia Scribarum, ideſt, cognitio rerum naturalium, nihil prodeſt ad ſalutem, reddit pro cauſa, quia Deus illam in ſtultitiam conuerterit: ſed hoc non fecit Deus, niſi traditione, & doctrina rerum ſupernaturalium, ad quas comparata humana ſapientia nihil aliud eſt quàm ſtultitia, ergo rerum ſupernaturalium cognitio eſt neceſſaria ad ſalutem. Et confirmatur: nam ad Heb. 11. definiens Paulus fidē dicit, quod eſt ſubſtantia rerum ſperandarum, argumentum non apparentium. Ex quo loco ſic colligo argumentum: Fides eſt neceſſaria ad ſalutem, vt ſuprà diximus, & fides eſt ſubſtantia rerum ſperandarum, argumentum non apparentium, ergo ad ſalutem eſt neceſſaria cognitio rerum ſupernaturalium, & quæ non apparent. Quod & probat Apoſtolus, eo in loco, enumeratis plurimis iuſtorum exēplis, quibus manifeſtè docet, vnūquēq; illorū credidiſſe aliquid ſupernaturale & ob eam cauſam fuiſſe iuſtificatū. Nam Noë credidit diluuium futurum, quod ratione naturali cognoſci nō poterat. Et Abraham per fidem appellatus obediuit, vt exiret in locum, quem accepturus erat, confidens certò ſe pro illa domo terrena cœleſtē patriam aſſequuturum, ſperauerat enim habentem fundamenta ciuitatem, cuius conditor eſt Deus, vt Paulus affirmat. Et ſimilem fidem laudat in Sara dicens, Fide & ipſa Sara ſterilis virtutem in conceptione ſeminis accepit, etiam præter tempus ætatis, quoniam fidelem credidit eſſe Deum, qui repromiſerat. Et tandem generali ſententia de omnibus concludit, Iuxta fidem defuncti ſunt omnes iſti non acceptis repromiſsionibus, ſed à longe eas aſpicientes, & ſalutantes, & confitentes, quia peregrini & hoſpites ſunt ſuper terram: qui enim hoc dicunt ſignificant ſe patriam inquirere. Quibus verbis apertè ſignificat, omnes illos habuiſſe fidem de vita futura, quæ ſine dubio ratione naturali cognoſci non poteſt.

¶Sed

Argumentũ contra ſecundam concluſionem. ¶Sed contra iſtam concluſionem eſt argumentum: Ad ſalutem conſequendam ſufficit cognoſcere, quod Deus eſt, & quòd eſt remunerator, vt docet Paulus ad Hebræos.11.dicens, Accedētem ad Deũ oportet credere, quia eſt, & quia remunerator eſt, &c. Sed iſta duo cognoſci poſſunt, tantum lumine naturali, ergo ad ſalutem non eſt neceſſarium cognoſcere aliquid ſupernaturale. Conſequentia cum maiori eſt nota, & minor probatur. Nam primo, quòd Deus ſit, cognoſcitur per demōſtrationem, ſicut cognitum fuit ab Ariſto. & item quod ſit remunerator, colligitur euidenter ex eo, quòd Deus habet prouidentiam, & & eſt iuſtus, quæ ſolo lumine naturali intellectus cognoſci poſſunt: ergo. ¶Ad hoc argumentum reſpōdetur primo, quòd D. Paulus affirmat cognitionem illarum rerum eſſe neceſſariam ad ſalutem, non tamen dicit eſſe ſufficientem, & ſic nihil ſequitur contra noſtram concluſionem. Vel ſecundo reſpondetur, quòd etiam ſi dicamus cognitionem illarum rerum eſſe ſufficientem ad ſalutem, adhuc tamen non ſequitur, quòd non ſit neceſſaria cognitio rerum ſupernaturalium. Nam hoc, quod eſt Deum eſſe remuneratorem, dupliciter intelligi poteſt, vno modo ratione quadam generali, ſcilicet, non determinando præmium nec pœnam, quibus boni aut mali ſunt afficiendi: alio modo in particulari, determinando præmium quod bonis eſt conferendum, ſcilicet, viſionem beatificam & pœnam, qua mali ſunt puniendi, ſcilicet, ignem æternum. Dico ergo, quòd cognoſcere Deum eſſe remuneratorem primo modo, non excedit facultatem noſtri intellectus, tamen illa cognitio nō eſt ſufficiens ad ſalutem: quia non eſt ſatis efficax ad continendos homines in officio, nec poteſt valere ad excitandos illos ad opus virtutis. Cęterùm cognoſcere Deum eſſe remuneratorem ſecundo modo, excedit planè facultatem noſtri intellectus, & hoc eſt quod dicit Paulus eſſe neceſſarium ad ſalutem. Vnde nihil obſtat argumentum.

Ad argumentum.

3. Concluſio. ¶Tertia concluſio: Cognitio ſupernaturalis vtroq; modo eſt neceſſaria ad ſalutem, non ſolum neceſsitate finis, ſed etiam neceſsitate præcepti. Et quidem quod vtraq; cognitio ſit neceſſaria neceſsitate finis, ſufficienter colligitur ex ſuprà poſitis concluſionibus: quòd autem etiam ſit neceſſaria neceſsitate præcepti probatur ex illo Marci vltimo capite. Euntes in mundum vniuerſum prædicate euangelium omni creaturæ, qui crediderit & baptizatus fuerit ſaluus erit: qui verò non crediderit condemnabitur. Quæ verba, vt conſtat, continent præceptum de habenda fide. Quin potius dico, quòd hoc pręceptum non ſolùm fuit poſitum in lege euangelica, ſed etiam illud obligabāt in lege naturæ, & in lege ſcripta: Nam cum omnes actus, qui ſunt neceſſarij ad ſalutem, ſint in præcepto, & actus fidei ſupernaturalis, tã ex parte principij, quàm ex parte obiecti fuerit ſemper neceſſarius ad ſalutem, vt ex ſupra dictis patet, manifeſtè ſequitur, quòd tam in lege naturę, quàm in lege ſcripta, fuit hoc præceptum. Verum tamen eſt, quòd in lege naturæ non erat ſcripto mandatum, ſed illud habuit Adam per reuelationẽ, & ab ipſo fuit in poſteros deriuatum, per modum cuiuſdam traditionis. Et hęc dicta ſufficiāt de iſta difficultate.

ARTICVLVS. IIII.

¶*Vtrum ſit neceſſarium credere ea, quæ ratione naturali probari poſſunt.*

AD QVARTVM ſic proceditur. Videtur quod ea, quæ ratione naturali probari poſſunt, non ſit neceſſariũ credere. In operibus enim Dei nihil ſuperfluum inuenitur, multo minus, quàm in operibus naturæ. Sed ad id, quod per vnum poteſt fieri, ſuperflue apponitur aliud: ergo ea, quæ per naturalem rationē cognoſci poſſunt, ſuperfluum eſſet per fidem accipere. *3.d.24.ar.3 q.1. Et.1.cõ. c.4. Et Veri. q.14.a.10. co. Et Boë. tri.q.3.ar.1*

2 ¶Præterea, Ea neceſſe eſt credere, de quibus eſt fides. Sed nō eſt de eodē ſcientia & fides, vt ſupra habitum eſt. Cum ergo ſcientia ſit de omnibus illis quę naturali ratione cognoſci poſsũt, videtur quod non oporteat credere ea, quæ per naturalem rationem probantur. *Q.a.4.et.5.*

3 ¶Præterea, Omnia ſcibilia vidētur eſſe vnius rationis; ſi ergo quędã eorum proponuntur homini vt credenda, pari ratione omnia huiuſmodi neceſſe eſſet credere: hoc autem eſt falſum.

ſum. Non ergo ea quæ per naturalem rationem cognoſci poſſunt, neceſſe eſt credere.

¶SED CONTRA eſt, quia neceſſe eſt Deum credere eſſe vnum & incorporeum, quæ naturali ratione à Philoſophis probantur.

¶RESPONDEO dicendum, quòd neceſſarium eſt homini accipere per modum fidei non ſolum ea, quæ ſunt ſupra rationem: ſed etiam ea, quæ per rationem cognoſci poſſunt. Et hoc propter tria. Primo quidem, vt citius homo ad veritatis diuinæ cognitionem perueniat. Sciētia enim ad quam pertinet probare Deum eſſe & alia huiuſmodi de Deo, vltimo hominibus addiſcenda proponitur, præſuppoſitis multis alijs ſcientijs. Et ſic nō niſi poſt multum tempus vitæ ſuæ homo ad Dei cognitionem perueniret. Secundo, vt cognitio Dei ſit communior. Multi enim in ſtudio ſcientiæ proficere non poſſunt, vel propter hebetudinem ingenij, vel propter alias occupationes & neceſsitates temporales vitæ, vel etiam propter torporem addiſcendi, qui omnino à Dei cognitione fraudarentur, niſi proponerentur eis diuina per modum fidei. Tertio modo propter certitudinem. Ratio enim humana in rebus diuinis eſt multum deficiens. Cuius ſignum eſt, quia Philiſophi de rebus humanis naturali inueſtigatione perſcrutantes in multis errauerunt, & ſibiipſis contraria ſenſerunt. Vt ergo eſſet indubitata & certa cognitio apud homines de Deo, oportuit quòd diuina eis per modum fidei traderentur, quaſi à Deo dicta, qui mentiri non poteſt.

¶AD PRIMVM ergo dicendum, quòd inueſtigatio naturalis rationis non ſufficit humano generi ad cognitionem diuinorum, etiam quæ ratione oſtendi poſſunt: & ideo non eſt ſuperfluum, vt talia credant.

¶Ad ſecundum dicendum, quòd de eodem non poteſt eſſe ſcientia & fides apud eundem, ſed id quod eſt ab vno ſcitum, poteſt eſſe ab alio creditum: vt ſuprà * dictum eſt. *q.1. art.5.*

¶Ad tertium dicendum: quòd ſi omnia ſcibilia conueniant in ratione ſcientiæ, non tamen conueniunt in hoc, quòd æqualiter ordinent ad beatitudinem: & ideo non æqualiter omnia proponuntur vt credenda.

SVMMA TEXTVS.

CONCLUSIO, Neceſſarium eſt homini, vt accipiat per modum fidei, non ſolum ea, quæ ſunt ſuprà rationem, ſed etiam ea, quæ per rationem cognoſci poſſunt. Hanc concluſionem probat D. Tho. triplici ratione. Prima eſt, vt hac ratione citius perueniat homo ad cognitionem diuinæ veritatis: ſcientia enim, ad quam pertinet probare Deum eſſe, & alia huiuſmodi de Deo, non niſi poſt longum tempus & poſt multam acquiſitionem haberi poteſt. Secundo, vt cognitio Dei ſit communior, cum multi ſint, qui in ſtudio ſcientiæ proficere non poſſunt, vel propter hebetudinem ingenij, vel propter alias occupationes. Tertio, vt homo certiùs aſſentiatur credendo, quàm cognoſcendo: nam fides certior eſt ſcientia, vt infrà dicemus.

EXPLICATIO ARTICVLI.

ARticulus iſte eſt facilis, & tantum contra ſolutionem ad primum, in qua dicit D. Tho. quòd inueſtigatio rationis naturalis non ſufficit humano generi ad cognitionem eorum, quę per naturam cognoſci poſſunt, eſt argumentum, quia alias ſequeretur, quod Deus, & natura deficerent in neceſſarijs, conſequens eſt falſum, ergo. Sequela probatur, nam cognitio rerum naturalium eſt humano generi neceſſaria, ergo ſi ad hanc nō valet inquiſitio humana, natura deficit in neceſſarijs. *Argumē.* ¶Ad hoc argumentum reſpōdetur cum Caietano in pręſenti, quòd genus humanum dupliciter poteſt conſiderari. Vno modo in particulari, conſiderando ſingulos homines: alio modo in communi, conſiderando hominum communitatem. Quo ſuppoſito dico primo, *Solutio.*

primò, quòd, ſi loquamur de mundo primo modo, certum eſt, ꝙ ratio naturalis nõ ſufficit ad cognoſcenda ea, quæ pertinent ad naturam: nã multi ſunt homines inepti, & alijs negotijs impediti, qui nec poſſunt per naturam diuina naturalia cognoſcere, nec ea inquirere. Dico ſecundo, ꝙ, ſi loquamur de mundo in communi, etiam eſt certum, quòd ratio naturalis ſufficit ad cognoſcendã omnia naturalia: taliter enim diſtributum eſt humanum genus, vt alij ad contemplationem ſapientiæ, alij ad agriculturam, & alij ad alia ſint apti. Ad hoc autem, vt verè dicamus naturam non defuiſſe in neceſſarijs, quantùm attinet ad cognitionem rerum naturalium, ſatis eſt, vt aliqui, quantũis non omnes, talem notitiam proprio ſtudio, atque diligentia ſibi comparauerint. Quia tamen D. Thom. in præſenti loquitur de cognitione rerum diuinarum, quæ per naturam cognoſci poſſunt, quatenus eſt neceſſaria humano generi in particulari ſecundum ſingulos homines, ſinguli enim ſunt, qui ſaluandi, vel condemnandi ſunt, idcircò dixit rationem naturalem eſſe inſufficientem ad cognoſcenda diuina naturalia: nec ex hoc ſequitur eſſe fidem ſuperfluam reſpectu illarum rerum.

ARTICVLVS. V.

¶ Vtrùm homo teneatur ad credendum aliquid explicitè.

1. d. 33. ar. 5. co. et. 3. d. 25 q. 2. & a. 2 q. 3. Et. Ver. q. 14. ar. 11.

AD QVINTVM ſic proceditur. Videtur quòd non teneatur homo ad credendum aliquid explicitè. Nullus enim tenetur ad id, quod non eſt in eius poteſtate: ſed credere aliquid explicitè, non eſt in hominis poteſtate, dicitur enim Rom. 10. Quomodo credẽt in illum, quem non audierunt? quomodo audient ſine prædicante? quomodo autem prædicabunt niſi mittantur? Ergo credere aliquid explicitè homo nõ tenetur.

2 ¶Præterea, Sicut per fidem ordinamur in Deũ: ita etiam per charitatem. Sed ad ſeruandum præcepta charitatis homo non tenetur: ſed ſufficit ſola præparatio animi, ſicut patet in illo præcepto Dñi, quod ponitur Matt. 5. Si quis percuſſerit te in vna maxilla, præbe ei & aliã, & in alijs cõſimilibus: vt Auguſtinus exponit in lib. 1. de ſermone Dñi in monte, *Cap. 34. 35. & 36.* ergo etiam non tenetur homo explicitè aliquid credere: ſed ſufficit quod habeat animum præparatum ad credendum ea, quæ à Deo proponuntur.

3 ¶Præterea, Bonum fidei in quadã obedientia cõſiſtit, ſecũdum illud Roma. 1. Ad obediendum fidei in omnibus gentibus: ſed ad virtutẽ obedientiæ non requiritur, quod homo aliqua determinata præcepta obſeruet: ſed ſufficit ꝙ habeat prõptum animũ ad obediẽdum, ſecũdũ illud Pſal. 118. Paratus ſum, & non ſum turbatus, vt cuſtodiã mandata tua. Ergo videtur, ꝙ etiam ad fidẽ ſufficiat, ꝙ homo habeat prõptum animũ ad credendum ea, quæ ei diuinitus proponi poſſunt, abſq; hoc, ꝙ explicitè aliquid credat.

¶SED contra eſt, quod dicitur ad Hebr. 11. Accedentem ad Deũ oportet credere quia eſt: & ꝙ inquirẽtibus ſe remunerator ſit.

¶RESPONDEO dicendum, ꝙ præcepta legis, quæ homo tenetur implere, dantur de actibus virtutum, qui ſunt via perueniẽdi ad ſalutem. Actus autem virtutis, ſicut ſupra * dictũ eſt, *p. 2. q. 60. artic. 5.* ſumitur ſecũdum habitudinẽ habitus ad obiectũ. Sed in obiecto cuiuſlibet virtutis duo poſſunt conſiderari, ſcilicet id quod propriè & per ſe eſt obiectum virtutis, quod neceſſariũ eſt in omni actu virtutis: & iterum id quod eſt per accidens, ſiue conſequenter ſe habẽs ad propriam rationem obiecti: ſicut ad obiectũ fortitudinis propriè & per ſe pertinet ſuſtinere pericula mortis, & aggredi hoſtes cũ periculo propter bonũ cõmune: ſed quod homo armetur, vel enſe percutiat in bello iuſto, aut aliquid huiuſmodi faciat, reducitur quidem ad obiectum fortitudinis, ſed per accidens. Determinatio ergo virtuoſi actus ad proprium & per ſe obiectum virtutis eſt ſub ne-

ceſsitate præcepti:ſicut & ipſe virtutis actus: ſed determinatio actus virtuoſi ad ea,quę accidētaliter,vel ſecūdario ſe habēt ad ꝓpriū & per ſe virtutis obiectum,nō cadit ſub neceſsitate præcepti,niſi ꝓ loco & tēpore. Dicendū eſt ergo, ꝙ fidei obiectū per ſe eſt id, per quod homo beatus efficitur: vt ſuprà

Q.1.art.8. dictum eſt. Per accidēs autem,aut ſecundario ſe habent ad obiectum fidei omnia,quæ in ſacra Scriptura diuinitus tradita continentur,ſicut ꝙ Abraham habuit duos filios, ꝙ Dauid fuit filius Iſai,& alia huiuſmodi. Quātum ergo ad prima credibilia,quæ ſunt articuli fidei, tenetur homo explicitè credere, ſicut & tenetur habere fidē. Quantū autē ad alia credibilia non tenetur homo explicitè credere,ſed ſolū implicitè, vel in præparatione animi,inquantū paratus eſt credere quidquid diuina Scriptura cōtinet: ſed tūc ſolum huiuſmodi tenetur explicitè credere, quando hoc ei conſtiterit in doctrina fidei contineri.

¶AD PRIMVM ergo dicendū, ꝙ ſi in poteſtate hominis eſſe dicatur aliquid excluſo auxilio gratiæ, ſic ad multa tenetur homo,ad quæ non poteſt ſine gratia præparante: ſicut ad diligendum Deum & proximum: & ſimiliter ad credendum articulos fidei. Sed tamē hoc poteſt cum auxilio gratiæ,quod quidem auxiliū quibuſcūq; diuinitus datur,miſericorditēr datur: quibus autē non datur,ex iuſtitia non datur in pœnam præcedentis peccati, & ſaltem originalis peccati, vt Augu.

Cap.5.&.6 dicit* in lib. de Correptione & gratia.

¶Ad ſecundum dicendum, ꝙ homo tenetur ad determinatè diligēdum ea diligibilia, quæ ſunt propriè & per ſe charitatis obiecta,ſcilicet Deus & proximus: ſed obiectio procedit de illis præceptis charitatis,quæ quaſi conſequēter pertinēt ad obiectū charitatis.

¶Ad tertium dicendum,ꝙ virtus obedientiæ propriè in volūtate conſiſtit: & ideo ad actum obedientiæ ſufficit promptitudo voluntatis ſubiecta præcipienti,quæ eſt propriè & per ſe obiectum obediētiæ:ſed hoc præceptum, vel illud per accidens, vel conſequenter ſe habēt ad proprium & per ſe obiectum obedientiæ.

SVMMA TEXTVS.

VT reſpondeat D. Tho.ad hanc difficultatem ſupponit tria. Primum eſt, quòd præcepta dātur de actibus virtutum, qui ſunt via perueniendi ad ſalutem: actus autem virtutum ſemper habent ordinem, & habitudinē ad obiectum. Secundò ſupponit, ꝙ in obiecto cuiuſcūq; virtutis duo poſſumus cōſiderare: Primum eſt id,quod propriè,& per ſe pertinet ad illud: alterum autem eſt,quod per accidens ſeù cōſequenter ſe habet ad propriam rationem obiecti. Inter quæ duo hoc eſt diſcriminis, ꝙ terminatio actus virtutis ad id,quod per ſe pertinet ad obiectū, eſt de neceſsitate præcepti, ſicut & ipſe actus virtutis, at vero determinatio actus ad id, ꝙ accidentaliter ſe habet ad obiectum virtutis, non cadit ſub neceſsitate præcepti, niſi pro loco, & tēpore. Tertiò ſupponit, quod ad obiectum fidei per ſe conuenit id, per quod homo beatus efficitur: per accidēs autem, & ſecundario pertinent ad obiectum fidei omnia illa, quæ in ſacra Scriptura cōtinentur. ¶His poſitis eſt prima concluſio, Articuli fidei ſunt explicitè credendi. Probatur, Articuli fidei per ſe pertinent ad obiectum fidei, ergo determinatio actus ad illos cadit ſub præcepto. ¶ Secunda concluſio, Reliqua, quæ in ſcriptura continentur, non eſt neceſſe, vt explicitè credantur, ſed ſufficit implicitè, cum quadam animi præparatione. Probatur: quia non pertinent per ſe ad obiectum fidei, ſed tantum per accidens: & ſic non cadunt ſub neceſsitate præcepti, niſi pro loco & tempore.

EXPLICATIO ARTICVLI.

PRO intelligentia huius articuli, & ſequentium eſt aduertendum primò, ꝙ fides ſiuè fidei cognitio appellatur implicita, ſeù explicita, per ordinem ad obiectum, & ad id, quod cognoſcitur: nā obiectum, vel cognoſcitur totum, vt eſt in ſe diſtinctè & clarè, vel cognoſcitur partim diſtinctè

Duplex cognitio vna implicita alia explicita.

ctè, & partim confuſè: nec poteſt contingere, vt obiectum cognitionis, nulla ex parte diſtinctè & explicitè cognoſcatur: aliâs enim non cognoſceretur. Dico ergo, quòd quando aliquod obiectum cognoſcitur totaliter, & diſtinctè, tunc illa cognitio eſt perfectè explicita: quando autem cognoſcitur partim diſtinctè, & partim confuſè, tunc illa cognitio vna, & eadem exiſtens eſt implicita & explicita, ſecundum diuerſas conſiderationes: nec poteſt contingere, vt aliqua cognitio ſit implicita, quin eadẽ ſit explicita reſpectu alterius rei, cùm id tantum dicatur cognoſci implicitè, quod includitur in alia re, quæ explicitè cognoſcitur. Vnde cognitionem implicitam diffinire poterimus, quòd ſit cognitio virtualiter incluſa in aliquo, quod explicitè & diſtinctè cognoſcatur.

2. Notabile. ¶ Secundò notandum, quòd ad hoc, vt aliquid dicatur implicitè cognoſci, non ſatis eſt, quòd cõtineatur in ea re, quæ cognoſcitur explicitè, & quòd poſsit ex illa deduci: ſed vltra hoc etiam requiritur, quod poſſit deduci per idem lumẽ, per quod talis res explicitè cognoſcitur. Vt, verbi gratia, ſi quis cognoſcat per demõſtrationem, Deũ eſſe, illa cognitio explicita Dei non erit implicita Trinitatis, quamuis Trinitas in Deo contineatur: quia eo lumine, quo cognoſcitur, quòd Deus eſt, non poteſt perueniri ad cognitionem Trinitatis,

3. Notabile. ¶ Tertiò eſt aduertendum, ꝙ quatuor res ſunt, de quibus ſolet diſputari, vtrum explicita illarum rerũ cognitio ſit neceſſaria ad ſalutẽ? Primum eſt, virtutem eſſe ſectandam, & vitium fugiẽdum. Secundum eſt, eſſe Deum, qui præmio afficit bonos, & pœna malos. Tertium eſt, eſſe aliquem mediatorem à Deo conſtitutum, cuius merito Deus vtatur ad iuſtificandos homines, & glorificandos. Quartum eſt, hunc mediatorem fuiſſe natum ex genere Iudæorum, mortuum atque paſſum pro nobis, & tertia die reſurrexiſſe, & in cœlos aſcendiſſe, & reliqua quæ de Chriſto prædicantur. Quæ quatuor res ſic ſe habẽt, vt qui explicitè cognoſcit primã, eo ipſo implicitè cognoſcit ſecũdã, & qui explicitè cognoſcit ſecundã, implicitè etiã cognoſcit tertiã. Vt v.g. qui explicitè cognoſcit virtutẽ eſſe ſectãdã, eo ipſo etiã implicitè cognoſcit Deũ eſſe, cui virtus ſit curæ: & rurſus, qui explicitè cognoſcit Deum eſſe, qui præmio afficit bonos, & pœna malos, eo ipſo etiã implicitè cognoſcit, eſſe aliquẽ mediatorem ab eo inſtitutũ, qui prouideat hominibus. Et tandem, qui habet cognitionem explicitam mediatoris in vniuerſali, in ipſo etiã implicitè cognoſcit omnia, quæ in particulari dicuntur de tali mediatore.

¶ Quarto eſt aduertendum eſſe de fide, ꝙ nullus vnquam nec remiſsionem peccati, nec gloriam eſt conſequutus, niſi per gratiam, & meritum Chriſti. Hoc probat D. Auguſtinus lib. 1. de gratia Chriſti. c. 7. 8. & 9. & conſtat ex illo Actorum. c. 4. Nõ eſt aliud nomen ſub cœlo, in quo oporteat nos ſaluos fieri, niſi in nomine Domini Ieſu, & Ioann. 13. etiam dicitur, quod nemo poteſt venire ad Patrem, niſi per Chriſtũ. *4. Notabile.*

¶ Vltimò eſt aduertendum, eſſe etiam de fide, quod hæc gratia, & meritum Chriſti non applicatur hominibus, niſi habeãt fidem in Chriſtum, vel explicitam, vel implicitam, vel propriam vel alienam: vt docet D. Auguſt. libr. 2. de gratia Chriſti. c. 24. & contra duas epiſtolas Pelagianorũ. c. 3. & 4. & epiſtola. 157. Poteſtque iſta res probari ex Paulo ad Romanos. 3. dicente, Iuſtitia Dei per fidem Ieſu Chriſti in omnes, & ſuper omnes, & rurſus in eodem. c. Iuſtificati per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu, quem propoſuit nobis Deus propiciatorẽ per fidem in ſanguine ipſius. Itaque hæc certa ſunt.

¶ Sed dubium eſt, vtrum ſemper omni tempore fuerit neceſſarium ad ſalutem, credere aliquid explicitè? *Dubium.* Ad quod breuiter reſpondetur concluſione affirmatiua, quæ eſt de fide tenenda. *Reſponſio.* Et probatur ex Paulo ad Hebræos. 6. dicẽte, Sine fide impoſsibile eſt placere Deo. Sed ſic eſt, quòd nulla fides, ſeù fidei cognitio poteſt eſſe, quæ ex aliqua parte non ſit explicita, vt diximus in primo notabili, ergo ſemper omni tempore fuit neceſſarium habere aliquam fidem explicitam. Et confirmatur ex Paulo ad Hebr. 11. dicente, Accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt, & quia remunerator eſt: quem locum communiter doctores interpretantur de fide explicita neceſſario requiſita ad ſalutem. ¶ Sed ad exactam huius rei intelligentiam, & ad explicationem eorum, quæ pro ſingulis tẽporibus explicitè tenebantur credere fideles, eſt aduertendum, varios fuiſſe humanæ naturæ ſtatus. *Status naturæ humanæ multiplex.* Primus fuit innocentiæ, qui naturæ integræ appellatur, in quo fuerunt Adam & Eua ante peccatum. Alter fuit ſta-

tus peccati: & hic rurſus fuit triplex. Vnus ante legẽ ſcriptã, qui durauit ab Adã vſq; ad Moyſen, alter ſub lege, & durauit à Moyſe vſq; ad Chriſtum. Tertius autem ſub gratia Chriſti in Euangelio, qui futurus eſt vſq; ad conſummationem ſeculi.

1. Concluſio. ¶ Hoc igitur poſito ſit prima cõcluſio. In ſtatu innocẽtiæ ante peccatũ fuit apud homines fides explicita mediatoris. Hæc concluſio eſt D. Aug. in libr. de correctione & gratia. & etiam D. Tho. arti. 7. huius quæſt. vbi dicit, ꝙ Adam ante peccatum habuit reuelationem myſterij incarnationis, quod prophetauit dicẽs, Hoc nunc os ex oſsibus meis, & caro de carne mea: vt ſignificare videtur D. Paulus dũ ad Ephe. 5. referens hæc eadem verba dicit, Sacramentum hoc magnũ eſt, ego autẽ dico in Chriſto & Eccleſia. Eiuſdem etiam ſententiæ fuit Diuus Hieronymus ſuper cap. 5. epiſtolæ ad Epheſ. de qua videndus eſt Diuus Thom. de veritate, quæſt. 14. artic. 12. Dico tamen, quòd quanuis Adam in ſtatu innocentiæ habuerit reuelationem myſterij incarnationis, non tamen cognouit illud futurum ad reſtaurandam ruinam peccati: nõ enim Adam præſciuit caſum ſuum. ¶ Et ſi quis quærat, ad quem ergo vſum illi reuelata fuit futura incarnatio? reſpondetur, quòd ad exaltationem humanæ naturæ, & perfectionem vniuerſi, & ad plura alia bona, quæ ex ipſa incarnatione fuerũt ſequuta, vltra reparationem peccati, vt cõmuniter docent doctores in tertio.

2. Concluſio. ¶ Secunda concluſio, Poſt peccatum Adæ, tempore legis naturæ, non ſatis fuit ad iuſtificationem, habere fidem explicitam virtutis, & implicitam Dei, ſed ſemper fuit neceſſaria fides, & cognitio explicita Dei. Hæc concluſio eſt de fide tenenda, & probatur ex Paulo ad Hebræos. 11. dicente, Accedẽtem ad Deum oportet credere quia eſt, & quia inquirentium ſe remunerator eſt. Qui locus de fide explicitè eſt intelligendus. Et confirmatur: nam, vt diximus in. 4. & . 5. notabili, nullus poteſt iuſtificari, niſi ei meritum Chriſti applicetur, per fidem ipſius ſaltim implicitam, ſed cognitio, vel fides explicita virtutis nõ eſt implicita Chriſti, niſi multum remota: ergo illa non ſufficit ad ſalutem.

3. Concluſio. ¶ Tertia concluſio, In hac fide, & cognitione Dei, quæ ſemper fuit neceſſaria ad ſalutem, quatuor continentur, quæ ſemper fuerunt explicitè credenda, ſcilicet, Deum eſſe vnũ, eſſe Creatorẽ, eſſe Iuſtificatorem, & eſſe Glorificatorẽ. Et quidẽ, quod fuerit neceſſarium explicitè credere Deum eſſe vnum, probatur ex Paulo dicente, Accedentem ad Deum oportet credere quia eſt. Quod verò fuerit neceſſarium credere Deum eſſe creatorem, probatur: quia ſi homines non crederent eſſe à Deo creatos, & ab eo gubernari, nulla ratione poſſent animum inducere ad illum adorandum, & ad offerenda ſacrificia. Quod autem etiam fuerit neceſſarium explicitè credere, Deũ eſſe iuſtificatorem, probatur: quia, ſi homines id non crederent, nulla ratione ab eo ſperarent ſe veniam conſequuturos: atque ex conſequenti tolleretur omnis pœnitentia atq; iuſtitia. Et tandem, quòd in omni ſtatu ſemper fuerit neceſſarium credere Deum eſſe glorificatorem probatur: quia ſine ſpe præmij, aut metu pœnæ homines non poſſent contineri in officio virtutis: quod & videtur voluiſſe ſignificare Diuus Paulus loco iam adducto cùm dixit, Et quod credentium in ſe remunerator eſt: ergo hæc omnia ſemper fuerunt explicitè credenda. Poſſumus nos etiam addere quintum, ſcilicet, animæ immortalitatem, quæ ſemper omni tempore fuit explicitè credenda, tanquam fundamentum, cui cætera omnia nituntur: quoniam ſine fide huius rei, nec vita honeſta inchoari, neque inchoata ad extremum perduci poteſt, iuxta illud Sapientiæ cap. 2. Vbi dicitur de impijs, Hæc cogitauerunt intra ſe, & errauerunt, excæcauit enim illos malitia eorum, & neſcierunt ſacramenta Dei, nec mercedem ſperauerunt iuſtitiæ, nec iudicauerunt honorem animarum ſanctarũ.

¶ Quarta concluſio, Hæc fides explicita Dei eo modo, quo à nobis eſt expoſita, quæ etiam eſt fides implicita Mediatoris, in ſtatu legis naturæ fuit ſufficiens, quãtum attinet ad intellectum, ad iuſtitiam, & ad gloriam conſequendam. Itaque dico, quòd in illo ſtatu non fuit neceſſaria fides explicita mediatoris. Hæc concluſio eſt contra Magiſtrum in tertio, diſt. 25. vbi affirmat, quòd omni tempore fuit neceſſarium habere fidem explicitam vnius mediatoris. Illam tamen tenet D. Tho. in ſiã in hac quæſt. art. 7. & in. 3. diſt. 25. quæſt. 2. art. 2. eandem tenet Soto libr. 2. de Natura & gratia, cap. 11. & Cano in relectione de ſacramentis in genere, parte. 2. & Vega lib. 6. in concil. Trid. cap. 6. Et probatur ex 4. Concluſio.

illo

illo Paul. ad Galat. 3. vbi dicit, Antequam adueniret fides (id eſt doctrina clara Euangelij) ſub lege cuſtodiebamur incluſi in eã fidem, quæ reuelanda erat. In quibus verbis apertè videtur ſignificare, quòd tũc credebant homines implicitè ea, quæ in vmbris incluſa, poſteà erãt in lucem proferenda, quorum vnum erat aduentus Meſsiæ & Mediatoris: ergo illo tempore ſufficiebat fides implicita Mediatoris. ¶ Sed contraiſtam cõcluſionem videtur eſſe Diuus Auguſtinus, qui in epiſtola ad Opratum dicit, quòd Dei atque hominis, ſcilicet, Chriſti ſaluberrima fide, illi ſalui facti ſunt, qui priùs quàm veniret in carne, venturum crediderunt: nam eadem eſt fides illorum, & noſtra. Et libr. 18. de Ciuitate. cap. 47. etiam dicit, quòd ſi aliqui ex Gentilibus conſequuti ſunt ſalutem, id conſequuti ſunt per expreſſam reuelationem vnius Mediatoris: ergo ſecundum Diuum Auguſtinũ ſemper fuit neceſſaria fides explicita Mediatoris. ¶ His tamen non obſtantibus dico, quòd proculdubiò Diuus Auguſtinus tenet eandem ſententiam, quam nos. Nam libro. 1 r. contra Fauſtum. cap. 14. appellat fidem illorum, qui tempore legis fuerunt iuſtificati, fidem opertam atque occultam: quibus verbis apertè ſignificat, illos tantum habuiſſe fidem implicitam Mediatoris. Et ad reſtimonia citata dico, quòd Diuus Auguſtinus in illis locis loquitur de iuſtis, quibus expreſſa Dei reuelatio facta fuerat, illi enim ratione reuelationis tenebantur id explicitè credere: quales erant Patriarchæ, & Sacerdotes, & alij maiores. Vel loquitur tantum de iuſtis, qui tempore legis ſcriptæ fuerunt in populo Iſraëlitico, qui omnes tenebantur, vt ſtatim dicemus, habere fidem explicitam Mediatoris.

Argum. cõtra. 4. concl.

Solutio ad argum.

5. Concluſio. ¶ Quinta cõcluſio, Tempore legis ſcriptæ Iudæis omnibus tam minoribus, quã maioribus, neceſſarium fuit ad ſalutem explicitè credere vnum Mediatorem, ſaltim in vniuerſali. Probatur: nam publicè, & in communi omnibus Iudæis hoc myſteriũ fuit prædicatum per Prophetas, ſcilicet, vẽturum Meſsiam, qui eos in libertatem teduceret, vt conſtat ex illo Abachuch. c. 2. Adhuc viſus procul apparebit in finem, & non mentietur, ſi moram fecerit expecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit: ecce qui incredulus eſt non erit recta anima eius in ſemetipſo, iuſtus autem in fide ſua viuit. &c. ergo omnes Iudæi tenebãtur id credere explicitè. Dixi notanter, Iudæis, nam Gentilibus, qui eo tempore vixerũt, non fuit neceſſarium ad ſalutem id explicitè credere: quia non erat illis publicè propoſitum ſicut Iudæis. ¶ Ex dictis omnibus infertur, ꝙ fides Chriſti atq; Mediatoris, ſiue implicita, ſiue explicita, pro ratione temporis atq; gentis, ſemper fuit neceſſaria ad ſalutem, nec aliqui vnquam iuſtitiam fuerunt conſequuti, qui non habuerunt fidem, ſaltim implicitã, Chriſti, quod eleganter probat Richardus de Mediauilla in tertio. d. 25. q. 3. artic. 1. hac ratione. Ad hoc, vt homines eſſent digni ſalute æterna, opus fuit eis, vt eam debito modo intenderent, ad quod neceſſarium erat, vt eam debito modo deſiderarẽt, & ſperarent: & præterea, ꝙ debito modo cognoſcerent ſe ad illam poſſe pertingere: ſed hoc eſſe non poterat, niſi haberent aliquam cognitionem viæ, qua ad talem ſalutem perueniretur, nullus cognoſcit enim ſe poſſe peruenire ad aliquẽ terminũ, niſi habeat cognitionẽ, vel in generali, vel in particulari, de via, qua ad illum terminum debeat peruenire: ergo homines, quotquot ante Chriſtum fuerunt, debuerunt habere cognitionẽ, vel in generali, vel in particulari illius viæ, ad hoc, vt poſſent conſequi ſalutem, & peruenire ad vitã æternam. Et cùm talem ſalutẽ & vitam æternam cognoſcerent eſſe ſuper naturalem, ex conſequenti etiã debuerunt cognoſcere, ſe non poſſe ad illam peruenire, via tantum naturali, ſed via ſupernaturali à Deo ordinata, atque præuiſa: hæc autem via erat Chriſtus, iuxta illud Ioann. 14. Ego ſum via, veritas, & vita: ergo omnibus fuit neceſſarium credere Mediatorem, ſaltim implicitè. Ex quo factum fuit, vt Apoſtolus. 2. ad Corint. cap. 4. dicat, Omnes, quotquot fuerunt ab initio mundi vſque adhuc, habuiſſe eundem ſpiritum fidei. Et Diuus Hieronymus verſans illa verba Matth. cap. 21. Qui præcedebant, & qui ſequebantur, omnes clamabant, & oſanna filio Dauid, dicit, quòd id non vacat myſterio: nam his verbis ſignificatur, priores patres, qui præceſſerunt aduentum Chriſti, & poſteriores, qui ſequuti ſunt, omnes fuiſſe iuſtificatos ex eadem Chriſti fide, implicita, ſcilicet, vel explicita ad modum iam explicatum. De

Corollarium

hac re videndus eſt Cano in relectione de ſacramentis in genere. parte. 2. concluſione 2.

Dubium graue.

¶ Reſtat nunc inquirendum, quidnam hoc tempore legis Euangelicæ, teneantur homines credere explicitè? Nam de hac re ſunt variæ doctorum ſententiæ, Prima eſt Magiſtri Soto, qui in. 4. diſtinct. 5. quæſt. vnica, artic. 2. & libro. 2. de Natura & gratia. capit. 12. affirmat, iſto tempore non eſſe neceſſarium, neceſsitate finis, nec ad gratiam nec ad gloriam conſequendam, credere explicitè in Chriſtum, ſed quòd ſufficit credere implicitè, ſicut tempore legis naturæ ſufficiebat. Eandem etiam ſententiam tenet Vega libro. 6. in Conciliũ Trident. cap. 20. Et probatur primò, nam poteſt aliquis inuincibiliter ignorare Euãgelium, & præterea viuere honeſtè, & facere totum, quod in ſe eſt ex auxilio ſpeciali, vt ſalutem conſequatur: ergo talis ſaluabitur ſine fide explicita Chriſti: atque ex conſequenti, etiam nunc non eſt neceſſaria neceſsitate finis. Probo conſequentiam, quia facienti quod in ſe eſt ex auxilio ſpeciali Deus non denegat gratiam, nec gloriam. ¶ Secundò ſic argumentor, Ante Chriſti aduentum ſaluabantur homines ſine fide explicita Chriſti: ergo etiam nunc, qui ignorãt inuincibiliter Euãgelium, ſimiliter ſaluari poterunt ſine eadem fide. Antecedens eſt manifeſtum, & conſequentia probatur, quia cauſa, propter quam tunc non erat neceſſaria fides explicita Chriſti eſt, quia non erat ſufficienter promulgatum Euangelium: ſed reſpectu illorum, qui ignorant inuincibiliter Euangelium, perinde ſe habet res, ac ſi non eſſet Euangelium ſufficienter promulgatum, ergo eadem ratio eſt de omnibus.

1. ſententia. Sot. & Vega.

1. argu.

2. argu.

¶ Secunda ſententia eſt in alio extremo, quæ aſſerit, iſto tempore eſſe neceſſarium neceſsitate finis tam ad gratiã, quam ad gloriam conſequendam, credere explicitè in Chriſtum. Ità tenet Diuus Bonauentur. in. 3. diſtinct. 25. quæſt. 2. & Gabriel eadem diſtinct. quæſt. 1.

2. Sententia D. Bonauẽt.

¶ Tertia ſententia eſt media inter iſtas duas, quæ aſſerit iſto tempore eſſe neceſſariam fidem Chriſti explicitam ad gloriam, non tamen ad gratiam conſequẽdam. Itaq; dicunt, quod iſto tempore poterit homo ſimpliciter iuſtificari per fidem implicitam Chriſti, ſicut tempore legis naturæ, non tamen gloriam conſequi: quam opinionem tenet Cano in relectione de ſacramẽtis in genere. parte. 2. & meo iudicio eſt probabilior. ¶ Vnde ad illius explicationem eſt aduertendum primò, quod in præſenti non quærimus, vtrum nunc ſit neceſſarium neceſsitate præcepti, credere explicitè in Chriſtum ad gratiam, & ad gloriam conſequendam: nam certum eſt, hoc eſſe neceſſarium omnibus illis, quibus eſt prædicatum Euangelium: extat enim manifeſtum præceptum de hoc Marc. cap. vltimo, vbi dicitur, Qui non crediderit condemnabitur. Sed quod vertitur in dubium eſt, vtrùm iſta fides explicita Chriſti ità ſit neceſſaria neceſsitate finis, vt qui eam inuincibiliter ignoret ſaluari non poſsit? ¶ Secundò eſt aduertendum, quòd iſta quæſtio ſupponit tanquam certum, poſſe hoc tempore aliquem habere ignorantiam inuincibilem Chriſti, de quo aliqui dubitarunt. Cæterùm non eſt dubitandum, quòd, talis ignorantia poſsit contingere in locis remotiſsimis, vt apud Indos, vel Inſulanos.

3. Sententia Cani.

1. Notabile.

2. Notabile,

¶ Quibus poſitis ſit prima concluſio, Fides Chriſti explicita iſto tempore eſt ſimpliciter neceſſaria neceſsitate finis ad gloriam conſequendam. Hanc concluſionem tenet Cano loco citato concluſione. 3. & eam putat ità certam, vt contrarium aſſerere exiſtimet erroneum. Et probatur primò ex illo Marci cap. vltimo, Prædicate Euangelium omni creaturæ, qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit, qui verò non crediderit condemnabitur. Super quæ verba dicit Diuus Bernardus epiſtola. 77. ad Hugonem, Non dixit, qui nõ baptizabitur condemnabitur, ſed qui non crediderit: vt maior quædam neceſsitas fidei in Euangelium, quam baptiſmi præſcriberetur. Fit enim vt ſine baptiſmo quis ſaluetur, cùm, ſcilicet, baptiſmi ſuſcipiẽdi non ſit facultas: at credendi Euangelio tanta neceſsitas eſt, vt omni euentu, qui non crediderit condemnetur. Item Ioannes. 3. dicitur, Qui credit in eum non iudicatur, qui autem non credit iam iudicatus eſt: quia non credit in nomine vnigeniti Filij Dei. & in eodem cap. Qui credit in Filium Dei habet vitam æternam, qui autem incredulus eſt Filio, non videbit vitam æternam. Item cap. 10. dicit Chriſtus, Ego ſum oſtium,

1. Concluſio.

oſtium, per me ſi quis introierit, ſaluabitur, & paſcua inueniet. Qui omnes loci de fide explicita Chriſti neceſſaria ad ſalutem, ſunt intelligendi. Sed præcipuè probatur concluſio ex illo Actorum capit. 10. vbi dicitur de Cornelio, quod quanuis eſſet iuſtus, & timens Deum, fuit tamen illi ab Angelo præceptum, vt audiret Petrum prædicantem, vt ſic ſaluus eſſe poſſet. Quem locum explicans Diuus Auguſtinus in libro de prædiſtinatione ſanctorum. cap. 7. dicit, Non ſine fide orabat Cornelius: nam quomodo inuocabat in quem non crediderat? Sed ſi ſine fide Chriſti poſſet eſſe ſaluus, nunquam ad eum ædificandum miſſus eſſet Eccleſiæ architectus Apoſtolus Petrus, qui illi diceret, quæ oportebat audire. Et confirmatur ex ſymbolo Athanaſij, vbi dicitur, Neceſſarium eſt ad æternam ſalutem, vt Incarnationem Domini noſtri Ieſu Chriſti fideliter credat. Et infrà, Hæc eſt fides catholica, quam niſi quiſque fideliter credat, ſaluus eſſe non poterit. Et in capit. firmiter. de ſumma Trinitate & fide catholica. etiam dicitur, vnam eſſe fidelium vniuerſalem Eccleſiam, extrà quam nullus omnino ſaluatur: ſed qui ignorat inuincibiliter fidem Chriſti non pertinet ad Eccleſiam, ergo nec poteſt ſaluari. Et in Concilio Florentino ſub Eugenio. IIII. ſeſſione. 2. idem clariùs diffiniuntur. Dicitur enim, quod ſacroſancta Romana Eccleſia firmiter credit, nullos extra Eccleſiam exiſtentes, nec Paganos, nec Iudæos, nec hæreticos, nec ſchiſmaticos, æternæ vitæ fieri poſſe participes, ſed in ignem æternum ituros, niſi ante finem vitæ eidem fuerint aggregati. Ex quo loco ſic colligo argumentum, Si ignorans inuincibiliter fidem Chriſti poſſet ſaluari, ſequeretur, quod Iudæus ſeruans legem Moyſi, & ignorans inuincibiliter Chriſtum, ſaluaretur: conſequens autem eſt contra determinationem Concilij Florentini, ergo. De hac re videndus eſt Turrecremata libro. 1. ſuæ ſummæ cap. 2. & Cano loco citato, vbi pluribus alijs teſtimonijs & rationibus hanc eandem probat concluſionem. Quæ etiam eſt Diui Thom. in. 3. diſtinct. 25. quæſt. 2. artic. 2. vbi dicit, quòd poſt aduentum Chriſti, quia iam myſterium incarnationis expreſſè & viſibiliter eſt prædicatum, omnes tenentur illud explicitè credere: & ſi quis habuerit ignorantiam inuincibilem, dicit, quod Deus illi reuelabit, niſi per ipſum ſteterit.

¶ Secunda concluſio, Ad conſequendam iuſtificationem, iſto tempore, non eſt ſimpliciter neceſſaria neceſsitate finis fides explicita Chriſti, ſed ſufficit implicita illis, qui ignorant inuincibiliter Euangelium. Itaque, ſecundum noſtram opinionem, quanuis illi, qui ignorant inuincibiliter Euangelium, non poſsint conſequi gloriam ſine fide explicita Chriſti, vt diximus in prima concluſione, poſſunt tamen conſequi gratiam atque iuſtitiam. Et hoc eſt, quod dicimus in hac ſecunda concluſione: quam etiam ponit Cano loco citato. Et probatur ſufficienter ex facto Cornelij, de quo dicitur Actorum cap. 10. quod erat vir iuſtus, & timens Deum antequam haberet fidem explicitam Chriſti: ergo nunc poſt ſufficientem Euangelij prædicationem, illis, qui illud inuincibiliter ignorant, ſufficit ad iuſtitiam conſequendam fides implicita Chriſti. Quòd autem tempore Cornelij iam eſſet ſufficienter promulgatum Euangelium in ea prouincia, conſtat ex eo, quòd Diuus Petrus & alij Apoſtoli illud iam prædicauerant in omni loco illius regionis, vt conſtat ex Actis Apoſtolorum. Item probatur concluſio, quia fides explicita Chriſti, communiter loquendo, haberi non poteſt ſine prædicante, iuxta illud Pauli ad Rom. 10. Quo modo credent qui non audierunt? quomodo audient ſine prædicante? Sed iſta prædicatio non poteſt haberi in quocunque temporis momento, & tamen poteſt homo iuſtificari in quocunque inſtanti temporis, iuxta illud Ezech. 18. In quacunq; hora ingemuerit peccator &c. ergo ad iuſtitiam conſequendam, ſimpliciter loquendo, non eſt neceſſaria fides explicita Saluatoris. Et confirmatur: nam, vt ſuprà diximus, gratia & iuſtitia ſunt quædam ſalus inchoata: gloria verò eſt ſalus perfecta, & conſummata. Et prętereà, gratia poteſt acquiri in quolibet temporis momento: gloria autem acquiritur per totam vitam, ergo ratio ipſa poſtulat, vt requiratur maior diſpoſitio ad gloriam, *2. Concluſio.*

quàm ad gratiã conſequendã:atq; ex con ſequẽti cũ ad gloriã cõſequendã ſufficiat fides explicita Chriſti, ad conſequẽdam gratiã minor cognitio erit ſufficiens, ſcilicet, fides implicita eiuſdem Chriſti.

1. Argum. contra. 2. cõcluſionem. ¶ Sed contra hoc eſt argumentum. Hæc diſtinctio de ſalute inchoata, & de ſalute perfecta, in qua nititur noſtra opinio, & prætereà dicere quod maior cognitio requiritur ad ſalutem perfectam, quàm ad ſalutem inchoatam, ſunt res fictitiæ, nouiter adinuentæ, non habentes fundamentum in Scriptura, aut dictis Sanctorum, ergo ſententia, quæ in illis nititur, tanquam falſa eſt reijcienda.

2. Argum. ¶ Secundò, Qui iuſtus eſt, eo ipſo eſt acceptus ad gloriam, ſed poteſt contingere, vt aliquis ſit iuſtus per ſolam fidem implicitam Chriſti, vt dicimus in ſecunda concluſione, ergo per eandem fidem erit acceptus ad gloriam: atque ex conſequenti per fidem implicitam poterit conſequi gloriam. Et confirmatur. Qui iuſtus eſt per fidem implicitam poteſt mori, & in tali caſu gloriam conſequeretur, ergo nunc poteſt contingere, vt aliquis gloriam conſequatur ſine fide explicita Chriſti.

Ad. 1. arg. ¶ Ad primum reſpondetur negando, quòd res illæ ſint fictitiæ, & nouiter adinuentæ, quidquid dicat Soto. Nam primo, ea diſtinctio eſt valdè conſona rationi: certum eſt enim, quòd per gratiam homo non eſt perfectè ſaluus, ſed per gloriam: & ſecundum naturalem philoſophiam, maior diſpoſitio requiritur ad id, quod eſt perfectum, quàm ad id, quod eſt minus perfectum. Item ſecundò. Illa diſtinctio habet maximum fundamentum in Scriptura, vt conſtat ex facto Cornelij, qui ſine fide explicita fuerat conſequutus ſalutem inchoatam, ſcilicet, gratiam: & tamen non potuit eſſe perfectè ſaluus, quoadúſque haberet fidem explicitam Chriſti, vt illi dictum fuit ab Angelo. Et tandem ea diſtinctio eſt deſumpta ex Diuo Auguſtino, qui libro. 1. ad Simplicianum quæſt. 2. dicit, In quibuſdam tanta eſt gratia fidei, quanta non ſufficit ad obtinendum regnum cœlorum, ſicut in catechumenis, & Cornelio, in quibuſdam verò, tanta eſt fides, vt iam Chriſti corpori, & ſancto Dei templo deputentur. Et paulò inferiùs. Fiunt ergo quædam inchoationes fidei, conceptionibus ſimiles: non tamen ſolùm concipi, ſed etiam naſci opus eſt, vt ad vitam perueniatur æternam. Quibus verbis, vt videtis, Diuus Auguſtinus eleganter quadam ſimilitudine vſus, primam iuſtitiam comparat conceptioni: vnde meritò appellatur ſalus inchoata: conſummatam verò iuſtitiam comparat natiuitati. Vnde quemadmodum pauciora requiruntur ad conceptionem, quàm ad natiuitatem: ità etiam maior gratia fidei requiritur ſecundum Diuum Auguſtinum, ad gloriam, quàm ad gratiam.

Ad. 2. arg. ¶ Ad ſecundum reſpondetur conceſſa maiori atque minori, negando vltimam conſequentiam: nam fides explicita Chriſti eſt medium neceſſarium ad realem conſequutionem gloriæ. Vnde ſicut non valet hæc conſequentia, Ego ſum acceptus ad gloriam ſine lumine gloriæ, ergo poteto cõſequi gloriam ſine lumine: ità etiam nec valet, ſum acceptus ad gloriam ſine fide explicita: ergo potero cõſequi gloriã ſine tali fide. Et ad confirmationẽ reſpõdetur, quod licet, abſolutè loquendo, ille homo poſsit mori, non tamen morietur donec per peccatum amittat iuſtitiam, vel à Deo illuminetur maiori lumine. Nec hoc eſt ponere miraculum, ſed affirmare id, quod Theologi dicunt in multis caſibus: maximè cùm habeamus huius diuinæ prouidentiæ multa exempla in Scriptura.

Ad. 1. arg. pro. 1. opin. ¶ Reſtat, vt reſpondeamus ad argumenta facta pro prima opinione, Ad primum reſpondetur cum Diuo Tho. in tertio diſtinct. 25. quæſt. 1. artic. 1. concedendo antecedens, & negando conſequentiam. Nam ſi ille homo feceritt totum, quod eſt in ſe ex auxilio ſpeciali, proculdubiò Deus illum illuminabit, & docebit fidem Chriſti, vel per internam illuminationem, vel per externam prædicationem. Nec hoc eſt miraculum: pertinet enim ad diuinam prouidentiam, non permittere, vt boni ac ſtudioſi pereant. Idque fecit cum Eunucho Reginæ Candacis Actorum. 8. & cum Cornelio Actorum capit. 10. & Macedonio, Actorum capit. 18.

Ad. 2. arg. ¶ Ad ſecundum reſpondetur primo, conceſſo antecedenti, negando conſequentiam. Nam poſt ſufficien-

ſicientem Euangelij promulgationem, facta ſunt maxima omnium rerum mutatio, & inductus nouus Eccleſiæ ſtatus. Vnde non ſequitur, quòd, ſi tunc ſufficiebat fides implicita Chriſti, nunc etiam debeat ſufficere. Sicut nec ex hoc, quòd pueri, qui in illo tempore moriebantur, ſaluari poterant ſine baptiſmo, per quodcunque ſignum proteſtatiuum fidei, ſequitur, quod nunc idem ſufficiat: cum iſto tempore neceſſarius ſit ſemper baptiſmus ad ſalutem, etiã in filijs eorum, qui ignorant inuincibiliter Euangelium, vt Soto probat latè in quarto, diſtinct. 5. quæſtione vnica, artic. 2. Vel ſecundo reſpondetur negando antecedens, falſum eſt enim, quod aliquis iuſtus aliquando fuerit gloriam conſequutus, ſine fide explicita Chriſti, ſiue in lege naturæ, ſiue in lege ſcripta. Itaque dico, quòd hunc honorem voluit Deus ſuo, Filio deferre, vt quicunque gloriam conſequerentur, ipſius haberent fidem explicitam. Erat tamen maximum diſcrimen inter iuſtos prioris temporis, & noſtri. Nam illi, quia non ſtatim poſt mortem conſequebantur gloriã ſed detinebantur in limbo, ad quem Chriſtus erat ventuus, & ſic ſui notitiam claram, atq; diſtinctam illis præſtaturus, non indigebant, vt hoc myſteriũ explicitè cognoſcerẽt ante mortem: cæterùm iuſti nũc, quia ſtatim poſt mortem ſunt gloriam conſequuturi, neceſſarium eſt, vt illi ante morte habeant fidem Chriſti explicitã. Et ſic patet, ꝙ nullus vnquã conſequutus eſt gloriã ſine fide explicita.

Dubium. ¶ In corpore articuli Diuus Thomas dicit, quòd obiectum fidei per ſe eſt id, quòd eſt obiectum viſionis. Circà quod eſt difficultas, vtrùm verum ſit? Et pro parte negatiua eſt argumentum,

Argumentum pro parte negatiua. Obiectum viſionis beatificæ, propriè, & per ſe, eſt ſola diuinitas: ſed obiectũ proprium fidei eſt, non ſolum diuinitas, ſed etiam humanitas: cùm non ſolum articuli pertinẽtes ad diuinitatem, ſed etiam illi, qui pertinent ad humanitatem, ſint explicitè credendi, vt docet Diuus Thomas artic. 7. ergo. ¶ Ad

Ad argum. hoc argumentum reſpondetur primò, quòd, licèt ſola eſſentia diuina, cum videtur, ſit ſufficiens ad efficiendum hominem beatum, adhuc tamen myſterium incarnationis, & alia opera magnia à Deo facta, cum in eadem eſſentia clarè & diſtinctè videntur, vehementer augent beatitudinem, & reddunt hominem beatiorem. Vnde cùm Diuus Tho. dicit, quòd fides habet pro obiecto proprio ea, quæ poſtea ſunt futura obiectum viſionis, per obiectum beatificæ viſionis intelligit, non ſolùm id, quod ſatis eſt ad efficiẽdum hominem beatum, ſed etiam illud quod efficit perfectè & cumulatè beatum, quale eſt myſterium incarnationis. ¶ Vel ſecũdò reſpondetur negando quòd myſterium incarnationis non pertinet per ſe ad obiectum beatitudinis. Nam cum homo conſtet ex anima & corpore, beatitudo illius ſecundum animam conſtabit in viſione Dei, & ſecundum corpus in viſione humanitatis Chriſti, iuxta illud Apocalyp. cap. 2. Et lucerna eius erat agnus: quæ, ſicut luce diuinitatis illuminat mentis oculos, ità & luce humanitatis illuminat oculos corporis. ¶ Vel tertio reſpondetur, quòd Diuus Thom. in præſenti, nomine obiecti beatifici, non ſolùm intelligit id, quo obiectiuè beatificamur, ſed etiam illud, per quod, tanquam per medium peruenimus ad beatitudinem, quale eſt myſterium incarnationis. Certum eſt enim, ꝙ incarnatio eſt præcipuum medium, quo homines ad beatitudinem perueniunt: cum illa ſit fons & origo omnis boni ſpiritualis, iuxta illud Paul. ad Eph. 1, Benedictus Deus & pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus in Chriſto. Vnde D. Bernard. ſermo. 13. ſuper Cantica, dicit, Chriſtum eſſe mare quoddam, quòd origo ſit omnium fontiũ, omniũmque riuulorum, & fluminũ. Ex quo eleganter colligit eſſe carſus conti nentiam, cordis induſtriam, voluntatis rectitudinem, theſauros ſapientiæ, & ſcientiæ, eloquij nitorem, morum venuſtatem, & denique omnia dona, quæ ex Dei benignitate participamus.

ARTICVLVS. VI.

¶ *Vtrum omnes æqualiter teneantur ad habendum fidem explicitam.*

AD SEXTVM ſic proceditur. Videtur quòd æqualiter

ter

3.d.25.q.2. art.1.q.2.3. 4.Et.4.diſt. 24.q.1.ar.3. q.2.Et Ve.q. 14.arti. 11.

ter omnes teneantur ad habendum fidem explicitam. Ad ea enim quæ ſunt de neceſsitate ſalutis omnes tenentur, ſicut patet de præceptis charitatis: ſed explicatio credendorum eſt de neceſsitate ſalutis, vt dictum* eſt. Ergo omnes æqualiter tenentur ad explicitè credendum.

Arti. præce.

2 ¶ Præterea, Nullus debet examinari de eo, quod explicitè credere non tenetur: ſed quandoque ſimplices examinantur de minimis articulis fidei. ergo omnes tenentur explicitè omnia credere.

3 ¶ Præterea. Si minores non tenentur habere fidem explicitam, ſed ſolum implicitam: oportet quòd habeant fidem implicitam in fide maiorum: ſed hoc videtur periculoſum, quia poſſet contingere, quòd illi maiores errarent. ergo videtur quòd minores etiam debeant habere fidem explicitam. Sic ergo omnes æqualiter tenentur ad explicitè credendum.

¶ SED CONTRA eſt, quòd dicitur Iob. 1. quòd boues arabant, & aſinæ paſcebantur iuxta eos: quia videlicet minores, qui ſignificantur per aſinos, debent in credendis cohærere maioribus, qui per boues ſignificantur, vt Gregor.* exponit in ſecundo Moral.

Cap. 35.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd explicatio credendorum fit per reuelationem diuinam. Credibilia enim naturalem rationem excedunt. Reuelatio autem diuina ordine quodam ad inferiores peruenit per ſuperiores, ſicut ad homines per angelos: & ad inferiores angelos per ſuperiores, vt patet per Dionyſ.* in Cœleſti hierarch. Et ideo pari ratione explicatio fidei oportet quòd perueniat ad inferiores homines per maiores: & ideo ſicut ſuperiores angeli, qui inferiores illuminant, habent pleniorem notitiam de rebus diuinis, quàm inferiores, vt dicit Dionyſius. 12. cap. Cœleſt. hierar. ita etiam ſuperiores homines, ad quos pertinet alios erudire, tenentur habere pleniorem notitiam de credendis, & magis explicitè credere.

Cap. 4. à medio & c. 7.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd explicatio credendorum non æqualiter quantum ad omnes eſt de neceſsitate ſalutis: quia plura tenentur explicitè credere maiores, qui habent officium alios inſtruendi, quàm alij.

¶ Ad ſecundum dicendum, quod ſimplices non ſunt examinandi de ſubtilitatibus fidei, niſi quando habetur ſuſpicio, ꝙ ſint ab hæreticis deprauati, qui in iis, quæ ad ſubtilitatem fidei pertinent, ſolent fidem ſimplicium deprauare. Si tamen inueniuntur non pertinaciter peruerſæ doctrinæ adhærere, ſi in talibus ex ſimplicitate deficiant, non eis imputatur.

¶ Ad tertium dicendum, quòd minores non habent fidem implicitam in fide maiorum, niſi quatenus maiores adhærent doctrinæ diuinæ. Vnde & Apoſtolus dicit primæ ad Corinth. 4. Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti. Vnde humana cognitio non fit regula fidei, ſed veritas diuina: à qua ſi aliqui maiorum deficiant non præiudicat fidei ſimplicium, qui eos rectam fidem habere credũt: niſi pertinaciter eorum erroribus in particulari adhæreant, contra vniuerſalis Eccleſiæ fidem, quæ non poteſt deficere, Domino dicente Lucæ. 22. Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua.

SVMMA

SVMMA TEXTVS.

CONcluſio Diui Thom. Maiores, ad quos ſpectat alios erudire, tenentur plura explicitè credere, quàm minores. Probatur, Explicatio credendorum fit per diuinam reuelationem: ſed diuina reuelatio venit quodam ordine ad inferiores per ſuperiores, iuxta ſententiam Diui Dionyſij de Eccleſiaſt. Hierarch. ergo etiam explicatio credendorum debet venire quodam ordine ad inferiores per ſuperiores: atque ex cōſequenti, ſicut ſuperiores Angeli, qui inferiores illuminant, habent pleniorem notitiam de rebus diuinis, quàm inferiores, ſic etiam maiores homines, ad quos ſpectat eos erudire, debēt habere maiorem notitiam de credendis.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Difficultas de eo, quod fideles tenentur explicitè credere.

CIrca concluſionem huius articuli eſt difficultas de eo, quod illi, qui audierunt Euangelium, & Chriſtiani facti ſunt, tenentur credere explicitè. Quod eſt quærere: vtrum omnes Chriſtiani teneantur credere æqualiter articulos fidei? In qua difficultate, vt certa ab incertis ſeparemus, dico primò, certum eſſe, quòd omnes Chriſtiani cuiuſcunque ſtatus, ac conditionis ſint, tenentur explicitè credere fidei articulos in ſymbolo contentos. Nam cùm illi publicè, & in cōmuni omnibus Chriſtianis proponantur credendi, maniſeſtè ſequitur, quòd ſinguli tenentur eos explicitè credere. ¶ Secundò etiam eſt certum, quòd maiores, atque Prælati Eccleſiaſtici, ad quos ſpectat alios docere, plura tenentur credere explicitè, quam inferiores: alias nulla eſſet neceſsitas alios docendi, & explanandi fidei arcana: cuius tamen contrarium conſtat experientia. Sed difficultas cōſiſtit in explicando modo, quo tam inferiores, quàm ſuperiores tenentur ipſos articulos explicitè credere: & quid ſit id, in quo conſiſtit iſta inæqualitas explicitæ credulitatis.

1. Dictū certum.

2. Dictū certum.

1. Concluſio.

¶ In quo ſit prima concluſio, Simplices Chriſtiani, id eſt, vulgus Chriſtianorum, tenentur fidei articulos ità credere explicitè, vt interrogati de illis verè dicere poſsint, ità eſſe. Dixi notanter, interrogati &c. quia non tenentur omnes articulos per ordinem memoriter tenere, ſed ſatis eſt ſi interrogati de vnoquoque illorum, dicant eſſe de fide. Hæc concluſio eſt cōtra Guillhelmum Pariſienſem, Tractatu de fide: & contra Altiſſiodorenſem tertia parte ſuæ ſummæ, Tract. 2. quæſt. 5. quos etiam ſequuntur aliqui Canoniſtæ, vt autor eſt Silueſter verbo, fides. §. 6. Qui dicunt, quòd vulgus Chriſtianorum non tenetur habere fidem explicitam articulorum, ſed ſufficit in illo implicita, dummodò explicitè credant ſanctam Eccleſiam, & in hoc articulo reliqua omnia, quæ ab illa proponuntur. Noſtram tamen concluſionem tenet Magiſter in tertio, diſtinct. 25. & Diuus Thom. in hac quæſtione, artic. 7. & probatur apertè ex cap. ante baptiſmum. de conſecratione, diſtinct. 4. vbi præcipitur, quod adultus, antequam baptizetur, ſymbolum credat. Et in capite baptizandos, & in capite non liceat, eodem titulo, etiam præcipitur, vt baptizandi priùs ſymbolum diſcant. Idem etiā affirmat expreſſè Diuus Auguſtinus in lib. de ſymbolo ad Catechumenos, & in libro de fide & operibus. capit. 1. 6. &. 9. & in ſermonibus de Dominica Palmarum, & in Albis, qui habentur decimo tomo. Et ratio eſt manifeſta, nam abſurdiſsimum eſſet vt Chriſtiani, qui inter homines aliarum religionum fideles dicuntur, propter fidei excellentiam, quam habent ignorarent ea, quæ credunt: ergo dicendum eſt, quòd tenentur omnes fidei articulos explicitè credere.

¶ Secunda concluſio, Parochi curam animarum habentes, & alij clerici Chriſtianum munus, & Eccleſiaſticum adminiſtrantes, tenentur articulos fidei ità explicitè credere, vt poſsint illos explicare alijs, & diſtinguere rationes illorum. Hanc concluſionem tenet expreſſè Diuus Thomas in additionibus ad tertiam partem quæſtione. 63. artic. 2. & in tertio. diſt. 25. quam cōmuniter ſequuntur Doctores. Et probatur: nam parochi, & alij clerici aſſumuntur in partem ſolicitudinis Epiſcoporum, vt doceant populum articulos fidei, & alia, quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem: ergo hæc omnia tenentur ſcire, atque cognoſcere multò exactiùs, quàm populus. Item Malachiæ cap. 2. dicitur, quòd de ore ſacerdotis debet populus legem requirere: ergo neceſſarium eſt, quòd illam, & alia ad ſalutem neceſſaria ſciant ſacerdotes. Et confirmatur ex capite omnis vtriuſque

2. Concluſio.

ſexus

ſexus, de pœnitētijs, & remiſsionibus. vbi de ſacerdote confeſſario dicitur, quod ſit diſcretus, & cautus, vt more periti medici ſuperinfundat vinum & oleum vulneribus, diligenter inquirens, & peccatoris, & peccati circunſtantias: ex quibus prudenter intelligat, quale debeat ei præbere conſilium. &c. De hac te videndi ſunt Summiſtæ, verbo. confeſſor. & Soto in quarto, diſtinct. 25. quæſt. 1. artic. 4. concluſione. 3. ad primum argumentum.

3. Concluſio. ¶ Tertia concluſio, Epiſcopi ità tenentur articulos fidei explicitè credere atque ſcire, vt penetrent reconditiora in illis incluſa myſteria: & diſſoluant quæſtiones difficiles, quæ circa illos fuerint exortæ, atque diffinitæ ab Eccleſia, vt poſsint reddere rationem omnium illorum, non ſolum apud ſimplices & fideles, ſed etiam apud hæreticos, atque contradictores. Et eſt aduertendum, quòd, cùm dico, parochos, & Epiſcopos teneri ſcire articulos, eo modo, quo diximus, non intelligo hoc illis ſufficere: nam præterea parochi tenentur ſcire ea, quæ ſunt neceſſaria ad erudiendum populum mediocriter in moribus, & alijs rebus ſacris; & Epiſcopi omnia, quæ ſpectant ad gregem Domini perfectè paſcendum, atque nutriendum, vt conſtat ex tota ſacra Scriptura. Quo ſuppoſito probatur noſtra concluſio. Primò ex cōmuni ſententia omnium Theologorum in. 3. diſtin. 25. & ex Diuo Thoma eadem diſt. quæſtione. 2. articulo. 1. quæſtiuncula. 2. ad. 3. & præterea ex Paulo. 1. ad Corint. capite. 3. dicente, oportere Epiſcopum eſſe doctorem, & eum, qui in doctrina ſana eſt, habentem ſermonem, vt poſsit contradicentem redarguere. &c. Siquis autem dicat, ſatis eſſe ſi hoc præſtent Epiſcopi per idoneos prædicatores, hortante Concilio Lateranenſi ipſos Epiſcopos, vt prouideant idoneos viros, quibus committāt prædicādi officiū, reſpōdetur, id falſum eſſe, nā proculdubio Epiſcopi, per ſe ipſos tenētur munus prædicationis obire, cùm & Dominus, & Apoſtoli per ſe ſe illud præſtiterint. Vnde Paulus. 1. ad Corint. 1. dicit, Nō miſit me Dominus baptizare, ſed prædicare: & Chriſtus, apud Matth. 10. dixit Apoſtolis, Euntes prædicate, quia appropinquauit regnum cœlorum, infirmos curate, &c. ¶ Et eſt aduertendum, quòd præ-

Nota. tulit Dominus munus prædicationis operationi miraculorum, vt hac ratione intelligeremus, propriùs pertinere ad Epiſcopos & Prælatos per ſe ipſos prædicare, quàm miracula edere: cùm & miraculorum editio præcipuè deſeruiat atteſtandæ veritati. Et Ioā. c. 15. dixit Chriſtus loquēs ad Apoſtolos, Poſui vos, vt fructum afferatis, & fructus veſter maneat: certum eſt autem, quod fructum afferre nihil aliud eſt, quàm homines ad Chriſtum per prædicationem trahere. Et quid aliud eſt dicere, Faciā vos fieri piſcatores hominum, niſi, ꝙ Dominus. per Apoſtolorū prædicationem erat lucraturus plures fideliū animas? Et illa verba Matth. 5. Vos eſtis lux mundi, vos eſtis ſal terræ, quo pertinent, niſi vt intelligant Epiſcopi, qui ſunt ſucceſſores Apoſtolorū ſe eſſe ſal terræ & lucem mundi? Si autem ſilēt, & munus prædicationis nō aſſumūt, quomodo ſal terræ, aut lux mundi erunt dicendi? Reſtat ergo, ꝙ proprium munus Epiſcoporum eſt prædicare. Quod & latè docet Cōci. Trid. ſeſ. 5. c. 2. de reformatione, vbi dicitur, Quia verò Chriſtianæ Reipu. non minus neceſſaria eſt prædicatio Euangelij, quàm lectio, & hoc eſt præcipuum Epiſcoporum munus: ſtatuit, & decreuit eadem ſancta ſynodus, omnes Epiſcopos, Archiepiſcopos, Primates, & omnes alios Eccleſiarū Prælatos teneri per ſe ipſos, ſi legitimè impediti non fuerint, ad prædicandum ſanctum Ieſu Chriſti Euangelium. Nec obſtat decretum adductum ex concil. Lateranenſi. Nam ſenſus illius eſt, ꝙ, quia ſolus Epiſcopus non poteſt ſemper docere Eccleſiam ſibi commiſſam, idcircò conceditur illi, vt poſsit eligere huius muneris ſocios, manente tamen apud Epiſcopum integra obligatione, per ſe ipſum prædicādi. ¶ Ex dictis infertur, eſſe in malo ſtatu eos Epiſcopos, qui nihil præter meros canones ſciunt. Nō dico eſſe neceſſarium, quòd Epiſcopi ſint profeſsione Theologi: ſed ꝙ affirmo eſt, eos grauiter peccare, niſi ſciant ea, quæ ad fidei defenſionem, & morum inſtitutionem ſunt neceſſaria: quæ tamen, per meros canones, nec diſci, nec teneri poſſunt. De hac re videndus eſt D. Clemens in epiſtola. 3.

Epiſcopi per ſe ipſos tenētur prædicare.

¶ Suppoſito iam, quòd omnes fideles tenētur. 14. articulos fidei explicitè credere, quamuis diuerſimodè, dubium conſequens eſt, quoniam iure Chriſtiani ad id obligentur: vtrum, ſcilicet, iure diuino, vel

tãtum iure poſitiuo? Ad quam difficultatẽ
omiſsis varijs modis dicendi, breuiter reſ-
1. Propoſitio. põdetur per ſequẽtes propoſitiones. ¶ Pri
ma propoſitio, Præceptum iuris diuini eſt,
quòd omnes fideles explicitè credant my-
ſteriũ Trinitatis. Probatur ex illo Matth.
cap. vltimo. Baptizantes eos in nomine Pa
tris & Filij & Spiritus ſancti, & docentes
ſeruare quæcunque mandaui vobis. Cuius
diuini præcepti vim, magis explicat Mar.
cap. vltimo. dicẽs, Qui crediderit, & bapti-
zatus fuerit ſaluus erit: qui verò non credi-
2. Propoſitio. derit condemnabitur. ¶ Secunda propoſi-
tio, De iure diuino tenentur omnes fideles
credere explicitè incarnationẽ Verbi diui
ni. Probatur ex illo Ioãnis. 17. Hæc eſt vita
æterna, vt cognoſcant te verum Deum, &
quem miſiſti Ieſum Chriſtum, id eſt, hæc
eſt via ad ſalutem æternam neceſſaria, vt
cognoſcant. &c. vt D. Chryſoſt. interpre-
tatur. Et. 1. Ioan. c. 3. dicitur, Hoc eſt man-
datum eius, vt credamus in nomine Filij
3. Propoſitio. eius Ieſu Chriſti. ¶ Tertia propoſitio, De
iure diuino tenentur fideles explicitè cre-
dere myſteria paſsionis & reſurrectionis
Chriſti. Probatur ex Paulo. 1. ad Corinth.
c. 15. dicẽte, Tradidi vobis, quod & accepi:
quoniam Chriſtus mortuus eſt pro pecca-
tis noſtris, ſecundum ſcripturas: & quia ſe-
pultus eſt & reſurrexit. Quibus verbis
apertè ſignificat Apoſtolus, ſe habuiſſe
mandatum prædicandi mortem, & ſepul-
4. Propoſitio turam, & reſurrectionem Chriſti. ¶ Quar
ta propoſitio, Credere explicitè aduẽtum
Chriſti ad iudicandum, eſt de iure diuino.
Probatur ex eo, quod Petrus Actorum. 10.
fatetur ſe habere tale præceptum dicens,
Nobis præcepit Deus prædicare & teſtifi-
cari, quoniam ipſe eſt, qui conſtitutus eſt à
5. Propoſitio. Deo Iudex viuorũ, & mortuorũ. ¶ Quin-
ta propoſitio, Quòd reliquos omnes articu
los, vt deſcenſum Chriſti ad inferos, com-
munionem ſanctorum. &c. explicitè cre-
dant fideles, eſt tantum de iure poſitiuo.
Probatur, Nam cõdere ſymbolum, & illud
publicè proponere credẽdum, nihil aliud
eſt, quã præcipere, vt omnes explicitè cre-
dant: hoc autem facit Eccleſia, ergo. Et con
firmatur ex. c. baptizandos. & ex. c. non li-
ceat, de conſecra. diſtinct. 4. vbi ſingulis
præcipitur, vt antequam baptizentur ſym
Argumentum cõtra. 5. propoſitionẽ. bolum dicant. ¶ Sed contra hoc eſt argu-
mentum, Eccleſia non poteſt obligare ad
actus interiores, iuxta illud. 1. ad Corint. c.
4. Nolite ante tempus iudicare quo adusq;
adueniat Dominus, qui & illuminabit ab-
ſcondita tenebrarum, & manifeſtabit con
ſilia cordiũ: ſed credere explicitè articulos
fidei eſt actus interior: ergo Eccleſia ad il-
lum non poteſt obligare, atque ex conſe-
quenti fideles tantum tenebuntur credere
explicitè eos articulos, ad quos obligantur
ex iure diuino. ¶ Ad hoc argumentũ Adria *Solutio Adriani.*
nus quodl. 8. art. 1. reſpondet negando ma
iorẽ, dicit enim, quod Eccleſia verè habet
poteſtatem ſuper actus interiores, & idem
ſentit Gloſſa in Clemẽtina ad noſtrum, de
hæret. §. verum. verbo ipſo. Cæterum con-
traria ſentẽtia, quæ aſſerit Eccleſiã nec pu
nire, nec pręcipere poſſe actus purè interio
res, eſt longè probabilior: quã tenet D. Th.
1. 2. q. 91. arti. 4. & Caietanus in Tractatu
de autoritate Papæ, & Concilij. c. 19. Du-
randus in. 4. d. 17. quæſt. 8. & Medina Co
dice de pœnitentia. tractatu. 6. Et probatur
manifeſtè ex. c. ſicut tuis. de ſimonia, vbi
dicit Innocentius, quòd Eccleſia non iudi-
cat de occultis. Et in cap. tua nos, eodem ti-
tulo. etiam dicitur, Nobis tantum datum
eſt de manifeſtis iudicare. Quocircà ad ar- *Vera ſolutio*
gumentum aliter reſpondetur cum Caiet. *argumenti.*
loco citato, notando, quod actus interiores
poſſunt dupliciter conſiderari. Vno modo
vt puri; id eſt, vt ſeparati omnino ab actu
exteriori & iſto modo non ſubduntur au-
toritati Eccleſiæ, vt velle occidere, velle for
nicare. &c. Alio modo, vt ſunt coniuncti
cum actu exteriori, velut ratio & cauſa il-
lius: & ſub hac ratione habet Eccleſia po-
teſtatẽ ſuper illos. Vnde excommunicat
inquiſitores ex odio procedentes contra
hæreticos, vel ex amore omittentes proce-
dere. In quo caſu non excõmunicantur in
quiſitores propter actus interiores, ſed pro
pter actus exteriores, quatenus procedunt
ab odio, vel amore. Et quia explicitè crede
re articulos fidei, eſt radix huius actus exte
rioris, qui eſt fidem exteriùs proteſtari, id-
circo poteſt Eccleſia illum ſub iſta ratione
præcipere.

¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco, vtrum *Dubium.*
ſi Chriſtiani habuerint ignorantiã inuin-
cibilem alicuius articuli poſsint conſequi
ſalutẽ. Ad cuius explicationẽ dico primò, *Dictum.*
De articulo incarnatiõis & paſsionis Chri
ſti nõ eſt probabile, ꝙ aliquis Chriſtianus
habeat ignorantiam inuincibilem, ſed
ſi illam habuerit non ſaluabitur. Ita tenet
D. Thom. ſuper cap. 10. epiſtolæ ad Rom.
& in hac quæſtione. artic. 7. & D. Auguſt.
epiſtola

epiſtola. 105. Itaque ſecundum iſtam ſententiam, explicita fides incarnationis, & paſsionis Chriſti eſt neceſſaria, non ſolum neceſsitate præcepti, ſed etiam neceſsitate finis. Et ideo dicendum exiſtimo, de myſterio Trinitatis: cum incarnatio cognoſci nō poſsit explicitè, niſi cognita Trinitate, vt explicat D.Th.art.8.huius quæſt. ℂ Dico ſecūdo, De articulis, quibus celebrādis Eccleſia dies feſtos dicauit, vix fieri poteſt, vt fideles habeāt ignorantiam inuincibilem: cæterùm, ſi illam habuerint de illis, vel de aliquo illorū, benè poterunt ſaluari: quia iſtorum cognitio explicita tantum eſt neceſſaria neceſsitate præcepti.

2. Dictum.

Dubium.

ℂ Cæterùm, quoniam præceptū de credendo eſt affirmatiuum, nec obligat pro ſemper, eſt aliud dubium, pro quonam tēpore obliget. Ad quam difficultatē Nider in ſuo præceptorio reſpondet dicens, quòd omnes obligantur ad actu credendum articulos fidei eo die, quo ab Eccleſia ſolennizantur. Cæterùm hæc ſententia eſt falſa. Primo, quia nullum habet per ſe efficax fundamentum. Secūdo, quia aliàs ſequeretur, quòd fideles nunquam tenerentur ad habēdam explicitam fidem creationis, iuſtificationis, & glorificationis, cùm de illis nunquam ſolēnia celebrētur. Quocircà hac ſententia omiſſa dico, quòd poſtquam aliquis ſemel actu credidit, non tenetur amplius actu credere, niſi cum adeſt neceſsitas confitēdi, & proteſtandi fidem: in alijs autē caſibus ſatis fuerit habitu & animi præparatione credere. Ità tenent communiter omnes doctores.

Solutio.

Nota circa 2. argum. D. Thom.

ℂ In ſolutione ad.2.dicit, D.Tho. ꝙ ſimplices Chriſtiani errātes circa ſubtilitatem fidei excuſantur, & à culpa hereſis, & à pœnis contra hæreticos ſtatutis, ſi deſit pertinacia. Quæ quidem ſententia eſt vera, & tenenda, non obſtante, quòd Speculator, & Aluarus quidam in tit. de hæreticis dicant, tales ſimplices eſſe hæreticos, & peccare mortaliter, vt eſt videre apud Siluestrum, verbo fides.§.4. Tamen noſtram ſententiā tenent Innocētius in cap. Primum. de ſumma Trinitate & fide catho. & Hoſt. & Panormitanus. Et ratio eſt manifeſta. Nam cùm pertinacia ſit quæ facit hereſim, & hęreticum, vt infra dicemus, manifeſte ſequitur, quòd ea eſſante nullus poteſt, aut culpā, aut pœnā hæreſis incurrere. De qua re videndus eſt Silueſter loco citato.

ℂ Circa ſolutionem ad tertium notat duo Caietanus. Primum eſt, quòd humana cognitio nō eſt regula fidei, ſed diuina veritas, atque doctrina: ex quo fit, vt quamuis cognitio fidei, quam habet vniuerſalis Eccleſia, non poſsit eſſe falſa, vt ſuprà diximus, adhuc tamen ipſa non eſt dicenda fidei regula, ſed tantum diuina veritas cui Eccleſiæ fides innititur. ℂ Secundò notat, quòd indifferenter accipit D.Tho. pro eodē, fidem vniuerſalem Eccleſiæ, & fidem Petri. Et ratio eſt, quia fides Petri prout in illo eſt, & in eius ſucceſſoribus, eſt eadem fides, quam vniuerſalis Eccleſia ſuſcipere tenetur. Dixi notāter, in ſucceſſoribus eius in ſenſu formali, vt hac ratione intelligamus non de fide huius, vel illius in particulari: nam, vt ſic, benè poteſt deficere à fide, & de facto aliqui defecerūt: ſed de fide ſucceſſoris Petri in quantum eſt ſucceſſor illius in officio, & dignitate Apoſtolica eſſe intelligendum: ſecundum quam rationē in omnibus, quæ diffinit de fide, & moribus errare nō poteſt. ℂ Tertiò notandum, dupliciter poſſe aliquem inniti fidei maiorum, benè, ſcilicet, & malè. Benè quidem, quando innititur eis, quatenus ipſi innitūtur veritati diuinæ. Malè autem, quando innititur eis eo animo, vt etiam ſi ipſi aliquid contra determinationem Eccleſiæ ſentirent, adhuc illis aſſentiretur: & tūc tales, vt hæretici habendi ſunt, & puniendi.

Primum notabile Caietani circa.3.argum.

2. Notabile.

ARTICVLVS. VII.

ℂ *Vtrum explicitè credere myſterium incarnationis Chriſti, ſit de neceſsitate ſalutis apud omnes.*

AD SEPTIMVM ſic proceditur. Videtur quod credere explicitè myſteriū incarnationis Chriſti non ſit de neceſsitate ſalutis apud oēs. Nō enim tenetur homo explicitè credere ea, quę angeli ignorant: quia explicatio fidei ſit p reuelationē diuinā, quæ peruenit ad homines mediātibus angelis, vt dictū eſt, ſed etiam angeli myſteriū incarnationis ignorauerūt: vnde quærebant in Pſal. 23. Quis eſt iſte rex gloriæ? Et in Iſai. Quis eſt iſte qui venit de Edom? vt Diony. exponit.c.7.Cæl.hierarc. ergo ad credendū explicitè myſteriū incarnationis Chriſti homines non tenebantur.

3.d.25.q.2. a.2.q.2.& 2. Et.q.3.ar.4 & 4.diſ.6. q.2.art.2.q. 1.corp. Et ad Heb.11.cap. 10.fin.

Ar.præ.& p.p.qu.111. art.1.

2 ¶Præterea, conſtat beatum Ioan-
nem Baptiſtã de maioribus fuiſſe, &
propinquiſsimũ Chriſto, de quo Dñs
dicit Matt. 11. Inter natos mulierum
nullus maior eo ſurrexit: ſed Ioannes
Baptiſta non videtur incarnationis
Chriſti myſterium explicitè cogno-
uiſſe, cùm à Chriſto quæſierit, Tu es
qui vẽturus es, an alium expectamus?
vt habetur Matt. 11. ergo nõ teneban
tur etiam maiores ad habendum ex-
plicitam fidem de Chriſto.

3 ¶Præterea, multi Gentilium ade-
pti ſunt ſalutem per miniſteriũ Ange
lorum, vt Diony. dicit. 9. ca.* Cœleſt.
hierar. Sed Gentiles non habuerunt
fidem de Chriſto, nec explicitam, nec
implicitam, vt videtur, quia nulla eis
reuelatio facta fuit. Ergo videtur ꝙ
credere explicitè incarnationis Chri-
ſti myſterium non fuerit omnibus ne
ceſſarium ad ſalutem.

¶SED contra eſt quod Aug. dicit
in lib. de Correptione & gratia. Illa fi
des ſana eſt, qua credimus nullum ho
minem ſiue maioris, ſiue paruæ ætatis
liberari à contagio mortis & obliga-
tione peccati, niſi per vnum mediato
rem Dei & hominũ Ieſum Chriſtũ.

Q.1.ar.6.et q.2.art.5. ¶RESPONDEO dicendum, ꝙ
ſicut ſupradictũ* eſt, illud propriè &
per ſe pertinet ad obiectum fidei, per
quod homo beatitudinem conſequi-
tur. Via autem hominibus veniẽdi ad
beatitudinem eſt myſteriũ incarnatio
nis & paſsionis Chriſti. Dicitur enim
Acto. 4. Non eſt aliud nomen datum
hominibus, in quo oporteat nos ſal-
uos fieri. & ideo myſteriũ incarnatio
nis Chriſti aliqualiter oportuit omni
tempore eſſe creditum apud omnes:
diuerſimode tamen, ſecundum diuer
ſitatem temporum & perſonarũ. Nã
ante ſtatum peccati homo habuit ex-
plicitam fidem de Chriſti incarnatio-
ne, ſecũdum quod ordinabatur ad cõ
ſummationem gloriæ, non autem ſe-
cundum quod ordinabatur ad libera-
tionẽ à peccato per paſsionẽ & reſur-
rectionem: quia homo non fuit præ-
ſcius peccati futuri, videtur autẽ incar
natiõis Chriſti præſcius fuiſſe per hoc
quod dixit, Propter hoc relinquet ho
mo patrẽ & matrẽ, & adhærebit vxo
ri ſuæ, vt habetur Gen. 2. Et hoc Apo
ſtolus ad Epheſ. 5. dicit ſacramentum
magnũ eſſe in Chriſto & Eccleſia, qđ
quidẽ ſacramẽtum non eſt credibile,
primũ hominẽ ignoraſſe. Poſt pecca-
tũ autem fuit explicitè creditũ myſte
rium incarnationis Chriſti, nõ ſolum
quãtum ad incarnationem, ſed etiam
quãtum ad paſsionẽ & reſurrectionẽ,
quibus humanum genus à peccato &
morte liberatur. Aliter enim non præ
figuraſſent Chiſti paſsionẽ quibuſdã
ſacrificijs, & ante legẽ, & ſub lege, quo
rum quidẽ ſacrificiorũ ſignificatũ ex-
plicitè, maiores cognoſcebant: mino-
res autem ſub uelamine illorum ſacri
ficiorũ, credentes ea diuinitus eſſe di-
ſpoſita de Chriſto venturo, quodam-
modo habebant velatam cognitionẽ.
Et ſicut ſupra dictũ* eſt, ea quæ ad my Q.1.arti.7.
ſteria Chriſti pertinent, tanto diffici-
lius cognouerunt, quãto à Chriſto re
motiores fuerunt, & tanto facilius co
gnouerunt, quanto Chriſto propin-
quiores fuerunt. Poſt tempus autẽ gra
tiæ reuelatæ tã maiores q̃ minores te-
nentur habere fidẽ explicitam de my
ſterijs Chriſti, præcipuè quantum ad
ea, quæ cõmuniter in Eccleſia ſolẽni-
zãtur, & publicè proponuntur: ſicut
ſunt articuli incarnationis, de quibus
ſuprà dictum* eſt. Alias autẽ ſubtiles Q.1.art.8.
cõſiderationes circa incarnationis ar-
ticulos, tenentur aliqui magis vel mi-
nus explicitè credere, ſecũdum quod
cõuenit ſtatui & officio vniuſcuiuſq;.

¶AD PRIMVM ergo dicẽdum,
ꝙ Angelos non omnino latuit myſte
rium regni Dei, ſicut Aug. dicit* 5. ſu-
per Gen. ad literã. Quaſdam tamẽ ra-
tiões huius myſterij perfectius cogno
uerunt Chriſto reuelante.

¶Ad ſecundum dicendum, ꝙ Ioãnes Baptiſta de aduentu Chriſti in carne non quæſiuit, quaſi hoc ignoraret, cũ ipſe hoc expreſſè confeſſus fuerit, dicens, Ego vidi & teſtimonium perhibui, quia hic eſt filius Dei: vt habetur Ioan. 1. Vnde non dixit, Tu es qui veniſti: ſed, Tu qui venturus es, quærens de futuro, non de præterito. Similiter non eſt credẽdum, quòd ignorauerit eum ad paſsionẽ venturum. Ipſe enim dixerat, Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi: prænuntians eius immolationem futurã. Et tamen hoc prophetæ alij etiã non ignorauerunt, ſed antè prædixerunt, ſicut præcipuè patet in Iſai. 35. Poteſt ergo dici, ſicut Grego. dicit,* ꝙ inquiſiuit ignorãs, an ad infernum eſſet in propria perſona deſcenſurus. Sciebat autem, quod virtus paſsionis eius extẽdenda erat vſq; ad eos, qui in limbo detinebantur: ſecũdum illud Zach. 9. Tu quoq; in ſanguine teſtamenti tui emiſiſti vinctos de lacu, in quo non eſt aqua: nec hoc tenebatur explicitè credere antequã eſſet impletum, ꝙ per ſeipſum deberet deſcendere. Vel poteſt dici, ſicut Amb.* dicit ſuper Luc. quod nõ inquiſiuit ex dubitatione ſeu ignorãtia, ſed magis ex pietate. Vel poteſt dici, ſicut Chryſoſt. dicit, quod non inquiſiuit, quia ipſe ignoraret, ſed vt per Chriſtũ ſatisfaceret ſuis diſcipulis: vnde & Chriſtus ad diſcipulorum inſtructionem reſpõdit, ſigna operũ oſtendẽs.

Homil. 6. in Euang.

Cap. 7.

¶Ad tertium dicẽdum, ꝙ multis gentilium facta fuit reuelatio de Chriſto: vt patet per ea, quæ prædixerũt. Nam Iob. 19. dicitur, Scio quod redemptor meus viuit. Sibylla etiam prænũtiauit quædam de Chriſto, vt Aug.* dicit, Inuenitur etiam in hiſtorijs Rom. quòd tempore Conſtantini Auguſti, & Helenæ matris eius inuentum fuit quoddam ſepulchrũ, in quo iacebat homo auream laminam habens in pectore; in qua ſcriptum erat, Chriſtus naſcetur ex virgine, & ego credo in eum. O ſol ſub Helenæ & Conſtantini temporibus iterum me videbis. Si qui tamen ſaluati fuerunt, quibus reuelatio non fuit facta, non fuerũt ſaluati abſq; fide mediatoris: quia etſi non habuerunt fidem explicitam, habuerunt tamen fidem implicitam in diuina prouidentia, credentes Deum eſſe liberatorem hominum ſecundum modos ſibi placitos, & ſecundum quod aliquibus veritatem cognoſcentibus ſpiritus reuelaſſet: ſecundum illud Iob. 35. cap. Qui docet nos ſuper iumenta terræ.

Lib. 13. cont. Fauſt. c. 15.

SVMMA TEXTVS.

AD hãc difficultatẽ reſpondet D. Th. per aliquot propoſitiones. Prima concluſio, Semper fuit neceſſarium credere myſterium incarnationis aliquo modo, ſcilicet, pro ratione temporum, & perſonarũ. Probatur, myſterium incarnationis per ſe pertinet ad obiectũ fidei, cùm ſit via, qua peruenimus ad beatitudinẽ: ergo ſemper fuit neceſſarium habere aliquam illius cognitionem. De hac concluſione eſt videndus D. Auguſtinus contra Pelagium, & præcipuè libr. 1. de gratia Chriſti cap. 7. 8. & 9. ℭ Secunda concluſio, Adam ante peccatum habuit fidem explicitam myſterij incarnationis, quatenus erat ordinatus ad gloriæ conſequutionem, non autem ſecundum quod ordinabatur ad liberationem à peccato per mortem, atque paſsionem. Probatur ex Paulo ad Epheſ. 5. vbi citans Apoſtolus illud Geneſ. Hoc nunc os ex oſſibus meis, dicit, Myſterium hoc magnũ eſt: ego autem dico in Chriſto & Eccleſia. ℭ Tertia concluſio, Poſt peccatum hoc myſterium explicitè crediderunt maiores, minores autem implicitè. Probatur, quoniam ſemper fuit figuratum pluribus ſacrificijs atque figuris, quorum explicationẽ explicitè cognouerunt maiores, minores autem implicitè, & ſub velamine. ℭ Quarta concluſio, Poſt incarnationem Chriſti omnes tenentur credere explicitè hoc myſterium ſaltim quantum ad præcipuos articulos paſsionis, & reſurrectionis. &c.

EXPLICATIO ARTICVLI.

DE materia huius articuli ſatis ſuperq; dictum eſt in ſuperioribus. Et ſic tantum

Argumentum cõtra 3. & 4. concl.

tum contra tertiam & quartam concluſionem eſt argumentum deſumptum ex Paulo.1.ad Corin.cap.2.vbi loquens de myſterio incarnationis dicit, Sapientiam loquimur inter perfectos, quæ abſcondita eſt, & quã nemo principũ huius ſeculi cognouit: ſi enim cognouiſſent, nũquã Dominũ gloriæ crucifixiſſent. In quibus verbis duo dicit Paulus. Primum eſt, quod hoc myſterium ſolum inter perfectos eſt tractãdum: ex quo videtur ſequi, quod minores non tenẽtur illud explicitè credere: quod eſt cõtra.4.concluſionem. Secũdum autẽ, quod dicit, eſt, quod principes huius ſeculi nunquã hoc myſterium cognouerunt: ſi enim cognouiſſent nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent: ergo falſum eſt dicere, quod poſt peccatum maiores crediderunt explicitè incarnationem, quod D.Tho. affirmat in tertia concluſione. *Solutio.* ¶ Ad hoc argumentum reſpondetur, quòd D.Paulus, eo in loco nomine ſapientiæ non intelligit myſterium incarnationis, quod ipſe omnibus fidelibus indiſcriminatim propoſuiſſe teſtatur, in initio eiuſdẽ capitis dicens, Ego, cùm veniſſem ad vos fratres, veni non in ſublimitate ſermonis, aut ſapientiæ, annuntiãs vobis teſtimonium Chriſti: non enim iudicaui me ſcire aliquid, niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum, ſed intelligit reconditiora myſteria in eadẽ incarnatione contenta, quæ quidem tantum apud eos, qui in fide fuerint perfecti, tractanda ſunt. Nec etiam nomine principum huius ſeculi intelligit Prælatos, aut maiores Eccleſiæ, ſed potius Dæmones, qui mundo dominabantur ante Chriſti paſsionem, de quibus dicit, ꝙ ſi cognouiſſent fructũ, qui ex paſſione Chriſti in humanũ genus erat redundaturus, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent. Tanto enim odio homines proſequebãtur: & ità appetebant propriã excellentiam, vt inuidia hominum, & timore ꝓpriæ deiectionis cõmoti deſiſterẽt à Chriſto crucifigẽdo. Ita explicat Caietanus hũc locũ: nec ex eo, hoc modo intellecto, ſequitur aliquid contra concluſiones D. Thom.

ARTICVLVS. VIII.

¶ *Vtrùm explicitè credere Trinitatem, ſit de neceßitate ſalutis.*

3.d.25.q.2. ar.2.cor.& AD OCTAVVM ſic proceditur. Videtur quod credere Trinitatẽ explicitè nõ fuerit de neceſſitate ſalutis. Dicit enim Apoſtolus ad Hebr.11. Credere oportet accedentẽ ad Deũ quia eſt, & quia inquirentibus ſe remunerator eſt, ſed hoc põt credi abſq; fide Trinitatis. Ergo nõ oportebat explicitè fide de Trinitate habere. *ad primum, & in expo. lib. Et.4.d.1.q. 2.ar.2.q.2. cor. Et veri. q.14.*

2 ¶ Præterea, Dñs dicit Ioa.17. Pater, manifeſtaui nomẽ tuum hominibus: quod exponens Auguſt. * dicit, Non id nomen tuum, quo vocaris Deus, ſed id quo vocaris pater meus. Et poſtea ſubdit etiam, In hoc, ꝙ Deus fecit hunc mundũ, notus in omnibus gẽtibus: in hoc, ꝙ non eſt cum Dijs falſis colendus, notus in Iudęa Deus. In hoc verò, quòd pater eſt huius Chriſti, per quem tollit peccata mũdi, hoc nomẽ eius prius occultũ, nunc manifeſtauit eis, ergo ante Chriſti aduentũ nõ erat cognitum, ꝙ in diuinitate eſſet paternitas & filiatio, non ergo Trinitas explicitè credebatur. *Tract. 106. in Ioan. ante med. to. 9.*

3 ¶ Præterea, Illud tenemur explicitè credere in Deo, quod eſt beatitudinis obiectũ, ſed obiectum beatitudinis eſt bonitas ſumma, quæ poteſt intelligi in Deo etiã ſine perſonarũ diſtinctione, ergo non fuit neceſſarium explicitè credere Trinitatem.

¶ SED CONTRA eſt, qđ in veteri teſtamẽto multipliciter expreſſa eſt Trinitas perſonarũ, ſicut ſtatim in principio Gene. dicitur ad expreſſionem Trinitatis, Faciamus hominẽ ad imaginẽ & ſimilitudinem noſtrã, ergo à principio de neceſsitate ſalutis fuit credere Trinitatem explicitè.

¶ RESPONDEO dicendum, ꝙ myſteriũ incarnationis Chriſti explicitè credi nõ poteſt ſine fide Trinitatis: quia in myſterio incarnationis Chriſti hoc continetur, ꝙ filius Dei carnem aſſumpſerit, ꝙ per gratiã Spiritus ſancti mundũ reuocauerit, & iterum, ꝙ de Spiritu ſancto cõceptus fuerit: & ideo eodem modo quo myſterium incarnationis Chriſti ante Chri-

vna ſine alia videri: ergo idē dicendum eſt
de illis, quando diſtinguũtur per relatiua,
maximè de Patre & Spiritu Sancto, qui
non referũtur ad inuicem. Patet conſequē
tia, quia æquè diſtinguuntur realiter, &
vnus non refertur ad alium.

1. Concluſio. ¶ His tamen non obſtantibus ſit cõcluſio, Impoſsibile eſt, etiam per diuinam potentiam, ꝙ diuina eſſentia videatur ſine perſonis, aut vna perſona ſine alijs, viſione intuitiua: intuitiua, inquam, quoniam per notitiam abſtractiuam, vt modo in via, nihil vetat quominus quiſquam poſsit Deũ apprehendere, nihil cogitando de perſonis: & eadē ratio eſt de diuinis attributis. *Eſſentia non ſine perſonis, poteſt videri*

Probatur concluſio, Viſio Dei eſt notitia ipſius exiſtentis, atque præſentis, ſed non exiſtit niſi in perſonis: ergo non poteſt videri ſine perſonis. Et eadem ratione colligitur, ꝙ nec vna pſona poſsit videri ſine alia: nã Pater nõ poteſt videri, niſi in eſſentia & eſſentia non põt videri, niſi videãtur Filius & Spiritus ſanctus, ergo nec Pater poterit videri, quin videatur Filius & Spiritus ſanctus. Itē, Perſona nõ diſtinguitur ab eſſentia ex natura rei, ſed tam idē ſunt Pater & eſſentia, & Filius & eſſentia, ſicut Petrus, & Angelus eſt ipſemet, imò multò magis: quia Deus eſt magis ſimplex nihil cõpoſitionis, aut diſtinctionis in ſe admittēs, niſi tantum vbi obuiat relationis oppoſitio, vt Anſelmus teſtatur, ergo quemadmodum vnus Angelus non poteſt intuitiuè videre naturam alterius angeli coram ipſo exiſtētis, niſi videndo perſonã, nec perſonã, niſi vidēdo eſſentiam: ita etiam nullus poterit videre eſſentiam diuinã non vidēdo perſonas, aut vnũ attributum ſine alijs. Scio Scotũ in. 1. d. 8. tenere, perſonas diuinas diſtingui formaliter ab eſſentia propterea ꝙ qui definiret eſſentiam, aliter illam definiret, q̃ perſonã. Et idem dicendum eſſe exiſtimat de diuinis attributis inter ſe ſe, & in cõparatione ad eſſentiam. Cæterùm hęc ſententia proculdubiò eſt falſa, & diuinæ ſimplicitati repugnans. Primò, quia in Deo nulla eſt propria definitio, cùm in certo genere cõſtitui non poſsit. Secundò, quia quanuis cõcedamus, quòd aliquo modo ſit definibilis, adhuc tamē eſt falſum, quòd ex natura rei definitio perſonæ ſit alia à definitione eſſentiæ: & definitio iuſtitiæ à definitione miſericordiæ. Nam quãuis in creaturis iſta habeant diuerſas definitiones, quia ſunt diuerſæ res, in Deo tamen, quia vnaquæq; illarũ perfectionum eſt infinita, & oēs ſimul ſunt vnus ſimplicisſimus Deus, quidquid eſſentialiter includitur in vno, includitur in alio: ex quo fit, vt non poſsit dari definitio vnius diſtincta à definitiõe alterius, niſi tãtum ratione. Et fallitur Scotus: cùm ex eo, quòd in Deo exiſtit perſona & eſſētia, & iuſtitia, & miſericordia, ſine operatione intellectus, colligit eſſe in illo plura, ſecluſa òperatione intellectus. Nã quãuis ſecluſa operatione intellectus Deus ſit iuſtus, & potens, &c. illa tamen non ſunt plura: ſed intellectus, cõparans illa ad noſtras qualitates, cognoſcit ea, vt plura: quæ quidem eſt differre ratione ratiocinata habente fundamentum in re. Et idem prorſus de eſſentia & pſona. Sed de hoc alibi (Deo dante) erit copioſior diſputatio. Tandē probatur cõcluſio. Si Deus eſſet vna perſona, ſicut Michaël, nõ poſſet videri eſſentia ſine perſona, nec ècõuerſo: ſed tam ſimplex eſt Deus nunc, ſicut eſſet tũc, & tam idem ſunt eſſentia & Pater, ſicut eſſent eſſentia & illa perſona, ergo implicat, quòd vnũ ſine alio videatur. Quòd & ſignificare voluiſſe videtur Chriſtus Ioann. c. 14. cùm dixit, Philippe qui videt me, videt & Patrē meũ, quia ego in Patre, & pater in me eſt. Et confirmatur, Si eſſentia poſſet videri ſine perſonis, & ſine aliquo attributorũ, ſequeretur, ꝙ eadē ratione poſſet videri nullo viſo attributo: cõſequens autē eſt abſurdum: nam ſic non videretur Deus: ergo. Sequela probatur, quia nõ eſt maior ratio de vno, quam de omnibus.

¶ Et ad primũ argumentũ Scoti reſpondetur cum Caietano in præſenti negando minorem. Falſum eſt enim, quod Trinitas perſonarum ſpectet ad obiectũ ſecũdanũ viſionis beatificę, ſed eſt quaſi pars obiecti primarij. Nam cum obiectũ primarium ſit Deus viſus, ſicuti eſt in ſe, & ipſe ſit ſuppoſitaliter in tribus perſonis, ſicut Petrus eſt in vna perſona, implicat cõtradictionem, ꝙ Deus videatur, vt eſt in ſe, non viſis perſonis: ſicut & implicat, ꝙ videatur Petrus, non viſa perſona Petri. Et quando dicitur, quòd diuina eſſentia eſt ratio viſibilitatis in omnibus tribus perſonis, ergo eſt obiectum primarium, à quo eſſentialiter pendet viſio, reſpõdetur cõceſſo antecedenti, negando cõſequētiam. Nam cũ hoc, quod diuina eſſentia ſit ratio beatifici obiecti, ſtat, ꝙ non, niſi vt vna, & trina perſonaliter viſa, beatificet. Ad obiectũ enim beatificũ, *Ad. 1. arg.*

nõ ſola ratio beadi exigitur, ſed requiritur, q ipſum beans ſe habeat vt quod. Quo autē, & quod, nõ ſunt duo obiecta. quorum vnũ ſit primarium, & alterum ſecundariũ: ſed ex vtroq; , quaſi integratur vnum obiectum. ¶ Ad ſecundũ argumentum reſpondetur negando minorem, falſum eſt enim quod Pater, in illo priori originis, non habeat eſſentiam, vt communicatam tribus perſonis, pro obiecto beatifico. Nam, cùm beatificetur comprehenſione eſſentiæ, in qua & perſonæ diuinæ, & aliæ res creatæ continentur, manifeſtè ſequitur, quòd etiã in illo priori habebit perſonas & eſſentiã pro obiecto, vt rectè docet D.Tho.1.par.q. 34.ar.3.&.4.contra Gent.c.3. Sed habet eſſentiã, & perſonas, vt à ſe: quia hoc importat prioritas originis: nec eſt ibi aliqua prioritas naturæ, in qua obijciatur eſſentia in vna perſona & nõ in alia, aut vni perſonæ & non alteri: ſed Patri, vt à ſe, & Filio, vt ab alio. ¶ Et ſi cõtra hoc fiat inſtantia, Quælibet perſona diuina formaliter intelligit intellectu, vt eſt in ipſa, & nõ vt eſt in alia, vel, vt eſt in tribus, ergo pari ratione quælibet perſona formaliter intelligit, intelligẽdo eſſentiã, vt eſt in ſe, & non, vt eſt in alia: atq; ex conſequenti, perfecta intellectio vnius perſonæ nõ neceſſario requirit eſſentiã, vt in tribus pro obiecto. ¶ Reſpondetur, & pro ſolutione notandum cum Caie. in præſenti, q ad intelligendũ nõ ſolùm eſt neceſſariũ, q cõcurrant obiectũ, & potẽtia, ſed etiã eſt neceſſariũ, q intellect⁹ inſit ipſi intelligenti, & præterea quòd obiectũ, inhæreat vel quaſi inhæreat ipſi intellectui, mediante ſpecie intelligibili. Ex quo fit, vt quilibet intelligẽs, & intelligat intellectu, vt in ipſo exiſtẽte, & intelligat obiecto, vt ſibi inhærẽti. Sed hæc propoſitio, Quilibet intelligit ipſo obiecto, vt eſt formaliter in intelligẽte, poteſt habere duplicem ſenſum. Prim⁹ eſt, q ly, vt, denotet cõditionẽ, ſine qua obiectũ nõ intelligitur, qualis eſt cõiunctio ipſius cũ intelligente: & tũc hæc propoſitio eſt vera. Alio modo poteſt intelligi, vt ly, vt, denotet terminũ intellectiõis: et in hoc ſenſu eſt falſa propoſitio. Quia lapis, verbi gratia, intelligitur ſecundum cõditiones, quas habet in re ad extra, putà grauitatē: & non ſecundum conditiones, quas habet in intellectu. Hoc ſuppoſito dico, q quando dicitur in argumento, q quælibet perſona intelligit intellectu formaliter, vt eſt in ipſa, ſi ly, vt, faciat primũ ſenſum totus diſcurſus argumentationis eſt optimus. Nam ſicut verum eſt, quòd quælibet perſona intelligit intellectu, vt eſt in ipſa, ſic etiam eſt verũ, q intelligit eſſentiã prout in ipſa exiſtente: eſt enim cõditio neceſſario requiſita, quòd tam intellectus, quam intelligibile inſint intelligenti ad hoc, vt intelligere poſſit. Cæterũ ſi ly, vt, faciat ſecundũ ſenſum, quẽ facere debebat, ad hoc vt probaret intentionem Scoti intẽdentis cõcludere, quòd ſufficiat ad beatitudinem Patris, quod eius cognitio terminetur ad eſſentiã, prout eſt in ipſo formaliter, ſicut ſufficit ad hoc, vt intelligat intellectu, q illi inſit in eo: ſed longè aliter cõtingit: nam eſſentia vt obiecta terminat intellectũ paternũ ſecundum totam ſuam latitudinẽ, & vt cõprehenſa, vt in ſolutione ad ſecundum dicebamus, & non tantum ſecũdum hanc conditionẽ, vt eſt in Patre formaliter, & ſic nihil obſtat argumentũ. ¶ Ad tertiũ reſpondetur concesso antecedenti, negando conſequentiã. Nam quanuis eſſentia in creaturis nõ includat relatiuum, in Deo tamen aliter contingit, de cuius eſſentia ſunt tam proprietates perſonales, quam reliqua attributa diuina: & ſic nõ poteſt vnum videri ſine alio. Et eodẽ modo reſpondetur ad confirmationem.

Ad.2.arg.

Inſtantia.

Solutio.

Ad.3.arg.

¶ Cæterũ, vt hæc perfectiùs intelligantur aduertendũ eſt, quòd in Deo eſt vnica res ſimplicisſima habens in ſe, & quod eſt abſoluti, & quod eſt relatiui, & hæc res eſt diuina eſſentia, quæ ſibi identificat omnia, quæ in diuinis realiter inueniuntur: ipſa enim eſt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus & omnes tres perſonæ ſimul, & vnaquæq; illarum per ſe, vt expreſſè diffinitũ eſt in c. damnamus. de ſumma Trinitate, & fide cath. Et inſuper eadẽ eſſentia eſt totum eſſentiale, & abſolutum, quod inuenitur in Deo, vt ſapientia, iuſtitia, miſericordia. &c. & cùm vni rei vnica tantum ratio formalis illi adæquata debeat correſpõdere, fit conſequens, vt in Deo vnica tantũ ſit ratio formalis cõtinens in ſe, & quod eſt abſoluti, & quod eſt relatiui: nec eſt alia ratio formalis eſſentiæ, & alia paternitatis, vt dicebat Scot. ſed omnia, quæ ſunt in Deo, habent eandem rationem formalem, & tãtum diſtinguuntur ratione. Poſſumusq; huius rei accõmodatiſsima exẽpla aſſignare in creaturis. Nam quemadmodum anima rationalis, vna cùm ſit indiuiſibilis, & ſpiritualis, tribuit homini id, quod multæ aliæ formæ

Deus eſt vnica res ſimpliciſſima.

formæ ſeorſum ſumptæ ſuis ſubiectis tribuere ſolent, vt dat eſſe corporeū, ſicut lapidis forma, & eſſe vegetatiuū, ſicut anima vegetatiua, & eſſe ſenſitiuum, ſicut anima ſenſitiua, & prætereà dat eſſe rationale ſibi proprium: & propterea ratio formalis adæquata animæ rationali, neceſſarium eſt, vt cōtineat rationes formales aliarum formarum: ſic etiam ratio formalis diuinæ eſſentiæ, quæ res eſt abſoluta, atq; reſpectiua neceſſario debet cōtinere rationem formalem abſoluti atque reſpectiui. Hoc idem explicat Caietanus. 1. part. quæſt. 39. art. 1. alio exemplo dicens, quòd ſicut caliditas, & ſiccitas in his inferioribus, quia ſunt duæ res, habēt duas rationes formales correſpondentes, & eadem caliditas atque ſiccitas in Sole, quia ſunt vna res, habent tantum vnicam rationem formalem ſibi adæquatam, cōtinentē rationes formales ſiccitatis atque caloris: ſic etiam abſolutum, & relatiuum in his inferioribus, quia ſunt res diſtinctæ, habent diſtinctas rationes formales: tamen in Deo, quia ſunt vna res, tantum habent vnicam formalem rationem vtrique correſpondentem.

2. *Nota.* ¶ Secundò eſt aduertendum, quod ſicut anima rationalis ità verè tribuit homini eſſe corporeū, ac ſi ſolum eſſet forma corporea, & eſſe vegetatiuū, ac ſi ſolum eſſet vegetatiua, & eſſe ſenſitiuū, ac ſi ſolum eſſet ſenſitiua, & eſſe rationale, ac ſi ſolum eſſet rationalis: ità etiam illa vnica res diuina in Deo exiſtens, ità tribuit eſſe relatiuum, ac ſi non eſſet forma abſoluta: & ità tribuit eſſe abſolutū, ac ſi non eſſet reſpectiua. Ex quo fit, vt abſolutum & relatiuum in Deo virtualiter diſtingui dicātur, vt docet Caietanus loco citato. Cæterùm hæc diſtinctio non excedit limites diſtinctionis rationis, quæ tantum habent eſſe per operationem intellectus: & ſic nunquam poteſt fieri, ꝙ vnū ſine alio videatur vt rectè dixit D. Th. in ſolutiōe ad tertium. Et hæc dicta ſint de iſto articulo.

ARTICVLVS. IX.

¶ *Vtrum credere ſit meritorium.*

3. q. 7. ar. 3. ad. 2. p. 2. q. 114. art. 4.

AD NONVM ſic proceditur. Videtur quòd credere non ſit meritorium, principium enim merēdi eſt charitas: vt ſuprà dictum •. Sed fides eſt præambula ad charitatem, ſicut & natura. ergo ſicut actus naturæ non eſt meritorius (quia naturalibus non meremur) ita nec actus fidei.

2 ¶ Præterea, Credere medium eſt inter opinari & ſcire, vel conſiderare ſcita, ſed conſideratio ſcientiæ non eſt meritoria. ſimiliter autem nec opinio. Ergo etiā, nec credere eſt meritoriū.

3 ¶ Præterea, Ille qui aſſentit alicui rei, credendo, aut habet cauſam ſufficienter inducentem ipſum ad credendum, aut non. Si habet ſufficiens inductiuū, ad credēdum, non videtur hoc ei eſſe meritorium: quia non eſt ei iam liberum credere, & non credere. Si autem non habet ſufficiens inductiuum ad credendum: leuitatis eſt credere. ſecundum illud Eccleſ. 19. Qui cito credit, leuis eſt corde: & ſic non videtur eſſe meritorium: ergo credere nullo modo eſt meritorium.

¶ SED CONTRA eſt, quòd dicitur ad Hebr. 11. quòd ſancti per fidē adepti ſunt repromiſsiones: quod non eſſet, niſi credendo mererentur. ergo ipſum credere eſt meritorium.

¶ RESPONDEO dicēdum, quòd ſicut ſuprà * dictum eſt, actus noſtri ſunt meritorij, inquantum procedunt ex libero arbitrio moto à Deo per gratiā. Vnde oīs actus humanus, qui ſubijcitur libero arbitrio, ſi ſit relatus in Deū, poteſt meritorius eſſe. Ipſum autē credere eſt actus intellectus aſſentientis veritati diuinæ ex imperio voluntatis à Deo motæ per gratiā: & ſic ſubiacet libero arbi. in ordine ad Deū: vnde actus fidei pōt eſſe meritorius. *p. 2. q. 114. art. 3. & 4.*

¶ AD PRIMVM ergò dicendū, quòd natura comparatur ad charitatem, quæ eſt merendi principium, ſicut materia ad formam. Fides autem comparatur ad charitatem, ſicut diſpoſitio præcedens vltimam formam. Manifeſtū eſt autem, quòd ſubiectū, vel materia non poteſt agere, niſi virtute formæ, nec etiam diſpoſitio præ-

cedens vltimam formam. Manifeſtū eſt autem, quòd ſubiectum, vel materia nō poteſt agere, niſi virtute formę, nec etiam diſpoſitio præcedens, antequam forma adueniat, ſed poſtquam forma aduenerit, tam ſubiectū quam diſpoſitio præcedēs agit in virtute formæ, quæ eſt principale agendi principium: ſicut calor ignis agit in virtute formæ ſubſtātialis. Sic ergo neq; natura, nec fides ſine charitate poſſunt producere actum meritorium: ſed charitate ſuperueniente actus fidei fit meritorius per charitatem, ſicut & actus naturæ, & naturalis liberi arbitrij.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd in ſciētia duo poſſunt cōſiderari, ſcilicet ipſe aſſenſus ſcientis ad rem ſcitam, & conſideratio rei ſcitæ. Aſſenſus autem ſcientiæ nō ſubijcitur libero arbitrio, quia ſciens cogitur ad aſſentiendum ꝑ efficaciam demonſtrationis: & ideò aſſenſus ſcientiæ non eſt meritorius: ſed conſideratio actualis rei ſcitæ ſubiacet libero arbitrio. Eſt enim in poteſtate hominis conſiderare, vel non cōſiderare: & ideò conſideratio ſcientię poteſt eſſe meritoria, ſi referatur ad finem charitatis, id eſt, ad honorē Dei, vel vtilitatē proximi: ſed in fide vtrūque ſubiacet libero arbitrio, & ideo quantum ad vtrunque actus fidei poteſt eſſe meritorius. Sed opinio nō habet firmum aſſenſum. Eſt enim quoddam debile & infirmum, ſecundum Philoſophum in primo poſte*. Vnde nō videtur procedere ex perfecta voluntate: & ſic ex parte aſſenſus, non multum videtur habere rationem meriti, ſed ex parte conſiderationis actualis poteſt meritoria eſſe.

Libro. 1. poſt tex. 44. to. 1.

¶ Ad tertium dicēdum, quòd ille qui credit habet ſufficiens inductiuum ad credendum. Inducitur enim autoritate diuinæ doctrinæ miraculis confirmatæ: & quòd plus eſt, interiori inſtinctu Dei inuitantis. Vnde non leuiter credit, cū habeat ſufficiens inductiuū ad credendum: & ideo non tollitur ratio meriti.

SVMMA TEXTVS.

CONCLVSIO eſt affirmatiua. Probatur, Actus noſtri ſunt meritorij, inquantum procedunt à libero arbitrio moto à Deo ꝑ gratiā: ſed credere eſt actus intellectus aſſentientis veritati diuinæ ex imperio volūtatis motæ à Deo per gratiā, ergo eſt meritorius.

EXPLICATIO ARTICVLI.

CIRCA cōcluſionem huius articuli eſt aduertendū, fuiſſe ſententiam Petri Abailardi aſſerentis, actū fidei non eſſe meritorium. Eius tamen error damnatus fuit ab Innocentio Papa, in quadā ſua epiſtola, quæ inter epiſtolas D. Bernardi eſt 194. Vnde dico, quòd concluſio D. Tho. eſt de fide tenenda. De qua videndus eſt Auguſtinus. tractatu. 68. ſuper Ioannem. Habet tamen hoc verum, dummodò non intelligatur de primò actu fidei, ſed de cæteris alijs, quos habent Chriſtiani vltra primum, nā de primo actu longè diuerſa eſt ratio, vt ſtatim dicemus.

Dubium de. 1. actu fidei.

¶ Vnde eſt difficultas, Vtrùm primus actus fidei ſit meritorius? Ad cuius explicationem aduertendū primò, quòd ad hoc, vt aliquis actus ſit meritorius, duo requiruntur, ſcilicet, quòd ſit liber, & quòd procedat à charitate: ita docet D. Th. 1. 2. q. 114. & Soto lib. 3. de natura & gratia. c. 7. *1. Notabile.*

¶ Secundò eſt aduertendū, quòd cùm primùm alicui aliquid proponitur ad credendum, primo omniū iudicat illud eſſe credibile, quod iudicium, vt diximus. q. 1. artic. 1. eſt euidens, & deinde vult credere, & tandē tertiò credit. Ex quo ſequitur, ꝙ primum actum fidei alij duo antecedunt, vnus intellectus, qui eſt iudicium euidens de credibilitate articulorum: alter voluntatis, qui dicitur pia affectio. Et quanuis iudiciū illud intellectus ſit neceſſarium, tamen actus voluntatis, qui dicitur pia affectio eſt liber. Ex quo fit, vt actus fidei qui ſequitur ex vtroque liber ſit, vt voluntarius: ſed diſputatur de illo vtrùm ſit meritorius. *2. Notabile.*

¶ Tertiò notandum, quòd quanuis ſit probabile, quòd aliquis homo habeat habitū fidei, & charitatis, eo tempore, quo primùm credit, imò etiam multo antequam credat: tamē ille actus voluntatis, qui dicitur *3. Notabile.*

[illegible] poteſt procede re [illegible] te, nec eſſe actus illius elicitus, vel imperatus. Et ratio eſt: quia cùm charitas [illegible] operetur antequã operetur fides, & prima illa volitio antecedat omnem actũ fidei, [illegible] eſſe ſequitur, quòd non poteſt eſſe à charitate, nec elicitiue, nec imperatiue. Ita
1. *Argum. ad probandũ quod 1. actus fidei eſt meritorius.* docet D. Tho. infra. q. 4. arti. 7. ad. 5. ¶ His iam conſtitutis, manifeſte patet, quænam ſit ratio dubitãdi in difficultate propoſita. Nam quod primus actus fidei ſit meritorius probatur primò ex eo, quod ille actus eſt bonus, liber, & ſupernaturalis, & factus ab homine exiſtente in gratia, vt ſupponimus, ergo eſt meritorius. ¶ Itẽ ſecundò, Illa
2. *Argum.* pia affectio, cuius imperio fit actus credendi, eſt libera, & hominis grati, & procedens ex auxilio ſpeciali, vt infrà dicemus, ergo eſt meritoria, atque ex conſequenti actus fidei ab ea procedẽs, ſimiliter erit me
Argumentum in cõtrarium. ritorius. In cõtrariũ tñ eſt: nã primus actus fidei non procedit à charitate, ergo non eſt meritorius. Conſequentia eſt nota, & antecedens probatur, nam pia affectio voluntatis, à qua procedit ille primus actus credendi, non eſt à charitate, nec elicitiuè, nec imperatiuè, ergo nec ipſe actus,

Concluſio. ¶ Ad hanc difficultatem reſpondetur vnica concluſione, quæ talis eſt. Nec primus actus fidei, nec volitio, qua primò quis voluit credere, ſunt actus meritorij. Hæc ſententia fuit Magiſtri Cano. Et probatur primò ex D. Tho. 1. 2. q. 114. arti. 4. in corpore, & in ſolutione ad tertium, vbi dicit, quod actus fidei nõ eſt meritorius, niſi imperetur a charitate, & ordinetur in vltimũ finem: ſed primus actus fidei, & etiam volitio a qua procedit, non poteſt eſſe à charitate, nec imperatiuè nec elicitiue, ergo. Itẽ ſecũdò, Si primus actus fidei eſſet meritorius ſequeretur, quòd etiam volitio, à qua procedit eſſet meritoria: ſed hoc eſt falſum: nã illa volitio nec ordinatur, nec ordinari poteſt in finem ſupernaturalem, cùm antecedat fidem, per quam finis ſupernaturalis cognoſcitur, ergo.

Ad. 1. arg. ¶ Ad primum argumentum reſpondetur conceſſo antecedenti, negando conſequentiam, nam ad hoc, vt aliquis actus ſit meritorius neceſſarium eſt, quòd procedat à charitate, vel elicitiuè, vel imperati-
Ad. 2. arg. uè. ¶ Ad ſecundum reſpondetur ſimiliter conceſſo antecedenti negando conſequentiam. Non ad hoc, vt aliquis actus ſit meritorius non ſufficit, quod ſit ab auxilio ſpeciali, vt patet de actu fidei informi, nec etiam ſufficit, quod fiat ab homine exiſtẽte in gratia: ſed vltra hoc requiritur, quòd fiat
Corollariũ. ex vi ipſius gratię, atq; charitatis. ¶ Ex hac concluſione infertur, quòd datur aliquis actus bonus, & ſupernaturalis, qui nunquã poteſt eſſe meritorius, vt patet de primo actu fidei, & de pia affectione à qua procedit. Verum tamẽ eſt, quod, ſi pia illa affectio perduraret poſt primum actum, poterit per charitatem ordinari in finem ſupernaturalem, & ſic fieri meritoria.

Nota circa ſolutionẽ ad 1. argum. ¶ Circa ſolutionem ad primum argumentum eſt aduertendum, quòd ex calce illius habemus, quod actus naturæ, vt comedere, bibere, dormire, & alia huiuſmodi, & etiã naturales motus liberi arbitrij, quibus volumus eſſe beati, & non miſerè viuere, ſi ordinentur ad Deum, & procedant à charitate in habẽte illam, ſunt meritorij vitæ æternæ, alioquin minimè. Propter quod dicebat Paulus. 1. ad Corinth. 10. Siue manducaris, ſiue bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.

Nota circa ſolutionẽ ad 3. argum. ¶ Circa ſolutionem ad tertium eſt aduertendum, quòd D. Tho. eo loco aſſignat tria teſtimonia noſtræ fidei. Primũ eſt doctrina diuina, ſiue in Scriptura, ſiue in Eccleſia contenta. Secundum eſt miracula in confirmationem huius doctrinæ facta. Tertium autem eſt interior motio Spiritus ſancti: quod D. Tho. cæteris omnibus teſtimonijs præfert, quia ſolius Dei eſt agere in cor. Vnde in hãc internam motionem Spiritus ſancti diximus. q. 1. arti. 1. faciendam eſſe vltimam fidei reſolutionẽ, iuxta illud 1. Ioan. c. 4. Si teſtimonium hominum accipitis, teſtimonium Dei maius eſt. Et vt explicaret quonam loco eſſet illud teſtimonium diuinũ, cui à nobis eſſet præcipue fides adhibenda, ſubdit ſtatim, Qui credit in filium habet teſtimonium Dei in ſe. Et rurſus. c. 5. Spiritus teſtificatur, quoniam Chriſtus eſt Deus. Quæ teſtimonia niſi de interiori Spiritusſancti motione, intelligi non poſſunt.

ARTICVLVS X.

¶ Vtrum ratio inductiua ad ea, quæ ſunt fidei, minuat meritum fidei. 1. 2. q. 55. ar. 5. ad. 3. et. 3.

AD DECIMVM ſic proceditur. Videtur quòd ratio inductiua ad ea, quæ ſunt fidei, diminuat meritum d. 24. arti. 3. q. 3. & 1. cont. cap. 8.

Homil. 6. meritũ fidei. Dicit enim Greg. * in quadam homilia, ꝙ fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. Si ergo ratio humana ſufficienter experimentũ præbeat, totaliter excludit meritũ fidei. Videtur ergo, ꝙ qualiſcũq; rõ humana inducta ad ea, quæ ſunt fidei, diminuat meritũ fidei.

2 ¶Præterea, Quicquid diminuit rationẽ virtutis, diminuit rationẽ meriti: quia fœlicitas virtutis eſt prçmiũ: vt Philoſophus * dicit in. 1. Ethi. ſed ratio humana videtur diminuere rationem virtutis ipſius fidei: quia de ratione fidei eſt, ꝙ ſit nõ apparentiũ vt ſuprà dictũ * eſt. Quanto autẽ plures rationes inducũtur ad aliquid, tãto minus hoc eſt non apparens: ergo ratio humana inducta ad ea, quæ ſunt fidei, meritum fidei diminuit.

Lib. 1. Ethic. cap. 9. to. 5.

q. præced. artic. 9.

3 ¶Præterea, Contrariorũ cõtrariæ ſunt cauſæ, Sed id quod inducitur in cõtrarium fidei, auget meritũ fidei: ſiue ſit perſecutio cogentis ad recedendum à fide: ſiue etiam ſit ratio aliqua hoc perſuadens, ergo ratio coadiuuãs fidem diminuit meritum fidei.

¶SED contra eſt, quod primæ Petri tertio dicitur, Parati ſemper ad ſatisfactionẽ omni poſcenti vos reddere rationem de ea, quæ in vobis eſt, fide & ſpe, nõ autem ad hoc induceret Apoſtolus, ſi per hoc meritũ fidei diminueretur, non ergo ratio diminuit meritum fidei.

arti. præced. ¶RESPONDEO dicendum, ꝙ ſicut dictũ * eſt, actus fidei poteſt eſſe meritorius, inquãtum ſubiacet voluntati, non ſolum quãtum ad vſum, ſed etiam quãtum ad aſſenſum. Ratio autem humana inducta ad ea, quæ ſunt fidei, dupliciter ſe poteſt habere ad voluntatem credentis, Vno quidem modo, ſicut præcedens: puta cum aliquis, aut non haberet voluntatem, aut non haberet promptam volũtatem ad credendum, niſi ratio humana induceretur: & ſic ratio humana inducta diminuit meritum fidei. Sic etiam ſuprà dictum * eſt, ꝙ paſsio præcedens electionem in virtutibus moralibus diminuit laudem virtuoſi actus. Sicut enim homo actus virtutum moralium debet exercere propter iudiciũ rationis, nõ ꝓpter paſsionẽ, ita credere debet homo ea, quæ ſunt fidei, nõ propter rationẽ humanã, ſed propter autoritatẽ diuinam. Alio modo ratio humana poteſt ſe habere ad volũtatem credentis conſequenter. Cum enim homo habet prõptam volũtatem ad credendũ, diligit veritatem creditam: & ſuper ea excogitat, & amplectitur, ſi quas rationes ad hoc inuenire poteſt. Et quantũ ad hoc ratio humana nõ excludit meritũ fidei, ſed eſt ſignũ maioris meriti. Sic etiam paſsio conſequens in virtutibus moralibus eſt ſignum prõptioris volũtatis, vt ſuprà dictum * eſt. Et hoc ſignificatur Ioan. 4. vbi Samaritani ad mulierem, per quam ratio humana figuratur, dixerunt, Iam non propter tuam loquelãm credimus.

1. 2. q. 24. arti. 3. ad 1. & q. 77. artic. 6. ad. 2.

1. 2. q. 24. artic. 1. ad. 1.

¶AD primum ergo dicendum, ꝙ Grego. loquitur in caſu illo, quãdo homo non habet volutatem credẽdi ea, quæ ſunt fidei, niſi propter rationẽ inductã. Quando autẽ homo habet voluntatem credendi ea, quæ ſunt fidei ex ſola autoritate diuina, etiam ſi habeat rationem demõſtratiuam ad aliquid eorũ, puta ad hoc, quod eſt Deũ eſſe, non propter hoc tollitur, vel diminuitur meritum fidei.

¶Ad ſecundũ dicendum, ꝙ rationes, quæ inducuntur ad autoritatem fidei, non ſunt demonſtrationes, quæ in viſionem intelligibilem intellectum humanum reducere poſſunt, & ideo nõ deſinunt eſſe non apparentia, ſed remouent impedimenta fidei, oſtendendo non eſſe impoſsibile quod in fide ꝓponitur: vnde per tales rationes nõ diminuitur meritũ fidei, nec ratio fidei, ſed ratio ves demõſtratiuæ inductę ad ea, quę ſunt fidei prçambula, nõ tamen

tamen ad articulos, & ſi diminuant rationem fidei, quia faciũt eſſe apparẽs, id quod proponitur, non tamen diminuunt rationem charitatis, per quam volũtas eſt prompta ad ea credendũ, etiam ſi non apparerent: & ideò non diminuitur ratio meriti.

¶ Ad tertium dicendum, ꝙ ea, quæ repugnant fidei, ſiue in conſideratione hominis, ſiue in exteriori perſecutione, intantum augẽt meritum fidei, inquantum oſtenditur voluntas magis prompta, & firma in fide: & ideo etiã martyres maius fidei meritum habuerunt, non recedẽtes à fide propter perſecutiones: & etiam ſapientes maius meritum fidei habent, nõ recedentes à fide propter rationes Philoſophorũ, vel hæreticorum contra fidem inductas, ſed ea, quæ conueniunt fidei, non ſemper diminuunt promptitudinem voluntatis ad credendum: & ideo nõ ſemper diminuunt meritum fidei.

SVMMA TEXTVS.

Suppoſito quòd ratio dupliciter ſe poteſt habere ad actum fidei: vno modo antecedenter: alio modo conſequenter, reſpondet D. Tho. per duas concluſiones. Prima concluſio, Si ratio inducta ſe habeat antecedenter ad ea, quæ ſunt fidei, ità, vt, niſi illa pręcederet, non crederem, talis ratio minuit, imò tollit prorſus meritum fidei. Probatur: nam ſicut actus virtutum moralium debet exercere homo propter iudicium rationis, & non propter paſsionem, ità etiam debet credere ea, quæ ſunt fidei propter autoritatem diuinam, & non propter rationẽ humanam, ergo ſicut paſsio antecedens iudicium rationis minuit laudem actus ſtudioſi, ità etiam ratio antecedens ad ea, quæ ſunt fidei, minuit meritum illius. ℭ Secunda concluſio, Si ratio inducta conſequenter ſe habet ad voluntatem credendi, tunc per illam nõ minuitur meritum fidei. Probatur, quia quemadmodum in moralibus paſsio ſubſequens non minuit rationem actus ſtudioſi, ſed potius eſt ſignum promptioris voluntatis, ità etiã in fidei actu non minuitur voluntas credendi per rationes ſubſequentes, ſed potius ſunt ſignum maioris meriti.

EXPLICATIO ARTICVLI.

ℭ Circa iſtas duas concluſiones eſt aduertendum, quod ratio humana antecedẽs fidem dupliciter poteſt ſe habere ad illam. Vno modo ità, vt ſit cauſa principalis credendi taliter, quòd credamus potiſsimùm propter illam rationem, aliàs nõ credituri. Et hoc modo non eſt dubiũ, quin minuat, imò tollat meritum fidei. Nam, vt ſupra diximus in quæſtione præcedẽti, cauſa principalis credendi debet eſſe lumen ſupernaturale, & diuina reuelatio. Alio modo ità, vt ſit cauſa per accidens, & ſine qua non: & tunc non minuit meritum fidei: imò eſt neceſſaria ad primum actum credendi, vt ſit actus ſtudioſus atq; virtutis. Nam qui rebus fidei propoſitis ſine aliqua ratione & perſuaſiõe ſtatim aſſentiret, leuis ęſſet corde, Eccleſiaſtici. c. 19. Et de ratione naturali primo modo antecedente loquitur D. Th. in. 2. concluſione. Et de eadem etiam eſt intelligendus D. Grego. homil. quadam. vbi dicit, quòd fides nõ habet meritum, cui humana ratio prębet experimentũ, vt D. Th. in ſolutione ad primum interpretatur. *1. Notabile.*

ℭ Secundò eſt aduertendum, ꝙ de hac re fuerunt duo errores extremi. Vnus eorũ, qui in rebus fidei humanas rationes teſtimonijs etiam ſacræ Scripturæ præferebãt, quorum meminit Euſebius lib. 5. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ. c. vlt. & D. Aug. in epiſt. 56. ad Dioſcorũ & D. Bernar. in epiſtola. 189. Contra quos firmiter eſt tenẽdum, ꝙ non ſolùm autoritas ſacræ ſcripturæ, & traditiones Eccleſiæ, & decreta Pontificum, & Cõciliorum, ſed etiam teſtimonia ſanctorum ſunt maioris autoritatis, atq; ponderis in ſacra Theologia, quàm rationes lumine naturali inductæ: nam cùm ea, quæ ſunt fidei ſint non apparentia, vt docet D. Paulus ad Hebræ. 11. nullo modo ratiõe naturali probari poſſunt. Vnde. 1. ad Corinth. c. 2. idem Paulus dicebat, Sermo meus, & pędicatio mea non in perſuaſibilibus humanæ ſapiẽtiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus & veritatis, vt fides veſtra non ſit in ſapiẽtia hominum, ſed in virtute Dei. Alter error fuit eorum, qui dicebant rationes naturales non eſſe adducendas ad ea, quæ ſunt fidei, ſed tantum eſſe innitendum teſtimonijs ſacræ ſcripturæ, & veterum ſcriptorum. Hunc errorem tenuerunt Vvitcleff, & Lutherus, & alij multo ante, contra quos ſcripſit Clemens Alexãdrinus lib. 1. *2. Notabile.*

Teſtimonia ſunt maiorũ ponderis in Theologia q rationes naturales.

Stromatum, vbi pluribus rationibus prædictũ errorem refellit. Prima eſt, quia ſicut Apoſtolus Hebræis factus eſt Hebræus, & omnia omnibus, vt oẽs lucrifaceret: ita neceſſarium eſt vt Theologiæ profeſſor philoſophis fiat philoſophus, vt eos facilius conueniẽtiuſq; lucretur, exhibitis eis, quæ ſibi cõueniunt, & ſunt faciliora, propter eaq; ad fidem perueniant veritatis. Secunda ratio eſt: quia varia, & multiplex præceptorum doctrina & declarat & rapit in admirationẽ: ex quo fit, vt quod vario, & multiplici argumento ſuadetur, firmius adhæreat memoriç, & diſcipulorũ animis. Vnde D. Paulus dicebat ſe docere in omni ſapientia, diuina, ſcilicet, & humana, vt exhiberet omnem hominem perfectũ in Chriſto, ad Coloſſen. c. 1. De his duobus erroribus videndus eſt Cano. lib. 9. de locis per totum, vbi latiſsime diſputat contra illos.

1. Nota circa ſolutionẽ ad. 2. argu.

¶ Circa ſolutionem ad ſecũdum eſt aduertẽdum primo, q, vt ex illa colligitur res fidei ſunt in duplici differentia. Quædam enim ſunt, quæ proprie pertinẽt ad fidem, quales ſunt illæ, quæ habẽtur per diuinã reuelationẽ, nec ratione naturali poſſunt cõſtare: vt, quod Deus eſt Trinus, & quòd carnem aſſumpſit. Aliæ autẽ ſunt, quæ, licet, omnibus fidelibus proponãtur credendæ, ratione tamen naturali conſtare poſſunt, vt quod Deus eſt, quod eſt vnus &c. & has appellat D. Tho. in præſenti præambula ad fidem. Hoc ſuppoſito dico q cùm rationes, quæ inducuntur ad priores res probandas, non ſint demonſtrationes, non tollunt rationem, nec meritũ fidei: ſed adhuc ipſis exiſtentibus res manent credibiles & ineuidentes. Cæterum rationes, quæ inducuntur ad ſecundas res probandas, quia ſunt demonſtrationes faciẽtes euidentiam repugnantem fidei, tollũt quidem rationem fidei, non tamen tollunt meritum, quia nõ diminuunt rationem charitatis, per quam voluntas eſt prompta ad ea credẽdum, etiã ſi non apparerent. Ex quo ſequitur, quod æque poteſt mereri ille, qui actu ſcit Deũ eſſe vnum per demonſtrationem ſicut ille, qui id credit, quamuis in vno ſit ſcientia & in altero fides.

Nota. 2. circa eandem ſolutionem.

¶ Secundo circa eandem ſolutionem eſt a[illegible] ex Caietano in præſenti, q rat[illegible] ad [illegible] probandas res prop[illegible] a[illegible] poſſunt eſſe in d[illegible] Quædam enim ſunt, quæ procedũt [illegible], vel ex altera præmiſſa-

rum credita: & iſtç non oſtendunt [illegible] non eſſe impoſsibiles, niſi apud fideles [illegible] tum, qui tales præmiſſas [illegible]. Aliæ autem ſunt, quæ procedunt ex ſola ratione naturali: & hæ quamuis non faciunt euidentiam rerum, quæ creduntur, faciunt tamen euidentiam poſsibilitatis [illegible], hoc eſt, nõ repugnãtiæ, etiã apud infideles. Ex quo fit, vt valde proſint huiuſmodi demõſtrationes, & ſit magni merenti eas afferre ad auferendam inſultationem ſapientum huius ſeculi, & reprimendam audaciam eorum, qui poſsibile, & impoſsibile ſuo ingenio metiri præſumunt. Et ideò de illis dicit D. Tho. in hac ſolutione, quòd remouent impedimẽta oſtendendo non eſſe impoſsibile, quod in fide proponitur.

QVAESTIO TERTIA,

De exteriori actu fidei in duos Articulos diuiſa.

DEINDE cõſiderãdum eſt de exteriori fidei actu, qui eſt confeſsio. ¶ Et circa hoc quæruntur duo.

¶ Primo, vtrùm confeſsio ſit actus fidei.

¶ Secundo, vtrùm confeſsio fidei ſit neceſſaria ad ſalutem.

ARTICVLVS. I.

¶ Vtrùm confeſsio ſit actus fidei.

AD PRIMVM ſic proceditur. Videtur quòd cõfeſsio non ſit actus fidei. Non enim idem actus pertinet ad diuerſas virtutes: ſed confeſsio pertinet ad pœnitentiam, cuius ponitur pars, ergo non eſt actus fidei. *4. diſt. 17. q. 3. artic. 2. q. 3.*

2 ¶ Præterea, Ad hoc, quod homo confiteatur fidem, retrahitur interdũ per timorẽ, vel etiam propter aliquã confuſionem. Vnde & Apoſtolus ad Epheſ. vlti. petit orari pro ſe, vt detur ſibi cum fiducia notũ facere myſterium Euangelij: ſed non recedere a bono propter confuſionem, vel timore *Roma. 10. lect. 2.*

parti-

pertinet ad fortitudinem, quæ moderatur audacias, & timores. ergo videtur, ꝙ confeſsio non ſit actus fidei, ſed magis fortitudinis vel conſtantiæ.

3 ¶ Præterea, Sicut per fidei feruorē inducitur aliquis ad confitendum fidem exterius: ita etiam inducitur ad alia exteriora bona opera facienda. Dicitur enim Galat. 5. quòd fides per dilectionem operatur: ſed alia exteriora opera non ponuntur actus fidei. ergo etiam neque confeſsio.

Glo. ordinaria ibid. ¶ SED contra eſt, quod ſecundæ ad Theſſa. 1. ſuper illud, Et opus fidei in virtute, dicit Gloſ. id eſt, confeſsionem, quæ propriè eſt opus fidei.

¶ RESPONDEO dicēdum, ꝙ actus exteriores illius virtutis propriè ſunt actus, ad cuius fines ſecundum ſuas ſpecies referuntur: ſicut ieiunare ſecundum ſuam ſpeciem refertur ad finem abſtinentiæ, quæ eſt compeſcere carnem: & ideo eſt actus abſtinentiæ. Cōfeſsio autem eorum, quæ ſunt fidei, ſecundum ſuam ſpeciem ordinatur, ſicut ad finem, ad id quod eſt fidei, ſecundum illud. 2. ad Cor. 4. Habētes eundem ſpiritū fidei, credimus, propter quod & loquimur. Exterior enim loquutio ordinatur ad ſignificādum id, quod in corde concipitur. vnde ſicut conceptus interior eorū, quæ ſunt fidei, eſt propriè fidei actus, ita etiam & exterior confeſsio.

¶ AD primum ergo dicendum, ꝙ triplex eſt confeſsio, quæ in ſcripturis laudatur. Vna eſt confeſsio eorum, quę ſunt fidei, & iſta eſt proprius actus fidei, vtpote relata ad fidei finem, ſicut *dictum eſt. Alia eſt confeſsio gratiarum actionis, ſiue laudis: & iſta eſt actus latriæ: ordinatur enim ad honorem Deo exterius exhibendum, quod eſt finis latriæ. Tertia eſt cōfeſsio peccatorum: & hæc ordinatur ad deletionem peccati, quæ eſt finis pœnitētiæ, vnde pertinet ad pœnitentiam. *In corp. arti.*

¶ Ad ſecundum dicendum, ꝙ remouens prohibēs non eſt cauſa per ſe, ſed per accidens: vt patet per Philoſophū in. 8. Phyſic. Vnde fortitudo, quæ remouet impedimentum confeſsionis fidei, ſcilicet timorem, vel erubeſcentiā, non eſt propriè & per ſe cauſa confeſsionis, ſed quaſi per accidens. *Lib. 8. Phyſ. text. 32. to. 2.*

¶ Ad tertium dicendum, ꝙ fides interior mediante dilectione cauſat oēs exteriores actus virtutū mediantibus alijs virtutibus, imperādo non eliciendo: ſed cōfeſsionem producit tanquā proprium actum nulla alia virtute mediante.

SVMMA TEXTVS.

Concluſio eſt affirmatiua. Probatur, Actus exteriores illius virtutis propriè actus ſunt, ad cuius finē ſecūdum ſpeciē ſuā referuntur: vt, verbi gratia, ieiunare eſt actus temperantiæ, quia ſecūdum ſuam ſpeciem ad finem temperātiæ ordinatur, ſcilicet, ad carnis macerationem: ſed exterior cōfeſsio ordinatur ad finē fidei: ergo eſt actus illius. Conſequentia cum maiori eſt nota, & minor probatur ex Paulo. 2. Corint. 4. dicēte, Habētes eundem ſpiritum fidei credimus, propter quod & loquimur. Exterior enim loquutio ordinatur ad ſignificandum id, quod eſt in mēte. Vnde ſicut interior cōceptus eorum, quæ ſunt fidei, eſt actus fidei, ità etiam exterior confeſsio.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Circa iſtum articulum eſt aduertēdum tripliciter poſſe contingere, quòd homo fidem confiteatur. Vno modo remotè: & hac ratione quæcunq; virtutis opera fidei cōfeſsiones appellari poſſunt, iuxta illud Iacobi in ſua Cano. c. 2. Oſtendam tibi fidem meam ex operibus. Alio modo magis propriè, & hac ratiōe opera religionis, quibus Deo exhibemus debitum cultum atq; honorem, fidei confeſsiones dicuntur.

¶ Tertiò modo proximè, & immediatè: & hac ratione ſola exterior loquutio fidei confeſsio appellāda eſt, hæc enim ſola eſt, quæ per ſe & immediatè ordinatur ad fidē proteſtandam, & confitendam. Et de hac ſolum loquitur D. Tho. in hoc articulo.

¶ Cæterùm contra eius concluſionem ſunt duo argumenta, quæ videntur habere diffi- *Primum argum. contra conclu. Diui Tho.*

re difficultatem. Primum eſt, Velle confi-
teri fidem, & eam re ipſa confiteri pertinet
ad eãdem virtutem: ſed velle cõfiteri fidẽ,
nõ eſt actus fidei, cũ velle ad volũtatem &
fides ad intellectum pertineat: ergo nec ex
2. Argum. terior confeſsio eſt actus fidei. ℂ Secundò,
Fides eſt habitus ſpeculatiuus, ergo nõ po
teſt eſſe principium confeſsionis exterio-
ris. Probo conſequentiam: nam aliàs fides
non eſſet habitus ſpeculatiuus, ſed practi-
ad. 1. Arg. cus. ℂ Ad primum argumentum reſponde
tur conceſſa maiori, negando minorem, ſci
licet, quod velle credere non ſit actus fidei.
Et ad probationem dico, quòd ad hoc, vt
aliquis actus dicatur pertinere ad aliquam
virtũtem, nõ requiritur, quòd procedat ab
eadem potentia, in qua illa virtus eſt ſubie
ctiuè: velle enim ieiunare, proculdubiò eſt
actus temperantiæ, & tamen illud eſt in vo
luntate & temperantia in appetitu ſenſiti-
uo: ſed quod requiritur eſt, quòd actus ſe-
cũdum ſuam ſpeciẽ ad finem talis virtutis
ordinetur. Vnde, cùm velle confiteri fidem
ordinetur ad finem fidei, ſiue ad fidem, tan
quam ad finem, manifeſtè ſequitur, quòd
erit actus illius, vt optimè docet D. Tho. in
obiectio. hoc articulo. ℂ Sed obijciet aliquis, velle cõ
fiteri fidem, nec eſt actus elicitus, nec impe
ratus à fide, ergo nullo modo eſt actus il-
lius. Conſequentia eſt nota, & antecedens
probatur. Et primo quòd non ſit actus eli-
citus, quia actus vnius potentię non poteſt
elici à virtute, quæ eſt in alia potẽtia, quòd
autẽ nec etiam ſit imperatus probatur pri-
mo, quia quoad exercitium voluntas mo-
uet intellectum & non mouetur ab illo.
Item ſecundò, quia actus, qui imperatiuè
procedit ab aliqua virtute, elicitiuè proce-
dit ab alia: ſed velle confiteri fidem, nõ eli-
citur ab alia virtute, quam à fide: ergo non
Solutio. eſt ab illa imperatiuè. ℂ Ad hoc argumen-
tum vt reſpondeamus aduertẽdum eſt, du
pliciter poſſe cõtingere, quod aliquis actus
procedat ab aliqua potentia, vno modo eli
[Actus põt citiuè, alio modo imperatiuè. Elicitiuè tũc
procedere ab procedit, quando ſecundum ſuam ſubſtan
vna potẽtia tiã, & in eſſe naturæ producitur ab illa po-
elicitiuè & tentia: quod intelligitur tunc eſſe, quando
ab alia impe actus circa formale obiectum talis poten-
ratiuè. tiæ verſatur. Vt, verbi gratia, aſſenſus veri-
tatis ſecũdum ſubſtantiam, & in eſſe natu-
ræ in quacunq; materia ſit, dicetur produ-
ci ab intellectu: quia ſemper verſatur circa
verum, quod eſt formale obiectum ipſius
intellectus: & ſic ab iſta potẽtia ſemper eli

citiuè procedit. Imperatiuè autem dicetur
actus procedere ab aliqua potentia, quãdo
ſecundum ſubſtantiam producitur ab vna
potentia, & ab alia dirigitur ad ſuum finẽ.
Vt, verbi gratia, ira inferioris appetitus eli
citur ab iraſcibili, & imperatur à volũtate,
quando dirigitur & ordinatur ad aliquem
finem intentum à voluntate. Et hoc quan-
tum attinet ad potẽtias: nam in habitibus
longè diuerſa eſt ratio. Nam, cùm habitus
non ſint principium actus in eſſe naturæ,
ſed ſolùm in eſſe moris, hoc eſt, ſecundum
rationem boni aut mali, fit, vt tunc tãtum
dicatur actus elici ab aliquo habitu, quan-
do ab eo bonitatem habet aut malitiam ſe-
cundum ſpeciem moralẽ. Vt, verbi gratia,
elargitio eleemoſynæ dicetur produci eli-
citiuè à miſericordia, quia ab ea habet bo-
nitatem in eſſe moris, quãuis in eſſe natu-
ræ non producatur ab ea potentia, in qua
miſericordia eſt ſubiectiuè. Tunc autem
dicetur actus produci ab aliqua virtute im
peratiuè, quãdo ſuppoſita bonitate, quam
habet ſecundum propriam ſpeciem, dirigi
tur & ordinatur ab alia virtute ad ſuum fi-
nem. Vt, verbi gratia, ſi quis elargiatur elee
moſynam pauperi clerico, vt ſeruiat Eccle
ſiæ, talis actus dicetur elicitus à miſericor-
dia, & imperatus à religione: quia ſuppoſi
ta bonitate, quam ille actus habet intra ſpe
ciem miſericordiæ ordinatur ad finem ho-
neſtũ religionis. Et eadẽ ratio eſt de omni-
bus alijs vitijs atq; virtutibus. Hoc ſuppo-
ſito, ad argumẽtum reſpõdetur verũ eſſe,
quòd ille actus nõ poteſt eſſe imperatus à
fide, vt rectè probat argumentum, ſed eſt
elicitus ab illa, inquantum immediatè ha-
bet ſuam bonitatem in eſſe moris: quod
quidem ſatis eſt ad hoc, vt aliquis actus di-
catur elicitiuè produci ab aliquo habitu,
non obſtante quòd ſit actus alterius poten
tiæ ab ea, in qua eſt habitus, vt ſtatim dice-
bamus. ℂ Ad ſecundum argumentum re- *Ad. 2. arg.*
ſpondetur conceſſo antecedenti, negando
conſequentiam. Nam, quãuis confeſsio ſit
actus exterior, quia tamen regulatur, & di-
rigitur per fidẽ, dicitur actus illius. Nec ex
hoc ſequitur, ꝙ fides ſit habitus operati-
uus. Nam queadmodũ argumẽtatio, quã-
uis ſit opus exterius, dicitur actus dialecti
cæ, quia dirigitur & regulatur per illam,
nec ex hoc ſequitur dialecticam eſſe ha-
bitum operatiuum: ita etiam contingit
in fide, & in exteriori confeſsione illius.
ℂ Et ſi quis obijciat contra hoc, ꝙ omnes *obiectio.*
actus

actus ſtudioſi regulãtur, & diriguntur à virtute prudentię, & tamẽ hoc non ſufficit ad hoc, vt dicãtur actus illius, ergo nec ad hoc, vt exterior cõfeſsio dicatur actus fidei ſufficiens erit, quod reguletur, & dirigatur per fidem, reſpõdetur negando conſequentiã: nam eſt latiſsimũ diſcrimen inter prudentiam & fidem quantum ad hoc. Prudentia enim nõ concurrit ad actus aliarũ virtutũ moraliũ immediatè, ſed mediatè, hoc eſt, mediãtibus ipſis virtutibus moralibus: nõ enim elicit prudentia actum fortitudinis, niſi mediante fortitudine, & ſic de alijs. Cęterum fides immediatè per ſeipſam, hoc eſt, ſine adminiculo alterius virtutis efficit confeſsionem exteriorem: ex quo fit, vt ſit proprius actus illius. Et hæc eſt cauſa propter quam cõfeſsio exterior nullam aliam honeſtatem habet præter eam, quæ eſt in virtute fidei: ſola enim efficit illam confeſsionem ſine alia virtute.

Solutio.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm confeſsio fidei ſit neceſſaria ad ſalutem.

3.d.29.art. 8.q.2.ad tertium. Et q. 9.art.14.c. Et Ro.10.lect.2. & c. 14.lect.3.

AD SECVNDVM ſic proceditur. Videtur ꝙ confeſsio fidei non ſit neceſſaria ad ſalutem. Illud enim videtur ad ſalutem ſufficere, per quod homo attingit finem virtutis: ſed finis proprius fidei eſt coniunctio humanæ mentis ad veritatẽ diuinam: quod poteſt etiam eſſe ſine exteriori confeſsione, ergo confeſsio fidei non eſt neceſſaria ad ſalutem.

2 ¶Præterea, Per exteriorem cõfeſsionẽ fidei, homo fidẽ ſuam alij homini patefacit: ſed hoc nõ eſt neceſſariũ, niſi illis, qui habẽt alios in fide inſtruere, ergo videtur quod minores non teneantur ad fidei confeſsionem.

3 ¶Præterea, Illud quod poteſt vergere in ſcãdalum & perturbationem aliorum, nõ eſt neceſſariũ ad ſalutem. Dicit enim Apoſtolus primæ ad Corint. 10. Sine offenſione eſtote Iudęis, & Gentibus, & Eccleſiæ Dei. Sed per cõfeſsionem fidei quãdoq; ad perturbatione infideles prouocãtur. ergo cõfeſsio fidei nõ eſt neceſſaria ad ſalutẽ.

¶SED contra eſt, ꝙ Apoſtolus dicit ad Rom. 10. Corde creditur ad iuſtitiã, ore autẽ cõfeſsio fit ad ſalutem.

¶RESPONDEO dicendum, ꝙ ea quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem cadunt ſub præceptis diuinæ legis. Confeſsio autem fidei cũ ſit quoddã affirmatiuum, non poteſt cadere, niſi ſub præcepto affirmatiuo. Vnde eodem modo eſt de neceſſarijs ad ſalutẽ, quo modo poteſt cadere ſub præcepto affirmatiuo diuinæ legis. Præcepta autẽ affirmatiua, vt ſuprà dictum eſt, non obligant ad ſemper, & ſi ſemper obligent, obligãt autem pro loco & tẽpore, ſecundum alias circunſtantias debitas, ſecũdum quas oportet actũ humanum limitari ad hoc, ꝙ ſit actus virtutis. Sic ergo cõfiteri fidem nõ ſemper, neq; in quolibet loco eſt de neceſsitate ſalutis, ſed in aliquo loco & tempore, quando, ſcilicet, per dimiſſionẽ huius confeſsionis ſubtraheretur honor debitus Deo, & etiam vtilitas proximis impendenda: puta ſi aliquis interrogatus de fide taceret, & ex hoc crederetur, vel quod non haberet fidem, vel quod fides non eſſet vera, vel alij per eius taciturnitatem auerterẽtur à fide: in huiuſmodi enim caſibus cõfeſſio fidei eſt de neceſsitate ſalutis. *p.2.q.71.articu.5.ad.3. Et q.88.artic.1.ad.2.*

¶AD primum ergo dicendum, ꝙ finis fidei, ſicut & aliarum virtutum, referri debet ad finem charitatis, qui eſt amor Dei, & proximi. Et ideo quãdo honor Dei, vel vtilitas ꝓximi hoc expoſcit, non debet eſſe contentus homo, vt per fidem ſuam ipſi veritati diuinæ coniungatur: ſed debet fidem exterius confiteri.

¶Ad ſecundum dicendum, ꝙ in caſu neceſsitatis, vbi fides periclitatur, quilibet tenetur fidẽ ſuã alijs propalare. vel ad inſtructionem aliorũ fidelium, ſiue confirmationem, vel ad reprimẽdum infidelium inſultationẽ: ſed alijs tẽporibus inſtruere homines de fide non pertinet ad omnes fideles.

¶Ad tertium dicendum, ꝙ ſi turbatio infide-

infidelium oriatur de cõfeſsione fidei manifeſta abſque aliqua vtilitate fidei, vel fidelium, non eſt laudabile in tali caſu fidẽ publicè confiteri. Vnde Dñs dicit Matth. 7. Nolite ſanctum dare canibus, neq; margaritas veſtras ſpargere ante porcos, ne conuerſi dirumpãt vos. Sed ſi vtilitas fidei aliqua ſperetur, aut neceſsitas adſit, cõtempta perturbatione infideliũ, debet homo publicè fidem confiteri. Vnde Matth. 15. dicitur, ꝙ cũ diſcipuli dixiſſent Dño, ꝙ Phariſæi audito eius verbo ſcandalizati ſunt, Dominus reſpondit, Sinite illos, ſcilicet turbari, cæci ſunt, & duces cæcorum.

SVMMA TEXTVS.

Concluſio, Exterior fidei confeſsio nõ ſemper & in omni loco eſt de neceſsitate ſalutis, ſed tantum eo tempore, quo ex eius dimiſsione, vel ſubtraheretur debitus honor Deo, vel vtilitas proximorum. Probatur, Præceptũ de confeſsione fidei facienda eſt affirmatiuum, ergo tantum obligat in caſu neceſsitatis, qualis eſt quando vel ſubtrahitur honor debitus Deo, vel vtilitas proximorum.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Circa iſtum articulũ eſt aduertendum, quod, licèt certũ ſit & ab omnibus cõceſſum, quòd præceptũ de confeſsione fidei faciẽda nõ obligat pro ſemper, quia eſt affirmatiuum, ſed tãtum pro certo tẽporis articulo, ſcilicet, in caſu neceſsitatis, eſt tamen maxima controuerſia in explicando, quiſnam ſit iſte tẽporis articulus, in quo fideles tenẽtur ſuam fidem cõfiteri. ❡ Vnde ad huius rei explicationem eſt prima difficultas ex Caietano in præſenti, vtrũ liceat homini Chriſtiano, in terris infideliũ exiſtẽti, veſtẽ vel linguam mutare, ne agnitus Chriſtianus interficiatur. *1. Difficultas* Et pro parte negatiua eſt argumẽtum. *Argumentum.* Nam non minus ſignificãt res, quam voces: ſed ſi quis verbo ꝓfiteretur ſe eſſe infidelem, peccaret mortaliter, ergo idem dicẽdum eſt de eo, qui vel mutatione linguæ, vel mutatione veſtis id facit. ❡ In cõtrarium tamẽ eſt, quia ſi id nõ eſſet licitũ, maximè quia re ipſa fidelis mẽtiretur, ſignificãs ſe non eſſe Chriſtianum, ſed illa veſtis mutatio non eſt mẽdacium, vt infrà dicemus, ergo.

❡ Pro explicatione huius difficultatis eſt aduertendũ primò, aliud eſſe occultare propriam fidẽ, aliud autem profiteri alienam. *1. Notabile.* Nã primum eſt indifferẽs, redditurq; bonum, aut malum ex circunſtantia loci, vel temporis: ſecũdum autem, ſcilicet, profiteri alienam fidem eſt intrinſece malum, & ſic in nullo caſu id licet facere.

❡ Secundò eſt aduertendũ, quòd ſigna ſolita deferri ab infidelibus ſunt in duplici differẽtia. *2. Notabile.* Quædam enim ſunt inſtituta ad deferendum honorem autori illius ſectæ, & ad proteſtãdam fidem, & religionẽ, quã habent: cuiuſmodi forſan eſt apud Turcas ſignum dimidiæ Lunæ. Nam quemadmodũ nos vtimur ſigno crucis, vel in frõte, vel in vexillis, vel in veſtibus ad deferendum honorem Redemptori noſtro, qui per paſſionem & crucem nos à morte liberauit, ità etiam & infideles poſſunt vti aliquibus ſignis, quibus autori ſuæ ſectæ honorẽ deferant. Alia ſigna ſunt, quæ licet ſint propria infidelibus, non tamen ad hoc ſunt inſtituta, vt exhibeãt honorẽ autori ſuę ſectę vel religionem profiteantur, ſed, vt per ea diſtinguantur ab alijs nationibus: quale eſt ſignum, quo vtuntur Romæ Iudæi, vt à fidelibus diſtinguantur.

❡ His poſitis ſit prima concluſio, Vti ſignis prioris generis, quacunq; ex cauſa fiat, ſemper eſt peccatũ mortale. *1. Concluſio.* Probatur: Profiteri alienã religionem ſemper eſt peccatũ mortale, ſed ille qui vtitur ſignis prioris generis proteſtatur fidem alienam: ergo peccat mortaliter. Et confirmatur: Nam parum refert, vtrum verbo, vel nutu, vel alio aliquo ſigno, quis profiteatur ſectam infideliũ: ſed profiteri voce eſt peccatum mortale: ergo & ſignis & nutibus. Item, Si quis offerret incenſum Idolis, etiã ſi in corde veram fidem haberet, peccaret mortaliter, & non ob aliam rationem, niſi quia id eſt ſignum proteſtatiuum falſæ religionis, ergo pari ratione qui exhibet quæcunque alia ſigna falſæ religionis proteſtatiua. Patet conſequentia: quia eadem eſt ratio de omnibus. Hanc cõcluſionem tenet Caiet. hic, & Silueſter verbo fides. §. 5. & verbo. infideles. §. 9. & Nauarro in Manuali. c. 11. nu. 25.

❡ Secunda concluſio, Vti ſignis ſecundi generis in terris infideliũ, vt pote veſte, aut lingua, licitum eſt fidelibus ad vitandũ mortis periculum. *2. Concluſio.* Hæc concluſio eſt contra Caietanum. Probatur tamẽ primò, Nã

qui

qui vtitur eo ſigno nullum cultũ exhibet falſæ religioni, ergo nõ peccat. Conſequẽtia eſt nota, & antecedens probatur: quia illud ſignũ non eſt fidei, aut religionis proteſtatiuũ, ergo qui illud exhibet nõ proteſtatur fidẽ, atq; ex cõſequenti nõ peccat in caſu neceſsitatis. Itẽ, Si vſus illius veſtis aut linguæ eſſet profeſsio falſæ religionis ſequeretur etiam, quòd ipſi infideles peccarent mortaliter quotieſcunque eis ſignis vtantur, ſicut peccãt quotieſcunque ſuam religionem profitentur: conſequens autẽ eſt falſum, vt conſtat, nã Iudæi Romæ ex præcepto Eccleſiæ vtuntur ſigno, quo à Chriſtianis diſtinguũtur propter bonũ publicũ, quod nõ præciperet Eccleſia ſi eſſet peccatum, ergo & illud ex quo ſequitur. Sequela probatur: quia proteſtatio falſæ ſectæ eſt intrinſecè mala, atque ex cõſequenti quotieſcunque ea fiat, aut verbis, aut factis erit peccatũ. Tertiò, qui vtitur huiuſmodi ſignis nihil aliud facit, quàm fidem ſuam & religionẽ occultare, ſicut occultat monachus profeſsionem, dum indutus habitu ſeculari per terras infidelium progreditur, ſed licet fidelibus pro loco & tempore ſuam fidem occultare, vt cõſtat de Beato Sebaſtiano, qui per aliquod tẽpus ſub chlamyde militari habitũ Chriſtianitatis abſcondiſſe legitur, & hoc ſine aliqua culpa, quia tunc non tenebatur exteriùs ſuam fidem profiteri, ergo ſimiliter vti licet veſtibus, & alijs ſignis, quibus fides occultatur. Tandem idem probatur, Nam ſi delatio talis ſigni eſſet proteſtatio falſæ religionis, ſequeretur, quòd eam deferens mentiretur, ſed nõ mentitur, ergo. Conſequentia cum maiori eſt nota, & minor ꝓbatur: quia mulier vtẽs veſte virili, & clericus vtens veſte ſeculari, & Hiſpanus vtens veſte Gallica nõ mentitur: vnde licitum eſt talibus veſtibus mutatis vti in caſu neceſsitatis, vt omnes doctores concedunt, ergo pari ratione nec ille, q vtitur veſte, aut lingua infideliũ mentitur, cùm eadem ſit omnium ratio. Et vt hoc perfectiùs intelligatur aduertendũ eſt, eſſe latiſsimũ diſcrimen inter ſignificationẽ vocum, & aliorum ſignorum. Nam, cùm voces ſuapte natura ſint inſtitutæ ad ſignificandũ animi conceptus, non poteſt fieri, vt quis vtatur eis præter id, quod propriè aut figuratè ſignificat, quin mẽtiatur. Cæterum, quia res ſuapte natura non ſunt inſtitutæ ad aliquid ſignificandum, ſed ad alios vſus principales, & ex accidenti ad ſignificãdũ, ſieri poteſt, vt quis vtatur eis præter id, ad quod inſtitutæ ſunt, quin mentiatur: ſicut nõ mentitur monachus dum propter vitãdũ periculũ vtitur veſtib⁹ laicorũ.

Differẽtia inter voces & alia ſigna.

¶ Et ad argumentũ pro parte negatiua ſactum reſpondetur, verum eſſe, quod quãtum attinet ad fidei proteſtationem, idem eſt vti vocibus, & vti ſignis ad id inſtitutis vt diximus in prima concluſione, cæterũ ille, qui vtitur illis ſignis, de quibus diximus in ſecunda concluſione nec facto nec verbis profitetur alienam fidẽ, vnde licite poterit eis vti in caſu neceſsitatis.

Ad argum.

¶ Eſt aliud dubium, vtrũ liceat fidelibus metu mortis negare ſe eſſe Chriſtianos? Ad cuius explicationem eſt aduertendum multipliciter poſſe cõtingere, quòd aliquis interrogetur, vtrũ ſit Chriſtianus, necne? vno modo verbis, alio modo lege, vel conſuetudine. Et rurſus iſta interrogatio, vel poteſt fieri animo perſequẽdi fidem Chriſti, vel tantum propter bonum ciuile, vt, ſcilicet cognoſcãtur quinam pertineant ad quamcunque religionem, vt poſteà exemplis declarabimus.

2. Dubium.

Interrogatio de religione multiplex.

¶ Hoc cõſtituto fundamẽto ſit prima cõcluſio, Qui interrogatus ab eo, qui fidẽ perſequitur, metu mortis negat ſe eſſe Chriſtianũ, peccat mortaliter. Probatur ex D. Aug. & habetur expreſſè. 11. q. 3. c. nõ ſolũ el. 2. vbi dicitur, ꝙ non ſolùm negat Chriſtũ, qui dicit ſe nõ eſſe Chriſtianũ, ſed & ille, qui cum ſit, negat ſe eſſe Chriſtianũ, Petrus enim ideò Chriſtum negauit, quia negauit eius ſe eſſe diſcipulum: ſed negare Chriſtum eſt peccatum mortale, vt cõſtat ex illo Matth. 10. Qui negauerit me corã hominibus negabo & ego eum coram patre meo, ergo & ille, qui metu mortis negat ſe eſſe Chriſtianum, peccat mortaliter.

1. Concluſio.

¶ Secunda cõcluſio, Qui interrogatus à Tyranno, an ſit Chriſtianus, metu mortis tacet, ità vt alij opinentur eũ non eſſe Chriſtianum, peccat mortaliter. Hæc concluſio eſt D. Greg. & refertur. 11. quæſt. 3. c. exiſtimant. vbi dicit, quòd ſi aliquis à Gentibus comprehenſus tenuit conſiteri ſe eſſe Chriſtanum, Chriſtum negat. Et D. Augu. vbi ſupra dicit, Timẽdo mortẽ carnis tuæ, mortem dabis animæ tuæ. Et D. Chryſ. eadem cauſa & quæſt. c. nolite timere, ait, Nõ ſolũ ille proditor eſt veritatis, qui trãſgrediens veritatem palàm, pro veritate mendacium loquitur, ſed etiã ille qui nõ liberè veritatẽ, pronunciat, quam libere pronũciare oportet

2. Concluſio.

interrogatur: ſed in caſu poſito id contingit: nam lex lata tunc habet vim interrogationis, ergo Chriſtianus per vſum talis ſigni tenebitur ſuam fidem profiteri. Et confirmatur: nam quanuis illa lex [illegible] à Tyrāno edita, exigit tamen fidei profeſsionē, quam fideles in caſu neceſsitatis tenentur facere: ergo. ¶ Secundo dicit Caietanus quòd, ſi ea lex lata fuerit propter alias cauſas, ſcilicet, propter bonum publicum, vel ne diuerſarum religionum hominibus confuſis reſpublica conturbaretur, Chriſtianus homo in eo caſu non vtens eo ſigno, propter vitandum mortis periculum, non peccaret. Idque probat, nam in eo caſu non interrogatur Chriſtianus de ſua religione à perſecutore fidei, ergo licitè poterit eam occultare. Et confirmatur: Nam Chriſtianus, cùm à nullo interrogatur de ſua fide, nec ex alia parte honor diuinus periclitatur, non tenetur ſe Chriſtianum profiteri, ſed in caſu huius ſecundi dicti Caietani, nec interrogatur fidelis de ſua religione, nec periclitatur honor diuinus, ergo. Et quidem, quod non periclitetur honor diuinus eſt res manifeſta. Quòd autem non interrogetur de ſua fide probatur. Nam ſi interrogaretur, maxime per legem: ſed per illam non interrogatur, quia in eo caſu lex non obligat, ac perinde eſt, ac ſi non eſſet: nam lex humana nō obligat cum periculo mortis, ergo. Hæc ſententia Caietani, quantum ad ſecundum dictū, eſt veriſsima, & recipitur conuenienter ab omnibus doctoribus, propter rationes ab ipſo aſsignatas. Sed eſt intelligēda, dummodo ſignum à Tyranno præceptum, nō ſit falſæ religionis proteſtatiuum: nam tunc non liceret eo vti in aliquo caſu, vt ſupra diximus in principio huius articuli concluſione prima. Caietanum [illegible] ad primum

Impugnatur Caietanus quantum ad dictum.

dictum [illegible] & meo iudicio eſt falſum. Vnde dico, quòd etiam ſi [illegible] Chriſtiani propter fidei profeſsionem, quam habent, [illegible] Chriſtiani [illegible] fideles, qui eo ſigno ad vi[illegible]tis pe[illegible] vteretur, non p[illegible] doctiſsim[illegible] de Palatio in 4. diſt. 15. diſputatione 4. Et probatur, nam talis fidelis [illegible] eo [illegible] peccaret, vel [illegible] propter legis poſitionem & obligationem, vel quia [illegible] contingit tam[illegible], & fideles interrogati, de ſua religione tenentur eius confeſsionem facere: ſed nulla ex his rationibus conuincit, ergo. Conſequentia cum maiori eſt nota, & minor probatur. Et primò, quòd fidelis vtens eo ſigno nō peccet, propter legis prohibitionem, eſt res manifeſta: nam ea lex eſt iniuſta, contra ius naturale, & bonum rationis lata, ex poſitione autem legis iniuſtæ nulla naſcitur obligatio, vt rectè docet D. Tho. 1.2. quæſt. 90. art. 2. Quin potiùs dico, quòd etiam ſi illa lex eſſet iuſta, adhuc Chriſtiani, in illo caſu nō tenentur illi parere, cùm certiſsimum ſit, leges humanas non obligare ad ſui obſeruantiam cum periculo mortis. Vnde, quanuis lege iuſtiſsima ſit prohibitum, ne mulieres, virilem, vel viri muliebrem deferant veſtem, tamen cauſa ingruente neceſſaria, ſcilicet, ad vitandum mortis periculum, nullus dicet quòd mulier vtens veſte virili, aut vir vtens veſte muliebri, peccet mortaliter. Et idem dicendum erit de fideli vtente ſigno infidelitatis ad vitandum mortis periculum. Quòd autem nec etiam tunc peccet, quia lex habet vim interrogationis, & Chriſtiani interrogati de ſua religione tenentur reſpondere, ſub peccato mortali, probatur: nam plurimum intereſt inter reſponſionē factā verbis, & factam ſignis. Verba enim, quia ſuapte natura ſunt inſtituta ad ſignificandos animi conceptus, fieri non poteſt vt quis vtatur eis præter id, quod propriè aut figuratè ſignificāt, quin mentiatur. Ex quo fit, vt ſi quis rogatus, vtrùm eſſet Chriſtianus, diceret ſe eſſe Saracenum, proculdubio mentiretur & peccaret mortaliter, quanuis aliàs eſſet fidelis, & id faceret ad vitandum mortis periculum: nulla enim de cauſa licet fidem negare, vt in ſuperioribus dictum eſt. Cæterum, quia res ſuapte natura non ſunt inſtitutæ ad aliquid ſignificandum, ſed ad alios vſus particulares, & ex accidenti ad ſignificandum, fieri poteſt, vt quis vtatur eis præter id, ad quod ſunt inſtitutæ, quin mentiatur: ſicut nec mentitur mulier, dum propter vitandum mortis periculum vtitur veſtibus virilibus. Et ita contingit in eo, qui ad vitandum mortis periculum non vtitur veſtibus, aut ſigno Chriſtianorum, quanuis publica lege contrarium fuerit præceptum. Et confirmatur, Nam, quod Chriſtus dixit apud Matth. c. 10. Qui me negauerit coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo, de negatione propriè dicta eſt intelligendum: ſed

veſtis Saracenica, vel quodlibet aliud ſignum, dummodo non ſit falſæ religionis proteſtatiuũ, propriè non eſt negatio Chriſti, quando non ſumitur ex amore ſectę Saracenicæ, ſed ex amore ſeruandæ incolumitatis: ergo vſus illius in caſu neceſsitatis nõ erit peccatum mortale. Verùm tamen erit, quòd tranſacto periculo, tenebitur fidelis tale ſignum deponere.

Ad argumentum Caietani. ¶ Et ad argumentum Caietani reſpondetur; quòd quanuis lex habeat vim interrogationis, reſponſio tamen ſigno ſacta eſt valde æquiuoca, & non propriè ad ſignificandum inſtituta, ex quo ſit, vt abſq; mendacio poſsit quis ea vti ad ſignificandum, præter id, ad quod tale ſignum fuit inſtitutum, vt diximus in ſuperioribus. Et eodem modo, reſpondetur ad confirmationem.

Corollariũ. ¶ Ex dictis infertur, quòd exterior fidei cõfeſsio, tantum obligat in caſibus neceſsitatis, & quòd iſti caſus poſſunt reduci ad tres. Primus eſt, quando Tyrannus aliquem interrogat de ſua fide. Secundus, quando periclitaretur honor diuinus, nec eſſet qui pro illo poſſet reſpondere. Tertius autem, quãdo vir conſtans & prudens cognoſceret, quod niſi eo publicè fidei confeſsionem faciente, aliqui infirmi metu tormentorum deficerent à fidei confeſsione. Cuius rei exẽplum habemus in beato Sebaſtiano: tunc enim ex præcepto charitatis teneretur bona inferioris ordinis, qualis eſt vita, exponere pro ſalute ſpirituali proximorum. In alijs autem caſibus licitum erit cuiq;, ſuam fidem atque religionem occultare, ad modum iam explicatum.

QVAESTIO QVARTA
De ipſa fidei virtute, in octo articulos diuiſa.

DEINDE conſiderandum de ipſa fidei virtute. Et primo quidẽ de ipſa fide. Secundo, de habitibus fidei. Tertio, de cauſa fidei. Quarto, de effectibus eius.

¶ Circa primum quæruntur octo.

¶ Primo, quid ſit fides.

¶ Secundo, in qua vi animæ ſit, ſicut in ſubiecto.

¶ Tertio, vtrũ forma eius ſit charitas.

¶ Quarto, vtrum eadem numero ſit fides formata & informis.

¶ Quinto, vtrum fides ſit virtus.

¶ Sexto, vtrum ſit vna virtus.

¶ Septimo, de ordine eius ad alias virtutes.

¶ Octauo, de comparatione certitudinis eius ad certitudinem virtutum intellectualium.

ARTICVLVS. I.

¶ Vtrùm hac ſit competens fidei diffinitio, Fides eſt ſubſtantia ſperandarum rerum, argumentum non apparentium.

AD PRIMVM ſic proceditur. Videtur quòd ſit incompetens fidei diffinitio, quam Apoſtolus ponit ad Heb. 11. dicens, Fides eſt ſubſtantia ſperandarum rerum, argumentum non apparentium. Nulla enim qualitas eſt ſubſtantia. Sed fides eſt qualitas, cum ſit virtus theologica, vt ſuprà dictum * eſt, ergo non eſt ſubſtantia. *Prima ſecũda. q. 46. ar. 3. co. Et Ro. 1. le. 6. co. 3. Et ad Heb. 11 principio.* *p. 2. q. 62. artic. 3.*

2 ¶ Præterea, Diuerſarum virtutum diuerſa ſunt obiecta: ſed res ſperanda eſt obiectum ſpei, non ergo debet poni in diffinitione fidei tanquam eius obiectum.

3 Præterea, Fides magis perficitur per charitatem, quàm per ſpem: quia charitas eſt forma fidei, vt infrà * patebit magis. ergo potiùs poni debuit in diffinitione fidei res diligenda, quàm res ſperanda. *Art. 3. huius q.*

4 ¶ Præterea, Idem non debet poni in diuerſis generibus: ſed ſubſtantia & argumentum ſunt diuerſa genera, nõ ſubalternatim poſita, ergo inconuenienter fides dicitur eſſe ſubſtantia & argumentum. Inconuenienter ergo deſcribitur fides.

5 ¶ Præterea. Per argumentum veritas manifeſtatur eius, ad quod inducitur,

citur,

citur argumentum, ſed illud dicitur eſſe apparens, cuius veritas eſt manifeſtata, ergo videtur oppoſitum implicari in hoc, quod dicitur argumentum non apparentium: quia argumentum facit rem prius non apparentem, poſtea apparere: ergo male dicitur, Rerum non apparentium. Inconuenienter ergo deſcribitur fides.

¶IN CONTRARIVM ſufficit authoritas Apoſtoli.

¶RESPONDEO dicendum, quòd licet quidam dicant prædicta Apoſtoli verba non eſſe fidei diffinitionē, quia diffinitio indicat rei quidditatem & eſſentiam, vt habetur. 7. Metaphyſ. tamen ſi quis rectè conſideret omnia, ex quibus fides poteſt diffiniri, in prædicta deſcriptione tanguntur, licet verba non ordinentur ſub forma diffinitionis, ſicut etiam apud Philoſophos prætermiſſa ſyllogiſtica forma, ſyllogiſmorum principia tanguntur. (*Li. 7. Meta. tex. 11. & 19. &c. 3.*)

¶Ad cuius euidentiam conſiderandum eſt, quòd cùm habitus cognoſcantur per actus, & actus per obiecta, fides cum ſit habitus quidam, debet diffiniri per proprium actum in comparatione ad proprium obiectum. Actus autem fidei eſt credere, ſicut ſuprà dictum eſt: qui actus eſt intellectus determinati ad vnum ex imperio voluntatis. Sic ergo actus fidei habet ordinem, & ad obiectum voluntatis, quod eſt bonum & finis, & ad obiectum intellectus, quod eſt verū. Et quia fides cum ſit virtus Theologica, ſicut ſuprà dictum eſt, habet idē pro obiecto & fine: neceſſe eſt, quòd obiectum fidei, & finis proportionabiliter ſibi correſpondeant. Dictum eſt autem ſuprà, * quod veritas prima eſt obiectum fidei: ſecundum quod ipſa eſt non viſa: & ea, quibus propter ipſam inhæretur: & ſecundum hoc oportet, quòd ipſa veritas prima ſe habeat ad actum fidei per modum finis, ſecundum rationem rei non viſæ: quod pertinet ad rationem rei ſperatæ, ſecundum illud Apoſtoli ad Roma. 8. Quod non videmus, ſperamus, veritatem enim videre eſt ipſam habere: non autem ſperat aliquis, id quod iam habet, ſed ſpes eſt de hoc, quod non habetur, vt ſuprà * dictum eſt. Sic ergo habitudo actus fidei ad finem, qui eſt obiectum voluntatis, ſignificatur in hoc quod dicitur. Fides eſt ſubſtantia rerum ſperandarum, ſubſtantia enim ſolet dici prima inchoatio cuiuſcunque rei: & maxime, quando tota res ſequens continetur virtute in primo principio: puta ſi dicamus, quòd prima principia indemonſtrabilia ſunt ſubiecta ſcientiæ: quia ſcilicet primum, quod in nobis eſt de ſcientia, ſunt huiuſmodi principia, & in eius virtute continetur tota ſcientia. Per hunc ergo modum dicitur fides eſſe ſubſtantia rerum ſperādarum: quia, ſcilicet, prima inchoatio rerum ſperandarum in nobis eſt per aſſenſum fidei, quæ virtute continet omnes res ſperandas. In hoc enim ſperamus beatificari, quòd videbimus aperta viſione veritatem, cui per fidem adhæremus: vt patet per ea, quæ ſuprà de felicitate dicta ſunt. Habitudo autem actus fidei ad obiectum intellectus, ſecūdum quod eſt obiectum fidei, deſignatur in hoc, quòd dicitur argumentum non apparentium, & ſumitur argumentum pro argumenti effectu. Per argumentum enim intellectus inducitur ad inhærendum alicui vero. vnde ipſa firma adhæſio intellectus ad veritatem fidei non apparentem vocatur hic argumentum. Vnde alia litera habet Conuictio. quia, ſcilicet, per authoritatem diuinam intellectus credentis conuincitur ad aſſentiendum ijs, quæ non videt. Si quis ergo in formam diffinitionis huiuſmodi verba reducere velit, poteſt dicere, quòd

(*Q. 3. art. 2. & 3.*) (*In argu. 1. huius art. 1. Et p. 2. q. 82 art. 3. Lib. 1. art. 1. & 4.*) (*p. 2. q. 67. artic. 4.*) (*p. 2. q. 4. artic. 2.*)

fides eſt habitus mentis, qua inchoatur vita æterna in nobis, faciens intellectum aſſentire non apparentibus, per hoc enim fides ab omnibus alijs diſtinguitur, quæ ad intellectum pertinent. Per hoc enim, quòd dicitur argumentum, diſtinguitur fides ab opinione, ſuſpicione, & dubitatione, per quæ non eſt prima adhæſio intellectus firma ad aliquid. Per hoc autem, quòd dicitur, Non apparentium, diſtinguitur fides à ſcientia, & intellectu, per quæ aliquid fit apparens. Per hoc autem, quòd dicitur, ſubſtantia ſperandarum rerum, diſtinguitur virtus fidei à fide communiter ſumpta, quæ non ordinatur ad beatitudinem ſperatam. Omnes autem aliæ diffinitiones quæcunque de fide dantur, explicationes ſunt huius, quam Apoſtolus ponit. Quod enim dicit* Auguſtinus. Fides eſt virtus qua creduntur, quæ non videntur: & quod dicit* Dam. quòd fides eſt non inquiſitus conſenſus: & alij dicunt, quod fides eſt certitudo animi quædam de abſentibus ſupra opinionem, & infra ſcientiam: idem eſt ei quod Apoſtolus dicit, Argumentum non apparentium. Quod verò Dionyſius* dicit. 7. cap. de Diuinis nominibus quòd fides eſt manens credentium fundamentum, collocans eos in veritate, & in ipſis veritatem oſtédens: idem eſt ei quod dicitur, ſubſtantia rerum ſperandarum.

Aug. tract. 40. in Ioan. à me l. 10. 9. Et lib. 2. q. euan. q. 39. to. 4.
Dam. lib. 4. cap. 12.
Dion. c. 7. de di. no. aliquã de ad fi.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd ſubſtantia non ſumitur hic, ſecundum quod eſt genus generaliſsimum contra alia genera diuiſum: ſed ſecundum quod in quolibet genere inuenitur quædam ſimilitudo ſubſtantiæ, prout ſcilicet primum in quolibet genere continens in ſe alia virtute, dicitur eſſe ſubſtantia illorum.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd cum fides pertineat ad intellectum, ſecundum quod imperatur à voluntate, oportet quòd ordinetur ſicut ad finem ad obiecta illarum virtutum, quibus perficitur voluntas, inter quas eſt ſpes, vt infrà* patebit: & ideo in diffinitione fidei ponitur obiectum ſpei. *Q. 18. art. ij.*

¶ Ad tertium dicendum, quòd dilectio poteſt & eſſe, viſorum, & non viſorum, & præſentium & abſentium, & ideo res diligenda non ita propriè adaptatur fidei, ſicut res ſperanda, cum ſpes ſemper ſit abſentium, & non viſorum.

¶ Ad quartum dicendum, quòd ſubſtantia, & argumentum, ſecundum quod in diffinitione fidei ponuntur, non important diuerſa genera fidei, neque diuerſos actus, ſed diuerſas habitudines vnius actus ad diuerſa obiecta, vt ex dictis* patet.

¶ Ad quintum dicendum, quòd argumentum, quod ſumitur ex proprijs principijs rei, facit rem eſſe apparentem. Sed argumentum, quod ſumitur ex authoritate diuina non facit rem in ſe eſſe apparentem, & tale argumentum ponitur in diffinitione fidei. *I. cap. art.*

SVMMA TEXTVS.

PRIMA concluſio, Definitio fidei, quam Diuus Paulus ponit ad Hebr. 11. dicens, Fides eſt ſubſtantia rerum ſperandarum, argumentum nõ apparentium, eſt optima, quamuis verba non ponantur ſub forma definitionis. Hãc concluſionem probat Diuus Thom. non aliter, quam explicatis ſingulis partibus eiuſdem definitionis, vt latè patet in litera.

¶ Secunda concluſio, Iſta definitio poterit reduci ad formam, ſi dicamus, quòd fides eſt habitus mentis, quo inchoatur vita æterna in nobis, faciens intellectum aſſentire non apparentibus.

EXPLI-

EXPLICATIO ARTICVLI.

Definitio fidei & eius explicatio.

DE hac definitione multa dicit D. Tho. ſuper illum locum Pauli, & de veritate quæſtio.14.art.2. & Gabriel in tertio. diſtin.23. quæſtio.2. & Soto lib.2. de natura & gratia, cap.7. Cæterum vt omnia breuiter intelligantur aduertendum eſt, quòd Diuus Paulus in illis verbis explicat fidei naturam potiſsimum ex duobus, ſcilicet, ex actu, atque ex proprio munere ipſius fidei. Actus quidem fidei eſt firmiter aſſentiri rebus non viſis, & propterea dicit, quod eſt argumentum non apparentium, vel, vt ſignificantius habetur in codice Græco, rerum, quæ non videntur: in quo diſtinguitur à ſcientia. Et quia actus fidei, licet ſit de rebus non viſis, adhuc tamen eſt firmus, atque certus, in quo diſtinguitur ab opinione: idcirco ad ſignificandam huiuſmodi certitudinem appellauit illam, argumentum, & non quodcunque argumentum, ſed quale vox Græca ſignificat, ſcilicet, argumentum certum, & firmum, & quod non tantum ſuadet, ſed planè conuincit. Vnde Diuus Auguſtinus lib.2. de peccatorum meritis, cap.31. quo loco nos legimus argumentum, ipſe legit conuinctionem. Et Diuus Chryſoſtomus ſuper eundem locum Pauli dicit, quod argumentum eſt in rebus manifeſtis. Et ſic fides eſt viſio non apparentium, & ad eandem certitudinem nos ducit. Proprium autem fidei munus eſt ſuſtentare noſtram ſpem, quæ in fide tanquam in fundamento nititur: nullus enim ſperare poteſt, niſi ea, quæ certò futura credit. Et hoc explicat Paulus cum dicit, quòd eſt ſubſtantia rerum ſperandarum. Et in codice Græco, loco ſubſtantiæ, eſt hypoſtaſis, quæ fulcimentum & fundamentum ſignificat. Non dixit Apoſtolus fidem eſſe ſubſtantiam rerum amandarum, quia cùm bona ſupernaturalia ſint futura, prius eſt quod ſperentur, quàm quod amentur, & ex ſpe prouenit amor. Nec dicit, quòd fides eſt ſubſtantia rerum timendarum: quamuis, quod timeamus horrẽdum Dei iudicium, proueniat etiam ex fide, ſicut & quod ſperentur gaudia ſanctorum: quia fides Euangelica non eſt timoris, ſed gaudij, & ſpei, dicente eodem Apoſtolo ad Roma.8. Non accepiſtis ſpiritum ſeruitutis in timore, ſed ſpiritum adoptionis filiorum Dei. Ex quo ſatis conſtat, Diuum Paulum in illis verbis rectè fidei naturam explicaſſe. Eraſmus in annotationibus ſuper illum locum dicit, quòd Apoſtolus ibi non loquitur de fide pro credulitate, ſed pro fiducia. Idque probat. Nam fidei, qua credimus, non poteſt ſubeſſe falſum: ſed illi fidei, de qua loquitur Paulus in illo loco, poteſt ſubeſſe falſum, ergo non agit de fide, qua credimus, ſed de fide pro fiducia. Conſequentia cum maiori eſt nota, & minor probatur ex eo, quòd paulò inferius adducens exemplum eius fidei, de qua loquebatur, inter alia commemorat fidem Abrahæ, & dicit, quòd per illam ſacrificauit filium ſuum, quia exiſtimabat ſuſcitaturũ illum à morte: ſed hoc non ità factum eſt: ergo illi fidei ſubeſt falſum.

Sententia Eraſmi.

Argumentũ Eraſmi.

Impugnatur Eraſmus.

¶ Hoc tamen non obſtante dico, falſum eſſe & temerarium aſſerere, quod Diuus Paulus in eo loco non loquatur de credulitate, ſed de fiducia. Et probatur primo, nam dicit, quòd fides eſt argumentum non apparentium, quod quidem non fiduciæ, ſed credulitati conuenire poteſt. Item in eodem capite loquens de eadem fide dicit, quòd fide intelligimus aptata eſſe ſecula verbo Dei, id eſt, condita, quod nullo modo de fide pro fiducia, ſed de fide pro credulitate intelligi poteſt. Tandem hoc idem probatur ex communi interpretatione ſanctorum. ¶ Et ad argumentum in contrarium factum reſpondetur negando minorem. Et ad probationem dico, quòd quamuis Abraham ex inſtinctu & inclinatione fidei certò crederet, quòd Iſaac, licet interficeretur ante annos pubertatis, adhuc tamen futurum erat, vt ex illo aliqua ſoboles naſceretur iuxta diuinam promiſſionem, cæterùm qua ratione fieri poſſet, vt qui ſine filijs moreretur, futurus eſſet pater ampliſsimæ generationis, id, inquam non habebat Abraham ex inſtinctu fidei: ſed animi ſui coniecturam ſequens exiſtimabat, quòd Deus filium à ſe interficiendum poſteà erat ſuſcitaturus, & ſic fidei Abrahæ nullo modo ſubfuit falſum.

Ad argum.

Sententia autoris.

¶ Sunt qui exiſtiment, ea verba Pauli non continere veram, & exactam fidei definitionẽ, ſed tantum laudationem quandam, atque encomium illius, vt ſiquis diceret Philoſophiam eſſe oblectamentum in rebus proſperis, & præſidium in aduerſis. Ego tamen (quamuis parùm referat, vtrùm definitionem, vel potius fidei laudationem eam appellemus, dummodo certum

ſit eis verbis fidei naturam explicari) conuenientiùs atque veriùs exiſtimo, appellare eam definitionem, quoniam ſancti atque doctores ità loquuntur, vt Diuus Auguſtinus ſuper Ioan. tract. 79. & 93. & Diuus Hieronymus in epiſtolam ad Galatas cap. 5. & Theophylactus, & OEcumenius, & Beda ſuper illum locum. Etenim verba Pauli in hoc vnum referuntur, vt cognoſcamus fidem eſſe indicium certum reuelatorum à Deo per ſacras ſcripturas: quæ reuelata vocat non apparentia, ea ratione, quia humana cognitio illa comprehendere non poteſt: & ſola fides eſt, quæ Deo cooperante, ſine argumentorum ſtrepitu, credenda conuincit: in quo tota ratio atque eſſentia fidei conſiſtit. Scientia ſanè conuincit ex demonſtratione, & ſic conuincit quæ videntur, quia ſcientia eſt euidens. Et opinio, licet ſit de ineuidentibus, non tamen conuincit. Cæterùm fides, & eſt de ineuidentibus, & conuincit, in quo, & à ſcientia, & ab opinione diſtinguitur. Quod non eſt ità intelligendum, quaſi voluerimus ſignificare, quod fides aliquem cogat ad aſſentiendum, eſt enim aſſenſus voluntarius, vt in ſuperioribus diximus, ſed Diuus Auguſtinus eam appellat conuinctionem, ea dumtaxat ratione, quia habet certitudinem & firmitatem in iudicando: quamuis non habeat euidentiam. Plures aliæ fidei definitiones ſolent à doctoribus communiter adduci, quas omnes breuitatis cauſa conſultò prætermitto. Sed de illis videndus eſt Diuus Thomas de veritate quæſtio. 14. artic. 2. & Alexander in ſumma de virtutibus collatione. 31. artic. 1. Ariſtoteles etiam. 4. Topicorum, cap. 1. de fide humana loquens, dicit, eſſe vehementem opinionem. Quibus verbis aliquo modo fidei diuinæ naturam explicat: nam in eo, quòd appellat eam opinionem, oſtendit eius ineuidentiam, & in eo, quòd dicit eſſe vehementem, inſinuat adhæſionis certitudinem, & firmitatem. Et. 1. Rhetori. cap. 15. dicit, fidem eſſe duplicem; vnam inartificioſam, alteram ex arte. Prima eſt illa, quæ ex legibus, ex pactis, ex teſtibus, ex iureiurando, ex quæſtionibus oritur. Et rectè hanc dicit eſſe inartificioſam, ſiquidem nullo artificio Rhetorico aut Dialectico opus eſt, vt credamus legi, aut teſtibus, aut pactis, &c. ſed eſt fides hæc iuris. Fides autem artificioſa eſt illa, quæ habet ortum à demonſtratione, ab exemplis, ab inductione, ab enthymemate, &c. Et eſt aduertendum, quòd Ariſtoteles hoc loco etiã confundit fidem cum ſcientia. Dicit enim, quòd fides artificioſa eſt illa, quæ paratur ex demonſtratione. Quo modo loquendi vtitur etiam ſæpe ſæpius Diuus Auguſtinus, vt conſtat ex quæſtionibus euangelicis, quæſtio. 2. vbi verſans illa verba Pauli ad Roma. 1. Iuſtitia Dei reuelatur ex fide in fidem, ex fide, inquit, qua Deo miniſtratur, in fidem, qua Deo fruitur. Frequenſq; vſus loquendi non multum abhorret ab hac phraſi, qua ea, quæ videmus dicimus nos ſæpè maximè credere.

Fides eſt duplex vna inartificioſa altera artificioſa.

¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco, ſumpta occaſione ex Ariſtotele, vtrùm fides diuina ſit dicenda artificioſa, vel potiùs inartificioſa. Ad quod breuiter reſpondetur quòd partim eſt artificioſa & partim inartificioſa, vel potiùs perfectiſsimè habet vtrumque. Nam ſi fides inartificioſa eſt illa, ſecundum ſententiam Ariſtotelis, quæ paratur ex lege, hæc quidem eſt fides legis diuinæ. Si teſtes deſideras, habet Prophetas, & Apoſtolos ſanctoſque Martyres. Si pacta quæris, hoc eſt pactum Dei erga homines, vt credamus vnigenito filio eius, vt ſalutem conſequamur. Si quæſtiones poſcis, aſpice Martyrum cruciatus, & ſanctorum labores, quibus ipſa fidei veritas diſcutitur. Iuſiurandum autem eſt illud, quod Zacharias protulit dicens, Iuſiurandum, quod iurauit ad Abraham patrem noſtrum, daturum ſe nobis. Et ſic conſtat, quòd diuina fides eſt omnibus modis inartificioſa. Quod autem etiam ſit artificioſa probatur. Nam, quamuis fides Chriſtiana demonſtrari non poſsit, demonſtratur tamen credibilitas articulorum, & ſic quodammodo nititur demonſtrationi, iuxta illud Pſal. 118. Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis. Sunt etiam exempla Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, atq; Virginum, qui hanc fidem verbo, & exemplo vſque ad corporum internecionem, fuerunt profeſsi.

Dubium.

Solutio.

Fides diuina partim artificioſa & partim inartificioſa.

¶ Eſt vltimum dubium circa iſtam Pauli definitionem, vtrùm tantum conueniat fidei formatæ per charitatem, an etiam fidei informi? Et quod ſolùm conueniat fidei formatæ, probatur. Nam Diuus Thomas infrà art. 7. huius quæſtionis, ad quartum argumentum dicit, quòd fides coniuncta

Vltimum dubium.

Argumẽtũ.

iuncta charitati eſt fundamentũ ædificij ſpiritualis, ſed hęc definitio datur de fide, quatenus eſt fundamentum: vnde dicitur, ꝙ eſt ſubſtantia rerum ſperandarum, ergo tantum conuenit fidei formatę. Hoc etiam videtur ſentire Magiſter in.3. diſt.23. cap. 3.& vltimo. & D. Auguſtinus lib. de fide & operibus cap. 14. 16. &.21.

Definitio fidei conuenit tam fidei formata, quam informi.

¶ Hoc tamen non obſtante dico, quòd quanuis propoſita definitio meliùs atque perfectiùs conueniat fidei formatæ, quam informi, adhuc tamen, ſimpliciter & abſolutè loquendo, dicendum eſt, quòd conueniat fidei informi, atque formatæ, cum vtraque faciat nos aſſentiri firmiter rebus non apparentibus, & ſit ſubſtantia rerum ſperandarum. Fides enim informis adhuc eſt fundamentum, & prima inchoatio vitæ ſpiritualis, & æternæ, vt conſtat ex concilio Tridentino ſeſsione de iuſtificatione, cap.8. Vbi dicitur, quòd fides eſt humanæ ſalutis fundamentum, & radix omnis iuſtificationis. Et quod Concilium loquatur de fide informi, colligitur manifeſtè ex eo, quòd fides coniuncta charitati, non initium iuſtificationis, ſed ipſa ſalus conſummata atque perfecta eſt appellanda. Item præterea, quia, cùm fides ſit virtus diſtincta à charitate, neceſſariũ erat, quòd propria ei aſsignaretur definitio, quæ illi conueniret ratione ſui, & non ratione charitatis.

Nota.

¶ Circa ſecundam cõcluſionem D. Tho. in qua fidei definitionem in formam redigit dicens, quòd eſt habitus mentis, quo inchoatur vita æterna in nobis, faciens intellectum aſſentiri non apparentibus, eſt aduertendum, quòd Gabriel in.3. diſtinct. 23. quæſtio.2. artic.1. dicit, hanc definitionem eſſe defectuoſam, quia deeſt illi particula, firmiter, qua ab opinione & ſuſpicione diſtinguatur. Cæterùm fallitur Gabriel. Primo, quia ſufficienter ſuſpicio & opinio excluduntur per illam particulam, aſſentiri, quę firmam & conſtantem adhęſionem importat. Secundo, quia id, quod dicitur de fide, ſcilicet, quòd eſt habitus, quo vita æterna in nobis inchoatur, nec opinioni, nec ſuſpicioni, nec alteri naturali habitui poteſt conuenire.

ARTICVLVS. II.

¶ *Vtrùm fides ſit in intellectu tanquam in ſubiecto.*

ADSECVNDVM ſic proceditur. Videtur quòd fides nõ ſit in intellectu, ſicut in ſubiecto. Dicit enim Auguſtinus * in lib. de prędeſtinatione ſanctorum, quod fides in credẽtiũ volũtate cõſiſtit: ſed volũtas eſt alia potẽtia ab intellectu: ergo fides non eſt in intellectu ſicut in ſubiecto. *Cap.5. in fine, to.7.*

2 ¶ Præterea, Aſſenſus fidei ad aliquid credendum prouenit ex voluntate Deo obediente, tota ergo laus fidei ex obedientia eſſe videtur. Sed obedientia eſt in voluntate, ergo & fides. Non ergo eſt in intellectu.

3 ¶ Præterea, Intellectus eſt, vel ſpeculatiuus, vel practicus: ſed fides non eſt in intellectu ſpeculatiuo: cum nihil dicat de euitabili, & fugiendo, vt dicitur in.3. * de Anima. non eſt ergo principium operationis. Fides autem eſt, quæ per dilectionem operatur, vt dicitur ad Galat. 5. Similiter etiam, nec in intellectu practico, cuius obiectum eſt verum contingens factibile, vel agibile. Obiectum enim fidei eſt verum æternum, vt ex ſuprà * dictis patet. non ergo fides eſt in intellectu, ſicut in ſubiecto. *Lib.3. de anima text.34. & 46. & 49. to.2.* *q.1. ar.1. & q.2. artic.5. & .7.*

¶ SED CONTRA eſt, quod fidei ſuccedit viſio patriæ, ſecundum illud primæ ad Corinth.13. Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem: ſed viſio eſt in intellectu, ergo & fides.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd cum fides ſit quædam virtus: oportet quòd actus eius ſit perfectus. Ad perfectionem autem actus, qui ex duobus actiuis principijs procedit, requiritur quòd vtrumq; actiuorũ principiorum ſit perfectum. Non enim bene poteſt ſecari, niſi & ſecans habeat artem, & ſerra ſit bene diſpoſita ad ſecandum. Diſpoſitio autem ad bene agendum in illis potentijs animæ, quæ ſe habent ad oppoſita, eſt habitus, vt ſuprà * dictum eſt. Et ideo oportet, *1. 2. q. 49. art.3. ad.4.*

quòd actus procedens ex duabus talibus potentijs ſit perfectus habitu aliquo præexiſtente in vtraque potentiarum. Dictum autẽ* eſt ſuprà, quòd credere eſt actus intellectus, ſecundum quod mouetur à voluntate ad aſſentiendum: procedit autem huiuſmodi actus & à voluntate. & ab intellectu, quorum vtrunque natum eſt per habitum perfici ſecundum prædicta: & ideo oportet, quòd tam in voluntate ſit aliquis habitus, quàm in intellectu, ſi debeat actus fidei eſſe perfectus, ſicut etiam ad hoc, quòd actus concupiſcibilis ſit perfectus, oportet quòd ſit habitus prudentiæ in ratione, & habitus temperantiæ in concupiſcibili. Credere autem immediatè eſt actus intellectus, quia obiectum huius actus eſt verum, quod propriè pertinet ad intellectum, & ideo neceſſe eſt, quòd fides, quę eſt proprium principium huius actus, ſit in intellectu, ſicut in ſubiecto.

Q. 2. art. 1. & 2.

¶AD PRIMVM ergo dicendum, quòd Auguſt. fidem accipit pro actu fidei, qui dicitur conſiſtere in credentium voluntate: in quantum ex imperio voluntatis intellectus credibilibus aſſentit.

¶Ad ſecundum dicendum, quod non ſolum oportet volũtatem eſſe promptam ad obediendum, ſed etiam intellectum eſſe bene diſpoſitum ad ſequendum imperium voluntatis, ſicut oportet concupiſcibilem eſſe bene diſpoſitam ad ſequendum imperium rationis: & ideo non ſolum oportet eſſe habitum virtutis in voluntate imperante, ſed etiam in intellectu aſſentiente.

¶Ad tertium dicendum, quòd fides eſt in intellectu ſpeculatiuo, ſicut in ſubiecto, vt manifeſte patet ex fidei obiecto, ſed quia veritas prima, quæ eſt fidei obiectum, eſt finis omnium deſideriorum, & actionum noſtrarum, vt patet per Auguſtinum* in primo de Trini. inde eſt, quòd per dilectionem operatur: ſicut etiam intellectus ſpeculatiuus extenſione fit practicus: vt dicitur in. 3.* de Anima.

Lib. 1. c. 8. in med. to. 3.

Lib. 3. ex text. 49. id colligit nõ-tabili.

SVMMA TEXTVS.

DIuus Tho. in hoc art. extra chorum ſaltare videtur. Nam quærit vtrùm fides ſit in intellectu, & explicat, quæ nam ſint illa, quæ ad perfectionem actus fidei ſunt neceſſaria: quæ quidem à ſuo inſtituto ſunt prorſus aliena. Poſſumus tamen literam huius articuli duabus concluſionibus explicare. Prima eſt, Ad hoc, vt actus fidei ſit perfectus, neceſſarium eſt, quòd procedat ab intellectu, atque voluntate perfectis per fidem & charitatem. Hanc concluſionem probat Diuus Thomas, quia ad hoc, vt actus pendens à duobus principijs ſit perfectus, neceſſarium eſt, quòd vtrumque principium ſit perfectum: ſed credere eſt actus dependens ab intellectu atque voluntate, ergo ad hoc, vt ſit perfectus requiritur, quòd vtraque potentia ſit perfecta: propriæ autem perfectiones intellectus & voluntatis ſunt fides atque charitas, ergo.

¶Secunda concluſio, Fides eſt in intellectu tanquam in ſubiecto. Probatur. Credere immediatè eſt actus intellectus, quia verſatur circa verum, quod eſt proprium intellectus obiectum, ergo & fides, quæ eſt principium huius actus, etiam erit in intellectu.

EXPLICATIO ARTICVLI.

CIrca primam concluſionem huius articuli eſt aduertendum, quòd Scotus in. 3. diſt. 25. negat voluntatem neceſſariò concurrere cum intellectu ad actum credendi, ſed ſatis eſſe dicit, quòd voluntas non moueat in contrarium. Et ratio illius eſt, quia aliàs poſſet intellectus per ſolum imperium voluntatis aſſentiri propoſitioni neutræ: qualis eſt hæc, Aſtra ſunt paria: cuius tamen contrarium eſt verum, vt conſtat experientia: Cæterùm hæc ſententia Scoti eſt falſiſsima, vt explicuimus ſupra quæſtio. 1. art. 4. Et ad rationem Scoti reſpondetur negando ſequelam, quia vt eo loco

eo loco diximus, voluntas non poteſt mouere intellectum ſuo impetu ad actum credendi, niſi ex parte obiecti ſit aliqua ratio, quæ illud faciat euidenter credibile. Vnde cùm in hac propoſitione, Aſtra ſunt paria, nulla talis ratio inueniatur, non poterit intellectus illi aſſentiri, etiam ſi voluntas ad id inclinet.

Dubium. ℭCirca eandem concluſionem eſt difficultas, vtrùm ad hoc, vt actus fidei ſit perfectus requiratur aliquod auxilium ſpeciale & ſupernaturale, tam ex parte intellectus, quàm ex parte voluntatis? Et quidem, quòd ex parte intellectus requiratur, res eſt certiſſima. Nam, vt diximus quæſtio.1.art.1. de fide eſt, quod nullus poteſt aſſentiri reuelatis à Deo aſſenſu certo & ſine formidine (qualis eſt aſſenſus fidei) ſine lumine aliquo ſupernaturali, ſiue illud ſit habitus a Deo infuſus, ſiue auxilium ſpeciale, de hoc enim non curamus. Et ſic nunc tantum eſt difficultas de eo, quod eſt neceſſarium ex parte voluntatis. Et hoc propter Scotum, qui in.3. diſtinctio.25. quæſtio.2. affirmat, ad credendum non eſſe neceſſariam perfectionem ſupernaturalem ex parte voluntatis, ſed tantum ſufficere ex parte intellectus habitum fidei inclinantem ad credendum. Quam ſuam ſententiam probat pluribus argumentis. *Sententia Scoti.* Illis tamen omnibus prætermiſſis, ad propoſitam difficultatem dico, quòd non ſolùm ad actum fidei perfectum, & virtuoſum, eſt opus, quòd voluntas ſit perfecta per charitatem, vt optime Diuus Thomas probat in hoc articulo, & nos infrà dicemus art. 5. huius quæſtionis, ſed etiam ad quemcunque alium actum fidei eſt neceſſarium, quòd voluntas adiuuetur à Deo auxilio aliquo ſupernaturali, vt docet idem D. Thomas infrà quæſtio.6.art.1. ad tertium. *Vera ſolutio dubitationis* Vbi dicit, quòd quamuis credere ſit in voluntate credentium, opus tamen eſt, quòd voluntas hominis præparetur à Deo per gratiam, vt eleuetur in ea, quæ ſunt ſuper naturam. Et ſuper epiſtolam ad Roma. cap. 10. in illa verba, Non omnes obediũt Euangelio, etiam dicit, quòd verbum prædicantis non eſt ſufficiens ad credendum, niſi cor audientis trahatur virtute Dei loquentis. Eandem etiam ſententiam tenet Diuus Auguſtinus lib. de prædeſtinatione Sanctorum cap.6. Nam quærens, quare hi credunt, illi verò non, reſpondet, quia hi volunt, illi verò non. Et rurſus quærens, quare iſti volunt, & illi non, reſpondet, quia iſtorum voluntas præparatur à Deo, vt velint, illorum verò non. Et ſic conſtat, quòd ſecundum Diuum Auguſtinum, non ſolùm ad perfectè credendum, ſed etiã ad ſimpliciter credendum, eſt neceſſarium auxilium ſupernaturale ex parte voluntatis, de quo nos infrà plura dicemus quæſtio. ſexta. artic. 1.

Nota ex Caietano circa ſolutionem ad.3. ℭCircà ſolutionem ad tertium aduertit duo Caietanus. Primum eſt, quòd quamuis fides ex ſe ſit habitus ſpeculatiuus, vt conſtat ex eius obiecto, quod eſt Deus ſummum omnium ſpeculabilium, cæterùm, quia hoc ipſum obiectum eſt finis noſtrarum actionum, & ab eo ſumitur ratio illarum, id eſt, modus, quo debemus illas ordinare ad talem finem conſequendum, idcircò fides eſt aliquo modo habitus operatiuus: intellectus enim ſpeculatiuus extenſione fit practicus, vt docet Ariſtoteles. 3. de anima text. 49. ℭSecundo aduertit, quòd fides propriè loquendo, nec practica nec ſpeculatiua eſt dicenda, ſed eminenter vtrumque. Nam cum fides ſit quædam impreſſio diuinæ ſcientiæ, quam Deus ipſe habet de ſe ipſo, ſicut ſcientia Dei, nec eſt practica, nec ſpeculatiua, ſed eminenter vtrumque: ità etiam nec fides. Et eadem ratio eſt de Theologia, quam Caietanus prima parte, quæſtio.1. eminenter practicam, & eminenter ſpeculatiuam appellat, propter eandem rationem.

ARTICVLVS. III.

ℭ *Vtrùm charitas ſit forma fidei.*

AD TERTIVM ſic proceditur. Videtur quòd charitas non ſit forma fidei. Vnumquodque enim ſortitur ſpeciem per ſuam formam. Eorum ergo, quæ ex oppoſitó diuiduntur, ſicut diuerſę ſpecies vnius generis, vnum non poteſt eſſe forma alterius. Sed fides & charitas diuiduntur ex oppoſito. 1. ad Cor. 13. ſicut diuerſæ ſpecies virtutis. ergo charitas non poteſt eſſe forma fidei.

2 ¶Præterea, Forma, & id, cuius

eſt forma, ſunt in eodem, quia ex his fit vnum ſimpliciter: ſed fides eſt in intellectu: charitas autem in voluntate. ergo charitas non eſt forma fidei.

3 ¶Præterea, Forma eſt principium rei, ſed principium credendi ex parte voluntatis magis videtur eſſe obedientia, quam charitas ſecundum illud ad Rom. 1. Ad obediendum fidei in omnibus Gentibus. ergo obedientia magis eſt forma fidei, quàm charitas.

¶SED CONTRA eſt, quòd vnumquodq; operatur per ſuam formam. Fides autem per dilectionem operatur. ergo dilectio charitatis eſt fidei forma.

1.2.q.1.art. 3.&q.18. art.6. ¶RESPONDEO dicendum, quòd ſicut ex ſuperioribus *patet, actus voluntarij ſpeciem recipiunt à fine, qui eſt voluntatis obiectum: id autem à quo aliquid ſpeciem ſortitur, ſe habet ad modum formæ in rebus naturalibus. Et ideo cuiuſlibet actus voluntarij forma quodammodo eſt finis, ad quem ordinatur: tum quia ex ipſo recipit formam, tum etiam quia modus actionis oportet quòd reſpondeat proportionabiliter fini. Manifeſtum eſt autem ex *prædictis, quòd actus fidei ordinatur ad obiectum voluntatis, quod eſt bonum ſicut ad finem, hoc autem bonum quod eſt finis fidei, ſcilicet, bonum diuinum, eſt proprium obiectum charitatis: & ideo charitas dicitur forma fidei, inquantum per charitatem actus fidei perficitur & formatur. Art.1.huius q.&q.2. art.1.

¶AD PRIMVM ergo dicendum, quòd charitas dicitur eſſe forma fidei, inquantum informat actum ipſius. Nihil autem prohibet vnum actum à diuerſis habitibus informari: & ſecundum hoc ad diuerſas ſpecies reduci ordine quodam, vt ſuprà *dictum eſt, cum de actibus humanis in communi ageretur. 1.2.q.18.ar 6.&.7.& q.56.art.2.

¶Ad ſecundum dicendum, quòd obiectio illa procedit de forma intrinſeca. Sic autem charitas non eſt forma fidei, ſed prout informat actum eius, vt ſuprà *dictum eſt. In cor. art.

¶Ad tertium dicendum, quòd etiam ipſa obedientia, & ſimiliter ſpes, & quæcunque alia virtus poſſet præcedere actum fidei rationabiliter formatum à charitate, ſicut infrà *patebit: & ideo ipſa charitas ponitur forma fidei. Q.2.art. 8.

SVMMA TEXTVS.

Conluſio eſt affirmatiua. Probatur. Illud dicitur forma alicuius rei, quod dat ei eſſe ſpecificum, ſed in actibus moralibus finis eſt, qui dat eſſe ſpecificum, ergo & qui eſt forma illorum. Tunc vltra, ſed finis fidei eſt bonum, quod eſt obiectum voluntatis & charitatis, ergo charitas quodammodo eſt forma fidei.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Circa iſtum articulum aduertendum eſt ex Caietano, quòd cùm quæritur, vtrum vna virtus ſit forma alterius, non quæritur, vtrùm vna virtus inhæreat alteri: ſed vtrum vna virtus ex natura ſua imperet alteri: nam in virtutibus vnam imperare alteri eſt eſſe formam illius. Et ratio eſt, quia cum in virtutibus, ea, quæ imperat, ipſo ſuo imperio, præſcribat alteri rationem, & modum operandi, quatenus dirigit illam in ſuum finem, à quo ſumit ſpeciem, & tribuit illi modum, quo tali fini conueniat, conuenienter dicitur forma illius. Vnde dico, quòd, queinadmodum ars, quæ eſt in architecto, dicitur & eſt verè forma operis, quod eſt in inferioribus artificialibus, quatenus dirigit illorum operationes in ſuum vltimum finem, & tribuit illis modum, quo ſint tali fini proportionatæ: ità etiam & charitas eſt forma fidei, & aliarum virtutum, quatenus illo ſuo imperio, dirigit earum operationes in proprium finem, & præſtat modum, quo ſint tali fini proportionatæ.

¶Sed

Dupliciter poteſt aliquid dici forma.

¶ Sed, vt hoc perfectiùs intelligatur aduertendum eſt, ex Marſilio in.3. quæſtio. 14. art.1. & ex Gabriele in.3. diſt. 23. quæſtio. 2. dupliciter poſſe contingere, quod aliquid ſit alterius forma. Vno modo propriè atque intrinſecè: & hac ratione ſolùm poteſt eſſe forma id, quod inhæret, ſiue ſubſtātia ſit, ſiue accidens. Alio modo impropriè & per attributionem, & hac ratione dicitur forma omne illud, quod habet conditiones, & proprietates formæ, ſiue inhæreat, ſiue non inhæreat. Quo ſuppoſito dico, quod quando dicimus charitatem eſſe formam fidei, non loquimur de forma primo modo, ſed ſecundo: dicitur enim charitas forma fidei, non quia inhæret, ſed quia reſpectu illius habet omnes formæ conditiones. Quod cōſtat ità eſſe primo, quia ſicut agens operatur per formā ità fides operatur per charitatem, iuxta illud Pauli ad Galat.5. Fides, quæ per dilectionem operatur. Item, quia ſicut materia eſt prior forma, ità etiam fides eſt prior charitate, & ſupponitur ad illam. Tertio, quia ſicut forma perficit materiam, ità charitas perficit fidem. Et tandem, quia ſicut forma dat eſſe compoſito, atque vitam, ita etiam fides viuit per charitatem, & ab ea habet eſſe virtutis, vt dicemus artic.5. huius quæſtionis. De hac re videndus eſt Diuus Thomas de veritate quæſtio. decimaquarta. artic.5. & infra quæſtio. 23. artic. 8. & quæſtio. vnica, de charitate.

Nota circa ſolutionem. Ad. 2. arg.

¶ Circa ſolutionem ad ſecundum aduertit Caietanus, quòd, quanuis cōparādo habitum charitatis ad habitum, vel actū fidei: vel actū ad actū, charitas ſit forma extrinſeca fidei, quia hæc in intellectu, & illa in voluntate ſubiectatur: tamē ſi fiat cōparatio actus fidei imperati à charitate, ad modum, quem à virtute imperante ſuſcipit, ſic charitas dici poterit forma intrinſeca fidei, eo modo, quo modus actionis eſt intrinſecus actioni. Ille enim modus, quo actus fidei, poſt imperium charitatis, manet ordinatus in vltimum finem, & ex cuius participatione conſtituitur in eſſe virtutis, eſt intrinſecus illi. Et hoc videtur inſinuare Diuus Thom. de veritate quæſtio.24. artic.5. ad quartum, dicens, id quod relinquitur ex charitate in actu fidei, eſſe intrinſecum illi. Ex quo ſequitur, quòd etiam aliquo modo charitas poteſt dici forma intrinſeca fidei, & aliarum virtutum, non quidem ſecundum ſe, ſed ſecundum modum præſcriptum à charitate, qui manet ſemper in actibus aliarum virtutum ordinatis in vltimum finem.

Nota circa ſolutionem. Ad. 3. arg.

¶ Circa ſolutionem ad tertium eſt aduertendum ex eodem Caietano, quòd, quia argumentum non procedit directè ad probandum, quòd charitas non eſt forma fidei, ſed tantum indirectè probando quòd obedientia eſt magis forma fidei, quàm charitas, ex quo infertur, quòd charitas non eſt ſimpliciter forma fidei, idcircò Diuus Thomas ad principale intentum reſpiciens dicit, quòd, quia à charitate non ſolùm formatur fides, ſed etiam obedientia, & quæcunque alia virtus præuia fidei, idcircò charitas ſimpliciter dicitur forma fidei, vt pote quæ eſt forma omnium aliarum virtutum, ſiue aliæ virtutes ſint etiam dicendæ formæ reſpectu fidei, ſiue non, de hoc enim non curamus.

ARTICVLVS. IIII.

¶ Vtrùm fides informis poſſit fieri formata, vel econuerſo.

3. diſ. 23. q. 3. art. 4. Et 4. diſ. 17. q. 2. art. 1. q. 3 cor. Et verit. q. 14. art. 7. Et ad Ro. 1. le. 6. co. 3.

AD QVARTVM ſic proceditur. Videtur quòd fides informis non fiat formata, nec è cōuerſo: quia vt dicitur. 1. ad Cor. 13. Cum venerit quod perfectum eſt, euacuabitur quod ex parte eſt, ſed fides informis imperfecta eſt reſpectu formatæ. ergo adueniente fide formata, fides informis excluditur, vt non ſit vnus habitus numero.

2 ¶ Præterea, Illud quod eſt mortuum, non fit viuum, ſed fides informis eſt mortua: ſecundum illud Iacob. 2. Fides ſine operibus mortua eſt. ergo fides informis non poteſt fieri formata.

3 ¶ Præterea, Gratia Dei adueniens non habet minorem effectū in homine fideli, q̄ in infideli. Sed adueniēs homini infideli, cauſat in eo habitū fidei. ergo etiā adueniens fideli, qui habebat

prius

prius habitum fidei informis, cauſat in eo alium habitum fidei.

3 ¶ Præterea, ſicut Boe. dicit. Accidentia alterari non poſſunt: ſed fides eſt quoddam accidens. ergo non poteſt eadem fides, quandoque eſſe formata, & quandoque informis.

¶ SED CONTRA eſt, quod Iac. 2. ſuper illud, Fides ſine operibus mortua eſt, dicit * Gloſſa, quibus reuiuiſcit. ergo fides, quæ erat prius mortua & informis, fit formata & viuens. *Glo. interlin. ibid.*

¶ RESPONDEO dicendum, quòd circa hoc fuerunt diuerſæ opiniones. Quidam enim dixerunt, quòd alius eſt habitus fidei formatæ & informis: ſed adueniente fide formata, tollitur fides informis. Et ſimiliter homine poſt fidem formatam peccante mortaliter ſuccedit alius habitus fidei informis à Deo infuſus. Sed hoc non videtur eſſe conueniens, quòd gratia adueniens homini aliquod Dei donum excludat, neque etiam, quòd aliquod Dei donum homini infundatur propter peccatum mortale. Et ideo alij dixerunt, quòd ſunt quidem diuerſi habitus fidei formatæ, & informis: ſed tamen adueniente fide formata, non tollitur habitus fidei informis; ſed ſimul manet in eodem cum habitu fidei formatæ. Sed hoc etiam videtur eſſe inconueniens, quòd habitus fidei informis, in habente fidem formatam, remaneat otioſus. Et ideo aliter dicendum, quòd idem eſt habitus fidei formatæ & informis. Cuius ratio eſt, quia habitus diuerſificatur, ſecundum illud quod per ſe ad habitum pertinet. Cum autem fides ſit perfectio intellectus, illud per ſe ad fidem pertinet, quod pertinet ad intellectum. Quod autem pertinet ad voluntatem, non per ſe pertinet ad fidem, ita quod per hoc fidei habitus poſſit diuerſificari. Diſtinctio autem fidei formatæ & informis eſt, ſecundum id, quod pertinet ad voluntatem, id eſt, ſecundum charitatem: non autem ſecundum illud quod pertinet ad intellectum. Vnde fides formata, & informis non ſunt diuerſi habitus.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quod verbum Apoſtoli eſt intelligendum, quando imperfectio eſt de ratione imperfecti. Tunc enim oportet, quòd adueniente perfectione imperfectum excludatur, ſicut adueniente aperta viſione excluditur fides, de cuius ratione eſt, vt ſit non apparentium. Sed quando imperfectio non eſt de ratione rei imperfectæ, tunc illud numero idem quod erat imperfectum, fit perfectū, ſicut pueritia non eſt de ratione hominis, & ideo idem numero qui erat puer, fit vir, informitas autem fidei non eſt de ratione rei perfectæ, ſed per accidens ſe habet ad ipſam, vt * dictum eſt. vnde ipſamet fides informis fit formata. *In cor. art.*

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd illud, quod facit vitam animalis, eſt de ratione ipſius: quia eſt forma eſſentialis eius, ſcilicet anima: & ideo mortuum fieri viuum non poteſt: ſed aliud ſpecie eſt, quod eſt mortuum, & quod eſt viuum. Sed id quod facit fidem eſſe formatam vel viuam, non eſt de eſſentia fidei, & ideo non eſt ſimile.

¶ Ad tertium dicendum, quòd gratia facit fidem, non ſolum quando fides de nouo incipit eſſe in homine, ſed etiam quamdiu fides durat. Dictum * eſt enim ſuprà, quòd Deus ſemper operatur iuſtificationem hominis, ſicut Sol ſemper operatur illuminationem aëris. Vnde gratia non minus facit adueniens fideli, quàm adueniens infideli: quia in vtroq; operatur fidem. In vno quidem confirmando *1.2.q.109. art.1. Et q.113. Et p.p. q.104. ar.1.*

& per-

& perficiendo, in alio de nouo creando. Vel poteſt dici, quòd hoc eſt per accidens, ſcilicet, propter diſpoſitionem ſubiecti, quòd gratia non cauſat fidem, in eo qui habet, ſicut è contrario ſecundum peccatum mortale non tollit gratiam ab eo, qui eam amiſit per peccatum mortale præcedens.

¶Ad quartum dicendum, quòd per hoc, quòd fides formata ſit informis, non mutatur ipſa fides, ſed mutatur ſubiectum fidei, quod eſt anima, quod quandoque quidem habet fidem ſine charitate, quandoque autem cum charitate.

SVMMA TEXTVS.

ANteaquam Diuus Thomas reſpondeat, præmittit varias de hac re fuiſſe ſententias. Quidam enim dixerunt, quòd fides formata, & informis ſunt duo habitus diſtincti, quorum vno adueniente, alter corrumpitur. Sed hæc ſententia ſuſtineri non poteſt: falſum eſt enim, quòd gratia homini adueniens aliquod Dei donũ excludat. Quo circa alij dixerunt, quòd fides formata & informis ſunt diſtincti habitus, ſed vno adueniente alter non corrumpitur. Cæterum nec hæc ſententia poteſt eſſe vera, quia habitus fidei informis, in habente fidem formatam, omnino eſſet ſuperfluus. Vnde contra hos omnes ſit concluſio. Vnus atque idem habitus fidei poteſt eſſe formatus & informis. Et probatur. Nam habitus tantum poſſunt diuerſificari per id, quod per ſe conuenit illis, ſed eſſe formatam, aut informem, non per ſe conuenit fidei, ergo per hoc non poteſt fieri eius diſtinctio. Conſequentia cum maiori eſt nota, & minor probatur. Nam fidei per ſe tantum conuenit illud, quod pertinet ad intellectum, cum ſit habitus intellectualis: ſed eſſe formatam, aut informem non habet ab intellectu, ſed à charitate, quæ ſubiectatur in voluntate, ergo.

EXPLICATIO articuli.

CIrca concluſionem huius articuli eſt difficultas, de eius veritate. In qua re nobis eſt concertatio cum Lutheranis, qui vt refert Caſtro lib. de hæreſ. verbo, fides. hæreſ. 3. dicebant, fidem per quodcunque peccatum mortale amitti, & ſic quod diſtinctio de fide formata, & informi fuit adinuenta ab ſcholaſticis, magno cum detrimento Eccleſiæ. Habuitque ortum iſte error ex alio priori. Dicebant enim, quòd ſola fide iuſtificabantur homines: ex quo neceſſario ſequebatur, nullam eſſe fidem, neque eſſe poſſe, quæ non ſit formata. Et probabant ſuam ſententiam primò, pluribus teſtimonijs ſacræ ſcripturæ, quibus noſtra iuſtificatio ſoli fidei tribuitur. Quale eſt illud ad Roma. 3. Arbitramur hominem iuſtificari per fidem, non ex operibus: & ad Roma. 5. Iuſtificati gratis per fidem ipſius: & rurſus. Gratia ſaluati eſtis per fidem, & hoc non ex vobis, donum enim Dei eſt: & alia huiuſmodi.

Dubium. *Sententia Lutheranorũ.* *1. Arg. ex teſtimonijs ſcripturæ.*

¶Item ratione idem probatur. In peccatoribus non manet vera fides, ergo fides formata, & informis nòn diſtinguuntur. Conſequentia eſt nota, & antecedens probatur ex Diuo Gregorio, qui homil. 29. ſuper Euangelia dicit, Vera fides eſt, quando id, quod verbis dicitur, moribus & vita confirmatur. Et Diuus Cyprianus in lib. de ſimplicitate clericorum dicit, Quid dicis te habere fidem, ſi præcepta Chriſti facere non vis? Et Diuus Hierony. ad Galat. 6. Si dilectio longè abſuerit, ſtatim diſcedet fides. ¶Et confirmatur, Homo viuus non èſt idem cum homine mortuo, ergo nec fides mortua eſt eadem cum fide viua: ſed fides informis eſt mortua, iuxta illud Apoſtoli, Fides ſine operibus mortua eſt: ergo in peccatoribus nòn manet vera fides.

2. Arg. ex ratione. *Confirmatio*

¶Vltimo, Virtutes morales infuſæ recedẽte charitate recedunt, vt omnes Theologi fatentur, ſed fides eſt virtus infuſa, ergò etiam recedit recedente charitate, atque ex conſequenti in peccatoribus nõ manet. Patet conſequentia, quia eadem eſt omniũ ratio.

Vltimũ argumentum.

¶His tamen non obſtantibus dico, eſſe de fide, quòd fides poteſt manere informis abſque charitate, imò manet in peccatoribus, qui per peccatum mortale charitatẽ amittunt, & non fidem. Nihil nunc diſputamus, vtrum fides ſine charitate ſit virtus, de hoc enim dicemus articulo ſequẽti, ſed quod dicimus eſt, quòd fides ſine charitate eſt vera fides. Hæc eſt expreſſa deter-

Fides manet ſine charitate.

determinatio concilij Trident. ſeſsione.6. canone.28. vbi dicitur, Si quis dixerit amiſſa per peccatum gratia ſimul etiam fidem ſemper amitti, aut eam, quæ remanet, non eſſe veram fidem, licet non ſit viua, anathema ſit. Et idem diffinitur cap.15. Quod & probatur apertis teſtimonijs ſacræ Scripturæ, quorũ primũ habetur Matthæ.7. Vbi Chriſtus dixit, Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, ſed qui facit voluntatem patris mei, qui in cœlis eſt, ipſe intrabit in regnum cœlorum. Et ſubdit ſtatim, multi dicent mihi in illa die, Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, quia nunquam noui vos, diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem, &c. Ex quibus verbis apertè conſtat eos, quos Chriſtus alloquitur, eſſe in peccato mortali: excluduntur enim à regno Dei, à quo nullus vnquam ſine peccato mortali fuit repulſus, & tamen iidem habebant fidem, qua Chriſtum confitebantur Dominum, & in cuius nomine prophetabant, & dæmonia eijciebant, virtuteſq; faciebant multas, ergo fides poteſt manere ſine charitate. Et quod iſte fuerit legitimus ſenſus illorum verborum, probat Caſtro lib.7. de hæreſi. verbo, fides, hæreſi. ſecũda, teſtimonijs Theophylacti, Hieronymi, atque Baſilij. Item illa parabola de decem virginibus à Saluatore noſtro apud Matth.25. poſita, apertiſsimum etiam de hac re nobis præbet teſtimonium. Nam vox illa quinq; fatuarum virginum clamitantium, Domine, Domine aperi nobis, apertè demonſtrat illas habuiſſe fidem. Quod autem caruerint charitate, vel ex illo conſtat, quod clauſa fuit illis ianua: & etiam ex illo, quod ſponſus dixit illis, Neſcio vos. Et certe D. Chryſoſtomus homil.54. ſuper Matthæũ ex hac parabola colligit, fidem non amitti per quodcunq; peccatum mortale: & quod virgines illæ fuerint deceptæ, putantes ſolam fidem ſatis eſſe ad iuſtificationem. Item apud Ioannem cap.1. dicitur. Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, ijs, qui credunt in nomine eius. Vbi eſt ponderandum, quod non dixit Apoſtolus, illos, qui credunt in nomine eius, eſſe ſtatim filios, ſed dixit dediſſe eis poteſtatem, vt poſſent fieri filij Dei. Quibus verbis apertè oſtendit, fidem eſſe initium adoptionis in filium, non autem perfectam, fieri adoptionem per fidem. Præterea, illa parabola regis facientis nuptias filio ſuo, hoc ipſum apertiſsime demonſtrat. Nam, in illo nuptiarum conuiuio fuit quidam non indutus veſte nuptiali, quem rex reprehendit, quia ſine veſte nuptiali nuptias intrauerit, & præcepit miniſtris, vt ligatis pedibus, & manibus mitterent illum in tenebras exteriores, vbi erit fletus & ſtridor dentium. Quam parabolam interpretans Theophylactus ſuper Matthæum dicit, Ingreſſus ad nuptias ſine dijudicatione fidei: gratia enim ſola omnes vocati ſunt, tam boni, quàm mali. At vita eorum, qui ingreſsi fuerint poſthac non indiſquiſita erit, ſed examen valde magnum facit Rex eorum, qui poſt ingreſſum in ſordido habitu inueniuntur. Horreamus igitur cogitantes, quia, niſi quis vitam habeat puram, nihil ei proderit nuda fides: non ſolum enim è nuptijs eijcitur ſed in ignem mittitur. Hæc Theophylactus. Eidem ſententiæ ſubſcribit Diuus Gregorius homilia ſuper illam parabolam Euangelij. & Diuus Hieronymus in commentarijs ſuper Matth. Tandem noſtra ſententia probatur ex illo Ioannis cap.12. Vbi dicitur, quod ex principibus multi crediderunt in eum, ſed propter Phariſæos non confitebantur, vt ex Synagoga non eijcerentur: dilexerunt enim gloriam hominum, magis quam gloriam Dei. Ex quibus verbis apertè conſtat illos, de quibus Euangeliſta loquitur, fidem habuiſſe, & non charitatem: quia cùm rectè crediddiſſent timore Phariſæorum perterriti non audebant ore Chriſtum confiteri, ergo fides poteſt eſſe ſine charitate. Imo de facto manet in peccatoribus. Et ratiò eſt manifeſta. Nam quidditas & eſſentia fidei, non ſolùm eſt alia ab eſſentia charitatis, ſed natura ſua prior, neque ab illa dependens: tota enim eſſentia fidei, vt in ſuperioribus diximus, conſiſtit in intellectu, cuius operatio præcedit operationem voluntatis, ergo nihil vetat, quò minùs fides & prius gigni poſsit, quàm charitas, & illa abeunte ſupereſſe. Communiter etiam adduci ſolet ad hanc ſententiam probandam illud teſtimonium Pauli.1. ad Corint.13. Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum. Vbi videtur ſupponere, quod fides

poteſt

poteſt eſſe ſine charitate. Tamen eo loco Apoſtolus non agit de fide pro credulitate, ſed de fide pro fiducia, quę eſt donum Dei, & cui promiſſa fuit poteſtas efficiendi miracula, iuxta illud Matth. 17. & Lucæ. 17. Si habueritis tantã fidem ſicut granum ſinapis, dicetis huic arbori moro, eradicare & transplantare in mare, & obediet vobis. Et ſic nihil facit ad hoc propoſitum. De hac re videndus eſt Caſtro vbi ſupra: & Soto lib. 2. de natura & gratia. c. 7. & Vega in Concil. Trident. lib. 14. c. 8. 9. & 10. & Roffenſis contra Lutherum art. 12. Vtrùm autem illa fides, quæ remanet in peccatore, amiſſa charitate, ſit idem numero habitus, qui antea erat, vel alius de nouo infuſus, de hoc nihil eſt determinatum de fide. Opinio tamen, quam tenet D. Tho. in hoc articulo, eſt adeo vera, vt oppoſita ſit temeraria, propter rationem ipſius.

Fides formata & informis eſt idem habitus.

¶Sed reſtat vt reſpondeamus ad argumenta in contrarium facta. Ad primum reſpondetur primò, quod illa teſtimonia, & ſimilia debent intelligi de fide formata per charitatẽ. Vel ſecundò reſpondetur, φ in ſacris literis fidei tribuitur iuſtificatio, quia eſt initium illius, vt explicant Patres Concil. Trident. ſeſſio. 6. cap. 8. Ita etiam reſpondet D. Tho. ad hoc argumentum, de veritate, quæſt. 14. art. 5. ad. 12. argumentum.

Ad. 1. arg.

¶Ad ſecundum reſpondetur diſtinguendo antecedens. Dupliciter enim poteſt dici aliquid verum. Vno modo quantum ad ſuam eſſentiam atque ſpeciem, quomodo dicimus verè hominem illum, qui verè habet naturam hominis: & hac ratione fides quæ eſt in peccatoribus proculdubio eſt vera fides, vt conſtat ex determinatione concilij Tridentini. Alio modo dicitur verum illud, quod habet omnem vim atq; efficaciam, quam ſecundum ſuam ſpeciem poteſt habere: & hac ratione certum eſt, φ fides informis non eſt vera fides, cum non habeat omnem vim atque efficaciam, quã habet adiuncta charitati. Et ad iſtum ſenſum ſunt intelligendi Sancti, quando dicunt fidem informem non eſſe veram fidem.

Ad. 2. arg.

¶Ad confirmationem reſpondetur conceſſo antecedenti, negando conſequentiam. Nam fides non ſe habet reſpectu charitatis ſicut homo reſpectu animæ [illegible] anima enim eſt pars eſſentialis hominis, & ſic ſine illa non poteſt eſſe idem numero homo, qui antea erat. At verò charitas non eſt pars eſſentialis fidei, ſed tantum forma extrinſeca, tribuens illi eſſe virtutis: & ideò eadem numero fides, quæ antea erat cum charitate, poteſt etiam manere ſine charitate.

Ad cõfirmationem.

¶Ad vltimum reſpondetur conceſſo antecedenti, negando conſequẽtiam. Nam virtutes morales infuſæ, quia connexæ ſunt charitati, & ab ea dependent in fieri, & in conſeruari, vt docet Diuus Tho. 1. 2. quæſtio. 65 art. 2. 3. & 4. corrumpuntur corrupta charitate: cæterùm fides, atque ſpes, quia nec ſunt connexæ cum charitate, nec ab illa dependent, ſicut nullum prius dependet à ſuo poſteriori, poſſunt manere & de facto manent in peccatoribus amiſſa charitate. Poterat tamen rurſus dubitari, vtrum fides cum primùm infunditur poſſit eſſe informis, de hoc autem infra art. 7. huius quæſtionis.

Ad vltimũ argumentũ.

¶Circa rationem, qua D. Tho. probat ſuam concluſionem, vt meliùs intelligatur aduertendum eſt, quod quanuis bona voluntas ſit ſimpliciter neceſſaria ad credendum, nullus enim ſine pia affectione voluntatis credere poteſt, vt iam diximus, tamen voluntas perfecta per charitatem non eſt ſimpliciter neceſſaria ad credendum, ſed tantum ad perfectè credendum. Ex quo fit, vt perfectione voluntatis deficiente non deficiat fides, quæ non ex perfecta voluntate, ſed tantum ex pia & bene affecta pendet: & ſic conſtat quòd recedẽte charitate remanet vera fides.

Nota pro intelligẽtia rationis D. Tho.

¶Circa ſolutionem ad quartum eſt aduertendum, quod melius atque conuenientius diſſolui poterat, ſi diceremus, quòd fides non mutatur per acceſſum, aut receſſum charitatis: idem enim habitus manet recedente charitate, quantum ad ſuam ſubſtantiam, & intenſionem, qui antea erat: ſed ſolum mutatur, quantùm ad actum, qui non eſt ità perfectus ſicut antea erat. Et ratio eſt, quia, cùm actus fidei ſit ab intellectu moto per voluntatem, vt ſupra diximus, idcirco quantò minus perfecta eſt voluntas per charitatem, tantò imperfectiùs habitus fidei poteſt ſuos actus exercere.

Nota circa ſolutionem ad 4 argum.

ARTICVLVS. V.

¶Vtrùm fides ſit virtus.

ADQVINTVM ſic proceditur. Videtur quòd fides non ſit

Prima ſecũdæ q. 65. artic. 4.

ſit virtus. Virtus enim ordinatur ad bonum. Nam virtus eſt, quæ bonum facit habentem: vt dicit Philoſophus in ſecundo.* Ethic. ſed fides ordinatur ad verum, ergo fides non eſt virtus.

Et.3.diſt.23 2.ar.4.q.1. & q.3.art. 3.q.2 ... ad.3.q.4.ar.3 & 6. Lib.2.Eth.c. 6.to.5.

2 ¶Præterea, Perfectior eſt virtus infuſa, quam acquiſita. Sed fides propter ſui imperfectionem non ponitur inter virtutes intellectuales acquiſitas, vt* patet per Philoſophum in ſexto Ethico. Ergo multò minus poteſt poni virtus infuſa.

Lib.6 Eth.c.3.circa prin.to.5. q.1. artic.3. Ar.praeced.

3 ¶Præterea, Fides formata, & informis ſunt eiuſdem ſpeciei, vt dictũ* eſt: ſed fides informis non eſt virtus, quia non habet cõnexionem cum alijs virtutibus: ergo nec fides formata eſt virtus.

4 ¶Præterea, Gratię gratis datę & fructus diſtinguuntur à virtutibus, ſed fides enumeratur inter gratias gratis datas. 1. ad Corinth. 12. & ſimiliter inter fructus, ad Galat. 5. ergo fides non eſt virtus.

¶SED CONTRA eſt, quod homo per virtutes iuſtificatur. Nam iuſtitia eſt virtus, vt dicitur in. 5. Ethico, *ſed per fidem homo iuſtificatur: ſecundum illud ad Roma. 5. Iuſtificati ergo ex fide, pacem habemus, &c. ergo fides eſt virtus.

Lib.5.Eth.c. 1.to.3.

¶RESPONDEO dicendum, quòd ſicut ex prædictis *patet, virtus humana eſt, per quam actus humanus redditur bonus: vnde quicunque habitus eſt ſemper principium boni actus, poteſt dici virtus humana. Talis autem habitus eſt fides formata. Cũ enim credere ſit actus intellectus aſſentientis vero, ex imperio voluntatis, ad hoc quòd iſte actus ſit perfectus duo requiruntur: quorum vnum eſt, vt infallibiliter intellectus tendat in ſuum bonum, quod eſt verum. Aliud autem eſt, vt infallibiliter ordinetur ad vltimum finem, propter quem voluntas aſſentit vero: & vtrumque inuenitur in actu fidei formatæ. Nam ex ratione ipſius fidei eſt, quòd intellectus ſemper feratur in verum: quia fidei non poteſt ſubeſſe falſum, vt ſuprà *habitum eſt. Ex charitate autẽ, quæ format fidem, habet anima, quòd infallibiliter voluntas ordinetur in finem bonum: & ideo fides formata eſt virtus. Fides autem informis non eſt virtus, quia etſi habeat perfectionem debitam actus fidei informis ex parte intellectus, non tamen habet perfectionem debitam ex parte voluntatis, Sicut etiam, ſi temperantia eſſet in cõcupiſcibili, & prudentia non eſſet in rationali, temperantia non eſſet virtus, vt ſuprà *dictum eſt, ſed ad actum temperantiæ requiritur actus rationis, & actus concupiſcentiæ, ſicut ad actum fidei requiritur actus voluntatis, & actus intellectus.

1.2.q.55.artic.3.& 4. Q.1.art.3. 1.2.q.58.artic.4.& q.65.art.1.

¶AD PRIMVM ergo dicendum, quòd ipſum verum eſt bonum intellectus, cum ſit eius perfectio: & ideo inquantum per fidem intellectus determinatur ad verum, fides habet ordinẽ in bonum quoddam: ſed vlterius inquantum fides formatur per charitatem, habet etiam ordinem ad bonum, ſecundũ quod eſt voluntatis obiectũ.

¶Ad ſecundum dicendum, quòd fides de qua Philoſoph. loquitur, innititur rationi humanæ, non ex neceſſitate concludenti, cui poteſt ſubeſſe falſum: & ideo talis fides non eſt virtus, ſed fides de qua loquimur, innititur veritati diuinæ, quæ eſt infallibilis: & ita non poteſt ei ſubeſſe falſum. Et ideo talis fides poteſt eſſe virtus.

¶Ad tertium dicendum, quòd fides formata & informis non differunt ſpecie, ſicut in diuerſis ſpeciebus exiſtentes: differunt autem, ſicut perfectum, & imperfectum in eadem ſpecie: vnde fides informis, cum ſit imperfecta, non pertingit ad perfectam rationem virtutis. Nam virtus eſt perfectio quędam, vt dicitur in. 7.* Phyſic.

¶Ad quartum dicendum, quòd quidam

dam ponunt, quòd fides, quæ connumeratur inter gratias gratis datas, eſt fides informis. Sed hoc non conuenienter dicitur, quia gratiæ gratis datę, quę ibi enumerantur, non ſunt communes omnibus membris Eccleſię, vnde Apoſtolus ibi dicit. Diuiſiones gratiarum ſunt. Et iterũ, Alij datur hoc, alij datur illud. Fides autem informis eſt communis omnibus membris Eccleſiæ, quia informitas non eſt de ſubſtãtia eius, ſecundũ quod eſt donum gratuitum. Vnde dicendum eſt, quod ſumitur ibi pro aliqua fidei excellentia, ſicut pro cõſtantia fidei, vt dicit glo. vel pro ſermone fidei. Fides autẽ ponitur fructus, ſecundum quod habet aliquam delectationem in ſuo actu ratione certitudinis. Vnde ad Galatas. 5. vbi enumerantur fructus, exponitur fides de inuiſibilibus certitudo.

Gl. inter lin. ibid.

1. S V M M A T E X T V S.

SVPPOSITO, quòd virtus fidei poteſt cõſiderari dupliciter, vno modo vt formata charitate, alio modo vt informis, reſpondet D. Th. per duas concluſiones. Prima cõcluſio, Fides formata eſt virtus. Et probatur, nam quicunque habitus, qui eſt principium actus boni eſt virtus humana, ſed fides formata charitate eſt huiuſmodi, ergo. Conſequentia eſt nota, & maior patet ex eo, ꝙ virtus humana dicitur illa, per quã actus humanus bonus redditur. Minor verò probatur: quia cùm credere ſit actus intellectus dependens à voluntate, ad eius bonitatẽ atque perfectionem duo erũt neceſſaria, vnum ex parte intellectus, quo infallibiliter tendat in verũ, quod eſt obiectum intellectus: alterum autem ex parte voluntatis, quo infallibiliter ordinetur in vltimum finem, qui eſt propter quem voluntas operatur, ſed in actu fidei formatæ inuenitur vtrunque, ergo fides formata eſt virtus. ℭ Secunda cõcluſiõ, Fides informis non eſt virtus. Probatur: nam quanuis eius actus habeat perfectionem ex parte intellectus, quantum ad hoc, quod tendit in verũ, non tamen habet perfectionem ex parte voluntatis, quantum ad hoc, quod ordinetur in vltimum finem, ergo fides informis non eſt virtus. Idem declarat D. Th. exemplo temperantiæ, quæ quanuis eſſet in concupiſcibili, ſine prudentia tamen non eſſet virtus,

EXPLICATIO ARTICVLI.

CIRCA iſtum articulum eſt grauis difficultas, de veritate vtriuſque concluſionis, vtrùm, ſcilicet, verum ſit, quòd fides formata charitate eſt virtus, & fides informis non eſt virtus? Ad cuius intelligentiam eſt aduertendum primò, quòd virtutes ſunt in duplici differentia. Quædam enim ſunt, quæ ordinantur ad conſequendum aliquod bonum particulare, ſcilicet, perfectionem alicuius potentiæ particularis, quales ſunt illæ, quæ ordinantur ad cõſequendum verum, quod eſt bonum particularis potentiæ, ſcilicet, intellectiuæ. Aliæ autẽ ſunt, quæ ordinantur ad bonum vniuerſale totius hominis, quales ſunt illæ, quæ ordinantur ad bonum vltimum, & finem conſequendũ. Nam, quanuis finis ſit proprium obiectum voluntatis, quia tamẽ voluntas eſt potentia vniuerſalis, & appetitus totius hominis, & eius obiectũ eſt id, quod in vniuerſum conducit toti homini, fit, vt virtutes, quæ ordinantur in bonum, & finem vltimum, bonum vniuerſale totius hominis reſpicere dicantur. Prioris generis virtutes appellantur intellectiuæ, & tantum ſubiectantur in intellectu: at verò virtutes ſecũdi generis appellantur morales, vel theologicæ, & ſubiectantur, partim in intellectu, partim in volũtate, & partim in appetitu ſenſitiuo, differuntq; plurimũ inter ſe ſe, vt docet D. Tho. 1. 2. q. 56. arti. 3. Nã virtutes intellectuales, eũ, in quo ſunt, non efficiunt bonũ ſimpliciter, ſed bonũ ſecundum quid, ſcilicet, bonum, vel theologum, vel philoſophum: cæterum virtutes morales efficiunt eum, in quo ſunt, bonũ ſimpliciter. Et ratio eſt, quia cum id, quod contingunt, & conſequuntur virtutes intellectuales, nõ ſit bonum vniuerſale perficiens totum hominem, ſed bonum particulare perficiens particularem potentiam, nõ poſſunt efficere bonum ſimpliciter, at verò virtutes morales & theologicæ, quia attingunt vltimum finem, qui eſt bonum vniuerſale, in quo totius hominis fœlicitas conſiſtit, fit, vt illum, in quo ſunt efficiant & denominent bonum ſimpliciter.

Grauis difficultas.

Differentia quæ eſt inter virtutes intellectuales & morales.

ℭ Secundò eſt aduertendum, ꝙ fides vtroque modo poteſt conſiderari, ſcilicet, 2. *Notabile.*

vt virtus intellectualis, in quantũ perficit intellectum in ordine ad cognoſcendũ verum ſupernaturale, & vt virtus Theologica, quatenus per ſuum actum attingit vltimum finem. Primum habet fides ex natura ſua: ſecundum autem habet ex cõſortio charitatis, cuius propriũ munus eſt, actus fidei & omnium aliarum virtutum dirigere in vltimum finem.

¶ His ergo cõſtitutis dico, quòd propoſita difficultas de fide vtroq; modo ſumpta poteſt intelligi, ita, vt quæramus, vtrũ fides formata ſit virtus, non ſolùm Theologica, ſed etiã intellectualis? & vtrum fides informis ſit virtus ſaltim intellectualis? Nã quantum ad vtrumq; ſunt de hac re variæ

1. Sententia Durandi. doctorum ſententiæ. Durandus enim in 3. diſt. 23. q. 6. ſuppoſita diſtinctione de virtute largo modo ſumpta, quæ eſt, quicũq; habitus inclinans ad bonum actum, & de virtute propriè dicta, quæ eſt habitus conſtituens potentiam in vltimo gradu perfectionis ſuo actui debitæ, dicit tria. Primum eſt, quod fides, ſiue formata, ſiue informis, eſt virtus largo modo, quia vtraq; inclinat ad cognoſcendum verum ſupernaturale, quæ cognitio eſt bona. Secundo dicit, quod fides, ſiue formata, ſiue informis, non eſt virtus propriè dicta, quia neutra ponit intellectum in ſupremo gradu cognitionis, quam poteſt habere. Tertio dicit, ꝙ fides formata non eſt magis propriè virtus, quàm fides informis, cum charitas extrinſecè ſe habeat ad ipſam fidẽ.

Sententia Caietani. ¶ Cæterũ Caietanus aliter diſtinguit: dicit enim, ꝙ fides, ſiue formata ſiue informis, nõ eſt ſimpliciter virtus intellectualis. Idq; probat ex eò, quòd non conſtituit intellectum in eſſe perfecto, reſpectu veri: nam licèt per fidem aſſentiatur intellectus vero infallibiliter, non tamen aſſentitur vero euidenter. Ex quo fit, vt non ſit virtus intellectualis. At verò fides formata eſt ſimpliciter virtus Theologica: quia per illam homo attingit Deum & ſummum bonum & vltimum finem. Sententiã Caietani ſequitur Gabriel in 3. diſtin. 23. q. 2. & eſt valdè probabilis:

Vera ſententia declarat. quãuis probabiliorem exiſtimo eam, quæ aſſerit fidem formatam eſſe virtutem, non ſolum theologicam, ſed etiam intellectualem.

1. Notabile. Ad cuius explicationem eſt aduertendum primo, quòd virtus eſt perfectio potẽtiæ circa ſuum obiectum, hoc eſt, facultas tribuens potentiæ vim, vt ſuum obiectum attingat, & conſequi poſsit. Non tamen eſt de ratione virtutis, vt per illam potentia attingat ſuum obiectum omni ratione, qua poteſt illud attingere, & quantum poſsibile eſt: ſed ſufficit, vt illũ attingat, quantùm poteſt attingi ſecundum ſtatum & conditionem eius, qui operatur. Vt, verbi gratia, ad hoc, vt habitus ſcientificus, qui eſt in homine, ſit virtus intellectualis, nõ eſt neceſſe, vt per illum intellectus ità perfectè attingat & cognoſcat verum, ſicut cognoſcitur ab Angelo, vel ab aliqua perfectiori natura, ſed ſufficit vt tribuat homini facultatem cognoſcendi verum quantum optimè ab homine, pro iſto ſtatu, poteſt cognoſci.

¶ Secundò eſt aduertẽdum, ꝙ fides nõ *2. Notabile.* ſolùm dirigitur, & ordinatur à charitate in vltimum finem, ſicut aliæ virtutes, ſed etiã ab eadem habet perfectionem, robur, & firmitatem in operãdo. Et ratio eſt, quia cùm credere ſit actus volũtatis dependens, non ſolùm ab intellectu, ſed etiam à voluntate, ſicut ad ſimpliciter credendum requiritur volũtas, ità etiam ad perfectè credẽdum requiritur perfecta volũtas. Perficitur autem voluntas per charitatem: ex quo fit, vt de primo ad vltimum, ad perfectè credendũ ſit neceſſaria charitas, quæ det fidei perfectionem, robur, & firmitatẽ, in operando. Quod ità eſſe, præter quàm, ꝙ conſtat quotidianis experimentis, multi enim, propterea ꝙ diu permanſerunt extra charitatem, amiſerũt fidem, probatur etiam ex Paulo 1. ad Timoth. 1. dicente, Habentes bonam conſciẽtiam, quam quidam repellentes circa fidem naufragauerunt.

¶ His poſitis ſit. 1. cõcluſio. Fides forma *1. Concluſio.* ta charitate eſt ſimpliciter virtus, non ſolũ Theologica, ſed etiã intellectualis. Et quidem ꝙ ſit virtus Theologica eſt res manifeſta: nam habet Deum pro obiecto & pro fine: atq; ex conſequẽti perficit hominem in ordine ad vltimũ finem. Quod verò ſit virtus intellectualis probatur: nam perficit intellectũ in ordine ad verum ſupernaturale, quantũ pro iſto ſtatu perfici poteſt, ſed hoc ſatis eſt ad virtutẽ intellectualẽ, ergo. Conſequentia eſt nota, & minor patet ex primo notabili. Maior verò probatur, quia per fidem habemus de vero ſupernaturali eam cognitionem, quam in hac vita poſſumus habere, ergo fides perficit intellectum in ordine ad verum ſupernaturale maiori perfectione, quàm pro iſto ſtatu perfici poteſt. Et confirmatur. Nam præſtantior atq; perfectior eſt tenuis & imperfecta cognitio

tio de rebus diuinis, & ſupernaturalibus, quàm ſcientia perfecta de rebus inferioribus: ſed ſcientia perfecta de rebus inferioribus eſt virtus intellectualis, ergo. Conſequentia cum minori eſt nota, & maior probatur: nã cognitio de rebus diuinis magis perficit noſtrum intellectum, & prætereà affert plures vtilitates, vt conſtat ex Ariſtotele. 10. Ethico. & de hiſtoria animalium, & ex Cicerone, lib. 4. de finibus, ergo.

2. Concluſio. ¶ Secunda cõcluſio, Fides informis, ſimpliciter loquendo, nec eſt virtus Theologica, nec intellectualis. Et quidem quòd non ſit virtus Theologica patet: nam non perficit nos in ordine ad vltimũ finẽ, nec facit bonum habentem, nec opus eius perfectum reddit, iuxta illud. 1. ad Corinth. 13. Si habuero omnem fidem, charitatem autem non habuero, nihil ſum. Quòd verò nec etiã ſit virtus intellectualis probatur: quia licet perficiat intellectum ad cognoſcendum verum ſupernaturale, quantum pro iſto ſtatu poteſt cognoſci, tamen ſine charitate nõ habet ſtatum virtutis, quia nõ habet firmitatẽ in operando in omni euentu, quæ neceſſaria eſt ad rationem virtutis, ergo.

1. Argu. cõtra poſitas cõcluſiones. ¶ Sed contra iſtas concluſiones ſunt aliquot argumenta. Primum eſt, fides etiam formata charitate, nõ perficit intellectum in ſuo actu quantùm perficere poteſt, cùm aſſenſus fidei ſit obſcurus, & perfectio intellectus conſiſtat in eo, quod lucidè & ſine errore ſuum obiectum cognoſcat: ergo fides, etiam formata, non eſt virtus intellectualis. *2. Argum.* ¶ Secundo ſic argumentor, Fides formata non elicit perfectiorem actum, quam ſine charitate: ergo vel formata non eſt virtus, vel informis erit virtus. Conſequentia eſt nota, & antecedens probatur, nam charitas nihil tribuit fidei, quod pertineat ad intellectum, ergo fidei aſſenſus nõ erit perfectior cũ charitate, quàm ſine illa. *3. Argum.* ¶ Tertiò, Accidentia alterari non poſſunt, ſed fides eſt quoddã accidẽs: ergo ex acceſſu, vel receſſu charitatis mutari nõ põt, atq; ex cõſequẽti, ſi ſine charitate nõ eſt virtus, cum illa non erit virtus. *4. Argum.* ¶ Quartò, A fide formata poteſt proficiſci aliquis actus, qui ſit malus, ſaltem venialiter, ergo fides, etiã formata, non eſt virtus. Conſequentia tenet, quia, vt docet D. Tho. in hoc articulo de ratione habitus honeſti eſt, vt ſemper eliciat bonum actum. Antecedens verò probatur, ſuppoſito caſu, quòd homo exiſtens in gratia ex vana gloria exerceat actum fidei, tunc ille actus procul dubiò eſt peccatum veniale, & proficiſcitur à fide formata: ergo.

Ad. 1. arg. ¶ Ad primum reſpondetur negando, quod fides non perficiat intellectum, quãtum pro iſto ſtatu perfici poteſt in ordine ad verum ſupernaturale, vt diximus in ſuperioribus: & hoc ſatis eſt ad rationem virtutis. *Ad. 2. arg.* ¶ Ad ſecundum reſpondetur negando antecedens. Et ad probationem dico, quod charitas facit, vt fides eliciat actum perfectiorem, & quãtum ad modum, quia facit, vt promptiùs, & firmiùs operetur, & quantũ ad finem operationis, in quo præcipuè conſiſtit ratio veræ virtutis, vt ex dictis patet: præterquam quòd etiam dicere poſſumus, quòd charitas intrinſecè reddit actum fidei perfectiorem. Nam cum actus fidei intrinſecè dependeat ab intellectu, & à voluntate, fit conſequens, vt charitas, quę perfectio eſt voluntatis, intrinſecè perficiat actum fidei. Vnde dico, quòd quemadmodum prudẽtia, quæ eſt in ratione, eſſentialiter perficit actum temperantiæ exiſtẽtis in appetitu ſenſitiuo: quia actus temperantiæ intrinſecè dependet in eſſe virtutis à prudentia: ita etiam charitas, quamuis ſit extrinſeca fidei, intrinſecè perficit actum illius, in quantum eſt perfectio voluntatis, à qua intrinſecè & eſſentialiter fides dependet. Ita docet D. Tho. de veritate. q. 14. artic. 3. ad. 10. argumentum. *Ad. 3. arg.* ¶ Ad tertium argumentum reſpondetur, quòd quamuis habitus fidei in ſua intenſione nihil acquirat, nec amittat ex conſortio, vel receſſu charitatis, tamen quantum ad exercitium actus, & operationem, plurimũ amittit ex receſſu illius. Quia, cùm actus fidei proficiſcatur ab intellectu voluntate concurrente, quantò minùs perfecta fuerit volũtas, tantò minus perfectè & minus promptè exercebit ſuum actum. Eſt autem illa promptitudo de ratione virtutis, quamuis non ſit de ſubſtantia, aut intenſione actus.

Dubium. ¶ In quarto argumento tangitur difficultas, vtrum fides formata poſſit elicere actum malum? De qua re ſunt tres opiniones. *1. Sententia.* Prima eſt, quòd fides nec formata, nec informis poteſt elicere actum malum. Et ratio eſt, quia fides ſemper operatur ex auxilio ſpeciali, eſt autem inconueniens, quòd Deus tali auxilio ad malum concurrat.

2. Sententia. ¶ Secunda ſententia eſt, quod fides formata non poteſt elicere actum malum, bene

tamen fides informis, cum non ſit virtus. Hanc ſententiam videtur tenere Caietanus in hoc articulo ad.2. &.1.2. q.55. art 4.

3. *Sententia,* ¶ Tertia ſententia eſt, quod fides tam formata, quam informis poteſt elicere actũ malum, quæ proculdubio eſt probabilior.

1. *Notabile.* ¶ Vnde ad explicationem illius eſt aduertendum, quòd fides poteſt conſiderari dupliciter. Vno modo vt fides eſt: alio modo vt eſt virtus. Et quidem in quantum fides eſt, habet, quòd inclinet in verum ex autoritate diuina, nec pertinet ad fidem, quatenus talis eſt, efficere rectam volũtatem credentis, vt docet D. Thom. 2.2. q.47. art.3. ad.2. quia ratio fidei, vt ſic, tantum conſiſtit in cognitione. Habet autem, quòd ſit virtus, in quantum ex motione charitatis id ipſum, quod credit & cognoſcit, prõptè & delectabiliter refert in vltimum finem. Ex quo infero primò, quod ille habitus ex ſua natura & intrinſece habet, quod ſit fides: quod autem ſit virtus ex charitate extrinſecus adueniente. Infero ſecũdò, quòd ille habitus nec poteſt deſinere eſſe fides, nec poteſt elicere actum, qui non ſit credere: tamen poteſt deſinere eſſe virtus, & elicere actum, qui non ſit ſtudioſus, aut honeſtus, recedente, ſcilicet, vel non mouente charitate.

2. *Notabile.* ¶ Secundò eſt aduertẽdum, ꝙ, quia habitibus vtimur cùm volumus, poteſt fieri, vt qui habet charitatem non vtatur illa ad actum fidei exercendum, ſed excitetur ad credendum ex alterius, vel habitus, vel paſsionis affectu. Nam quemadmodum, qui caret charitate, poteſt velle credere ex inani gloria, ita etiam exiſtens in gratia poteſt velle credere ex eadem cupiditate vanæ gloriæ: cùm talis cupiditas non repugnet charitati, & habitus fidei tunc eſt formatus charitate, ſed nõ mouetur ab illa ad operandum.

1. *Conclus.* ¶ His igitur conſtitutis ſit prima concluſio: Fides formata, quatenus formata eſt, & quatenus eſt virtus, nõ poteſt elicere actũ, qui ſit malus. Probatur. Fides, quatenus talis, ſemper mouetur à charitate in optimũ finem cũ debitis circunſtantijs, ergo non poteſt male operari.

2. *Conclus.* ¶ Secunda concluſio, Fides, quæ eſt formata, poteſt elicere actum, qui ſit malus ex circunſtantia finis, vt in caſu poſito. Probatur. Fides, quæ formata eſt, poteſt moueri ad operandum non à charitate, ſed ab alio habitu, vel paſsione: ergo poterit elicere actum malum ex illo habitu, vel paſsione. ¶ Et ad argumentum principale, *Ad argum.* cuius occaſione hæc dicta ſunt, reſpondetur, conceſſo antecedẽti, negãdo conſequẽtiã. Et ad probationẽ dico, verũ eſſe, ꝙ habitus bonus nõ poteſt elicere actũ malum, ſi vt bonus operetur. Et ad rationem factã pro prima opinione reſpõdetur, concedendo, quòd Deus ſpeciali auxilio concurrat ad omnem actum fidei: nego tamen inde ſequi, ꝙ cõcurrat ad malũ. Nã in illo actu credendi, de quo loquimur, cùm quis credit ex vanagloria, ſunt duo. Primum eſt, velle credere propter vanã gloriam: & iſte eſt actus voluntatis, ad quem Deus ſpeciali auxilio non cõcurrit, quia formaliter eſt peccatum. Alterum eſt ipſum credere: & hic actus ſecundum ſuam ſpeciem eſt bonus & productus ab intellectu Deo ſpeciali auxilio concurrente: cenſetur autem malus ex circunſtantia mali finis extrinſecus adiuncti. Et quod hoc ità ſit dicendum patet ex actu prophetiæ, qui ſemper fit Deo ſpecialiter cõcurrente: & tamẽ poteſt quis prophetizãdo peccare, ſicut peccauit Caiphas, cùm dixit, Expedit vobis, vt vnus homo moriatur, cùm tamen illud iudiciũ extiterit ex reuelatione Dei, vt dicitur Ioannis. 11. cap.

ARTICVLVS. VI.

¶ *Vtrùm fides ſit vna virtus.*

AD SEXTVM ſic proceditur. *3. di. 2[illegible]. q. 2* Videtur quòd nõ ſit vna fides: *ar. 4. q. [illegible]. Et* ſicut enim fides eſt donum Dei, vt di- *4. di. [illegible]. 1.* citur ad Epheſ. 5. ita etiam ſapientia, *ar. 2. q. [illegible]* & ſcientia inter dona Dei computan- *Et ver[illegible] 4* tur, vt patet Iſa. vndecimo, Sed ſapien *arti. [illegible]* tia & ſcientia differunt per hoc, quòd *Ro. 5. [illegible] fi.* ſapientia eſt de æternis, ſcientia verò *& lec [illegible] Et* de tẽporalibus: vt patet * per Aug. 13. *ſecud.* de Trinit. cum ergo fides ſit de æter- *4.* nis, & de quibuſdam temporalibus, vi- *ca. 19. & 3.* detur quòd non ſit vna fides, ſed diſtinguatur in partes.

2 ¶ Præterea, Confeſsio eſt actus fidei, vt ſuprà dictum * eſt, ſed non eſt *Q. 3 art. 1.* vna & eadem confeſsio fidei apud omnes. Nam quod nos confitemur factum, antiqui patres confitebatur futurum

turum, vt patet Iſa.7. Ecce virgo concipiet. ergo non eſt vna fides.

3 ¶ Præterea, Fides eſt communis omnibus fidelibus Chriſti, ſed vnum accidens non poteſt eſſe in diuerſis ſubiectis, ergo non poteſt eſſe vna fides omnium.

¶ SED contra eſt, quod Apoſtolus dicit ad Epheſ. 4. Vnus Dominus, vna fides.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd fides, ſi ſumatur pro habitu, dupliciter poteſt conſiderari, vno modo ex parte obiecti, & ſic eſt vna fides. Obiectum enim formale fidei eſt veritas prima, cui etiam inhærendo credimus quæcunque ſub fide continentur. Alio modo ex parte ſubiecti: & ſic fides diuerſificatur, ſecundū quod eſt diuerſorum. Manifeſtum eſt autem, quòd fides, ſicut & quælibet alius habitus ex formali ratione obiecti habet ſpeciem, ſed ex obiecto indiuiduatur: & ideo, ſi fides ſumatur pro habitu quo credimus, ſic fides eſt vna ſpecie, & differens numero in diuerſis. Si verò ſumatur pro eo quod creditur, ſic etiam eſt vna fides: quia idē eſt quod ab omnibus creditur: et ſi ſint diuerſa credibilia, quæ communiter omnes credunt, tamen omnia reducuntur ad vnum.

¶ AD primum ergo dicendum, quòd temporalia, quæ in fide proponuntur, non pertinent ad obiectū fidei, niſi in ordine ad aliquod æternum, quod eſt veritas prima: ſicut ſuprà dictum eſt*. Et ideo fides eſt vna q.1.ar.1. de temporalibus & æternis. Secus autem eſt de ſapientia & ſcientia, quæ conſiderant temporalia, & æterna, ſecundum proprias rationes vtrorumque.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd illa differentia præteriti, & futuri non contingit ex aliqua diuerſitate rei creditæ, ſed ex diuerſa habitudine credentium ad vnam rem creditā, vt etiam ſupra habitum eſt*. 1.2.q.103.

¶ Ad tertium dicendum, quòd illa ratio procedit ex diuerſitate fidei ſecundum numerum.

SVMMA TEXTVS.

SVppoſitio, quod fides poteſt accipi dupliciter, vno modo pro habitu, alio modo pro eo qđ creditur. D.Th. reſpondet per duas concluſiones. Prima concluſio, Si fides accipiatur pro habitu, ſic eſt vna virtus in omnibus ſecundum ſpeciem, & diſtinguitur numero iuxta diuiſionem ſubiectorum, in quibus reperitur. Et quidē quod ſit vna virtus ſecūdum ſpeciem, probatur, quia habet vnum obiectum formalē, quæ eſt veritas prima. Quod aut diſtinguatur numero in diuerſis ſubiectis eſt res manifeſta, quia vnus numero habitus non poteſt eſſe in pluribus ſubiectis. ¶ Secunda concluſio, Si fides accipiatur pro eo, quod creditur, ſic etiā vna eſt virtus in omnibus, probatur, quia idem eſt, qđ ab omnibus per fidem creditur, ergo etiam ex parte obiecti eſt tantum vnica virtus.

EXPLICATIO ARTICVLI.

CIrca iſtum articulum eſt aduertendū, quòd quanuis, vt conſtat ex Ariſtot. 5. Met. c. de vno. multipliciter aliquid poſſit dici vnum, ſcilicet, vnum genere, vnum ſpecie, & vnum numero, tamen in præſenti cùm quærimus, vtrum fides ſit vna virtus tantum loquimur de vnitate ſpecifica, quæ eſt per ſe, & ſimpliciter vnitas, & non de vnitate generica, quæ eſt vnitas ſecundum quid, aut de vnitate numerica, quæ eſt vnitas per accidens. Et ſic ſenſus quæſt. eſt, Vtrū fides diuina (de hac enim in præſenti diſputamus) ſit vnica tantum virtus ſecundum ſpeciem? Quæ quæſtio, ſicut & quæcunque alia de vnitate ſcientiæ vel habitus loquens, adhuc poteſt habere duplicem ſenſum. Primus eſt, vtrum fides, quæ plures credit articulos ſpecie diſtinctos, ſit dicēda vna virtus ſpecie vel potius plures. Secundus eſt, Vtrum habitus inclinans ad aſſenſum omnium articulorum ſit tantum vnica ſimplex qualitas, vel potius ſingulorum articulorum ſint ſinguli habitus conſtituendi, ita quod fides ſit collectio plurium habituum? & in vtroque ſenſu eſt nobis propoſita quæſtio diſcutienda. De quæ-

Multipliciter dicitur aliquid vnū.

Duplex ſenſus quæſt.

De quæſtione in primo ſenſu. ... in primo ſenſu ſuit opinio nominalium ... rentium, tot eſſe fides quot ſunt obiecta materialia, quæ creduntur: & *Omnino nominalium.* ſicut ... de virtutibus moralibus dicũt, tot ... quot ſunt res, quibus eſt abſtinẽdum. Cuius ſentẽtiæ præcipuũ fundamẽtum eſt. Nã cũ fides plures cõtineat partes, vnã de Deo alterã de Chriſto, alterã de creaturis, quę oĩa ſpecie differunt: fieri non poteſt, vt de omnibus ſit vnica tantũ fides.

Concluſio. Cæterùm hæc ſententia eſt ridicula: & ſic contra illam eſt concluſio: Fides eſt dicenda vnica tantum virtus ſecũdum ſpeciem, quantumcunq; admittamus, illam eſſe plures habitus, vel plures qualitates: & idem dicendum eſt de virtutibus moralibus. Probatur, Quia cum ſecundum Ariſt. 5. Met. text. 7. vnum dicatur multipliciter, fieri poterit, quòd aliqua res ſit vna ſimpliciter in vno genere, & plures in alio: vt exercitus, qui plura eſt in genere ſubſtantiæ, & vnus in genere quantitatis: Et ſimiliter domus, quæ eſt vna in genere artificiati, & plures in eſſe naturæ, quia ſunt plures lapides & ligna, ex quibus cõſtruitur: ergo pari ratione, quãuis fides eſſet plures habitus, aut plures qualitates, adhuc diceretur vna virtus, propter vnam rationem obiecti. Et cõfirmatur. Sicut domus ex ſe non habet, ꝙ cõſtet ex pluribus rebus, ſed poteſt ex vna tantum conſtare, ità etiam, ꝙ fides verſetur circa plura non habet ex ſe, ſed poſſet circa vnum tantum verſari, ſi illud ſolum eſſet à Deo reuelatum, ergo ſicut domus dicitur ſimpliciter vna, ità etiam & fides dicetur vna virtus ſimpliciter ſecundum ſpeciem.

Ad argumentum nominalium. Et ad argumentum nominalium reſpõdetur, ꝙ quãuis fides verſetur circa plures res, quia tamen de illis omnibus agit ſecũdum quod conueniunt in vna ratione formali obiecti, quod ſatis eſt ad vnitatem virtutis, idcircò eſt dicenda vnica tantum virtus, & hæc de quæſtione in primo ſenſu.

2. Sẽſus quæſtionis. Sententia Scoti & aliorũ ¶ De ſecundo autem ſenſu quæſtionis, vtrum, ſcilicet, fide ſit vnica ſimplex qualitas, maior eſt difficultas. Nam Scotus & Nominales, & Gregorius q. 3. prologi, ſicut exiſtimant, ꝙ in ſcientia ſingularum concluſionum ſunt ſinguli habitus, & collectio omnium, quæ conueniunt in vna ratione ſcibili, eſt vna ſcientia: ita etiam in fide dicunt conſequenter, ꝙ ſingulorum articulorum ſunt ſinguli habitus. & collectio omnium habituum eſt vna fides, nec eſt vnica ſimplex qualitas immediatè inclinans ad aſſenſum omnium articulorum. *Fundamentum Scoti.* Præcipuũ fundamentum huius opinionis eſt, quia ſi eſſet idem habitus reſpectu omnium articulorũ, ſequeretur, ꝙ ſi aliquis haberet habitum fidei poſſet omnes articulos explicitè credere: conſequens autem eſt falſum, & contra experientiam: videmus, quoſdam fideles aliquos non explicitè credere, quibus alij explicitè non poſſunt aſſentiri, quia non habent aliorum notitiã: ergo. Sequela antẽ probatur: nam ſi idem habitus immediatè inclinaret ad omnes res fidei, non eſſet ratio propter quã vnus magis explicitè crederet vnã rem, quam aliã.

Concluſio. ¶ Hoc tamen nõ obſtante dico, eſſe valde abſurdum dicere, ꝙ fides, & quæcunq; alia virtus, ſiue intellectualis ſit, ſiue moralis, non eſt vnica ſimplex qualitas. Et probatur primo ex communi modo loquendi omniũ dicentiũ, ꝙ fides eſt vna virtus: ergo & vna qualitas, & habitus vnus. Patet cõſequẽtia ab ſpecie ad genus. Et confirmatur: quia aliàs ſequeretur, ſingulos Chriſtianos habere plures fides, vnã de Deo, alterã de Chriſto, alterã de creaturis: conſequens autem eſt abſurdum. Secũdo ſic argumentor, Potentia viſiua dicitur vna, licet ad plura ſe extendat, quia ad omnia, ad quæ ſe extẽdit, eſt ſub vna ratione formali obiecti, ſcilicet, colorati: ſed fides ad omnia, ad quæ ſe extendit, eſt ſub vna ratione formali obiecti, ſcilicet, veritas prima, ergo eſt vna qualitas, & vnus habitus. Vltimo, omnes actus voluntatis, qui eadem ratione, & motiuo tẽdunt in ſuum obiectum, ſpectant ad eandem virtutem ſecundum ſpeciem: ergo ſimiliter actus intellectus, qui eadem ratione formali aſſentiendi tendũt in ſua obiecta, ad eandem virtutem intellectualem pertinebunt. Conſequentia tenet ex paritate rationis: quia tam actus intellectus quam voluntatis accipiunt ſpeciem ab obiecto. Antecedens vero probatur. Nam, ſi quis vt ſubleuet alienam miſeriã, vni dat aurum, alteri veſtem, alteri alimentum, omnes iſti actus pertinẽt ad eandem virtutem miſericordiæ: ergo pari ratione dicendum erit de actibus intellectus.

Ad arg. Scoti. ¶ Et ad argumentum in contrarium factum reſpondetur negando ſequelam, & ad probationem dico, quod, cum ad credendum non ſolum ſit neceſſarium lumen ſupernaturale ex parte intellectus, ſed etiam exterior propoſitio articulorum, vt diximus. q. 1. artic. 1. non ſequitur, quod quicunq;

cunq; habet habitum fidei poſsit omnes articulos explicitè credere, niſi illi fuerint ſufficienter explicati, atq; propoſiti, ad modũ iam explicatum. ¶ Gloſſa ſuper rubricam de ſumma Trinitate & fide Catholica dicit, ꝙ fides formata, & informis differunt ſpecie, & ꝙ prima eſt in bonis & ſanctis, ſecunda autẽ in ſolis peccatoribus, & in Dæmonijs. Cæterùm hæc ſententia ſufficienter conuincitur falſitatis ex eo, ꝙ charitas eſt forma extrinſeca fidei, vt ſuprà diximus, ex quo manifeſtè ſequitur, quòd non poteſt variare fidei naturã, atq; eſſentiam: præterquam quòd etiam ratio formalis fidei, qua credunt mali atq; boni, eſt eadem: & ſic fides formata & informis non poteſt differre ſpecie.

¶ Ex ſolutione ad ſecũdum colligitur, eandem fuiſſe fidem patrum veteris teſtamenti & noui: quod & communiter ſentiunt Theologi cum Magiſtro in.3.diſt.23. & D.Tho.1.2.q.103. arti.4. & de veritate. q.14.art.12. Et ratio eſt manifeſta: nã aliàs ſequeretur, non fuiſſe eandem Eccleſiam illam cum noſtra, ſiquidem non haberet eandem fidem, quæ eſt vinculum, quo Eccleſiæ mẽbra coniũguntur, vt docet D. Auguſt. in epiſtola ad Optatũ, & tractatu.45. ſuper Ioãnem in illa verba, Omnes, quotquot ante me venerunt, fures fuerunt & latrones.

Obiectio.

¶ Et ſi quis obijciat, ſunt diuerſa credibilia, ergo eſt diuerſa fides, conſequentia tenet, quia habitus & potentiæ ex diuerſitate obiectorum ſpecificantur, antecedens autem probatur: nam patres in veteri teſtamento credebant Chriſtum futurum, nos autem credimus illum iam veniſſe,

Solutio.

Reſpondetur, quòd ibi tantum temporis variatio facta fuit, & non credibilium, vt optimè docet D.Tho. in ſolutione ad ſecundũ.

1.2.q.6.ar.4.& 3.diſ.23.q.2.a.5. Et Veri.q.14 art.2.co.ad 1.& 2.& ar.3.ad.4.

ARTICVLVS. VII.

¶ Vtrùm fides ſit prima inter virtutes.

AD SEPTIMVM ſic proceditur. Videtur quòd fides nõ ſit prima inter virtutes. Dicitur enim Lucæ.21. in gloſ. ſuper illud*. Dico vobis amicis meis, quòd fortitudo eſt fidei fundamentum, ſed fundamẽtum eſt prius eo, cuius eſt fundamentum. ergo fides non eſt prima virtus.

Super illud Luca.12. eſt glo. Ambr. in.c.cuius titulus eſt de exemplo, quo mortu metus excluditur in fine illius to.5.

2 ¶ Præterea, Quædam gloſ. dicit ſuper illum Pſalmum*, Noli æmulari, quòd ſpes introducit ad fidem, ſpes autem eſt virtus quædam, vt infra* dicetur, ergo fides non eſt prima virtutũ.

Eſt Caßio. ſuper illud: ſpera in Domino. Pſal. 36.

Q.17.ar.1.

3 ¶ Præterea, Supra* dictum eſt, ꝙ intellectus credentis inclinatur ad aſſentiendũ jis, quæ ſunt fidei ex obediẽtia ad Deũ, ſed obediẽtia eſt etiã quædam virtus: nõ ergo fides eſt prima virtus.

Q.2.ar.1.et art.2. huius quaſt. ad.2.

4 ¶ Præterea, Fides informis non eſt fundamentũ: ſed fides formata, ſicut in gloſ. dicitur. 1. ad Corinth.13. Formatur autem fides per charitatem vt ſupra dictũ* eſt. ergo fides à charitate habet, quòd ſit fundamentum. Charitas ergo eſt maius fundamentum, q̃ fides: nam fundamẽtum eſt prima pars ædificij: & ita videtur ꝙ ſit prior fide.

Eſt Aug. de fide & operibus.ca.10. to.4.

Arti.3.huius.q.

5 ¶ Præterea, Secũdum ordinẽ actuũ intelligitur ordo habituũ: ſed in actu fidei actus voluntatis, quem perficit charitas, præcedit actum intellectus, quem perficit fides: ſicut cauſa, quæ præcedit effectum: ergo charitas præcedit fidem, non ergo fides eſt prima virtutum.

¶ SED cõtra eſt, quòd Apoſtolus dicit ad Hebr.11. quod fides eſt ſubſtantia ſperandarũ rerum, ſed ſubſtãtia habet rationem primi, ergo fides eſt prima inter virtutes.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd aliquid poteſt eſſe prius altero dupliciter. Vno modo per ſe: alio modo per accidens. Per ſe quidem inter omnes virtutes prima eſt fides, cũ enim in agibilibus finis ſit principium, vt ſuprà dictum* eſt, neceſſe eſt virtutes Theologicas, quarum obiectũ eſt vltimus finis, eſſe priores cæteris virtutibus. Ipſe autem vltimus finis oportet, quòd prius ſit in intellectu, q̃ in voluntate: quia voluntas non fertur in aliquid, niſi prout eſt in intellectu apprehenſum. Vnde cum vltimus finis ſit quidem in voluntate per ſpem, & charitatem, in intellectu autem per fidem, neceſſe eſt, quòd fides

1.2. q. 32. artic. 4. ad pri.& q.13 art.3.

 ſit

ſit prima inter omnes virtutes, quia naturalis cognitio non poteſt attingere ad Deum, ſecundũ quod eſt obiectum beatitudinis, prout tẽdit in ipſum ſpes & charitas, ſed per accidens poteſt aliqua virtus eſſe prior fide. Cauſa enim per accidens eſt per accidens prior. Remouere autem prohibens pertinet ad cauſam per accidens, vt patet per
Libr.8.text. 32.to.2. Philoſoh. in 8. Phyſic. & ſecundum hoc aliquæ virtutes poſſunt dici per accidens priores fide, inquantum remouent impedimenta credendi ſicut fortitudo remouet inordinatũ timorem impedientem fidem: humilitas autem ſuperbiã, per quam intellectus recuſat ſe ſubmittere veritati fidei. Et idem poteſt dici de aliquibus alijs virtutibus, quamuis non ſint veræ virtutes, niſi præſuppoſita fide, vt habetur
Lib.4.ca.3. to.7. per Aug. *in lib. contra Iulianũ. Vnde patet reſponſio ad primum.

¶ AD SECVNDVM dicendũ, quòd ſpes non poteſt vniuerſaliter introducere ad fidẽ. Non enim poteſt ſpes haberi de æterna beatitudine, niſi credatur poſsibile, quia impoſsibile
1. 2. q. 40. ar.5. nõ cadit ſub ſpe, vt ex ſupra dictis * patet, ſed ex ſpe aliquis introduci poteſt ad hoc, quòd perſeueret in fide, vel quòd fidei firmiter adhæreat: & ſecundum hoc dicitur ſpes introducere ad fidem.

¶ Ad tertium dicendũ, quòd obedientia dupliciter dicitur, Quandoq; enim importat inclinationem volũtatis ad implendum diuina mãdata, & ſic non eſt ſpecialis virtus, ſed generaliter includitur in omni virtute, quia omnes actus virtutum cadunt ſub præceptis
q. 100. legis diuinæ, vt ſuprà * dictum eſt: & hoc modo ad fidẽ requiritur obedientia. Alio modo poteſt accipi obedientia, ſecundum quod importat inclinationem, quantum ad implẽdum mandata, ſecũdum quod habent rationem debiti: & ſic obedietia eſt ſpecialis virtus & pars iuſtitiæ. Reddit enim ſuperiori debitum, obediendo ſibi. Et hoc modo obedientia ſequitur fidem, per quã manifeſtatur homini, quòd Deus ſit ſuperior, cui debeat obedire.

¶ Ad quartum dicendum, quòd ad rationem fundamenti, non ſolum requiritur, quòd ſit primum, ſed etiã, quòd ſit alijs partibus ædificij cõnexũ. Non enim eſſet fundamentum, niſi ei aliæ partes ædificij cohærerent. Connexio autem ſpiritualis ædificij eſt per charitatem: ſecundum illud Col. 3. Super omnia charitatem habentes, quæ eſt vinculum perfectionis, & ideo fides ſine charitate fundamentum eſſe non poteſt: nec tamen oportet, quòd charitas ſit prior fide.

¶ Ad quintum dicendum, quod actus voluntatis præexigitur ad fidem: non tamen actus volũtatis charitate informatus: ſed talis actus præſupponit fidem, quia non poteſt voluntas perfecto amore in Deũ tendere, niſi intellectus rectã fidem habeat circa ipſum.

SVMMA TEXTVS.

PRima concluſio, Fides per ſe loquendo eſt prima inter omnes virtutes. Probatur, nam finis in operabilibus habet rationẽ principij: ergo virtutes, quæ verſantur circa finem, quales ſunt Theologicæ, natura ſua erunt priores: ſed finis prior eſt in intellectu quam in voluntate, ergo fides, quę eſt in intellectu, ex natura ſua eſt prior q̃ charitas, & quàm reliquæ virtutes. ¶ Secũda concluſio, Per accidens bene poteſt fieri, quòd aliqua virtus ſit prior fide, in quantũ, ſcilicet, remouet prohibẽs credendi: ſed remouẽs prohibens eſt cauſa per accidens. *Duplex ſenſus quæſtionis.*

EXPLICATIO ARTICVLI.

CIrca iſtum articulum eſt aduertẽdum, quòd propoſita difficultas poteſt habere duplicem ſenſum. Primus eſt vtrum fides ſit prior alijs virtutibus dignitate? Secundus, Vtrum ſit prior infuſione. Et quidem quantũ ad difficultatem in primo ſenſu, ſolùm eſt nobis concertatio cum hæreticis, qui dicunt fidẽ ità antecedere reliquas virtutes, ſicut in arbore radix pręſtat ramis atque frondibus. Idque affirmant, quoniã exiſtimant, quòd omnes aliæ virtutes ità neceſſario naſcuntur ex fide, vt qui fidem

habeat

habeat bonorum operum fructu carere nõ poſsit: eſt enim fides ſecũdum ipſos prima & totalis cauſa noſtræ iuſtificationis. ¶ Cęterum cõtra hos hæreticos eſt concluſio de fide tenenda, quòd charitas eſt præſtantior virtus, quàm fides, & quam reliquæ virtutes. Quod probatur aperte ex Paul. 1. ad Corin. 13. dicente, Nunc autem manent tria hæc fides, ſpes, charitas, maior autem horum eſt charitas: & ad Rom. 13. Plenitudo legis eſt dilectio: & ad Coloſſenſes. 3. Ante omnia charitatem habete, quæ eſt vinculum perfectionis. De hac concluſione videndus eſt D. Augſtins. tractatu. 33. ſuper Ioan. & D. Ambro. epiſtola. 79. vbi charitatẽ copioſè laudant, illamq; præferũt alijs virtutibus. Et ſi quis obijciat, quòd Paul. pluribus locis videtur affirmare omnem noſtram iuſtificationem eſſe à fide reſpondetur, quòd tribuit fidei vim iuſtificandi, non quia ipſa ſola iuſtificet, vel præcipuè iuſtificet, ſed quia eſt initiũ & radix noſtræ iuſtificationis, vt ſuprà dicebamus ex conci. Trid.

Concluſio in 1. ſenſu.

Dubium. ¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco, Vtrũ fides ſit præſtantior charitate, & alijs virtutibus, ſaltim in genere diſpoſitionis ad iuſtitiam? Nam fuerunt aliqui ex catholicis, vt refert Vega lib. 8. in concil. Trid. c. 1. qui conceſſerunt hæreticis, fidẽ in diſponendo ad iuſtitiã præcipuas partes obtinere.

Reſponſio. Nos autẽ dicimus, quod fides in iuſtificatione tenet primum locum, ſed nõ præcipuum, nã præcipuus locus debetur charitati. Et ratio eſt, quia charitas eſt ipſa cõuerſio animi ad Deũ, in qua potiſsimè cõſiſtit ea animi rectitudo, quæ dicitur, & eſt iuſtitia. De hac re lariſsimè diſputat Vega in opuſculo de iuſtificatione. q. 3. & ſuper conci. Trid. lib. 7. c. vltimo.

2. Senſus. q. de prioritate infuſionis. ¶ Quantum ad ſecundũ ſenſum quæſtionis de prioritate infuſionis, vt certa ab incertis ſeparemus, dico primo, certũ eſſe, & ſacris literis cõſentaneum, quod fides abſolutè loquendo eſt prior infuſione reliquis virtutibus. Nam ad Rom. c. 10. (quo loco Apoſtolus omnem noſtram ſalutem atq; iuſtitiam reducit ad ſua principia) tandem ſiſtit in fide, tanquã in primo Chriſtianitatis principio: & ad Hebr. 11. affirmat, quod fides eſt ſubſtantia, hoc eſt fundamentum rerum ſperandarum, ergo ſi eſt fundamentum antecedit ſpem, atque ex conſequenti charitatem. Idem etiam dicitur in concil. Trid. loco citato. Hoc igitur conſtituto tanquam certo, quod habet difficultatẽ in hac re eſt, vtrũ fides non ſolum natura, ſed etiã tẽpore antecedat alias virtutes: nam de hoc ſunt variæ doctorum ſententiæ. Prima eſt Durandi in. 3. d. 23. q. 6. aſſerentis, tres habitus, fidei, ſpei, & charitatis eſſe ità cõnexos quantum ad infuſionẽ, vt nunquam fides infundatur prius tempore, quam charitas. Idem tenet Scotus in. 3. d. 36. art. 4. & Veg. ſuper conc. Trid. lib. 7. c. 28. *1. Sententia Durandi.* ¶ Secunda ſententia eſt Soti, qui li. 2. de natura & gratia. c. 8. affirmat tria. Primũ eſt, quod fides quãtum ad actum poteſt infundi ſine gratia & charitate, & eſt dicere, quod poteſt catechumenus credere ex auxilio ſpeciali, antequã habeat voluntatẽ auerſam à peccato, & ſic habere actũ fidei ſine habitu gratię vel charitatis. Secundo dicit, quod cum baptiſmo poteſt infundi habitus fidei ſine gratia & charitate. Tertio, quod ſine baptiſmo non poteſt infundi habitus fidei, quin ſimul infundatur reliqui habitus ſpei, & charitatis. *2. Sententia Soti.*

3. Sententia Caietani. ¶ Tertia opinio eſt Caie. qui. 1. 2. q. 62. ar. vlt. & 2. 2. q. 6. art. 2. affirmat, tam actum, quàm habitum fidei poſſe tempore antecedere infuſionem gratiæ & charitatis, tam cum baptiſmo, quam ſine illo. Et hæc videtur eſſe ſententia D. Tho. 2. 2. q. 6. art. 2. ad. 3.

Nota. ¶ Cæterum ad explicationem difficultatis eſt aduertendum quod quanuis Deus nonnunquã illuminet, & iuſtificet homines ſubito, & in inſtanti, tamen, vt in plurimum, in hoc ſeruat eum ordinem, quem in pluribus alijs rebus obſeruare ſolet: & is eſt, vt ſenſim atq; paulatim per medias & conuenientes cauſas homines illuminet atq; illuſtret. Et ſic qui infidelis eſt, primo audit doctrinam fidei, deinde, noſtris teſtimonijs rectè perſpectis, de corde malã affectionẽ deponit, quàm habebat erga religionẽ, & incipit dubitare, an vera ſit noſtra religio necne: deinde aſſentitur nonnullis articulis propoſitis à prędicatore: poſteà aſſentitur omnibus: & poſtremo cõcipit voluntate profitendi noſtrã fidem. Et tandem non ſolùm captiuat intellectum in obſequiũ fidei, ſed etiam voluntatem auertit ab omni praua cupiditate. Et quòd fides noſtra hac ratione oriatur, atque adoleſcat, explicat D. Th. 2. 2. q. 7. ar. 1. ad primum.

Prima concluſio. ¶ Quo conſtituto ſit prima concluſio, Fides quãtum ad actum poteſt infundi ſine gratia & charitate, etiã ante baptiſmũ. Probatur, Poteſt quis credere fide catholica omnes articulos eſſe veros, ſine eo, quòd habeat voluntatẽ auerſam à peccato, ergo

poterit actũ fidei habere ſine habitu gratię, vel charitatis. Cõſequentia eſt nota, & antecedens probatur, quia poteſt quis credere vniuerſam doctrinam Chriſtianã aſſenſu certo, & indubitato, & ea potiſſimũ ratione, quia à Deo eſt reuelata ſine habitu gratiæ vel charitatis, ergo poteſt fide catholica credere articulos eſſe veros ſine gratia & charitate. Et cõfirmatur ex D. Aug. qui lib. de fide & operib. c. 21. & 22. & 23. dicit, quod poteſt catechumenus habere veram fidem, quãuis informem: & in concil. Trid. ſeſ. de iuſtificatione. c. 8. ſupponitur pro certo, ꝙ fides poteſt antecedere iuſtificationem, ergo poteſt infundi ſine gratia ſaltim quantum ad actum.

2. Concluſio. ¶ Secunda concluſio, Si talis catechumenus baptizaretur, quamuis in baptiſmo nõ reciperet gratiam, aut charitatem, tamen ſine dubio acciperet fidẽ, qua verè diceretur Chriſtianus. Hæc cõcluſio probatur ex D. Auguſt. qui toto illo lib. de fide & operib. ſupponit ꝓ certo, tales homines eſſe Chriſtianos, & fideles eo modo, quo ſunt alij, qui poſt baptiſmũ charitatem amiſerunt. Et confirmatur, nam ille homo nõ eſſet infidelis, ergo eſſet fidelis, atq; ex conſequẽti haberet veram fidem.

3. Concluſio. ¶ Tertia concluſio, abſolutè loquendo fides, nec quantum ad actũ, nec quantum ad habitum, habet cõnexionem cum alijs virtutibus: ex quo fit, vt tam actus, quàm habit⁹ fidei poſſit infundi ſine charitate in baptiſmo, & ante baptiſmũ. Probatur, In catechumeno, de quo loquebamur, dantur act⁹ fidei, vt diximus in prima cõcluſione, ſine gratia & charitate, ergo & datur actus fidei. Probatur conſequentia, quia habitus dantur vt prõptè & faciliter operemur: ſed Deus, qui dat illi homini, vt credat, dat etiã vt prõptè & faciliter credat, etiam antequã habeat gratiã, & charitatem, ergo infundit habitũ fidei. Et confirmatur. Ille homo credit ſicut alij Chriſtiani, ſcilicet, promptè & faciliter & delectabiliter, & quoties vult, ergo habet habitũ fidei. ¶ Sed cõtra iſtam concluſionem eſt argumentũ, Quos Deus ſanat perfectè ſanat, quia Dei pfecta ſunt opera: ſed ſi alicui infunderet fidem, nõ infundendo alias virtutes, illum non perfectè ſanaret, ergo. Et confirmatur, quia in conci. Trid. ſeſ. 6. cap. 7. dicitur, ꝙ homo dum iuſtificatur hæc tria ſimul infuſa accipit, ſcilicet, fidem, ſpẽ, & charitatem, ergo fides nõ prius tempore infunditur, quàm charitas:

Arg. contra 3. concluſ.

Et D. Th. 1. 2. q. 62. art. vltimo. etiam dicit, ꝙ iſti tres habitus ſemper ſimul infunduntur, ergo.

Solutio. ¶ Ad hoc argumentũ reſpondetur negando, quòd Deus ſemper infundat ſimul omnem ſanitatem, ſed ſæpè illam infundit ſucceſsiuè, vt antea dicebamus, qđ etiam fecit in corporali ſanitate, quando eam ægris conferebat, vt patet Marci. c. 8. vbi dicitur, quòd, cùm reſtituiſſet viſum cuidã cæco, ille prius videbat tanquam arbores ambulãtes, & deinde paulatim perductus eſt ad perfectam ſalutẽ. Et ad conci. Trid. reſpondetur ita eſſe, quòd quando homo iuſtificatur, accipit ſimul illa tria, niſi aliquod illorum iam antea habuerit. Et ad D. Tho. reſpondetur cum Caietano loco citato, ꝙ eſt intelligendus loqui de fide, ſpe, & charitate in eſſe virtutis, ſic enim ſunt connexæ nam fides non eſt virtus ſecluſa charitate, vt ſupra dicebamus: quod & colligitur ex eodem D. Tho. in corpore articuli.

Nota circa 4. arg. ¶ Circa ſolutionem ad quartum argumentum, vbi dicit, D. Th. ꝙ fides ſine charitate non eſt fundamentum aliarum virtutum, eſt aduertendũ, ꝙ fundamentum poteſt accipi dupliciter, vno modo formaliter, alio modo materialiter. Formaliter dicitur fundamentum illud, ſupra qđ aliquid actu ædificatur: materialiter autem, ſupra quod actu nihil ædificatur, ſed eſt aptum, vt ſupra illud aliquid ædificetur. Et hoc modo fides proculdubiò etiã excluſa charitate, eſt fundamentum Chriſtiani ædificij, vt diffinitum fuit in conci. Trid. cõtra Lutheranos aſſerentes, ꝙ in peccatoribus nihil remanet Chriſtianitatis. Hoc ſuppoſito dico, ꝙ quando D. Tho. affirmat, ꝙ fides ſine charitate non eſt fundamentum, loquitur de fundamẽto formaliter, quo etiã modo vſus fuit D. Aug. in libr. de fide & operibus cap. 6. Cæterum D. Greg. lib. 25. Moralium cap. 15. abſolutè appellat fidem informem, fundamentum, qui modus loquẽdi conuenientior eſt atque commodior, vt pote qui magis diſtat à modo loquendi hæreticorum.

ARTICVLVS. VIII.

¶ *Vtrum fides ſit certior ſcientia, & alijs virtutibus intellectualibus*

AD OCTAVVM ſic proceditur. Videtur quod fides non ſit

3.d.23.q.2. ar.2.q.3. 3.c.nt.154. co.1 ... con.3.fi. Et Ver.qu.10.a. 12.ad.15.Et Ioan.4.le.5. fin.

ſit certior ſcientia, & alijs virtutibus intellectualibus. Dubitatio enim opponitur certitudini: vnde videtur illud eſſe certius, quod minus poteſt habere de dubitatione: ſicut eſt albius, quod eſt nigro impermixtius. Sed intellectus & ſcientia, & etiam ſapientia, non habent dubitationē circa ea, quorum ſunt. Credens autem interdum poteſt pati motum dubitationis, & dubitare de ijs, quæ ſunt fidei, ergo fides non eſt certior virtutibus intellectualibus.

2 ¶ Præterea, Viſio eſt certior auditu, ſed fides eſt ex auditu, vt dicitur ad Romanos decimo capite. In intellectu autē, & ſcientia & ſapientia includitur quædā intellectualis viſio, ergo certior eſt ſciētia, vel intellectus, quā fides.

3 ¶ Præterea, Quāto aliquid eſt perfectius in his, quæ ad intellectum pertinent, tanto eſt certius. Sed intellectus eſt perfectior fide, quia per fidem ad intellectum peruenitur, ſecundum illud Iſaiæ ſeptimo capite, Niſi credideritis, nō intelligetis, ſecundum aliā literā. Et Auguſt. dicit etiam de ſcientia, decimoquarto de Trinitate. quòd per ſcientiam roboratur fides. ergo videtur, quòd certior ſit ſcientia, vel intellectus quàm fides.

Li.14. de tri cap.1 a me.

¶ SED CONTRA eſt, quod Apoſtolus dicit primæ ad Theſſalonicenſes ſecundo capite, Cū accepiſſetis à nobis verbū auditus, ſcilicet, per fidē accepiſtis id, non vt verbum hominū, ſed ſicut vere eſt verbū Dei. ſed nihil certius verbo Dei. ergo ſcientia nō eſt certior fide, nec aliquid aliud.

1.2.qu.57. art.4.ad.2.

¶ RESPONDEO dicendum, quod ſicut ſuprà dictū eſt, virtutum intellectualium duæ ſunt circa cōtingentia, ſcilicet prudētia & ars, quibus præfertur fides in certitudine ratione ſuæ materiæ: quia eſt de æternis, quæ nō contingit aliter ſe habere. Tres autem reliquæ intellectuales virtutes, ſcilicet ſapientia, ſcientia, & intellectus ſunt de neceſſarijs, vt ſupra dictū eſt. Sed ſciēdum eſt, quòd ſapientia, & ſcientia, & intellectus dupliciter dicuntur. Vno modo, ſecundum quod ponuntur virtutes intellectuales à Philoſopho in ſexto Ethic. Alio modo, ſecūdum quod ponūtur dona Spiritus ſancti. Primo modo dicendū eſt, quod certitudo poteſt cōſiderari dupliciter. Vno modo ex cauſa certitudinis: & ſic dicitur eſſe certius illud, quod habet certiorē cauſam: & hoc modo fides eſt certior tribus prædictis: quia fides innititur veritati diuinæ: tria autē prædicta innitūtur rationi humanæ. Alio modo poteſt cōſiderari certitudo ex parte ſubiecti: & ſic dicitur eſſe certius quod plenius cōſequitur intellectus hominis. Et per hūc modū, quia ea, quæ ſunt fidei, ſunt ſupra intellectū hominis, non autem ea, quæ ſubſunt tribus prædictis, ideo ex hac parte fides eſt minus certa. Sed quia vnumquodq; iudicatur, ſimpliciter quidem, ſecundum cauſam ſuam: ſecundū autem diſpoſitionē, quæ ex parte ſubiecti eſt, iudicatur ſecundum quid: inde eſt, quod fides eſt ſimpliciter certior: ſed alia ſunt certiora ſecundū quid, ſcilicet quoad nos. Similiter autē ſi accipiātur tria prædicta, ſecundū quod ſunt dona præſentis vitæ, cooperātur ad fidē ſicut ad principium, quod præſupponūt: vnde etiam ſecundum hoc fides eſt eis certior.

q.57.art.2. ad.3.

Lib.6. Ethi. cap.3.& 6. & 7.to.5.

¶ AD PRIMVM ergo dicendū, quod illa dubitatio non eſt ex parte cauſæ fidei. ſed quo ad nos, inquantum non plene aſſequimur per intellectum ea, quæ ſunt fidei.

¶ Ad ſecundum dicendum, quod cæteris paribus, viſio eſt certior auditu, ſed ſi ille à quo auditur, multum excedit viſum videntis: ſic certior eſt auditus quàm viſus. Sicut aliquis paruæ ſcientiæ magis certificatur de eo, quod audit ab aliquo ſcientifico, quàm de eo, quod

quod ſibi ſecundum ſuam rationem videtur. Et multo magis homo certior eſt de eo, quod audit à Deo qui fal li non poteſt, quàm de eo, quod videt propria ratione, quæ falli poteſt.

¶ Ad tertium dicendum, quòd perfectio intellectus, & ſcientiæ excedit cognitionē fidei quantū ad maiorem manifeſtationem, non tamen quantum ad certiorem inhæſionem: quia tota certitudo intellectus, vel ſcientiæ, ſecundum quod ſunt dona, procedit à certitudine fidei: ſicut certitudo cognitionis concluſionū procedit ex certitudine principiorum. Secundum autem, quod ſcientia, & ſapiētia, & intellectus, ſunt virtutes intellectuales innitūtur naturali lumine rationis, quod deficit à certitudine, & à verbo Dei, cui innititur fides.

SVMMA TEXTVS.

SVppoſito, quòd virtutes intellectuales ſunt quinq;, quarum duæ, ſcilicet, prudentia, & ars verſantur circa neceſſaria, & ſuppoſito ꝙ iſtæ poſſūt dupliciter cōſiderari, vno modo ſecundū ſe, & vt conſiderantur à Philoſopho, alio modo vt ſunt dona Spiritus ſancti: & rurſus ſuppoſito, quod certitudo poteſt eſſe maior aut minor, vel ex parte cauſæ ipſius certitudinis, vel ex parte ſubiecti, in quo inueniuntur habitus intellectuales. D. Th. reſpondet ad propoſitam difficultatem per aliquot cōcluſiones. ℭ Prima concluſio, Fides eſt certior, quàm prudentia & ars. Probatur, Fides verſatur circa res æternas, quæ nō poſſunt aliter ſe habere, prudentia autē, & ars verſantur circa contingentia. ergo ſaltim ratione materiæ fides eſt certior illis. ℭ Secūda concluſio, Si loquamur de certitudine ex parte cauſæ, ſic fides eſt certior, quàm ſapiētia, intellectus, aut ſcientia. Probatur, Fides nititur autoritati diuinæ tanquā cauſæ ſuæ certitudinis, aliæ autem virtutes nituntur rationi humanæ & naturali. ergo ex parte cauſæ fides eſt certior, quàm ſapientia, aut intellectus, aut ſcientia. ℭ Tertia concluſio, Si loquamur de certitudine ex parte ſubiecti, ſic ſapientia & intellectus, atq; ſcientia ſunt certiores fide. Probatur, Id [illegible] certius ex parte ſubiecti, quod plenius atque perfectius percip[illegible] intellectu humano: ſed e[illegible] ſapientiam, atq; [illegible] perfectius percipiuntur ab intellectu humano, quam ea, quæ [illegible] per fidem, ergo ex parte [illegible], intellectus, atque ſcientia ſunt certiores fide. Conſequentia cum [illegible] & minor probatur, nam ea, quæ intelliguntur per ſapientiam, intellectū, atque ſcientiam, ſunt proportionata noſtro intellectui, illa autē, quæ habentur per fidem, excedunt captū illius, ergo magis percipiuntur à noſtro intellectu illa, quam iſta. ℭ Quarta cōcluſio, ſimpliciter & abſolutè loquendo, fides eſt dicenda certior, quam intellectus, ſapiētia, aut ſcientia. Probatur, Fides dicitur certior alijs ex parte cauſæ, virtutes autem intellectuales dicuntur certiores ex parte ſubiecti, ſed principalius eſt id, quod conuenit rei ex parte cauſæ, quam quod cōuenit ex parte ſubiecti, ergo fides abſolutè loquendo erit dicenda certior, quam virtutes intellectuales. ℭ Quinta concluſio, Etiam ſi ſapientia, ſcientia, & intellectus conſiderētur, vt ſunt dona Spiritus ſancti, adhuc fides erit dicenda certior illis. Probatur, quia etiam ſecundum iſtam cōſiderationem ſapientia, ſcientia, & intellectus comparantur ad fidem, tanquam ad principium & fundamentum, ergo etiam ſecundum iſtā cōſideratione nō ſunt ita certæ ſicut fides.

EXPLICATIO ARTICVLI.

PRo intelligētia huius articuli eſt aduertendum primo, quod habitus ſeu virtutes intellectuales ſunt quinque, ſcilicet, ſapientia, intellectus, ſcientia, prudentia, & ars. Quarū tres priores ſunt habitus ſpeculatiui, qui verſantur circa neceſſaria nam ſapientia eſt cognitio altiſsimarum cauſarum, & intellectus eſt habitus principiorū, & ſcientia verſatur circa cōcluſiones. Alij autem duo, ſcilicet, prudentia, & ars, ſunt habitus operatiui & practici, qui verſantur circa cōtingētia. nā prudētia eſt recta ratio rerum humanarū, vt ſunt opera virtutum: & ars eſt recta ratio operum faciendorum, de quibus differit Ariſt. 6. Ethic. c. 3. vſque ad. 8. & D. Th. 1. 2. q. 57. 1. *Notabile.*

ℭ Secundò eſt aduertendum, quòd illi tres habitus ſpeculatiui poſſunt dupliciter conſiderari. Vno modo quatenus ſunt virtutes intellectuales: ſub qua ratione diſputant de illis D. Tho. atq; Ariſt. locis citatis. 2. *Notab.*

Secundò

Secundò quatenus ſunt tres ex ſeptē donis Spiritus ſancti, quos enumerat Eſa.cap.11. Ponunturque ad hoc, vt illis cōſummetur homo ad exercenda opera virtutum: nam per virtutes quaſi diſponitur, & iſtis donis quaſi perficitur & efficaciter mouetur à Deo ad opera virtutum exercēda, de quibus diſſerit D. Th.1.2.q.68.

3. *Notabile.* ¶ Tertiò eſt aduertēdum, quod ex duplici capite certitudo poteſt prouenire, ſcilicet, vel ex parte cauſæ, vel ex parte ſubiecti. Ex parte cauſæ dicitur aliquid certius, quia habet maiores cauſas ſuæ certitudinis. Ex parte autem ſubiecti dicitur certius, illud, quod plenius atque perfectius comprehenditur à noſtro intellectu.

¶ His ſuppoſitis dico, quod prima atq; vltima cōcluſiones D.Thomæ ſunt certæ atq; ab omnibus conceſſæ: cæterum circa ſecundā, tertiā atq; quartā eſt maxima difficultas atque cōtrouerſia inter doctores, quam nos vt recto ordine explicemus aliquot dubia proponemus. Primum erit, quidnam ſit illud, in quo certitudo cōſiſtat? & vtrum certitudo recipiat magis & minus? Secundum, Vtrum illa diſtinctio de magis certo ſecundū ſe, & magis certo quoad nos, quã ponit D.Th. in hoc articulo, poſsit actibus & habitibus accōmodari. Tertium dubium erit, Vtrum verum ſit, quod fides ſit certior ſcientia, vel ſapientia, aut intellectu? nam de his omnibus variè atque multipliciter loquuntur doctores.

1. *Dubium.* ¶ Ad primum igitur deuenientes eſt aduertendum, quod in aſſenſibus vel habitibus intellectus, quatuor poſſumus conſiderare, ſcilicet veritatem, claritatem, intenſionem & firmitatem, & de his omnibus dubitare, vtrum in aliquo iſtorum cōſiſtat certitudo, vel potius in aliquo alio ab his diſtincto? Nam Durandus in.3. d.23.q.7. dicit, quod certitudo eſt duplex: vna magis propria, & hæc conſiſtit in euidentia & claritate obiecti: altera minus propria, & hæc eſt firma adhæſio ad iudicādum. D. Bonauentura eadem diſt. q.4. etiã ponit duplicē certitudinem, vnam, quam vocat ſpeculationis, quæ reſpicit intellectū: alteram adhæſionis, quæ pertinet ad affectum. Et D. Th. in.3.d.26.q.2.art.4. docet, quod certitudo nihil aliud eſt, quàm firmitas adhæſionis virtutis cognoſcitiuæ in ſuum cognoſcibile: & in aliis locis videtur eam ponere in claritate & euidētia. Item Capreolus in. 3. diſt.25. q. vnica. non ſatis explicat hanc rem: nec etiam Vega lib.9. in concil. Trid. cap. 2. & 3. quamuis multa dicãt ad hoc propoſitum.

1. *Dictum.* ¶ Quocirca omiſsis varijs modis dicendi, vt quid in hac re verum ſit explicemus, dico primo, quod certitudo non conſiſtit in intēſione habitus, vel actus. Et probatur: quia habitus, vel actus ſcientiæ ſine dubio eſt certior, quàm opinio, & tamen aliquando eſt minus intēſus.

2. *Dictum.* ¶ Dico ſecundò, quod certitudo non conſiſtit in veritate. Et probatur, nã actus vel habitus opinatiuus aliquando eſt verus, & tamen nunquã poteſt eſſe certus.

3. *Dictum.* ¶ Dico tertiò, quod certitudo non conſiſtit in claritate & euidētia, nec pro eodem accipiendum eſt, aliquem actum vel habitum eſſe clarum, aut euidentem, & eſſe certum. Probatur: nam fides eſt certiſsima, & tamen non habet claritatem, aut euidentiam, ſed eſt obſcura. Relinquitur ergo ſola firmitas ex illis quatuor, in quibus diximus certitudinē poſſe conſiſtere. Et quidem Magiſter Victoria in ſuis prælectionibus dicebat certitudinē nihil aliud eſſe, quam firmitatem. Ita quod ille aſſenſus eſt certior, qui eſt firmior. Cæterum, ſi rectè rem perpendamus inueniemus, quod firmitas propriè loquendo non eſt ipſa certitudo, ſed aliquid conſequens certitudinem: nam firmum propriè dicitur illud, quod dimoueri non poteſt: & certum eſt, quod aſſenſus fidei, quamuis ſit certiſsimus, dimoueri tamen poteſt, & eradicari ex animis noſtris, vt infra dicemus.

Quæ dicantur certa. Quocirca ad exactã huius rei intelligentiam aduertendum eſt, quod ſecundum vſum rectè loquentium, certa dicũtur illa, quæ dubia & ambigua nō ſunt: vnde certum opponitur ambiguo & dubio. Et quia in dubitatione ineſt quædam vacillatio & inconſtantia, idcirco nomen certi ad mores tranſlatū ponitur pro eo, quod eſt diſtinctum, deliberatum, & conſtans: & hac ratione certus moriendi dicitur ille, cui eſt deliberatū, & decretum mori, & certus animus in re aggredięda dicitur, qui & fortis & cōſtans eſt. Eſt igitur certus idem quod indubius, & certitudo eſt quædã indubietas, vt ſic loquar, & determinatio ab omni mutatione & indifferentia procul remota. Et quoniam illa, quæ non ſunt indifferentia ad vtrunque, ſed ſunt ad vnum determinata, ſemper agunt ſine errore, & ſuum finem aſſequuntur: idcircò nomine etiam certi ſignificantur illa, quæ ad determinatos fines perueniunt ſine errore: & ſi certa

manus

manus in iaculando dicitur, quæ nunquã aberrat ab ſcopo. Ex dictis omnibus infert quod certus nihil aliud eſt, quã indubius ſine errore, & certitudo eſt indubietas non errans. Quæ ſi ad actus, & habitus transferantur dicendum erit, quod certitudo aſſenſus conſiſtit in duobus, ſcilicet, in eo quod attingit obiectũ intellectus, quod eſt verũ, & in eo quod attingit illud ſine dubitatione, & vacillatione. Et quoniam ad certitudinem habitus eadem requiruntur, ille habitus dicetur habere certitudinem, cuius omnes aſſenſus attingunt verum, & id ſine errore & dubitatione, & aſsẽſus certus erit aſſenſus certus & indubius. Propter defectum primi ars, & prudentia non ſunt omnino certa, quia cum verſentur circa particularia & contingentia, interdum falluntur & aberrãt ab ſcopo. Et propter defectũ vtriuſque opinio non habet certitudinem: nam ſæpe inclinat ad falſum, & præterea ſemper inclinat cum quadã formidine & dubitatione. Hæc doctrina colligitur ex D. Thom. in 3. d. 23. q. 2. art. 2. quæſtiuncula. 3. vbi dicit, certitudinem aſſenſus nihil aliud eſſe quàm determinationẽ intellectus erga ſuum obiectum. Nam cum obiectum intellectus ſit verum, & determinatio dicat indubitatione, manifeſtè ſequitur, quod intelligit certitudinem conſiſtere in indubitatione vera, vel non errante, quod nos diximus.

Argumentum. ¶ Sed cotra hoc eſt argumentum, multi adhærent firmiſſime & certiſsime rebus falſis, vt conſtat in hæreticis, ergo non eſt de ratione certitudinis, quod ſit ſine errore. Et confirmatur ex concil. Trid. ſeſ. 6. c. 9. vbi dicitur, quod hæretici habent certitudinem de ſua iuſtitia, cum tamen hoc ſit falſum, ergo ad certitudinem aſſenſus non requiritur veritas aſſenſus.

Solutio. ¶ Ad hoc argumentum reſpondetur, quod abuſiue, & improprie loquendo interdum dicuntur habere certitudinem de aliqua re illi, qui non ambigunt, nec formidant de oppoſita, ſiue fallantur, ſiuè non: nos tamen in præſenti loquimur de vera & propria ratione certitudinis, quæ tantum conſiſtit in attingendo verum ſine errore.

Dubium. ¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco, Vtrũ hæc certitudo, quã explicauimus recipiat

Argumentum pro parte negatiua. augmentum, vel decrementum, ita vt vnus aſſenſus vel habitus poſſit dici certior alio? Et pro parte negatiua eſt argumentum, Certitudo aſſenſus, vt diximus, conſiſtit in duobus, ſcilicet, in eo, quod careat omni dubitatione, & in eo quod attingat verum, ſed neutrum horum poteſt recipere magis aut minus, ergo nec ipſa certitudo poteſt recipere augmentum, aut decrementum. Conſequentia cum maiori eſt nota, & minor probatur. Nam primò verum conſiſtit in indiuiſibili, ſcilicet, in adæquatione rei ad intellectum, & præterea carere omni dubitatione dicit perfectã priuationẽ, qualis èſt mors, quæ non poteſt recipere magis aut minus, ergo ex parte vtriuſque implicat, quod certitudo augeatur, vel minuatur.

¶ Hoc tamen non obſtante ſit concluſio, quod certitudo aſsẽſus recipit magis & minus, & vnus aſſenſus poteſt dici certior alio. Quam ſententiam tenet D. Thom. in hoc art. & illum communiter ſequuntur omnes doctores. Ad explicationem tamen huius veritatis aduertendum eſt primò, quod iſta duo, in quibus diximus conſiſtere certitudinem aſſenſus, ſcilicet, carere dubitatione, & attingere verum, non cauſantur ab vna, & eadem cauſa, ſed ex diuerſis. Nam quod attingat verum, habet intellectus à medio, quo vtitur ad aſſentiendũ, & à ratione formali, qua inducitur in aſſenſum, & ſic quod intellectus aſſentiatur primis principijs ſtatim ac termini cognoſcutur, habet à lumine naturali, quod vocatur intellectus: Et quod aſſentiatur concluſionibus ſcibilibus habet à ratione demonſtratiua, qua vtitur: Et quod aſſentiatur ijs, quæ ſunt fidei, habet intellectus à teſtimonio Dei, & autoritate diuina, quæ eſt medium, per quod illis aſſentimur. Itaque iſtæ ſunt cauſæ, quod aſſenſus attingat verum, tamen quod careat omni dubitatione habet, vel ab euidentia, & claritate rei cognitæ, vt cõtingit in ſciẽtia, vel ex imperio voluntatis, cuius tanta vis eſt, vt faciat interdum intellectum adhærere immobiliter ijs rebus, circa quas eſt benè & piè affecta, vt contingit in fide, ſiue vera ſit, ſiuè falſa. Extrinſecus etiam aliquando efficitur, vt intellectus in aſſentiendo non vacillet nec dubitet, & id ſit ex motione diuinæ cauſę, vt eſt in fide catholica: in cuius aſſenſu non ſolum voluntas concurrit, ſed etiam extrinſecus aduenit inſpiratio Dei quæ & intellectum & voluntatem mouet ad credendum. ¶ Secundo eſt aduertendum, quod iſtæ cauſæ & media, quæ efficiunt, vt habitus atque aſſenſus attingant verum, non ſunt æqualiter certæ & in-

Conclusio.

Pro intelligentia conclusionis nota. 1.

N. ta. 2.

& infallibiles, licet omnes efficiant, vt intellectus attingat verum ſine errore. Nã longiùs diſtat ab errore lumen intellectus quam demonſtratio, per quam concluſio reſoluitur in principia nota, & longiſsimè omnium remota eſt ab omni errore & deceptione autoritas diuina. Et prætereà illa, quæ excludunt dubitationem ab aſſenſu, non habent omnia eandem rationem, atq; vim. Nam claritas & euidẽtia excludit ab aſſenſu prorſus omnem dubitationem etiã minimã, imperium autem voluntatis piè affectæ, quamuis faciat intellectum & animum conſtantem & immobilem in aſſentiendo, interdum magis quam claritas & euidentia, vt patet in hæreticis, tamen non impedit, quominus ſint aliqui ſubiti & leues dubitationis motus. Cæterum concurſus diuinus, non ſolũ efficacius, quàm quæuis alia res reddit intellectum conſtantem, & immobilem ad aſſentiendum, ſed etiam euellit radicitus ex animo noſtro omnes quantumuis leues dubitationes. ¶ His conſtitutis probatur noſtra concluſio. Ea, quæ cauſant certitudinem in aſſenſu, vel habitu ſuſcipiunt magis & minus, vt patet ex iactis fundamentis, ergo & ipſa certitudo dicetur ſuſcipere magis & minus. ¶ Et ad argumentum in contrarium factum reſpondetur conceſſa maiori, negando minorem. **Ad argum. pro parte negatiua.** Et ad primam probationem de veritate dico, quòd quamuis verum ſit, quod omnes aſſenſus æqualiter attingunt verũ in quantum eſt adæquatio rei ad intellectũ, tamen abſolutè non eſt dicendum, quòd omnes illud æquè infallibiliter attingunt, ſed pro ratione medij, quo inducimur ad aſſentiendum. Et quia medium vnius magis diſtat ab errore, vt ex ſupra dictis patet, ſit conſequens, vt vnus aſſenſus dicatur verior, ſeu magis infallibiliter attingere verum, quam alius. Ad ſecundam probationem de carentia dubitationis reſpondetur primo, negãdo quòd illa ſit pura & perfecta priuatio, ſed cum aſſenſu certo ſe compatiuntur aliqui ſubiti & leues motus dubitationis, vt antea dicebamus. Vel ſecundo reſpondetur, quod etiam ſi certitudo importaret omnimodam priuationem certitudinis, adhuc tamen illa priuatio poſſet recipere magis & minus, nõ quidem ex parte formæ, quia priuat, ſed ex parte cauſæ, quæ poteſt eſſe vna efficacior & potẽtior alia ad talem priuationem inducendam, eo modo quo dicunt multi ex Theologis, quòd pœna damni in damnatis, quæ conſiſtit in carentia diuinæ viſionis, eſt maior in vno quam in alio, quia cauſæ, id eſt, peccata, quibus effectũ eſt, vt illo bono carerent, ſunt efficaciora, & grauiora in vno quam in alio. Et hæc de prima dubitatione.

¶ Secundum dubium eſt, Vtrum illa diſtinctio, de magis certo ſecundum ſe, & magis certo quoad nos, quã ponit D. Tho. in hoc art. poſsint conuenienter actibus & habitibus accommodari, nam Durandus in. 3. d. 23. q. 7. tenet partem negatiuam. Et ratio illius eſt, q̃a cũ actus atq; habitus ſint perfectiones eius intellectus, in quo ſunt, ſit conſequens, vt illi tantum ſint dicendi certiores, qui intellectũ reddunt magis certum. Atque ex conſequenti omnis certitudo actuum, vel habituum penſanda erit in ordine ad ſubiectũ: & ſic ille actus dicetur ſecundum ſe certior, qui eſt certior quoad nos. Contrariam tamen ſententiam tenent D. Tho. atque Caietanus in hoc art. qui dicunt, quòd certitudo poteſt conſiderari dupliciter. Vno modo ex parte cauſæ efficientis certitudinẽ: & ſic actus vel habitus cuius cauſa fuerit magis certa, erit ſecundum ſe certior. Alio modo ex parte ſubiecti, & ſic aſſenſus illarum rerũ, quas magis percipit intellectus eſt certior, quoad nos. Quæ quidem ſententia eſt vera atq; tenenda. **2. Dubium. Sẽtẽtia Dur. Sententia D. Tho.**

¶ Vnde ad illius explicationem eſt aduertendum primo, quòd cùm certitudo in ſe duo includat, ſcilicet, veritatem & carentiã dubitationis, quando in præſenti quærimus de certitudine, ſecundũ ſe, & quoad nos, non loquimur de certitudine ſecundũ veritatem: nam aſſenſus, qui ſecundum ſe eſt verior, ſemper & omnimodo eſt verior ſed loquimur de certitudine ſecundũ carentiam dubitationis. Et ſic ſenſus quæſtionis eſt, Vtrùm ille aſſenſus, qui ſecundũ ſe eſt magis indubius, ſit etiam magis indubius quoad nos? **1. Notabile.**

¶ Secundò eſt aduertendum, quòd perfectio effectus, qui recipitur in ſubiecto, à duobus prouenit, ſcilicet, à cauſa efficiẽti, & à ſubiecto, in quo recipitur. Vnde cùm aſſenſus indubius ſit quidam effectus, qui recipitur in intellectu, tam ex parte cauſæ, quam ex parte ſubiecti erit penſanda eius perfectio. Cauſæ ergo, quæ efficiunt, vt aſſenſus ſit certus & indubius iam ſuprà explicatæ ſunt. Sed diſpoſitio, quę requiritur ex parte ſubiecti ad excludendã dubitationẽ eſt ꝙ habeat intellectus ꝓportionẽ cum illis **2. Notabile.**

alijs rebus quibus aſſentiu. Nam quemadmodum non ſatis firmiter tenemus eas res, quas manu non plenè comprehendimus: ità ad eundem modum intellectus noſter non eſt ſatis firmus in apprehenſione earum rerum, quæ excedunt facultatem illius. Vnde cù poſsit accidere, ꝙ aliquis habeat cauſas vehementiſsimas ad excludendam omnem dubitationem, & tamen verſetur circa obiecta multum remota & excedentia captum noſtri intellectus, fit conſequens, vt talis aſſenſus ex parte cauſæ ſit omnino indubius, & tamē propter improportionē ſubiecti habeat neceſſario aliquid dubitationis admixtum: & ita ille aſſenſus erit magis certus ſecūdum ſe, & minus certus quoad nos, vt docet D. Th. in præſenti: Et per hoc patet ſolutio ad argumentum Durandi.

3. *Dubium.* ℭ Tertia difficultas eſt, vtrū verum ſit, quòd fides ſit certior ſciētia, vel intellectu, vel ſapientia? *Sētētia Dur.* Nam Durandus vbi ſupra dicit, ꝙ ſciētia eſt certior fide, & intenſiuè, & extenſiuè: & idem conſequenter affirmat de intellectu atq; ſapientia, quæ certiores atque clariores ſunt quàm ſcientia, vt ex ſupradictis patet. Et probat ſuam ſententiā pluribus argumētis. 1. *Argum.* Primò ſic. Ille aſſenſus eſt certior, cui nulla dubitatio eſt admixta: ſed aſſenſus ſcientificus excludit prorſus omnem dubitationem, & aſſenſus fidei non illam excludit, ergo magis certus eſt aſſenſus ſcientificus, q̄ aſſenſus fidei. ℭ Secundò, 2. *Argum.* Certitudo aſſenſus cōſiſtit in duobus, ſcilicet, in hoc ꝙ ſit verus, & indubius, ſed aſſenſus ſciētificus in veritate adæquat aſſenſum fidei, vterque enim eſt verus, nec poteſt eſſe vnus magis verus quam alius, cùm veritas ſit adæquatio rei ad intellectū & cōſiſtat in indiuiſibili: & prętereà eſt magis indubius, vt diximus in primo argumēto, ergo aſſenſus ſcientificus abſolutè eſt certior ſcientia. 3. *Argum.* ℭ Tertio, Indubietas aſſenſus prouenit, vel ex euidentia rei cognitæ, vel ex imperio voluntatis, vel ex proportione intellectus ad res intellectas: ſed omnes iſtæ cauſæ ſunt multò potiores in aſſenſu ſcientifico, quàm in aſſenſu fidei, ergo aſſenſus ſcientificus erit magis indubius. Conſequentia cum maiori eſt nota, & minor probatur. Nā primò, res, quæ cognoſcuntur per ſcientiam ſunt euidentes, & res fidei ſunt obſcuræ. Prætereà volūtas circa obiectum ſcientiæ eſt determinata, nec poteſt velle, aut imperare intellectui, vt rebus ſcitis non aſſentiatur, eſſe autem, ſic determinatā circa res ſcitas multò efficacius eſt, quàm eſſe præaſſectā. Tandem obiectum fidei excedit capacitatē noſtri intellectus, & obiectum ſcietiæ eſt illi proportionatū, ergo aſſenſus ſcientificus ex omni parte eſt magis indubius, & certus, quàm aſſenſus fidei. ℭ Quarto ſic argumentor, Ille aſſenſus eſt magis certus, qui mutari in diuerſum minus poteſt, nam quāto aliquis magis eſt certus de aliqua re, eò difficiliù perſuaderi poteſt de oppoſita: ſed qui habet aſſenſum ſcientificum, quandiù memor eſt demonſtrationis, nō poteſt vllo modo mutare aſſenſum in oppoſitū: at verò qui credit, etiam ſi ſit memor rationis, propter quam credit, poteſt pro voluntate ſua mutare ſententiā, & iudicare ſe deceptū fuiſſe, ergo aſſenſus ſciētificus eſt certior fide. 4. *Argum.* ℭ Vltimò ſic argumentor, Si certitudo fidei eſſet maior, quàm certitudo ſcientiæ, ſequeretur ꝙ cōcluſio, quæ infertur ex vna præmiſſa de fide, & altera ſcita nō eſſet de fide, ſed ſcita: cōſequens autem eſt falſum, nam ſecundū omnes de fide eſt, ꝙ Chriſtus eſt riſibilis, & tamē infertur ex his, Omnis homo eſt riſibilis, Chriſtus eſt homo, quarū prima eſt ſcita naturaliter, & altera de fide, ergo. Sequela probatur, quia ſi præmiſſa de fide eſſet magis certa, quàm illa, quæ ſcitur naturaliter: cùm concluſio debeat ſequi debiliorem partem, manifeſtè ſequitur, ꝙ non habebit certitudinem fidei, ſed certitudinem ſcientiæ. *Vltimū arg.* Oppoſitā tamen ſentētiam tenēt communiter omnes doctores, vt D. Th. in 3. d. 23. q. 2. art. 2. quęſtiūcula. 3. & de veritate, q. 14. ar. 1. ad. 7. Scot. in. 3. d, 23. D. Bona. eadem. d. q. 4. Capreolus atq; Marſilius in. 3. q. 14. Soto lib. 3. de natura & gratia. c. 10. Vega in Conciliū. Trid. libr. 9. c. 2. &. 3. & Decanus Louanienſis. art. 8.

ℭ Cæterū, vt in hac difficultate certa ab incertis ſeparemus dico primo certū eſſe, & ab omnibus receptū, ꝙ cauſæ quæ efficiunt fidei aſſenſum ſunt certiores, & efficaciores ad inducendam certitudinem, quā cauſæ, ex quibus procedit ſcientia. 1. *Certum.* Nam ad aſſenſum fidei efficiendū præter exteriora motiua, ſcilicet, Eccleſia proponens, miracula. &c. concurrit, tanquam cauſa efficiēs habitus fidei infuſæ, quod eſt lumē ſupernaturale à Deo datum, concurrit etiam pia & vehemens affectio voluntatis erga res credēdas, quæ rapit intellectū in aſſenſum earum. Item concurrit auxilium ſpeciale Dei,

Dei, quo erga res credendas, & inflammatur voluntas, & eleuatur, & illuſtratur intellectus, & tandem vt cauſa formalis aſſenſus fidei concurrit autoritas diuina, & prima veritas. At vero aſſenſus ſcientificus habet cauſam mediatam lumen naturale intellectus, immediatam verò reſolutionem concluſionis per medium demõſtratiuum in principia per ſe nota. Certum eſt autem, quòd lumen ſupernaturale & motio Dei, quæ mouet intellectum ad credendum, & ratio formalis fidei, ſcilicet, veritas prima inſallibiliora ſunt & longius diſtant ab eo, vt errare poſsint, quàm ratio naturalis, aut ſyllogiſtica demonſtratio. Imo & ipſum auxilium Dei, & pia affectio voluntatis, ex parte ſua, efficacior eſt ad firmandum intellectum circa res fidei, quàm vlla demonſtratio.

2.Certum. ¶Secundo dico, etiam eſſe certum, quòd ſimul cum aſſenſu fidei poſſunt eſſe, & ſæpe ſunt in hominibus fidelibus aliqui ſubiti motus dubitationis, qui cum aſſenſu ſcientifico ſimul eſſe non poſſunt, & hoc prouenit ex imbecillitate noſtri intellectus, cui res fidei ſunt improportionatæ & obſcuræ: cùm tamen res, circa quas verſatur ſcientia ſint illi proportionatæ & euidentes, & ideò de illis dubitare non poſsit.

3.Certum. ¶Tertio eſt certum, quòd aſſenſus fidei eſt liber, & voluntarius, ità, vt poſsit quis credere, & diſcredere, iuxta illud Diui Auguſtini, Cætera poteſt homo nolens, credere non niſi volens, at verò aſſenſus ſcientificus eſt neceſſarius, nec poſita demonſtratione, poteſt intellectus diſſentiri rebus ſcitis. Ex quibus omnibus infertur, quòd fides ſecundum vnam conſiderationem ſuperat ſcientiam, & ſecundum aliam ſuperatur ab illa: nam ex parte cauſæ fides eſt certior, quam ſcientia, & ex parte ſubiecti ſciẽtia eſt certior. Itaq; hęc certa ſunt.

¶Sed quod habet difficultatẽ eſt, quod nam horum magis præponderet, & quiſnam iſtorum aſſenſuum ſit ſimpliciter & abſolutè dicendus magis certus? an, ſcilicet, aſſenſus fidei propter certiſsimas cauſas quas habet, quamuis non excludat omnes dubitationes, an verò aſſenſus ſcientiæ, quia excludit omnem dubitationem, quãuis cauſæ illius ſint minus efficaces & infal-
1.Concluſio. libiles? In hoc ſit prima concluſio. Fides, quantum eſt ex ſe, habet vim ad certificandum intellectum, & ad efficiendum, vt attingat verum ſine errore, & ad excludendam penitus omnem dubitationem, multò magis, quàm ſcientia. Probatur. Cauſæ fidei, vt diximus, ſunt certiores, & magis infallibiles, & efficaciores ad firmandum noſtrum intellectũ erga res creditas, quàm cauſæ ſcientiæ erga res ſcitas, ergo ipſa fides, quantum eſt ex ſe, maiorem vim habet ad certificandum intellectum, & ad efficiendum, vt attingat verum ſine errore, & ad excludendam omnem dubitationem quàm ſcientia.

¶Secunda concluſio, Fides de facto in multis fidelibus ità explicat ſuam vim, vt excludat ab illorum animis omnem dubitationem, etiam leuiſsimam, & reddat illos certiores, & firmiores erga res fidei, quàm ſunt erga res viſas vel ſcitas. Hæc concluſio probatur primò experientia ipſa, nam videmus multos fideles ità eſſe perſuaſos de rebus fidei, vt pro illis confitendis libentiſsimo animo ſe morti exponant: quod tamen nunquam facerent pro aſſerendis rebus ſcitis. Signum ergo eſt, quòd in illorum animis nihil dubitationis remanet. Item fides ex natura ſua habet hoc efficere multò magis, quàm ſcientia, vt diximus in prima concluſione, & ſi id non facit, eſt, quia obſtat aliqua indiſpoſitio ex parte noſtri intellectus: ſed iſta indiſpoſitio non eſt eadem in omnibus hominibus, ſed indies fit minor atque minor exercitio virtutum, & habituum infuſorum, & potiſsimè diuino auxilio, quod maiores vires acquirit in illis hominibus, qui ſe ad pietatem exercent, ergo tandem fieri poterit, quòd hæc imbecillitas noſtri intellectus omninò ſuperetur, & tollatur à nobis omnis vacillatio, & dubietas, ità, vt ſimus firmi & ſolidi in fide, ſicut & firmus ac ſolidus erat Apoſtolus quando dicebat ad Roma.8. Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti, &c. Certus ſum, quòd neque mors, nec vita, neque angeli nec principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura aliqua poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro: & ſecundæ ad Timoth.1. Scio cui credidi, & certus ſum, quia potens eſt Deus depoſitum meum ſeruare in illum diem. 2.Concluſio.

¶Tertia concluſio, Simpliciter, & abſolutè loquendo, fides eſt certior ſcientia, & alijs virtutibus intellectualibus, quamuis ſecundum quid, id eſt, ex parte ſubiecti, ſcien- 3.Concluſio.

tia poſsit dici certior fide. Hanc concluſionem tenent omnes Doctores citati. Et probatur. Nam fides, vt diximus in prima concluſione, ſecundū ſe eſt certior, quàm ſcientia, quanuis aliquando ex parte ſubiecti illi accidat contrarium, ſed ſimplex & abſolutum iudicium de aliqua re ſumendum eſt ex illo, quod illi conuenit ex natura ſua & non ex eo, quod illi conuenit extrinſecè & de per accidens: ergo ſimpliciter & abſolutè loquendo dicendum eſt, quod fides eſt certior ſcientia & alijs virtutibus intellectualibus.

Nota pro ſolutione argumentorum. ¶Sed, vt ad argumenta in contrarium facta reſpondeamus, aduertendum eſt, quòd licet fides aliquando habeat aliquas dubitationes admiſtas, aliter tamē tales dubitationes ſunt in actu fidei, & aliter in actu opinionis. Nam in opinione ità ſunt, vt ſint de ratione & eſſentia illius, ſemper enim aſſenſus opinatiuus eſt infirmus, & vacillans, & cum formidine alterius partis: at vero fides, quanuis aliquando non excludat omnem dubitationem, illa tamen dubitatio non eſt de ratione illius, ſed aduenit illi ab extrinſeco, & ex parte ſubiecti, propter imbecillitatem noſtri intellectus ad modum iam explicatum. *Ad. 1. arg.* ¶Hoc ſuppoſito ad primum argumentum reſpondetur, ꝙ illa dubitatio nō eſt in actu fidei ex natura ſua, ſed de per accidens, & propterea non ſequitur, quòd fides ſimpliciter & abſolutè ſit minùs certa, quam ſcientia, ſed tantum ſecūdum quid, hoc eſt ex parte ſubiecti, quod nos libēter concedimus. *Ad. 2. arg.* ¶Ad ſecundum argumētum reſpondetur conceſſa maiori, negando minorem. Et ad probationem dico, quòd tam in veritate, quàm in indubietate, ſcientia ſuperatur à fide. Et quidem, quòd fides in indubietate ſuperet ſcientiam, patet ex prima concluſione, in qua diximus, quòd fides ex natura ſua habet vim excludendi omnem dubitationē, multò magis, quàm ſcientia. Quòd autem, etiam quantum ad veritatem ſcientia ſuperetur à fide, probatur: nam veritas aſſenſus non ſolùm ſumitur ex adæquatione intellectus ad rem, ſed etiam ex neceſsitate & immobilitate obiecti cogniti: ab eo enim quòd res eſt vel non eſt, oratio dicitur vera, vel falſa, vt dicit Ariſtoteles lib. 1. Periherme. Ex quo fit, vt quanuis quantum ad adęquationem intellectus ad rem omnes aſſenſus ſint ęqualiter veri, tamen in ordine ad obiectum poſſunt recipere magis & minus, ſicut & ipſa obiecta ſunt alia alijs veriora, ſcilicet, neceſſaria ſunt veriora contingentibus & mutabilibus, & ex neceſſarijs illa ſunt veriora, quæ habent maiores & plures cauſas ſuæ neceſſitatis, & ſimiliter aſſenſus, pro ratione ſuorum obiectorum, poterunt eſſe alij alijs veriores. Cum ergo res fidei habeant ſummā immutabilitatem, tum ex teſtimonio, quo confirmantur, tum etiam ex natura ipſarū rerum, quæ maxime diſtant ab eo, vt deficere poſsint, fit conſequens ꝙ aſſenſus fidei etiam hac ratione ex parte obiecti ſit magis verus, quàm aſſenſus ſcientiſicus, atque ex cōſequenti ſimpliciter fides erit certior ſciētia. *Ad. 3. arg.* ¶Ad tertium argumentum reſpondetur primò, quòd certitudo & indubietas aſſenſus nō ſolùm efficitur ex illis tribus cauſis, ſed etiam cauſatur ex lumine diuino, & concurſu Dei, & ex medio aſſentiendi, quod in fide eſt veritas prima: ex quo fit, vt quanuis illa tria ſint potiora in ſcientia, quàm in fide, adhuc tamen fides eſt certior ſcientia propter rationes iam dictas. Vel ſecundo reſpondetur negando, quòd voluntas magis concurrat ad aſſenſum ſcientificum, quàm ad aſſenſum fidei. Et ad probationem dico, verum eſſe, quòd voluntas nō poteſt efficaciter velle oppoſitū actui ſcientifico: ex hoc tamen nō ſequitur, quòd ipſa ſit determinata ad illum, quia propriè voluntas non concurrit ad actus ſcientificos, nec eſt neceſſarius eius concurſus ad hoc, vt intellectus aſſentiatur rebus ſcitis per demonſtrationem: cæterùm in actu fidei propriè & poſitiuè concurrit voluntas ardenter volendo & imperando intellectui, vt iam diximus. *Ad. 4. arg.* ¶Ad quartum argumentum reſpondetur primò, quòd ſi aſſenſus fidei poteſt mutari, id non accidit illi ex natura ſua, ſed ex imbecillitate noſtri intellectus, & ex prauitate noſtræ voluntatis: ex quo fit, vt aſſenſus fidei tantum ſecūdum quid & ex parte ſubiecti poſsit eſſe minus certus. Vel ſecundò reſpondetur, quòd ex illo argumento tantum colligitur aſſenſum fidei eſſe liberum, & poſitum eſſe in noſtra poteſtate mutare ſentētiam de rebus fidei: ex hoc tamen non ſequitur quòd fides ſit minus certa, quam ſcientia: nam ad hoc, vt aſſenſus fidei ſit magis certus, ſatis eſt, quòd quandiu manet in nobis ex natura ſua & ex vi ſua ſit magis verus & magis efficax ad excludendum omnem dubitationem, quam ſcientia. *Ad vltimū argum.* ¶Ad vltimum argumentum nonnulli dicunt, ꝙ propoſitio, quæ

ſequitur

ſequitur ex vna ſcita, & altera euidenti, nō eſt de fide: tamen hæc ſententia eſt apertè falſa, vt latè oſtendit Vega lib.9. in concil. Trident.cap.39. Quocirca ea prætermiſſa reſpondetur primo ad argumentum negando ſequelam, & ad probationem dico, quòd illa concluſio non habet maiorem certitudinem, quàm habet ſcientia, etiam ſi ſit de fide: quia tunc tantum dicimus fidem habere maiorem certitudinem, quam ſcientia, quando aſſenſus fidei non pendet ex aliquo aſſenſu ſcientifico, ſed ex ſola fide: nam illi aſſenſus, qui pendent ex fide, & ex ſcientia, quamuis ſint aſſenſus fidei, quia ſunt obſcuri & certi, non tamen habent maiorem certitudinem, quam ſcientia. Vel ſecundo reſpondetur, quòd quamuis aſſenſus ſcientificus ſit minus certus, quàm fides, quia tamen ſcientia vincit fidem in claritate multò magis, quàm ipſa vincitur à fide in certitudine, & prætereà, quia magis radicata eſt, atque etiam quia ſecundum quid eſt certior, quàm fides, idcircò in illo ſyllogiſmo, de quo diſputamus præmiſſa de fide eſt iudicanda tanquam debilior, & ideò concluſio ſequitur illam. Vel tertio reſpondetur, & forſan melius, quòd aſſenſus illius concluſionis eſt de fide & habet maiorem certitudinem, quàm ſcientia. Et quando obijcitur, quòd illa concluſio infertur ex vna præmiſſa ſcita, ergo non poteſt habere maiorem certitudinem, quàm ſcientia, reſpondetur, verum eſſe, quòd aſſenſus illius concluſionis non habet maiorem certitudinem, quam ſcientia ex vi præmiſſarum, tamen ex vi habitus infuſi, & luminis diuini, quod ex natura ſua inclinat ad aſſentiendum cuicunque propoſitioni reuelatæ, vel euidenter deductæ ex reuelatis, aſſenſus ille habet maiorem certitudinem, quam habet altera præmiſſarum, ex qua infertur. Et hæc dicta ſint de iſta dubitatione.

Vltimum dubium de certitudine quã quis poteſt habere de ſua fide.

¶ Vltimo diſputandum erit circa iſtum articulum, quanta ſit certitudo, quam quis poteſt habere de ſua fide? Ad cuius intelligentiam eſt aduertendum primo, quòd fides in hac quæſtione poteſt accipi tripliciter, vno modo pro habitu fidei, alio modo pro actu ſupernaturali & diuino, tertio pro actu fidei abſolutè quantum ad eius ſubſtantiam, abſtrahendo à fide naturali, & ſupernaturali. Ex quo fit, vt propoſita quęſtio poſsit intelligi tripliciter, ſcilicet, vel de habitu fidei, vel de actu ſupernaturali, vel tertiò de actu fidei abſolutè, abſtrahendo à fide humana, vel infuſa.

1. Notabile.

¶ Secundo eſt aduertendum, quòd certitudo poteſt eſſe triplex, vna, quę appellatur moralis, altera fidei, altera euidentiæ. Et de ſingulis certitudinibus ſingulę quæſtiones poſſunt diſputari. His poſitis, vt certa ab incertis ſeparemus, dico primò, certum eſſe, quod poteſt homo habere aliquam certitudinem moralem, tam de actu, quàm de habitu fidei ſupernaturalis: & in hoc omnes conueniunt. ¶ Dico ſecundò, etiam eſſe certum, ꝙ loquendo de actu fidei quantum ad ſubſtantiam, & abſtrahendo à fide diuina, vel humana, omnes, qui credunt, vidēt euidenter ſe credere iuxta illud D. Auguſtini.13. de Trinitate cap.1. vbi dicit, ꝙ ſuam fidem vnuſquiſq; videt, & eam tenet firmiſsima ſcientia. ¶ Tertio etiam eſt certum, quòd nullus poteſt habere certitudinem euidentiæ, quòd habeat habitum, vel actum fidei ſupernaturalis & infuſæ, niſi ei fuerit diuinitus reuelatum. Et ratio eſt: quia cum tam habitus, quàm actus fidei ſupernaturalis excedāt facultatem noſtri intellectus, fieri non poteſt, vt quis habeat illorum claritatem, & euidentiam, niſi ex diuina reuelatione. Itaq; hæc certa ſunt. Sed quòd vertitur in dubium eſt, vtrùm quis poſsit eſſe certus certitudine fidei, quòd habeat actum, vel habitum fidei infuſæ?

2. Notabile. *1. Certum.* *2. Certum.* *3. Certum.*

¶ In quo ſit prima concluſio, Certiſsimè tenendum eſt, quòd nullus poteſt eſſe certus certitudine fidei, quòd habet habitū fidei infuſæ. Hanc concluſionem tenet Caietanus infrà quæſtio.6. art.1. & Durandus in.1. diſtinct.17. quæſtio.4. ad ſecundum argumentum, & Vega in concil. Trident. lib.9.cap.37. & Soto in apologia contra Catherinum. Et ratio eſt manifeſta: nam non eſt nobis certum de fide, quòd ſint ponendi huiuſmodi habitus infuſi: ergo nec etiam poteſt eſſe certū de fide, quòd quis habeat habitū fidei infuſæ. Et confirmatur. Quod in nobis ſint huiuſmodi habitus non aliter nobis poteſt conſtare, quam ex actibus, quos in nobis eſſe videmus: ſed omnes actus, quos habent fideles poſſunt eſſe in illis ex ſolo auxilio ſpeciali cum concurſu noſtri intellectus: ergo nulli poteſt eſſe certum, certitudine fidei, quòd habeat habitum fidei diuinæ.

1. Concluſio.

¶ Secunda concluſio, Homo fidelis poteſt eſſe certus, certitudine fidei, quod habet actum fidei diuinæ, & ſupernaturalis.

2. Concluſio.

Hæc concluſio eſt contra Durand.in.1. diſtinct.17.quæſt.4.ad ſecundũ.Nam quanuis ibi ſolùm loquatur de habitu fidei, eius tamen ratio vniuerſaliter concludit, tam de habitu,quàm de actu. Dicit enim,quod ideò nos non poſſumus eſſe certi,quòd habemus habitum fidei, quia quidquid credimus credere poſſumus ſine habitu, vt in 2.lib.patebit.Certum eſt autem quod in.2. diſt.28.quæſt.1.dicit,quòd quidquid credimus poſſumus credere ex noſtris viribus ſine habitu, & ſine auxilio ſpeciali Dei, atq; ex conſequenti ſecundum Durand.nullus poteſt eſſe certus,quòd habeat actum fidei diuinæ,& ſupernaturalis. Noſtram tamen concluſionem tenet Caietanus.1.2. quæſt. 112.art.5. vbi expreſsè dicit, quòd ex actibus fidei homo credit abſq; formidine alterius partis ſe habere fidem, quæ eſt donũ Dei, ſicut credit alia credibilia, ſcilicet, incarnationem,&c.Et eandem ſententiam videtur tenere Scotus in.3.diſt.23. quæſt.vnica.Nam dicit, Sicut credo Deum eſſe trinum, & vnum, ſic etiam credo me habere fidem infuſam inclinãtem in illud verum. Et Soto Apologia cõtra Catherinum cap. 5.idem affirmat:nam dicit, quòd fide tenet ſe credere per fidem infuſam. Et D. Tho. 1.2. quæſt.112. art.5. dicit, quòd habens fidem eſt certus ſe illam habere: & in.1. diſt. 17.quæſt.4.art.3.&.1. parte.quæſt.87. art. 2.ad primum idem repetit: & ſuper ſecundam epiſtolam ad Corinth.cap.13.lectio.3.

Nota primo pro probatione & explicatione concluſionis.

¶Sed pro explanatione,& probatione cõcluſionis eſt aduertendum primo, eſſe de fide,quòd nullus poteſt aſſentiri aſſenſu certo, & firmo toti doctrinæ Chriſtianæ ſub ea ratione, qua proponitur ab Eccleſia, & tanquam à Deo reuelatæ, niſi adiuuetur ſpeciali Dei auxilio: ità enim diffinitum eſt ab Eccleſia contra Pelagium, vt ex ſupra dictis patet.

Nota.2.

¶ Secundo eſt aduertendum, quòd aſſenſus alicuius rei, & obiectum ipſius aſſenſus ità ſe habent, quòd nullus poteſt dubitare, vel de veritate, vel de euidentia, vel de certitudine aſſenſus, quin ſimul etiam dubitet de veritate, vel de certitudine, aut de euidentia obiecti, quale enim iudicium quiſq; habet de obiecto alicuius aſſenſus, quòd tale etiam de ipſo aſſenſu habeat erit neceſſe, & è contra. Itaque ſi ego aſſentior ex demonſtratione huic propoſitioni, Triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis, & dubito vtrùm iſte meus aſſenſus ſit verus, ex conſequenti etiam dubito, vtrum iſta propoſitio ſit vera.Et ratio eſt manifeſta: nam iſta duo, ſcilicet, aſſenſus verus, & obiectum verum,ſunt ità mutuò, & neceſſariò connexa, vt, qui dubitat de vno dubitet etiam de vtroque,& cui vnum eſt euidens alterum ſimiliter ſit euidens, & cui vnum eſt certum, & indubitatum, quòd etiam alterum ſit certum & indubitatum, ſit neceſſe. Ex quo infertur, quòd omnes aſſenſus intellectus,quàm certos nos faciũt de veritate, aut de euidentia, aut de certitudine ſui obiecti, tam certos etiam nos faciunt de ipſorum aſſenſuum veritate, euidentia, aut certitudine. His poſitis, probatur noſtra concluſio.

Probatio concluſionis.

Iſta conſequentia eſt bona, Nemo poteſt aſſentiri certò & ſine formidine omnibus, quæ proponit Eccleſia,vt à Deo reuelatis,ſine auxilio Dei ſpeciali: ſed ego aſſentior certò, & ſine formidine omnibus huiuſmodi: nam credo vniuerſa quæ proponit Eccleſia ſub ea ratione, qua ab ipſa ſunt propoſita, & à Deo reuelata, & hoc ſine vlla formidine alterius partis,ergo habeo fidem infuſam ſupernaturalem,atque diuinam. Maior eſt de fide, vt conſtat ex primo notabili, & minor eſt euidens: ergo & concluſio erit de fide: atq; ex conſequenti quicunque fidelis, qui ſic ratiocinatus fuerit, poterit eſſe certus certitudine fidei, quòd habet fidem ſupernaturalem, & diuinam. Fautores contrariæ opinionis dicunt illam minorem quo ad tertiam partem,non eſſe ità certam,& euidentem, vt non debeat vnuſquiſque de ſe dubitare,an certò, & ſine formidine credat omnia,quę Eccleſia,vt à Deo reuelata,proponit. Sed hæc ſententia proculdubiò eſt falſa: nam, ſi fidelis, vt dicunt, non eſt certus, ſed dubitat, vtrùm certò & ſine formidine aſſentiatur rebus fidei, ergo etiam dubitat, vtrùm ipſæ res ſint veræ atque certę, & ex conſequenti non eſt fidelis, Patet conſequentia ex ſecundo notabili.Et confirmatur, Omnes fideles iudicant res fidei eſſe certas & infallibiles, & de illis nullo modo eſſe dubitandum, euidentiſsimèq; cognoſcunt ſe habere hoc iudicium, ergo etiam euidentiſsimè cognoſcunt ſe habere aſſenſum certum & firmum de rebus fidei. Probo conſequentiam: nam iudicare ſine aliqua formidine res fidei eſſe certiſsimas eſt habere certum, & firmum aſſenſum de illis. Item probatur concluſio. Qui dubitat, vtrùm articuli fidei ſint certi non aſſentitur

titur illis abſque formidine, ergo ex oppoſito qui non dubitat de illorum veritate, ſine dubio, illis certò aſſentitur, atque ex conſequenti, quàm certus eſt ſe non dubitare de articulis, tam certus etiam eſt, quod illis aſſentitur certò, & ſine formidine. Prætercea ſic argumentor. Nemo fidelis dubitat ſe eſſe fidelem, ergo nec dubitat, vel certè non poteſt dubitare ſe habere fidem diuinam: nam qui credit fide acquiſita non eſt fidelis. Et confirmatur. Aſſenſus ſcientificus non ſolùm facit euidentiam obiecti, ſed etiam ſui ipſius: qui enim habet ſcientiam non ſolùm euidenter cognoſcit obiectum, ſed etiam ſe habere ſcientiam, ergo ſimiliter fides, cùm ſit quoddam lumen ſpirituale, & diuinum, non ſolùm facit certitudinem de articulis, ſed etiam de ſe ipſo. Præterea probatur concluſio. Vltima reſolutio certitudinis & infallibilitatis fidei fit in interiorem motionem Spiritus ſancti, vt diximus artic. 1. ergo qui dubitat vtrùm moueatur à Deo ad credendum nõ poteſt reddere cauſam idoneam ſuæ fidei, atque iudicij, quo iudicat ea, quæ credit eſſe vera & infallibilia, quod eſt abſurdũ. Et confirmatur. Tota ratio, propter quam aſſenſus fidei eſt infallibilis, eſt, quia procedit à Deo concurrente auxilio ſpeciali, ergo qui dubitat, vtrùm ſuus aſſenſus & ſua fides ſit ex Deo non habet cur iudicet ſe in illo aſſenſu non poſſe decipi, ſed fideles eadem certitudine, qua credunt articulos, credunt ſe non poſſe decipi in illo aſſenſu, ergo eadem certitudine debet iudicare ſuum aſſenſum eſſe ex Deo, atque ex conſequenti quòd eſt diuinus & ſupernaturalis.

1. Argum. contra ſecundam concluſionem. ¶ Sed contra iſtam concluſionem ſunt aliquot argumẽta. Primum eſt. Si propter aliquam cauſam poſſemus habere certitudinem fidei de noſtra fide, maximè propter illam conſequentiam, quam ſupra fecimus primo loco in probatione concluſionis: ſed illa nihil valet, ergo. Probatur minor: nam, cùm poſſimus credere articulos fidei fide diuina, & fide acquiſita, non poterit nobis conſtare qualiter aſſentiamur illis, vtrùm, ſcilicet, ex fide diuina, an potiùs ex fide acquiſita: atque ex conſequenti non poterimus eſſe certi, quòd credimus ex fide diuina, & ea certitudine, atque firmitate qua oportet. *Cõfirmatur.* ¶ Et confirmatur. Si prædicta conſequentia aliquid valeret ſequeretur, quòd non ſolum poſſemus eſſe certi certitudine fidei de noſtra fide, ſed etiam vnuſquiſque teneretur credere ſe habere fidem diuinam, ſicut tenetur credere articulos fidei, conſequens autem eſt abſurdum: nam alioquin qui id non crederet eſſet hæreticus, & infidelis, quod eſt falſum: ergo. Probo ſequelam. Nam ex vna præmiſſa de fide, & altera euidenti infertur concluſio de fide, ſed nos habere fidem ſupernaturalem infertur ex vna euidenti & altera de fide, vt patet: ergo tenebimur id credere, ſicut alios articulos fidei. *2. Argum.* ¶ Secundo, hæretici interdum credunt ſumma conſtantia & certitudine, non tamen habent fidem infuſam: ergo ex hoc, quòd nos credimus firmiter, & certitudinaliter non ſequitur, quòd habemus fidem infuſam. *3. Argum.* ¶ Tertio, Fides catholica, & infuſa tantum inclinat ad aſſentiendum reuelatis à Deo, quæ pertinent ad communem vtilitatem Eccleſiæ: ſed, quòd ego habeam fidem diuinam, & ſupernaturalem, eſt quid particulare, ergo fides infuſa non inclinat ad huiuſmodi aſſenſum, atque ex conſequenti non poſſum eſſe certus certitudine fidei, quòd habeo fidem ſupernaturalem. *Confirmatur.* ¶ Et confirmatur. Fides non ſe extendit, niſi ad ea, quæ Eccleſia proponit tanquam à Deo reuelata, vel quæ inferuntur neceſſariò ex reuelatis, ſed quod ego credo per fidem infuſam non eſt quid reuelatum à Deo, nec ſequitur ex reuelatis euidenter: ergo non poſſum habere talem certitudinem de illo.

Ad 1. arg. ¶ Ad primum argumentum reſpondetur conceſſa maiori, negando minorem. Et ad probationem dico, quòd de noſtra fide ſolùm nobis poteſt eſſe euidens, quòd credimus certò & ſine vlla dubitatione: tamen quòd illa certitudo ſit fidei diuinæ, id nobis euidens eſſe non poteſt, ſed eſt certum per argumentationem, quam facimus. Nam cui eſt euidens ſe credere ſine vlla formidine omnia, quæ proponit Eccleſia, tanquam reuelata à Deo, debet etiam eſſe certus per fidem, quòd illa certitudo ſui aſſenſus eſt diuina: illo enim modo credere nemo poteſt, niſi ex ſpeciali Dei auxilio, vt diximus in primo fundamento. *Ad cõfirmationem.* ¶ Ad confirmationem reſpondetur negando ſequelam: nam verſatur in opinione, vtrùm fidelis poſſit habere certitudinem fidei, quòd habet fidem diuinam: & rationes, quæ perſuadent id eſſe poſſibile, ſunt adeo difficiles ad intelligendum,

dum, vt non tantùm vulgares homines, ſed etiam ſapientes non ſatis percipiant illarum efficaciam, atque euidentiam.

Ad. 2. arg. ¶ Ad ſecundum reſpondetur, quòd nos habere fidem infuſam non inde colligimus, quia videmus nos certò, & firmiter aſſentiri articulis fidei, quoniam hæretici hoc ipſum in ſeipſis ſæpè videre poſſunt: ſed ex eo colligimus, quia videmus euidenter nos aſſentiri certò omnibus, quæ proponit Eccleſia tanquam reuelata à Deo, quod hæretici nunquam vident. *Ad. 3. arg.* ¶ Ad tertium reſpondetur, quòd non eſt idem aſſenſus fidei catholicæ, & infuſæ. Nam aſſenſus fidei catholicæ ſolùm verſatur circa ea, quæ omnibus in communi proponuntur credenda, vt diximus quæſtio. 1. art. 1. at verò aſſenſus fidei diuinæ, & infuſæ verſatur circa omnia, quæ ſunt reuelata à Deo, & circa ea, quæ euidenter ſequuntur ex reuelatis, etiam ſi non proponantur nobis in communi. *Ad confirmationem.* ¶ Ad confirmationem reſpondetur negando minorem: nam hoc quod eſt me habere fidem infuſam, ſi modo ſim fidelis, neceſſario ſequitur ex reuelatis.

Aliud argumentũ difficile. ¶ Sed vltra hæc ſunt alia duo argumenta, quæ videntur habere difficultatem. Primum eſt. Si homo poſſet eſſe certus certitudine fidei, quòd habet fidem diuinam, ſequeretur, quòd etiã poſſet eſſe certus eadem certitudine, quod habet gratiam: conſequens autem eſt ſalſum, & hæreticum, vt conſtat ex diffinitione concilij Tridentini ſeſsione ſexta. cap. 9. & ex Diuo Tho. 1. 2. quæſtio. 112. art. 5. ergo & illud, ex quo ſequitur. Sequela probatur ex paritate rationis. *2. Argutur* ¶ Secundo, ſic argumentor. Credenti non poteſt eſſe euidens, quòd credit, quia Deus reuelauit, ergo nec poteſt habere certitudinem, quòd mouetur ex Dei motione ad credendum. Patet conſequentia: quia motio Dei non eſt neceſſaria, niſi quando credimus ſub tali ratione. Antecedens autem probatur, quia etiam hæreticus credit propter eandem rationem, imo firmiter credit, quia Deus reuelauit, cùm tamen in hoc decipiatur: ergo ſimiliter poterit decipi fidelis exiſtimans ſe credere propter diuinam reuelationem, atque ex conſequẽti nulli poterit eſſe certum, quòd credit per fidem diuinam.

Ad. 1. arg. ¶ Ad primum argumentum reſpondetur negando ſequelam. Et ad probationem dico, eſſe aliam rationem de charitate, & aliam de fide. Nam charitas, quia eſt præſtantior, & plura requirit ad ſui acquiſitionem, & conſeruationem, quam fides (deperditur enim charitas per quodcunque peccatum mortale, & interdum præter ſcientiam ipſius habentis, cùm tamen fides nunquam amittatur, niſi ob crimen hæreſis, vel apoſtaſiæ, quod omnibus eſt notum, & manifeſtum) non ſequitur, ꝙ ſi poteſt nobis certò conſtare, quòd habemus fidem, poſsit etiam ſimiliter conſtare quòd habemus gratiam, & charitatem: præterquam quod etiam notiores ſunt nobis actus intellectus, quàm voluntatis, & frequentiùs contingit nobis decipi in iſtis, quàm in illis, vt optimè explicat Vega lib. 9. in concil. Trident. cap. 37.

¶ Ad ſecundum vt reſpõdeamus eſt aduertendum quòd hęretici atque catholici partim conueniunt, & partim differunt. *Ad. 2. arg.* Conueniunt quidem in hoc, quòd tam catholici, quàm hæretici aſſentiuntur reuelatis à Deo ſub iſta ratione, quia reuelata ſunt. Differunt tamen, quia hæreticus credit aliquas res eſſe reuelatas ſequutus ſui animi coniecturam, & ſic ex rebus fidei quaſdam eligit, & quaſdam teijcit pro ſuo arbitratu atque voluntate: cæterùm fidelis credit articulos eſſe reuelatos à Deo, quiã Eccleſia illos, vt tales proponit: ex quo fit, vt omnes tanquam de fide amplectatur. Ex hoc infertur, quòd ratio totalis atque integra, ſub qua fides Chriſtiana inclinat, non eſt reuelatio abſolutè, ſed reuelatio nota, vel propoſitione Eccleſiæ, vt contingit in nobis, vel ex ipſa rei euidentia, ſicut nota fuit Apoſtolis, atque Prophetis, cum quibus Deus loquebatur manifeſtè. Hoc ſuppoſito ad argumentum reſpondetur, credenti eſſe euidens, quòd credit articulos, quia Eccleſia illos, vt reuelatos proponit, at vero hæreticus euidenter videt ſe non propter iſtam rationem credere, cùm apertè deficiat à conſenſu Eccleſiæ, & anteponat ſuum iudicium iudicio Eccleſiæ.

Et hæc de toto iſto articulo.

QVAE-

QVAESTIO QVINTA De habentibus fidem, in quatuor articulos.

DEINDE conſiderãdum eſt de habentibus fidem. ¶Et circa hoc quęruntur quatuor. ¶Primo, vtrũ angelus, aut homo in prima ſui conditione habuerit fidẽ.

¶Secundo, vtrum Dæmones habeãt fidem.

¶Tertio, vtrum hæretici errantes in vno articulo fidei habeant fidem de alijs articulis.

¶Quarto, vtrum fidem habentium, vnus alio habeat maiorem fidem.

ARTICVLVS. I.

¶ Vtrum Angelus aut homo in prima ſui conditione habuerit fidem.

Supra.q.2. art.7.co.& 3.q.1.art.3. ad.5. Li.3.cap.8. to.3.

AD PRIMVM ſic proceditur. Videtur quòd Angelus, aut homo in ſui prima conditione fidem nõ habuerit. Dicit enim Hugo de ſancto Vict. in ſuis ſententijs, quòd quia homo oculum contemplationis non habet apertum, Deum, & quæ in Deo ſunt, videre non valet. Sed Angelus in ſtatu ſuæ primæ conditionis ante confirmationem, vel lapſum habuit oculum contemplationis apertum. Videbat enim res in verbo: vt Auguſt. dicit in.2. ſuper Gen. ad literam. Et ſimiliter primus homo in ſtatu innocẽtiæ videtur habuiſſe oculum contemplationis apertum. Dicit enim Hugo de ſancto Victore, in ſuis ſententijs, quod nouit homo in primo ſtatu Creatorem ſuum non ea cognitione, quæ foris auditu ſolo percipitur, ſed ea, quæ intus per inſpirationem miniſtratur, non ea, qua Deus modo à credentibus abſens fide quæritur: ſed ea, qua per præſentiam contemplationis manifeſtius cernebatur. ergo homo, vel angelus in ſtatu primæ conditionis fidem non habuit.

Lib.2.c.8. to.3.

Li.1. de Sacra.parte.6. c.14.

2 ¶Pręterea, Cognitio fidei eſt ænigmatica, & obſcura, ſecundum illud primæ ad Corinthios decimotertio capite. Nunc videmus per ſpeculum in ænigmate. Sed in ſtatu primæ conditionis non fuit aliqua obſcuritas, neque in homine, neque in Angelo, quia tenebroſitas eſt pœna peccati. ergo fides in ſtatu primæ conditionis eſſe non potuit, neque in homine, neque in Angelo.

3 ¶Præterea, Apoſtolus dicit ad Romanos decimo capite, quod fides eſt ex auditu, auditus autem per verbum Dei. Sed hoc locum non habuit in primo ſtatu Angelicæ conditionis, aut humanæ. Non enim erat ibi auditus ab alio, ergo fides in ſtatu illo non erat neque in homine, neque in Angelo.

¶SED contra eſt, quod Apoſtolus dicit ad Hebræos vndecimo capite, Accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt, & quòd inquirentibus ſe remunerator ſit. Sed Angelus, & homo in ſui prima conditione erant in ſtatu accedendi ad Deum, ergo fide indigebant.

¶RESPONDEO dicendum, quòd quidam dicunt, quod in Angelis ante confirmationem, & lapſum, & in homine ante peccatum, non fuit fides propter manifeſtam contemplationem, quæ tunc erat de rebus diuinis. Sed cum fides ſit argumentum nõ apparentium, ſecundum Apoſtolum, & per fidem credantur ea, quæ non videntur, vt Auguſtinus dicit, illa ſola manifeſtatio excludit fidei rationẽ, per quam redditur apparens, vel viſum, id, de quo principaliter eſt fides. Principale autem obiectum fidei eſt veritas prima, cuius viſio beatos facit, & fidei ſuccedit. Cum ergo Angelus ante confirmationem, & homo ante peccatum non habuerit illam beatitudinem, qua Deus per eſſentiam vide-

Tract. 40. in Ioan. à med.to. 9. & lib. 83. q. Euang.q.39 in prin.to.4.

 tur,

tur, manifeſtum eſt, quod non habuit ſic manifeſtam cognitionem, ꝙ excluderetur ratio fidei. Vnde ꝙ nō habuit fidem, hoc eſſe non potuit, niſi quod penitus ei erat ignotum id, de quo eſt fides. Et ſi homo, & Angelus fuerunt creati in puris naturalibus, vt quidam dicunt, forte poſſet teneri, quod fides non fuerit in Angelo ante confirmationem, nec in homine ante peccatū. Cognitio enim fidei eſt ſupra naturalem cognitionem de Deo, non ſolum hominis, ſed etiam Angeli. Sed quia
1.p.q.62.a. in primo iam * diximus, quòd homo
3.& q.95. & Angelus creati ſunt cum dono gra-
art.5. tiæ, ideo neceſſe eſt dicere, quòd per gratiam acceptam, & nondum conſummatā fuerit in eis inchoatio quædam ſperatæ beatitudinis, quæ quidē inchoatur in voluntate per ſpem, & charitatem, ſed in intellectu per fidē,
Q.4.art.7. vt ſupra * dictum eſt. Et ideo neceſſe eſt dicere, quòd Angelus ante confirmationem habuit fidem, & ſimiliter homo ante peccatum. Sed tamen conſiderandum eſt, ꝙ in obiecto fidei, eſt aliquid quaſi formale, ſcilicet, veritas prima ſuper omnem naturalē cognitionē creaturæ exiſtens, & aliquid materiale, ſicut id, cui aſſentimus inhęrendo primæ veritati. Quantum ergo ad primum horum cōmuniter fides eſt in omnibus habentibus cognitionem de Deo, futura beatitudine nondum adepta, inhærēdo primæ veritati. Sed quantum ad ea, quæ materialiter credenda proponuntur, quædam ſunt credita ab vno, quę ſunt manifeſte ſcita ab
Q.1.art.5. alio, etiam in ſtatu præſenti, vt ſupra *
& q.2.art. dictum eſt. Et ſecundum hoc etiā po-
ad.2. teſt dici, quòd Angelus ante confirmationē, & homo ante peccatum quædā de diuinis myſterijs manifeſta cognitione cognouerunt, quæ nūc nō poſſumus cognoſcere, niſi credendo.

¶AD PRIMVM ergo dicendum, quòd quauis dicta Hugonis de ſancto Victore magiſtralia ſint, & robur autoritatis habeant: tamen poteſt dici, quod contemplatio, quæ tollit neceſſitatem fidei, eſt contemplatio patrię, qua ſupernaturalis veritas per eſſentiā videtur. Hanc autem contemplationē non habuit Angelus ante cōfirmationem, nec homo ante peccatum: ſed eorum cōtemplatio erat altior, quàm noſtra, per quā magis de propinquo accedentes ad Deum plura manifeſte cognoſcere poterant de diuinis effectibus & myſterijs, quàm nos poſſumus. Vnde non inerat eis fides, qua ita quæreretur Deus abſens, ſicut à nobis quæritur. Erat enim eis magis præſens per lumen ſapientiæ, quàm ſit nobis, licet nec eis eſſet ita præſens, ſicut eſt beatis per lumen glorię.

¶Ad ſecundum dicendum, quòd in ſtatu primæ conditionis hominis, vel Angeli non erat obſcuritas culpæ vel pœnę: inerat tamen intellectui hominis, & Angeli quędam obſcuritas naturalis, ſecundum quod omnis creatura tenebra eſt comparata immenſitati diuini luminis, & talis obſcuritas ſufficit ad fidei rationem.

¶Ad tertium dicendum, quòd in ſtatu primę conditionis non erat auditus ab homine exterius loquente, ſed à Deo interius inſpirante: ſicut & Prophetę audiebant: ſecūdum illud Pſal. 84. Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.

SVMMA TEXTVS.

Reprobata quorundam opinione, qui dixerunt Angelos ante confirmationē aut lapſum, & hominem ante peccatum non habuiſſe fidem propter manifeſtam contemplationem, quam tunc habebant de rebus diuinis reſpondet D. Tho. ad hanc difficultatem per tres concluſiones. Prima cōcluſio, Angelus, atque homo in prima ſui conditione ante confirmationem, & ante peccatum habuerunt fidem. Probatur Angeli, atque homo in prima ſua conditione habuerunt notitiam obiecti fidei, ſcilicet, beati-

beatitudinis ſupernaturalis, & Trinitatis, &c. & non habuerunt illius claram & manifeſtam viſionem, quæ fidem excluderet, ergo habuerunt fidem. Conſequentia cum maiori eſt nota & minor probatur: nã Angeli non habuerunt claram viſionem myſteriorum fidei quoadusq; fuerunt perfectè beati, & viderunt diuinam eſſentiam. Et confirmatur, Angeli atque homo fuerunt creati in gratia, ergo habuerunt fidem in prima ſua conditione. Probo conſequẽtiam: nam gratia nihil aliud eſt, quàm quędam inchoatio ſperatæ beatitudinis, quæ quidem in voluntate, fit per ſpem, atque charitatem, & in intellectu per fidem, ergo. Sed quoniam in obiecto fidei poſſumus conſiderare & id, quod eſt formale, ſcilicet, veritatem primam reuelantem, & id, quod eſt materiale, ſcilicet, id, quòd creditur, quantum ad hoc ponit D. Thom. alias duas concluſiones. ¶ Secunda concluſio. Quantum ad obiectum formale fidei eadẽ fides, quæ fuit in Angelis eſt nunc in hominibus. Probatur. Tam Angeli, quàm homines in credendo nitebantur primæ veritati reuelanti, ergo quantum ad rationem formalem fidei eadem fides fuit in illis, & eſt in nobis. ¶ Tertia concluſio, Quantum ad obiectum materiale fidei, aliquid eſt modo obiectum reſpectu hominum, quod non fuit reſpectu Angelorum. Probatur. Aliqua videbant tunc Angeli euidenter, quæ modò ab hominibus cognoſci nõ poſſunt, niſi per fidem, ergo. Itaque quemadmodũ nunc inter ea, quæ materialiter credenda proponuntur, quædam ſunt credita ab vno quæ ab alio ſunt euidenter ſcita, vt quòd Deus eſt, & quòd eſt vnus, &c. ita etiam quædam fuerunt euidenter ſcita ab Angelis, quæ à nobis cognoſci non poſſunt, niſi per fidem.

EXPICATIO ARTICVLI.

Dubium.

CIrca iſtum articulum eſt difficultas, vtrùm verum ſit quòd Angeli ante peccatum habuerint fidem? Nam Durandus in. 3. diſt. 23. partem tenet negatiuam. *Sentẽtia Durandi.* Non quidem negat habuiſſe eos cognitionem rerum naturalium, & ſupernaturaliũ: ſed dicit, quod illa cognitio non fuit fides, ſed euidentia atq; ſcientia. Quam ſuam ſententiam probat hac ratione. Reuelatio facta Angelo à Deo immediatè de Trinitatis myſterio, & alijs rebus ſupernaturalibus excludebat rationem fidei, ergo illam in prima ſua conditione non habuerunt. Conſequentia eſt nota, & antecedens probatur. Angelus ſciebat ſcientia excludente fidẽ, quòd Deus non poteſt mentiri, & etiam ſciebat ſcientia excludente fidem, ꝙ Deus ſibi reuelabat myſteria ſupernaturalia, ergo ſciebat ſcientia excludente fidem ipſa myſteria, atque ex conſequenti non habebat fidem illorum. Vel, vt magis appareat vis huius rationis, formo argumentum in hunc modum. Hęc propoſitio, verbi gratia Deus eſt trinus, & vnus, erat euidens Angelo in prima ſua conditione ante peccatũ, ergo non habebat fidem illius. Conſequentia eſt nota. & antecedens probatur hoc ſyllogiſmo, Deus non poteſt mẽtiri, & Deus dicit ſe eſſe trinum & vnum, ergo eſt trinus & vnus. Conſequentia eſt bona, & antecedens pro vtraque parte erat euidens Angelo, ergo & conſequens. ¶ Hoc tamen non obſtante dico, quòd Angeli in prima ſua conditione habuerunt fidem de rebus ſupernaturalibus atque diuinis. *Sententia autoris.* Ità tenet D. Tho. in præſenti, quem communiter ſequuntur omnes Doctores. Et probatur primo ex illo Ezechiel. cap. 28. Tu ſignaculũ ſimilitudinis, plenus ſapiẽtia, perfectus decore in delicijs Paradiſi Dei fuiſti, omnis lapis precioſus operimentum tuum, ſardius topazius, & iaſpis, &c. Ex quibus verbis apertè conſtat Angelos à prima ſua conditione habuiſſe omnes virtutes. Item Angeli habuerunt cognitionem rerum ſupernaturalium, ergo vel illa cognitio fuit fides vel euidentia, non euidentia, quia cum Angeli à principio habuerint gratiã, ſi ſimul haberent euidentẽ Dei cognitionem nulla ratione poſſent peccare, nec eſſent viatores, cuius contrarium conſtat ex fide, ergo habuerunt fidem. Et confirmatur, Finis Angelorum ſicut & noſter erat ſupernaturalis, ergo ſicut homines indigent ſupernaturali cognitione ad cognoſcendum finẽ ſupernaturalem, ità etiam Angeli ea indiguerunt in prima ſua creatione, atq; ex conſequenti habuerunt fidem, per quam inſtruerentur de myſterijs ſupernaturalibus. Vltimo, Angeli fuerũt creati in gratia, vt docet D. Tho. 1. par. q. 62. art. 3. ergo habuerunt fidem, Patet conſequẽtia ex Paulo ad Heb. 11. dicente, Sine fide impoſsibile eſt placere Deo. Nec valet, ſi dicatur cum Durando in 3. diſt. 23. q. 9. quòd ea verba Pauli ſunt intelligenda tantùm de hominibus adultis:

nam, præterquàm quòd hæc ſententia eſt falſa, quia paruuli ſimiliter ſuo modo indigent fide, vt poſsint placere Deo, Angeli in prima ſua conditione habuerunt ſtatum adultorum. Ex quo fit, vt quicunque dicunt Angelos fuiſſe creatos in gratia ex conſequenti etiam affirment eos habuiſſe fidem.

Id in quo difficultas conſiſtit.

❡ Cæterùm tota difficultas huius articuli conſiſtit in explicando quo modo illa cognitio, quam Angeli habebant de reuelatis non erat euidens, & ſi erat euidens qualiter habuerunt fidem? Ad cuius explicationem

Sententia Caietani.

Caietanus in præſenti dicit, quod dupliciter aliquid poteſt eſſe euidens: vno modo in ſe, alio modo in atteſtante. Euidens in ſe dicitur illud, quod clarè, & diſtinctè cognoſcitur. Euidens autem in atteſtante eſt, quod quamuis in ſe non cognoſcatur clarè, conſtat tamen ità eſſe, quia euidenter cognoſcimus id teſtificari ab eo, de quo ſcimus euidenter, quod mentiri non poteſt. Inter quas euidentias hoc eſt diſcriminis, quòd prima omnino excludit fidem: ſecunda autem poteſt eſſe ſimul cum fide. Et ratio eſt, quia res, quæ tantùm eſt euidens in teſtificante, eſt obſcura in ſe & in particulari, quamuis in communi ratione credibilis, & veri ſit euidens, & per hoc reſpondet ad argumentum Durandi.

Sententia Victoriæ.

❡ Hæc ſententia Caietani non placebat Victoriæ. Quo circà ipſe in ſuis prælectionibus aliter reſpondebat ad argumentum dicens primò, non fuiſſe euidens Angelis, quòd Deus non poteſt mentiri, quia multi ex nominalibus de hoc dubitarunt. Secundò etiam dicebat, quòd non erat euidens Angelis, quòd Deus ea myſteria ſibi reuelabat: poſſet enim Deus miraculoſè impedire ne cognoſcerent reuelantem, & ſic non eſſent certi an illa reuelatio eſſet à Deo, vel ab alio angelo.

Impugnatur Victoria.

Sed hęc ſententia, quantum ad primum dictum eſt indigna tanto viro. Ridiculum enim eſt dicere, quod Ageli nō cognòſcebant euidenter Deum non poſſe mentiri, quia multi ex Nominalibus de hoc dubitarunt, cum Nominales poſsint decipi, imò maiori ex parte decipiantur, & angeli non poſsint decipi in cognitione rerum naturalium. Et quantum ad ſecūdum dictum nullum habet fundamentum. Merè enim gratis dicitur, quòd poſſet Deus miraculoſè impedire, ne cognoſcerent reuelantem, cùm nulla ſit cauſa, propter quam id facere debuiſſet, maxime peruertendo ordinem naturæ à ſe inſtitutę. Quocirca dico, quòd ſententia Caietani eſt vera, atq; tenenda, & quòd euidentia de teſte, & de veritate illius, quamuis efficiat vt neceſſariò aſſentiamur rei teſtificatæ, non tamen efficit abſolutè euidentiam rei: & ſic poteſt eſſe ſimul cum fide. Quod affirmat D. Tho. infra art. 2. dicens, quod non tollitur ratio fidei per hoc, quòd intellectus conuincatur ex aliquo ſigno ad cognoſcēdum aliquid, quod in ſe non eſt euidens. Et in 3. diſt. 24. q. 2. quæſtiū. 2. ad quartum dicit, quòd argumenta, quæ conuincunt, & cogunt ad aſſentiendum rebus fidei, vt ſunt ſigna, & teſtes, non probant res fidei per ſe, ſed probant veritatem annunciantis & teſtificantis: & ideo non faciunt euidentiam de rebus fidei.

1. Notabile.

❡ Sed, vt hanc ſententiam ſimul probemus, & explicemus eſt aduertendū primo, quòd dupliciter aliquid poteſt probari, ſcilicet, teſtimonio, atque ratione. Inter quas probationes hoc eſt diſcriminis, quòd teſtimonium quantumuis ſit firmum, & euidens, quia eſt omnino extrinſecum propoſitioni, tantùm certificat nos, quòd res ita ſe habet ſicut proponitur, nec facit nos videre qualiter, aut quo modo prędicatum conueniat ſubiecto: tamen ratio, quia ſumitur, vel ex principijs ipſius rei, vel ex effectibus, vel ex ijs, quæ neceſſariò rem ipſam circunſtant, ità facit nos certos de connexione prædicati cum ſubiecto, vt etiam faciat videre qualiter, & quomodo cōnectantur.

2. Notabile.

❡ Secundo eſt aduertendum, quod euidentia propoſitionis conſiſtit in eo, quòd manifeſtè & clarè videatur qualiter prædicatum conueniat ſubiecto. Quod quidem poteſt fieri vno è tribus modis, ſcilicet, vel videndo intuitiuè res ipſas, quæ ſubijciuntur, & prædicantur, vel cognoſcendo cauſas, ex quibus illę neceſſariò dimanant, vel tertio videndo effectus, qui ipſas res neceſſariò conſequuntur. Quibus poſitis, probatur q̀ in Angelis euidentia de teſte, aut de veritate illius non efficiat abſolute euidentiam rei, quę repugnet fidei. Nam ille aſſenſus habebat ortum tantum ex teſtimonio alterius: ſed teſtimonium in quantum tale, quantumuis ſit certum, tantùm certificat nos de re, quòd verè ſit, nec facit nos illam videre, ergo non facit euidentiam, quæ repugnet fidei. Et confirmatur, Aſſenſus Angelorum in caſu poſito erat aſſenſus certus, & obſcurus, ergo erat aſſenſus fidei. Conſequentia eſt nota, & antecedens

probatur,

probatur:quia cùm Angelus aſſentiebatur huic propoſitioni, Deus eſt trinus,& vnus, nullo modo illi conſtabat qualiter prædicatum conueniret ſubiecto, quia nec intuitiuè videbat res, quæ ſubijciuntur, & prædicantur, nec euidenter cognoſcebat aliquam vel cauſam, vel effectum neceſſariũ illius, ergo quantumuis intellectus Angeli conuinceretur ad aſſentiendum illi ex teſtimonio euidenti, adhuc aſſenſus illius erat obſcurus, atque ex conſequenti fidei. Et per hoc patet ſolutio ad argumentum Durandi.

Argumẽtũ. ¶ Sed adhuc contra hoc ſic inſto. Angelus habebat euidentiam de veritate huius propoſitionis, Deus eſt trinus, & vnus: ergo non habebat, fidem illius. Antecedens eſt manifeſtum, & conſequentia probatur: quia hæc euidentia excludit fidem.

Solutio. ¶ Ad hoc argumentum reſpondetur, dupliciter poſſe contingere, quòd aliquis habeat euidentiam de veritate alicuius propoſitionis. Vno modo, quia ipſa natura rerum, quæ per illam ſignificantur, nobis eſt manifeſta, vel in ſe, vel in ſua cauſa, aut effectu: alio modo, quia confirmatur teſtimonio, de cuius veritate & infallibilitate conſtat manifeſtè. Et habere iſto ſecundo modo euidentiam de veritate alicuius propoſitionis, nõ eſt ipſam, qualis eſt in ſe, videre, ſed propriè eſt videre veritatem teſtificantis, & in ipſo teſtificante cognoſcere propoſitionem: non, vt clarè & manifeſtè expoſitam per aliquam doctrinam, aut rationem, ſed ſimpliciter, vt atteſtatam. Et hæc euidentia non excludit fidem. Et talis fuit euidentia, quam Angeli habuerunt de veritate huius propoſitionis, Deus eſt trinus & vnus, & de alijs ad res ſupernaturales pertinentibus.

Nota. ¶ Sed eſt aduertendum circa hanc materiam, quòd non omnibus Angelis reuelauit Deus immediatè per ſe ipſum myſteria fidei credẽda in principio ſuæ creationis, ſed aliquibus, ſcilicet, ſuperioribus immediatè, inferioribus autem mediatè iuxta doctrinam D. Dionyſij in lib. de Cœleſti Hierar. Et ſic de Angelis inferioribus non procedit argumentum Durandi, ſed tantum de ſuperioribus, qui habebant euidentiam, quòd Deus illis myſteria reuelabat.

Sententia Alexandri de Ales. ¶ Alexander Alenſ. in ſumma de virtutibus collatione.35.art.2.verſans hanc quæſtionem de fide, quam Angeli habuerunt in prima ſua conditione ante peccatum diſtinguit triplicem cognitionem, vnam ænigmaticam, & in ſpeculo, alteram in imagine, tertiam claram, & euidentem, quæ eſt cognitio rei in ſe ipſa. Et dicit, quòd prima conuenit hominibus, de quibus dicit Paulus, Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, &c. Secunda autem conueniebat Angelis, dum erant viatores, quia videbant diuina non in ſe ipſis, ſed in rebus creatis, quæ ſunt imagines, & veſtigia Dei. Tertia conuenit beatis, qui diuina vident, non in ſpeculo, aut in imagine, ſed clarè atque diſtinctè in ſe ipſis, ſicuti ſunt. Vnde dicit, quòd Angeli in ſtatu viæ non habuerunt fidem: quia cum fides ſit cognitio ænigmatica & ſpecularis, in qua vnam ſimilitudinem ex alia cognoſcimus, ſicut qui intuetur imaginem in ſpeculo depictam, fieri non potuit, vt Angelis conueniret, qui perfectiorem habent cognitionem, quàm homines. Hanc ſententiam deſumpſit Alexander ex Hugone de ſancto Victore, in lib. de ſacramentis: ſed reuera non facit ad propoſitum. Nam licet Angeli tunc habuerint perfectam rerum cognitionem per ſpecies ſibi naturaliter inditas, vt communiter concedunt Doctores, illa tamen cognitio tantum erat naturalis, & nos in præſenti non de naturali, ſed de ſupernaturali cognitione inueſtigamus.

Enricus de Gandauo. ¶ Enricus de Gandauo quodlibeto.7.quæſtio.14.non multùm abhorret ab hac ſententia Alexandri, quanuis diuerſis verbis loquatur. Dicit enim triplicem eſſe gradum cognitionis, vnum credendi, alterum intelligendi, tertium viſionis. Primus conuenit hominibus: ſecundus conueniebat Angelis dum erant viatores, tertius autem eſt beatorum. Et quòd primus & ſecundus gradus diſtinguantur, probat ex Eſaia. Qui cap.7.dicit, Si non credideritis non intelligetis iuxta tranſlationem Septuaginta. Ex his infert Enricus, quòd Angeli dũ erant viatores non habuerunt fidem rerum diuinarum, ſed intelligentiam. At vero D. Tho. in hoc articulo fatetur, quòd Angeli habuerunt fidem ad cognoſcenda myſteria fidei, quæ ſunt ſupernaturalia: quanuis non neget illam fidem in Angelis fuiſſe perfectiorem, quàm in hominibus propter ſublimem eorum naturam, & mentis acerrimam perſpicacitatem. Et quidem ſuprà poſiti authores fortaſsis in ſenſu conueniunt cum D. Thoma, quanuis in verbis ſint diſcrepantes. Omnes enim

in

in hoc tendunt, vt oſtendant Angelos perfectiorem habuiſſe cognitionem de diuinis, quàm homines, quod quidem verum eſt adhuc intra latitudinem fidei: Corpus enim quod corrumpitur aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem. Ex quo factū fuit, vt fides Angelica fuerit excellentior: & propterea ab Enrico appellatur intelligentia, & non fides, & ab Alexandro cognitio in imagine, quæ præſtantior eſt ænigmatica. Cum hoc tamen ſtat, quòd tam homines, quàm Angeli habuerunt fidem ad modum iam explicatum.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm in Dæmonibus ſit fides.

3.d.76.ar.7 cor. Et.3.d. 23.q.3.a.2. q.1. Et Veri. q.14. art.9. ad.4. Cap.5.to.7.

AD SECVNDVM ſic proceditur. Videtur, quòd in Dæmonibus non ſit fides. Dicit enim Auguſtinus in libro *de Prędeſtinatione ſanctorum, quòd fides conſiſtit in credētium voluntate: hæc autem voluntas bona eſt, qua quis vult credere Deo: Cum ergo in Dæmonibus non ſit aliqua voluntas deliberata bona, vt in primo dictum eſt, *videtur quod in Dæmonibus non ſit fides.

1.p.q.64.ar 2.ad.5.

2 ¶Præterea, Fides eſt quoddam donum diuinæ gratiæ, ſecundum illud Epheſ. 2. Gratia eſtis ſaluati per fidē: donum enim Dei eſt. Sed Dæmones dona gratuita amiſerūt per peccatum, vt dicitur in Gloſ. ordinaria ſuper illud Oſeæ. 3. Ipſi reſpiciūt ad deos alienos, & diligunt vinacia vuarum. ergo fides in Dæmonibus poſt peccatū non remanſit.

3 ¶Præterea, Infidelitas videtur eſſe grauius peccatum inter peccata, vt patet per Auguſtinum *ſuper illud Ioan nis. 15. Si non veniſſem & locutus eis non fuiſſem, peccatum non haberent, nunc autem excuſationem nō habent de peccato ſuo: ſed in quibuſdam hominibus eſt peccatum infidelitatis. ſi ergo fides eſſet in Dæmonibus, aliquorum hominum peccatum eſſet grauius peccato Dæmonū: quod videtur eſſe inconueniens, non ergo fides eſt in Dæmonibus.

Tract.89.in Ioã. ante me to.9.

¶SED contra eſt, quod dicitur Iacobi ſecundo, Dæmones credunt, & contremiſcunt.

¶RESPONDEO dicendum, q ſicut ſupra dictū *eſt, Intellectus credentis aſſentit rei creditæ: non quia ipſam videat vel ſecundum ſe, vel per reſolutionem ad prima principia per ſe viſa, ſed quia conuincitur per autoritatem diuinam aſſentire his, quę non videt, & propter imperium voluntatis mouentis intellectum, & obedientis Deo. Quòd autem voluntas moueat intellectum ad aſſentiendum poteſt cōtingere ex duobus. Vno modo ex ordine voluntatis ad bonum: & ſic credere eſt actus laudabilis. Alio modo, quia intellectus conuincitur ad hoc, quòd iudicet eſſe credendum iis, quæ dicuntur, licet non conuincatur per euidentiam rei, ſicut ſi aliquis propheta prænuntiaret in ſermone Domini aliquid futurum, & adhiberet ſignum, mortuum ſuſcitando: ex hoc ſigno conuinceretur intellectus videntis, vt cognoſceret manifeſtè hoc dici à Deo, quia non mentitur: licet illud futurum quod prædicitur, in ſe euidens non eſſet, vnde per hoc ratio fidei non tolleretur. Dicendum eſt ergo, quòd in fidelibus Chriſti laudatur fides ſecundum primum modum, & ſecundum hoc non eſt in Dæmonibus, ſed ſolum ſecundo modo. Vident enim multa manifeſta indicia, ex quibus percipiunt doctrinam Eccleſiæ à Deo eſſe: quamuis ipſi res ipſas, quas Eccleſia docet non videant, puta Deum eſſe trinum & vnum, vel aliquid huiuſmodi.

Q.2.a.1.& q.1.art.4.

¶AD PRIMVM ergo dicendum, quòd Dæmonum fides eſt quodammodo coacta ex ſignorum euidentia: & ideo non pertinet ad laudem voluntatis ipſorum, quod credunt.

¶Ad

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd fides, quæ eſt donum gratiæ, inclinat hominem ad credendum ſecundum aliquem affectum boni: etiam ſi ſit informis. vnde fides, quæ eſt in Dæmonibus, non eſt donum gratiæ, ſed magis coguntur ad credendum ex perſpicacitate naturalis intellectus.

¶ Ad tertium dicendum, quòd hoc ipſum Dæmonibus diſplicet, quòd ſigna fidei ſunt tam euidentia, vt per ea credere compellantur, & ideo in nullo malitia eorum minuitur per hoc, quòd credunt.

SVMMA TEXTVS.

PRima concluſio, Fides, qua aſſentimur reuelatis à Deo ex imperio voluntatis motæ à Deo, & piè affectæ erga bonum, non eſt in Dæmonibus, aut damnatis. Probatur, quia damnati nullam talem piam affectionem poſſunt habere erga diuina, ergo. ¶ Secunda concluſio, Fides, qua quis coactus euidentia ſignorum aſſentitur reuelatis à Deo, eſt in damnatis, atque Dæmonibus. Probatur, Dæmones vident multa manifeſta indicia, ex quibus apertè percipiunt doctrinam Eccleſiæ eſſe à Deo, quanuis ipſi non videant res, quas Eccleſia docet, ergo habent fidem, qua coactù aſſentiuntur rebus reuelatis. ¶ Tertia concluſio, quæ ſequitur ex dictis eſt, quòd fides, quæ eſt in Dæmonibus non eſt vera fides infuſa atque diuina, ſed tantùm fides acquiſita?

EXPLICATIO ARTICVLI.

CIrca iſtum articulum eſt difficultas, vtrùm verum ſit, quòd in Dæmonibus, aut in damnatis non eſt fides? De qua re Magiſter in. 3. diſt. 23. c. 4. partem tenet negatiuã, dicens, ꝙ Dæmones, & Chriſtiani damnati habent fidem infuſam, quæ eſt donum Dei, informem tamen: quia eſt ſine charitate. Idem etiã tenet Alex. Alenſ. 3. parte. quæſt. 64. membro. 7, & in ſumma de virtutibus collatione. 38. art. 7. & 8. motus teſtimonio Gloſſæ, quæ ſuper epiſtolam ad Rom. cap. 1. in illa verba, Ex fide in fidem, dicit, Eſt fides informis, quę eſt Dęmonum, & eorum, qui Chriſtiani ſunt nomine tenus: putatq; conſequenter Dæmones non fuiſſe expoliatos omnibus gratuitis, niſi tantùm in hoc ſenſu, quòd per dona gratuita nihil gratum Deo præſtare poſſunt. Durandus in. 3. diſt. 23. quæſt. 9. negat in Dæmonibus eſſe fidem infuſam. Nam cùm ille dixiſſet Angelos ante lapſum non habuiſſe fidem, vt vidimus articulo præcedenti, conſequenter etiam debebat affirmare, quòd illam non habēt poſt lapſum. Cæterùm dicit, quòd ſecundum opinionem illorum, qui aſſerunt Angelos creatos fuiſſe cum fide, conſequenter etiam eſt dicendũ, quòd illam habēt poſt lapſum ſicut & illã habēt homines damnati, qui fuerunt fideles in via, nec fidem amiſerunt per peccatũ infidelitatis. Et ſic tenet contra D. Tho. Probariq; poteſt hæc ſententia aliquibus argumentis. Primo ſic, Si damnati fideles amitterent fidem, id eſſet aut per actum contrarium infidelitatis, aut ratione ſtatus, quia, ſcilicet, ſunt in termino: ſed neutrum horũ obſtat, ergo dicendum eſt, quòd habent fidem. Conſequentia cum maiori eſt nota, & minor probatur. Et primò, ꝙ illam non amiſerint per actum contrarium, quia in præſenti tãtum loquimur de illis, qui cum fide deceſſerunt. Quòd autem nec illam amiſerint ratione ſtatus probatur: quia ſtatus termini ſolùm excludit fidem, quando includit actum repugnantem fidei, qualis eſt ſtatus patriæ, qui excludit fidem, quia includit viſionem claram eorum, quæ ſunt fidei, cum qua fides ſtare non poteſt: ſed ſtatus damnatorum non inducit huiuſmodi actum repugnantem fidei, ergo. ¶ Et confirmatur. Fides, vel quicunq; alius habitus corrumpitur, vel propter corruptionem ſubiecti, vel per actum contrarium: ſed in damnatis fidelibus, & in Dęmonibus non fuit actus contrarius fidei, quia diſceſſerunt cum illa, & ſubiectum ſemper manet, ergo & fides. ¶ Secundo, Damnati fideles diſtinguntur in inferno ab infidelibus, & non niſi per fidem, ergo illam habent. ¶ Tertio. Si Dæmones non haberent fidem diuinam, maximè quia nõ poſſunt habere piam affectionem, vt D. Tho. affirmat in hoc articulo, ſed hæc ratio nihil obſtat, ergo. Probo minorem: nam, cùm in Dęmonibus temãſerint integra naturalia, quæ bona fuerunt, manifeſtè ſequitur, ꝙ ex parte volũtatis retinent bonam inclinationem, & ex parte intellectus ſynderesim, qua iudicant bonum eſſe amplectendum, & malum fugiendum: atque ex conſequenti poſſunt habere piam affectionem circa id, quod eſt bonum. ¶ Vltimo, ad augendam pœnam damna

Dubium. *Sententia Durandi.* *1. Argum.* *Confirmatio* *2. Argum.* *3. Argum.* *Vltimum argumentum.*

damnatorum pertinet, vt cognoſcant bona cœleſtia, quæ peccando amiſerunt: ſed hæc cognoſci non poſſunt, niſi per fidem infuſam: ergo dicendũ eſt, quòd damnati illam habent.

Sententia vera. ¶ Contrariam tamen ſententiam tenet D. Bonauent. in 3. diſt. 23. art. 2. quæſtio. 3. Gabriel in 3. diſt. 23. quæſt. 2. art. 3. Caietanus atque D. Thom. in hoc articulo, quem communiter ſequuntur omnes Thomiſtę. Et quamuis D. Tho. in pręſenti nullã mentionẽ faciat de damnatis, eâdem tamen ratione, qua negat fidem eſſe in Dæmonibus conuincitur illam eſſe nõ poſſe in alijs, qui exiſtunt in inferno. Tamen ad exactã *Pro explicatione nota primo.* huius rei intelligentiam eſt aduertendum, primo, ꝙ intellectus tripliciter poteſt moueri ad credendum ea, quæ ſunt fidei, primo modo per humana motiua tantum: ſecundo propter autoritatẽ diuinã, & ex imperio voluntatis pie affectæ: tertio modo per ſigna, quæ in teſtimonium fidei facta ſunt, quæ quandoq; tam euidentia, & neceſſaria ſunt, vt conuincant intellectum ad credendum etiam voluntate renuente. Primus aſſenſus non eſt fidei infuſæ, ſed acquiſitæ, quæ innititur tantum motiuo humano, atque fallibili. Tertius etiam non eſt actus fidei infuſæ, ſed fidei quodammodo coactæ, atq; compulſæ euidentia ſignorũ. Secũdus autem aſſenſus eſt proprius actus fidei infuſæ, atque diuinæ.

2. Notabile. ¶ Secundo eſt aduertendum, ꝙ Dæmonum, & damnatorum volũtas eſt adeò obſtinata & firmata in malo, præſertim erga Deum, & res ſupernaturales, atque diuinas, vt nullam bonam affectionem poſsint habere circa illas, vt rectè docet D. Tho. 1. parte quæſtio. 64. art. 2. & Magiſter in 2. diſt. 7. Vnde D. Auguſtinus in lib. de fide ad Petrum, cap. 3. dicit, quòd angeli mali non poſſunt mala vnquam carere voluntate nec pœna: ſed ſicut permanet in eis iniuſtæ auerſionis malum: ità etiam permanet iuſtæ retributionis æterna damnatio. Cauſa autem præcipua huius obſtinatæ, & prauæ voluntatis deſumitur ex miſeria ſtatus, in quo ſunt. Nam cum damnati omnes ſint in actuali conſideratione illius pœnæ, quam patiuntur, & contemplentur ſe amiſiſſe beatitudinem, quam deſperant aſſequuturos, & præterea cognoſcant Deum vindicem, atque vltorem, non poſſunt non agitari ſpiritu quodam odij, & inimicitiæ in Deum, eo præſertim, quòd non habent nec quid timeant, nec quid ſperent ab illo. Ex quo prouenit, vt ſint ità obſtinati, quòd quamuis illos pœniteat ſuorum delictorum, vt conſtat ex illo Sapientiæ. 5. pœnitentiam agentes, & prę anguſtia ſpiritus gementes: id non eſt ratione virtutis, ſed ratione pœnæ. Et ſic ſemper permanẽt in odio Dei, ex quo etiam vellent multò plura commiſiſſe peccata contra Deum iuxta illud Pſalm. 73. Superbia eorum, qui te oderunt aſcendit ſemper. Qui locus præcipuè explicatur à ſanctis de iſtis damnatis.

¶ His poſitis ſit concluſio, In Dæmonibus, & damnatis non eſt fides infuſa, nec *Concluſio.* quantum ad actum, nec quantum ad habitum. Et quidem, quòd non ſit quantum ad actum probatur, quia actus fidei infuſæ ſemper nititur primæ veritati reuelanti, & procedit ex bona voluntate, erga diuina, ſed talis actus non poteſt eſſe in damnatis, neque in Dæmonibus, ergo. Item, fides infuſa ſemper eſt ex ſupernaturali Dei auxilio, vt diximus in ſuperioribus, ſed non eſt vero ſimile, quòd Deus concurrat ſpeciali auxilio cum damnatis, atque Dæmonibus, ergo nec eſt vero ſimile, quòd poſsint habere actum fidei. Quod autem nec etiam ſit in damnatis fides quãtum ad habitum, probatur: nam habitus ſunt propter actus, vt docet D. Thomas. 1. 2. quæſt. 50. artic. 3. ſed damnati non poſſunt habere actum fidei, ergo nec habent habitum. Et confirmatur. Habitus infuſi corrumpuntur per actus contrarios, ſed Dæmones atque damnati habent plures actus contrarios fidei, ergo non manet in eis habitus. Conſequentia cum maiori eſt nota, & minor probatur: nam ſicut damnati ſemper habent odio Deum, ita etiam & ſemper diſcredunt illis myſterijs, quibus poſſunt diſſentiri, illis, ſcilicet, ad quos credẽdos euidentia ſignorum non coguntur, præterquam, quòd etiam illis, quibus coacti aſſentiuntur, diſſentiri vellent ſi poſſent, certum eſt autem, quòd iſti actus ſunt contrarij fidei: ergo per illos fides corrumpitur. Item ſublata ratione formali fidei, ꝙ etiam ipſa fides auferatur eſt neceſſe, vt articulo ſequenti docet D. Thomas: ſed in damnatis, & Dæmonibus non remanet ratio formalis fidei, non enim credunt, quia Deus reuelauit, nec ex pia affectione voluntatis, ſed quia aliter facere non poſſunt: ergo nec habent actum nec habitum fidei.

Damnati nõ habent fidẽ nec quãtum ad actũ nec quantum ad habitum.

Et

Et confirmatur. Si aliquis ſecum proponeret non crediturum, niſi per rationes conuincentes intellectum ad credendum, talis non haberet fidem infuſam, atq; diuinam: ſed Dæmones atque damnati habent huiuſmodi propoſitum, & non credunt, niſi inuiti, atque nolentes, ergo non habent fidem. Tandem probatur concluſio: nam fides eſt donum Dei, quod datur viatoribus ad ambulãdum in via Domini, iuxta illud Paul. 2. ad Corinth. 5. Per fidem ambulamus, & nõ per ſpem, ſed damnati iam ſunt in termino, ergo non habent fidem. Et confirmatur ex eodem Paulo, qui ad Hebræos. 11. dicit, Fides eſt ſubſtantia rerum ſperandarum, ſed Dæmones nullam poſſunt habere ſpem, ergo nec fidem.

Ad. 1. arg. ¶Et ad argumenta in contrarium facta, ad primum reſpondetur primo cum Caietano in præſenti, quod damnati amittunt fidem ratione ſtatus, quia ſunt in termino ſimpliciter, qui ſemper opponitur fidei: aut ratione actus poſitiui, vt ſtatus patriæ, qui ratione viſionis beatificæ in illo exiſtẽtis excludit fidem: aut negatiuè, vt ſtatus inferni, qui repugnat fidei non poſitiuè propter aliquem actum in inferno exiſtentem, ſed negatiuè, ſcilicet, ratione actus proprij fidei illic impoſsibilis. Eſt enim rationabile quòd Deus ſubtrahat habitum fidei infuſæ adueniente ſtatu, in quo non poteſt amplius in actum exire. Dixi notanter, ꝙ damnati amittunt fidem ratione ſtatus, quia ſunt in termino ſimpliciter, propter exiſtentes quodammodo in via, & quodammodo in termino, quales ſunt illi, qui ſunt in purgatorio, & fuerunt patres exiſtentes in limbo, qui quidem habent fidem quoadusq; ad patriam perueniant. Vel ſecundo reſpondetur quòd damnati amittunt fidem ratione actuum contrariorum, quos habent, vt diximus in probatione cõcluſionis, quo modo reſpondet Paludanus in 3. diſt. 23. quæſt. 4. *Ad. 2. arg.* ¶Ad ſecundum reſpõdetur, quod damnati fideles diſtinguũtur ab infidelibus per characterem, vel diſtinguntur per maiores pœnas, quas fideles cæteris paribus patiuntur ſupra infideles. Vel tertio, dico nullum eſſe inconueniens, quod non diſtinguantur. *Ad. 3. arg.* ¶Ad tertium argumentum reſpondetur conceſſa maiori, negando minorem. Et ad probationem dico, verum eſſe, quòd in Dæmonibus remanſit bona inclinatio naturalis, ipſi tamen pro ſua mala voluntate ſic abutuntur illa, vt non habeant aliquam piam affectionem erga bonũ, maxime erga Deũ, quem ſummo odio proſequuntur. Ex quo fit, vt omnes actus voluntatis illorum ſint peccata mortalia, vt rectè docet D. Tho. 1. 2. quæſt. 89. art. 4. in corpore, & in ſolutione ad tertium. *Ad vltimũ argumentũ.* ¶Ad vltimum reſpondetur quòd damnati cognoſcunt bona, quę amiſerunt, non per fidem infuſam, ſed per fidem ortam ex coniecturis, & ſignis, quibus conuincuntur ad ita iudicandum. Si quę autem teſtimonia inueniantur apud D. Tho. vel alios Doctores, quibus ſignificare videantur, quòd Dæmones habent fidem, quale eſt illud Auguſtini ſermo. 61. de verbis Domini, vbi dicit, quòd Dęmones habent fidem, ex qua credunt Chriſtũ, ſed non credunt in Chriſtum, quia non habent fidem, quæ per charitatem operatur: erunt interpretanda de fide in genere, ſcilicet, de fide acquiſita, & non de fide infuſa. De hac re videndus eſt Michaël Palacio in 3. diſt. 23. diſputatione nona.

ARTICVLVS. III.

¶Vtrùm qui diſcredit vnum articulum fidei, poſſit habere fidem informẽ de alijs articulis.

AD TERTIVM ſic proceditur. Videtur ꝙ hæreticus, qui diſcredit vnum articulum fidei, poſſit habere fidem informem de alijs articulis. Non enim intellectus naturalis hæretici eſt potentior, quàm intellectus catholici, ſed intellectus catholici indiget adiuuari ad credendum quemcunque articulum fidei dono fidei. ergo videtur quòd nec hæretici aliquos articulos fidei credere poſsint ſine dono fidei informis. *3. diſt. 23. Quol. 3. ar. 3 q. 2. & Veri. q. 14. a. 10. ad. 10. Et quol. 6. q. 4. art. 1.*

2 ¶Præterea, Sicut ſub fide continentur multi articuli fidei, ita ſub vna ſciẽtia, puta Geometria, continentur multæ concluſiones. ſed homo aliquis poteſt habere ſcientiam Geometriæ circa quaſdam Geometricas concluſiones, alijs ignoratis. ergo homo aliquis poteſt habere fidem de aliquibus articulis fidei, alios non credendo.

3 ¶Pręterea, Sicut homo obedit Deo ad cre-

ad credendum articulos fidei: ita etiã ad ſeruanda mandata legis, ſed homo poteſt eſſe obediens circa quædã mandata, & non circa alia. ergo poteſt habere fidem circa quoſdam articulos, & non circa alios.

¶ SED contra eſt, Sicut peccatum mortale contrariatur charitati, ita diſcredere vnum articulum contrariatur fidei: ſed charitas non remanet in homine poſt vnum peccatum mortale: ergo neque fides poſtquam diſcredit vnum articulum fidei.

¶ RESPONDEO dicendum, ꝙ in hæretico diſcredente vnum articulum fidei, non manet fides, neque formata, neque informis. Cuius ratio eſt, quia ſpecies cuiuſlibet habitus dependet ex formali ratione obiecti, qua ſublata, ſpecies habitus remanere non poteſt. Formale autem obiectum fidei eſt veritas prima, ſecundum quod manifeſtatur in ſcripturis ſacris, & doctrina Eccleſiæ, quæ procedit ex veritate prima. Vnde quicunque non inhæret ſicut infallibili, & diuinæ regulæ, doctrinæ Eccleſiæ, quæ procedit ex veritate prima in ſcripturis ſacris manifeſtata, ille non habet habitum fidei: ſed ea, quæ ſunt fidei, alio modo tenet, quàm per fidem. Sicut ſi aliquis tenet mente aliquam concluſionem, non cognoſcens medium illius demõſtrationis, manifeſtum eſt, quòd non habet eius ſcientiam, ſed opinionem ſolum. Manifeſtum eſt autem, quòd ille qui inhæret doctrinæ Eccleſiæ, tã quam infallibili regulę, omnibus aſſentit, quæ Eccleſia docet: alioquin ſi de his quę Eccleſia docet, quę vult tenet, & quæ non vult, non tenet, non iam inhæret Eccleſię doctrinæ, ſicut infallibili regulæ, ſed propriæ voluntati. Et ſic manifeſtum eſt, quòd hæreticus qui pertinaciter diſcredit vnum articulum fidei, non eſt paratus ſequi in omnibus doctrinam Eccleſię. Si enim non pertinaciter, iam non eſt hæreticus, ſed ſolum errans. Vnde manifeſtum eſt, quòd talis hæreticus circa vnum articulum, fidem non habet dę alijs articulis, ſed opinionem quãdam ſecundum propriam voluntatem.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd alios articulos fidei, de quibus hæreticus non errat, non tenet eodem modo, ſicut tenet eos fidelis, ſcilicet ſimpliciter inhærendo primæ veritati, ad quod indiget homo adiuuari per habitum fidei. Sed tenet ea, quæ ſunt fidei propria voluntate, & iudicio.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd in diuerſis concluſionibus vnius ſciẽtiæ ſunt diuerſa media, per quæ probantur, quorum vnum poteſt cognoſci ſine alio. Et ideo homo poteſt ſcire quaſdam concluſiones vnius ſcientię, ignoratis alijs. Sed omnibus articulis fidei inhæret fides propter vnum medium, ſcilicet propter veritatem primam propoſitam nobis in ſcripturis ſecundum doctrinam Eccleſiæ intelligentis ſanè: & ideo qui ab hoc medio decidit, totaliter fide caret.

¶ Ad tertium dicendum, quòd diuerſa præcepta legis poſſunt referri, vel ad diuerſa motiua proxima, & ſic vnũ ſine alio ſeruari poteſt. vel ad vnum motiuum primum, quod eſt perfecte obedire Deo, à quo decidit quicunque vnum præceptum tranſgreditur: ſecundum illud Iacobi. 2. Qui offendit in vno, factus eſt omnium reus.

SVMMA TEXTVS.

PRima concluſio, In hæretico diſcredente vnum articulum fidei non manet fides, nec formata, nec informis. Probatur. Species cuiuſlibet habitus ità dependet ex ratione formali ſubiecti, vt ea ſublata habitus manere non poſsit, ſed obiectum formale fidei eſt veritas prima ſecundum quod manifeſtatur in ſacris litteris, & in doctrina Eccleſiæ, quæ procedit ex prima veritate, ergo qui non adhæret huic regulæ non poteſt habere habitũ fidei: tales autẽ ſunt hęretici diſcredẽtes vnum articulum, ergo.

¶ Secun-

¶ Secunda concluſio, Hæreticus, qui diſcredit vnũ articulum fidei, aſſentitur alijs per fidẽ acquiſitã. Probatur, Innititur teſtimonio humano & propria voluntate, ergo habet fidem acquiſitã. Vnde dico, ꝙ quemadmodum ille, qui tenet mente concluſionẽ aliquam, & non cognoſcit medium, per qđ demõſtratur, non dicitur habere ſcientiam, ſed opinionem talis concluſionis, itá etiam qui credit articulos fidei, & nõ propter primam veritatem, prout manifeſtatur in doctrina Eccleſiæ, non habet fidem infuſam, ſed acquiſitã, & ea, quæ ſunt fidei alio modo tenet, quam per fidem. ¶ Tertia concluſio, Ad hoc, vt hæreticus diſcredẽs vnum articulum amittat fidem neceſſarium eſt, ꝙ illum pertinaciter diſcredat, ſi enim nõ pertinaciter diſcredit nõ hæreticus, ſed errans erit dicendus. Probatur, Tunc ſolum hæreticus eſt paratus non ſequi in omnibus doctrinam Eccleſiæ quando pertinaciter diſcredit aliquẽ articulũ, ergo tunc tantum nõ habet fidem diuinam.

EXPLICATIO ARTICVLI.

difficultas. Circa primam concluſionem huius articuli eſt difficultas, vtrũ vera ſit, Nã *Sẽtẽtia Du.* Durand. in. 3. d. 23. q. 9. ad tertiũ argumentum dicit, quòd hæretici diſcredẽtes vnum articulum habent fidem infuſam atq; diuinã, qua reliquis aſſentiantur. Et probari poteſt hæc ſententia aliquibus argumẽtis. *1. Argu.* Primo ſic, Virtutes morales, & intellectuales, vt. v. g. iuſtitia, nõ corrũpũtur per vnũ actũ contrariũ, ergo nec fides infuſa. Antecedẽs conceditur ab omnibus Philoſophis dicentibus eundem ordinem ſeruari in generatione, & corruptione habituũ. Conſequentia vero probatur ex paritate rationis. *2. Argum.* ¶ Secundo, hæreticus diſcredens vnum articulũ eodem modo & eadẽ firmitate credit alios, quo antea credebat, ergo credit ex eodem habitu. Antecedens conſtat experientia, & conſequentia probatur, quia ſimilitudo actuum arguit ſimilitudinem habituum. Et confirmatur. Cum errore circa vnam cõcluſionẽ ſtat ſcientia de alijs, ergo cum errore circa vnum articulum poterit ſtare fides infuſa circa alios. *3. Argu.* ¶ Tertio ſic argumentor. Sit puer baptizatus, qui in ipſo primo tempore vſus rationis nemine exterius proponente, ſed Deo tãtum interius ſuggerente aſſentiatur per fidem in baptiſmo infuſam quatuor, verbi gratia, articulis, & poſteà diſcredens vni illorum tribus reliquis aſſentiatur. Et tunc ſic argumentor, Ille puer in caſu poſito credit tres articulos, quos anteà credebat, & nõ per fidem acquiſitam, ergo per fidem infuſam. Conſequentia cum maiori eſt nota, & minor probatur: nam vt caſus fingit, ille puer nullũ exterius motiuũ credẽdi habuit, niſi tantum fidem infuſam, & internam Dei motionem, ergo.

Sententia cõmunis. ¶ Contrariam tamen ſententiam tenent communiter Doctores cum Magiſtro in. 3. diſtin. 23. Ad cuius explicationem eſt aduertẽdum primo, *1. Notabile.* quod de obiecto formali fidei poſſumus loqui dupliciter, ſcilicet, vel abſolutè, & ſecundum ſe, vel in ordine ad nos, qui habemus fidẽ ex auditu. Si loquamur de obiecto formali fidei abſolutè, ſic dicẽdum eſt, quod obiectum formale fidei eſt veritas prima reuelãs, nam abſolutè loquẽdo hæc ratio per ſe ſola eſt ſufficiens ad inducendum aſſenſum fidei: vt patet in Angelis, in Prophetis, in Apoſtolis, & in omnibus illis, quibus Deus immediatè res fidei reuelauit. Si autem loquamur de obiecto formali fidei in ordine ad nos, & in ordine ad illos, quibus Deus non immediatè per ſe ipſum, ſed mediantibus miniſtris Eccleſiæ res fidei reuelat, ſic obiectum formale fidei: id eſt ratio ſufficiens, & integra credendi, non eſt veritas prima præciſè, ſed cũ modificatione quadam, ſcilicet, ſecũdum doctrinam & explicationem Eccleſiæ, quę in explicandis & proponendis huiuſmodi rebus errare non poteſt. Ex quo infertur, ꝙ hæretici, qui negant aliquem articulum ipſo facto iudicant Eccleſię doctrinam eſſe falſam, atque ex conſequenti, cauſa & ratio credendi in illis non eſt veritas prima reuelans & dicens per os Eccleſiæ, ſed veritas prima pro ſua voluntate conficta. Et ſic illa, quæ credunt non credunt propter obiectum formale fidei, ſed propter ſuũ priuatum iudicium.

2. Notabile. ¶ Secundo eſt aduertendum, quod habitus infuſi & ſupernaturales, ſicut pendent in fieri à ſolo Deo, ſic etiam ab ipſo ſpeciali eius concurſu & auxilio conſeruãtur, vt docet D. Tho. 2. 2. q. 24. art. 12. Deus autem, & natura, ſicut nihil faciũt fruſtra, ità etiã nihil fruſtra, & ſine cauſa cõſeruant.

Hæretici diſcredẽtes vni articulo non habẽt fidem neq; quãtum ad actũ, neq; quantum ad habitum. ¶ His ſuppoſitis ſit concluſio, Hæretici vni articulo diſcredẽtes nec habent actum, nec habitum fidei infuſæ. Hanc concluſionem tenet D. Tho. in hoc art. & in. 3. d. 23. q. 3. ar. 3. quæſtiunc. 2. & de veritate. q. 14. art. 10. quem communiter ſequuntur omnes Thomiſtæ. Et quidem, ꝙ non habeant

actum fidei, etiam circa ea, quæ verè credunt, probatur apertè: nam nihil credunt ſub ratione formali fidei, ergo non habent actum fidei infuſæ. Conſequētia eſt nota, & antecedens probatur. Ratio formalis fidei, vt diximus in primo notabili, eſt prima veritas dicens atque reuelans per os Eccleſiæ: ſed hæretici nihil credunt propter iſtam rationem: iudicant enim Eccleſiæ doctrinam eſſe mendacem atque falſam, ergo nihil credūt ſub ratione formali fidei, atque ex conſequenti non habent actum fidei infuſæ. Quod autē nec etiam habeant habitum probatur primo, quia homo hæreticus, quandiu hæreticus eſt, non poteſt habere actum fidei infuſæ, vt diximus in prima concluſione, ergo non habet habitum. Probo conſequentiam: quia aliàs fruſtrà, & ſine cauſa ille conſeruaretur à Deo. Item ſi hæreticus haberet habitum fidei infuſæ ſequeretur, quod eſſet dicēdus fidelis, & verè Chriſtianus, & membrū Eccleſiæ ſuo capiti Chriſto coniunctum, cōſequens autē eſt falſum & abſurdum, ergo. Sequela probatur: nā habitus fidei infuſæ eſt vera fides verèque denominat hominem fidelem, vt dicitur in concilio Trid. ſeſ. 6. Item ſequeretur, quod Arrius atq; Lutherus, & alij hæretici nunquam amiſerunt habitum fidei infuſæ, ſiquidem præbuerunt aſſenſum multis ex articulis fidei, conſequens autem eſt plus quam falſum, ergo. Item, ſi diſcredens vni articulo non amitteret habitum fidei infuſæ ſequeretur, quod, ſi adultus hæreticus baptizaretur, proculdubio reciperet habitum fidei, hoc autem eſt falſum, ergo. Sequela probatur: quia non minus requiritur ad conſeruationem habitus, quam ad hoc, vt de nouo infundatur: ergo ſi ad conſeruationem ſufficit, quod homo credat vnum articulum, pari ratione id erit ſufficiens ad ipſius habitus productionē. Præterea habitus charitatis corrūpitur per vnum actum contrarium, ſcilicet, per quodcunq; peccatum mortale, vt probat D. Tho. 2. 2. quæſt. 24. artic. 10. & 12. ergo & habitus fidei corrumpitur per vnū actum infidelitatis. Probo conſequentiam, quia vterque habitus eſt ſupernaturalis, & pendet à ſolo Deo in fieri, & in conſeruari. Tandem hoc idem probatur ex capit. dubius, de hæreticis. vbi dicit Stephanus Papa, nō ſolum hæreticos, ſed etiam dubios in fide eſſe infideles, ergo carent fide. Probo conſequentiā, quia alias eſſent dicendi fideles, ſicut Philoſophus, qui habet habitū philoſophiæ talis appellatur. Et in conc. Trid. ſeſ. 6. cap. 15. dicitur, quod non ſolū infidelitate per quam fides amittitur, ſed etiā quocunq; peccato mortali amittitur gratia, ergo ex ſententia cōcilij quocunque peccato infidelitatis fides amittitur, atque ex conſequenti non manet in hæreticis.

Dubium.

¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco vtrùm concluſio à nobis poſita ſit de fide. Et ratio dubitādi eſt: nam videtur diffinita in conc. Trid. loco ſtatim à nobis citato. Hoc tamē non obſtante dico breuiter, quod quanuis ſit erroneū, atq; temerarium aſſerere, quod hæretici habēt actum, vel habitum fidei infuſæ, non tamen eſt de fide, quod illo carēt. Et quidem quod ſit erroneum, atque temerarium id aſſerere probatur: nam eſt contra communem doctorum ſententiam, & contra modum loquendi concilij, quod ſatis eſt ad efficiendam propoſitionem erroneam, & temerariā. Quod autem id non ſit de fide probo: quia conc. Trid. eo in loco non intendit illam propoſitionem tanquā de fide diffinire, ſed ad aliud tendens eam obiter poſuit, ſequendo in hoc cōmunem, & magis receptam Theologorum ſententiam. Quod autem in eo cap. tanquam de fide determinare intendebat eſt, quod per quodcunque peccatum mortale amittitur gratia, & non per ſolam infidelitatem, vt Lutherani dicebāt: quod quidem eſt certū atque de fide.

Reſponſio.

Aſſentiēs propoſitionibus erroneis non amittit fidē.

¶ Hic ſolet à nonnullis dubitari vtrùm illi qui aſſentiuntur propoſitionibus, vel temerarijs, vel erroneis amittant fidem infuſam? Immeritò tamen: quia cum tales non ſint hæretici, nec habeāt actus fidei contrarios, non eſt cur dubitemus vtrùm amittāt fidēnec ne? Sed pars negatiua ab omnibus tanquam vera & certa eſt tenenda.

Ad 1. argu.

¶ Et ad primum argumentum in cōtrarium factum reſpondetur conceſſo antecedenti, negando conſequentiam, Et ad probationē dico hoc eſſe diſcriminis inter habitus acquiſitos, & infuſos, quòd acquiſiti non corrumpuntur vnico actu contrario, infuſi vero ſic. Et ratio eſt: quia cum habitus acquiſiti generentur in nobis aſſuetudine, & multitudine actuum ſunt adeo firmati, & corroborati in nobis, vt regulariter loquendo in vno actu non ſit tanta vis, atque efficacia, quanta eſt in habitu contrario. At vero habitus infuſi non generantur in nobis aſſuetudine, ſed à ſolo

Deo

Deo infunduntur, & ab eodem conſeruantur, quandiu non fuerit in nobis operatio illis contraria. [Ad.2.arg.] ¶ Ad ſecundum argumentũ reſpondetur negando, quod hæreticus diſcredẽs vni articulo eodẽ modo aſſentiatur reliquis, ſicut & anteà. Nã primo nõ credit ſub eadẽ ratione formali, quia antea credebat nitẽs veritati primæ reuelanti, & loquẽti per Eccleſiam, poſteà autem credit nitẽs ſuo proprio iudicio. Et prætereà ſimiliter non credit ità, ſicut antea: nam ex eo, ꝙ ſuo iudicio nititur fit, vt facile mutet ſentẽtiam, vt experientia conſtat. Ad confirmationem reſpondetur conceſſo antecedenti, negando cõſequentiam. Et ratio diſcriminis eſt: nam, cùm in ſcientia diuerſæ concluſiones probentur per diuerſa media, fieri poteſt, vt cum errore circa vnam, ſit ſcientia circa aliam: cæterum in fide omnia credibilia probantur per idem medium, ſcilicet, per veritatem primã reuelantem myſteria per Eccleſiã, & ſic per errorem in vno credibili auffertur mediũ, quo omnibus aſſentimur: & eo ſublato impoſſibile eſt ꝙ fides remaneat, etiam reſpectu aliorum credibilium: quod ſimiliter contingeret in ſcientia, ſi medium, per quod aſſentimur omnibus cõcluſionibus eſſet idem. Nam ſi aſtrologus. v.g. aſſentiretur omnibus ſuis cõcluſionibus per hoc mediũ ſolũ, ſcilicet, quod cœlũ mouetur, & poſteà diſſentiretur vni cõcluſioni: quia exiſtimat cœlũ non moueri, quod etiam diſſentiatur & reliquis erit neceſſe: & ita contingit in fide, cuius omnibus articulis credimus ſub eadem ratione atque medio. [Ad vltim.] ¶ Ad vltimum admiſſo eo caſu reſpondeo, quod ille puer aſſentiretur illis tribus articulis ex propria voluntate, vel opinione, & non ex inclinatione habitus infuſi, quem iam non habet, & ſic talis aſſenſus erit dicendus, vel opinio, vel fides acquiſita, quæ innititur teſtimonio fallibili.

ARTICVLVS. IIII.

¶ Vtrum fides poſſit eſſe maior in vno quam in alio.

[3.d.25.q.2. qu.1.] AD QVARTVM ſic proceditur. Videtur, quod fides nõ poſſit eſſe maior in vno, quam in alio. Quantitas enim habitus attenditur ſecundũ obiecta: ſed quicunque habet fidem, credit omnia quæ ſunt fidei: quia qui deficit ab vno, totaliter amittit fidem. vt ſupra, dictum eſt, ergo videtur, ꝙ [Ar. præced.] fides nõ poſſit eſſe maior in vno, quã in alio.

2 ¶ Prætereà, Ea, quæ ſunt in ſummo, non recipiunt magis nec minus: ſed ratio fidei eſt in ſummo, requiritur enim ad fidem quod homo inhæreat primę veritati ſuper omnia, ergo fides non recipit magis, & minus.

3 ¶ Præterea, ita ſe habet fides in cognitione gratuita, ſicut intellectus principiorum in cognitione naturali, eoquod articuli fidei ſunt prima principia gratuitæ cognitionis, vt ex dictis* [Qu.1.ar.7.] patet: ſed intellectus principiorũ ęqualiter inuenitur in omnib' hominibus, ergo & fides æqualiter inuenitur in omnibus fidelibus.

¶ SED CONTRA, Vbicunque inuenitur paruum & magnum, ibi inuenitur maius & minus: ſed in fide inuenitur magnũ & paruũ. Dicit enim Dominus Petro, Matth. 14. Modicæ fidei quare dubitaſti? Et mulieri dixit Matth. 15. Mulier magna eſt fides tua, ergo fides poteſt eſſe maior in vno, quam in alio.

¶ RESPONDEO dicendum, ꝙ [12.qu.51.a. 1.& 2.& q.112.ar.4.] ſicut ſupradictum. eſt, quantitas habitus ex duobus attendi poteſt: vno modo ex obiecto, alio modo ſecundum participationem ſubiecti. Obiectum autem fidei poteſt dupliciter conſiderari: vno modo ſecundum formalem rationẽ, alio modo ſecundum ea, quæ materialiter credenda proponuntur. Formale autẽ obiectum fidei, eſt vnũ & ſimplex, ſcilicet veritas prima, vt ſupra dictũ * eſt, vnde ex hac parte fidẽs [Q.1.ar.1.] non diuerſificatur in credentibus. ſed eſt vna ſpecie in omnibus, vt ſupra dictum eſt*. [Q.4.ar.6.] ſed ea, quæ materialiter credenda proponuntur ſunt plura, & poſſunt accipi, vel magis, vel minus explicitè: & ſecũdum hoc põt vnus homo plura explicite credere, quam alius: & ſic in vno poteſt eſſe maior fides, ſecũdum

dum maiorem fidei explicationem. Si vero conſideretur fides ſecundum participationem ſubiecti, hoc contingit dupliciter. Nam actus fidei procedit ex intellectu, & ex voluntate, vt ſupra dictum eſt. Poteſt ergo fides in aliquo dici maior: vno modo ex parte intellectus, propter maiorem certitudinem & firmitatem, alio modo ex parte volũtatis, propter maiorem promptitudinem, ſeu deuotionem vel confidentiam.

Q.4. ar.21. & q.2 ar.1. & 2.

¶ AD PRIMVM ergo dicẽdũ, ꝙ ille qui pertinaciter diſcredit aliquid eorum, quæ ſub fide continentur, non habet habitum fidei, quem tamen habet ille, qui nõ explicite credit omnia, ſed paratus eſt omnia credere. Et ſecũdum hoc ex parte obiecti vnus habet maiorem fidem, quàm alius, inquantum plura explicite credit, vt dictum eſt.

In corp. art. ¶ Ad ſecundum dicendum, quod de ratiõe fidei eſt, vt veritas prima omnibus præferatur: ſed tamen eorum, qui eam omnibus præferunt, quidam certius, & deuotius ſe ei ſubijciunt, quam alij: & ſecundum hoc fides eſt maior in vno quam in alio.

¶ Ad tertium dicendum, quòd intellectus principiorũ conſequitur ipſam naturam humanam, quæ æqualiter in omnibus inuenitur. Sed fides cõſequitur donum gratiæ, quod non eſt æqualiter in omnibus, vt ſupra dictũ eſt: vnde non eſt eadem ratio. Et tamen ſecũdum maiorẽ capacitatem intellectus, vnus magis vel minus cognoſcit veritatem principiorum, quam alius,

1. 1. q.112. ar.4.

SVMMA TEXTVS.

SVppoſito, ꝙ quantitas habitus poteſt attendi, vel ex obiecto, vel ex maiori participatione ſubiecti, & etiam ſuppoſito quod obiectum eſt duplex, vnum materiale, alterum formale, reſpondet D. Tho. per aliquot concluſiones. Prima concluſio, Fides ex parte ſui obiecti formalis nõ poteſt eſſe maior in vno, ꝗ in alio. Probatur, In omnibus eſt vnica, & ſimplex ratio credendi, ſcilicet, teſtificatio primæ veritatis: ergo fides ex parte obiecti formalis non poteſt eſſe maior in vno, ꝗ in alio. ¶ Secunda concluſio, Fides ex parte ſui obiecti materialis, id eſt, ex parte eorũ, quæ creduntur, poteſt eſſe maior in vno, quam in alio. Probatur, Vnus poteſt plura explicitè credere, quàm alius: & hoc eſt fidẽ eſſe maiorem in vno, quàm in alio ex parte obiecti materialis: ergo. ¶ Tertia cõcluſio, Fides ex parte ſubiecti poteſt eſſe maior in vno, quàm in alio, & in quantum procedit ab intellectu, propter maiorem illius certitudinem, & firmitatem, & in quãtum procedit à voluntate, propter maiorem eius promptitudinẽ, vel deuotionem, vel confidentiam. Probatur, Actus fidei ſimul procedit ab intellectu, & à volũtate, vt ex ſupra dictis patet: ergo poteſt eſſe maior, vel ex parte intellectus, propter maiorem eius perſpicaciam in credendo, vel ex parte voluntatis, propter maiorẽ promptitudinem, & affectionem, quam vnus habet erga res fidei, quàm alius.

EXPLICATIO ARTICVLI.

CIrca iſtũ articulum eſt aduertendum, quòd cõcluſiones D. Tho. ſunt certæ, & indubitabiles, ſi intelligantur de actu fidei. Certũ eſt enim, ꝙ vnus homo põt actu plura explicitè credere, ꝗ alius, atq; etiã firmiùs, & prõptiùs ex parte ſubiecti: quod ſatis eſt ad hoc, vt actus fidei augeri poſsit, tum ex parte obiecti materialis, tum etiam ex parte ſubiecti, vt dicit D. Thom. in concluſionibus. Sed ſi cõcluſiones intelligãtur de habitu fidei maiorem cõtinent difficultatem. Abulenſis enim ſuper. c. 17. Matth. q. 165. dicit, habitum fidei eſſe æqualem in omnibus: nec poſſe intẽdi aut remitti. Quę quidem ſentẽtia vera eſt, ſi intelligatur de habitu fidei ex parte obiecti, ſiue formalis, ſiue materialis: quia cùm habitus fidei ſit qualitas quædam infuſa à Deo in animis noſtris, quæ quãtum eſt ex ſe omnes, quibus ineſt, æqualiter inclinat ad eaſdem res credendas, & propter eaſdem rationes, fieri nõ poteſt, vt ex parte obiecti, ſiue materialis, ſiue formalis, ſit maior in vno, quàm in alio, & ſi vnus alio pauciora credit explicitè, id non prouenit ex parte habitus, ſed ex parte ſubiecti, quia nõ ſunt illi, qui pauciora credit, plura propoſita. Tamẽ ſi ſentẽtia Abulenſis intelligatur de habitu fidei ex parte ſubiecti, proculdubio eſt falſa, & periculoſa.

Dubium de habitu fidei vtrùm ſit æqualis in omnibus.

Sentẽtia Abulenſis.

riculoſa. Certum eſt enim, quòd habitus fidei ex parte ſubiecti poteſt augeri, & eſſe maior in vno, quam in alio iuxta proportionem intenſionis, quā in ſingulis habet, vt probat D. Hieronymus li.2.contra Rufinum. Et ad id adducit multa teſtimonia ſacrę Scripturę. Primū eſt illud Matth. 14. Modicæ fidei, quare dubitaſti. Ex quibus verbis apertè ſignificatur, poſſe eſſe magnam, & paruam fidem. Et Matth.c.16. dixit Chriſtus, Si habueritis tantam fidē, ſicut granum ſinâpis, & Lucæ.cap.17.dicebār Apoſtoli, Domine adauge nobis fidē: & D.Paul.2.ad Corint.10.Peruenimus ad vos, ſpem habentes creſcentis fidei veſtræ. &c. Et ratio eſt manifeſta: nā reliqui habitus, tā naturales, quàm ſupernaturales poſſunt augeri per ordinē ad ſubiectum, ergo & fides. Conſequentia tenet ex paritate rationis. Et confirmatur: quia experientia cōſtat, ꝙ fideles ex frequentia actuū fidei reddūtur prōptiores ad credendum, ſignū ergo eſt, ꝙ habitus fidei augetur in illis. ¶ Ex dictis infertur, quod habitus fidei nunquam augetur extenſiuè: ſed quantum ad hoc eſt idem, & æqualis in omnibus: quia ſemper inclinat ad eaſdem res credendas. Augetur tamen intenſiuè ſecundum quòd hunc magis, & hunc minus inclinat ad credendum, iuxta proportionē intenſionis, quā habet in ſubiecto.

Fides ex parte ſubiecti augetur.

Dubium.

¶ Sed dubiū eſt de modo, quo habitus fidei augeatur? Nolumus examinare, vtrū augeatur per additionem gradus ad gradū, an verò p maiorē radicationē in ſubiecto? Nec etiam, vtrū augeatur per quemcunq; actū meritorium, etiā remiſſum, vel potius per ſolos actus intenſiores? nā de hoc diſputat D.Tho.1.2.q.52.&.2.2.q.24. quo loco nos de hac re plura dicemus. Sed quod quærimus eſt, vtrū habitus fidei augeatur per omnes actus meritorios cuiuſcunque virtutis ſint, an verò tantum per actus proprios elicitos ab eodē habitu fidei. De qua re eſt ſentētia quorundam aſſerentium, quod habitus fidei augetur per actus meritorios cuiuſcunq; virtutis: quod & affirmār de alijs virtutibus, & habitibus infuſis. Et ratio eſt, quia, cum habitus infuſi augeantur non effectiuè, ſed meritoriè per actus, fit conſequens, vt per omnes actus meritorios cuiuſcunque virtutis poſsint augeri, cùm non ſit maior ratio de vno, quàm de alio. Et cōfirmatur. Habitus charitatis augetur ſingulis actibus meritorijs cuiuſcunque virtutis ſint, ergo & fides. Conſequentia tenet ex paritate rationis, quia vterq; habitus eſt ſupernaturalis, & à Deo infuſus. Antecedēs verò probatur: nam ſingulis actibus meritorijs augetur gratia, ergo & ſingulis augetur charitas. Probo conſequentia: quia gratia, & charitas ſiunt ſemper ſimul & pari paſſu currunt. De hac re diſputant doctores in.3.diſt.36. &.37.

Argumen.

Confirmatio.

¶ Hoc tamen non obſtante ſit concluſio, quod habitus fidei augetur tantum per proprios actus, quos elicit. Et probatur primo: nā virtutes, quę vſu, & exercitio actuū naturaliū acquiri poſſunt nō augentur, niſi illis actibus, quos eliciūt, vt cōſtat experiētia, & ex communi ſententia philoſophorum, ergo idem dicendum eſt de habitibus infuſis. Probo conſequentiam, tum ex paritate rationis, tum etiam ex ſuaui Dei diſpoſitione, ad quam ſpectat, vt in rebus ſupernaturalibus augendis, & conſeruandis illum ordinem ſeruet, quem ſeruat in naturalibus. Item ſecundo, Si habitus infuſi augerentur ſingulis actibus meritorijs cuiuſcunque virtutis, ſequeretur, ꝙ omnes virtutes infuſæ haberent eandem intenſionē: conſequens autem eſt falſum, ergo. Sequelam cōcedunt autores cōtrariæ ſententiæ. Sed probo falſitatem conſequentis, primo: nam experientia cōſtat, ex hominibus ſanctis, alios in aliquo alios excelluiſſe, vt Iob in patientia, Abraham in fide. &c. Secūdo, quia aliâs ſequeretur habitū fidei poſſe diminui, quod eſt contra cōem Theologorū ſententiā, vt ſtatim dicemus. Sed, ꝙ ſequatur probo, ſuppoſito prius, opinionem D. Tho. qua dicit, quod peccator non reſurgit ſemper ad æqualem gradū gratiæ, quē antea habebat, ſed interdū ad maiorē, interdū ad minorem, & interdū ad æqualem, eſſe veram. Quo ſuppoſito ſit caſus, ꝙ Petrus verbi gratia, habet gratiam, vt viginti, & fidem, vt viginti (nam ſecundū ſententiam iſtorum doctorum omnes virtutes infuſæ ſunt æquales) & peccet Petrus, & reſurgat à peccato per charitatem, vt decem. Et tunc ſic argumentor, & quæro, vtrùm Petrus reſurgens à peccato habeat fidem, vt viginti, an verò, vt decem. Si vt decem, ergo diminuta fuit fides illius, quæ antea erat, vt viginti, & modo, vt decem. Si autem dicatur, quòd fides eſt vt viginti, ergo poteſt cōtingere, quod charitas Petri ſit, vt decem, & fides, vt viginti, quod etiam eſt contra ipſorum ſententiam. Dicendum eſt ergo, quod

Fides augetur per proprios actus.

fides nõ augetur ſingulis actibus meritorijs *Ad argum.* ſed tantum per actus à ſe elicitos.

¶ Et ad argumentũ in contrariũ factũ reſpõdetur, quòd actus fidei propriè loquendo non augent habitũ, meritoriè aut effectiuè ſed diſpoſitiuè ad hũc ſenſum, quod Deus ad præſentiam noſtrorum actuum auget fidem, qui quidem actus interdum merentur augmentum, & interdum non merentur, ſed tantum diſponunt ad illud, vt contingit in peccatoribus, in quibus certũ eſt, quod habitus fidei augetur, quando ex auxilio ſpeciali ipſi peccatores frequẽtant actus credẽdi, quidquid dicat Victoria. Nã, cùm in peccatoribus videamus quod ſæpè infunditur fides de nouo, & plus requiratur ad infuſionẽ habitus, quã ad augmentum illius, nõ eſt cur dicamus fidem in pec*Nota.*catoribus augeri non poſſe. Sed, vt hoc perfectius intelligatur, aduertendum eſt, natura ita comparatum eſſe, quod habitus naturales per actus ſibi cõuenientes non ſolum generentur, ſed etiam intendantur, & firmiores fiant, vt docet D. Th. 1. 2. quæſt. 52. Cæterum, quia actus noſtri non habent vim naturalem augendi habitus ſupernaturales, & infuſos, quia iſti ſunt ſimpliciter ſupernaturales, & altioris ordinis, actus verò ſunt miſti ex vtroque, ſcilicet, partim ſunt naturales, in quantũ procedunt à potentia naturali, & partim ſupernaturales in quantum fiunt ex auxilio ſpeciali, idcircò Deus, ne in hac parte deeſſet ſuaui rerum diſpoſitioni, ſtatuit per ſe efficere, & ſupplere illud, quod noſtri actus erant effectiri & non efficiebãt propter ſui ordinis imperfectionem, & propter ſuarum virium imbecillitatem. Ex quo ſequitur: quòd Deus, cùm auget fidem, nihil aliud facit quàm efficeret actus à fide elicitus ſi talis actus haberet naturalem vim augendi habitum, à quo procedit. Nec iſte modus augendi eſt referendus ad efficaciam actus, aut ad meritum perſonæ, ſed tantum ad ſuauem Dei diſpoſitionẽ. Et ſic, propriè loquẽdo, actus noſtri nec augẽt habitus infuſos effectiuè *Ad confir.* nec meritorie, ſed tantũ diſpoſitiuè ad modum iam explicatum. ¶ Ad confirmationem reſpondetur conceſſo antecedenti, negando conſequentiam. Nam omnes actus meritorij ſunt etiam proprij actus charitatis, vel eliciti uè, vel imperatiue: ſine charitate enim non eſt meritum: & ſic omnes poſſunt augere charitatem: at verò non omnes ſunt actus fidei: & ideo non omnes augent illam, vt iam diximus.

¶ Eſt aliud dubium, Vtrum ſicut fidei habitus augetur, ita etiam poſsit minui: Et *Dubium.* pro parte affirmatiua eſt argumentum. Videmus interdum nos minus promptè, ac firmiter credere, quàm antea credebamus: ſignum ergo eſt quod habitus fidei minuitur. Et confirmatur, Fides non ſolum pen- *Argum.* det ab intellectu, ſed etiam à pia affectione voluntatis, vt ex ſupra dictis patet, ſed hęc pia affectio minuitur in peccatoribus, ergo & fides. ¶ Hoc tamen non obſtante, dico longè eſſe probabilius, quod habitus fidei quantum ad ſubſtantiã non minuitur. Quam ſententiã communiter tenent om- *Sẽtẽtia Autoris.* nes doctores. Et probatur primo, Habitus infuſi ſunt immediatè à Deo, ſed Deus nũquam deſiſtit ab infuſione, niſi quãdo apponitur obex ex parte noſtra, & quando illud apponitur non minuitur, ſed tollitur fides, ergo non poteſt minui. Et confirmatur, quia aliàs ſequeretur, quod poſſet aliquis amittere fidem, & eſſe infidelis abſq; eo, quod diſcrederet alicui articulo, conſequens autem eſt falſum, & contra communem doctorum ſententiam, vt dicemus. q. 10. cùm de infidelitate fuerit ſermo, ergo & illud, ex quo ſequitur. Sequela probatur: nam ſi peccata minuerent fidem eadẽ ratione poſſent in tantum creſcere, vt illã totaliter deſtruerent.

¶ Ad argumentũ in cõtrariũ factũ reſpon- *Ad argum.* detur, quod habitus fidei nũquã minuitur, quamuis interdum ex indeuotione voluntatis, & ex multiplicatione peccatorum, paſsio, atque appetitus & amor proprius tantas vires ſumat ad reſiſtendum habitui, vt non poſsit ita promptè, & faciliter in actum exire, ſicut antea. Ex hoc tamen non ſequitur, quod minuitur fides quantũ ad ſubſtantiam, ſed tantum quod debilitatur quodammodo quantum ad vſum, & exercitium, vt contingit in charitate. Et ad confirmationem reſpondetur ſimiliter conceſſa maiori, atque minori negando cõſequentiam: nam ex defectu piæ affectionis, qui eſt in peccatoribus, tantũ ſequitur, quod minuitur habitus quãtum ad vſum & exercitium, quod quidem verum eſt: & non, quod minuitur quantum ad ſubſtantiam ad modum iam explicatum.

¶ In ſolutione ad tertium argumentũ *Nota circa* dicit D. Tho. quod ſecundum maiorem ca- *ſolutionem* pacitatem intellectus vnus magis, vel mi- *3. arg.* nus cognoſcit veritatẽ principiorum, quã alius.

alius. Circa quæ verba aduertit Caietanus quod ea poſſunt dupliciter intelligi. Vno modo de veritate principiorum in ipſis, ità vt ſit ſenſus, quod vnus intellectus poteſt magis intelligere veritatem principiorum, quam alius, iuxta maiorem capacitatem, quam vnus intellectus habet ſuper alium. Alio modo de veritate principiorũ, ſecundum quod in ſe cõtinent veritatẽ aliorum, ſcilicet, veritatem concluſionum: & vtroq; modo poſſunt verificari verba D. Tho. Nã ſicut eandem albedinẽ, cæteris paribus, melius videt ille, qui eſt acutioris viſus, ita etiã eadem principia formaliter ſumpta magis videt perſpicacior intellectus, & quantum ad veritatẽ ipſorũ, & etiã quãtum ad collectionem cõcluſionum ex ipſis: præſtãtius enim ingenium magis penetrat principia, & ſic ex ipſis plures colligit cõcluſiones.

QVAESTIO SEXTA, de cauſa fidei, in duos articulos diuiſa.

DEINDE conſiderandum eſt de cauſa fidei.

¶ Et circa hoc quæruntur duo.

¶ Primò, vtrum fides ſit homini infuſa à Deo.

¶ Secundò, vtrum fides informis ſit donum Dei.

ARTICVLVS. I.

¶ Vtrum fides ſit homini à Deo infuſa.

AD PRIMVM ſic proceditur, Videtur quod fides nõ ſit homini infuſa à Deo, dicit enim Aug. 14. de Tr. ꝙ p̃ ſcietia gignitur in nobis fides nutritur, defenditur, & roboratur, ſed ea, quæ per ſcientiam in nobis gignuntur, magis videntur acquiſita eſſe, quã infuſa. ergo fides non videtur in nobis eſſe ex infuſione diuina.

3. contra. ca. 154. princi. & ve. q. 18. ar. 3. cor. Et opu. 1. c. 31. Et Epheſ. 2. lect. 3. Li. 14. c. 1. à med. to. 3.

2 ¶ Præterea, Illud, ad quod homo pertingit audiendo & videndo, videtur eſſe ab homine acquiſitum: ſed homo pertingit ad credendum, & videndo miracula, & audiendo fidei doctrinam. Dicitur enim Ioan. 4. Cognouit pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei Ieſus, filius tuus viuit, & credidit ipſe, & domus eius tota. Et Romanorũ. 10. dicitur, quòd fides eſt ex auditu. ergo fides habetur ab homine tanquã acquiſita.

3 ¶ Præterea, Illud quòd conſiſtit in hominis voluntate, ab homine poteſt acquiri: ſed fides cõſiſtit in credentiũ voluntate, vt Auguſt. dicit in libro de Prædeſtinatione ſanctorum: ergo poteſt eſſe ab homine acquiſita. *Ca. 5. in fin. to. 6.*

¶ SED CONTRA eſt, quod dicitur ad Epheſ. 2. Gratia eſtis ſaluati per fidem, & non ex vobis, ne quis glorietur: donum enim Dei eſt.

¶ RESPONDEO dicẽdum, quòd ad fidem duo requiruntur. Quorum vnum eſt, vt homini credibilia proponantur, quod requiritur ad hoc, quod homo aliquid explicite credat. Aliud autem quod ad fidẽ requiritur, eſt aſſenſus credentis ad ea, quæ proponuntur. Quantũ ergo ad primum horũ, neceſſe eſt, ꝙ fides ſit à Deo. Ea enim, quæ ſunt fidei, excedunt rationem humanam. Vnde nõ cadunt in cognitionem hominis, niſi Deo reuelante: ſed quibuſdam quidem reuelantur immediate à Deo, ſicut ſunt reuelata Apoſtolis, & prophetis, quibuſdam autem proponũtur à Deo mittente fidei prædicatores: ſecundũ illud ad Rom. 10. Quomodo prædicabũt, niſi mittãtur?

¶ Quantum verò ad ſecundum, ſcilicet ad aſſenſũ hominis in ea, quæ ſunt fidei, poteſt conſiderari duplex cauſa. vna quidem exterius inducens, ſicut miraculũ viſum, vel perſuaſio hominis inducẽtis ad fidẽ, quorum neutrũ eſt ſufficiens cauſa. Videntium enim vnũ & idẽ miraculũ, & audientiũ eandẽ prædicationẽ quidam credunt, & quidam non credunt: & ideo oportet ponere aliã cauſam interiorẽ, quæ mouet hominẽ interius ad aſſentiendum ijs, quæ ſunt fidei. Hanc autẽ cauſam Pelagiani ponebant ſolum liberũ arbitriũ hominis: & propter hoc dicebant ꝙ initium fidei eſt ex nobis, inquantũ, ſcilicet ex nobis eſt, ꝙ parati ſumus ad

aſſentiendũ ijs, quæ ſunt fidei. Sed cõſummatio fidei eſt à Deo, per quã nobis proponũtur ea, quæ credere debemus. Sed hoc eſt falſum: quia cum homo aſſentiendo ijs, quæ ſunt fidei, eleuetur ſupra naturam ſuam, oportet ꝙ hoc inſit ei ex ſupernaturali principio interius mouente, quod eſt Deus: & ideo fides quantũ ad aſſentiẽdum, qui eſt principalis actus fidei, eſt à Deo interius mouente per gratiam.

¶ AD PRIMVM ergo dicendũ, ꝙ per ſcientiam gignitur fides, & nutritur per modũ exterioris perſuaſionis, quæ fit ab aliqua ſcientia: ſed principalis, & propria cauſa fidei eſt id, quod interius mouet ad aſſentiendum.

¶ Ad ſecundum dicendum, ꝙ etiam ratio illa procedit de cauſa proponẽte exterius ea, quæ ſunt fidei, vel perſuadẽte ad credendũ vel verbo, vel facto.

¶ Ad tertium dicendum, ꝙ credere quidẽ in voluntate credentiũ cõſiſtit, ſed oportet, quòd voluntas hominis præparetur à Deo per gratiã ad hoc, quòd eleuetur in ea, quæ ſunt ſupra naturam, vt ſupra* dictum eſt.

In corp. & q.2.ar.3.

SVMMA TEXTVS.

SVppoſito, ꝙ ad fidẽ duo requiruntur, vnũ eſt, ꝙ credibilia homini proponãtur, alterum autẽ eſt aſſenſus credentis ad ea, quæ proponũtur, D.Th. reſpondet per duas cõcluſiones. Prima concluſio, Fides quantum ad propoſitionem credibiliũ eſt à Deo. Probatur, Ea, quæ à Chriſtianis creduntur, niſi Deo reuelante nota eſſe non poſſunt, ità enim excedunt rationẽ humanam, vt niſi Deo reuelante in cognitionem hominis cadere nõ poſsint, ergo fides quantum ad propoſitionẽ credibilium eſt à Deo. ℭ Secunda concluſio, Fides quantum ad aſſenſum, quo fideles aſſentiuntur reuelatis à Deo, eſt à Deo. Probatur, Homines dum aſſentiuntur reuelatis à Deo eleuantur ſupra naturã ſuam, ergo hoc habẽt à Deo interius mouẽte per gratiam.

EXPLICATIO ARTICVLI.

PRima concluſio huius articuli eſt certa, & ab omnibus conceſſa. Nã quamuis Pelagiani dicerẽt, ꝙ facta ſemel credibiliũ reuelatione, homo per vires ſui ingenij poterat illis firmiter, & certò aſſerentiri ſine aliquo maiori lumine ex parte intellectus, dicebant tamẽ eas res nõ poſſe eſſe notas, niſi Deo reuelante, & ſic fidem quantũ ad propoſitionẽ credibilium eſſe ſemper à Deo. Cæterum circa ſecundam concluſionẽ eſt nobis cõcertatio non ſolũ cum Pelagianis, ſed etiã cum catholicis. Scotus enim in.3. d.23.q.1.dicit, quòd poteſt homo aſſentiri toti prædicationi Euangelicæ per fidem acquiſitam, & humanã, & ſic non eſſe neceſſarium auxiliũ Dei ſpeciale ad credẽdum. Et Durand. in.3.d.28.q.1. etiam dicit, quòd aſſentiri rebus ſupernaturalibus ex autoritate dicentis, quod eſt credere, non excedit naturalẽ facultatẽ noſtri intellectus: quos cõmuniter ſequuntur omnes Nominales. Caietanus in hac re varius fuiſſe videtur: nã 1.2.q.109.ar.4. expreſſè dicit, quòd ſuppoſita Dei reuelatione, homo põt credere omnem doctrinã eſſe verã, ſine aliqua ſpeciali gratia. At verò in hoc articulo teſtimonio D.Thom. & veritate ipſa conuictus dicit, quòd aſſentiri rebus fidei ſecundũ ſcripturas, & ſenſum Eccleſiæ eſt actus eleuãs hominem ſupra ſuam naturam, atq; ex conſequenti ſupernaturalis. Argumenta, quibus potiſsimè nititur iſta ſententia Scoti, atque Durandi (quæ etiã ſunt Pelagij aſſerentis hominem ſuis viribus, ſine auxilio gratiæ poſſe articulis fidei aſſentiri, & credere veritates ſupernaturales) ſunt huiuſmodi.

Difficultas circa ſecundam concluſionē D.Tho.

Sententiam Scoti ad Durandi.

ℭ Primũ argumentũ, Homo per vires naturales poteſt aſſentiri rebus falſis, & credere oppoſita fidei, ergo multò magis poterit p eaſdem vires aſſentiri rebus fidei. Probo cõſequentiam: quoniã intellectus noſter ſua natura magis aptus eſt ad aſſentiendum rebus veris, quàm rebus falſis: quãuis habeãt aliquã ſpeciẽ veri. 1. Argum.

ℭ Secũdò ſic argumẽtor. Homo per ſuas vires poteſt aſſentiri omnibus rebus, in quibus eſt aliqua veri ſimilitudo, & de quib⁹ habet aliquod motiuũ ꝓbabile: ſed res fidei ſunt valdè veroſimiles, & præterea ſunt plura motiua multa probabilitate nos inducẽtia ad aſſentiẽdum illis, qualia ſunt vox Eccleſiæ, autoritas doctorũ, &c. Ergo poteſt homo illis ſuis viribus aſſentiri. 2. Argum.

ℭ Et cõfirmatur, Facillimũ eſt credere eas res, quas eſt euidẽs eſſe credibiles: ſed euidẽs eſt fidei noſtræ eſſe credendum, vt docet D.Th.2.2.q.1.arti.4. ergo poterit homo ſuis viribus illis aſſentiri. Cõfirmatio.

ℭ Tertiò, homo paganus & infidelis, cognita fide noſtra, poteſt iudicare illam eſſe veram, & credere, & baptizari velle, cũ obice tamen pec- 3. Argum.

cati

cati mortalis, ità, vt in baptiſmo non reci-
piat gratiā: & talis aſſentitur articulis fidei
ſine fide infuſa per ſolas vires naturales, &
liberum arbitriū: ergo hoc ſatis eſt ad cre-
dendum. Conſequentia cum maiori eſt no
ta, & minor probatur: nam cùm ille homo
in baptiſmo ratione obicis non recipiat gra
tiam, nec etiam recipit fidem, aut alia dona
Spiritus ſancti.

Sententia D. Tho. ¶ Contraria tn̄ ſententiā tenet D.Tho.in
hoc articulo.&.1.2.q.109.art.1. quē cōiter
1. Notabile. ſequitur oēs Doctores. Ad cuius explica-
tionē eſt aduertēdum primo, inter oēs ſiue
catholicos, ſiue hæreticos eſſe receptū, ꝙ ve
ritates ſupernaturales fidei non poſſunt à
nobis cognoſci, niſi Deo illas per ſe, aut ꝑ
alios tradēte, atq; reuelante. Nā cū nihil ſit
in rerū natura ex quo illæ res certò, aut fir-
mo argumēto colligi poſſunt, manifeſtè ſe-
quitur, ꝙ, niſi Deus illas reuelet, nulla ratio
ne poterūt eſſe notæ. Et ſic, ſi vocamus fidē
hāc externā prædicationē, & traditionē di-
uinā, certū eſt apud oēs, ꝙ fides eſt in nobis
à Deo, & ꝙ nullus pōt res fidei ſine gratia
Dei cognoſcere, vt diximꝰ in principio hu
ius articuli, ipſo etiā Pelagio cōcedēte, gra
tiā Dei, quæ aperiret quid faciēdū, & quid
credendū eſſet, eſſe neceſſariā ad ſalutē, vt
patet ex concil. Mileuitano. c. 4. Itaq; hoc
certum eſt. Sed quod vertitur in dubiū eſt,
vtrùm propoſitis à Deo nobis, & à Deo re-
uelatis articulis fidei, ad hoc vt illis aſſentia
mur, ſit neceſſarium, ꝙ interiùs moueamur
aliquo dono gratiæ, vel actuali, vel habitua
li: an verò ſufficiāt vires noſtri intellectus.

2. Notabile. ¶ Secūdò eſt aduertēdū, etiā eſſe certū, ꝙ
ad hoc vt mēs noſtra aſſentiatur rebꝰ fidei,
nō eſt neceſſariū donū Dei habituale: ſed
poteſt homo cū auxilio Dei actuali omni-
bus articulis aſſentiri: cæterū, vt id facilius,
& prōptius, & maiori cū ſuauitate faciat,
proponitur, & datur habitus infuſus.

3. Notabile. ¶ Tertiò eſt aduertēdum, ꝙ, cùm credere
res fidei ſit actus liber, ità ab intellectu atq;
volūtate dependens, vt ſit poſitū in noſtra
voluntate aſſentiri, aut diſſentiri articulis
quoties nobis fuerit viſum, manifeſtè ſe-
quitur, quod ad credēdum vtraq, potētia,
ſcilicet, intellectus, atq; volūtas cōcurrere
debet, quāuis diuerſimodè, vt in ſuperiori-
bus explicauimꝰ. Et ſic, cū quærimus, vtrū
ad credēdū res fidei ſit opus aliquo auxilio
Dei ſpeciali? præſens quæſtio pōt habere
duplicē ſenſum. Primus eſt, vtrùm tale au
xiliū ſit neceſſariū ex parte volūtatis, vt piè
afficiatur erga res credendas? Secūdus, vtrū
ſit neceſſariū ex parte ſolius intellectus ad
hoc, vt eleuetur ad credendum.

¶ Quo poſito ſit prima cōcluſio. Credere *1. Concluſio.*
vniuerſos fidei articulos fide Chriſtiana, id
eſt, certo & indubitato aſſenſu, & quia veri
tas prima dicit, nullus pōt ſine auxilio ſpe-
ciali Dei: & cōtrariū dicere eſt Pelagianū.
Dixi notāter, certò, & indubitato aſſenſu,
quia aſſenſu opinatiuo, ſcilicet, cū dubita-
tione alterius partis, bene pōt articulis fidei
aſſentiri per ſolas vires naturales intellectꝰ,
quomodo maxima ex parte aſſentiūtur hæ
retici. Et ſi hoc dixit Durādus (vt dicere vi-
ſus eſt) verū dicit. Hāc cōcluſionē ponit D.
Aug. multis in locis cōtra Pelagiū, ſed præ
cipuè lib. de gratia Chriſti. c. 31. & lib. 1. cō
tra duas epiſtolas Pelagij. c. 3. & c. 19. & lib. 4.
c. 5. & lib. de prædeſtinatione ſanctorū per
multa capita. & lib. de gratia & libero arbi
trio. c. 7. & c. 14. Et ꝓbatur primò ex illo ad
Philippēſes. c. 2. Vobis donatū eſt ꝓ Chri
ſto non ſolū, vt in eū credatis, ſed & vt pro
illo patiamini. Quo loco Apoſtolꝰ vtrūq;
donū Dei eſſe dicit, & credere & pro Chri-
ſto pati. Et. 1. Corin. c. 7. Miſericordiā cōſe
quutus ſum, vt ſim fidelis. Ex quo loco D.
Aug. in lib. de gratia, & libero arbitrio oſtē
dit ipſam fidē, niſi Deo donāte haberi non
poſſe. Et ad Rom. ca. 12. ponit Paulus fidē
inter alia dona collata ab Spiritu ſancto di
cēs, Alteri datur fides in eodē ſpiritu. Et ad
Epheſ. 2. Gratia ſaluati eſtis per fidē, & hoc
nō ex vobis donū. n. Dei eſt. Et Ioā. 6. Ne-
mo pōt venire ad me, niſi pater meus traxe
rit eū. Venire autē ad Chriſtū eſt credere in
illū, vt cōſtat ex eodē capite dicēte Chriſto,
Sūt quidā ex vobis, qui nō creditis, & pro-
pterea dixi vobis, quia nemo poteſt venire
ad me, niſi pater meus traxerit eū. Et Ioan.
c. 12. dicit, ꝙ cùm multa ſigna feciſſet Ieſus
Iudæi nō credebāt in eū. Et ſubdit ſtatim
cauſam dicēs, ꝙ ꝓpterea nō credebāt, qa di
cit Eſaias, excæcauit Deus cor illorū, & in-
durauit cor illorū. Ex quo loco ſic colligo
argumētū. Illi homines nō poterant crede-
re, quia, vt dicit Euāgeliſta, excæcabātur à
Deo: ſed excæcari à Deo eſt nō illuminari:
ergo ſine hac illuminatione nemo pōt cre-
dere res fidei. Hæc veritas diffinita eſt in
cōcilio Arauſicano. 25. & in cōcil. Trid. ſeſ
ſione de iuſtificatiōe canone. 3. vbi dicitur,
Si quis dixerit ſine præueniēte Spiritus ſan
cti inſpiratiōe, atq; eius adiutorio hominē
credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſ-
ſe, ſicut oportet, vt ei iuſtificationis gratia
cōferatur, anathema ſit. De hac cōcluſione

videda ſunt ea, quę dixim⁹ ſupra.q.2.ar.3.

2. Concluſio. ℭ Secunda concluſio, Hoc auxilium ſpeciale, quod requiritur ad credēdum, eſt neceſſariū tam ex parte voluntatis ad illā piè afficiēdam, vt velit credere, quam etiam ex parte intellectus, vt ipſum eleuet ad aſſentiēdum illis rebus, quæ excedūt humanam capacitatē. Et ꝙ ſit neceſſariū ex parte volūtatis probatur: nā illa pia affectio, & volūtas efficax ad credēdum eſt actus ſupernaturalis, profectus ab appetitu beatitudinis æternę: ergo nō poteſt exiſtere in nobis ſine auxilio Dei ſpeciali. Et cōfirmatur ex illo Actorū.c.16. vbi dicitur de Lydia purpuraria, quæ credidit, & baptizata eſt, ꝙ aperuit Dńs cor eius. Et Ioann.12. de illis, qui nō credebāt dicitur, ꝙ indurauit Dńs cor illorū: ſed nomine cordis in ſacris literis ſignificatur volūtas: ergo ad credēdum eſt neceſſariū auxiliū diuinū ex parte volūtatis. Et propterea D. Aug. in lib. de prædeſtinatione ſanctorū.c.16. dicit, ꝙ nonnullis credētibus alij non credant, cauſa eſt, quia illorū volūtas non mouetur à Deo. Deniq; hoc ipſum videtur diffinitū in cōcil. Arauſicano, cano.5. vbi dicitur, Si quis, ſicut augmentū, ità etiā initiū fidei ipſum credulitatis affectū, quo in eū credimus, qui iuſtificat impiū, & ad regenerationē baptiſmatis peruenimus, non per donum gratiæ, id eſt, per inſpirationem Spiritusſancti corrigentem volūtatem noſtrā ab infidelitatę ad fidem, ab impietate ad pietatē, & naturaliter nobis ineſſe dicit Apoſtolicis dogmatibus aduerſarius approbatur, beato Apoſtolo ad Philip.1. dicēte, Confidimus, quia qui incepit in nos bonum opus, ipſe perficiet. Et canone.7. Si quis per naturæ vigorē bonū aliquod, quod ad ſalutē pertinet vitę æternę, id eſt, Euangelizanti aſſentiri poſſe confirmat abſq; illuminatione & inſpiratione Spiritusſancti, qui dat omnibus ſuauitatē in conſentiēdo & credēdo veritati, hæretico fallitur ſpiritu.

Ex parte voluntatis requiritur auxilium ſpeciale vt velimus credere.

ℭ Quod aūt ſimiliter ex parte intellectus ſit neceſſariū ſpeciale Dei auxiliū ad credendum probatur primo ex eiſdem canonibus citatis. In quibus vtrūq; dicitur eſſe neceſſariū ad credendum, ſcilicet, inſpirationē, & illuminationē Spiritus ſancti: quorum alterum, ſcilicet, inſpiratio, pertinet ad volūtatem, alterū vero, ſcilicet, illuminatio, pertinet ad intellectum. Item Ioan.c.6. dicitur, Omnis, qui audit, & didicit a Patre, venit ad me. Ex quo loco ſic colligo argumētum. Non veniūt, aut credunt in Chriſtū, niſi qui audiunt, & diſcūt à patre: ſed audire & diſcere pertinet ad intellectū: ergo nō ſolum ex parte voluntatis, ſed etiam ex parte intellectus eſt neceſſariū ſpeciale Dei auxiliū ad credendū. Præterea hoc ipſum probatur ex illo Matth.c.16. vbi Chriſtus Petro fidē cōfitenti dixit, Beatus es Simō Bar-iona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus Cœleſtis, &c. Certū eſt autē, quod reuelare nihil aliud eſt, ꝗ intellectū illuſtrare, & illuminare: hoc ergo eſt neceſſariū ad credendum. Et cōfirmatur: nam illo teſtimonio Ioā.12. iam citato duæ cauſæ ponūtur non credendi. Vna, quòd haberēt illi homines oculos cæcos, id eſt, intellectū non illuminatum à Deo: altera autē, quòd cor eorū eſſet induratū, id eſt, quòd habeāt volūtatem & affectū non emollitū per diuinā, & internā inſpirationē: ergo ad credendum vtrūq; erat neceſſarium, ſcilicet, & quòd volūtas emolliretur, & intellectus illuſtraretur diuino atq; ſupernaturali lumine. Et ratio eſt manifeſta: nam ſuper naturam noſtri intellectus eſt, & plane difficillimū, aſſentiri illis rebus, quarū nec cauſas aſſequi, nec ratiōes, propter quas veræ ſint, intelligere poteſt: ſed tales ſunt omnes res fidei: ergo neceſſariū eſt ad hoc, vt illis aſſentiamur, quòd diuina, atque maior vi illuſtremur: atque ex cōſequenti fides, quātum ad aſſenſum, eſt à Deo, vt dicit D. Tho. in.2. cōcluſione.

Ex parte intellectus requiritur lumē ſupernaturale ad credendum.

ℭ Sed reſtat, vt reſpōdeamus ad argumēta. Ad primū reſpōdetur, diſtinguendo cōſequēs. Nam ſi illa vera ſint naturalia, verū eſt, quòd intellectus noſter ex ſua natura, eſt magis aptus ad aſſentiēdum illis, ꝗ rebus falſis, quāuis habeāt ſpeciē veri. Cæterùm ſi vera illa ſint ſupernaturalia aliter dicendum eſt. Ex eo enim, ꝙ excedunt vim, atq; facultatē noſtri intellectus fit, vt ab illo certò, & firmiter teneri non poſsint, ſine auxilio Dei ſpeciali. *Ad 1. argu.*

ℭ Ad ſecundū reſpondetur negādo antecedens. Nam quandoque ſunt ſupernaturales, & improportionatæ cū noſtro intellectu, quāuis aliàs ſint veroſimiles, & habeant aliqua motiua, quæ ad aſſentiendum illis nos inducāt, adhuc illis aſſentiri non poſſumus propter exceſſum, quē habet ad noſtrū intellectū. Vel ſecūdo reſpōdetur cōcedēdo, ꝙ poſſum⁹ illis aſſentiri propter illa motiua, aſſenſu tū valde infirmo & imperfecto, & cū dubitatione permixto: qui non eſt aſſenſus fidei diuinæ. *Ad 2. arg.*

ℭ Ad confirmationem reſpōdetur, ꝙ quia eſt euidēs articulos fidei eſſe credibiles, poſſumus illis aſſentiri noſtris viribus, & noſtra *Ad confirmationem.*

ſtra facultate aliquali aſſenſu: cæterũ, quia eorum veritas obſcura eſt, & excedit omnẽ facultatẽ humanã, idcircò non poſſumus illis aſſentiri certo, & indubitato aſſenſu, ſine auxilio diuino.

Ad vltimũ argumentũ. ¶ Ad vltimum argumẽtum Soto lib. 2. de natura & gratia. c. 8. admiſſo caſu reſpõdet, ꝙ illi homini credẽti, & ſuſcipienti baptiſmum cũ obice peccati mortalis infunditur fides informis, id eſt, fides ſine gratia, & charitate: quia, vt docet D. Tho. art. ſequẽti ad. 3. fides poteſt infundi, ſine gratia, ſicut poteſt manere ſublata gratia, quod quidem verũ eſt. Vel ſecundo reſpõdetur & meliùs, ꝙ ſi ille homo, qui ad fidem conuertitur credit certa & indubitata fide, quãuis recipiat baptiſmũ ficte, & ob eam cauſam non accipiat habitum infuſum fidei, tamen & ante baptiſmũ, & poſt baptiſmũ, cùm credit, adiuuatur à Deo cũ auxilio ſpeciali. De hac re videndus eſt Soto loco citato, & Vega in libello de iuſtificatione. quæſt. 9.

ARTICVLVS. II.

¶ Vtrum fides informis ſit donum Dei.

3. d. 32. q. 3. ar. 2. Et Veri. q. 14. art. 7. cor. Et Ro ma. 8 lec. 3.

AD SECVNDVM ſic proceditur, Videtur quòd fides informis non ſit donum Dei. Dicitur enim Deuteron. 32. quòd Dei perfecta ſunt opera. Fides autem informis eſt quoddam imperfectum: ergo fides informis non eſt opus Dei.

2 ¶ Præterea, ſicut actus dicitur deformis propter hoc, ꝙ caret debita forma: ita etiã fides dicitur informis propter hoc, quòd caret debita forma: ſed actus deformis peccati non eſt à Deo, vt ſupra * dictum eſt: ergo neq; etiam fides informis eſt à Deo.

1. 2. q. 79. ar tic. 1. ad. 2.

3 ¶ Præterea, Quæcunq; Deus ſanat, totaliter ſanat. Dicitur enim Ioann. 7. Si circũciſionẽ accipit homo in Sabbato, vt nõ ſoluatur lex Moyſi, mihi indignamini, quia totũ hominem ſanũ feci in Sabbatho: ſed per fidem homo ſanatur ab infidelitate: quicũq; ergo donum fidei à Deo accipit, ſimul ſanatur ab omnibus peccatis, ſed hoc non fit niſi per fidem formatã: ergo ſola fides formata eſt donum Dei, non ergo fides informis eſt à Deo.

¶ SED CONTRA eſt quod quædam gloſ. dicit. 1. ad Corint. 13. quòd fides quæ eſt ſine charitate, eſt donum Dei. Hæc autem eſt informis: ergo fides informis eſt donum Dei.

¶ RESPONDEO dicendum, ꝙ informitas priuatio quædam eſt. Eſt autem conſideradum, quòd priuatio quãdoq; quidem pertinet ad rationẽ ſpeciei, quãdoq; autem non, ſed ſuper uenit rei iam habẽti propriã ſpeciem: ſicut priuatio debitę cõmenſurationis humorũ, eſt de ratione ſpeciei ipſius ægritudinis: tenebroſitas autẽ non eſt de ratione ſpeciei diaphani ſed ei ſuperuenit. Quia ergo cum aſsignatur cauſa alicuius rei, intelligitur aſsignari cauſa eius, ſecundum quod in propria ſpecie exiſtit: ideo, quod non eſt cauſa priuationis, non poteſt dici eſſe cauſa illius rei, ad quam pertinet priuatio, ſicut exiſtens de ratione ſpeciei illius. Non enim poteſt dici cauſa ægritudinis quod non eſt cauſa diſtemperãtiæ humorum. Poteſt tñ dici aliquid eſſe cauſa diaphani quãuis nõ ſit cauſa obſcuritatis, quæ non eſt de ratione ſpeciei diaphani. Informitas autem fidei nõ pertinet ad rationem ſpeciei ipſius fidei, cum fides dicatur informis propter defectum cuiuſdã exterioris formæ, ſicut dictum * eſt. & ideo illud eſt cauſa fidei informis, quod eſt cauſa fidei ſimpliciter dictæ: hoc autem eſt Deus, vt dictum * eſt. Vnde relinquitur, quòd fides informis ſit donũ Dei.

Q. 4. arti. 3. & 4. *Art. præce.*

¶ AD primũ ergo dicendũ, ꝙ fides informis etſi non ſit perfecta ſimpliciter perfectione virtutis, eſt tamen perfecta quadam perfectione, quæ ſufficit ad fidei rationem.

¶ Ad ſecũdum dicẽdum, ꝙ deformitas actus eſt de ratione ſpeciei ipſius actus, ſecundũ quod eſt actus moralis, vt ſuprà * dictũ eſt. Dicitur enim actus deformis per priuationem formæ intrinſecæ, quæ eſt debita commenſuratio circũſtantiarum actus, & ideo non poteſt

1. 2. q. 23. Ar tic. 6.

poteſt dici cauſa act⁹ deformis Deus, qui non eſt cauſa deformitatis, licèt ſit cauſa actus, inquantum eſt actus.

¶Vel dicẽdum, ꝙ deformitas non ſolum importat priuationẽ debitæ formæ, ſed etiã contrariã diſpoſitionem. Vnde deformitas ſe habet ad actum ſicut falſitas ad fidẽ, & ideo ſicut actus deformis nõ eſt à Deo: ita nec aliqua fides falſa, & ſicut fides informis eſt à Deo: ità etiam actus, qui ſunt boni ex genere, quanuis non ſint charitate formati, ſicut plerunque in peccatoribus contingit, ſunt à Deo.

¶Ad tertiũ dicẽdũ, ꝙ ille qui accipit à Deo fidẽ abſq; charitate, nõ ſimpliciter ſanatur ab infidelitate, quia non remouetur culpa præcedentis infidelitatis, ſed ſanatur ſecũdum quid, vt ſcilicet ceſſet à tali peccato. Hoc autẽ frequenter contingit, quod aliquis deſiſtat ab vno actu peccati, etiã Deo hoc faciente: qui tñ ab actu alterius peccati non deſiſtit, propria iniquitate ſuggerẽte. Et per hũc etiã modum datur aliquãdo homini à Deo, ꝙ credat: nõ tñ datur ei charitatis donũ: ſicut etiã aliquibus abſque charitate datur donum prophetiæ, vel aliquid ſimile.

SVMMA TEXTVS.

Concluſio eſt affirmatiua. Probatur, Informitas fidei non pertinet ad rationẽ ſpeciei ipſius fidei, cùm fides habeat ꝙ ſit formata ab extrinſeco, ſcilicet, à charitate: ergo id erit cauſa fidei informis, qđ eſt cauſa fidei ſimpliciter: ſed Deus eſt cauſa fidei ſimpliciter: ergo & fidei informis: atq; ex cõſequẽti fides informis eſt donũ Dei.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Fides informis eſt à Deo

Concluſio huius articuli eſt de fide tenẽda, & probatur multis teſtimonijs ſacræ Scripturæ. Primo ex Paulo. 1. ad Corint. 13. dicente, Si habuero omnem fidem, ità, vt montes transferam, charitatem autẽ non habuero, nihil ſum: vbi diſtinguit fidẽ à charitate, & loquitur de illis, tanquam de rebus à Deo datis. Et cap. 12. eiuſdem epiſtolæ dicit, Nemo poteſt dicere Dñs Ieſus, niſi in Spiritu ſancto. Certum eſt autem, ꝙ illi, qui exiſtunt in peccato mortali, & habẽt fidem informem, ore confitentur, & corde credunt Dñm Ieſum, & omnes fidei articulos: ergo id efficiunt in Spiritu ſancto: atq; ex conſequẽti fides informis eſt donũ Dei. Item. 2. ad Corint. c. 3. dicitur. Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt: ſed habentes fidem informem nõ ſolùm cogitant, ſed etiam credunt res fidei, ergo id habent à Deo. Et confirmatur ex Paulo, qui ad Rom. 8. vtrumq́;, ſcilicet, fidem, atq; charitatem ponit effectus diuinę prædeſtinationis, dicens, Quos prædeſtinauit, hos & vocauit, & quos vocauit, hos & iuſtificauit: ergo tam fides, quàm charitas ſunt donum Dei. Deniq; hæc veritas diffinita eſt in cõcilio Mileuitano. c. 4. vbi dicitur, Vtrũq; donũ Dei eſt, ſcire quid facere debeamus, & diligere, vt faciamus: ſicut enim ſcriptũ eſt de Deo Pſal. 63. Qui docet hominẽ ſciẽtiam, ita etiam ſcriptum eſt de eodem, charitas donum Dei eſt. Et in conc. Trid. ſeſ. 6. canone. 28. dicitur, Si quis dixerit amiſſa charitate per peccatum fidem etiam amitti, aut eam quæ remanet non eſſe veram fidem, anathema ſit. Et de hac re videndus eſt Soto libr. 2. de natura & gratia. cap. 8. Vbi etiam oſtendit qualiter hæc fides informis, quæ donũ Dei eſt, ſufficiat ad efficiẽdum hominẽ fidelem, ac mẽbrum Chriſti, iuxta determinationẽ eiuſdem concil. Trid. cano. 28. vbi habetur, Si quis dixerit eum, qui fidẽ ſine charitate habet, non eſſe verè Chriſtianũ anathema ſit: hoc enim neceſſario ſequitur ex priori. Nã ſi fides abſque charitate propriè quantum ad ſuam ſubſtantiam eſt vera fides, ac donũ Dei, ꝙ etiam illi, qui eam habẽt ſint veri fideles ac verè Chriſtiani erit neceſſe.

Obie[illegible] hæreticorum.

¶Scio hæreticos dicere, ꝙ nemo ſit membrũ Chriſti, niſi per gratiam. Idq; probant ex Paulo, qui ad Rom. 6. dicit, Quicunque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus: cõſepulti enim ſumus per baptiſmũ in morte, vt quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gratiã Patris, ità nos in nouitate vitę ambulemus. Et ad hoc etiã adducũt ſimilitudinẽ vitis, & palmitum, quæ habetur Ioan. c. 15. dicentes, quòd ſicut palmites non ſunt membra vitis, niſi dum eius humore viuunt, ità etiam Chriſtiani nõ ſunt membra Chriſti, niſi quando viuunt per gratiam. Et ad Epheſios capite. 5. dicit Apoſtolus, quòd

Chriſtus

Chriſtus dilexit Eccleſiã, & ſeipſum tradidit pro ea, vt illam ſanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ſibi glorioſam Eccleſiã non habentem maculam, neque rugam, &c. Ex quibus omnibus teſtimonijs colligi videtur non eſſe dicendos membra Chriſti, niſi eos, qui fidem habuerint, atque charitatem.

❡ Hoc tamen non obſtante dico, quòd poſita ſententia eſt vera, & de fide tenenda.

Solutio. Et ad argumẽtum in contrarium factum reſpõdetur, quòd dupliciter aliquis poteſt inſeri Chriſto, vt mẽbrum illius. Vno modo per fidẽ, quam ſuæ Reipublicæ aſcriptus præſtat, de qua loquebatur Apoſtolus ad Rom. 1. cũ mẽtionem faciens de fide gentium dixit, In quibus eſtis vos vocati Ieſu Chriſti, hoc eſt, Chriſtiani, eandẽ fidei obedientiam præſtantes, & in captiuitatem redigentes intellectum in obſequiũ Chriſti, vt idẽ alio loco teſtatur. Alio modo poſſumus inſeri, & copulari Chriſto, non ſolùm per fidem, ſed etiã per charitatem. De qua inſitione loquebatur Apoſtolus ad Ro. 8. cùm dixit, Si quis ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius, & certum eſt, ꝙ prima copulatio, quæ eſt per fidem ordinatur ad ſecũdã, quæ eſt per charitatẽ, ad hoc enim cõfiguramur Chriſto crucifixo in baptiſmo, vt opera carnis mortificemus. Vnde qui Chriſti ſunt carnẽ ſuã crucifixerũt cũ vitijs, & cõcupiſcẽtijs, vt dicit Apoſtol⁹ ad Galat. c. 5. Et quemadmodũ ille, qui à fine fidei aberrat nõ ſtatim fidem amittit, quin potiùs, licèt quolibet delicto eatenus fidẽ frangamus, ꝙ nõ facimus qđ promiſimus, & tamẽ adhuc nõ ità negamus fidẽ, vt non ſimus lege aſtricti, vt cõtingit in republica ciuili, in qua videmus, quòd non quicunq; vnũ crimẽ committit protinus à republica abſcinditur, ſed ille tantũ, qui profugus fuerit, aut rebellis: ità etiã Chriſtianus quãuis fuerit charitate vacuus, Chriſtianus tamen adhuc erit, & mẽbrum Chriſti, quoadusq; per apoſtaſiam, vel hęreſim à fide diſcedat, dicente Chriſto Matth. c. 18. Si Eccleſiam nõ audierit ſit tibi tanquã Ethnicus, & Publicanus. In quib⁹ verbis apertè ſignificat, eos, qui Eccleſiã audierint eſſe fideles, atq; Chriſtianos. Et certũ eſt, quòd peccatores quãuis charitatẽ nõ habeant, adhuc tamen audiũt Eccleſiã, & habẽt verã fidem, quanuis non viuã. Nec obſtat ſimilitudo de palmite, quia palmes euangelicus non ſtatim ac ob abſentiã gratiæ areſcit, diſſecatur à vite: ſed manet inſitus per fidẽ, vſq; ad finem ſeculi, quãdo huiuſmodi palmites ſteriles abſcindentur, & in ignẽ mittẽtur, quod & Chriſtus docuit multis alijs ſimilitudinibus, quales fuerũt areæ, in qua cum tritico cõmiſcentur paleæ, & ſagenæ miſſæ in mare, ex omni genere piſcium congregantis, quas nõ eſt præſentis loci explicare. Vnde Paulus. 2. ad Timoth. c. 2. Eccleſia comparat magnæ domui, in qua non ſolùm vaſa aurea, & argentea, ſed & lignea & fictilia, & quędã in honorẽ, & quædam in contumeliam inueniuntur. Et ſic cõſtat, quod fideles quandiu habuerint veram fidem, ſunt dicendi Chriſtiani ac membrũ Chriſti, ad modum iam explicatum.

❡ Sed dubiũ eſt, vtrùm huiuſmodi donũ fidei, quod dicimus adhuc manere in peccatoribus, ſit lumen, vel ſit habitus intellectualis inclinans intellectũ ad aſſentiendũ veritatibus ſupernaturalibus, vel potius ſit vtrumq;. *Dubium.* Ad cuius explicationem eſt aduertendum, quòd in cognitionibus naturalibus præter potentiam, eſt lumen naturale, & ſunt ſpecies intellectuales repræſentantes obiectum ipſi potẽtiæ, & præterea ſunt habitus inclinantes ad aſſentiendum rebus propoſitis. *Nota.* Et ratio ponendi habitus eſt, quia cùm ſpecies intelligibiles tantum deſeruiãt ad apprehendendas notitias incõplexas, nec forment aſſenſus iudicatiuos, neceſſarium eſt, quòd vltra illas ponamus habitus inclinantes ad iudicandum.

❡ Hoc ſuppoſito ſit prima concluſio, *1. Concluſio.* Cuicunque Deus infundit fidem infundit etiam lumen ſpirituale, & intellectuale quo intellectus illuminatur, & illuſtratur ad aſſentiẽdũ rebus ſupernaturalibus. Hác concluſionem ponit D. Tho. 2. 2. q. 1. ar. 4. in ſolutione ad ſecundum, & tertium argumentum. Et probatur primo ex communi modo loquendi, & concipiendi: ſolemus enim dicere, quòd intellectus illuminatur à Deo per fidẽ, ergo fides eſt lumen. Et confirmatur: nam tota ſacra Scriptura hoc clamat, dicente Paulo. 2. ad Corint. c. 4. Deus, qui de tenebris dixit lumen ſplendeſcere, illuxit in cordibus noſtris ad illuminationẽ ſcientiæ claritatis, & ad Coloſſ. cap. 1. Gratias agẽtes Deo, qui dignos nos fecit in partes ſanctorum in lumine, qui eduxit nos de tenebris. &c. Et D. Petrus prima ſua canonica. c. 2. dicit, vt annũcietis virtutes eius, q vocauit vos de tenebris in admirabile lume ſuum. & Ioan. c. 12. dixit Chriſtus, Ambulate

late dum lucem habetis, ne tenebræ vos cõprehendant. Et ratio eſt manifeſta: nam cũ omnis manifeſtatio in virtute lucis fiat, iuxta illud Pauli ad Epheſ.5. Omne, quod manifeſtatur in lumine manifeſtatur: & Deus nobis manifeſtet res ſupernaturales, manifeſtè ſequitur, quod mediãte lumine illas manifeſtat: atque ex conſequenti fides quæ eſt donum Dei, eſt lumen quoddam.

2. Concluſio. ℂ Secunda concluſio, Deus, dum confert fidem non ſolum illuminat intellectũ, ſed etiam cõfert habitum, quo inclinemur ad credendum. Probatur, In qualibet ſcientia præter lumẽ naturale eſt neceſſarius habitus, quo intellectus inclinetur ad aſſentiẽdum cõcluſionibus illius ſcientiæ, ergo eodem modo eſt dicendum de fide, ꝙ vltra lumen naturale à Deo datum, eſt neceſſarius habitus inclinans ad aſſentiendum rebus ſupernaturalibus: maximè quod intellectus noſter non eſt ita per ſe determinatus ad aſſentiendum rebus fidei, ſicut eſt determinatus ad aſſentiendum concluſionibus vniuſcuiuſque ſcientiæ. Et confirmatur ex concilio Lateranenſi ſub Innocentio. III. & refertur in cap. maiores. de baptiſmo. & eius effectu, & ex Clemẽtina vnica, de ſumma Trinitate & fide catholica. In quibus locis opinio, quæ dicit, quod habitus infunduntur in baptiſmo, recipitur tanquã probabilior, quia teſtimonijs ſacræ Scripturæ, & dictis ſanctorum magis conformis.

3. Concluſio. ℂ Tertia concluſio, Licet fides vtrumq; dicat, ſcilicet, ſupernaturale lumen, atq; habitum, propriùs tamen dicit habitum, quã lumen. Probatur, Proprium fidei eſt inclinare ad aſſenſus iudicatiuos rerum ſupernaturaliũ: ſed hoc pertinet ad habitum: ergo proprium fidei eſt eſſe habitũ: nec oportet ponere, vt aliqui ponunt, præter habitũ iudicatiuũ ſpecies infuſas ad apprehendendum articulos fidei, ſed ſufficiunt ſpecies acquiſitæ ex rebus ſenſibilibus deſumptæ ad hoc, vt illis mediantibus veniamus in cognitionem rerum ſupernaturaliũ. Ex quo infertur, ꝙ habitus fidei realiter diſtinguitur ab ipſis ſpeciebus intelligibilibus res fidei repræſentantibus, ſicut, & habitus ſcientiæ realiter diſtinguitur ab ſpeciebus ipſas concluſiones repræſentantibus, quidquid dicat Capreolus in. .diſt. 23. q. vnica. Et ratio eſt manifeſta. Nam, cum ſpecies intelligibiles (præterquam ꝙ ſunt naturales, & habitus fidei eſt ſupernaturalis, vt diximus) deſeruiant tantum ad notitias incomplexas & habitus deſeruiant ad iudicandum, & formandas notitias complexas, manifeſtè ſequitur, ꝙ habitus & ſpecies debent inter ſe ſe realiter diſtingui.

ℂ Sed dubitabit aliquis hoc loco, Si fides, Dubium. etiam informis, eſt donum Dei, vt ſtatim dicebamus, quænam eſt cauſa propter quã non amittitur per quodcũq; peccatũ mortale, ſicut amittitur charitas? Ad quod bre- Solutio. uiter reſpondetur, quòd, quia charitas, licet diſtinguatur à gratia, non tamen poteſt eſſe ſine illa, ſed qui habet gratiam, ꝙ etiã habeat charitatem eſt neceſſe (eſt enim charitas, qua nos Deum diligimus, & gratia, qua Deꝰ diligit nos, & ſumus grati illi, quę ſe inuicem neceſſario conſequũtur, dicente Chriſto Ioannis. c. 14. Qui diligit me diligetur à Patre meo) idcircò peccatum mortale, quod ex natura ſua cõtrariatur gratiæ, contrariatur etiam charitati, & ſic ſicut gratia amittitur per quodcunque peccatum mortale, ità etiam & charitas. Cæterùm fides, atq; ſpes, quia non dicunt neq; includunt in ſeſe amicitiam Dei, ſed habẽt rationes diſtinctas ab illa, quibus mortale peccatum non contrariatur, niſi illud ſit, vel hæreſis, vel infidelitatis, aut deſperationis, idcircò non per quodcunq; peccatum mortale amittuntur: ſed, ſicut manet, verbi gratia, caſtitas amiſſa charitate, quia ratio caſtitatis eſt alia à ratione charitatis, nec ſe inuicem conſequuntur, ità etiam fides, atque ſpes manent amiſſa charitate, informis tamen & extrà eſſe virtutis, vt diximus in ſuperioribus, & ſolùm corrũpuntur per actus ſibi oppoſitos, ſcilicet, per apoſtaſiam, aut hæreſim, vel per deſperationem, vt dicemus in ſubſequentibus.

ℂ In ſolutione ad ſecundum argumen- In ſolutione ad. 2. dicit duo D. Tho. tum dicit D. Tho. duo. Primum eſt, ꝙ deformitas actus eſt de ratione ſpeciei ipſius actus, ſecũdum ꝙ eſt actus moralis. Secundum, ꝙ Deus non poteſt dici cauſa actus deformis, hoc eſt, peccati, quia non eſt cauſa deformitatis, licet ſit cauſa actus in quantũ eſt actus: quæ duo maximam continent in ſe difficultatem. Vnde circa primum dictum eſt prima difficultas ex Caietano in præſenti, vtrùm verũ ſit, ꝙ deformitas ſeu priuatio ſit de ratione ſpecifica peccati, ſecũdum ꝙ eſt actus moralis? Quod eſt quærere, vtrũ peccatũ ſecũdum ꝙ eſt malũ morale cõſtituatur in ſpecie per priuationem, an verò per aliquid poſitiuũ? Pro cuius intelligẽtia aduertẽdum eſt ex D. Tho. infra

q. 10.

q.10.arti.6.ad primum, ꝙ cum actus humanus malus, hoc eſt, peccatum conſtituatur in duplici genere mali, ſcilicet, in genere mali ſimpliciter, & in genere mali voluntarij, ſeu moralis, neceſſarium erit, ꝙ aſsignemus vnũ, per quod formaliter cõſtituatur in genere mali ſimpliciter, & aliud, per qđ cõſtituatur in genere mali moralis. Et quidem, quod in genere mali ſimpliciter conſtituatur formaliter, non per aliquid poſitiuum, ſed per priuationem rectitudinis debitæ in eſſe, communiter recipitur ab omnibus doctoribus propter autoritatem D. Auguſtini, qui explicãs illa verba Ioãnis.c.1. Sine ipſo factũ eſt nihil, dicit, nihil, ideſt, peccatũ. Vtrùm autem in genere mali moralis conſtituatur formaliter per aliquid poſitiuum, an verò per aliquid priuatiuum, maxima veritate opinionum diſputatur à doctoribus. Nam Scotus in.2.d.37.q.vnica dicit, quod formale peccati mortalis eſt priuatio rectitudinis debitæ in eſſe illi actui. Quam etiã ſententiã videtur D.Th. in hoc articulo, nã dicit in ſolutione ad ſecundum, quod deformitas actus eſt de ratione ſpeciei ipſius actus, in quantum eſt actus moralis. Cæterùm idem D.Tho.1.2. q.18.art.5.ad.2.&.1.p.q.48.arti.1.ad.2. & 3.argumentum.&.3. contra Gent.capit.9. & de malo.q.2.art.4.ad.8.tenet, ꝙ formale, per quod peccatum conſtituitur in genere mali moralis, eſt quid poſitiuum, ſcilicet, ordo poſitiuus ad obiectum difforme rationi. Nam dicit, ꝙ ſicut accedere ad propriam vxorẽ eſt actus bonus, & iuſtitiæ, & temperantiæ, propter ordinem poſitiuum, quem habet ad obiectum conforme rectæ rationi: ità etiam accedere ad alienam eſt actus malus, & intemperãtiæ propter ordinem poſitiuũ, quem habet ad obiectũ difforme rectæ rationi. Quæ ſententia procul dubiò eſt vera, atq; tenenda, & deſumpta ex Ariſtotele, qui in prædicamento qualitatis dicit, ꝙ iniuſtitia cõtrariè opponitur iuſtitiæ: & in.c.de oppoſitione etiam affirmat, ꝙ malum opponitur bono, non priuatiue, ſed contrariè. Et loquitur de malo morali, nam malum ſimpliciter certum eſt, ꝙ non contrariè, ſed priuatiuè opponitur bono, cùm cõtraria debeant eſſe ambo poſitiua.

Peccatum cõſtituitur in duplici genere mali.

Sententia Scoti.

Sententia D. Thom.

1. Corollariũ. ¶ Ex hoc infero primo, ꝙ illud per qđ peccatũ cõſtituitur in genere mali ſimpliciter, non eſt à Deo, quia eſt nihil, atq; priuatio: at verò illud, per quod conſtituitur in genere mali moralis eſt à Deo, quia eſt entitas poſitiua, & in ſe bona, vt rectè docet D.Tho.1.p.q.48.artic.1.ad.2.&.3.contra Gent.c.9. Nam quemadmodum forma hominis, & forma cadaueris ſunt inter ſeſe cõtrariæ, & ſibi inuicem repugnantes, & tamen quælibet illarum ſecundum ſe eſt bona, quia eſt ens: & forma cadaueris eſt mala homini, quia priuat illum vita, ita etiam malum, & bonum morale formaliter loquendo ſunt entitates poſitiuæ inter ſe cõtrariæ, atq; adeò quælibet illarum ſecundum ſe bona, & malum morale eſt malum homini, quia priuat illum ſua perfectione, quæ eſt commẽſuratio ad rectam rationẽ.

¶ Infero ſecũdo, ꝙ ratio formalis mali moralis eſt prior, atq; fundamentum rationis formalis mali ſimpliciter. Ex hoc enim ꝙ actus intẽperantiæ fertur in obiectũ contrarium rationi, ſequitur, ꝙ careat rectitudine ſibi debita ineſſe, quæ carentia atq; priuatio eſt ratio formalis mali ſimpliciter, vt optimè explicat D.Tho. locis citatis, dicẽs, quòd ſicut in naturalibus nõ inuenitur priuatio alicuius formæ ſubſtantialis, niſi adiuncta alteri formæ ſubſtantiali, vt priuatio animæ eſt adiuncta formæ cadaueris: ita etiam priuatio quæ eſt differentia conſtitutiua mali ſimpliciter nõ inuenitur, niſi adiuncta malo morali, quod eſt quid bonũ atq; poſitiuum. Et ad D.Thom. qui in ſolutione ad ſecundum affirmat deformitatem eſſe de ratione ſpeciei ipſius actus, ſecundum ꝙ eſt actus moralis, reſpondetur cũ Caietano in præſenti, quòd id dicit, non quia exiſtimet ipſam deformitatẽ eſſe formale, per quod actus moralis in ſpecie conſtituitur: ſed, quia eſt quid conſequens rationem mali moralis ad modum iam explicatum. *2. Corollariũ*

¶ Circa ſecundum dictum D.Tho. eſt ſecunda difficultas, Vtrùm Deus ſit cauſa deformitatis exiſtentis in peccato? In qua difficultate, vt certa ab incertis ſeparemus, dico primo, certum eſſe de fide, ꝙ Deus nõ poteſt eſſe cauſa peccati, aut faciẽdo illud, aut faciendo aliũ peccare. Dicitur enim ſapiẽtiæ.11.de Deo, Diligis ea, quæ ſunt, & nihil odiſti eorum, quæ feciſti: & ſapiẽtiæ c.14.ꝙ odio ſunt Deo impius, & impietas. Ex quibus teſtimonijs manifeſtè ſequitur impietatem impij nõ eſſe à Deo. Et Iacobi cap.1.dicitur. Nemò, cùm tentatur dicat, ꝙ tentatur à Deo, Deus enim intentator malorum eſt. Et Oſeæ capite.17. Perditio tua ex te Iſrael, ex me tantum auxilium tuum

Difficultas circa ſecundum dictum D.Tho.

1. Certum.

Quod

Quod & diffinitũ eſt in concil. Trid. ſeſ.6. canone.6. vbi dicitur: Si quis dixerit, non eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere, ſed mala opera, itá, vt bona, Deũ operari non permiſsiue ſolùm, ſed etiam propriè, & per ſe, adeo, vt ſit propriũ eius opus non minus perditio Iudæ, quàm vocatio Pauli, anathema ſit.

2. Certum.

¶ Secundò etiam eſt certum, ꝙ Deus itá eſt cauſa actionis peccati, vt nihil poſitiui ſit in illo, quod à Deo non cauſetur. De fide eſt enim, quòd Deus eſt cauſa vniuerſalis omnium rerum, dicente Ioãne. c. 1. Omnia per ipſum facta ſunt: & Paulo ad Rom. 11. In ipſo, & ex ipſo, & per ipſum facta ſunt omnia, &c. Itaq; hæc certa ſunt.

Argum. tãgens difficultatem.

¶ Sed qđ habet difficultatẽ eſt, qualiter hæc duo ſimul poſsint ſtare, quòd Deus ſit cauſa actiõis peccati, & nõ ſit cauſa deformitatis illi inſeparabiliter coniunctę. Et vt hoc magis intelligatur argumentor in hũc modũ. Deus vult procedere hũc actum, verbi gratia, odium Dei, cui inſeparabiliter eſt coniũcta deformitas: ergo vult ipſam deformitatem, atq; ex conſequenti vult peccatũ. Antecedens eſt manifeſtum: nam cùm Deus ſit cauſa illius actus, & liberè producat illum, manifeſtè ſequitur, ꝙ vult illum. Conſequentia verò probatur: quia nulla alia ratione homo dicitur velle deformitatem peccati, niſi quia vult actũ, cui eſt inſeparabiliter coniuncta deformitas, ergo ſi Deus vult illum actum, ad quẽ neceſſario ſequitur deformitas, pari ratione dicetur velle deformitatem.

Reſponſio D. Bonauentura.

¶ Ad hoc argumentum D. Bonauentura in. 2. d. 37. artic. 2. q. 1. reſpondẽt ꝙ cùm peccatum formaliter dicat defectũ, & priuationem non eſt opus quærere cauſam efficientem, ſed deficientem illius. Atque ex conſequenti, quamuis Deus ſit autor, & cauſa efficiens cuiuſcunq; entitatis exiſtentis in actione peccati, quia tamen Deus non eſt cauſa deficiens, ſed potius cauſa perfectiſsima, idcirco deformitas, non in ipſum, ſed in noſtrũ liberum arbitrium, quod cauſa deficiẽs eſt, eſt referenda. Sed licèt hæc ſolutio ſit grauiſsima, maximeq; conſona menti D. Auguſt. qui lib. 12. de ciuitate. c. 17. dicit, non oportere quærere cauſam efficientem malæ voluntatis, quia non eſt cauſa efficiens, ſed deficiens, ſicut nec ipſa mala voluntas eſt effectio, ſed defectio: deficere enim ab eo quod maximè eſt ad id, qđ minus eſt, eſt incipere habere malam voluntatem, nõ tamen planè ſatisfacit. Nam quod argumẽtum contendere nitebatur eſt, ꝙ Deus concurrẽdo ad actionem peccati, nõ ſolum ſit cauſa efficiens, ſed deficiens: & ſic ſolutio petit principium.

Sẽtentia [...] chieris Ca[...]

¶ Quo circa ea omiſſa, alij aliter reſpondẽt notando, quòd cauſæ efficientes ſunt in duplici differẽtia: quædam enim ſunt naturales, & aliæ morales. Naturales ſunt, quæ per vim à natura inditam ſuos attingunt effectus, vt ignis: morales autem, quæ liberè mouent, vt cõſilium imperium, &c. Rurſus notant, quòd peccatum poteſt conſiderari dupliciter, ſcilicèt, & in quantum eſt actio naturalis, & in quãtum eſt actio moralis. Quo ſuppoſito dicunt, quòd peccatum, in quantum eſt quidam effectus naturalis, refertur in Deum, tanquam in cauſam naturalem, ſicut & refertur in cœlum, & in Angelum cœli motorẽ: cæterùm in quantum eſt cauſa moralis non poteſt in Deum, tanquã in cauſam, retorqueri: ſicut nec in cœlum, aut in Angelum cœli motorem: quia Deus non eſt cauſa moralis, quæ præceptis, aut conſilijs moueat hominem ad peccandum, ſed tantum in ipſum hominem, qui liberè peccat. Et quia nomine peccati abſolutè intelligimus actionem liberam, atque moralem, idcircò ſimpliciter negandum eſt Deum eſſe cauſam peccati, quamuis tanquam cauſa naturalis concurrat ad actionem peccati. Hãc ſolutionem aſsignat Cano in relectione, de ſacramentis in genere. part. 4. poſt ſextã concluſionem, & lib. 4. de locis Theologicis. c. 4. ad. 8. argum. Et licet hic modus dicẽdi ſit valdè probabilis: quia tamẽ D. Th. vbicunq; de hac re loquitur negat Deum eſſe cauſam deformitatis peccati eo modo, quo conceditur ipſum eſſe cauſam actionis, & eſt cauſa actionis non moralis, ſed naturalis, idcircò ſecundum D. Tho. nullo modo debet cõcedi, quòd Deus ſit cauſa deformitatis peccati, etiam naturalis, quod magiſter Cano concedere videtur.

Nota pro explicatioẽ difficultatis.

¶ Et ideò ad explicationẽ huius difficultatis eſt aduertendum, quod ad hoc, vt actio, vel effectus procedens à pluribus agentibus, ſit perfectus neceſſarium eſt, ꝙ omnia agẽtia, à quibus procedit, perfecta ſint: tamen ad hoc, vt idem effectus, vel actio ſit defectuoſa ſatis eſt, quod vnum agentium ſit deficiens: bonum enim conſurgit ex integra cauſa, & malum ex ſingularibus defectibus, vt habet commune axioma philoſophorũ. Quod & ità eſſe patet, tum in ſpiritualibus, in quibus ad inferendã vniuerſali

uerſalem affirmatiuam neceſſarium eſt, ꝙ vtraque præmiſſa ſit vniuerſalis, & affirmatiua: ad inferendā autem particularem, vel negatiuam, quæ habet rationem imperfecti, ſatis eſt, ꝙ vna præmiſſarū ſit particularis, vel negatiua: tū etiam in naturalibus, & artificialibus: nā ad hoc, vt inceſſus hominis ſit defectuoſus, ſatis eſt ꝙ crus, quod eſt vnū ex agētib⁹, à quibus pēdet, ſit imperfectū, vel curuū, & idē cōtingit in alijs. Quo ſuppoſito dico, quod cùm actus humanus pēdeat à duplici cauſa, ſcilicet, à Deo atq; à libero arbitrio ad hoc, vt ille ſit defectuoſus atq; peccatum, ſatis eſt quod alterum agentium, ſcilicet, liberū arbitriū ſit deficiens. Et ſic quamuis quidquid perfectionis & entitatis eſt in illa actione ſit tribuēdum Deo tanquam cauſæ efficienti, tamen id, quod eſt defectus, & imperfectionis, ſoli libero arbitrio debet tribui: quia ſolū illud cōcurrit deficienter ad illam actionē, & per hoc patet ſolutio ad argumētū in contrariū factū.

Dubium de malitia morali vtrum ſit à Deo.

❡ Sed, quia per ea, quæ diximus, tantū videmur ſatisfeciſſe difficultati, ſuppoſito, quod in peccato ſunt ſolum actio peccati, & deformitas, quæ in quadam priuatione conſiſtit, & tamen in illo nō tantū inueniūtur illa duo, ſed etiā inuenitur malitia moralis poſitiua, per quam actio peccati conſtituitur in certa ſpecie mali moralis, vt ex ſententia D. Tho. diximus, dubio præcedenti, idcirco de illa malitia morali poſitiua eſt difficultas, vtrum ſit à Deo? Et pro parte negatiua eſt argumentum. Illa malitia moralis poſitiua eſt contraria bonitati morali poſitiuę, quæ eſt in actu temperantiæ: ſed qui ponit, vel cauſat in vno ſubiecto vnum contrariū, ex cōſequenti priuat illud alio, vt qui in manu ponit calorem priuat illā frigiditate, ergo ſi Deus eſt cauſa illius malitiæ moralis poſitiuę, quæ eſt in actu intemperantiæ, ex conſequenti etiam eſt cauſa priuationis rectitudinis debitæ in eſſe actui temperantiæ: & cum in iſta conſiſtat deformitas peccati rurſus ſequitur, quod Deus eſt cauſa deformitatis atq; peccati, quod quidem eſt falſum. ❡ In contrarium tamen eſt: nā ſi illa malitia moralis eſt quid poſitiuum, quod etiam ſit à Deo erit neceſſe, cum Deus ſecundum fidem ſit cauſa omnium rerum.

Sententia Cai.

❡ Ad hanc difficultatem, vt reſpondeat Caietanus. 1. 2. q. 79. art. 1. ſuppoſito qđ in peccato ſunt tria, ſcilicet, actus peccati, ſpecies moralis, & deformitas, aduertit duo. Primum eſt, quod, quia peccatum conſtat ex cōuerſione ad bonum creatum contrarium bono virtutis, & ex auerſione à Deo, idcirco in illo ſunt duæ malitiæ. Prima eſt, quæ ſumitur ex obiecto, & eſt poſitiua, altera, quæ conſiſtit in priuatione obſeruātiæ legis diuinæ, & ſpectat ad auerſionē: & in hac, dicit, cōſiſtere deformitatē peccati.

❡ Secūdo aduertit, quod ſicut de ratione actus moralis eſt, quod ſit à voluntate, ita etiā eſt de ratione mali moralis, quod ſit à mala voluntate. Vnde, ſicut non poteſt intelligi actus moralis, quin ſit à volūtate: ita etiam non poteſt intelligi malum morale, quin intelligatur eſſe à mala voluntate, atque deficiente. Ex quo infert Deum non poſſe eſſe cauſam immed[iat]ā mali moralis ga cū immediata cauſa mali moralis debeat eſſe deficiens, & Deus nō ſit cauſa deficiens manifeſtè ſequitur Deū nō poſſe eſſe cauſam immediatā mali moralis. Quod etiā cōfirmat ex eo, quod illa malitia moralis poſitiua de neceſſitate parit aliā priuatiuam, in qua conſiſtit deformitas peccati, ergo ſi Deus non poteſt eſſe cauſa illius deformitatis priuatiuę, nec etiā poterit eſſe cauſa immediata malitiæ moralis poſitiuæ. Dicit tamen Caietanus ꝙ eſt Deus cauſa mediata mali moralis & malitiæ moralis poſitiuæ: quia producit illā mediāte cauſa ſecūda, ſcilicet, mediante voluntate.

Obiectio contra Caietan.

❡ Et ſi quis obijciat Caiet. quod quidquid Deus poteſt facere cum cauſa ſecūda poteſt facere ſe ſolo atque ex cōſequenti, ſi cum libero arbitrio poteſt producere malitiam moralem, etiā poterit producere eam immediatè per ſe ipſum

Solutio ex Caietano.

reſpondet Caietanus quod illa maxima tantū habet verum, quādo in eo, quod producitur à cauſa ſecunda, nō intelligitur alia habitudo, pręter illam, quæ eſt effectus ad cauſam: nam, ſi alia habitudo intelligatur, non erit neceſſè, vt quod ſit à Deo mediante cauſa ſecunda poſsit fieri ab ipſo immediatè: vt patet in comedere bibere. &c. quæ fiunt à Deo mediante cauſa ſecunda, nec tamen poſſunt fieri immediatè ab ipſo: quia cum ſint operationes vitales neceſſariò importāt habitudinem ad principium vitale, à quo procedunt. Et ſi quis argumentetur cōtra hoc, Poteſt Deus conſeruare illas actiones comedendi, atq; bibendi deſtructis cauſis ſecundis, ergo poteſt illas immediatè producere, reſpondet Caietanus, quod ſi Deus cōſeruet actiones comedendi atque bibendi deſtructis comedentibus,

dentibus, atque bibentibus, tales actiones non manebunt ſub ratione operum vitalium: ſed ſolùm in ratione entitatis, & ſub tali ratione benè poteſt immediatè per ſe ipſum illas producere ſine cauſa ſecunda, quod & contingit in malo morali, nā licet poſsit Deus immediatè per ſeipſum producere entitatem, quæ eſt malum morale, non tamen ſub ratione mali moralis.

¶ Addit vltimo Caietanus quod ſicut Deus eſt cauſa mediata malitiæ moralis poſitiuè, quæ ſumitur ex obiecto, ita etiam cauſa mediata priuationis rectitudinis, & bonitatis moralis, quæ eſt in actu contrario: talis enim bonitas directe contrariatur malitiæ morali poſitiuæ, ſicut frigus contrariatur calori. Vnde ſicut ille, qui cauſat calorem ex conſequenti etiam eſt cauſa priuationis frigiditatis, ita etiam Deus cauſans mediatè malitiam moralem poſitiuam ex conſequenti etiam cauſat priuationem rectitudinis illi contrariæ. ¶ Et ſi quis obijciat Caietano, ex hoc ſequi, quòd Deus eſt cauſa deformitatis peccati, quæ conſiſtit in priuatione illius rectitudinis, negat conſequentiam: quia deformitas peccati non conſiſtit in priuatione rectitudinis moralis debitæ in eſſe actui peccati, ſed in priuatione obſeruantiæ diuinæ legis, cuius Deus non eſt cauſa, quia non conſequitur hæc priuatio ad malitiam moralem, vt eſt à Deo, ſed, vt eſt à libero arbitrio deficiente. Et ſi quis inſtet: Ità eſt inſeparabiliter coniuncta hæc priuatio obſeruantiæ legis diuinæ cum malo morali, ſicut priuatio rectitudinis moralis, ergo ſicut ille, qui eſt cauſa mali moralis, eſt etiam cauſa priuationis rectitudinis moralis, ità etiam erit cauſa priuationis obſeruantiæ legis diuinæ, reſpondetur cum Caietano conceſſo antecedenti, negando conſequentiam. Nam rectitudo moralis directè contrariatur malitiæ morali, & ideò qui cauſat malitiam moralem neceſſario priuat rectitudine morali. At vero malitia moralis non ſic contrariatur directæ obſeruantiæ legis diuinæ, & ideò non eſt neceſſarium, quod qui cauſat malitiam moralem cauſet etiam priuationem obſeruantiæ legis diuinæ, quia, vt optimè docet D. Tho. in 2. diſt. 37. quæſt. 2. art. 2. ad. 5. non quicūque cauſat aliquem effectum cauſat etiam de neceſsitate omnia, quæ ſunt illi inſeparabiliter coniuncta: natura enim cauſat oculum, & tamen non cauſat cæcitatem, quæ illi inſeparabiliter eſt coniuncta.

Alia obiectio cōtra Caietanum.

Solutio ex Caietano.

¶ Hæc eſt ſententia Caietani: quæ mihi quo ad omnia probari non poteſt. Nam licet in eo, quòd affirmat Deum eſſe cauſam actionis, quæ eſt in malo morali, & etiam entitatis poſitiuæ, quæ eſt malitia moralis, per quam actio conſtituitur in certa ſpecie mali moralis, & etiam in eo, quòd negat auerſionem à Deo, & priuationem obſeruantiæ legis diuinæ eſſe à Deo, verum dicat, tamen in hoc, quòd affirmat Deum eſſe cauſam mali moralis, ſeu malitiæ moralis poſitiuæ, atque ex conſequenti etiam priuationis rectitudinis moralis debitæ in eſſe tali actui, nulla ratione mihi probari poteſt: quin potius exiſtimo eum toto cœlo aberrare a veritate. Quod vt oſtendam ſuppono ex D. Tho. 1. 2. quæſtio. 21. art. 1. quòd in ijs, qui agunt per voluntatem duplex eſt regula, vna proxima, altera ſuprema. Proxima eſt ratio humana: ſuprema autem lex æterna. Et quando actus hominis procedit ſecundum ordinem rationis, & legis æternæ, tunc eſt rectus, atq; bonus, quādo autem ab aliqua ex his regulis obliquatur, tunc eſt malus atque peccatū. Quo poſito ſic argumentor. Deus eſt cauſa priuationis rectitudinis moralis, vt dicit Caietanus, ergo eſt cauſa peccati, quod retro falſum eſſe oſtēdimus. Probo conſequentiā: nam peccatum eſt actus deordinatus, ſeu carens ordine, & conformitate ad ſuam regulam, quæ eſt recta ratio, ergo ſi Deus eſt cauſa priuationis ordinis, & conformitatis ad regulam ex conſequenti etiam erit cauſa peccati. Et confirmatur ex D. Auguſtino qui lib. 83. quæſtionum quæſtio. 3. dicit neminem Deo autore fieri deteriorem: ſed, ſi Deus eſſet cauſa mali moralis, vt Caietanus dicit Deo autore homo fieret deterior: Si quidem per mala moralia hominem fieri quotidiè deteriorem nemo eſt, qui dubitet, ergo. Item, ſi ex illis duabus regulis actuum humanorum, quas D. Tho. ponit, tantum eſſet humana ratio, ad hunc actio, quæ illi eſſet deformis eſſet mala, atq; peccatum, ergo ſi Deus eſt cauſa actus, & etiā priuationis conformitatis ad iſtam regulā, etiam erit cauſa peccati. ¶ Quo circa ego aliter reſpondendum exiſtimo ad iſtam difficultatem, notando, quòd priuatio dupliciter poteſt ſequi ad aliquam actionem, ſeu operationem. Vno modo abſolutè, ſecundum ſuam naturam, atque eſſentiam, quomodo ad fornicationem conſequitur intrinſece priuatio virginitatis, & ad deal-

Impugnatur Caieta. quantum ad aliqua.

Nota ex D. Tho.

Sententia autoris.

bationem conſequitur priuatio nigredinis. Alio modo priuatio poteſt ſequi ad actionem, non abſolutè ſecundum ſuam naturã, ſed quatenus procedit à tali cauſa: quomodo ad furtum, ſeu fornicationem ſequitur carentia rectitudinis moralis, & priuatio obſeruantiæ legis diuinæ. Et inter has priuationes hoc eſt diſcriminis: quod illæ, quæ ſecundum ſuam naturam conſequuntur actiones, ità ſunt intrinſecæ illis, vt à quocunq; fiant tales actiones, quòd etiam ipſæ priuationes ſequantur erit neceſſe: cęterùm priuationes, quæ ſequuntur actiones, non abſolutè, ſed quatenus procedunt ab aliquo agente, non conſequuntur illas, niſi in quantum procedũt a tali agenti. Vnde quia carentia rectitudinis moralis, & priuatio obſeruantiæ diuinæ legis, quæ eſt in furto, verbi gratia, non cõſequitur ad iſtam actionem abſolutè ſecundum ſuam naturam, ſed quatenus procedit à libero arbitrio, idcircò, niſi furtum fiat ab homine cordato, nec carentia rectitudinis moralis, nec alia priuatio obſeruantiæ legis diuinæ ad illam conſequitur. ℭ Hoc ſuppoſito dico, quod quicunq; cauſat actum, ad quem ex natura ſua ſequitur priuatio, conſequenter cauſat priuationem. Et ſic Deus cauſando calorem cauſat priuationem frigiditatis, & cauſando actum fornicationis cauſat priuationem virginitatis, & integritatis: non tamen quicunq, cauſat actionem, ad quam non abſolutè, ſed vt procedit à tali agenti, ſequitur priuatio, cauſat ipſam priuationẽ, ſed tantum illa cauſa, à qua dependet. Ex quo ſequitur, quod Deus concurrẽdo cum libero arbitrio ad furtum, vel ad fornicationem, non eſt cauſa carentiæ rectitudinis moralis, nec etiam priuationis obſeruantię legis diuinæ, quoniam tales priuationes non conſequuntur naturam actus ſecundũ ſe, ſed quatenus proficiſcuntur a libero arbitrio, quod eſt cauſa deficiens. Et ſic Deus nec eſt cauſa deformitatis moralis poſitiuè, quæ eſt in illo actu, nec priuationis obſeruantiæ, quæ ad illam conſequitur, ſed tantum entitatis ipſius actus, & reliqua ſunt referenda in liberum arbitrium, à quo habent, vt ſint coniuncta actui. Hæc eſt ſententia D. Tho. de malo. quæſt. 3. art. 3. Nam cum poſuiſſet tale argumentum, Quod eſt cauſa alicuius, eſt etiam cauſa eius, quod ſibi competit ſecundum ſuã ſpeciem, vt qui eſt cauſa Petri eſt cauſa hominis, ſed aliquę operationes ſunt malæ ſecundum ſuã ſpeciem, vt furtum, & adulterium, ergo Deus, qui eſt cauſa actus, eſt etiam cauſa deformitatis, atque malitiæ, reſpondet ꝙ deformitas peccati non conſequitur actum ſecũdum ſuam naturam, ſed quatenus procedit ab homine operante per liberum arbitriũ: & ideo malitia nullo modo eſt referenda in Deum, ſed in liberum arbitrium. Et hæc dicta ſufficiant de hac difficultate, de qua plura alia dicenda eſſent, niſi aliquo modo aliena a noſtro inſtituto videretur.

QVAESTIO SEPTIMA, De effectibus fidei, in duos articulos diuiſa.

DEINDE conſiderandum eſt de effectibus fidei.

¶ Et circa hoc quæruntur duo.

¶ Primo, vtrũ timor ſit effectus fidei.

¶ Secundo, vtrum purificatio cordis ſit effectus fidei.

ARTICVLVS. I.

ℭ Vtrùm timor ſit effectus fidei.

AD PRIMVM ſic proceditur. Videtur quod timor non ſit effectus fidei. Effectus enim non præcedit cauſam. Sed timor pręcedit fidem. Dicitur enim Eccleſ. 2. Qui timetis Deum, credite illi: ergo timor non eſt effectus fidei.

2 ¶ Præterea, Idem non eſt cauſa con
trariorum. Sed timor, & ſpes ſunt con
traria, vt ſupra * dictum eſt. fides au- *1.2.q.71.*
tem generat ſpem, vt dicitur in gloſ- *art. 2.*
ſa Matth. * primo: ergo non eſt cauſa *Gloſ. interli.*
timoris. *ſuper illud*
Abrahã genuit Iſaac.

3 ¶ Præterea, Contrarium non eſt cau
ſa cõtrarij, ſed obiectũ fidei eſt quod-
dam bonum, quod eſt veritas prima.
obiectum autem timoris eſt malum,
vt ſupra * dictum eſt: actus autem ha- *1. 2. q. 42.*
bent ſpeciem ex obiecto ſecundum ſu *art. 1.*
pra dicta. * ergo fides non eſt cauſa ti- *1.2.q. 18.*
moris. *art. 2.*

¶SED contra eſt quod dicitur Iac.2. Dæmones credunt,& contremiſcunt.

¶RESPONDEO dicendum, quòd timor eſt quidam motus appetitiuæ virtutis vt ſupra dictum * eſt. Omnium autem appetitiuorum motuum principium eſt bonum, vel malũ apprehenſum: vnde oportet, quod timoris, & omnium appetitiuorum motuum ſit principium aliqua apprehenſio. Per fidem autem fit in nobis quædam apprehenſio, de quibuſdam malis pœnalibus, quæ ſecundum diuinum iudicium inferuntur: & per hunc modum fides eſt cauſa timoris, quo quis timet à Deo puniri: qui timor eſt ſeruilis. Eſt etiam cauſa timoris filialis, quo quis timet ſeparari à Deo: vel quo quis refugit ſe Deo comparare, reuerendo ipſum inquantum per fidem, hanc exiſtimationem habemus de Deo, quòd ſit quoddam immenſum,& altiſsimum bonum, à quo ſeparari eſt peſsimum, & cui velle æquari eſt malũ: ſed primi timoris, ſcilicet, ſeruilis eſt cauſa fides informis, ſed ſecundi timoris, ſcilicet, filialis eſt cauſa fides formata, quæ per charitatem facit hominem Deo adhærere,& ei ſubijci.

*1.2.q.22.a.2.&3.et.q.41.42.43.

¶AD PRIMVM ergo dicendum, quòd timor Dei non poteſt vniuerſaliter præcedere fidem, quia ſi omnino eius ignorantiã haberemus quãtum ad præmia, vel pœnas, de quibus per fidem inſtruimur, nullo modo eũ timeremus. Sed ſuppoſita fide de aliquibus articulis fidei, puta de excellentia diuina, ſequitur timor reuerentiæ: ex quo ſequitur vlterius, vt homo intellectum ſuum Deo ſubijciat ad credendum omnia, quæ ſunt promiſſa à Deo. Vnde ibi ſequitur, Et non euacuabitur merces veſtra.

¶Ad ſecundum dicendum, quòd idẽ ſecundum contraria poteſt eſſe contrariorum cauſa, non autem idem ſecundum idem. Fides autem generat ſpem, ſecundum quod facit nobis exiſtimationem de præmijs, quæ Deus retribuit iuſtis. Eſt autem cauſa timoris, ſecũdum quod facit nobis æſtimationem de pœnis, quas peccatoribus infligere vult.

¶Ad tertium dicendum, quod obiectum fidei primum & formale eſt bonum, quod eſt veritas prima, ſed materialiter fidei proponuntur etiam credenda quædam mala, puta quòd malum ſit Deo non ſubijci, vel ab eo ſeparari,& quòd peccatores pœnalia mala ſuſtinebũt à Deo: & ſecundum hoc fides poteſt eſſe cauſa timoris.

SVMMA TEXTVS.

PRima concluſio, Fides cauſat timorem. Probatur, Timor eſt quidam motus appetitiuę virtutis, ſed omnium motuum appetitiuorum principiũ eſt bonum, vel malum apprehenſum, ergo timoris, & omniũ appetitiuorum motuum principium eſt aliqua apprehenſio: ſed per fidem fit in nobis apprehẽſio, de quibuſdã malis pœnalibus, quæ ſecundum diuinum iudicium inferuntur, ergo hoc modo fides eſt cauſa timoris. Eſt tamen aduertẽdũ, ꝙ timor eſt duplex, vnus ſeruilis, alter filialis. Seruilis eſt, quo quis timet à Deo puniri, filialis autem eſt quo quis timet ſeparari à Deo, vel quo refugit ſe Deo comparare, reuerendo ipſum. ¶Quo poſito eſt ſecunda cõcluſio. Fides informis eſt cauſa timoris ſeruilis. ¶Tertia concluſio. Fides formata charitate eſt cauſa timoris filialis. Has nõ probat D. Tho. ſed illas, vt notas relinquit.

EXPLICATIO ARTICVLI.

PRima concluſio huius articuli eſt certa, & ab omnibus conceſſa. Cæterum circa rationem, qua illam probat D. Tho. eſt aduertendum ex Ariſtotele. 3. de anima, quòd inter imaginationem, & exiſtimationem, ſeu opinionem hæc eſt differentia, ꝙ exiſtimatio cauſat motum, & mouet animam, imaginatio vero non. Qui enim exiſtimat, ſiue opinatur aliquod malum ſibi imminere, timet, & fugit: at verò qui tantum imaginatur malum non fugit, nec timet, ſed ſic ſe habet, ac ſi videret malum depictum in Nota.

aliqua

aliqua tabula. Vnde cum D. Tho. dicit, ꝙ omnium motuum appetitiuorum principium eſt malum vel bonum apprehēſum, debet intelligi de apprehenſione ſimul cū exiſtimatione & opinione: hæc enim eſt, quæ poteſt cauſare timorem. Ex quo colligi poteſt, quàm mortua ſit fides in peccatoribus, quia cùm non ſolùm habeant exiſtimationem, aut opinionem: ſed etiam certā cognitionem per fidem Gehennæ, atq; iudicij adhuc tamen non ſurgunt à peccato, nec ab illo deſiſtunt. ¶ Et ſi quis quærat, quæ nam ſit cauſa, propter quàm illi peccatores credentes, per fidem pœnas æternas ſibi imminere, non timent, ac fugiunt peccata, reſpondeo quòd id prouenit ex triplici cauſa. Prima eſt, quia non habent actualem conſiderationem fidei, atque Gehennæ. Secunda, quia præſumentes de diuina miſericordia ità cōfidunt de illa, vt nullam habeant de iuſtitia memoriam. Tertia cauſa eſt, quia ex nimia aſſuetudine peccandi facti ſunt velut insenſati, & incalluerunt in ſuis vitijs, iuxta illud Sapientiæ cap. 5. Nos inſenſati vitam illorum exiſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore. Et Pſal. 48. Homo cùm in honore eſſet non intellexit: comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.

Nota. ¶ In argumento, Sed contra, adducit D. Tho. ad probandam concluſionē teſtimonium Iacobi cap. 2. dicentis, Dæmones credunt, & contremiſcunt, quod quidem videtur impertinens. Nam, cùm ex ſententia D. Tho. Dæmones non habeant fidem, vt ſupra explicauimus, ex eo loco colligi non poteſt, ꝙ fides cauſet timorem, hoc tamen non obſtante dico, illud teſtimonium eſſe efficax ad probandum intentum, ſumpto argumento à minori ad maius, hoc modo. Nam ſi actus, vel habitus fidei acquiſitæ cauſat timorem in Dæmonibus, vt D. Iacobus teſtatur, quantò magis actus, vel habitus fidei inſulæ, quæ fortior eſt, atque efficacior illum cauſabit in fidelibus.

Dubium. ¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco, vtrū An- *Argumētū.* geli, atque beati habeant timorem. Et ratio dubitandi eſt: quia cùm fides ſit cauſa timoris, & beati non habeant fidem, videtur quòd nec etiam habeant timorem, maximè quòd timor eſt de malo, quod nobis imminet, & An[ge]lis, aut beatis nullum malum poteſt imminere. In contrarium tamen eſt illud quod canit Eccleſia, Adorant dominationes, tremunt poteſtates, &c.

¶ Reſpondeo tamen ex D. Tho. 1. 2. quæ- *Solutio.* ſtio. 67. art. 4. ad ſecundum, quòd timor filialis, de quo in præſenti eſt ſermo, dicit duos actus. Vnus eſt timere ſeparationem à Deo: filius enim timet ſeparari à patre, & quantum ad iſtum actum certum eſt, quòd timor filialis nec eſt in Angelis, nec in beatis. Nā ſeparatio à Deo dicit magnum malum, & ibi nullum eſt malum, dicente Deo per Salomonem Prouer. cap. 1. Qui me audierit abſque terrore requieſcet, & abundantia perfruetur, malorum timore ſublato. Secundus actus timoris filialis eſt, reuereri ipſum Deum. Et quantum ad hunc actum manet timor filialis in Angelis & in beatis: & propterea dicitur in præfatione Eccleſiæ, Tremunt poteſtates: & Iob cap. 26. dicit, Columnæ cæli contremiſcūt, &c. Vel poſſumus dicere, quòd dicūtur Angeli contremiſcere propter maieſtatem inſpectam, & quia ſunt parati obedire miniſterijs, ad quæ mittuntur, iuxta illud Pauli ad Hebræ. 1. Omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſsi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis. De hac re videndus eſt Gabriel ſuper canonem lectione. 18. Caietanus in hoc articulo dicit, quòd Poteſtates dicuntur tremere, quia exhorreſcunt malum æqualitatis diuinę. Hoc tamen non placet, quia ex deteſtatione mali culpæ nulla naſcitur contremitio, aut timor. ¶ Et ad argumentum in contrarium *Ad argum.* factum reſpondetur, quòd fides non dicitur cauſa timoris, quaſi ipſa ſola poſsit cauſare timorem: poteſt enim timor etiam prouenire ex viſione, vt prouenit in beatis timor filialis: ſed, cùm per fidem apprehendamus malum, vt imminens, manifeſtè ſequitur, quòd fides poteſt eſſe cauſa eius motus appetitiui, qui dicitur timor.

¶ Notandum circa ſecundam concluſio- *Nota circa ſecundā conclusionē D. Tho.* nem D. Tho. quòd cùm dicit, quod fides informis eſt cauſa timoris ſeruilis, non vult ſignificare, quòd iſte timor ſemper ſit ſine charitate: poteſt enim eſſe cum illa, vt infrà dicemus in materia de ſpe: ſed tribuitur iſte timor fidei informi, quia poteſt eſſe ſine charitate cum tamen timor filialis non poſsit eſſe ſine illa.

ARTICVLVS. II.

¶ Vtrùm purificatio cordis ſit effectus fidei.

AD SECVNDVM ſic proceditur. Videtur quod purificatio cordis non ſit effectus fidei. Puritas enim cordis præcipuè in effectu conſiſtit, ſed fides in intellectu eſt. ergo fides nõ cauſat cordis purificationem.

2 ¶Præterea, Illud, quod cauſat cordis purificationem, non poteſt ſimul eſſe cum impuritate: ſed fides ſimul poteſt eſſe cum impuritate peccati: ſicut patet in illis, qui habent fidem informem: ergo fides non purificat cor.

3 ¶Præterea, Si fides aliquo modo purificat cor humanum, maximè purificaret hominis intellectum, ſed intellectum non purificat ab obſcuritate: cum ſit cognitio ænigmatica. ergo fides nullo modo purificat cor.

¶SED contra eſt quod dicit Pet. Act. 15. fide purificans corda eorum.

¶RESPONDEO dicendum, quòd impuritas vniuſcuiuſq; rei conſiſtit in hoc, quòd vilioribus immiſcetur. Non enim dicitur argentum eſſe impurum ex permixtione auri, per quam melius redditur, ſed ex permixtione plumbi, vel ſtanni. Manifeſtum eſt autem, quòd rationalis creatura dignior eſt omnibus temporalibus, & corporalibus creaturis: & ideo impura redditur ex hoc, quòd temporalibus ſe ſubijcit per amorem: à qua quidem impuritate purificatur per contrarium motum, dum ſcilicet tendit in id quod eſt ſupra ſe, ſcilicet in Deũ: in quo quidem motu primum principium eſt fides. Accedentem enim ad Deum oportet credere, vt dicitur Hebræ. 11. & ideo primum principium purificationis cordis eſt fides, qua purificatur impuritas erroris, quæ ſi perficiatur per charitatem formatam, perfectam purificationem cauſat.

¶AD PRIMVM ergo dicendum, quòd ea, quæ ſunt in intellectu, ſunt principia eorum, quæ ſunt in affectu, inquantum, ſcilicet, bonum intellectus mouet affectum.

¶Ad ſecundum dicendum, quòd fides etiam informis excludit quãdam impuritatem ſibi oppoſitam, ſcilicet, impuritatem erroris, quæ contingit ex hoc, quòd intellectus humanus inordinatè inhæret rebus ſe inferioribus, dum, ſcilicet, vult ſecundum rationes rerum ſenſibilium metiri diuina. Sed quãdo per charitatem formatur, tunc nullam impuritatem ſecum compatitur, quia vniuerſa delicta operit charitas, vt dicitur Prouerb. 10.

¶Ad tertium dicendum, quòd obſcuritas fidei non pertinet ad impuritatẽ culpæ, ſed magis ad naturalem defectum intellectus humani ſecundum ſtatum præſentis vitæ.

SVMMA TEXTVS.

SVppoſito, quòd impuritas vniuſcuiuſque rei conſiſtit in hoc, ꝙ vilioribus immiſcetur, & quod creatura rationalis eſt dignior omnibus alijs temporalibus, & corporalibus creaturis reſpondet D. Tho. per duas concluſiones. ¶Prima concluſio, Principium purificationis cordis eſt fides informis, qua purificatur impuritas erroris.

¶Secunda concluſio. Fides formata charitate cauſat perfectam purificationem. Probatur vtraque concluſio ſimul. Impuritas hominis conſiſtit in hoc, quod temporalibus ſe ſubijcit per amorem, ergo eius puritas conſiſtit in eo, quod tendat in id, quod eſt ſupra ſe, ſcilicet, in Deum, per contrariũ motũ: ſed in hoc motu primum locum tenet fides, dicente Paulo, Accedentem ad Deum oportet credere quia eſt, & conſummatur per charitatem, ergo principium purificationis eſt per fidem informem, qua purificatur impuritas erroris, & cõſummatur per charitatẽ, qua etiã volũtas rectificatur.

EXPLICATIO ARTICVLI.

CIrca primam atq; ſecundam concluſionem huius articuli eſt aduertendum, fuiſſe errorem Lutheranorum dicentium, ſola *Error Lutheranorum.*

ſola fide homines iuſtificari apud Deum, atque ex conſequenti ſola fide, ſine charitate, fieri perfectam cordis purificationem. Dicebant enim ipſo actu credendi apprehendere fideles, tanquam manu, Chriſti iuſtitiam, in cuius applicatione, & imputatione omnis noſtra iuſtitia, atque purificatio ſita eſt. Et probant ſuam ſententiã aliquibus argumentis. Primò ex Paulo ad Roma.3. dicente, Iuſtitia Dei per fidem Ieſu

1. Argum. Chriſti in omnes, & ſuper omnes, qui credunt in illum. Ex quo loco ſic colligo argumentum, Paulus dicit, quòd datur iuſtitia Dei vniuerſis credentibus, ſed non omnes, qui credunt, habent charitatem, aut charitatis opera, ergo ſola fides eſt ſufficiens ad iuſtificationem, & cordis purificationem.

2. Argum. ¶Secundo, idem Paulus in eadem epiſtola atque capitulo poſt longam de fide, & operibus diſputationem tandem concludit dicens, Arbitramur hominem iuſtificari per fidem, ſine operibus: quam eandem ſententiam repetit ad Galat. cap.2. dicens, Scientes, quòd non iuſtificatur homo ex operibus legis, niſi per fidem Ieſu Chriſti, & nos in Chriſtum credimus, vt iuſtificemur ex fide Chriſti, & non ex operibus legis. Et cap.4. epiſt. ad Roma. dicit, Si Abraham ex operibus legis iuſtificatus eſt habet gloriam, ſed non apud Deum. Et ſubdit ſtatim: Nam ei, qui operatur merces nõ imputatur, ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum, ei autem, qui non operatur, credenti autem in eum, qui iuſtificat impium, fides eius imputatur ad iuſtitiam. Ex quibus omnibus teſtimonijs manifeſtè colligitur, D. Paulum excludere à negotio iuſtificationis, & purificationis cordis operà charitatis, ergo ſola fides ad illam ſufficit.

Concluſio de fide. ¶His tamen non obſtantibus ſit concluſio de fide tenenda, quòd ſola fides non eſt ſufficiens ad efficiendam perfectam cordis purificationem, ſed vltra illam requiritur ex parte voluntatis motus amoris atq; charitatis. Et probatur ex illo. 1. Ioannis cap.3. qui non diligit manet in morte. Et. 1. ad Corinth. cap.13. apertè fatetur Paulus, opera alioquin præclara, atque fidem, ſine charitate, nihil valere. Et ad Galat.5. In Chriſto Ieſu nec circunciſio aliquid valet, neque præputium, ſed fides, quæ per charitatem operatur. Denique hæc veritas diffinita eſt in concil. Trident. ſeſsio.6. cap.6. Quam, & probat multis alijs teſtimonijs atque rationibus Vega in lib. de iuſtificatione. quæſtio. ſecunda.

Ad. 1. arg. ¶Et ad primum argumentum reſpondetur primo, quòd cum Paulus dicit iuſtitiam Dei dari per fidem Ieſu Chriſti in omnes, & ſuper omnes, qui credunt in eum, illud ſignum, omnes, non diſtribuit pro ſingulis generum, ſed pro generibus ſingulorum: ita, vt ſit ſenſus, quod ex ſingulis gẽtibus, atq; nationibus credentibus in Chriſtum aliqui ſunt futuri ſalui. Idque dixit Paulus, vt hac ratione retunderet arrogantiam, & ſupercilium Iudæorum exiſtimantium neminem futurum eſſe participem iuſtitiæ, & gratiæ Dei, niſi aut Iudæus eſſet, aut illorum religioni eſſet inſertus per obſeruantiam legalium. Vnde ſtatim ſubiicit: Non enim eſt apud Deum diſtinctio Iudæi, & Græci, ſed omnes peccauerunt, & egent gratia Dei. Quaſi diceret. Non eſt cur Iudæi iuſtitiæ poſſeſsionem propriam faciant, nam & ipſi ſicut reliquæ gentes peccauerunt: vnde ſicut morbus ad omnes pertinet, ità, & debet pertinere medicina. Vel ſecundo reſpondetur, quòd ea verba ſunt intelligenda, non de quibuſcunque credẽtibus, ſed de credẽtibus fide viua. Cui expoſitioni ſuffragari videtur D. Auguſtinus lib. de fide, & operibus. c.14.16. & .21. & lib. de Spiritu & litera. c.32. Vel tertio reſpondetur, illa ſententia Pauli etiã vniuerſaliter intellecta habet verum quantum ad hoc, vt fides ex ſe, & ex ſua natura, niſi aliũde impedimentum apponatur, ſufficiens ſit ad producendum in voluntate ſpem, amorem, & pœnitentiam, & reliqua omnia, quæ neceſſaria ſunt ad iuſtitiam. Et propterea dicit, quòd iuſtificantur homines ex fide: qui modus loquendi vſitatiſsimus eſt in ſacris literis. Nam Ioannis cap. 6. dixit Chriſtus: Hic eſt panis, qui de cœlo deſcendit, ſi quis ex ipſo manducauerit non morietur, ſcilicet, quantum eſt ex parte ipſius: & alibi, Qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem habet vitam æternam. Et rurſus, Qui manducat hunc panem viuet in æternum, ſcilicet, quantum eſt ex parte ipſius, niſi aliunde apponatur impedimentum. Ad hunc modum explicat Diuus Auguſtinus illud. 1. Ioan. cap.3. qui natus eſt ex Deo non peccat, quoniam ſemen illius in ipſo manet, & non poteſt peccare: id eſt non peccat quantum eſt ex parte ipſius ſeminis, & iuſtitiæ à Deo acceptæ.

Ad.2.arg. *Prima interpretatio verbũ Pauli.* ¶ Ad ſecundum argumentum variè reſpondent Doctores. Nam quidam dicunt, quòd D.Paulus in illis teſtimonijs non affirmat opera non eſſe neceſſaria ad iuſtificationem: ſed tantum, quòd quamuis opera neceſſario debeant concurrere, non tamen ſunt exiſtimanda meritoria illius. Vnde quod dicit: Arbitramur hominem iuſtificari per fidem ſine operibus, perinde eſt ac ſi dixiſſet, ſine operib' meritorijs. Et quòd hæc expoſitio ſit conueniens probatur ex eo, quod apud D. Paulus, idem eſt iuſtificari ex operibus, quod non iuſtificari gratis, ſed meritoriè, vt conſtat ex illo, Si Abraham ex operibus iuſtificatus eſt habet gloriam, ſed non apud Deum: quia ei, qui operatur merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum. Quaſi diceret, ſi Abraham ex operibus legis iuſtificatus eſt, debita eſſet illi iuſtitia. Hanc expoſitionẽ ſequũtur multi ex neotericis. Cæterum meo iudicio ſtare non poteſt. Nam ſi Diuus Paulus ideo diceret iuſtitiam non dari ex operibus, quia nulla opera poſſunt eſſe illius meritoria, eadem ratione etiam affirmaret, hominem non iuſtificari ex fide, cùm nec etiam fides poſsit eſſe meritoria primæ iuſtificationis.

2. Interpretatio. ¶ Quo circa hac ſolutione omiſſa alij aliter reſpondent dicentes, quòd D. Paulus in illis teſtimonijs nomine operum legis, ſolùm intelligit præcepta Moſaica legalia, & ceremonialia, quę excluduntur à negotio iuſtificationis propter Iudæos affirmantes illorum obſeruantiam eſſe adeò neceſſariam, vt etiã illi, qui ex gentibus conuertebantur ad Chriſtianiſmum, tenerentur ſeruare legem Moſaicam, cuius contrarium D. Paulus docet in illis verbis. Hanc expoſitionem ſequitur D.Ambroſius ſuper illum locum: cui ſuffragari videtur id, quod ſtatim ſequitur in Paulo, cum dicit, An Iudæorum Deus tantum nonne & gentilium? Quaſi diceret, ſi ad iuſtitiam eſſet neceſſaria obſeruantia legalium ſolùm illi, qui ſunt ex Iudaiſmo iuſtificarentur, atque ex conſequenti Deus tantum gereret curam Iudæorum & non gentilium, quod eſt abſurdum. Cæterùm nec hæc expoſitio mihi probatur. Primo quia D.Paulus vniuerſaliter dicit neminẽ, aut Iudæum, aut Gentilem iuſtificatum fuiſſe ex operibus legis, ergo nõ ſolùm excludit à negotio iuſtificationis opera pertinentia ad præcepta legalia, & cęremonialia: ſed etiam excludit opera pertinentia ad præcepta moralia: quæ etiam erant nota, & obſeruata à Gentibus. Secũdo quia Paulus ad idem confirmandum adducit exemplum ex Abrahamo, qui iuſtificatus eſt ex fide, & non ex operibus. Certum eſt autem quòd tempore Abrahami præcepta legalia, & ceremonialia nondum erant poſita, ergo per opera legis D. Paulus in illis locis non tantum intelligit præcepta legalia, & cęremonialia, ſed etiam illa, quæ pertinent ad mores. Quod ità eſſe apertiſsimè docet D.Auguſtinus in lib.de ſpiritu & littera.c. 8.13.14. &.29. Tandem idem probatur ex ratione, qua D.Paulus vtitur ad confirmandam ſuam ſententiam. Ob id enim dicit hominem non fuiſſe iuſtificatum ex operibus legis, quia ei qui operatur merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundũ debitum: quæ ratio æqualiter probat de operibus, ſiue legalibus, ſiue cęremonialibus, ſiue moralibus.

¶ Quocirca alij probabiliùs interpretantur illa loca Pauli dicentes, quòd D.Paulus vniuerſaliter intelligit, per opera legis, omnia opera in lege præcepta, ſiue legalia ſint, ſiue moralia, quæ fiũt, vel fieri poſſunt ab homine per proprias vires, ſine motione Spiritus ſancti, per ſolam legis prohibitionem, & formidine pœnæ: quæ opera tanquam valde imperfecta, & à timore ſeruili profecta excluduntur à negotio iuſtificationis propterea quòd, nec ſufficiunt, nec neceſſaria ſunt ad illam. Et quòd iſte ſit legitimus ſenſus illorum verborum probari poteſt ex eo, quod D. Paulus tota illa epiſtola diſtinguit inter legem, & legẽ ſpiritus, & per legem intelligit ſolam nudã poſitionem præceptorum Moſaicorũ: per legem autem ſpiritus intelligit donum gratiæ collatum hominibus per fidem Chriſti. Et quia ſola mãdatorum poſitio, iubendo quid faciendum ſit, & non conferendo auxilium, vt fiat, facit homines reos, & morti obnoxios, idcirco legem appellat legem mortis, & dicit per illam auctum fuiſſe peccatum: & alibi appellat illam miniſterium mortis, atque damnationis. Ergo ſi per legẽ intelligit D.Paulus ſolam mandatorũ poſitionem, vt diſtinguitur contra donum gratiæ, manifeſtè ſequitur, quòd per opera legis illa duntaxat opera intelligit, quæ poſſunt fieri ab homine ſine auxilio gratiæ, ſola legis poſitione, quæ certum eſt nihil conducere ad iuſtificationem. Hanc expoſitionem ſequitur Diuus Auguſtinus in lib.de Spiritu & litera.cap.29. & de fide, & operi- *3. Interpretatio.*

operibus.cap.10.11.12.&.21.& de gratia & libero arbitrio cap.14.&.21. Licet hæc expoſitio ſit probabilis, adhuc tamen non caret ſcrupulo: nam certum eſt omnia opera, quæ fiunt ante fidem, etiam ſi fiant ex auxilio gratiæ non eſſe ſufficientia, imo nec neceſſaria ad iuſtitiam comparandam, ergo per opera excluſa à negotio iuſtificationis, non ſolùm intelligit Paulus ea, quæ quis facit naturali virtute, ſed etiam illa, quæ interdum fiunt ex motione & auxilio Spiritus ſancti. ¶ Quocircà veriùs dicendum exiſtimo, quod per opera legis intelligit Paulus omnia illa opera, quæ fidem præcedunt, ſiue fiant ex viribus naturæ, ſiue ex auxilio ſpeciali, ex quibus homo non iuſtificatur: quia nec illa ſunt neceſſaria, nec ſufficiunt ad iuſtitiam comparandam. Et quod iſte ſit verus ac legitimus ſenſus probatur: nam D. Paulus in illis locis diſtinguit inter legem, & fidem, ità, vt nec fides includatur in lege, nec è contra, & per fidem intelligit credulitatem, ergo per opera legis intelligit ea, quæ fiunt ſine fide. Item præcipuus ſcopus intentus à Paulo in tota illa epiſtola erat probare, quòd ſine fide Chriſti nullus poteſt iuſtificari. Id enim maxime conducebat ad exequendum munus ſuum, & officium, quod erat vocare gẽtes ad fidem Chriſti, & in quo illi Iudæi maximè contradicebant dicẽtes, legis Moſaicæ obſeruantiam ſufficere ad iuſtitiam, & eam vnam eſſe ad id neceſſariam. Sed ad hoc probandum erat inefficax argumẽtum docere, quod opera, quæ quis facit, ex timore pœnæ non iuſtificant, id enim libenter concedebant Iudæi, imò nihil erat magis exploratùm in veteri teſtamento, quam, quòd homo ſuis viribus non poterat perfectè toti legi ſatisfacere, nec aliquid efficere quod gratia atque fauore diuino eſſet dignum, vt conſtat ex illo Oſeæ cap.2. Perditio tua ex te Iſrael, tantum in me auxilium tuum. Itaque dicebant Iudæi vnicam eſſe viam ad comparandam iuſtitiam, & eam conſiſtere in legis Moſaicæ perfecta obſeruantia, quam per auxilium Dei vnuſquiſque poterat præſtare, fidem autem Chriſti nec efficere iſtam iuſtitiam, neque ad illam eſſe neceſſariam. Ergo ad hoc impugnandum neceſſarium fuit, vt doceret Paulus omnem obſeruantiam diuinæ legis quantumuis perfectam, ſi ab illa excludamus fidem Chriſti nihil valere: fidem autem in Chriſto, quamuis nulla huiuſmodi obſeruantia legis Moſaicæ præceſſerit, valere ad iuſtitiam, & fauorem Dei comparandum. Intelligit autem Diuus Paulus per fidem non ſolùm credulitatem, ſed etiam illos voluntatis actus, qui ſequuntur ex fide.

Vera interpretatio Pauli.

QVAESTIO OCTAVA
De dono intellectus & ſcientiæ, in octo articulos diuiſa.

DEINDE conſiderandum de dono intellectus, & ſcientiæ, quæ reſpondent virtuti fidei.

¶ Et circa donum intellectus quæruntur octo.

¶ Primo, vtrum intellectus ſit donum ſpiritusſancti.

¶ Secundo, vtrum poſſit ſimul eſſe in eodem cum fide.

¶ Tertio, vtrum intellectus, qui eſt donum Spiritusſancti, ſit ſpeculatiuus tantum, vel etiam practicus.

¶ Quarto, vtrum omnes, qui ſunt in gratia, habeant donum intellectus.

¶ Quinto, vtrum hoc donum inueniatur in aliquibus abſque gratia.

¶ Sexto, quomodo ſe habeat donum intellectus ad alia dona.

¶ Septimo, de eo, quod reſpõdet huic dono in beatitudinibus.

¶ Octauo, de eo, quod reſpondet ei in fructibus.

ARTICVLVS. I.

¶ *Vtrùm intellectus ſit donum Spiritusſancti.*

AD PRIMVM ſic proceditur. Videtur quod intellectus nõ ſit donum

3.d.35.q.2. a.2.q.1. Et Iſa.11.li.2. col.1.ſ. donum Spiritusſancti. Dona enim gratuita diſtinguuntur à donis naturalibus, ſuperadduntur enim eis. Sed intellectus eſt quidam habitus naturalis in anima, quo cognoſcuntur principia naturaliter nota, vt patet in. 6. *Ethi. *Li.6.cap.6. to.6.* ergo nō debet poni donū Spiritusſancti.

2 ¶Præterea, Dona diuina participantur à creaturis ſecundum earum proportionem & modum, vt patet per Dionyſ. in lib. * de Diuinis nomini. *C.4.parum à prin.* ſed modus humanæ naturæ eſt, vt non ſimpliciter veritatem cognoſcat quod pertinet ad rationem intellectus ſed diſcurſiuè, quod eſt proprium rationis, vt patet per Dion. in. 7. c. de Diui. nomi. *Ca.7.inter prin.& me.* ergo cognitio diuina, quę hominibus datur, magis debet dici donū rationis, quam intellectus.

3 ¶Præterea, In potentijs animæ intellectus contra voluntatem diuiditur vt patet in. 3. de Anima. * *Li.3.de anima tex.48. to.2.* Sed nullum donum Spiritus ſancti dicitur voluntas. ergo etiam nullum donum Spiritus ſancti debet dici intellectus.

¶SED contra eſt, quòd dicitur Iſaiæ. 11. Requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ & intellectus.

¶RESPONDEO dicēdū, quòd nomen intellectus quandam intimā cognitionem importat. Dicitur enim intelligere quaſi intus legere. Et hoc manifeſtè patet conſiderantibus differentiam intellectus, & ſenſus. Nam cognitio ſenſitiua occupatur circa qualitates ſenſibiles exteriores cognitio autem intellectiua penetrat vſque ad eſſentiam rei. Obiectum autem intellectus eſt quod quid eſt, vt dicitur in tertio * de Anima. *Li.3.de anima tex.26. to.2.* Sunt autem multa genera eorum, quæ interius latent, ad quæ oportet cognitionem hominis, quaſi intrinſecus penetrare. Nam ſub accidentibus latet natura rei ſubſtantialis, ſub verbis latent ſignificata verborum, ſub ſimilitudinibus, & figuris latet veritas figurata. Res enim intelligiles ſunt quodammodo interiores reſpectu rerum ſenſibilium, quæ exterius ſentiuntur, & in cauſis latent effectus, & èconuerſo. Vnde reſpectu horum omnium poteſt dici intellectus. Sed cum cognitio hominis à ſenſu incipiat, quaſi ab exteriori, manifeſtum eſt, quod quanto lumen intellectus eſt fortius, tanto poteſt magis ad intima penetrare. Lumen autem naturale noſtri intellectus eſt finitæ virtutis, vnde vſq; ad determinatum aliquid pertingere poteſt. Indiget ergo homo ſupernaturali lumine, vt vlterius penetret ad cognoſcendum quædam, quæ per lumen naturale cognoſcere non valet. Et illud lumen ſupernaturale homini datum vocatur donum intellectus.

¶AD PRIMVM ergo dicendum, quod per lumen naturale nobis inditum, ſtatim cognoſcuntur quædam principia communia, quæ ſunt naturaliter nota. Sed quia homo ordinatur ad beatitudinem ſupernaturalem, vt ſuprà dictum * eſt, neceſſe eſt *Q.2.a.3.& 1.5.q.3.a.8 & q.5.ar.5* quod homo vlterius pertingat ad quędam altiora: & ad hoc requiritur donum intellectus.

¶Ad ſecundum dicendum, quod diſcurſus rationis ſemper incipit ab intellectu, & terminatur ad intellectum Ratiocinamur enim procedendo ex quibuſdam intellectis, & tunc rationis diſcurſus perficitur quando ad hoc peruenimus, vt intelligamus id, quod prius erat ignotum. Quod ergo ratiocinamur, ex aliquo præcedenti intellectu procedit. Donum autem gratiæ, non procedit ex lumine naturæ ſed ſuperadditur ei quaſi perficiens ipſum: & ideo iſta ſuperadditio non dicitur ratio, ſed magis intellectus: quia ita ſe habet lumen ſuperadditum ad ea, quæ nobis ſupernaturaliter innoteſcunt, ſicut ſe habet lumen naturale ad ea, quæ primordialiter cognoſcimus.

¶Ad tertium dicendum, quòd voluntas

tas

tas nominat ſimpliciter appetitiuum motum abſque determinatione alicuius excellentiæ: ſed intellectus nominat quandam excellentiam cognitionis penetrandi ad intima. Et ideo ſupernaturale donum magis nominatur nomine intellectus, quam nomine voluntatis.

SVMMA TEXTVS.

ANtequam reſpōdeat D. Tho. ſupponit, quod nomen intellectus importat quandam intimam cognitionem: dicitur enim intelligens, quaſi intus legens. Quod & probatur ex differentia, quæ eſt inter cognitionem ſenſitiuam, & intellectiuam: ſenſus enim occupatur circa qualitates ſenſibiles exteriores: intellectus autem penetrat vſq; ad eſſentiam rei. Vnde obiectū intellectus ponitur quod quid eſt, id eſt, eſſentia rei, quæ intrinſecus latet ſub accidentibus, ſuntq; res intelligibiles quodammodo interiores reſpectu rerū ſenſibilium. ¶ Hoc ſuppoſito ſit cōcluſio, Homo indiget ſupernaturali lumine, vt penetret ea quæ per lumen naturale cognoſcere non valet: & hoc vocatur donum intellectus. Probatur. Lumen naturale noſtri intellectus eſt limitatum, & finitæ virtutis, nec valet pertingere, niſi ad res limitatas: ergo vltra illud indiget homo ſupernaturali lumine, quo vlterius penetret ea, quæ per lumen naturale cognoſci non poſſunt: & hoc dicitur donum intellectus.

EXPLICATIO ARTICVLI.

DE materia de donis in genere diſputat D. Tho. 1. 2. quæſt. 68. Ex quo loco aliqua ad intelligentiam huius, & ſequentis quæſtionis ſunt in memoriam repetenda. *Nota primo.* Primum eſt eſſe de fide, quòd dona ſunt ponenda, vt conſtat ex illo Iſaiæ cap. 11. Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet, & requieſcet ſuper illum ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientię, & intellectus, ſpiritus conſilij, & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ, & pietatis, & replebit illū ſpiritus timoris Domini. Ex quo loco ſancti Doctores vnanimi conſenſu colligunt ſeptem dona Spiritus ſancti, vt Gregorius Nazianzenus in ſanctam Pentecoſten. D. Baſilius contra Eunomiū lib. 5. c. 14. D. Auguſtinus contra Fauſtum lib. 12. c. 15. Euſebius in Leuiticū lib. 1. c. 4. Cyprianus lib. 1. aduerſus Iudæos. c. 20. & Hilarius in Matthæum. c. 15. Vnde Eccleſia in Hymno de Spiritu ſancto canit, Tu ſeptiformis munere, &c. Deniq; hic eſt cōmunis conſenſus totius Eccleſiæ. Scio Vatablum, atq; Pagninum ex eo loco Iſaię tantum colligere ſex dona Spiritus ſancti. Nā pro eo, quod vulgata habet, Et repleuit eū ſpiritus timoris Domini, legendum putāt, Odoran faciet eum omnes in timore Domini, vt ſit ſenſus, ꝙ Chriſtus cito odoretur eū, qui timet Dominū, id eſt, cognoſcet bonos, & malos. Nobis tamen ſufficit autoritas Sanctorum Patrum, vt firmiſsimè teneamus non ſex tantum, ſed ſeptem dona ex illo loco colligi, quæ D. Gregorius lib. 1. Moralium cap. 28. per ſeptem filios Iob ſignificata eſſe dicit.

¶ Secundo eſt aduertendum, certum eſſe apud omnes doctores, ꝙ hæc dona Spiritus ſancti ſunt quidam habitus à Deo infuſi ad hoc, vt illis perficiatur, & diſponatur homo ad benè ſequendum inſtinctū Spiritus ſancti, & exercēdum altiores actus, quàm ſunt actus virtutū. Nam cùm in homine ſit duplex principium mouens, vnum interius quod eſt ratio, aliud exterius, quod eſt Deus & omne, quod mouetur neceſſariò debeat proportionari ſuo motori, manifeſtè ſequitur, ꝙ homo neceſſariò debet proportionari & rationi, à qua interiùs mouetur & Deo à quo mouetur exterius. Et quia quātò mouens eſt altius, tantò neceſſe eſt, quòd mobile perfectiori diſpoſitione, ei proportionetur, vt videmus, ꝙ diſcipulus audiēs perfectiorē ſcientiā, perfectiori diſpoſitione pficitur, & virtutes humanæ ſunt diſpoſitiones perficientes hominē, ſecūdū ꝙ natus eſt moueri per rationē, rurſus ſequitur, quod diſpoſitiones, quib⁹ perficitur homo ad hoc, vt ſit aptus diuinitus moueri, debēt eſſe perfectiores. Et has vocamus dona Spiritus ſancti, nō ſolùm, quia infundūtur à Deo, ſed etiā, quia ſecundum ea homo diſponitur, & efficitur promptè mobilis ab inſpiratione diuina. Vnde Ariſto. in cap. de bono fortunæ. dicit, ꝙ iis, qui mouentur per inſtinctum diuinum non expedit conſiliari ſecundū rationē humanā, ſed quòd ſequantur interiorē inſtinctū. Conſtat ergo quòd dona ſunt habitus perficientes hominem ad bene ſequēdum inſtinctum Spiritus ſancti, & exequēdum altiores actus, quàm ſunt actus virtutum. *2. Notabile.*

Sed

¶ Sed dubium eſt vtrùm huiuſmodi habitus, quos diximus eſſe dona Spiritus ſancti diſtinguantur à virtutibus, vel potiùs ſint idem cum illis: quam difficultatem latè diſputant Doctores in 3. diſt. 34. & D. Tho. 1. 2. q. 68. art. 1. Suntq; de illa variæ opiniones.

Sententia Scoti.

Nam Scotus in 3. diſt. 34 dicit dona nō diſtingui à ſeptem virtutibus: ſed quòd conſilium eſt prudentia, & fortitudo exprimitur ſuo nomine inter dona Spiritus ſancti, & temperantia continetur in timore: maximè enim per timorem retrahuntur homines à delectationibus carnalibus, iuxta illud Pſalmi, Confige timore tuo carnes meas. Iuſtitia autem intelligitur per pietatem, & charitas per ſapientiam, & fides per ſcientiam, & intellectum. Et de ſpe dicit, quod non numeratur explicitè inter dona, ſed intelligitur per ſapientiam, quæ eſt charitas.

Argumētū.

Videturq; hæc ſententia niti teſtimonio D. Auguſtini, qui lib. 1. de quæſtionibus euangelicis quæſtio. 8. exponens illud Matth. cap. 12. Tunc vadit & aſſumit ſeptē alios ſpiritus, &c. dicit, Septem vitia ſunt cōtraria ſeptem virtutibus Spiritus ſancti, id eſt, ſeptem donis. Et lib. 15. de Trinitate appellat charitatem donum dicens, Nullū eſſe iſto dono excellentius. Et D. Gregorius lib. 1. Moralium cap. 28. exponens illud Iob, Nati ſunt ei ſeptem filij, dicit, Septem nobis naſcuntur filij, cùm per conceptionem bonæ cogitationis ſancti Spiritus ſeptem in nobis virtutes oriuntur.

Dona & virtutes diſtinguntur realiter.

¶ Hoc tamen non obſtante dico, quòd dona atq; virtutes realiter inter ſeſe diſtinguūtur. Et probatur ex fundamento ſuperius poſito. Virtutes diſponunt hominem, vt ſequatur motum rationis, & dona diſponūt illum, vt ſequatur motum Dei: ſed iſti motus ſunt diſtincti, ergo & diſpoſitiones, quibus diſponitur ad illos, erūt diſtincti. Item, ſingulis virtutibus Theologicis, & cardinalibus non reſpondent ſingula dona, imò charitati nullum donum reſpondet, nec ſpei, ſed ſoli fidei reſpondent ſcientia, & intellectus, & dicere quòd ſapientia adaptatur charitati, atq; ſpei, nullum habet fundamentum, ergo falſò dicitur, quod virtutes, atque dona non diſtinguuntur.

Ad argum.

¶ Et ad teſtimonia Auguſtini atque Gregorij reſpondetur, quòd dona aliquando dicuntur virtutes, latè ſumpto virtutis nomine, quomodo omne opus bonum à virtute dicitur proficiſci. Propriè tamen loquendo, donum eſt quid altius, quam virtus, ad modum iam explicatum. De hac re eſt videndus Caietanus. 1. 2. q. 68. art. 1. ad quem locum propriè pertinet hæc diſputatio. Numerum autem, & munus vniuſcuiuſq; doni colligit D. Tho. loco citato art. 3. efficaci ratione, quam ego breuitatis cauſa omitto.

¶ Ad noſtrum inſtitutum reuertentes dico, quòd D. Tho. in hac quæſtione ſolùm agit de dono intellectus, de quo dicit in art. 1. illud eſſe neceſſarium ad penetrādum quædam ſpiritualia, ad quæ non ſe extendit lumen naturale noſtri intellectus, imò nec lumen fidei.

Nota.

Pro quo eſt notandum, quòd fides, vt ex ſupra dictis patet, tantum inclinat ad aſſentiendū reuelatis à Deo ſecundū quod proponuntur ab Eccleſia, & exponuntur per prædicatores, atq; doctores. Ex quo fit, vt eſſe non poſsit, niſi ex auditu, nec ſe extendat ad illuminandum hominem circa illa, de quibus nunquam audiuit, dicēte Paulo ad Rom. 10. Quomodo credent ei, quem non audierunt. Certum eſt autem, quòd in vita humana ſæpeſæpius contingit, vt indigeant homines operari circa materiam, de qua nec per rationem naturalem, neq; per fidem ſunt ſufficienter inſtructi.

Neceſsitas ponēdi dona explicatur.

Vt ſi ruſticus, verbi gratia, deprehenderetur ab hæreticis, & ipſi vellent ei perſuadere, nullum apud Deum eſſe meritum, ſed ſolam fidē ſufficere ad ſalutem, tunc ruſticus nec per rationem naturalem, neq; per fidem poſſet eis ſatisfacere, cùm nihil audierit de merito, ſed indiget, vt à Deo ſpecialiter adiuuetur, atq; illuſtretur, & hoc facit donum intellectus, de quo dicebat Chriſtus Matth. 10. Cū ſteteritis ante Reges, & præſides, nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini, nec eſtis vos qui loquimini: ſed ſpiritus patris eſt, qui loquitur in vobis. Et Ioannes prima ſua canonica. c. 1. Non neceſſe habetis, vt doceat vos aliquis, nā vnctio docebit vos. Quæ verba intelligēda eſſe de dono intellectus à Deo collato hominib⁹ cōmuniter docent Doctores. Et 1. ad Corint. cap. 2. dicebat Paulus, Carnalis homo nō iudicat ea, quæ Dei ſunt, ſed ſpiritualis omnia diiudicat. Et Eſai. cap. 50. Dominus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico. Deſeruit etiam donū intellectus ad hoc, vt ea, quæ ſunt fidei per illud intelligātur. Nā cū habitus fidei non ſit intellectiuus, ſed iudicatiuus, non enim facit nos intelligere Deum, ſed quod certò iudicemus illū eſſe

trinum,

trinum, & vnum, neceſſarium eſt, vt ad res fidei intelligendas maiori lumine illuſtremur. Dupliciter autem poteſt contingere, quòd vnus intelligat res fidei melius alio, vno modo extenſiue, alio modo intenſiue. Extẽſiuè eſt quando in eadem re, vt, verbi gratia, in eodem teſtimonio ſcripturę vnus plura intelligit, quàm alius: intenſiuè autẽ quando eandem rem vnus melius intelligit, quam alius, & vtrumq; prouenit à dono intellectus. Nam D. Auguſtinus melius intelligebat illum locum, In principio erat verbum, intenſiuè, & extẽſiuè, quàm ego. Nec hoc proueniebat ex fide, quia adeo rectam fidem habeo ego, ſicut ille: ſed proueniebat ex dono intellectus, quo ipſe erat illuſtratus, quod & conceſsit Chriſtus Apoſtolis, quando aperuit illis ſenſum, vt intelligerent ſcripturas Lucæ capite vltimo. Et ſic conſtat, quod donum intellectus, quod D. Tho. in hoc articulo appellat donum ſupernaturale deſeruit ad penetrandum ea, ad quæ nec ratio naturalis, nec lumen fidei ſe extendere poteſt.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm donũ intellectus poſsit ſimul eſſe cũ fide.

AD SECVNDVM ſic proceditur. Videtur quòd donum intellectus non ſimul habeatur cum fide. Dicit enim Auguſtinus in lib. 83.
Li. 83. quæſ. 19. to. 4. Quæſtionum, * quòd id quod intelligitur, intelligentis comprehenſione finitur: ſed id quod creditur, non comprehenditur, ſecundum illud Apoſtoli ad Philip. 3 Non quia iam comprehenderim, aut quòd perfectus ſim. ergo videtur, quòd fides & intellectus non poſsint eſſe in eodem.

2 ¶Præterea, Omne quod intelligitur, intellectu videtur naturaliter. Sed fides eſt de non apparentibus, vt ſuprà
Q. 1. a. 4. & q. 4. art. 1. dictum * eſt. ergo fides non poteſt ſimul eſſe in eodem cum intellectu.

3 ¶Præterea, Intellectus eſt certior quam ſcientia. Sed ſcientia & fides nõ
Q. 1. art. 4. & 5. poſſunt eſſe de eodem vt ſupra dictũ * eſt. Multo ergo minus intellectus & fides.

¶SED contra eſt, quòd Grego. dicit in lib. * Moralium. Videmus ꝙ intelle- Li. 1. Mor. c. 32. ante me.
ctus de auditis mentem illuſtrat. Sed aliquis habens fidem poteſt eſſe illuſtratus mente circa audita. Vnde dicitur Lucæ vlt. ꝙ Dominus aperuit diſcipulis ſenſum, vt intelligerent ſcripturas. Ergo intellectus poteſt ſimul eſſe cum fide.

¶RESPONDEO dicendum, ꝙ hic duplici diſtinctione eſt opus. Vna quidem ex parte fidei, alia autem ex parte intellectus. Ex parte quidem fidei diſtinguendum eſt, ꝙ quędam per ſe, & directè cadunt ſub fide, quæ naturalem rationem excedunt, ſicut Deũ eſſe trinum & vnum, filium Dei eſſe incarnatum. Quædã verò cadunt ſub fide quaſi ordinata ad iſta ſecundum aliquem modum, ſicut omnia, quæ in Scriptura diuina continentur. Ex parte vero intellectus diſtinguẽdum eſt, quod dupliciter dici poſſumus aliqua intelligere. Vno modo perfectè: quando, ſcilicet pertingimus ad cognoſcendum eſſentiã rei intellectæ: & ipſam veritatem enunciabilis intellecti, ſecũdum quod in ſe eſt. Et hoc modo ea, quæ directe cadunt ſub fide, intelligere non poſſumus durante ſtatu fidei. Sed quædam alia ad fidem ordinata etiã hoc modo intelligi poſſunt. Alio modo contingit aliquid intelligi imperfectè: quando, ſcilicet, ipſa eſſentia rei, vel veritas propoſitionis non cognoſcitur quid ſit, aut quomodo ſit: ſed tamen cognoſcitur, ſecundũ quod ea, quæ exterius apparent, veritati nõ cõtrariantur: inquantum, ſcilicet, homo intelligit, ꝙ propter ea quæ exterius apparent, non eſt recedendum ab ijs, quæ ſunt fidei. Et ſecundum hoc nihil prohibet durante ſtatu fidei intelligere etiam ea, quæ per ſe ſub fide cadũt.

¶Et per hoc patet reſponſio ad obiecta. Nã primæ tres rationes procedũt, ſecũdũ quod aliquid perfectè intelligitur. Vltima autẽ ratio procedit de intellectu eorũ, quæ ordinantur ad fidẽ.

SVM-

SVMMA TEXTVS.

SVppoſita duplici diſtinctione, vna ex parte fidei, ſiue eorum, quę pertinent ad fidem, quę quidem ſunt in duplici differẽtia, quædam enim per ſe, & directè cadunt ſub fide, qualia ſunt ea, quæ excedunt naturalem rationem, alia autem non per ſe, ſed quaſi ordinata ad priora, qualia ſunt omnia, quæ in ſcriptura continentur: altera diſtinctio eſt ex parte intellectus, nam dupliciter contingit aliqua intelligere, vno modo perfectè, & eſt quando intelligimus eſſentiam rei, aut veritatem propoſitionis, ſecundum quod eſt in ſe, alio modo imperfectè, & eſt quando eſſentia rei, aut veritas propoſitionis non intelligitur quod ſit, aut qualis ſit, ſed cognoſcimus eam, ſecundum quod exterius apparet non repugnare veritati, D. Tho. reſpondet ad difficultatem duplici cõcluſione. ❡ Prima cõcluſio, Homo non poteſt perfectè intelligere ea, quæ per ſe cadunt ſub fide durante ſtatu fidei, benè tamen illa, quæ per accidens cadunt ſub fide. ❡ Secunda concluſio, Homo durãte ſtatu fidei poteſt imperfectè intelligere ea, quæ per ſe cadunt ſub ſide, in quantum, ſcilicet, cognoſcit (ſecũdum id quod exterius apparet) ea non repugnare veritati. Vtrãq; concluſionem, vt notam, atque claram relinquit D. Tho. improbatam, colligitur enim ex ſuperius poſitis.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Nota circa primam concluſionẽ D. Tho.

PRima concluſio huius articuli eſt certa, & ab omnibus conceſſa. Nam cum ea, quæ per ſe pertinent ad fidem, excedant facultatem naturalẽ noſtri intellectus, vt oſtẽdimus in ſuperioribus, manifeſtè ſequitur, quod non poſſunt à nobis perfectè intelligi, aut cognoſci durante ſtatu fidei, benè tamen illa, quæ ſecundariò pertinent ad fidẽ, ſiue moralia ſint, ſiue hiſtorialia. Nam & Apoſtoli, & alij fideles viderunt Chriſtum crucifixum, & mortuum, & B. Virgo vidit ſe virginem peperiſſe, quæ omnia pertinẽt ad hiſtoriã Euangelij. Et prætereà moralia, quæ in nouo & in veteri teſtamento continentur, ſunt demonſtrabilia: & ſic cõſtat, ꝙ ea, quæ ſecũdariò pertinent ad fidẽ poſſunt perfectè cognoſci durante ſtatu fidei. Numeraui inter ea, quæ ſecũdariò pertinẽt ad fidem partum Virginis, mortem, paſsionem, atq; vitam Chriſti, & alia huiuſmodi, loquendo de illis inquantum ſunt facta hominis: nam, ſi loquamur in quantum ſunt facta Dei, & hominis, non ſecundariò, ſed per ſe pertinẽt ad fidẽ, nec poſſunt ratione naturali cognoſci. Nam quamuis beata Virgo euidenter cognouerit ſe virginem peperiſſe, non tamen euidenter cognouit ſe peperiſſe Deum, & hominẽ. Et ſimiliter quãuis Apoſtoli euidenter cognouerint vitã, mortem, atq; geſta Chriſti, non tamen cognouerunt euidẽter ea eſſe geſta Dei, & hominis: ſed id per fidem habuerunt, vt optime explicat Caietanus in hoc articulo. Et ſic ea, quæ per ſe pertinent ad fidem, non perfectè cognouerunt, benè tamẽ illa, quæ pertinent ſecundario.

Dubium circa ſecũdam concluſionẽ.

❡ Circa ſecundam concluſionẽ eſt difficultas, vtrùm poſsit homo perfectè cognoſcere ꝙ ea, quæ per ſe pertinent ad fidem, non repugnant veritati, atq; ex conſequenti euidenter ſoluere omnia argumenta, quæ fiũt contra illam. Ad cuius explicationẽ eſt aduertendum, quod cum argumentũ ad hoc, vt cõuincat debeat habere duas cõditiones, prima eſt veritas præmiſſarum, altera bonitas conſequentię, dupliciter poteſt cõtingere, vt deficiat argumentũ factũ contra fidẽ, ſcilicet, ex defectu veritatis pręmiſſarũ, aut ex defectu bonitatis conſequẽtiæ. Et quidẽ certum eſt, quod ſi argumentũ peccat ex defectu bonitatis conſequentię, euidenter poteſt ſolui à logico oſtenſo tali defectu. Sed quando argumentum peccat ex defectu veritatis præmiſſarum, tunc eſt difficultas, vtrùm euidẽter poſsit ſolui à logico, ſiue Theologo. Verbi gratia, fiat hoc argumentum contra fidẽ, Omnis res vna numero eſt vna hypoſtaticè, Deus eſt vnus numero, ergo eſt vnus hypoſtaticè. Vel hoc, Omne ſuppoſitum, quod eſt vnum, habet vnã naturã, Chriſtus eſt vnũ ſuppoſitũ, ergo habet vnam naturã. Et dubium eſt vtrũ hæc argumenta poſſent euidẽter ſolui?

Sentẽtia Durandi.

Durandus in prologo ſententiarum. quæſt. 1. dicit tria. Primum eſt non poſſe ratione naturali euidenter probari id, quod proponit articulus fidei. Secundũ nõ poſſe euidẽter oſtendi nõ eſſe impoſsibile id, quod proponit articulus fidei. Tertio dicit, quod argumenta facta ab infidelibus contra fidei myſteria, quæ non peccãt in forma, ſed in materia non poſſunt euidẽter ſolui.

Fundamentum Durãdi.

Et probat Durandus ſuam ſententiam efficacisſimo argumento. Non poſſunt talia argumẽta aliter ſolui euidenter, niſi oſtendendo falſita-

falſitatem premiſſarum, ſed illa non poteſt euidenter oſtendi, ergo. Probo minorem. Si falſitas præmiſſarum poſſet oſtendi euidẽter id eſſet oſtẽdẽdo euidenter veritatem ſuæ contradictoriæ, ſed hæc non poteſt euidẽter oſtendi, quia eſt articulus fidei, ergò.

Sententia vera.

¶ Contrariam ſententiam tenet D. Tho. in hoc articulo. & .1. parte. q. 1. art. 8. quæ proculdubio eſt vera atq; tenenda. Quia, vt docet Caietanus. 1. part. loco citato, hæc eſt differentia inter probationem, & ſolutionẽ, ꝙ probatio ad hoc, vt ſit ſufficiens neceſſe eſt, vt ex euidentibus procedat: ſolutio vero ad hoc, vt ſit ſufficiens & euidens ſatis eſt, ꝙ oſtẽdat argumentum in contrarium factũ nõ cogere, & conuincere intellectum, aſsignãdo aliquam rationem diſcriminis, vel diſparitatis, ſicut in argumento facto, illa maior eſt diſtinguenda à catholico, vel in natura creata, vel in natura diuina. Et in natura creata, quia limitata eſt, habet verum: ſecus autem eſt in natura diuina, quæ eſt infinita. Et per hoc euidenter ſoluitur argumentum, & oſtẽditur res fidei nõ repugnare veritati vt dicit D. Tho. in hoc *articulo.

ARTICVLVS. III.

¶ Vtrùm donum intellectus ſit ſpeculatiuum tantum, an etiam practicum.

Infrà art. 6. cor. & ad. 3

AD TERTIVM ſic proceditur. Videtur quod intellectus, qui ponitur donum Spiritus ſancti, nõ ſit practicus, ſed ſpeculatiuus tantum. Intellectus enim, vt Gregorius * dicit in primo Moralium, altiora quædam penetrat. Sed ea, quæ pertinent ad intellectum practicum, non ſunt alta, ſed quædam infima, ſcilicet ſingularia, circa quæ ſunt actus. Ergo intellectus, qui ponitur donum, non eſt intellectus practicus.

Li. 1. ca. 32. ante med.

2 ¶ Prçterea, Intellectus, qui eſt donũ, eſt dignius aliquid quàm intellectus, qui eſt virtus intellectualis. Sed intellectus, qui eſt virtus intellectualis, eſt ſolum circa neceſſaria, vt patet per Philoſophum in. 6. Ethicorum. ergo multo magis intellectus, qui eſt donum, eſt ſolum circa neceſſaria. Sed intellectus practicus non eſt circa neceſſaria, ſed circa contingentia aliter ſe habere, quæ opere humano fieri poſſunt. Ergo intellectus, qui eſt donum, non eſt intellectus practicus.

Li. 6. Ethi. c. 3. & . 6. to. 5

3 ¶ Præterea, Donum intellectus illuſtrat mentem ad ea, quæ naturalem rationem excedunt. Sed operabilia humana, quorum eſt practicus intellectus, non excedunt naturalem rationem, quæ dirigit in rebus agendis, vt ex ſuprà * dictis patet: ergo intellectus, qui eſt donum, non eſt intellectus practicus.

1. 2. q. 58. a. 2. & . q. 71. a. 6. & . q. 65. & . 91.

¶ S E D contra eſt quod in Pſal. 110. dicitur. Intellectus bonus omnibus facientibus eum.

¶ RESPONDEO dicẽdum, quòd ſicut dictum * eſt, donum intellectus non ſolum ſe habet ad ea, quæ primo, & principaliter cadunt ſub fide, ſed etiam ad omnia, quæ ad fidem ordinantur. Operationes autẽ bonę quendam ordinem ad fidem habent. Nam fides per dilectionẽ operatur, vt Apoſtolus dicit ad Galat. 5. Et ideo donũ intellectus etiam ad quædam operabilia ſe extendit: non quidem vt circa ea principaliter verſetur, ſed inquantum in agendis regulamur rationibus ęternis: quibus conſpiciendis, & conſulendis ſecundum Auguſt. 12. de Trinita. * inhæret ſuperior ratio, quæ dono intellectus perficitur.

Ar. 1. huius quæſtio. Quæſtio.

Lib. 12. c. 7. in fi. to. 3.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd operabilia humana, ſecundum quod in ſe conſiderantur, non habent aliquam excellentiæ altitudinem. Sed ſecundum quod referuntur ad regulam legis æternæ, & ad fidem beatitudinis diuinæ: ſic altitudinem habent, vt circa ea poſsit eſſe intellectus.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd hoc ipſum pertinet ad dignitatem doni, quod eſt intellectus: quod intelligibilia æterna, vel neceſſaria conſiderat, non ſolum ſecundum quod in ſe ſunt, ſed etiam ſecundum quod ſunt regulæ quædam humanorũ actuum: quia

quanto

quanto virtus cognoſcitiua ad plura ſe extendit, tanto nobilior eſt.

¶Ad tertium dicendum, quòd regula humanorum actuum eſt ratio humana, & lex æterna, vt ſuprà dictum * eſt. Lex autem æterna excedit naturalem rationem: & ideo cognitio humanorum actuum ſecundum quod regulatur à lege æterna, excedit naturalem rationem, & indiget ſupernaturali lumine doni ſpiritus ſancti.

1.2.q.19.ar.3.& 4. & q.71.a.6.& q.91. & 95.

SVMMA TEXTVS.

Concluſio. Donum intellectus principaliter eſt ſpeculatiuum, & ſecũdariò, & quadam extenſione eſt practicum. Probatur, Donum intellectus nõ ſolùm ſe extendit ad ea, quæ primo & principaliter cadunt ſub fide, ſed etiam ad ea, quæ ad fidẽ ordinantur: ſed bonæ operationes habent ordinem ad fidem inquantum, ſcilicet, fides eſt principium illarum dicente Apoſtolo, Fides quæ per dilectionem operatur, ergo donum intellectus non ſolùm eſt ſpeculatiuum, ſed etiam practicum in quantum ſe extendit ad operationes.

¶De hoc articulo nihil eſt dicendum, ſed videnda ſunt ea, quæ dicit Caietanus. 1. part. quæſt. 1. art. 4. eadem enim eſt ratio de dono intellectus, & de Theologia, & de fide, quantum ad hoc: quia omnes iſti habitus conſiderant diuina, & æterna neceſſaria, non ſolum ſecundum quod in ſe ſunt, ſed etiam ſecũdum quod ſunt regulę quædam humanorum actuum, & ſic, & ſunt practici, & ſpeculatiui.

ARTICVLVS. IIII.

¶*Vtrùm donum intellectus inſit omnibus habentibus gratiam.*

AD QVARTVM ſic proceditur. Videtur quòd donum intellectus non inſit omnibus habentibus gratiam. Dicit enim Gregorius. 2. * Moralium, quòd donum intellectus datur contra hebetudinem mẽtis. Sed multi habentes gratiam, adhuc patiũtur mentis hebetudinem. Ergo donũ intellectus nõ eſt in omnibus habentibus gratiam.

Lib.2. Mor. ca. 36. ante med.

2 ¶Præterea, Inter ea, quæ ad cognitionem pertinẽt, ſola fides videtur eſſe neceſſaria ad ſalutem: quia per fidẽ Chriſtus inhabitat in cordib⁹ noſtris, vt dicitur ad Epheſ. 3. Sed non omnes habentes fidem, habent donum intellectus: imò qui credunt, debent orare vt intelligant: ſicut Auguſtinus dicit in lib. de Trini. ergo donum intellectus non eſt neceſſarium ad ſalutem. Non ergo eſt in omnibus habentibus gratiam.

Lib.14.c.8.

3 ¶Præterea, Ea quæ ſunt communia omnibus habentibus gratiam, nunquam ab habentibus gratiam ſubtrahuntur. Sed gratia intellectus, & aliorum donorum aliquando ſe vtiliter ſubtrahit. Quandoq; enim, dum ſublimia intelligendo in elationem ſe animus erigit, in rebus imis & vilibus graui hebetudine pigreſcit: vt Gregorius dicit in. 2. Moral. ergo donum intellectus non eſt in omnibus habentibus gratiam.

Li.2.Moral. c.36.parum à medio.

¶SED contra eſt, quod dicitur in Pſal. 81. Neſcierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant, ſed nullus habens gratiam ambulat in tenebris: ſecundum illud Ioan. 8. Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris. ergo nullus habens gratiam, caret dono intellectus.

Quæſtio.

¶RESPONDEO dicendum, ꝙ in omnibus habentibus gratiam, neceſſe eſt eſſe rectitudinem voluntatis: quia per gratiam præparatur voluntas hominis ad bonum: vt Auguſt. * dicit. Voluntas autem non poteſt rectè ordinari in bonum, niſi præexiſtente aliqua cognitione veritatis: quia obiectum voluntatis eſt bonum intellectus, vt dicitur in. 3. de anima, * ſicut autẽ per donum charitatis Spiritus ſanctus ordinat voluntatem hominis, vt directè moueatur in bonum quoddam ſupernaturale: ita etiam per donum intellectus illuſtrat mẽtẽ hominis, vt cognoſcat

li.1.retract. c.22. circa fi.to.1. et li.1.de prædeſ. ſanct.c.1.

Li.3.tex.34 et.49.to.2.

cat veritatem quandam ſupernatura lem, in quam oportet tendere volun tatem rectam. Et ideò ſicut donum charitatis eſt in omnibus habentibus gratiam gratum facientem, ita etiam donum intellectus.

¶AD PRIMVM ergo dicẽdum, quòd aliqui habentes gratiam gratum facientem, poſſunt hebetudinem pati circa aliqua, quæ ſunt præter neceſsita tem ſalutis, ſed circa ea, quæ ſunt de ne ceſsitate ſalutis, ſufficiẽter inſtruuntur à Spiritu ſancto: ſecundum illud. 1. Io. 2. Vnctio eius docet vos de omnibus.

¶ Ad ſecundum dicẽdum, quòd etſi non omnes habentes fidẽ, plenè intel ligant ea, quæ proponuntur credẽda, intelligunt tamen ea eſſe credenda, & quòd ab eis nullo modo eſt deuiandum.

¶ Ad tertiũ dicendum, quòd donum intellectus nunquam ſe ſubtrahit ſanctis circa ea, quæ ſunt neceſſaria ad ſalutẽ: ſed circa alia interdum ſe ſubtrahit, vt non omnia ad liquidum per intellectum penetrare poſsint, ad hoc quòd ſuperbiæ materia ſubtrahatur.

SVMMA TEXTVS.

COncluſio eſt affirmatiua. Probatur. In habentibus gratiã ſicut eſt neceſſariũ, quod voluntàs præparetur per charitatem in bonum, ità etiam eſt neceſſarium, quod mens per donum intellectus illuſtretur, vt cognoſcat veritatẽ ſupernaturalem, in quã oportet tendere voluntatem: ſed in omnibus habentibus gratiam eſt charitas, ergo & in omnibus illis eſt donum intellectus: Conſequentia cum minori nota eſt, & maior probatur: quia voluntas non poteſt rectè ordinari in bonũ, niſi præexiſtente cognitione veritatis, vt docet Ariſtot. 3. de anima.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Dubium. CIrca concluſionẽ huius articuli eſt difficultas, vtrum vera ſit. Et pro parte negatiua eſt argumentũ. Nam ex ea ſequeretur, quod iuſti non poſſent habere ignorantiam earum rerum, quas acturi eſſent: conſequens autem eſt falſum: nam de rebus fidei poteſt eſſe ignorantia, ſaltim inuincibilis ſimul cũ gratia, vt patet in ruſtico: & præterea poteſt homo iuſtus ex ignorantia facere contractum vſurarium, ergo & illud, ex quo ſequitur. Nec valet ſi dicatur, quòd iuſti ex ignorantia excuſantur à peccato, & ſic non errant in neceſſarijs ad ſalutem: nam ſaltim ſequitur, quòd intellectus iuſti nõ in omnib[us] illuminatur à Deo, quod eſt contra concluſionem.

¶ Ad hanc difficultatẽ, vt reſpõdeamus *1. Concluſio.* ſit prima propoſitio, Homo iuſtus poteſt habere ignorantiã ſpeculatiuam, etiã circa operabilia. Probatur, Iacob ſpeculatiuè ignorauit, q[uod] Lia, quæ iacebat cũ ipſo non erat vxor ſua, ergo iuſtus poteſt habere ignorãtiam ſpeculatiuam etiam circa operabilia.

¶ Secunda propoſitio, Licet homo iu- *2. Concluſio.* ſtus poſsit habere ignorantiam practicam circa operabilia, non tamen poteſt habere ignorantiam, quæ ſit vltimatè practica circa neceſſaria ad ſalutem. Voco ignorantiam vltimatè practicam eam, quam quis vltimatè ſequitur, dũ operatur. Probatur, Nam, quanuis poſsit iuſtus habere ignorantiam practicam, quòd aliquis contractus ſit vſurarius, quia adiuit theologos, qui dixerunt ei talem contractum non eſſe vſurarium, adhuc tamen dum illum facit non vltimatè habet ignorantiam practicam circa neceſſaria ad ſalutem. Quia quanuis hæc propoſitio falſa, Hic contractus eſt licitus, ſit practica, tamen magis practica eſt hæc, Iſte cõtractus eſt faciẽdu[s]: & in ea nõ errat, quin potius ſequitur iudicium verum, & prudentiale, quod colligit iuſtus ex medio purè practico, quod tale eſt, Omnis contractus, de quo viri docti dicunt eſſe licitum, eſt faciendus, ſed de hoc dicunt viri docti eſſe licitum, ergo eſt faciendus. Et ſic cõſtat quòd iuſtus vltimatè non habet ignorantiam practicam circa neceſſaria ad ſalutem.

¶ Tertia propoſitio, Generaliter loquẽ *3. Concluſio.* do iuſti non poſſunt habere ignorantiam mortaliter culpabilẽ circa neceſſaria ad ſalutẽ. Probatur, quia eſt aperta repugnantia q[uo]d aliquis ſit in gratia, & in tali ignorãtia.

¶ Quarta propoſitio exiſtẽtes in gratia *4. Concluſio.* in hoc differunt à peccatoribus, quòd licet iuſti poſsint habere ignorantiam inuincibilem circa operabilia, multo tamen rarius quàm peccatores, imo ſæpe iuſti dono

intellectus illuſtrati à Deo, nõ ſibi poſſunt perſuadere, quod aliquis contractus ſit licitu, quãuis theologi dicant illum eſſe licitũ ſequuti in hoc motionem Spiritus ſancti. Ob id dicebat Ioã. prima ſua canonica. c. 2. loquẽs de iuſtis, nõ neceſſe habetis, vt quis vos doceat: vnctio enim docebit vos.

Vltima concluſio. ¶ Vltima propoſitio, Iuſti exiſtẽtes in gratia generaliter loquẽdo non errant circa agenda, quia ſemper habẽt donum intellectus, quo illuſtrantur à Deo ad non errandum, ſecus autem eſt in peccatoribus. Et ſic patet quantũ proſit iuſtis donũ intellectus ad ſuas actiones exercẽdas.

¶ Contra rationẽ, qua D. Tho. probat concluſionem, quæ talis eſt, In habentibus gratiã præparatur volũtas per charitatẽ in bonum, ergo etiam debet præparari intellectus per donũ aliquod ad cognoſcẽdam veritatem ſupernaturalẽ, argumẽtatur Caiet. hoc modo, Hæc ratio nõ concludit eſſe ponendum donum intellectus, ſed tantum, ꝙ eſt neceſſaria cognitio ſupernaturalis, quæ poteſt haberi per fidem, ergo ea nihil valet. *Arg. contra rationem D. Tho.*

Solutio. ¶ Ad hoc argumentum reſpondet Caieta. negando antecedẽs: nã ad rectam voluntatem nõ ſufficit rectitudo fidei per ſeipſam, ſed requiritur, rectitudo fidei per ſeipſam, & ſubſeruiens ſibi donũ intellectus, qđ addit ſuper fidẽ, rectã æſtimationẽ practicè de Deo ex charitate diligendo, vt docet D. Th. ar. ſequẽti. Et ſi quis dicat, quod ad hoc ſufficit fides, ſi nõ informis, ſaltim formata reſpõdetur falſum eſſe: ſed id facit fides formata non immediatè per ſeipſam, ſed mediante dono intellectus. Et ratio eſt, quia, cùm participatio diuini luminis in fide ſit imperfecta, neceſſariũ eſt, quod ſi ſe extendit ad efficiendã rectam æſtimationẽ practicè in intellectu moto à pfecta volũtate, ſit mediãte lumine perfectiori: fides enim formata non differt ab informi penes id, quod ſe tenet ex parte intellect9, ſed ex parte voluntatis. Vnde cùm fides informis nõ poſsit efficere illam rectam æſtimationem, & ea pertineat ad intellectũ, & non ad voluntatem, manifeſtè ſequitur, ꝙ debet fieri per lumẽ altius, quale eſt donũ intellectus.

ARTICVLVS. V.

¶ *Vtrum donum intellectus inueniatur etiam in non habentibus gratiam gratum facientem.*

AD QVINTVM ſic proceditur. Videtur ꝙ intellectus donum inueniatur etiam in nõ habentibus gratiã gratum facientẽ. Aug. enim exponens illud Pſal. 118. Cõcupiuit anima mea deſiderare iuſtificationes tuas, dicit, Præuolat intellectus, & tardè ſequitur humanus, atq; infirmus affectus, ſed in omnibus habentibus gratiam gratum facientẽ eſt prõptus affectus propter charitatem, ergo donum intellectus poteſt eſſe in his, qui nõ habent gratiam gratum facientem. *In Pſal. 118. concione. 8. non procul à fin. & cõ. 8. tom. 8.*

2 ¶ Præterea. Danie. 3. dicitur, ꝙ intelligentia opus eſt in viſione prophetica: & ita videtur, quòd prophetia non ſit ſine dono intellectus, ſed prophetia põt eſſe ſine gratia gratũ faciẽte: vt patet Matthæi. 7. vbi dicentibus, In nomine tuo prophetauimus, reſpõdetur. Nũquam noui vos. ergo donũ intellectus poteſt eſſe ſine gratia gratũ faciente.

3 ¶ Præterea, Donum intellectus reſpondet virtuti fidei: ſecundũ illud Iſa. 7. ſecundũ aliam literam, Niſi credideritis, non intelligetis. Sed fides poteſt eſſe ſine gratia gratum faciente. ergo etiam donum intellectus.

¶ SED CONTRA eſt, quod Dominus dicit Ioã. 6. Omnis qui audiuit à Patre, & didicit venit ad me, ſed per intellectũ audita addiſcimus, vel penetramus, vt patet per Greg. in primo moralium, ergo quicunq; habet intellectus donum. venit ad Chriſtũ: quod non eſt ſine gratia gratum faciẽte, ergo donum intellectus nõ eſt ſine gratia gratum faciente. *Libr. 1. Mor. ca. 32. ante med.*

¶ RESPONDEO dicendum, quòd ſicut ſuprà dictum eſt, dona Spiritus ſancti perficiunt animam, ſecundum quod eſt benè mobilis à Spiritu ſancto, ſic ergo intellectuale lumẽ gratiæ ponitur donum intellectus, inquãtum intellectus hominis eſt benè mobilis à Spiritu ſancto. Huiuſmodi autem motus conſideratio in hoc eſt, quòd homo apprehendat veritatem circa finem. Vnde niſi vſq; ad hoc moueatur *1. 2. q. 68. a. 1. & 2.*

ueatur à Spiritu ſancto intellectus humanus vt rectam æſtimationē de fine habeat, nondum conſecutus eſt donū intellectus, quantumcunq; ex illuſtratione Spiritus ſancti, alia quædam præambula cognoſcat, rectam autem æſtimationem de vltimo fine non habet, niſi ille qui circa finem nō errat: ſed ei firmiter inhæret tāquā optimo: quòd eſt ſolū habentis gratiā gratum facientem, ſicut etiam in moralibus rectam æſtimationē habet homo de fine per habitum virtutis. Vnde donum intellectus habet nullus ſine gratia gratum faciente.

In Pſal. 118. con. 8. in 8. ¶ AD PRIMVM ergo dicendū, quòd Aug, nominat intellectum quācumq; illuſtrationem intellectualem, quæ tamen non pertingit ad perfectam doni rationem, niſi vſq; ad hoc mens hominis deducatur, vt rectam æſtimationē habeat homo circa finē.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd intelligentia quæ neceſſaria eſt ad prophetiam, eſt quædā illuſtratio mentis circa ea, quæ prophetis reuelantur: non eſt autem illuſtratio mentis circa æſtimationē rectam de vltimo fine, quæ pertinet ad donum intellectus.

¶ Ad tertium dicendum, quòd fides importat ſolū aſſenſum ad ea, quæ proponūtur: ſed intellectus importat quādam perceptionem veritatis, quæ non poteſt eſſe circa finē, niſi in eo qui habet gratiam gratū facientem, vt dictū* eſt: & ideo nō eſt ſimilis ratio de intellectu & fide. *In corpo. ar.*

SVMMA TEXTVS.

CONcluſio eſt negatiua. Probatur, Dona Spiritus ſancti perficiūt animam, ſecundū quod eſt benè mobilis ab Spiritu ſancto, & donum intellectus particulariter perficit intellectū, ſecundū quod eſt benè mobilis ab Spiritu ſancto, qui motus conſiſtit in hoc, quod homo habeat rectā æſtimationē de fine vltimo, ſed hanc non poſſunt habere, niſi exiſtentes in gratia, ergo donum intellectus nō inuenitur, niſi in habentibus gratiam gratum facientem.

EXPLCATIO ARTICVLI.

CIrca id quod dicit D. Tho. in corpore articuli, ſcilicet, Peccatores nō habent rectam æſtimationem de fine, eſt aduertendum, quòd iudiciū practicum, de re aliqua poteſt eſſe duplex: vnū in vniuerſali, vt quando ego in vniuerſali iudico non eſſe furandum, alterū in particulari, vt quando iudico: hic & nunc nō eſt furandū. Peccatores habent iudiciū practicū, verum in vniuerſali, ſed errāt in particulari. Si enim non erraſſent nō peccaſſent. Et propterea Ariſt. dicit, Omnis prauus eſt ignorans. Quādo, ergo D. Th. affirmat peccatores nō habere rectam æſtimationem de fide, tunc non eſt intelligendus de æſtimatione finis in vniuerſali, ſed de æſtimatione finis in particulari, quæ neceſſaria eſt ad operandum.

ARTICVLVS. VI.

¶ *Vtrum donum intellectus diſtinguatur ab alijs donis.*

AD SEXTVM ſic proceditur. Videtur quòd donum intellectus non diſtinguatur ab alijs donis. Quorum enim oppoſita ſunt eadem, ipſa quoq; ſunt eadem: ſed ſapientiæ opponitur ſtultitia, hebetudini intellectus, præcipitationi conſilium, ignorātiæ ſcientia, vt patet per Greg. 2. Mor. *Libr. 2. Mor. cap. 36. ante med.* Non videtur autem differre ſtultitia, hebetudo, ignorantia, & præcipitatio. ergo nec intellectus diſtinguitur ab alijs donis.

2 ¶ Præterea, Intellectus qui ponitur virtus intellectualis, differt ab alijs intellectualibus virtutibus per hoc ſibi propriū, quod eſt circa principia per ſe nota: ſed donū intellectus nō eſt circa aliqua principia per ſe nota, quia ad ea, quæ naturaliter per ſe cognoſcuntur, ſufficit naturalis habitus primorū principiorū. Ad ea verò, quæ ſupernaturalia ſunt, ſufficit fides: quia articuli fidei ſunt, ſicut prima principia in ſupernaturali cognitione, ſicut dictum* eſt. ergo donū intellectus non diſtinguitur ab alijs donis intellectualibus. *Q. 1. a. 7.*

 3 ¶ Præ-

3 ¶ Præterea, Omnis cognitio intellectiua, vel eſt ſpeculatiua, vel practica: ſed donũ intellectus habet ſe ad vtrũque, vt dictũ *eſt, ergo nõ diſtinguitur ab alijs donis intellectualibus, ſed omnes in ſe complectitur.

Ar. 3. huius quæſt.

¶ SED CONTRA eſt, ꝙ quæcunque connumerantur adinuicem oportet ea eſſe aliquo modo abinuicẽ diſtincta: quia diſtinctio eſt principiũ numeri, ſed donum intellectus connumeratur alijs donis, vt patet Iſa. 11. ergo donum intellectus eſt diſtinctum ab alijs donis.

¶ RESPONDEO dicendũ, ꝙ diſtinctio doni intellectus ab alijs tribus donis. ſ. pietate, fortitudine, & timore, manifeſta eſt: quia donum intellectus pertinet ad vim cognoſcitiuã, illa verò tria pertinent ad vim appetitiuam. Sed differentia huius doni intellectus ad alia tria, ſcilicet ſapientiam, ſcientiam, & conſilium, quæ etiam ad vim cognoſcitiuam pertinent, nõ eſt adeo manifeſta. Videtur autem quibuſdam ꝙ donũ intellectus diſtinguatur à dono ſcientiæ, & conſilij per hoc, ꝙ illa duo pertineant ad practicã cognitionẽ, donũ autem intellectus ad ſpeculatiuã. A dono verò ſapientiæ, quod etiã ad ſpeculatiuã cognitionem pertinet, diſtinguitur in hoc, quòd ad ſapientiã pertinet iudiciũ, ad intellectum verò capacitas intellectus eorum, quæ proponuntur: ſeu penetratio ad intima eorum, & ſecundũ hoc ſupra *numerum donòrũ aſſignauimus. Sed diligenter intuenti donum intellectus, nõ ſolum ſe habet circa ſpeculanda, ſed etiam circa operanda, vt dictum *eſt. Et ſimiliter etiam donũ ſcientiæ circa vtrũq; ſe habet, vt infra. dicetur. Et ideo oportet aliter eorũ diſtinctionẽ accipere. Omnia enĩ hæc quatuor dona ordinãtur ad ſupernaturalẽ cognitionẽ, quæ in nobis per fidẽ fundatur. Fides autẽ eſt ex auditu, vt dicitur Ro. 10. Vnde oportet aliqua proponi homini ad credendũ, non ſicut viſa, ſed ſicut audita, quibus per fidem aſſentiat. Fides autẽ, primo quidem, & principaliter ſe habet ad veritatem primam, ſecundario ad quædam circa creaturas cõſideranda: & vlterius ſe extendit etiam ad directionẽ humanorũ operũ, ſecũdum quod per dilectionem operatur, vt ex dictis *patet. Sic ergo circa ea, quæ fidei proponuntur credenda, duo requirũtur ex parte noſtra. Primo quidem; vt intellectu penetrẽtur, vel capiãtur, & hoc pertinet ad donum intellectus. Secundo autẽ oportet, vt de eis homo habeat iudicium rectum, vt æſtimet ijs eſſe inhærẽdum & ab eorum oppoſitis recedendum. Hoc ergo iudiciũ, quãtum ad res diuinas, pertinet ad donum ſapiẽtię: quãtum verò ad res creatas, pertinet ad donũ ſcientiæ: quãtum verò ad applicationem ad ſingularia opera, pertinet ad donum conſilij.

1. 2. qu. 68. ar. 4.

D. 124.

Ar. 3. huius quæſt.

Ar. 3. 4. ſeq.

Q. 1. art. 1. & 6. ad. 1. & q. 4. art. 2. ad. 3. & ar tic. 3.

¶ AD PRIMVM ergo dicendũ, quòd prædicta differentia quatuor donorum manifeſtè cõpetit diſtinctioni eorum, quæ Greg. ponit eis eſſe oppoſita. Hebetudo enim acuitati opponitur, dicitur enim per ſimilitudinem intellectus acutus, quando poteſt penetrare ad intima eorũ, quæ proponuntur. Vnde hebetudo mẽtis eſt, per quã mens ad intima penetrare nõ ſufficit. Stultus autẽ dicitur ex hoc, quod peruerſe iudicat circa cõem finem vitæ: & ideo propriè opponitur ſapientiæ, quæ facit rectũ iudicium circa vniuerſalem cauſam. Ignorantia verò importat defectum mentis etiam circa quæcũque particularia, & ideo opponitur ſciẽtiæ, per quam homo habet rerum iudiciũ circa particulares cauſas, ſcilicet circa creaturas. Præcipitatio verò manifeſtè opponitur conſilio, per qđ homo ad actionem procedit ante deliberationem rationis.

Loco citato in arg.

¶ Ad ſecundum dicẽdum, quòd donum intellectus eſt circa prima principia cognitionis gratuitæ, aliter tamen,

ꝙ fides.

ꝙ fides. Nã ad fidẽ pertinet eis aſſentiri, ad donum verò intellectus pertinet mente penetrare ea, quæ dicuntur.

¶ Ad tertium, dicendum, ꝙ donum intellectus pertinet ad vtranque cognitionem, ſcilicet ſpeculatiuam & practicam, non quantum ad iudicium, ſed quantum ad apprehenſionem, vt capiantur ea, quæ dicuntur.

SVMMA TEXTVS.

COnclusio eſt affirmatiua. Et quidem, quòd donum intellectus diſtinguatur ab his tribus, ſcilicet, pietate fortitudine, & timore, eſt res manifeſta: nam donum intellectus pertinet ad vim cognoſcitiuam, alia autem dona pertinẽt ad vim appetitiuam. Sed ꝙ diſtinguatur à ſapientia, ſcientia, & conſilio, quæ etiam pertinent ad vim cognoſcitiuam, omiſsis varijs modis dicendi aliorum, explicat D. Thõ. ſuppoſito, quòd omnia iſta quatuor dona ordinatur ad ſupernaturalem cognitionem, quæ in nobis per fidem fundatur: & ꝙ fides primò, & principaliter ſe habet ad veritatem primã, ſecundariò autem ad quædam circa creaturas conſideranda, & vlteriùs ſe extendit ad directionẽ humanorum operũ, ſecundum quòd fides per dilectionem operatur, hac ratione: Nam circa ea, quæ fidei proponuntur credenda duo requiruntur ex parte noſtra. Primùm eſt ꝙ intellectu penetrentur, & capiãtur: & ad hoc pertinet donũ intellectus. Secũdum, vt de eis homo habeat iudiciũ rectũ, & æſtimet illis eſſe inhærẽdũ, & ab eorũ oppoſitis recedẽdũ: & hoc iudiciũ quãtum ad res diuinas, pertinet ad donũ ſapientiæ, quantum vero ad res creatas pertinet ad donum ſcientiæ, quantum verò ad applicationẽ ad ſingularia opera, pertinet ad donum cõſilij. Et ſic conſtat ꝙ hæc quatuor dona, ad vim cognoſcitiuam pertinentia diſtinguuntur inter ſe ſe.

EXPLICATIO ARTICVLI.

1. *Argu. cõtra ea, quæ D. Thom. in hoc arti.* COntra ea, quæ dicit D. Tho. in hoc articulo ſunt aliquot argumenta, primum eſt, nam articulo præcedenti dixit ad donũ intellectus pertinere facere rectã æſtimationem de vltimo fine, nũc autem dicit hunc eſſe actum doni ſapientiæ, & ꝙ ad donũ intellectus pertinet penetrare, & intelligerẽ credenda: ergo D. Tho. ſibi ipſi eſt cõtrarius.

2. *Argum.* ¶ Secundo, ſi ad donum intellectus pertineret rectè intelligere, & ad ſapientiã rectè iudicare de Deo, & ad ſcientiam de rebus creatis, & ad conſilium rectè ordinare operationes, ſequeretur, ꝙ fides non diſtinguiretur à donis, conſequens autem eſt falſum: ergo. Sequela probatur: nam fides nõ haberet actum diſtinctum ab his, cum nullus alius relinquatur, qui poſſit illi conuenire, & nõ diſtincta actibus quòd nec etiã habitus diſtinguantur erit neceſſe.

Ad. 1. arg. ¶ Ad primum argumentum reſpondetur verum eſſe, ꝙ ad donũ intellectus propriè, & immediatè tãtum pertinet rectè intelligerẽ credenda, & aliud donũ eſt, quod facit rectè iudicare de Deo, vt D. Thõ. affirmat in hoc articulo: mediatè tamen ex recta intelligẽtia naſcitur rectum iudicium: & quia peccatores non bene intelligunt, idcirco non rectè iudicant de vltimo fine, nec habent donum intellectus, quod D. Tho. nitebatur probare articulo præcedenti.

Ad. 2. arg. ¶ Ad ſecũdum argumentum nonnulli reſpondent, ꝙ fides diſtinguitur à donis per hoc ſolùm, quòd fides tãtum ſe extẽdit ad reuelatã in ſcriptura explicitè, dona autem etiam ad non reuelata. Sed hæc ſolutio nihil valet: quia vt ſupra diximus. q. 1. art. 1. fides ſe extendit ad omnia reuelata ſiue illa contineantur explicitè in ſacra ſcriptura ſiue alio modo habeantur per reuelationẽ. Quocirca hac ſolutione omiſſa dico, ꝙ prò prius actus fidei eſt aſſentiri reuelatis à Deo propter primã veritatem dicentem. Ex quo fit, vt tantùm ſe extẽdat ad ea, quæ quis audiuit. At verò dona etiam ſe extendunt ad ea, quæ quis nunquam audiuit, præterquã quod etiam dona melius, atque perfectius inclinant in aſſenſum quã fides, vt melius vnus ſanctus intelligit per donum intellectus, vnum articulum, quam ego. Et ſic cõſtat, quòd dona non ſuperfluè ponuntur, quin potius habeamus per illa aliquos actus, quos per fidẽ, aut alias virtutes habere non poſſumus, vt iam explicauimus.

ARTICVLVS. VII.

¶ *Vtrùm dono intellectus reſpondeat ſexta beatitudo ſcilicet, Beati mundo corde. &c.*

AD SEPTIMVM ſic proceditur. Videtur ꝙ dono intellectus non reſpondeat beatitudo ſexta, ſcilicet, Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Munditia enim *1. p. q. 69. ar. 3. corp. fin. & ad. 1. Et 3. diſt. 34. q. 1. art. 4. & 6. corp.*

cordis maximè videtur pertinere ad affectum. Sed donum intellectus non pertinet ad affectũ, ſed magis ad vim intellectiuam. Ergo prædicta beatitudo non reſpondet dono intellectus.

2 ¶ Præterea, Actuũ. 15. dicitur, Fide purificãs corda eorũ: ſed per purificationem cordis acquiritur mũditia cordis, ergo prędicta beatitudo magis pertinet ad veritatem fidei, quàm ad donum intellectus.

3 ¶ Prçterea, Dona Spiritus ſancti perficiũt hominẽ in præſenti vita. Sed viſio Dei nõ pertinet ad vitã præſentem: ipſa enim beatos facit, vt ſuprà habitum eſt. Ergo ſexta beatitudo continens viſionem Dei, non pertinet ad donum intellectus.

1.2.q.3.a.8. Lib.1.c.9.parũ ante med. to.4. ¶ SED contra eſt, quod Auguſt. dicit in lib. de ſermone Domini in mõte. Sexta operatio Spiritus ſancti, quæ eſt intellectus, conuenit mundis corde, qui purgato oculo poſſunt videre quod oculus non vidit.

¶ RESPONDEO dicendum, quod in ſexta beatitudine, ſicut & in alijs, duo continentur. Vnum per modum meriti, ſcilicet munditia cordis, aliud per modum præmij, ſcilicet viſio Dei, vt ſuprà * dictũ eſt. (p.3.q.69.artic.2.&.4.) Et vtrunq; pertinet aliquo modo ad donum intellectus. Eſt enim duplex munditia, vna quidem præambula, & diſpoſitiua ad Dei viſionem, quæ eſt depuratio affectus ab inordinatis affectionibus. Et hæc quidem munditia cordis fit per virtutes & dona, quæ pertinent ad vim appetitiuam. Alia verò munditia cordis eſt, quæ eſt quaſi completiua reſpectu viſionis diuinæ. Et hæc quidem eſt munditia mentis depuratæ à phantaſmatibus & erroribus: vt ſcilicet ea, quæ de Deo proponuntur, non accipiantur per modum corporalium phantaſmatum, nec ſecũdum hæreticas peruerſitates. Et hanc munditiam facit donum intellectus. Similiter etiam duplex eſt Dei viſio; vna quidem perfecta, per quam videtur Dei eſſentia. Alia verò imperfecta, per quam etſi non videamus de Deo quid eſt, videmus tamẽ quid non eſt: & tanto in hac vita Deum perfectius cognoſcimus, quanto magis intelligimus eum excedere quidquid intellectu comprehenditur. Et vtraq; Dei viſio pertinet ad donum intellectus. Prima quidem ad donum intellectus cõſummatum, ſecundum quod erit in patria. Secunda vero ad donum intellectus inchoatum, ſecũdum quod habetur in via. Et per hoc patet reſponſio ad obiecta. Nam primæ duæ rationes procedunt de prima mũditia. Tertia vero de perfecta Dei viſione. Dona autem huiuſmodi nunc perficiũt, ſecundum quandam inchoationem, & in futuro implebuntur, vt ſuprà dictum * eſt. (Infer. ar. & q.68. art.6. & q.69. artic.2.)

EXPLICATIO ARTICVLI.

CONcluſio affirmatiua & eius probatio ſeu potius explicatio clarè patet in litera. Circa iſtum articulum eſt aduertendum ex D. Tho. 1.2. q.69. quod beatitudines, vt hic accipiũtur, ſunt actus virtutum, & præcipuè donorum Spiritus ſancti per quos ad vltimum finem, in quo beatitudo æterna conſiſtit, appropinquamus. Nam cum beatitudo, propriè loquendo, ſit vltimus finis hominis, & tunc etiam dicamur habere finem; quando habemus ſpem obtinendi illum, iuxta illud ad Rom. 8. Spe ſalui facti ſumus. & Ariſt. 1. Eth. appellat pueros beatos propter ſpem. &c. & iſta ſpes de conſequendo fine inſurgat in nobis ex eo, quod conuenienter diſponitur per actus virtutum, & donorum ad conſequendum illum, fit, vt ipſi virtutũ & donorum actus beatitudines dicantur, quæ diſtinguuntur à donis, ſicut actus diſtinguũtur à ſuis habitibus. Cætera quæ de beatitudinibus deſiderantur, vide apud D. Tho. vbi ſupra.

ARTICVLVS VIII.

¶ Vtrum in fructibus fidei reſpondeat dono intellectus.

AD OCTAVVM ſic proceditur. Videtur, quod in fructibus fides (3. diſt. 34. q. 1. ar. 5. queſt.)

des non reſpondeat dono intellectus. Intellectus enim eſt fructus fidei. Dicitur enim Iſa. 7. Niſi credideritis non intelligetis, ſecundum aliam literam, vbi nos habemus, ſi non credideritis, non permanebitis. Non ergo fides eſt fructus intellectus.

2 ¶ Præterea, Prius non eſt fructus poſterioris. Sed fides videt̃ eſſe prior intellectu: quia fides eſt fundamẽtum totius ſpiritualis ædificij, vt ſuprà dictum * eſt. Ergo fides non eſt fructus intellectus. *Q. 4. arti. 1. & 7.*

3 ¶ Præterea, Plura ſunt dona pertinentia ad intellectum, quàm pertinentia ad appetitum. Sed inter fructus ponitur tantum vnũ pertinens ad intellectum, ſcilicet fides: omnia verò alia pertinẽt ad appetitum. Ergo fides non magis videtur reſpondere intellectui, q̃ ſapientiæ, vel ſcientiæ, ſeu conſilio.

¶ SED CONTRA eſt, quòd finis vniuſcuiuſque rei eſt fructus eius. Sed donum intellectus videtur principaliter ordinari ad certitudinẽ fidei, quæ ponitur fructus. Dicit* enim gloſſ. ad Galat. 5. q̃ fides eſt, quæ eſt fructus, & de inuiſibilibus certitudo. Ergo in fructib⁹ fides reſpõdet dono intellectus. *Glo. interlineal. ibid.*

¶ RESPONDEO dicendũ, quòd ſicut ſuprà dictum eſt, cum de fructibus ageretur, fructus ſpiritus dicuntur vltima, & delectabilia, quæ in nobis proueniunt ex virtute ſpiritus ſancti. Vltimum autem, & delectabile habet rationem finis, qui eſt proprium obiectum volũtatis. Et ideo oportet, quòd illud quod eſt vltimum & delectabile in volũtate, ſit quodammodo fructus omnium aliorum, quæ pertinent ad alias potentias. Secundum hoc ergo doni, vel virtutis perficientis aliquam potentiã poteſt accipi duplex fructus: vnus quidem pertinens ad ſuam potentiam, alius autem quaſi vltimus pertinens ad voluntatem. Et ſecũdum hoc dicendum eſt, quòd dono intellectus reſpondet pro proprio fructu fides, ſcilicet fidei certitudo, ſed pro vltimo fructu reſpondet ei gaudium, quod pertinet ad voluntatem. *1. 2. q. 70. arti. 1.*

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd intellectus eſt fructus fidei, quæ eſt virtus. Sic autem non accipitur fides cum dicitur fructus, ſed pro quadam certitudine fidei, ad quam homo peruenit per donum intellectus.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd fides non poteſt vniuerſaliter præcedere intellectum. Non enim poſſet homo aſſentire credendo aliquibus propoſitis, niſi ea aliqualiter intelligeret: ſed perfectio intellectus conſequitur fidem, quæ eſt virtus, ad quã quidem intellectus perfectionẽ ſequitur quædam fidei certitudo.

¶ Ad tertium dicendum, quòd cognitionis practicæ fructus non poteſt eſſe in ipſa: quia talis cognitio non ſcitur propter ſe, ſed propter aliud. Sed cognitio ſpeculatiua habet fructum in ſeipſa, ſcilicet certitudinem eorum, quorum eſt. Et ideo dono conſilij, quod pertinet ſolum ad cognitionem practicam, non reſpondet aliquis fructus proprius. Donis autem ſapientiæ, intellectus, & ſcientiæ, quæ poſſunt etiã ad ſpeculatiuam cognitionem pertinere, reſpondet ſolum vnus fructus, qui eſt certitudo ſignata nomine fidei. Plures autem fructus ponuntur pertinentes ad partem appetitiuam: quia ſicut iam dictum * eſt, ratio finis, qui importatur in nomine fructus, magis pertinet ad vim appetitiuã, quàm intellectiuam. *In corp. arti.*

SVMMA TEXTVS.

CONcluſio eſt affirmatiua, De hoc articulo videndus eſt D. Thó. 1. 2. q 7. vbi agit de fructibus, quos Paulus ad Galat. 5. enumerat, & D. Aug. lib. 14. de Trinit. c. 1.

QVAESTIO NONA, De Dono ſcientiæ, in quatuor Articulos diuiſa.

DEINDE conſiderandũ eſt de dono ſcientiæ.

¶ Et circa hoc quæruntur quatuor.

¶ Primo, vtrũ ſcientia ſit donum.

¶ Secundo, vtrum ſit circa diuina.

¶ Tertio, vtrum ſit ſpeculatiua, vel practica.

¶ Quarto, quę beatitudo ei reſpõdeat.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm ſcientia ſit donum.

Sup. q. 8. ar. 6. cor.

ADPRIMVM ſic proceditur. Videtur quòd ſcientia non ſit donum. Dona enim Spiritus ſancti naturalem facultatem excedunt. Sed ſcientia importat effectum quendam naturalis rationis. Dicit enim philoſophus in 1. Poſteriorum * quòd demonſtratio eſt ſyllogiſmus faciens ſcire, ergo ſcientia nõ eſt donũ Spiritus ſancti.

Lib. 1. Poſt. tex. 5. ſo. 1.

2 ¶ Præterea, Dona Spiritus ſancti ſunt communia omnibus ſanctis, vt ſuprà dictũ * eſt: ſed Auguſt. 14 de Trin. * dicit, quod ſcientia non pollent plurimi fideles, quamuis polleant ipſa fide. ergo ſcientia non eſt donum.

1. 2. q. 68. ar tic. 2. & ar. 4. q. præced. Aug. 14. de Trin. c. 1. ſo- mo. 3.

3 ¶ Præterea. Donum eſt perfectius virtute, vt ſuprà dictũ * eſt. ergo vnum donum ſufficit ad perfectionẽ vnius virtutis. Sed virtuti fidei reſpondet donũ intellectus, vt ſuprà dictum * eſt, ergo non reſpondet ei donum ſciẽtiæ, nec apparet cui alij virtuti reſpõdeat, ergo cum dona ſint perfectiones virtutum, vt ſuprà * dictum eſt, videtur quòd ſcientia non ſit donum.

1. 2. q. 68. ar tic. 8.

Q. 8. arti. 2.

1. 2. q. 68. ar. 2. & 8.

¶ SED CONTRA eſt, quòd Iſa. 11. Computatur inter ſeptem dona.

¶ RESPONDEO dicendũ, quòd gratia eſt perfectior, quàm natura, vnde non deficit in ijs, in quibus homo per naturam perfici poteſt. Cum autem homo per naturalem rationem aſſentit ſecundum intellectum alicui veritati, dupliciter perficitur circa veritatem illam. Primo quidem, quia capit eam, ſecundo, quia de ea certum iudicium habet. Et ideo ad hoc, quòd intellectus humanus perfectè aſſentiat veritati fidei, duo requiruntur, Quorum vnum eſt, quòd ſanè capiat ea, quæ proponuntur: quod pertinet ad donum intellectus, vt ſuprà dictũ * eſt. Aliud autem eſt, vt habeat certum & rectum iudicium de eis, diſcernendo ſcilicet credenda à non credendis: & ad hoc neceſſariũ eſt donum ſcientiæ.

¶ ADPIMVM ergo dicendum, quòd certitudo cognitionis in diuerſis naturis inuenitur diuerſimodè ſecundum diuerſam conditionem vniuſcuiuſque naturæ. Nam homo conſequitur certum iudicium de veritate per diſcurſum rationis, & ideo ſcientia humana ex ratione demonſtratiua acquiritur, ſed in Deo eſt certum iudicium veritatis, abſque omni diſcurſu per ſimplicem intuitum, vt in primo * dictum eſt. Et ideo diuina ſcientia non eſt diſcurſiua, vel ratiocinatiua: ſed abſoluta, & ſimplex, cui ſimilis eſt ſcientia, quæ ponitur donum Spiritus ſancti, cum ſit quædam participata ſimilitudo ipſius.

1. p. q. 14. ar tic. 7.

¶ Ad ſecundum dicẽdum, quòd circa credenda duplex ſciẽtia poteſt haberi. Vna quidem, per quam homo ſcit quid credere debeat, diſcernens credenda à non credendis: & ſecundum hoc ſcientia eſt donum, & conuenit omnibus ſanctis. Alia verò eſt ſcientia circa credenda, per quam homo non ſolũ ſcit, quid credi debeat ſed etiam ſcit fidem manifeſtare, & alios ad credendum inducere, & contradictores cõuincere. Et iſta ſciẽtia ponitur inter gratias gratis datas, quæ nõ dãtur omnibus, ſed quibuſdam. Vnde Auguſtinus poſt verba inducta, ſubiungit. Aliud eſt ſcire tantummodo quid homo credere debeat, aliud ſcire quemadmodum hoc ipſum, quod creditur, & pijs auribus opituletur, & contra impios defendatur.

Li. 4. de Trinit. cap. 4. à med. to. 3.

¶ AD

¶ AD tertium dicendum, quòd dona ſunt perfectiora virtutibus moralibus & intellectualibus: non ſunt autē perfectiora virtutibus theologicis, ſed magis omnia dona ad perfectionē theologicarum virtutum ordinantur, ſicut ad finem. Et ideo non eſt incōueniens ſi diuerſa dona ad vnam virtutē theologicam ordinentur.

ARTICVLVS. II.

¶ Vtrùm ſcientiæ donum ſit circa res diuinas.

3. diſt. 35. q. 2. art. 3. q. 1. AD SECVNDVM ſic proceditur. Videtur quòd ſcientiæ donum ſit circa res diuinas. Dicit enim Auguſt. 14. de * Trini. quòd per ſcientiam gignitur fides, nutritur, & roboratur: ſed fides eſt de rebus diuinis, quia obiectum fidei eſt veritas prima, vt ſuprà * habitum eſt. ergo & donum ſcientiæ eſt de rebus diuinis. *Lib. 14. de Trin. c. 1. à med. to. 3.* *Q. 1. art. 1.*

2 ¶ Præterea, Donum ſcientiæ eſt dignius, quàm ſcientia acquiſita: ſed aliqua ſcientia acquiſita eſt circa res diuinas: ſicut ſcientia Metaphyſicæ: ergo multo magis donum ſcientiæ eſt circa res diuinas.

3 ¶ Præterea, Sicut dicitur Rom. primo, Inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur. Si ergo eſt ſcientia circa res creatas, videtur ꝙ etiam ſit circa res diuinas.

¶ SED CONTRA eſt, quod Auguſt. 14.* de Trinita. dicit. Rerum diuinarum ſcientia propriè ſapientia nū cupetur, humanarum autem propriè ſcientiæ nomen obtineat. *Lib. 14. c. 1. & lib. 12. ca. 14. to. 3.*

¶ RESPONDEO dicēdum, quòd certum iudicium de re aliqua maximè datur ex ſua cauſa: & ideo ſecundum ordinem cauſarum oportet eſſe ordinem iudiciorum. Sicut enim cauſa prima eſt cauſa ſecundæ, ita per cauſam primam iudicatur de cauſa ſecunda. De cauſa autem prima non poteſt iudicari per aliam cauſam. Et ideo iudicium quod ſit per cauſam primam, eſt primum & perfectiſſimum. In his autem, in quibus aliquid eſt perfectiſſimum, nomē commune generis appropriatur ijs, quæ deficiunt à perfectiſſimo. Ipſi autem perfectiſſimo adaptatur aliud ſpeciale nomen, vt patet in Logicis. Nam in genere conuertibilium illud, quod ſignificat quod quid eſt, ſpeciali nomine diffinitio vocatur: quæ autem in hoc deficiunt conuertibilia exiſtentia, nomen commune ſibi retinent, ſcilicet quòd propria dicū-tur. Quia ergo nomen ſcientiæ importat quandam certitudinem iudicij, vt dictum * eſt, ſiquidem certitudo iudicij ſit per altiſsimam cauſam illius generis, per quam poteſt de omnibus iudicare, habet ſpeciale nomen, quod eſt ſapientia. Dicitur enim ſapiens in vnoquoque genere, qui nouit altiſsimam cauſam illius generis, per quam poteſt de omnibus iudicare. Simpliciter autem ſapiens dicitur, qui nouit altiſsimam cauſam ſimpliciter, ſcilicet, Deum. Et ideo cognitio diuinarum rerum vocatur ſapientia: cognitio verò rerum humanarum vocatur ſcientia, quaſi communi nomine importante certitudinem iudicij appropriato ad iudicium, quod ſit per cauſas ſecūdas. Et ideo ſic accipiendo ſcientiæ nomē, ponitur donum diſtinctum à dono ſapientiæ. Vnde donum ſcientiæ eſt ſolum circa res humanas, vel ſolum circa res creatas. *Art. præc.*

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd licet ea, de quibus eſt fides, ſint res diuinæ & æternæ: tamen ipſa fides eſt quoddam temporale in animo credentis. Et ideo ſcire quid credendum ſit, pertinet ad donum ſcientiæ. Scire autem ipſas res creditas, ſecundum ſeipſas per quandam vnionem ad ipſas, pertinet ad donum ſapientię. Vnde donum ſapientiæ magis reſpondet charitati: quæ vnit mentem hominis Deo.

¶ Ad ſecundum dicendum, ꝙ ratio illa procedit, ſecundum quod cōmuniter nomē ſcientiæ ſumitur. Sic autem

ſcientia non ponitur ſpeciale donum, ſed ſecundum quod reſtringitur ad iudicium quod fit per res creatas.

¶ Ad tertium dicẽdum, ꝙ ſicut ſuprà
Q.1.art.1. •dictum eſt, quilibet cognoſcitiuus habitus formaliter quidem reſpicit medium, per quod aliquid cognoſcitur, materialiter autem id quod per medium cognoſcitur. Et quia id quod eſt formale, potius eſt: ideo illæ ſcientiæ, quæ ex principijs Mathematicis concludunt circa materiã naturalem, magis cum Mathematicis connumerantur, vtpote eis ſimiliores, licet quantũ ad materiam magis conueniant cum
Libr.2.text. naturali. Et propter hoc dicitur in ſe-
20.com.2. cũdo Phyſi. ꝙ ſunt magis naturales. Et ideo cum homo per res creatas Deũ cognoſcit, magis videtur hoc pertinere ad ſcientiam, ad quam pertinet formaliter, quàm ad ſapientiã, ad quam pertinet materialiter. Et econuerſo, cum ſecũdum res diuinas iudicamus de rebus creatis, magis hoc ad ſapientiam, quàm ad ſcientiam pertinet.

ARTICVLVS. III.

Vtrum ſcientia donum ſit ſcientia practica.

Infra.q.52. art.1.ad.2. Et.3.diſ.35. ar.3.q.2. AD TERTIVM ſic procedi tur. Videtur, ꝙ ſcientia, quæ ponitur donum, ſit ſcientia practica. Di-
Lib.12.c.14 cit enim Augu. 12. de Trinit. ꝙ actio,
parũ a prin. qua exterioribus rebus vtimur, ſcien-
tom.3. tiæ deputatur. Sed ſcientia, cui deputatur actio, eſt practica. Ergo ſcientia, quæ eſt donum, eſt ſcientia practica.

Libr.1.Mor. c.32.a med. 2 ¶ Præterea, Greg. • dicit in.1.Mora. Nulla eſt ſcientia, ſi vtilitatem pietatis non habet. Valde inutilis eſt pietas, ſi ſcientiæ diſcretione caret. Ex qua autoritate habetur, ꝙ ſcientia dirigit pietatem. Sed hoc non poteſt competere ſcientiæ ſpeculatiuæ. Ergo ſcientia, quæ eſt donum, non eſt ſpeculatiua, ſed practica.

3 ¶ Præterea, dona Spiritus ſancti non habentur, niſi à iuſtis, vt ſuprà habi-
tum • eſt. Sed ſcientia ſpeculatiua po- Q.prae art.
teſt haberi etiam ab iniuſtis, ſecũdum 5.&.1.2.q.
illud Iac. vlti. Scienti bonum & non fa 68.
cienti, peccatum eſt illi, ergo ſcientia, quæ eſt donum, non eſt ſpeculatiua, ſed practica.

SED CONTRA eſt, ꝙ Greg. Libr.1.Mor.
dicit in primo Moral. Scientia in die cap.22.ante
ſuo conuiuium parat: quia in ventre med.
mentis ignorantiæ ieiunium ſuperat. Sed ignorantia non tollitur totaliter, niſi per vtranq; ſcientiam, ſcilicet & ſpeculatiuam & practicam, ergo ſcientia, quæ eſt donum, eſt & ſpeculatiua & practica.

¶ RESPONDEO dicendum, ꝙ Quaeſt.prae.
ſicut ſupra • dictũ eſt, donũ ſcientiæ or art.8.
dinatur, ſicut & donum intellectus ad certitudinẽ fidei, fides autẽ primo & principaliter in ſpeculatione cõſiſtit, inquãtum ſcilicet inhæret primæ veritati. Sed quia veritas eſt etiam vltimus finis, propter quem operamur, inde etiã eſt, ꝙ fides ad operationem ſe extendit: ſecũdum illud Galat. 5. Fides per dilectionẽ operatur. Vnde etiam oportet, ꝙ donum ſciẽtiæ, primo quidem & principaliter reſpiciat ſpeculationem, inquantum ſcilicet homo ſcit quid fide tenere debeat. Secundario autem ſe extendit etiam ad operationem, ſecundũ quod per ſcientiam credibilium, & eorum, quæ ad credibilia conſequuntur, dirigimur in agendis.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd Auguſt. loquitur de dono ſcientiæ, ſecundum quod ſe extendit ad operationem. Attribuitur enim ei actio, ſed non ſola, nec primo. Et hoc etiam modo dirigit pietatem. Vnde patet ſolutio ad ſecundum.

¶ Ad tertium dicendum, ꝙ ſicut • di-
ctũ eſt de dono intellectus, ꝙ non qui Q.8.arti.5.
cunq; intelligit, habet donum intellectus, ſed qui intelligit, quaſi ex habitu gratiæ: ita etiam de dono ſcientiæ eſt intelligendum, quòd illi ſoli donum

ſcientiæ

ſcientiæ habeant, qui ex infuſione gratiæ rectum iudicium habent circa credenda, & agenda: ita quòd in nullo deuient à rectitudine iuſtitiæ. Et hæc eſt ſcientia ſanctorum, de qua dicitur Sapientiæ. 10. Iuſtum deduxit Dominus per vias rectas: & dedit illi ſcientiam ſanctorum.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrum dono ſcientiæ reſpondeat tertia beatitudo, ſcilicet, Beati qui lugent, &c.

1.2.q.69.articu.3.ad.3. Et infra. q.121.artic.2. Et.3.diſt.34 q.1.ar.4.corpo.ſi. & artic. 6. corp.

AD QVARTVM ſic proceditur. Videtur quòd ſciẽtiæ non reſpõdeat tertia beatitudo, ſcilicet, Beati qui lugent, quoniã ipſi cõſolabuntur. Sicut enim malũ eſt cauſa triſtitiæ & luctus: ita etiam & bonũ eſt cauſa lætitiæ. Sed per ſcientiam principalius manifeſtantur bona, quam mala, quæ per bona cognoſcũtur. Rectum enim eſt iudex ſui ipſius & obliqui, vt dicitur in primo* de Anima. Ergo prædicta beatitudo non conuenienter reſpondet ſcientiæ dono.

Lib.1.de anima, tex. 85. to.2.

2 ¶ Præterea, Conſideratio veritatis eſt actus ſcientiæ. Sed in conſideratione veritatis non eſt triſtitia, ſed magis gaudium. Dicitur enim Sapientiæ. 8. Non habet amaritudinem illius conuerſatio, nec tædium conuictus illius, ſed lætitiam & gaudium, ergo prædicta beatitudo non cõuenienter reſpõdet dono ſcientiæ.

3 ¶ Præterea, Donum ſcientiæ prius conſiſtit in ſpeculatione, quàm in operatione. Sed ſecundum quod conſiſtit in ſpeculatione, non reſpondet ſibi luctus: quia intellectus ſpeculatiuus nihil dicit de imitabili & fugiendo, vt dicitur in. 3.* de Anima: neque dicit aliquid lætum & triſte. Ergo prædicta beatitudo non conuenienter ponitur reſpondere dono ſcientiæ.

Lib.3.de anima, tex. 49. tomo. 2.

¶ SED CONTRA eſt, quòd Auguſt. dicit in lib. de ſermone Domini in monte, Scientia conuenit lugentibus, qui didicerunt, quibus malis vincti ſunt, quæ quaſi bona petierunt.

Lib. 1. ca. 9. ante med. tomo. 4.

¶ RESPONDEO Dicendum, quòd ad ſcientiam propriè pertinet rectum iudicium creaturarum. Creaturæ autem ſunt, ex quibus homo occaſionaliter à Deo auertitur: ſecundum illud Sap. 14. Creaturæ factæ ſunt in odium, & muſcipulã pedibus inſipientium: qui, ſcilicet, rectum iudicium de his non habent, dum æſtimant in eis eſſe perfectum bonum, vnde in eis finem conſtituendo, peccant, & verum bonum perdunt. Et hoc damnum homini innoteſcit per rectum iudicium de creaturis, quod habetur per donũ ſcientiæ. Et ideo beatitudo luctus ponitur reſpondere dono ſcientiæ.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd bona creata non excitant ſpirituale gaudium, niſi quatenus referũtur ad bonum diuinum: ex quo propriè conſurgit gaudium ſpirituale. Et ideo directè quidem ſpiritualis pax & gaudium conſequens reſpondet dono ſapientię. Dono autem ſcientię reſpondet quidem primo luctus de pręteritis erratis: & conſequenter conſolatio, dum homo per rectum iudiciũ ſcientię creaturas ordinat in bonum diuinum. Et ideo in beatitudine ponitur luctus pro merito, & conſolatio cõſequens pro pręmio. Quę quidem inchoatur in hac vita, perficitur autem in futura.

¶ Ad ſecundũ dicẽdum, quòd in ipſa cõſideratione veritatis homo gaudet. Sed de re circa quam conſiderat veritatem, poteſt triſtari quandoque: & ſecundum hoc luctus ſcientiæ attribuitur.

¶ Ad tertium dicendum, quòd ſcientiæ, ſecundum quod in ſpeculatione conſiſtit, non reſpondet beatitudo aliqua: quia beatitudo hominis non conſiſtit in conſideratione creaturarum, ſed in contemplatione Dei. Sed aliqualiter beatitudo hominis cõſiſtit in debito

debito vſu creaturarum, & ordinata affectione circa ipſas: & hoc dico, quãtum ad beatitudinẽ viæ. Et ideo ſcientiæ non attribuitur aliqua beatitudo pertinẽs ad contemplationem, ſed intellectui & ſapientiæ, quæ ſunt circa diuina.

DE TOTA iſta quæſtione vide Diuum Thom. 1. 2. quæſtione. 68. & 69. &c.

QVAESTIO DECIMA,

De infidelitate in communi, In duodecim articulos diuiſa.

CONSEQVENTER conſiderandũ eſt de vitijs oppoſitis. Et primo, de infidelitate, quæ opponitur fidei. Secundo, de blaſphemia, quæ opponitur confeſſioni. Tertio, de ignorantia & hebetudine, quę opponuntur ſcientiæ & intellectui.

¶ Circa primum conſiderandum eſt, de infidelitate in communi. Secundo, de hæreſi. Tertio, de apoſtaſia à fide.

¶ Circa primũ quęruntur duodecim.

¶ Primo, vtrũ infidelitas ſit peccatũ.

¶ Secundo, in quo ſit ſicut in ſubiecto.

¶ Tertio, vtrũ ſit maximũ peccatorũ.

¶ Quartò, vtrum omnis actio infidelium ſit peccatum.

¶ Quintò, de ſpeciebus infidelitatis.

¶ Sexto, de comparatione earum ad inuicem.

¶ Septimo, vtrum cum infidelibus ſit diſputandum de fide.

¶ Octauo, vtrum ſint cogendi ad fidem.

¶ Nono, vtrum ſit eis communicandum.

¶ Decimo, vtrum poſſint Chriſtianis fidelibus præeſſe.

¶ Vndecimo, vtrum ritus infidelium ſint tolerandi.

¶ Duodecimo, vtrũ pueri infidelium ſint inuitis parentibus baptizandi.

ARTICVLVS. I.

¶ Vtrum infidelitas ſit peccatum.

AD PRIMVM ſic proceditur. Videtur quòd infidelitas non ſit peccatum. Omne enim peccatum eſt contra naturam, vt patet per Damaſ. in 2. lib. Sed infidelitas non videtur eſſe contra naturã. Dicit enim Aug. in libr. de prædeſtinatione ſanctorum, quod poſſe habere fidem, ſicut poſſe habere charitatem naturæ eſt omnium hominum, habere autem fidem, quemadmodum habere charitatem gratiæ, eſt fidelium, ergo non habere fidem, quod eſt infidelium, non eſt contra naturam, & ita non eſt peccatum.

Infra. q. 14. art. 2. ad ... Et. 2. d. 39. q. 1. artic. 2. ad. 4. Lib. 2. ex. c. 4. & c. 30. & libr. 4. ... 21. à medio. Aug. c. 5. nõ remote a fine to. 7. 1. 2. q. 84. art. 4.

2 ¶ Præterea, Nullus peccat in eo, quod vitare non poteſt, quia omne peccatum eſt voluntarium: ſed nõ eſt in poteſtate hominis, quòd infidelitatem vitet, quam vitare non poteſt, niſi fidẽ habẽdo. Dicit enim Apoſtolus ad Roma. 10. Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient ſine prædicante? Ergo infidelitas non videtur eſſe peccatum.

3 Præterea, Sicut dictum eſt, ſunt ſeptẽ vitia capitalia, ad quæ omnia peccata reducuntur. Sub nullo autem horum videtur contineri infidelitas. Ergo infidelitas non eſt peccatum.

¶ SED CONTRA, Virtuti contrariatur vitium: ſed fides eſt virtus, cui contrariatur infidelitas. Ergo infidelitas eſt peccatum.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd infidelitas dupliciter accipi poteſt. Vno modo, ſecũdum puram negationem

nem: vt dicatur infidelis ex hoc ſolo, quod non habet fidem. Alio modo poteſt intelligi infidelitas, ſecundum cõtrarietatem ad fidem: qua ſcilicet aliquis repugnat auditui fidei, vel etiam contemnit ipſam, ſecũdum illud Iſai. 53. Quis credidit auditui noſtro? Et in hoc propriè perficitur ratio infidelitatis, & ſecundum hoc infidelitas eſt peccatum. Si autem accipiatur ſecundum negationem puram, ſicut in illis, qui nihil audierunt de fide, non habet rationem peccati, ſed magis pœnæ: quia talis ignorãtia diuinorum ex peccato primi parentis conſequuta eſt. Qui autem ſic ſunt infideles, damnantur quidem propter alia peccata, quæ ſine fide remitti non poſſunt: non autem damnantur propter infidelitatis peccatum. Vnde Dominus dicit Ioan nis. 15. Si non veniſſem, & loquutus eis non fuiſſem, peccatum non haberent. Quod exponens Aug.* dicit, ꝙ loquitur de illo peccato, quo non crediderunt in Chriſtum.

Tract. 89. in Ioann. inter prin. & me. tu.9.

¶AD PRIMVM ergo dicẽdum, ꝙ habere fidem, non eſt in natura humana: ſed in natura humana eſt, vt mens hominis non repugnet interiori inſtinctui, & exteriori veritatis prædicationi: vnde infidelitas ſecundum hoc eſt contra naturam.

¶Ad ſecũdum dicendum, ꝙ ratio illa procedit de infidelitate, ſecũdũ quod importat ſimplicem negationem.

¶Ad tertium dicẽdum, ꝙ infidelitas, ſecundum quod eſt peccatum, oritur ex ſuperbia, ex qua cõtingit, quod homo intellectum ſuum non vult ſubijcere regulis fidei, & ſano intellectui patrũ. vnde Gregor.* dicit. 31. Moral. quòd ex inani gloria oriuntur nouitatum præſumptiones. Quamuis poſſet dici, ꝙ ſicut virtutes theologicæ nõ reducuntur ad virtutes cardinales, ſed ſunt priores eis: ita etiam vitia oppoſita virtutibus theologicis nõ reducuntur ad vitia capitalia.

Lib. 31. Mor. c. 31. à med.

SVMMA TEXTVS.

SVppoſito, quòd infidelitas eſt duplex, vna puræ negationis, altera contrarietatis, reſpondet D. Thom. per duas concluſiones. ¶Prima concluſio, Infidelitas, quæ dicit puram negationem, magis habet rationem pœnæ, quam culpæ. Probatur, Hæc ignorantia diuinorum habet ortum ex peccato primi parentis: ergo magis habet rationem pœnæ, quam culpæ. ¶Secũda concluſio, Infidelitas, quæ dicit cõtrarietatem fidei, qualis eſt illa, quam habẽt illi, qui audierunt fidem, eſt peccatum mortale. Probatur ex illo Ioann. 15. Si non veniſſem, & loquutus eis non fuiſſem, peccatum nõ haberent: quod exponens Auguſtinus tractatu. 89. dicit quòd loquitur de illo peccato, quo non crediderant, in Chriſtũ. ¶Tertia concluſio, quæ ſequitur ex alijs eſt, ꝙ qui ſunt infideles infidelitate puræ negationis, condemnantur, & non propter infidelitatem, ſed propter alia peccata contra legem naturæ. Nam, cum illis infidelitas nõ ſit peccatum, manifeſte ſequitur, quod propter illud condemnari non poſſunt.

EXPLICATIO ARTICVLI.

CIrca primã concluſionẽ huius articuli eſt aduertẽdũ, ꝙ Chriſtus Dñs, & beati non dicũtur infideles negatiuè, quamuis fidẽ nõ habeãt. Primo, quia habẽt alios actus excellentiores, quam actus fidei, ſcilicet, actus viſionis articulorum fidei: & infidelis negatiuè ſolùm dicitur ille, qui nec habet fidem, nec illos actus. Secundò, quia quemadmodum cæcitas dicit ſolam carentiam viſionis in ſubiecto apto nato, vnde lapis, aut canis ante nonum diem cæci non dicuntur: ità etiam infidelitas dicit carentiam fidei in ſubiecto apto nato. Et certum eſt, quod nec Chriſtus, nec beati poſſunt habere fidem pro illo ſtatu, in quo ſunt: quia viſio repugnat fidei, quæ in ſua ratione includit obſcuritatem. *Nota circa 1. conclu.*

¶ Sed dubium eſt, vtrùm alij homines viatores poſſint habere infidelitatem puræ negationis, quæ nullum ſit peccatum? In qua re Altiſſiodorenſis. 3. p. in. q. Vtrũ fidei poſſit ſubeſſe falſum, partem tenet negatiuam. Dicit enim quod non poteſt aliquis habere ignorantiam inuincibilem, non ſolum Chriſti, ſed nec alicuius articuli *Dubium.* *Sententia Altiſſiodorẽſis.*

quanto virtus cognoſcitiua ad plura ſe extendit, tanto nobilior eſt.

¶Ad tertium dicendum, quòd regula humanorum actuum eſt ratio humana, & lex æterna, vt ſuprà dictum * eſt. Lex autem æterna excedit naturalem rationem: & ideo cognitio humanorum actuum ſecundum quod regulatur à lege æterna, excedit naturalem rationem, & indiget ſupernaturali lumine doni ſpiritus ſancti.

1.2.q.19.ar. 3. & 4. & q.71.a.6. & q.91. & 95.

SVMMA TEXTVS.

CONcluſio. Donum intellectus principaliter eſt ſpeculatiuum, & ſecũdariò, & quadam extenſione eſt practicum. Probatur, Donum intellectus nõ ſolùm ſe extendit ad ea, quæ primo & principaliter cadunt ſub fide, ſed etiam ad ea, quæ ad fidẽ ordinantur: ſed bonæ operationes habent ordinem ad fidem inquantum, ſcilicet, fides eſt principium illarum dicente Apoſtolo, Fides quæ per dilectionem operatur, ergo donum intellectus non ſolùm eſt ſpeculatiuum, ſed etiam practicum in quantum ſe extendit ad operationes.

¶De hoc articulo nihil eſt dicendum, ſed videnda ſunt ea, quæ dicit Caietanus. 1. part. quæſt. 1. art. 4. eadem enim eſt ratio de dono intellectus, & de Theologia, & de fide, quantum ad hoc: quia omnes iſti habitus conſiderant diuina, & æterna neceſſaria, non ſolum ſecundum quod in ſe ſunt, ſed etiam ſecũdum quod ſunt regulę quædam humanorum actuum, & ſic, & ſunt practici, & ſpeculatiui.

ARTICVLVS. IIII.

¶ *Vtrùm donum intellectus inſit omnibus habentibus gratiam.*

AD QVARTVM ſic proceditur. Videtur quòd donum intellectus nõ inſit omnibus habentibus gratiam. Dicit enim Gregorius. 2. * Moralium, quòd donum intellectus datur contra hebetudinem mẽtis. Sed multi habentes gratiam, adhuc patiũtur mentis hebetudinem. Ergo donũ intellectus nõ eſt in omnibus habentibus gratiam.

Lib.2. Mora. ca.36. ante med.

2 ¶Præterea, Inter ea, quæ ad cognitionem pertinẽt, ſola fides videtur eſſe neceſſaria ad ſalutem: quia per fidẽ Chriſtus inhabitat in cordib⁹ noſtris, vt dicitur ad Epheſ. 3. Sed non omnes habentes fidem, habent donum intellectus: imò qui credunt, debent orare vt intelligant: ſicut Auguſtinus dicit in lib. de Trini. ergo donum intellectus non eſt neceſſarium ad ſalutem. Non ergo eſt in omnibus habentibus gratiam.

Lib.14.c.8.

3 ¶Præterea, Ea quæ ſunt communia omnibus habentibus gratiam, nunquam ab habentibus gratiam ſubtrahuntur. Sed gratia intellectus, & aliorum donorum aliquando ſe vtiliter ſubtrahit. Quandoq; enim, dum ſublimia intelligendo in elationem ſe animus erigit, in rebus imis & vilibus graui hebetudine pigreſcit: vt Gregorius dicit in. 2. Moral. ergo donum intellectus non eſt in omnibus habentibus gratiam.

Li.2.Moral. c.36. parum à medio.

¶SED contra eſt, quod dicitur in Pſal. 81. Neſcierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant, ſed nullus habens gratiam ambulat in tenebris: ſecundum illud Ioan. 8. Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris. ergo nullus habens gratiam, caret dono intellectus.

Quæſtio.

¶RESPONDEO dicendum, ꝙ in omnibus habentibus gratiam, neceſſe eſt eſſe rectitudinem voluntatis: quia per gratiam præparatur voluntas hominis ad bonum: vt Auguſt. * dicit. Voluntas autem non poteſt rectè ordinari in bonum, niſi præexiſtente aliqua cognitione veritatis: quia obiectum voluntatis eſt bonum intellectus, vt dicitur in. 3. de anima, * ſicut autẽ per donum charitatis Spiritus ſanctus ordinat voluntatem hominis, vt directè moueatur in bonum quoddam ſupernaturale: ita etiam per donum intellectus illuſtrat mẽtẽ hominis, vt cognoſcat

li.1.retract. c.22. circa fi.to.1. et li. 1.de prædeſ. ſanct.c.1.

Li.3.tex.34 et.49.to.2.

cat veritatem quandam ſupernatura lem, in quam oportet tendere volun tatem rectam. Et ideò ſicut donum charitatis eſt in omnibus habentibus gratiam gratum facientem, ita etiam donum intellectus.

¶AD PRIMVM ergo dicẽdum, quòd aliqui habentes gratiam gratum facientem, poſſunt hebetudinem pati circa aliqua, quæ ſunt præter neceſsitatem ſalutis, ſed circa ea, quæ ſunt de neceſsitate ſalutis, ſufficiẽter inſtruuntur à Spiritu ſancto: ſecundum illud. 1. Io. 2. Vnctio eius docet vos de omnibus.

¶ Ad ſecundum dicẽdum, quòd etſi non omnes habentes fidẽ, plenè intelligant ea, quæ proponuntur credẽda, intelligunt tamen ea eſſe credenda, & quòd ab eis nullo modo eſt deuiandum.

¶ Ad tertiũ dicendum, quòd donum intellectus nunquam ſe ſubtrahit ſanctis circa ea, quæ ſunt neceſſaria ad ſalutẽ: ſed circa alia interdum ſe ſubtrahit, vt non omnia ad liquidum per intellectum penetrare poſsint, ad hoc quòd ſuperbiæ materia ſubtrahatur.

SVMMA TEXTVS.

CONcluſio eſt affirmatiua. Probatur. In habentibus gratiã ſicut eſt neceſſariũ, quod voluntas præparetur per charitatem in bonum, ità etiam eſt neceſſarium, quod mens per donum intellectus illuſtretur, vt cognoſcat veritatẽ ſupernaturalem, in quã oportet tendere voluntatem: ſed in omnibus habentibus gratiam eſt charitas, ergo & in omnibus illis eſt donum intellectus: Conſequentia cum minori nota eſt, & maior probatur: quia voluntas non poteſt recte ordinari in bonũ, niſi præexiſtente cognitione veritatis, vt docet Ariſtot. 3. de anima.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Dubium. CIrca concluſionẽ huius articuli eſt difficultas, vtrùm vera ſit. Et pro parte negatiua eſt argumentũ. Nam ex ea ſequeretur, quod iuſti non poſſent habere ignorantiam earum rerum, quas acturi eſſent: conſequens autem eſt falſum: nam de rebus fidei poteſt eſſe ignorantia, ſaltim inuincibilis ſimul cũ gratia, vt patet in ruſtico: & præterea poteſt homo iuſtus ex ignorantia facere contractum vſurarium, ergo & illud, ex quo ſequitur. Nec valet ſi dicatur, quòd iſti ex ignorantia excuſantur à peccato, & ſic non errant in neceſſarijs ad ſalutem: nam ſaltim ſequitur, quòd intellectus iuſti nõ in omnibus illuminatur a Deo, quod eſt contra concluſionem.

¶ Ad hanc difficultatẽ, vt reſpõdeamus ſit prima propoſitio, Homo iuſtus poteſt habere ignorantiã ſpeculatiuam, etiã circa operabilia. Probatur, Iacob ſpeculatiuè ignorauit, ꝙ Lia, quæ iacebat cũ ipſo non erat vxor ſua, ergo iuſtus poteſt habere ignorãtiam ſpeculatiuam etiam circa operabilia. 1. *Concluſio.*

¶ Secunda propoſitio, Licet homo iuſtus poſsit habere ignorantiam practicam circa operabilia, non tamen poteſt habere ignorantiam, quæ ſit vltimatè practica circa neceſſaria ad ſalutem. Voco ignorantiam vltimatè practicam eam, quam quis vltimatè ſequitur, dũ operatur. Probatur, Nam, quanuis poſsit iuſtus habere ignorantiam practicam, quod aliquis contractus ſit vſurarius, quia adiuit theologos, qui dixerunt ei talem contractum non eſſe vſurarium, adhuc tamen dum illum facit non vltimatè habet ignorantiam practicam circa neceſſaria ad ſalutem. Quia quanuis hæc propoſitio falſa, Hic contractus eſt licitus, ſit practica, tamen magis practica eſt hæc, Iſte cõtractus eſt faciẽdus: & in ea nõ errat, quin potius ſequitur iudicium verum, & prudentiale, quod colligit iuſtus ex medio purè practico, quod tale eſt, Omnis contractus, de quo viri docti dicunt eſſe licitum, eſt faciendus, ſed de hoc dicunt viri docti eſſe licitum, ergo eſt faciendus. Et ſic cõſtat quòd iuſtus vltimatè non habet ignorantiam practicam circa neceſſaria ad ſalutem. 2. *Concluſio.*

¶ Tertia propoſitio, Generaliter loquẽdo iuſti non poſſunt habere ignorantiam mortaliter culpabilẽ circa neceſſaria ad ſalutẽ. Probatur, quia eſt aperta repugnantia qđ aliquis ſit in gratia, & in tali ignorãtia. 3. *Concluſio.*

¶ Quarta propoſitio exiſtẽtes in gratia in hoc differunt à peccatoribus, quòd licet iuſti poſsint habere ignorantiam inuincibilem circa operabilia, multo tamen rarius quàm peccatores, imo ſæpe iuſti dono 4. *Concluſio.*

Q intellectus

intellectus illuſtrati à Deo, nō ſibi poſſunt perſuadere, quod . ſi quis contractus ſit licitu., quãuis theologi dicant illum eſſe licitũ ſequuti in hoc motionem Spiritus ſancti. Ob id dicebat Ioã. prima ſua canonica. c. 2. loquẽs de iuſtis, nõ neceſſe habetis, vt quis vos doceat: vnctio enim docebit vos.

Vltima concluſio.

¶ Vltima propoſitio, Iuſti exiſtẽtes in gratia generaliter loquẽdo non errant circa agenda, quia ſemper habẽt donum intellectus, quo illuſtrantur à Deo ad non errandum, ſecus autem eſt in peccatoribus. Et ſic patet quantũ proſit iuſtis donũ intellectus ad ſuas actiones exercendas.

¶ Contra rationẽ, qua D. Tho. probat concluſionem, quæ talis eſt, In habentibus gratiã præparatur volũtas per charitatẽ in bonum, ergo etiam debet præparari intellectus per donũ aliquod ad cognoſcẽdam veritatem ſupernaturalẽ, argumẽtatur Caiet. hoc modo, Hæc ratio nõ concludit eſſe ponendum donum intellectus, ſed tantum, ꝙ eſt neceſſaria cognitio ſupernaturalis, quæ poteſt haberi per fidem, ergo ea nihil valet.

Arg. contra rationem D. Tho.

Solutio.

¶ Ad hoc argumentum reſpondet Caieta. negando antecedẽs: nã ad rectam voluntatem nõ ſufficit rectitudo fidei per ſe ipſam, ſed requiritur, rectitudo fidei per ſe ipſam, & ſubſeruiens ſibi donũ intellectus, qđ addit ſuper fidẽ, rectã æſtimationẽ practicè de Deo ex charitate diligendo, vt docet D. Th. ar. ſequẽti. Et ſi quis dicat, quod ad hoc ſufficit fides, ſi nõ informis, ſaltim formata reſpõdetur falſum eſſe: ſed id facit fides formata non immediatè per ſe ipſam, ſed mediante dono intellectus. Et ratio eſt, quia, cùm participatio diuini luminis in fide ſit imperfecta, neceſſariũ eſt, quod ſi ſe extendit ad efficiendã rectam æſtimationẽ practicè in intellectu moto à pfecta volũtate, ſit mediãte lumine perfectiori: fides enim formata non differt ab informi penes id, quod ſe tenet ex parte intellectꝰ, ſed ex parte voluntatis. Vnde cùm fides informis nõ poſsit efficere illam rectam æſtimationem, & ea pertineat ad intellectũ, & non ad voluntatem, manifeſtè ſequitur, ꝙ debet fieri per lumẽ altius, quale eſt donũ intellectus.

ARTICVLVS. V.

¶ *Vtrum donum intellectus inueniatur etiam in non habentibus gratiam gratum facientem.*

AD QVINTVM ſic proceditur. Videtur ꝙ intellectus donum inueniatur etiam in nõ habentibus gratiã gratum facientẽ. Aug. enim exponens illud Pſal. 118. Cõcupiuit anima mea deſiderare iuſtificationes tuas, dicit, Præuolat intellectus, & tardè ſequitur humanus, atq; infirmus affectus, ſed in omnibus habentibus gratiam gratum facientẽ eſt prõptus affectus propter charitatem, ergo donum intellectus poteſt eſſe in his, qui nõ habent gratiam gratum facientem.

In Pſal. 118. concione. 3. non procul à fin. & cõ. 8. tom. 8.

2 ¶ Præterea. Danie. 3. dicitur, ꝙ intelligentia opus eſt in viſione prophetica: & ita videtur, quòd prophetia non ſit ſine dono intellectus, ſed prophetia põt eſſe ſine gratia gratũ faciẽte: vt patet Matthæi. 7. vbi dicentibus, In nomine tuo prophetauimus, reſpõdetur. Nũquam noui vos. ergo donũ intellectus poteſt eſſe ſine gratia gratũ faciente.

3 ¶ Præterea, Donum intellectus reſpondet virtuti fidei: ſecundũ illud Iſa. 7. ſecundũ aliam literam, Niſi credideritis, non intelligetis. Sed fides poteſt eſſe ſine gratia gratum faciente. ergo etiam donum intellectus.

¶ SED CONTRA eſt, quod Dominus dicit Ioã. 6. Omnis qui audiuit à Patre, & didicit venit ad me, ſed per intellectũ audita addiſcimus, vel penetramus, vt patet per Greg. in primo moralium, ergo quicunq; habet intellectus donum. venit ad Chriſtũ: quod non eſt ſine gratia gratum faciẽte, ergo donum intellectus nõ eſt ſine gratia gratum faciente.

Libr. 1. Mor ca. 32. ante med.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd ſicut ſuprà dictum eſt, dona Spiritus ſancti perficiunt animam, ſecundum quod eſt benè mobilis à Spiritu ſancto, ſic ergo intellectuale lumẽ gratiæ ponitur donum intellectus, inquãtum intellectus hominis eſt benè mobilis à Spiritu ſancto. Huiuſmodi autem motus conſideratio in hoc eſt, quòd homo apprehendat veritatem circa finem. Vnde niſi vſq; ad hoc mo

1. 2. q. 68. a. 1. & 2.

ueatur à Spiritu ſancto intellectus humanus vt rectam æſtimationẽ de fine habeat, nondum conſecutus eſt donũ intellectus, quantumcunq; illuſtratione Spiritus ſancti, alia quædam pręambula cognoſcat, rectam autem æſtimationem de vltimo fine non habet, niſi ille qui circa finem nõ errat: ſed ei firmiter inhæret tãquã optimo: quòd eſt ſolũ habentis gratiã gratum facientem, ſicut etiam in moralibus rectam æſtimationẽ habet homo de fine per habitum virtutis. Vnde donum intellectus habet nullus ſine gratia gratum faciente.

In pſal. 118. con. 8. to. 8. ¶ AD PRIMVM ergo dicendũ, quòd Aug. nominat intellectum quãcumq; illuſtrationem intellectualem, quæ tamen non pertingit ad perfectam doni rationem, niſi vſq; ad hoc mens hominis deducatur, vt rectam æſtimationẽ habeat homo circa finẽ.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd intelligentia quæ neceſſaria eſt ad prophetiam, eſt quædã illuſtratio mentis circa ea, quæ prophetis reuelantur: non eſt autem illuſtratio mentis circa æſtimationẽ rectam de vltimo fine, quæ pertinet ad donum intellectus.

¶ Ad tertium dicendum, quòd fides importat ſolũ aſſenſum ad ea, quæ proponũtur: ſed intellectus importat quãdam perceptionem veritatis, quæ non poteſt eſſe circa finẽ, niſi in eo qui ha-
In corpo. ar. bet gratiam gratũ facientem, vt dictũ* eſt: & ideo nõ eſt ſimilis ratio de intellectu & fide.

SVMMA TEXTVS.

CONcluſio eſt negatiua. Probatur, Dona Spiritus ſancti perficiũt animam, ſecundũ quod eſt benè mobilis ab Spiritu ſancto, & donum intellectus particulariter perficit intellectũ, ſecundũ quod eſt benè mobilis ab Spiritu ſancto, qui motus conſiſtit in hoc, quod ꝺomo habeat rectã æſtimationẽ de fine vltimo, ſed hanc non poſſunt habere, niſi exiſtentes in gratia, ergo donum intellectus nõ inuenitur, niſi in habentibus gratiam gratum facientem.

EXPLICATIO ARTICVLI.

CIrca id quod dicit D. Tho. in corpore ſeculi, ſcilicet, Peccatores nõ habent rectam æſtimationem de fine, eſt aduertendum, quòd iudiciũ practicum, de re aliqua poteſt eſſe duplex: vnõ iu vniuerſali, vt quando ego in vniuerſali iudico non eſſe furandum, alterũ in particulari, vt quando ei dico: hic & nunc nõ eſt furandũ. Peccatores habent iudiciũ practicũ, verum in vniuerſali, ſed errãt in particulari. Si enim non erraſſent nõ peccaſſent. Et propterea Ariſt. dicit, Omnis prauus eſt ignorans. Quãdo, ergo D. Th. aſſirmat peccatores nõ habere rectam æſtimationem de fide, tunc non eſt intelligendus de æſtimatione finis in vniuerſali, ſed de æſtimatione finis in particulari, quæ neceſſaria eſt ad operandum.

ARTICVLVS. VI.

¶ *Vtrum donum intellectus diſtinguatur ab alijs donis.*

AD SEXTVM ſic proceditur. Videtur quòd donum intellectus non diſtinguatur ab alijs donis. Quorum enim oppoſita ſunt eadem, ipſa quoq; ſunt eadem: ſed ſapientiæ opponitur ſtultitia, hebetudini intellectus, præcipitationi conſilium, ignorãtiæ ſcientia, vt patet per Greg. 2. Mor. *Libr. 2. Mor. cap. 36. ante med.* Non videtur autem differre ſtultitia, hebetudo, ignorantia, & præcipitatio. ergo nec intellectus diſtinguitur ab alijs donis.

2 ¶ Præterea, Intellectus qui ponitur virtus intellectualis, differt ab alijs intellectualibus virtutibus per hoc ſibi propriũ, quod eſt circa principia per ſe nota: ſed donũ intellectus nõ eſt circa aliqua principia per ſe nota, quia ad ea, quæ naturaliter per ſe cognoſcuntur, ſufficit naturalis habitus primorũ principiorũ. Ad ea verò, quæ ſupernaturalia ſunt, ſufficit fides: quia articuli fidei ſunt, ſicut prima principia in ſupernaturali cognitione, ſicut dictum* *Q. 1. a. 7.* eſt. ergo donũ intellectus non diſtinguitur ab alijs donis intellectualibus.

 3 ¶ Præ-

q̃ fides. Nã ad fidẽ pertinet eis aſſentiri, ad donum verò intellectus pertinet mente penetrare ea, quæ dicuntur.
¶ Ad tertium, dicendum, ꝙ donum intellectus pertinet ad vtranque cognitionem, ſcilicet ſpeculatiuam & practicam, non quantum ad iudicium, ſed quantum ad apprehenſionem, vt capiantur ea, quæ dicuntur.

SVMMA TEXTVS.

CONcluſio eſt affirmatiua. Et quidem, quòd donum intellectus diſtinguatur ab his tribus, ſcilicet, pietate fortitudine, & timore, eſt res manifeſta: nam donum intellectus pertinet ad vim cognoſcitiuam, alia autem dona pertinẽt ad vim appetitiuam. Sed ꝙ diſtinguatur à ſapientia, ſcientia, & conſilio, quæ etiam pertinent ad vim cognoſcitiuam, omiſsis varijs modis dicendi aliorum, explicat D. Thò. ſuppoſito, quòd omnia iſta quatuor dona ordinantur ad ſupernaturalem cognitionem, quæ in nobis per fidem fundatur: & ꝙ fides primò, & principaliter ſe habet ad veritatem primã, ſecundariò autem ad quædam circa creaturas conſideranda, & vlteriùs ſe extendit ad directionẽ humanorum operũ, ſecundum quòd fides per dilectionem operatur, hac ratione: Nam circa ea, quæ fidei proponuntur credenda duo requiruntur ex parte noſtra. Primùm eſt ꝙ intellectu penetrentur, & capiãtur; & ad hoc pertinet donũ intellectus. Secũdum, vt de eis homo habeat iudiciũ rectũ, & æſtimet illis eſſe inhærẽdũ, & ab eorũ oppoſitis recedẽdũ: & hoc iudiciũ quãtum ad res diuinas, pertinet ad donũ ſapientiæ, quantum vero ad res creatas pertinet ad donum ſcientiæ, quantum verò ad applicationẽ ad ſingularia opera, pertinet ad donum cõſilij. Et ſic conſtat ꝙ hæc quatuor dona, ad vim cognoſcitiuam pertinentia diſtinguuntur inter ſe ſe.

EXPLICATIO ARTICVLI.

1. Argu. cõtra ea, quæ D. Thom. in hoc arti. CONtra ea, quæ dicit D. Thò. in hoc articulo, ſunt aliquot argumenta, primum eſt, nam articulo præcedenti dixit ad donũ intellectus pertinere facere rectã æſtimationem de vltimo fine, nũc autem dicit hunc eſſe actum doni ſapientiæ, & ꝙ ad donũ intellectus pertinet penetrare, & intelligere credenda: ergo D. Thò. ſibi ipſi eſt cõtrarius.
2. Argum. ¶ Secundo, ſi ad donum intellectus pertineret rectè intelligere, & ad ſapientiã rectè iudicare de Deo, & ad ſcientiam de rebus creatis, & ad conſilium rectè ordinare operationes, ſequeretur, ꝙ fides non diſtinguiretur à donis, conſequens autem eſt falſum: ergo. Sequela probatur: nam fides nõ haberet actum diſtinctum ab his, cum nullus alius relinquatur, qui poſsit illi conuenire, & nõ diſtinctis actibus quòd nec etiã habitus diſtinguantur erit neceſſe.

Ad. 1. arg. ¶ Ad primum argumentum reſpondetur verum eſſe, ꝙ ad donũ intellectus propriè, & immediatè tãtum pertinet rectè intelligere credenda, & aliud donũ eſt, quod facit rectè iudicare de Deo, vt D. Thò. affirmat in hoc articulo: mediatè tamen ex recta intelligẽtia naſcitur rectum iudicium: & quia peccatores non bene intelligunt id circo non rectè iudicant de vltimo fine, nec habent donum intellectus, quod D. Tho. nitebatur probare articulo præcedenti.
Ad. 2. arg. ¶ Ad ſecũdum argumentum nonnulli reſpondent, ꝙ fides diſtinguitur à donis per hoc ſolùm, quòd fides tãtum ſe extẽdit ad reuelatã in ſcriptura explicitè, dona autem etiam ad non reuelata. Sed hæc ſolutio nihil valet: quia vt ſupra diximus. q. 1. art. 1. fides ſe extendit ad omnia reuelata ſiue illa contineantur explicite in ſacra ſcriptura ſiue alio modo habeantur per reuelationẽ. Quocirca hac ſolutione omiſſa dico, ꝙ proprius actus fidei eſt aſſentiri reuelatis à Deo propter primã veritatem dicentem. Ex quo fit, vt tantùm ſe extẽdat ad ea, quæ quis audiuit. At verò dona etiam ſe extendunt ad ea, quæ quis nunquam audiuit, præterquã quod etiam dona melius, atque perfectius inclinant in aſſenſum quã fides, vt melius vnus ſanctus intelligit per donum intellectus, vnum articulum, quam ego. Et ſic cõſtat, quòd dona non ſuperfluè ponũtur, quin potiùs habeamus per illa aliquos actus, quos per fidẽ, aut alias virtutes habere non poſſumus, vt iam explicauimus.

ARTICVLVS. VII.

¶ Vtrùm dona intellectus reſpondeat ſexta beatitudo, ſcilicet, Beati mundo corde. &c.

AD SEPTIMVM ſic proceditur. Videtur ꝙ dono intellectus non reſpondeat beatitudo ſexta, ſcilicet, Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Mundiria enim

1. p. q. 69. ar. 3. corp. fin. & ad. 1. Et 3. diſt. 34. q. 1. art. 4. & 6. corp.

des non reſpondeat dono intellectus. Intellectus enim eſt fructus fidei. Dicitur enim Iſa. 7. Niſi credideritis non intelligetis, ſecundum aliam literam, vbi nos habemus, ſi non credideritis, non permanebitis. Non ergo fides eſt fructus intellectus.

2 ¶ Præterea, Prius non eſt fructus poſterioris. Sed fides videt eſſe prior intellectu: quia fides eſt fundamētum totius ſpiritualis ædificij, vt ſuprà dictum * eſt. Ergo fides non eſt fructus intellectus.

Q. 4. arti. 1. & 7.

3 ¶ Præterea, Plura ſunt dona pertinentia ad intellectum, quàm pertinentia ad appetitum. Sed inter fructus ponitur tantum vnū pertinens ad intellectum, ſcilicet fides: omnia verò alia pertinēt ad appetitum. Ergo fides non magis videtur reſpondere intellectui, q̄ ſapientiæ, vel ſcientiæ, ſeu conſilio.

¶ SED CONTRA eſt, quòd finis vniuſcuiuſque rei eſt fructus eius. Sed donum intellectus videtur principaliter ordinari ad certitudinē fidei, quæ ponitur fructus. Dicit* enim gloſſ. ad Galat. 5. q̄ fides eſt, quæ eſt fructus, & de inuiſibilibus certitudo. Ergò in fructib* fides reſpōdet dono intellectus.

Glo. interlinea. ibid.

¶ RESPONDEO dicendū, quòd ſicut ſuprà dictum eſt, cum de fructibus ageretur, fructus ſpiritus dicuntur vltima, & delectabilia, quæ in nobis proueniunt ex virtute ſpiritus ſancti. Vltimum autem, & delectabile habet rationem finis, qui eſt proprium obiectum volūtatis. Et ideo oportet, quòd illud quod eſt vltimum & delectabile in volūtate, ſit quodammodo fructus omnium aliorum, quæ pertinent ad alias potentias. Secundum hoc ergo doni, vel virtutis perficientis aliquam potentiā poteſt accipi duplex fructus: vnus quidem pertinens ad ſuam potentiam, alius autem quaſi vltimus pertinens ad voluntatem. Et ſecūdum hoc dicendum eſt, quòd dono intellectus reſpondet pro proprio fructu fides, ſcilicet fidei certitudo, ſed pro vltimo fructu reſpondet ei gaudium, quod pertinet ad voluntatem.

1. 2. q. 70. arti. 1.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd intellectus eſt fructus fidei, quæ eſt virtus. Sic autem non accipitur fides cum dicitur fructus, ſed pro quadam certitudine fidei, ad quam homo peruenit per donum intellectus.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd fides non poteſt vniuerſaliter præcedere intellectum. Non enim poſſet homo aſſentire credendo aliquibus propoſitis, niſi ea aliqualiter intelligeret: ſed perfectio intellectus conſequitur fidem, quæ eſt virtus, ad quā quidem intellectus perfectionē ſequitur quædam fidei certitudo.

¶ Ad tertium dicendum, quòd cognitionis practicæ fructus non poteſt eſſe in ipſa: quia talis cognitio non ſcitur propter ſe, ſed propter aliud. Sed cognitio ſpeculatiua habet fructum in ſeipſa, ſcilicet certitudinem eorum, quorum eſt. Et ideo dono conſilij, quod pertinet ſolum ad cognitionem practicam, non reſpondet aliquis fructus proprius. Donis autem ſapientiæ, intellectus, & ſcientiæ, quæ poſſunt etiā ad ſpeculatiuam cognitionem pertinere, reſpondet ſolum vnus fructus, qui eſt certitudo ſignata nomine fidei. Plures autem fructus ponuntur pertinentes ad partem appetitiuam: quia ſicut iam dictum * eſt, ratio finis, qui importatur in nomine fructus, magis pertinet ad vim appetitiuā, quàm intellectiuam. *In corp. arti.*

SVMMA TEXTVS.

CONcluſio eſt affirmatiua, De hoc articulo videndu eſt D. Thó. 1. 2. q. 7. vbi agit de fructibus, quos Paulus ad Galat. 5. enumerat, & D. Aug. lib. 14. de Trinit. c. 1.

QVAESTIO NONA, De Dono ſcientiæ, in quatuor Articulos diuiſa.

DEINDE conſiderandũ eſt de dono ſcientiæ.

¶ Et circa hoc quæruntur quatuor.

¶ Primo, vtrũ ſciẽtia ſit donum.

¶ Secundo, vtrum ſit circa diuina.

¶ Tertio, vtrum ſit ſpeculatiua, vel practica.

¶ Quarto, quę beatitudo ei reſpõdeat.

ARTICVLVS. I.

¶ Vtrùm ſcientia ſit donum.

Sup. q. 8. ar. ti. 6. cor.

ADPRIMVM ſic proceditur. Videtur quòd ſcientia non ſit donum. Dona enim Spiritus ſancti naturalem facultatem excedunt. Sed ſcientia importat effectum quendam naturalis rationis. Dicit enim philoſophus in 1. Poſteriorum * quòd demonſtratio eſt ſyllogiſmus faciens ſcire, ergo ſcientia nõ eſt donũ Spiritus ſancti.

Lib. 1. Poſt. tex. 5. to. 1.

2 ¶ Præterea, Dona Spiritus ſancti ſunt communia omnibus ſanctis, vt ſuprà dictũ * eſt: ſed Auguſt. 14. de Trin. * dicit, quod ſcientia non pollent plurimi fideles, quamuis polleant ipſa fide. ergo ſcientia non eſt donum.

1. 2. q. 68. ar tic. 2. & ar. 4. q. praeced.

Aug. 14. de Trin. c. 1. tomo. 3.

3 ¶ Præterea. Donum eſt perfectius virtute, vt ſuprà dictũ * eſt. ergo vnum donum ſufficit ad perfectionẽ vnius virtutis. Sed virtuti fidei reſpondet donũ intellectus, vt ſuprà dictum * eſt, ergo non reſpondet ei donum ſciẽtiæ, nec apparet cui alij virtuti reſpõdeat, ergo cum dona ſint perfectiones virtutum, vt ſuprà * dictum eſt, videtur quòd ſcientia non ſit donum.

1. 2. q. 68. artic. 8.

Q. 8. arti. 2.

1. 2. q. 68. ar. 2. & 8.

¶ SED CONTRA eſt, quòd Iſa. 11. Computatur inter ſeptem dona.

¶ RESPONDEO dicendũ, quòd gratia eſt perfectior, quàm natura, vnde non deficit in ijs, in quibus homo per naturam perfici poteſt. Cum autem homo per naturalem rationem aſſentit ſecundum intellectum alicui veritati, dupliciter perficitur circa veritatem illam. Primo quidem, quia capit eam, ſecundo, quia de ea certum iudicium habet. Et ideo ad hoc, quòd intellectus humanus perfectè aſſentiat veritati fidei, duo requiruntur, Quorum vnum eſt, quòd ſanè capiat ea, quæ proponuntur: quod pertinet ad donum intellectus, vt ſuprà dictũ eſt. Aliud autem eſt, vt habeat certum & rectum iudicium de eis, diſcernendo ſcilicet credenda à non credendis: & ad hoc neceſſariũ eſt donum ſcientiæ.

¶ ADPRIMVM ergo dicendum, quòd certitudo cognitionis in diuerſis naturis inuenitur diuerſimodè ſecundum diuerſam conditionem vniuſcuiuſque naturæ. Nam homo conſequitur certum iudicium de veritate per diſcurſum rationis, & ideo ſcientia humana ex ratione demonſtratiua acquiritur, ſed in Deo eſt certum iudicium veritatis, abſque omni diſcurſu per ſimplicem intuitum, vt in primo * dictum eſt. Et ideo diuina ſcientia non eſt diſcurſiua, vel ratiocinatiua: ſed abſoluta, & ſimplex, cui ſimilis eſt ſcientia, quæ ponitur donum Spiritus ſancti, cum ſit quædam participata ſimilitudo ipſius.

1. p. q. 14. ar tic. 7.

¶ Ad ſecundum dicẽdum, quòd circa credenda duplex ſciẽtia poteſt haberi. Vna quidem, per quam homo ſcit quid credere debeat, diſcernens credenda à non credendis: & ſecundum hoc ſcientia eſt donum, & conuenit omnibus ſanctis. Alia verò eſt ſcientia circa credenda, per quam homo non ſolũ ſcit, quid credi debeat ſed etiam ſcit fidem manifeſtare, & alios ad credendum inducere, & contradictores cõuincere. Et iſta ſciẽtia ponitur inter gratias gratis datas, quæ nõ dãtur omnibus, ſed quibuſdam. Vnde Auguſtinus poſt verba inducta, ſubiungit. Aliud eſt ſcire tantummodo quid homo credere debeat, aliud ſcire quemadmodum hoc ipſum, quod creditur, & pijs auribus opituletur, & contra impios defendatur.

Li. 4. de Trinit. cap. 4. à med. to. 3.

¶AD

¶AD tertium dicendum, quòd dona ſunt perfectiora virtutibus moralibus & intellectualibus: non ſunt autẽ perfectiora virtutibus theologicis, ſed magis omnia dona ad perfectionẽ theologicarum virtutum ordinantur, ſicut ad finem. Et ideo non eſt incõueniens ſi diuerſa dona ad vnam virtutẽ theologicam ordinentur.

ARTICVLVS. II.

¶ Vtrùm ſcientiæ donum ſit circa res diuinas.

3.diſt.35.q.2.art.3.q.1. AD SECVNDVM ſic proceditur. Videtur quòd ſcientiæ donum ſit circa res diuinas. Dicit enim Lib.14.de Trin.c.1.à med.to.3. Auguſt.14.de* Trini.quòd per ſcientiam gignitur fides, nutritur, & roboratur: ſed fides eſt de rebus diuinis, quia obiectum fidei eſt veritas prima, Q.1 art.1. vt ſuprà* habitum eſt.ergo & donum ſcientiæ eſt de rebus diuinis.

2 ¶Præterea, Donum ſcientiæ eſt dignius, quàm ſcientia acquiſita: ſed aliqua ſcientia acquiſita eſt circa res diuinas: ſicut ſcientia Metaphyſicæ: ergo multo magis donum ſcientiæ eſt circa res diuinas.

3 ¶Præterea, Sicut dicitur Rom. primo, Inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur. Si ergo eſt ſcientia circa res creatas, videtur ꝙ etiam ſit circa res diuinas.

¶SED CONTRA eſt, quod Lib.14.c.1. & lib.12. ca.14.&.3. Auguſt.14.* de Trinita.dicit. Rerum diuinarum ſcientia propriè ſapientia nũcupetur, humanarum autem propriè ſcientiæ nomen obtineat.

¶RESPONDEO dicẽdum, quòd certum iudicium de re aliqua maximè datur ex ſua cauſa: & ideo ſecundum ordinem cauſarum oportet eſſe ordinem iudiciorum. Sicut enim cauſa prima eſt cauſa ſecundæ, ita per cauſam primam iudicatur de cauſa ſecunda. De cauſa autem prima non poteſt iudicari per aliam cauſam. Et ideo iudicium quod ſit per cauſam primam, eſt primum & perfectiſsimum. In his autem, in quibus aliquid eſt perfectiſſimum, nomẽ commune generis appropriatur ijs, quæ deficiunt à perfectiſsimo. Ipſi autem perfectiſsimo adaptatur aliud ſpeciale nomen, vt patet in Logicis. Nam in genere conuertibilium illud, quod ſignificat quod quid eſt, ſpeciali nomine diffinitio vocatur: quæ autem in hoc deficiunt conuertibilia exiſtentia, nomen commune ſibi retinent, ſcilicet quòd propria dicũtur. Quia ergo nomen ſcientiæ importat quandam certitudinem iudicij, vt dictum* eſt, ſiquidem certitudo iudicij ſit per altiſsimam cauſam illius generis, per quam poteſt de omnibus iudicare, habet ſpeciale nomen, quod eſt ſapientia. Dicitur enim ſapiens in vnoquoque genere, qui nouit altiſsimam cauſam illius generis, per quam poteſt de omnibus iudicare. Simpliciter autem ſapiens dicitur, qui nouit altiſsimam cauſam ſimpliciter, ſcilicet, Deum. Et ideo cognitio diuinarum rerum vocatur ſapientia: cognitio verò rerum humanarum vocatur ſcientia, quaſi communi nomine importante certitudinem iudicij appropriato ad iudicium, quod ſit per cauſas ſecũdas. Et ideo ſic accipiendo ſcientiæ nomẽ, ponitur donum diſtinctum à dono ſapientiæ. Vnde donum ſcientiæ eſt ſolum circa res humanas, vel ſolum circa res creatas. Art. præce.

¶AD PRIMVM ergo dicendum, quòd licet ea, de quibus eſt fides, ſint res diuinæ & æternæ: tamen ipſa fides eſt quoddam temporale in animo credentis. Et ideo ſcire quid credendum ſit, pertinet ad donum ſcientiæ. Scire autem ipſas res creditas, ſecundum ſeipſas per quandam vnionem ad ipſas, pertinet ad donum ſapientię. Vnde donum ſapientiæ magis reſpondet charitati: quæ vnit mentem hominis Deo.

¶Ad ſecundum dicendum, ꝙ ratio illa procedit, ſecundum quod cõmuniter nomẽ ſcientiæ ſumitur. Sic autem

ſcientia non ponitur ſpeciale donum, ſed ſecundum quod reſtringitur ad iudicium quod fit per res creatas.

¶ Ad tertium dicẽdum, ꝙ ſicut ſuprà •dictum eſt, quilibet cognoſcitiuus habitus formaliter quidem reſpicit medium, per quod aliquid cognoſcitur, materialiter autem id quod per medium cognoſcitur. Et quia id quod eſt formale, potius eſt: ideo illæ ſcientiæ, quæ ex principijs Mathematicis concludunt circa materiã naturalem, magis cum Mathematicis connumerantur, vtpote eis ſimiliores, licet quantũ ad materiam magis conueniant cum naturali. Et propter hoc dicitur in ſecũdo Phyſi. ꝙ ſunt magis naturales. Et ideo cum homo per res creatas Deũ cognoſcit, magis videtur hoc pertinere ad ſcientiam, ad quam pertinet formaliter, quàm ad ſapientiã, ad quam pertinet materialiter. Et econuerſo, cum ſecũdum res diuinas iudicamus de rebus creatis, magis hoc ad ſapientiam, quàm ad ſcientiam pertinet.

Q.1.art.1.

Libr.2.text. 20.com.2.

ARTICVLVS. III.

Vtrum ſcientia donum ſit ſcientia practica.

AD TERTIVM ſic procedi tur. Videtur, ꝙ ſcientia, quæ ponitur donum, ſit ſcientia practica. Dicit enim Augu. 12. de Trinit. ꝙ actio, qua exterioribus rebus vtimur, ſcientiæ deputatur. Sed ſcientia, cui deputatur actio, eſt practica. Ergo ſcientia, quæ eſt donum, eſt ſcientia practica.

Infra. q.52. art.1.ad.2. Et.3.diſ.35. ar.3.q.2. Lib.12.c.14 parũ à prin. tom.3.

2 ¶ Præterea, Greg. •dicit in.1.Mora. Nulla eſt ſcientia, ſi vtilitatem pietatis non habet. Valde inutilis eſt pietas, ſi ſcientiæ diſcretione caret. Ex qua autoritate habetur, ꝙ ſcientia dirigit pietatem. Sed hoc non poteſt competere ſcientiæ ſpeculatiuæ. Ergo ſcientia, quæ eſt donum, non eſt ſpeculatiua, ſed practica.

Libr.1.Mor. c.32.à med.

3 ¶ Præterea, dona Spiritus ſancti non habentur, niſi à iuſtis, vt ſuprà habitum •eſt. Sed ſcientia ſpeculatiua poteſt haberi etiam ab iniuſtis, ſecũdum illud Iac. vlti. Scienti bonum & non facienti, peccatum eſt illi, ergo ſcientia, quæ eſt donum, non eſt ſpeculatiua, ſed practica.

Q.præc art. 5.&.1.2.q. 68.

SED CONTRA eſt, ꝙ Greg. •dicit in primo Moral. Scientia in die ſuo conuiuium parat: quia in ventre mentis ignorantiæ ieiunium ſuperat. Sed ignorantia non tollitur totaliter, niſi per vtranq; ſcientiam, ſcilicet & ſpeculatiuam & practicam, ergo ſcientia, quæ eſt donum, eſt & ſpeculatiua & practica.

Libr.1.Mor. cap.22.ante med.

¶ RESPONDEO dicendum, ꝙ ſicut ſupra •dictũ eſt, donũ ſcientiæ ordinatur, ſicut & donum intellectus ad certitudinẽ fidei, fides autẽ primo & principaliter in ſpeculatione cõſiſtit, inquãtum ſcilicet inhæret primæ veritati. Sed quia veritas eſt etiam vltimus finis, propter quem operamur, inde etiã eſt, ꝙ fides ad operationem ſe extendit: ſecũdum illud Galat. 5. Fides per dilectionẽ operatur. Vnde etiam oportet, ꝙ donum ſciẽtiæ, primo quidem & principaliter reſpiciat ſpeculationem, inquantum ſcilicet homo ſcit quid fide tenere debeat. Secundario autem ſe extendit etiam ad operationem, ſecundũ quod per ſcientiam credibilium, & eorum, quæ ad credibilia conſequuntur, dirigimur in agendis.

Quæſt.præc. art.8.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd Auguſt. loquitur de dono ſcientiæ, ſecundum quod ſe extendit ad operationem. Attribuitur enim ei actio, ſed non ſola, nec primo. Et hoc etiam modo dirigit pietatem. Vnde patet ſolutio ad ſecundum.

¶ Ad tertium dicendum, ꝙ ſicut •dictũ eſt de dono intellectus, ꝙ non quicunq; intelligit, habet donum intellectus, ſed qui intelligit, quaſi ex habitu gratiæ: ita etiam de dono ſcientiæ eſt intelligendum, quòd illi ſoli donum

Q.8.arti.5.

ſcientiæ habeant, qui ex infuſione gratiæ rectum iudicium habent circa credenda, & agenda: ita quòd in nullo deuient à rectitudine iuſtitiæ. Et hæc eſt ſcientia ſanctorum, de qua dicitur Sapientiæ. 10. Iuſtum deduxit Dominus per vias rectas: & dedit illi ſcientiam ſanctorum.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrum dono ſcientiæ reſpondeat tertia beatitudo, ſcilicet, Beati qui lugent, &c.

1.2.q.69.artic.3.ad.3. Et infra.q.121.artic.2. Et.3.diſt.34 q.1.ar.4.corpo.ſi. & artic.6.corp.

AD QVARTVM ſic proceditur. Videtur quod ſciētiæ non reſpōdeat tertia beatitudo, ſcilicet, Beati qui lugent, quoniā ipſi cōſolabuntur. Sicut enim malū eſt cauſa triſtitiæ & luctus: ita etiam & bonū eſt cauſa lætitiæ. Sed per ſcientiam principalius manifeſtantur bona, quam mala, quæ per bona cognoſcūtur. Rectum enim eſt iudex ſui ipſius & obliqui, vt dicitur in primo* de Anima. Ergo prædicta beatitudo non conuenienter reſpondet ſcientiæ dono.

Lib.1.de anima, tex.85. to.2.

2 ¶ Præterea, Conſideratio veritatis eſt actus ſcientiæ. Sed in conſideratione veritatis non eſt triſtitia; ſed magis gaudium. Dicitur enim Sapientiæ. 8. Non habet amaritudinem illius conuerſatio, nec tædium conuictus illius, ſed lætitiam & gaudium, ergò prædicta beatitudo non cōuenienter reſpōdet dono ſcientiæ.

3 ¶ Præterea, Donum ſcientiæ prius conſiſtit in ſpeculatione, quàm in operatione. Sed ſecundum quod conſiſtit in ſpeculatione, non reſpondet ſibi luctus: quia intellectus ſpeculatiuus nihil dicit de imitabili & fugiendo, vt dicitur in. 3.* de Anima: neque dicit aliquid lætum & triſte. Ergo prædicta beatitudo non conuenienter ponitur reſpondere donò ſcientiæ.

Lib.3.de anima, tex.49. tomo.2.

¶ SED CONTRA eſt, quòd Auguſt. dicit in lib. de ſermone Domini in monte, Scientia conuenit lugentibus, qui didicerunt, quibus malis vincti ſunt, quæ quaſi bona petierunt.

Lib.1.ca.9. ante med. tomo.4.

¶ RESPONDEO Dicendum, quòd ad ſcientiam propriè pertinet rectum iudicium creaturarum. Creaturæ autem ſunt, ex quibus homo occaſionaliter à Deo auertitur: ſecundum illud Sap. 14. Creaturæ factæ ſunt in odium, & muſcipulā pedibus inſipientium: qui, ſcilicet, rectum iudicium de his non habent, dum æſtimant in eis eſſe perfectum bonum, vnde in eis finem conſtituendo, peccant, & verum bonum perdunt. Et hoc damnum homini innoteſcit per rectum iudicium de creaturis, quod habetur per donū ſcientiæ. Et ideo beatitudo luctus ponitur reſpondere dono ſcientiæ.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd bona creata non excitant ſpirituale gaudium, niſi quatenus referūtur ad bonum diuinum: ex quo propriè conſurgit gaudium ſpirituale. Et ideo directè quidem ſpiritualis pax & gaudium conſequens reſpondet dono ſapientię. Dono autem ſcientię reſpondet quidem primo luctus de prǽteritis erratis: & conſequenter conſolatio, dum homo per rectum iudiciū ſcientię creaturas ordinat in bonum diuinum. Et ideo in beatitudine ponitur luctus pro merito, & conſolatio cōſequens pro prǽmio. Quę quidem inchoatur in hac vita; perficitur autē in futura.

¶ Ad ſecundū dicēdum, quòd in ipſa cōſideratione veritatis homo gaudet. Sed de re circa quam conſiderat veritatem, poteſt triſtari quādoq; vñ ſecūdum hoc luctus ſcientiæ attribuitur.

¶ Ad tertium dicendum, quòd ſcientiæ, ſecundum quod in ſpeculatione conſiſtit, non reſpondet beatitudo aliqua: quia beatitudo hominis non conſiſtit in conſideratione creaturarum, ſed in contemplatione Dei. Sed aliqualiter beatitudo hominis cōſiſtit in debito

debito vſu creaturarum, & ordinata affectione circa ipſas: & hoc dico, quã tum ad beatitudinẽ viæ. Et ideo ſcientiæ non attribuitur aliqua beatitudo pertinẽs ad contemplationem, ſed intellectui & ſapientiæ, quæ ſunt circa diuina.

DE TOTA iſta quæſtione vide Diuum Thom. 1.2. quæſtione. 68. & 69. &c.

QVAESTIO DECIMA, De infidelitate in communi, In duodecim articulos diuiſa.

CONSEQVENTER conſiderandũ eſt de vitiis oppoſitis. Et primo, de infidelitate, quæ opponitur fidei. Secundo, de blaſphemia, quæ opponitur confeſſioni. Tertio, de ignorantia & hebetudine, quæ opponuntur ſcientiæ & intellectui.

¶ Circa primum conſiderandum eſt, de infidelitate in communi. Secundo, de hæreſi. Tertio, de apoſtaſia à fide.

¶ Circa primũ quæruntur duodecim.
¶ Primo, vtrũ infidelitas ſit peccatũ.
¶ Secundo, in quo ſit ſicut in ſubiecto.
¶ Tertio, vtrũ ſit maximũ peccatorũ.
¶ Quarto, vtrum omnis actio infidelium ſit peccatum.
¶ Quinto, de ſpeciebus infidelitatis.
¶ Sexto, de comparatione earum ad inuicem.
¶ Septimo, vtrum cum infidelibus ſit disputandum de fide.
¶ Octauo, vtrum ſint cogendi ad fidem.
¶ Nono, vtrũ ſit eis communicandum.
¶ Decimo, vtrum poſſint Chriſtianis fidelibus præeſſe.
¶ Vndecimo, vtrum ritus infidelium ſint tolerandi.
¶ Duodecimo, vtrũ pueri infidelium ſint inuitis parentibus baptizandi.

ARTICVLVS I.

¶ *Vtrum infidelitas ſit peccatum.*

AD PRIMVM ſic proceditur. Videtur quòd infidelitas non ſit peccatum. Omne enim peccatum eſt contrà naturam: vt patet per Damaſ. in 2. lib. Sed infidelitas non videtur eſſe contra naturã. Dicit enim Aug. in libr. de prædeſtinatione ſanctorum, quod poſſe habere fidem, ſicut poſſe habere charitatem naturæ eſt omnium hominum, habere autem fidem, quemadmodum habere charitatem gratiæ, eſt fidelium, ergo non habere fidem, quod eſt infidelium, non eſt contra naturam, & ita non eſt peccatum.

Infra. q. 34. art. 2. ad 1. Et. 2. d. 39. q. 1. artic. 2. ad. 4. Lib. 2. ex. c. 4. & c. 30. & libr. 4. c. 21. à medio. Aug. c. 5. nõ remote à fine tõ. 7. 1. 2. q. 84. art. 4.

2 ¶ Præterea, Nullus peccat in eo, quod vitare non poteſt, quia omne peccatum eſt voluntarium: ſed nõ eſt in poteſtate hominis, ꝙ infidelitatem vitet, quam vitare non poteſt, niſi fidẽ habẽdo. Dicit enim Apoſtolus ad Roma. 10. Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient ſine prædicante? Ergo infidelitas non videtur eſſe peccatum.

3 Præterea, Sicut dictum eſt, ſunt ſeptẽ vitia capitalia, ad quæ omnia peccata reducuntur. Sub nullo autem horum videtur contineri infidelitas. Ergo infidelitas non eſt peccatum.

¶ SED CONTRA, Virtuti contrariatur vitium: ſed fides eſt virtus, cui contrariatur infidelitas. Ergo infidelitas eſt peccatum.

¶ RESPONDEO dicendum, ꝙ infidelitas dupliciter accipi poteſt. Vnõ modo, ſecũdum puram negationem

nem: vt dicatur infidelis ex hoc ſolo, quod non habet fidem. Alio modo poteſt intelligi infidelitas, ſecundum cõtrarietatem ad fidem: qua ſcilicet aliquis repugnat auditui fidei, vel etiam contemnit ipſam, ſecũdum illud Iſai. 53. Quis credidit auditui noſtro? Et in hoc propriè perficitur ratio infidelitatis, & ſecundum hoc infidelitas eſt peccatum. Si autem accipiatur ſecundum negationem puram, ſicut in illis, qui nihil audierunt de fide, non habet rationem peccati, ſed magis pœnæ: quia talis ignorãtia diuinorum ex peccato primi parentis conſequuta eſt. Qui autem ſic ſunt infideles, damnantur quidem propter alia peccata, quæ ſine fide remitti non poſſunt: non autem damnantur propter infidelitatis peccatum. Vnde Dominus dicit Ioan nis. 15. Si non veniſſem, & loquutus eis non fuiſſem, peccatum non haberent. Quod exponens Aug.* dicit, ꝙ loquitur de illo peccato, quo non crediderunt in Chriſtum.

Tract.89.in Ioann. inter prin. & me. to.9.

¶AD PRIMVM ergo dicẽdum, ꝙ habere fidem, non eſt in natura humana: ſed in natura humana eſt, vt mens hominis non repugnet interiori inſtinctui, & exteriori veritatis prædicationi: vnde infidelitas ſecundum hoc eſt contra naturam.

¶Ad ſecũdum dicendum, ꝙ ratio illa procedit de infidelitate, ſecũdũ quod importat ſimplicem negationem.

¶Ad tertium dicẽdum, ꝙ infidelitas, ſecundum quod eſt peccatum, oritur ex ſuperbia, ex qua cõtingit, quod homo intellectum ſuum non vult ſubijcere regulis fidei, & ſano intellectui patrũ. vnde Gregor.* dicit. 31. Moral. quòd ex inani gloria oriuntur nouitatum præſumptiones. Quamuis poſſet dici, ꝙ ſicut virtutes theologicæ nõ reducuntur ad virtutes cardinales, ſed ſunt priores eis: ita etiam vitia oppoſita virtutibus theologicis nõ reducuntur ad vitia capitalia.

Lib.31.Mor. c.31. à med.

SVMMA TEXTVS.

SVppoſito, quòd infidelitas eſt duplex, vna puræ negationis, altera contrarietatis, reſpondet D. Thom. per duas concluſiones. ℭ Prima concluſio, Infidelitas, quæ dicit puram negationem, magis habet rationem pœnæ, quam culpæ. Probatur, Hæc ignorantia diuinorum habet ortum ex peccato primi parentis: ergo magis habet rationem pœnæ, quam culpæ. ℭ Secũda concluſio, Infidelitas, quæ dicit cõtrarietatem fidei, qualis eſt illa, quam habẽt illi, qui audierunt fidem, eſt peccatum mortale. Probatur ex illo Ioann. 15. Si non veniſſem, & loquutus eis non fuiſſem, peccatum nõ haberent: quod exponens Auguſtinus tractatu. 89. dicit quòd loquitur de illo peccato, quo non crediderant, in Chriſtũ. ℭ Tertia concluſio, quæ ſequitur ex alijs eſt, ꝙ qui ſunt infideles infidelitate puræ negationis, condemnantur, & non propter infidelitatem, ſed propter alia peccata contra legem naturæ. Nam, cùm talis infidelitas nõ ſit peccatum, manifeſte ſequitur, quòd propter illud condemnari non poſſunt.

EXPLICATIO ARTICVLI.

CIrca primã concluſionẽ huius articuli eſt aduertẽdũ, ꝙ Chriſtus Dñs, & beati non dicũtur infideles negatiuè, quamuis fidẽ nõ habeãt. Primo, qa habẽt alios actus excellentiores, quam actus fidei, ſcilicet, actus viſionis articulorum fidei: & infidelis negatiuè ſolùm dicitur ille, qui nec habet fidem, nec illos actus. Secundò, quia quemadmodum cæcitas dicit ſolam carentiam viſionis in ſubiecto apto nato, vnde lapis, aut canis ante nonum diem cæci non dicuntur: ità etiam infidelitas dicit carentiam fidei in ſubiecto apto nato. Et certum eſt, quod nec Chriſtus, nec beati poſſunt habere fidem pro illo ſtatu, in quo ſunt: quia viſio repugnat fidei, quæ in ſua ratione includit obſcuritatem.

Nota circa 1. conclu.

ℭ Sed dubium eſt, vtrùm alij homines viatores poſsint habere infidelitatem puræ negationis, quæ nullum ſit peccatum? In qua re Altiſſiodorenſis. 3. p. in. q. Vtrũ fidei poſsit ſubeſſe falſum, partem tenet negatiuam. Dicit enim quod non poteſt aliquis habere ignorantiam inuincibilem, non ſolum Chriſti, ſed nec alicuius articuli fidei

Dubium.

Sentẽtia Altiſsiodorẽſis.

fidei: quia ſi faciat quod in ſe eſt Dominus illuminabit illum, ſiue per doctorem intrinſecum, ſiue extrinſecum: & ſic ſemper eſt peccatũ mortale credere aliquid contrarium articulis fidei: ponitque exemplum de vetula, cum Epiſcopus prædicaret aliquid contra fidei articulum, & generaliter dicit quod ignorantia iuris diuini neminẽ excuſat. Eadẽ fuit opinio Guillhelmi Pariſienſis: qui lib. 3. ſuæ ſummæ ſic argumentatur, Vel talis facit quod eſt in ſe, & ſic illuminabitur à Deo, vel non facit, & ſic nõ excuſatur: ergo. In eadem ſentẽtia videtur fuiſſe Ioãnes Gerſon de ſpirituali vita animæ, lectione. 4. vbi dicit, concordẽ eſſe ſententiam omniũ doctorũ, ꝙ in iis, quæ ſunt iuris diuini non cadit ignorantia inuincibilis: ſed facienti quod eſt in ſe Deus ſemper aſsiſtit paratus illuſtrare mẽtem, quantum opus eſt ad ſalutem, & erroris euitationem. Et Hugo de ſancto Victore, libr. 2. p. 9. c. 5. dicit, quod nemo excuſatur per ignorantiam à præcepto baptiſmi ſuſcipiendi, de quo niſi ſua culpa deſiſtat, audire & ſcire poteſt: ponitq; exemplum de Cornelio

Sententia Adriani. Actorum. c. 10. Hanc ſententiam limitat Adrianus quodlibet. 4. dicens, quòd ea, quæ ſunt iuris diuini ſunt in duplici differentia. Quædam enim ſunt, ad quorum cognitionem Deus non obligat vniuerſaliter omnes, qualia ſunt illa, quæ pertinent ad ſubtilitatem iuris diuini, & circa hæc bene poteſt cadere ignorantia inuincibilis, etiam ſi quis faciat totum, quod eſt in ſe. Alia ſunt, ad quorum cognitionem Deus generaliter obligat omnes, quales ſunt articuli fidei: & alia præcepta vniuerſalia legis, & de his dicit eſſe verum, quod dicunt doctores, ſcilicet, quod non poteſt quis excuſari ab illis per ignorantiam inuincibilẽ: nam, ſi facit quod eſt in ſe, illuminabitur à Deo: ſi autem non facit, ſua culpa non illuminatur. Quin potiùs addit Adrianus in eodem quodlibet. quòd etiam in materia morum, quãuis quis adhibeat omnem induſtriam, & diligẽtiam ad ſciendum ea, quæ oportet, non facit ſatis ad excuſationem ignorantiæ, niſi per contritionem peccatorum diſponat ſe ad hoc, vt illuminetur à Deo. Dicit enim ꝙ ſi quis dubitat de aliquo contractu, vtrum ſit licitus, & interrogat iuriſperitos: facitq; alias diligentias ad cognoſcendum veritatem, putatq; eſſe licitum: ſi fortè non eſt licitus, & illum exercet: non excuſatur, ſi alias eſt in peccato: quia non facit totum quod eſt in ſe, ad vincendam ignorantiam. Ex quo infert, quod ſi Petrus & Ioãnes dubitent de eodem contractu, & faciant æqualem diligentiam humanam, & vterq; putat eſſe licitũ. Petrus autem eſt in gratia, & Ioannes eſt in peccato, Petrus habet ignorãtiam inuincibilem: & Ioannes vincibilem.

Concluſio certa. ¶ Sed contra hos omnes eſt concluſio certa, quod poteſt dari ignorantia inuincibilis fidei, & infidelitas, quæ non ſint peccatũ apud illos, qui nihil audierunt de fide Chriſti, vt expreſsè fatetur D. Thom. in hoc articulo. Probatur ex illo Ioann. ca. 15. Si non veniſſem, & loquutus eis non fuiſſem, peccatum non haberent: quod intelligit D. Aug. tract. 89. ſuper Ioan. de peccato infidelitatis. Et D. Paul. ad Roma. 10. dicit, Quomodo credent, niſi audiant? quomodo autem audient ſine prædicante? quibus verbis aperte ſignificat illos habituros ignorantiam inuincibilem fidei, qui nihil de illa audierunt.

Ad argu. in contrarium. Nec condemnat Apoſtolus infideles quia non fecerunt quod in ſe erat, vt illuminarẽtur à Deo, ſed quia, cũ audiſſent, non crediderunt. Nunquid (inquit) non audierũt? Et quidem in omnem terram exiuit ſonus eorum. Nec fundamentum aliorum doctorum aliquid valet: falſum enim eſt, quod in nulla materia iuris diuini poteſt infidelis, aut peccator habere ignorantiam inuincibilem. Quin potiùs dico, quod ad hoc, quòd aliqua ignorantia ſit vincibilis & peccatum, opus eſt, vt ignorans negligentiam habeat circa talem materiam, vel quia noluit credere, vel quia auditum non credidit. Et è contrario, ad ignorãtiam inuincibilem ſatis eſt, quod homo faciat eam diligentiam, quam viri cordati, atq; prudentes in ſimilibus caſibus facere conſueuerunt: quanuis alias ſit in mortali. Diligentia autem eſt conſulere viros doctos, atq; prudentes: poſt quod, ſi errauerit, talis error nõ imputabitur ſibi ad culpam, maximè ꝙ contritio nõ eſt medium per ſe ordinatum ad acquirendam cognitionem de re dubia, aut incerta: ſed ad cõſequendã gratiam atq; iuſtitiam. Et idem iudiciũ eſt, quãtum ad hoc, nunc, & ſtatim poſt mortem Chriſti. Non poſſent aũt Adrianus, & alii negare, ꝙ paulo poſt paſsionẽ Chriſti Iudæi, qui erant in India, aut in Hiſpania, inuincibiliter ignorabant mortem illius, quantumcunque eſſent in mortali: quin potiùs hoc concedit Adrianus in materia

de obſer-

de obſeruantia legalium. quæſtio. 1. ad. 4. Et ſicut tunc poterat cadere ignorantia inuincibilis, quantum ad hoc: poteſt & modo eſſe cuiuſcunq; myſterij ad Chriſtũ pertinentis, apud eos, penes quos non fuerit facta annunciatio de baptiſmo, & de alijs articulis fidei. Quod autem Adrianus affirmat de Petro, & Ioanne, quorum vnus ſit in gratia & alter in peccato, nulla ratiõe poteſt defendi: nam tũc ſequeretur quod ille Petrus, qui erat in gratia, & ignorabat inuincibiliter aliquid circa vſuram aut ſimoniam: ſolum per hoc. quod caderet in mortali, illa ignorantia fieret vincibilis: quod eſt omnino abſurdum.

Dubium. ¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco, vtrum iſti infideles, de quib᾽ loquimur, ad primũ nutum fidei Chriſtianæ ità teneãtur credere, vt peccent mortaliter nõ credentes, ſolũ per hoc, ꝙ ſimpliciter annunciatur eis, & proponitur, quòd religio Chriſtiana eſt vera, & quod Chriſtus eſt Saluator, ac Redemptor mũdi, ſine miraculis & ſine quacunq; alia ſuaſione, aut probatione. *Solutio.* ¶ Ad quod breuiter reſpondetur negatiuè. Et reſponſio probatur: nã antequã aliquid audiſſent de religione Chriſtiana excuſabãtur, vt diximus, & illa ſimplex propoſitio non inducit nouã obligationem, cũ non ſit ſufficiens motiuũ aut argumentum ad credendum: ergo. Et confirmatur ex D. Tho. qui 2.2. q. 1. arti. 4. ad. 2. & artic. 5. ad. 1. dicit ea, quæ ſunt fidei, eſſe viſa, & euidentia ſub ratione credibilitatis: non enim fideles crederent, niſi viderent ea eſſe credenda, vel propter euidentiam ſignorum, vel propter aliquod aliud motiuũ: ergo quando nihil horum cõcurrit, ſed fides tantum ſimpliciter proponitur, non tenentur infideles illam credere. Item Saraceni poſſent eodem modo infidelibus ſimpliciter proponere ſuam ſectam, ſicut Chriſtianus ſuam religionẽ, nec tenẽtur eis credere, vt conſtat: ergo nec tenebuntur credere Chriſtianis ſuã fidem ſimpliciter proponentibus, ſine aliquo motiuo, aut ſuaſione. Patet conſequẽtia: nam non poſſunt nec tenentur diuinare quænã ſit verior religio, niſi appareant probabiliora motiua pro altera parte: & cõtrarium facere eſſet cito credere, quod leuitati cordis adſcribit Spiritus ſanct᾽ Eccleſiaſtici. c. 10. Et confirmatur ex illo Ioan. 15. Si ſigna nõ feciſſem, quæ nemo alius fecit, peccatũ nõ haberent. Quibus verbis aperte ſignificat Chriſtus, quòd vbi nulla fuerint ſigna, aut alia motiua, quæ euidẽter perſuadeant credibilitatem noſtræ fidei, nullum erit peccatum in non credendo. Dico tamen, ꝙ ſi infideles rogati, & admoniti à Chriſtianis, pacificè loquẽtibus de religione, vt ſe audiãt, nollent audire non excuſarentur à peccato mortali. Et ratio eſt, quia cùm infideles, vt ſupponimus, ex D. Th. in hoc articulo, habeãt grauiſſimos alios errores, ad quos probandos nec vtuntur rationibus probabilibus, nec veroſimilibus: manifeſte ſequitur, ꝙ, ſi quis admoneat eos, vt audiant, ac deliberent de rebus ſpectãtibus ad religionẽ, tenentur ſaltim audire & conſultare. Et cõfirmatur, nam neceſſarium eſt infidelibus ad ſalutem, credere in Chriſtũ, & baptizari, vt cõſtat ex illo Marci. c. vltimo. Qui crediderit & baptizatus fuerit ſaluus erit: qui verò non crediderit condemnabitur, ſed non poſſunt credere, niſi audiant, vt docet Paul. ad Rom. 10. ergo ſaltim tenẽtur audire: alias eſſent extra ſtatum ſalutis ſine culpa ſua, quod eſt omnino abſurdum. *Corollarium.* ¶ Ex dictis infertur. Quod ſi fides Chriſtiana proponatur infidelibus probabiliter, hoc eſt, cum argumentis probabilibus, ac rationabilibus, & cum vita honeſta, & ſecundũ legem naturæ ſtudioſam, quę magnum eſt argumentum ad confirmãdum veritatem, & hoc non ſemel, & perfunctoriè, ſed diligenter, & ſtudioſè, infideles tenebuntur illam recipere ſub pœna peccati mortalis. Aliâs fruſtrà obligarentur audire, qui non eſſent obligati aſſentiri auditis, ſi eſſent rationabilia: quod Chriſtus expreſſit Marci vltimo, dum dixit, Qui non crediderit condemnabitur, &c.

Dubiũ circa ſecundã concluſionẽ D. Tho. ¶ Circa ſecundam concluſionem Diui Thom. in qua dicit infidelitatem contrariè tatis eſſe peccatum mortale, ſuppoſito ꝙ eſt infidelis hoc modo non ſolùm ille, qui tenet aliquid contra fidem: ſed etiam ille, qui non vult aſſentiri doctrinæ Euangelicæ, poſtquam ſibi fuerit ſufficienter propoſita, eſt dubium ex Caietano in præſenti vtrùm verum ſit, quòd nolle acceptare fidẽ eſt peccatum mortale. Et pro parte negatiua, ſuppoſito, quòd fides non eſt neceſſaria ad bonum naturale, ſed ad bonum ſupernaturale, eſt argumentum. *Argum.* Nolens acceptare bona, quæ ſunt ſuper naturã ſuam, etiã oblata, nõ peccat, niſi fortè ratione contẽptus, ſcilicet, vel quia deſpicit offerentẽ, vel qa deſpicit ipſa bona oblata: ſed homo ſalua Dei, & donorũ ſuorũ ſupernaturaliũ

reuerentia

reuerentia, poteſt ea nolle, eligens manere in ſuis ſolis naturalibus: ergo eo ipſo ꝙ nõ vult acceptare fidem, non peccat mortaliter: atq; ex conſequenti infidelitas contrarietatis formaliter nõ eſt peccatũ mortale. Conſequẽtia cum minori eſt nota, & maior probatur exemplo ruſtici, qui ſua ſorte contẽtus, nolens acceptare ciuilitatem à Rege oblatam, nõ peccat, nec ciuis nolens acceptare nobilitatẽ. Et ſi quis dicat eſſe peculiarem rationem de fide, primò quia homo eſt infirmus, ſanaturq; per fidẽ, & ideo obligatur illam ſuſcipere, ſicut obligatur ſuſcipere ſanitatẽ: ſecundo, quia Deus pręcipit, vt oẽs fidem ſuſcipiant, vt conſtat ex illo Marci. c. vlt. Qui non crediderit condẽnabitur, &c. contra vtramq; rationem ſic argumentor. Et primo contra primam, nam ſi ea aliquid valeret, ſequeretur, quòd nec homo in ſtatu innocentiæ, nec Angeli in ſua creatione fuiſſent obligati habere fidẽ, cum tunc non eſſent infirmi, conſequens autem eſt abſurdum, vt diximus ſupra, ergo. Nec etiam valet ſecunda ratio, quia nullum tale præceptum videtur eſſe impoſitũ à Deo. Quod ita probo. Si Rex imponeret præceptũ ruſtico, vt ciuis fieret ſub pœna mortis, eſſet iniuſtus, ergo pari ratione, ſi Deus imponeret præceptũ hominibus ſub pœna mortis, vt fidem haberet, eſſet iniuſtus. Probo conſequentiam: quia vtrumq; eſt ſupra naturam hominis, cui præceptũ imponitur.

Solutio dubitationis. ¶ Hoc tamen nõ obſtãte dico, procul dubio verum eſſe, quòd non ſolùm illi, qui tenent aliquid cõtra fidem, ſed etiam illi, qui nolunt Euangelio aſſentiri, poſtquam eſt illis ſufficienter propoſitum, peccant mortaliter. Nec hoc ampliori indiget probatione, quàm ea, quæ à nobis poſita fuit dubio *Ad argum.* præcedenti. ¶ Et ad argumentum vt reſpõdeamus aduertendum eſt ex Caietano in præſenti, quòd quia præcepta diuina dantur creaturis rationalibus ſecũdum gradus *Nota.* naturæ, quos habent: & creaturæ rationales ſupra gradus naturales cõſummantur in participatione diuinæ eſſentiæ, ad quam à principio fuerũt cõditæ à Deo, idcircò conſequens fuit, vt quemadmodum iuſtè ſubduntur præceptis ſpectantibus ad alios gradus, ita etiam iuſte ſubdantur præceptis fidei, ſpei, & charitatis: quæ ſpectant ad gradũm ſupernaturalem, quo participant diuinã naturã. Volo dicere, ꝙ homini à principio ſuæ creationis ſicut fuit data natura vegetatiua, & natura ſenſitiua, & natura rationalis: ità etiam fuit illi datus ordo ſupernaturalis ad participandam diuinam naturam. Ex quo fit, vt quẽadmodum, quia habet partem vegetatiuam à Deo, ad quam ſpectat cõſeruare indiuiduum, & ſpeciem, opus fuit, vt ſubderetur, præceptis pertinẽtibus ad generationem, & cibũ, & potum: & quia habet partem ſenſitiuam ad quam ſpectãt paſſiones, opus fuit, vt ſubderetur præceptis ad iram, & timorem, & reliquas paſſiones pertinẽtibus: & quia habet partẽ rationalẽ in qua eſt volũtas, & intellectus, opus fuit, vt ſubderetur præceptis iuſtitiæ, & iniuſtitiæ: ita etiã quia habuit ordinem ſupernaturalem ad participationem diuinã, opus fuit, vt ſubderetur præceptis fidei, ſpei, & charitatis, quibus ad talem participationem peruenitur. Et quemadmodum, accepta iam natura vegetatiua, & ſenſitiua, & rationali, non poterat homo refutare pręcepta ad tales partes pertinentia: ita etiã nec accepto ordine ad diuinã participationem, poterit refutare præcepta fidei, ſpei, & charitatis, quę ad talem participationem pertinent. Et per hoc patet ſolutio ad argumentum propoſitum: non enim eſt eadem ratio de Rege obligãte ruſticũ ad nobilitatem, & de Deo obligante hominẽ ad pręcepta fidei, & charitatis. Primò, quia Rex ſicut non poteſt conſtituere homines in gradibus nobilitatis ipſis inuitis, ità nec poteſt illos obligare ad præcepta nobilitatis ipſis nolẽtibus: at verò, quia De⁹ creat nos ſine nobis, poteſt ponere in ſingulis creaturis quamcũq; naturã voluerit: & ex cõſequenti obligare illas ad ea præcepta, quæ ſuæ naturæ fuerint conformia. Secũdò, quia in exemplo de Rege nõ præſupponitur ꝙ ruſticus ſit iam cõſtitutus in gradu nobilitatis, ſed ꝙ conſtituitur à Rege ipſo inuito, in noſtro autem propoſito, homo à principio ſuæ creationis intelligitur creatus in eo ordine ad participationem diuinã, quam nũc habet. Ex quo fit, ꝙ quemadmodum Rex, ſi ruſticus eſſet iam conſtitutus in gradu nobilitatis, poſſet illum obligare ad ea præcepta, quæ ad nobilitatẽ ſpectant: ita etiã Deus, illos homines, qui à principio ſignaturę ſunt ordinati ad participationem diuinam, poteſt obligare ad obſeruanda ea præcepta ſupernaturalia, quæ ad talem participationem pertinent. Et hæc dicta ſint de toto iſto articulo.

ARTI-

ARTICVLVS. II.

Vtrùm infidelitas ſit in intellectu, ſicut in ſubiecto.

2. diſt. 36. q. 1. ar. 2. ad. 4 & 3. diſt. 23. q. 2. ar. 3 q. art. 4. Cap. 10. & 11. to. 6. Art. præc.

AD SECVNDVM ſic proceditur. Videtur quòd infidelitas non ſit in intellectu, ſicut in ſubiecto. Omne enim peccatum in voluntate eſt, vt Auguſtinus* dicit in lib. de duabus animabus. Sed infidelitas eſt quoddam peccatum, vt dictum eſt. Ergo infidelitas eſt in voluntate, ſicut in ſubiecto, non in intellectu.

2 ¶Præterea, Infidelitas habet rationem peccati ex eo, quòd prædicatio ſi dei contemnitur. Sed contemptus ad voluntatem pertinet. Ergo infidelitas eſt in voluntate.

3 ¶Præterea, ſecundæ ad Corinth. 11. ſuper illud, Ipſe ſatanas transfigurat ſe in Angelum lucis, dicit gloſ.* quòd ſi Angelus malus ſe bonum fingat, & ſi credatur bonus, non eſt error morbidus, ſi facit, vel dicit, quæ bonis Angelis congruunt. Cuius ratio eſſe videtur propter rectitudinem voluntatis eius, qui ei inhæret, intendens bono Angelo adhærere. Ergo totum peccatum infidelitatis eſſe videtur in peruerſa voluntate: non ergo eſt in intellectu ſicut in ſubiecto. — Gloſ. ordinaria, ibid.

¶SED contra, Contraria ſunt in eodem ſubiecto. Sed fides cui contrariatur infidelitas, eſt in intellectu, ſicut in ſubiecto. Ergo & infidelitas in intellectu eſt.

¶RESPONDEO dicendum, quòd ſicut ſuprà* dictum eſt, peccatum, dicitur eſſe in illa potentia, quæ eſt principium actus peccati. Actus autē peccati poteſt habere duplex principium. Vnum quidem primum & vniuerſale, quod imperat omnes actus peccatorum. Et hoc principium eſt voluntas, quia omne peccatum eſt voluntarium. Aliud autem principium actus peccati eſt proprium & proximum, quod elicit peccati actum. Sicut concupiſcibilis eſt principium gulæ & luxuriæ: & ſecundum hoc gula & luxuria dicuntur eſſe in concupiſcibili. Diſſentire autem, qui eſt proprius actus infidelitatis, eſt actus intellectus, ſed moti à voluntate, ſicut & aſſentire. Et ideo infidelitas ſicut & fides, eſt quidē in intellectu, ſicut in proximo ſubiecto, in voluntate autem, ſicut in proximo motiuo. Et hoc modo dicitur omne peccatum eſſe in voluntate. — 1.2.q.74. ar.1.2.et.5.

¶Vnde patet reſponſio ad primum.

¶Ad ſecundum dicendum, quòd contemptus voluntatis cauſat diſſenſum intellectus, in quo perficitur ratio infidelitatis. Vnde cauſa infidelitatis eſt in voluntate: ſed ipſa infidelitas eſt in intellectu.

¶Ad tertium dicēdum, quòd ille qui credit malum Angelum eſſe bonum, non diſſentit ab eo, quod eſt fidei: quia ſenſus corporis fallitur, mens verò nō remouetur à vera, rectaq; ſententia: vt ibidem dicit* gloſſa. Sed ſi aliquis ſatanæ adhæreret, cum incipit ad ſua adducere, id eſt, ad mala & falſa: tunc nō caret peccato, vt ibidem* dicitur. — Gloſ. ordi. loco citato in arg. — Eodem loco nunc dicto.

SVMMA TEXTVS.

COnclusio D. Tho. eſt, Infidelitas ſicut & fides, eſt in intellectu, ſicut in proximo ſubiecto, in voluntate autem, ſicut in proximo motiuo. Probatur, Diſſentire, qui eſt proprius actus infidelitatis, eſt actus intellectus imperatus à voluntate, ergo infidelitas eſt in intellectu tāquam in proprio ſubiecto, in voluntate autem tanquam in proprio motiuo. Conſequentia eſt nota: quia, vt docet D. Tho. 1.2. quæſt. 74. art. 1. 2. & 5. omne peccatum eſt in illa potentia, quæ eſt principium illius. Antecedens vero probatur. Diſſentire qui eſt actus infidelitatis, habet duplex principium, vnum primum & vniuerſale, quod imperat omnes actus peccatorū, & hoc principiū eſt voluntas: quia omne peccatum eſt voluntarium: aliud vero proximum, & proprium, quod elicit actum infidelitatis, & hoc eſt intellectus, ergo diſſenſus eſt in intellectu tanquā

in principio eliciente, in voluntate autem tanquam in principio imperante.

EXPLICATIO ARTICVLI.

CIrca iſtum articulum aduertit Caietanus, quòd quemadmodum aſſenſus fidei ſtatim conſtituit hominem fidelem, ita etiam diſſenſus in ijs, quę conſtant pertinere ad fidem, ſtatim conſtituit hominem infidelem. Iſte autem diſſenſus poteſt tripliciter contingere, vno modo poſitiuè, ſentiendo aliquid contra fidem: vt ſi quis credat Deum non eſſe trinum & vnum: alio modo negatiue, nō aſſentiendo illis rebus, quas conſtat pertinere ad fidem. Et hoc ad huc dupliciter, ſcilicet, vel non credendo ſimpliciter, vt cùm quis non credit Deum eſſe incarnatum, vel ſub dubio, vacillando; vt cum quis dubitat, vtrum Deus carnē aſſumpſerit. Et quocunq, ex his modis cō tingat diſſentire voluntariè, hoc eſt, cum conſenſu, eſt peccatum infidelitatis: non enim ſolùm eſt infidelis ille, qui non credit ea, quæ ſunt fidei, aut qui credit contrariū, ſed etiam ille, qui volūtariè dubius eſt. Vnde fides definitur à Paulo, quòd ſit argumē tum non apparentium, id eſt, aſſenſus firmus, & obſcurus, vt ſupra explicauimus.

Triplex diſſenſus in fide

¶ Circa cōcluſionē D. Tho. eſt difficultas, vtrùm infidelitas inquantum eſt peccatū, ſit ſubiectiue in intellectu, an verò in voluntate? Verbi gratia, habet, aliquis hunc aſſenſum contrarium fidei, Deus non eſt trinus & vnus, qui ſecundum ſe, & abſolutè conſideratus non eſt peccatum, nec infidelitas, cùm poſsit eſſe in eo, qui inuincibiliter ignorat Euangelium. Dubium ergo eſt, vtrùm in intellectu hominis infidelis non ſolum ſit ſubiectiuè hic aſſenſus, ſed etiam id, quod formaliter & intrinſecè conſtituit ipſum in eſſe peccati & infidelitatis: an verò dicendum ſit, quod in intellectu tantum eſt ſubiectiue ipſa ſubſtantia aſſenſus: & id, quo formaliter eſt peccatum, atque infidelitas eſt in alia potentia, nempe in voluntate. Et quod quærimus de infidelitate, poſſumus etiam quærere de omnibus alijs peccatis quæ ſubiectātur, vel in intellectu, vel in alijs potētijs à voluntate. De qua re eſt ſententia Scoti in. 2. diſt. 42. in reſponſione ad primam quæſtionem, vniuerſaliter dicē tis, omne peccatum formaliter, primo & immediate eſſe in ſolo interiori actu voluntatis, in actibus vero aliarū potētiarū, quæ imperantur à voluntate, tantum eſſe materialiter, & extrinſeca denominatione. Itaq; affirmat, quod velle diſſentire articulis fidei, aut velle occidere, eſt propriè & formaliter peccatum: ipſa autem diſſentio aut occiſio, ſolum eſt peccatum materialiter, & extrinſecè, inquantum imperantur à volūtate. Idem etiam tenet Gabriel in. 2. diſt. 42. quæſtio. vnica. art. 1. notabi. 2. & art. 2. concluſione. 1. Vbi affirmat actum exteriorem eſſe bonū moraliter, nihil aliud eſſe, quàm imperari ab actu interiori voluntatis moraliter bono: & ſimiliter actum exteriorem eſſe malum moraliter, nihil aliud eſſe, quā imperari ab actu interiori voluntatis moraliter bono. Præcipuum fundamentum huius opinionis eſt: quia cum de ratione peccati ſit voluntarium, quod propriè atq, formaliter, ſolum inuenitur in actu interiori voluntatis manifeſtè ſequitur, quòd ſolus actus voluntatis eſt propriè atque formaliter peccatum: & actus aliarum potentiarū dicentur peccata tantum materialiter, & extrinſeca denominatione, inquantum, ſcilicet, procedunt à voluntate. Pro hac etiam ſententia videtur facere D. Tho. p. 2. q. 74. art. 1. cùm dicit: quòd omnes actus morales, ſiue boni, ſiue mali, ſunt immanentes, quaſi his verbis ſignificans, quòd ſolę actiones voluntatis, quæ immanentes ſunt, ſunt propriè, & formaliter peccata. Et in hoc articulo etiam dicit, quod omne peccatum eſt in voluntate.

Sẽtẽtia Scoti.

Fundamentum Scoti.

¶ Sed his nō obſtātibus dico probabilius eſſe, quod non ſolum actus infidelitatis, ſed ipſa infidelitas inquantum eſt peccatū, eſt formaliter in intellectu tanquam in ſubiecto. Et idem affirmo de omnibus alijs actibus exterioribus imperatis à volūtate: qui, quatenus ſubiectantur in proprijs potentijs, ſunt propriè, & formaliter peccata. Quin potiùs dico, priùs quodammodo eſſe, quod actus aliarum potentiarū ſint mali atque peccata, quam, quod actus interior voluntatis ſit malus. Itaque prius eſt malū, furari, quam velle furari, & diſſentire articulis fidei, quam velle diſſentire. Quod hac ratione probo. Diſſentire articulis fidei, aut furari, eſt obiectum illius interioris voluntatis, qua homo vult diſſentire, aut vult furari, ſed prima grauitas, & malitia peccati ſumitur ex obiecto, ergo prima malitia, quæ eſt in actu voluntatis, eſt à malitia obiecti, atque ex conſequenti aliquo modo præerat in illo. Et confirmatur. Ex eo velle deſi-

Sententia authoris.

le deſiſtere à fide, vel velle furari, eſt malũ, quia deſiſtere à fide vel furari eſt malum, & non è contra, ergo prius eſt, q̃ actus alterius potentiæ ſit malus, quam quod actus volũtatis ſit malus. Item in ſacris literis abſolute prohibentur actus exteriores, nõ occides, nõ furaberis, pro illisq; premittitur vita æterna, & pro illorum omiſſione comminatur Deus damnationem æternam Matth. 25. ergo actus exteriores ſimpliciter & abſolute, & ſecundum ſe ſunt mali aut boni; & idẽ dico de actibus aliarum potentiarum à voluntate. Et confirmatur ex illo Oſeæ. c. 9. Facti ſunt abominabiles ſicut ea, quę dilexerunt. Nec huic ſententię cõtrariatur D. Tho. quin potius illi ſubſcribit. 1.2. q. 74. art. 2. dicens, actus exteriores eſſe formaliter peccata, & formaliter voluntarios. Et in hoc decipiuntur autores alterius opinionis, q̃ exiſtimãt ſolos actus interiores à voluntate elicitos, eſſe formaliter voluntarios, cũ tamen & exteriores, & alij ſint etiam formaliter voluntarij. Nam quemadmodũ dicitur paries formaliter albus, quãuis hoc habeat ab albedine, ita actus aliarum potentiarum, vt occidere, diſſentire à fide, ſunt formaliter voluntarij, quãuis hoc habeant ab actu interioris voluntatis, à quo proficiſcuntur.

Dubium. ¶ Sed ſi actus exteriores ſunt formaliter peccata, & formaliter volũtarij, vt diximus qua ratione poteſt eſſe verũ, quod D. Tho. hic & in pluribus alijs locis affirmat: nẽpe quod omne peccatum eſt in voluntate.

Sententia Conradi. ¶ Ad hãc difficultatem Conrad. 1.2. q. 74. art. 1. reſpondet quòd D. Tho. nõ dicit vniuerſaliter, omne peccatum ſubiectiue eſſe in voluntate, ſed id affirmat indefinite, ad cuius propoſitionis veritatẽ ſatis eſt, quod peccata, quæ ſunt actus eliciti à voluntate in illa ſubiectentur. Sed hæc ſolutio nõ placet Caietano ſuper eundem articulũ quin potius dicit eſſe mentem D. Tho. q̃ omne peccatum vniuerſaliter eſt ſubiectiue in voluntate. Et id probat ex eo, quòd, in loco citato D. Thom. apertè dicit omnem actum moralem, ſiue bonum, ſiue malum, eſſe actionem immanentem, & quod manet in principio, à quo procedit; quod eſt voluntas: quod nulla ratione verum eſſe poſſet, niſi omne peccatum eſſet in voluntate. Et id etiam manifeſtis verbis affirmat in fine huius articuli.

Sententia autoris. ¶ Quocirca hac ſolutione omiſſa aliter reſpondeo ad difficultatem dicens, quòd omne peccatũ, etiam exterius, eſt ſubiectiue in voluntate, non quidem ſecundum ſe totum, ſed quantum ad actum interiorem volũtatis, à quo procedit. Itaq; quia ille actus interior eſt ſubiectiuè in voluntate, idcirco etiam actus exterior ab illo procedens dicitur eſſe in volũtate. Quod vt melius intelligatur aduertendum eſt ex D. Tho. 1.2. q. 72. art. 7. ad. 3. argumentum, quòd ex actu interiori voluntatis, & ex exteriore alterius potentiæ quando ſimul concurrunt, non efficiuntur duo peccata, ſed vnum duntaxat, in quo actus interior ſe habet vt formale, & exterior vt materiale. *Nota.* Quia ergo illud formale peccati eſt ſubiectiue in voluntate, idcirco verè, & propriè dicemus, quod totum peccatum eſt ſubiectiue in volũtate: ſicut & quia arbor habet radicem terræ affixam, verè & propriè dicemus, quod tota arbor eſt terræ affixa, quamuis rami, atq; frondes terram non cõtingãt. Et in hoc ſenſu vere etiam dixit S. Tho. q̃ omnis actus moralis ſiue bonus ſiue malus eſt actio immanens, quia omnis talis vel eſt elicitus à volũtate, vel ab illa procedens: & ſic ſaltim in quantũ ab illa procedit erit immanens.

Argumentum. ¶ Sed contra hoc eſt argumentum. Si ad hoc, vt aliquis actus dicatur immanens ſatis eſt, q̃ illius principium maneat in agẽte, ſequitur q̃ actio phyſica, & naturalis, vt calefactio etiã erit immanẽs, ſiquidẽ principiũ, à quo procedit, nẽpe calor, manet in igne calefaciente: cõſequens autẽ eſt abſurdũ, ergo.

Ad argum. ¶ Ad hoc argumentum reſpondetur negando ſequelam. Et ratio diſcriminis eſt, quia actus interior voluntatis, à quo exterior procedit, eſt pars exterioris in quantũ moralis eſt. Furari enim nõ poteſt eſſe peccatum, niſi ſit voluntarium, nec poteſt eſſe voluntarium, niſi ratione actus voluntatis, à quo procedit, & ideò quicquid dicitur de parte dicitur etiã de toto. At vero in actione phyſica, principium à quo procedit nõ eſt pars ipſius actionis, & ideò quamuis ipſum principium maneat in agente, ipſa tamen actio non dicitur manere.

ARTICVLVS. III.

Vtrum infidelitas ſit maximum peccatorum. *Infra. q. 39 art. 2. & 3. q. 80 art. 5. & mal. q. 2. art. 10. cor. & ad. 2 & q. 3. art. 8. ad. 1.*

AD TERTIVM ſic proceditur. Videtur, q̃ infidelitas nõ ſit maximum peccatorum. Dicit enim Auguſtinus * & habetur. 6. q. 1. Vtrũ catholicũ peſſimis moribus alicui hæretico, in cuius vita præter id quod hæreticus

 eſt,

Et Re. 2. lec. 2. col. 4. Et Heb. 10. lec. 3 col. 4. Aug. li. 4. de Bapt. cō. Donatiſ. cap. 20. in prin. to. 7.

eſt, non inueniunt homines quod reprehendant, pręponere debeamus, nō audeo præcipitare ſententiam. Sed hæreticus eſt infidelis. Ergo non eſt ſimpliciter dicendum, quòd infidelitas ſit maximum peccatorum.

Habetur. 6. q. 1. c. Quaecrgo.

2 ¶Præterea, Illud quod diminuit vel excuſat peccatum, nō videtur eſſe maximum peccatum. Sed infidelitas excuſat, vel diminuit peccatum. Dicit enim Apoſtolus. 1. ad Timot. 1. Prius fui blaſphemus, & perſecutor, & contumelioſus: ſed miſericordiam conſecutus ſum, quia ignorans feci in incredulitate. Ergo infidelitas non eſt maximum peccatum.

3 ¶Præterea, Maiori peccato debetur maior pœna, ſecundum illud Deuter. 25. Pro menſura peccati erit & plagarum modus: ſed maior pœna debetur fidelibus peccantibus, quàm infidelibus: ſecundū illud ad Heb. 10. Quanto magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui filium Dei cōculcauerit, & ſanguinem teſtamēti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus eſt? Ergo infidelitas non eſt maximum peccatorum.

Tract. 89. in Ioan. inter prin. et med. to. 9.

¶SED contra eſt, quòd Auguſtinus *dicit, exponens illud Ioan. 15. Si non veniſſem, & locutus eis non fuiſſem, peccatum non haberēt. Magnum, inquit, quoddam peccatum ſub generali nomine vult intelligi. Hoc enim eſt peccatum, ſcilicet, infidelitatis, quo tenentur cuncta peccata. Infidelitas ergo eſt maximum peccatorum.

1. 2. q. 71. ar tic. 6. & q. 73. art. 3.

¶RESPONDEO dicendum, quòd omne peccatum formaliter cōſiſtit in auerſione à Deo, vt ſuprà dictum * eſt. Vnde tanto aliquod peccatum eſt grauius, quanto per ipſum homo magis à Deo ſeparatur. Per infidelitatem autem maximè homo à Deo elongatur, quia nec veram Dei cognitionem habet. Per falſam autē cognitionem ipſius nō appropinquat ei: ſed magis ab eo elongatur. Nec poteſt eſſe, quòd quantum ad quid Deū cognoſcat, qui falſam opinionem de eo habet: quia id, quod ipſe opinatur, nō eſt Deus. Vnde manifeſtum eſt, quòd peccatum infidelitatis eſt maius omnibus peccatis, quæ contingunt in peruerſitate morum. Secus autem eſt de peccatis, quæ opponuntur alijs virtutibus Theologicis, vt infrà dicetur.* Q. 34. ar. 2. & q. 20. artic. 3.

¶AD PRIMVM ergo dicendum, quòd nihil prohibet peccatum, quod eſt grauius ſecundum ſuum genus, eſſe minus graue ſecundum aliquas circunſtantias. Et ideo Auguſtinus noluit præcipitare ſententiam de malo catholico, & hæretico alias non peccāte: quia peccatum hæretici, etſi ſit grauius ex genere, poteſt tamen ex aliqua circunſtantia alleuiari, & è conuerſo peccatum catholici ex aliqua circunſtantia aggrauari.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd infidelitas habet ignorantiam adiunctā, & habet diſſenſum ad ea, quæ ſunt fidei, & ex hac parte habet rationē peccati grauiſsimi. Ex parte autem ignorantiæ habet aliquā rationē excuſationis: & maxime quando aliquis ex malitia non peccat, ſicut fuit in Apoſtolo.

¶Ad tertium dicēdum, quòd infidelis pro peccato infidelitatis grauius punitur, quā alius peccator pro quocunque alio peccato, conſiderato peccati genere. Sed pro alio peccato, puta pro adulterio ſi committatur à fideli & ab infideli, cæteris paribus, grauius peccat fidelis, quàm infidelis: tum propter notitiam veritatis ex fide: tum etiā propter ſacramenta fidei, quibus eſt imbutus, quibus peccādo contumeliam facit.

SVMMA TEXTVS.

Prima concluſio, Peccatum infidelitatis eſt maius omnibus peccatis, quę contingunt in peruerſitate morū, id eſt, eſt maius omnibus peccatis, quæ fiunt cōtra virtutes morales. Probatur, Peccatum formaliter cōſiſtit in auerſione à Deo: ſed per peccatum infi-

infidelitatis magis homo auertitur, à Deo,
quam per peccata, quæ fiunt contra vir-
tutes morales, ergo peccatum infidelita-
tis eſt maius omnibus illis. Conſequen-
tia eſt nota, & maior ſupponitur à D.Tho.
tanquam certa ex his quæ dixerat. 1. 2. q.
71.art.6. &.q.73. art.3. Minor vero proba-
tur, Per infidelitatẽ auertitur homo à Deo
ex parte voluntatis per prauum affectum,
& ex parte intellectus per falſam cognitio-
nem, & qui peccat contra virtutes morales
tantum auertitur, ex parte voluntatis per
prauum affectum, ergo magis auertitur in-
fidelis, quam alius peccator, atq; ex conſe-
quenti magis peccat. ¶ Secunda concluſio,
Peccatũ infidelitatis non eſt maius illis pec
catis, quæ opponuntur virtutibus Theolo-
gicis. Hanc concluſionem non probat D.
Tho. ſed illam relinquit probandam infra.
quæſt.34.art.2.& quæſt.20.art.3.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Dubium circa primã cõcluſionem D. Tho.

CIrca primam cõcluſionẽ huius articuli
eſt difficultas, vtrùm vera ſit. Et pro
parte negatiua arguitur primo, Id peccatũ
eſt maius, qđ eſt magis volũtariũ, dicẽte D.
1. Argum. Auguſtino in lib. de duabus naturis, ꝙ pec
catum in tantũ eſt peccatum, in quantũ vo-
luntariũ: ſed iniuſtitia, atq; adulteriũ, & re-
liqua peccata, quæ fiunt contra virtutes mo
rales ſunt magis voluntaria, quàm infideli-
tas, ergo ſunt grauiora. Conſequẽtia cũ ma
iori eſt nota, & minor probatur. Infidelitas
eſt quædã cęcitas mentis, impediens homi-
nibus verã cognitionẽ, vt conſtat ex Paul.
1.ad Corint.4. dicente, Excęcauit Deus mẽ
tes infidelium, &c. Sed vbi eſt minor co-
gitatio eſt minor ratio voluntarij, voluntas
enim ſequitur cognitionẽ, ergo infidelitas
non eſt tam volita, quam adulteriũ, atq; ex
cõſequenti eſt minus peccatũ. ¶ Secundo,
2. Argum. Id eſt maius malũ, quod habet maiorẽ repu
gnantiã cum bono, malũ enim ſumitur ex
oppoſitione ad bonũ: ſed homicidium, &
adulteriũ, & reliqua peccata, quæ fiunt con
tra virtutes morales, habẽt maiorẽ repugnã
tiã cum bono, quã infidelitas, ergo ſunt ma
iora mala. Conſequẽtia cũ maiori eſt nota,
& minor probatur. Homicidiũ, & adulteriũ
per ſe, & formaliter repugnant bono (ſunt
enim in potentia appetitiua, cuius formale
obiectum eſt bonũ) at vero infidelitas per ſe
& formaliter non repugnat bono, ſed vero,
quod eſt obiectũ intellectus, ergo. Et cõfir-
matur. Iuſtitia, & tẽperantia, quibus oppo-
nuntur homicidium & adulterium, ſunt
propriè, & formaliter virtutes, fides autem,
cui opponitur infidelitas, nõ eſt formaliter
virtus, ſed id habet extrinſecè, ex conſortio
charitatis, vt ſuprà oſtendimus, ergo pecca
ta, quæ opponuntur iuſtitiæ, & tẽperantiæ
habebunt maiorẽ rationẽ peccati. ¶ Tertio *3. Argum.*
arguitur cõtra rationẽ, qua D.Tho. probat
ſuã concluſionẽ dicens, ꝙ propterea infide
litas eſt maius peccatũ, quam homicidium,
quia per infidelitatẽ auertitur homo à Deo
ex parte intellectus, & ex parte voluntatis,
at vero per homicidiũ tantum auertitur ex
parte voluntatis. Sic argumentor. Si hæc ra
tio aliquid valeret, pari ratione ſequeretur
infidelitatẽ eſſe grauius peccatũ, quã odiũ
Dei, conſequens autẽ eſt falſum & cõtra eũ
dẽ D.Tho. in hoc articulo, ergo. Probo ſe-
quelã, Per odium Dei tantum auertitur ho
mo à Deo ex parte volũtatis habens prauũ
affectũ, & nõ ex parte intellectus: quia po-
teſt habere veram cognitionẽ: per infideli-
tatem autẽ auertitur, & quantum ad volun
tatẽ, & quantum ad intellectum, ergo ſi ex
hoc ſumitur grauitas peccati, maius pecca-
tum erit infidelitas quam odiũ Dei. ¶ Et cõ *Cõfirmatio.*
firmatur. Ratio peccati atq; culpæ in infide
litate, ſolùm prouenit ex voluntate, ergo ad
probandũ, ꝙ infidelitas eſt grauius peccatũ
quã homicidiũ impertinẽter aſſumitur hoc
medium, ſcilicet, per infidelitatẽ nõ habet
homo cognitionẽ Dei, ſiquidẽ ratio peccati
nõ ſumitur ex cogitatione, ſed ex volũtate.
¶ Pro expoſitione huius difficultatis eſt ad *1. Notabil.*
uertendũ primo ex D. Tho. 1.2.q. 73.art.3.
& ſequentibus, ꝙ grauitas in peccato ex du
plici capite poteſt prouenire, nẽpe ex obie-
cto, & ex circunſtantijs: inter quæ hoc eſt
diſcriminis, ꝙ grauitas, quæ prouenit ex
obiecto, eſt peccato intrinſeca, & eſſentialis
vtpote quæ ingreditur rationẽ illius: at ve-
ro grauitas, quæ prouenit ex circunſtãtijs,
eſt velut accidentalis & extrinſeca, ſuppo-
nitq; ſemper grauitatẽ eſſentialem: accidit
enim actui, ꝙ in hoc loco, vel in hoc tẽpore
vel tali, aut tanto affectu volũtatis fiat, quę
omnia pertinent ad circunſtantias: ſed non
accidit illi, quod recipiat hoc vel illud obie
ctum, à quo ſpeciem ſortitur. Ex quo fit, ꝙ
grauitas, quę prouenit ex parte obiecti, mu
tari non poteſt, nec augeri, aut minui, at ve
ro grauitas, quę prouenit ex circunſtantijs,
variatur ad modum, quo ipſæ cauſę, ex qui
bus proficiſcitur variari poſſunt.
¶ Secũdo eſt aduertendũ, ꝙ ad explicãdũ, *2. Notabile.*

vtrùm infidelitas ſit grauius peccatū, quam illa, quæ fiunt contra virtutes morales, non debemus attendere ad grauitatem, quę prouenit ex circumſtantijs, hæc enim cum non ſit certa, & determinata, nulla ratione poterit à nobis certò, & determinatè cognoſci: ad comparationem autem faciendam neceſſarium eſt, ꝙ cognoſcātur extrema, inter quę fit comparatio: & propterea Ariſt. 7. Ethi. tex. 30. dixit, ꝙ cōparatio debet fieri inter ea, quæ ſunt eiuſdem generis, quia tunc, ſcilicet, præſupponitur certa, & determinata forma in vtroq; extremo: ſed debemus attendere ad grauitatem prouenientē ex obiecto, quæ certa, & determinata eſt, atq; eſſentialis ipſi actui.

Concluſio. ¶ His conſtitutis ſit concluſio, Sententia D. Tho. quæ aſſerit infidelitatem eſſe grauius peccatum, quam illa, quæ fiunt cōtra virtutes morales, eſt adeò certa, vt contrarium ſine errore dici non poſsit. Probatur, Id peccatū eſt grauius ex natura ſua, quod repugnat maiori, & præſtantiori bono: ratio enim mali conſtituta eſt in ſeparatione à bono, ſed tale eſt peccatum infidelitatis comparatum ad peccata, quæ fiunt contra virtutes morales. ergo. Cōſequentia cum maiori eſt nota, & minor probatur. Infidelitas eſt per ſe contra bonum diuinum, peccata autem, quæ fiunt contra virtutes morales, ſunt contra bonum humanum, ergo infidelitas repugnat maiori bono. Et confirmatur. Peccata, quæ ſunt contra præcepta primæ tabulę, ex conſenſu omniū, ſunt grauiora, quam illa, quæ ſunt contra pręcepta ſecundæ tabulæ: ſed infidelitas eſt peccatū contra præceptum primæ tabulæ, peccata autem quæ fiunt contra virtutes morales, ſunt contra præcepta ſecundæ tabulæ: ergo infidelitas abſolutè eſt maius peccatū. Itē infidelitas primo & per ſe ſeparat hominē à Deo, adulterium autem, & furtum, & reliqua peccata, quæ fiunt cōtra virtutes morales, non per ſe, ſed accidentaliter, & ſecundum quid hoc faciunt, ergo infidelitas abſolutè eſt maius peccatū omnibus illis. Cōſequentia eſt nota: quia peccata eò ſunt grauiora, quò magis ſeparāt à Deo. Antecedēs vero probatur. Infidelitas ex prima ſua intentione ſita eſt in ſeparatione à Deo, nempe in negatione primæ veritatis, quæ eſt Deus: at vero adulterium, aut furtum, ex prima ſua intentione non eſt ſitū in ſeparatione à Deo, ſed in appetitu alicuius rei conuenientis ſibi, ex qua ſequitur auerſio: ergo infidelitas eſt maius peccatū abſolute, quā furtum. Præterea, Infidelitas ex genere ſuo includit in ſe maxima mala, & quamplures rationes peccatorum: nam primo includit ſuperbiam, qua homo vult magis credere ſibi, quàm Eccleſiæ catholicæ: deinde includit impietatem, qua nō cognoſcit Deū, à quo bona cuncta procedunt, ergo eſt maius peccatum, quam quoduis aliud particulare ex his, quæ fiunt contra virtutes morales. Et confirmatur, In ſacris literis ſit ſermo de infidelitate, vt de maximo omniū peccatorum: vnde D. Auguſtinus lib. 3. contra duas epiſtolas Pelagiano. c. 3. & habetur in 3. tomo, explicans illud Ioan. c. 16. Arguet mundum de peccato, quia non crediderūt in eum, &c. dicit, quòd nomine peccati per antonomaſiam intelligitur, infidelitas: ſicut nomine Apoſtoli intelligimus Paulū. Et Ioan. c. 3. cum innumera eſſent peccata in populo Iſraelitico, propter quæ merito damnari poſſet, dixit Chriſtus, Nunc iudicium eſt mundi, id eſt, hac præcipuè de cauſa ſententia feretur in illum, quia venit lux in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem.

Dubium. ¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco, vtrùm peccatum, quod eſt grauius ex obiecto, ſit ſemper grauius eo, quod verſatur circa obiectum minus malum: quod eſt quærere, vtrum poſsit contingere, quod id peccatū, quod eſt minus graue ex obiecto, ſit aliquādo grauius ratione circunſtātiarum. In qua re fuit ſententia quorundam Thomiſtarū aſſerentium partē negatiuam: idq; dicebāt eſſe de mente D. Tho. Et ratio eſt, quia cum grauitas, & malitia, quæ ſumitur ex obiecto, ſit prima, & principalis in actu peccati, videbatur illis non poſſe fieri, vt ſuperaretur aliquando à quacunq; alia ex circunſtantijs prouenientē.

Sententia auctoris. ¶ Sed meo iudicio hæc opinio eſt apertè falſa. Et probatur: quia licet homicidium ex obiecto ſit grauius furto, poteſt tamen in tantum augeri grauitas alicuius furti, vt non ſolùm adęquet, verum etiam excedat grauitatem alicuius homicidij: vt, ſi quis expoliaret ærarium publicū grauius peccaret, quam qui interficeret plebeium. Et ſimiliter, quanuis blaſphemia ex obiecto ſit grauius peccatum, quam homicidium, poteſt ità augeri aliquando grauitas homicidij, vt excedat grauitatem blaſphemiæ, vt ſi quis interficeret Regem, ergo. ¶ Secundo hoc ipſum probatur efficaci ratione. Grauitas homicidij non eſt infinita

ſed finita: ſit ergo vt decem, ſimiliter grauitas furti mille aureorum eſt finita, & ſit vt quinque: tunc ſic argumentor. Furtum mille aureorũ eſt ſubduplum in grauitate homicidio, ergo furtum duorũ millium erit illi æquale, & furtum triũ milliũ erit maius, atque ex conſequenti peccatum minus ex obiecto, poteſt eſſe maius ex circũſtantijs: & eodem modo probabitur, quod homicidium poteſt excedere in malitia infidelitatem. Quod ergo dicimus eſt, quòd cæteris paribus id peccatum eſt grauius, quod eſt contra nobilius obiectum. Cum hoc tamẽ ſtat, quod illa maior grauitas, quæ prouenit ex obiecto, aliquãdo excedatur ab alijs grauitatibus ex circunſtantijs prouenientibus: ſicut & aurum, quod ſecundum ſe eſt melius argento, vincitur aliquando in valore ab argento in maiori quãtitate poſito.

Ad. 1. arg.

¶ Ad primũ argumentũ reſpõdetur diſtinguẽdo maiorẽ: Nã, ſi illa propoſitio, Id peccatũ eſt maius, quod eſt magis voluntariũ, intelligatur de grauitate intrinſeca, & eſſentiali, falſa eſt proculdubio: ſi autem intelligatur de grauitate proueniente ex circunſtãtijs, nihil facit contra noſtram concluſionẽ.

Voluntarium eſt quid commune omni actui morali

Quod, vt intelligatur aduertendũ eſt, quod voluntarium eſt quid cõmune omni actui morali, ſiue bono, ſiue malo, nullus enim actus poteſt habere rationem boni, aut mali in moribus, niſi ſit volũtarius. Ex quo infero primò, quod ratio boni, aut mali nõ ſumitur ex volũtario, quãuis illud præſupponat, ſed ſumitur ex obiecto, ad qđ actus tẽdit, præſuppoſito ſemper, tãquã neceſſario, quod in tale obiectum libere, & voluntariè vnuſquiſq; tendat. ¶ Secũdo infero, quod quamuis ratio voluntarij ſit intrinſeca, & neceſſaria cuicunq; peccato, ratio tamen magis vel minus voluntarij accidentaliter ſe habet ad illud, quia intra latitudinem eiuſdem ſpeciei poteſt vnum peccatum eſſe magis voluntarium, quam aliud, vt patet in furtis exiſtentibus intra eandem ſpeciem, quorum vnum poteſt eſſe magis voluntarium quàm aliud. Et ex hoc infero tertio ꝙ quamuis furtum ſit magis volũtarium quã infidelitas, adhuc tamen ex hoc non ſequitur, quòd furtum ſit grauius peccatum, loquendo de grauitate intrinſeca, & eſſentiali, de qua in præſenti eſt ſermo. Ratio enim magis vel minus voluntarij, non ad naturã, ſed ad circunſtantias ſpectas, præter quam, quod etiam illa maior malitia, quæ includitur in obiecto infidelitatis ſæpe ſæpius ſuperat eam, quæ in furto prouenit ex magis voluntario: & ſic ſimpliciter & abſolute dicendum eſt, quòd infidelitas eſt maius peccatum.

Ad. 2. arg.

¶ Ad ſecundum argumentum reſpondetur conceſſa maiori negando minorem. Et ad probationem dico, quod infidelitas per ſe non ſolùm repugnat vero, ſed etiam bono: importat enim errorem voluntarium, qui ſine repugnantia ad bonum, quod eſt obiectum voluntatis, eſſe non poteſt.

Ad confirmationem.

¶ Ad cõfirmationẽ reſpõdetur, quicquid ſit de antecedenti, negando conſequẽtiam. Et ratio eſt, quia grauitas peccati non ſumitur ex oppoſitione ad virtutem, ſed ex maiori aut minori auerſione à Deo, & conuerſione ad bonum cõmutabile. Poteſt autem contingere, vt actus, qui nulli virtuti propriè opponitur, magis à Deo auertat, quam ille, qui proprie repugnat virtuti, vt patet in eo, qui ſe odio habet, vel ſibi ipſi infert mortem, qui proculdubiò grauiùs peccat, quam ille, qui odit proximum, aut eum interficit, & tamen actus, quo odit ſeipſum, vel ſibi infert mortem nulli virtuti propriè repugnat, cum ad amandum ſeipſum non ponamus in homine virtutem, ſed ſolam inclinationem naturæ: & actus, quo vnus odit alium, aut illum interficit propriè opponitur iuſtitiæ. Vel ſecundo reſpondetur: quòd infidelitas etiam per ſe, & directe repugnat virtuti: ſemper enim infidelitas includit voluntatem repugnantem obedientiæ, & religioni, quæ ſunt propriè virtutes.

Ad. 3. arg.
Nota primo.

¶ Ad tertium argumentum, quod erat contra rationem D. Tho. vt reſpondeamus eſt aduertendum primo, quòd omne peccatum, eo ipſo quòd eſt peccatum, includit odium Dei aliquo modo. Et ratio eſt quia cum omne peccatum deſtruat amicitiã Dei, & in inimicitia includatur neceſſario odium, fieri non poteſt, vt quis peccatũ committat, quin aliquo modo odio habeat ipſum Deum, & quia amicitia ſita eſt in vnione ad Deum, fit, vt peccatum, quod deſtruit amicitiã, etiam ſit ſitum in auerſione & ſeparatione ab ipſo Deo: quæ quidẽ ſeparatio fit per voluntatem ſicut & coniũctio, in qua conſiſtit amicitia, per voluntatem fit.

Nota ſecũdo.

¶ Secũdo eſt aduertendum quòd peccata, quæ fiunt contra virtutes morales primo, & per ſe non important ſeparationem à Deo, nec ex natura ſua, nec ex intentione operantis. Non quidem ex intentione operantis, quia qui vult furari primo, & per ſe non vult ſeparari à Deo, ſed tantum proſe-

proſecutionem boni delectabilis, cui adiūcta eſt ſeparatio. Nec etiam ex natura ſua, quia talia peccata primo & per ſe non habent Deum pro obiecto. At vero infidelitas primo, & per ſe dicit ſeparationē à Deo. Et ille actus ita includit voluntariū diſſenſum ab his, quæ Deus proponit credenda, vt ipſum diſſentire, quod eſt maximum malum hominis, ſit veluti obiectum voluntatis incluſæ in infidelitate. Ex quo fit, vt ipſa malitia volūtatis incluſa in infidelitate ex natura ſua, & ex obiecto habeat ſeparare à Deo, quod alijs peccatis, quæ fiunt contra virtutes morales conuenire non poteſt. Et in hoc ſita eſt ratio D. Tho. Vnde ad argumentum, quod fit contra illam reſpondetur, quòd D. Tho. non probat infidelitatem eſſe grauius peccatum, quam illa, quæ fiunt contra virtutes morales, propterea ꝙ hæc auertunt à Deo tantum ex parte voluntatis, at vero infidelitas, & quantum ad voluntatem, & quantum ab intellectum auertit, ſed ex eo, quod infidelitas primo, & per ſe ſeparat à Deo, cuius obiectum eſt diſſentire ab his, quæ Deus proponit credēda: & peccata, quæ fiunt cōtra virtutes morales tantum habent hoc per accedens, probat quòd infidelitas eſt grauius peccatum quam illa: nec licet eodem modo argumentari de odio Dei: quia hoc etiam primo, & per ſe ſeparat à Deo ſicut & infidelitas.

Ad confirmationem. ¶ Ad confirmationem ex dictis patet ſolutio: iam enim explicauimus qualiter in infidelitate includitur voluntaria diſſenſio ab ijs, quæ ſunt fidei: ex quo fit, vt poſsit eſſe peccatum. Et hæc de iſta difficultate dicta ſufficiant.

¶ Circa illam propoſitionē poſitā à D. Th. in principio huius articuli, ſcilicet, Omne peccatū formaliter cōſiſtit in auerſione à Deo, eſt aduertendum, quòd peccatum poteſt conſiderari dupliciter. Vno modo, vt eſt malum morale, & ſub hac ratione nō conſtituitur in eſſe peccati per auerſionem ſed per conuerſionem ad obiectum, à quo omnis actus moralis ſuam ſpeciem ſortitur *Peccatum cōſideratur dupliciter.* vt docet D. Tho. 1. 2. q. 72. art. 1. Alio modo poteſt conſiderari inquantum eſt malū ſimpliciter, & ſecundum iſtam conſiderationē conſtituitur in eſſe peccati per auerſionem à Deo. Quando, ergo D. Tho. dicit, ꝙ omne peccatum cōſiſtit in auerſione loquitur de peccato non vt eſt malum morale, ſed vt eſt malum ſimpliciter. ¶ Dicit præterea, ꝙ tanto aliquod peccatū eſt grauius quanto per ipſum homo magis ſeparatur à Deo. Ad cuius intelligentiā eſt aduertendū, ꝙ vt conſtat ex D. Tho. 1. 2. q. 73. art. 3. prima & ſubſtantialis grauitas vniuſcuiuſq; peccati ſumitur ex obiecto, ad quod peccans ſe cōuertit; cæterum, quia ex hac cōuerſione ſequitur auerſio à Deo, & quanto obiectum, ad quod fit conuerſio eſt peius, tātò maior fit auerſio à Deo, idcircò in præſenti pro eodem reputat dicere, ꝙ grauitas peccati conſiſtit in auerſione ex genere ſuo, & quod conſiſtit in cōuerſione. ¶ Et ſi quis obijciat *Obiectio.* contra hoc. Quodlibet peccatū mortale totaliter auertit à Deo, ergo nulla ratione fieri poteſt, vt grauitas peccati attendatur penes maiorem ſeparationem à Deo, reſpondetur negando conſequentiam. *Solutio.* Nam, quāuis verum ſit, ꝙ quodlibet mortale totaliter auertit à Deo, magis tamen ab illo ſeparat vnum quam aliud, ſicut murus decē pedum magis ſeparat à luce, quā paries vnius pedis, quamuis vtrumq; totaliter priuet lumine: præſtat enim murus maius impedimentum quā paries: & idem facit grauius peccatum reſpectu Dei.

1. Argum. ¶ Contra id, quod dicit D. Tho. ſcilicet, Nec poteſt eſſe, ꝙ quātum ad aliquid Deū cognoſcat, qui falſam opinionem de eo habet, quia id, quod ipſe opinatur, non eſt Deus, argumētatur Caietanus multipliciter. Primo ſic, Infidelis Iudæus vel Philoſophus negans myſterium incarnationis, poteſt quātu ad alia Deū cognoſcere, vt quod eſt actus purus, prima cauſa, &c. ergo falſo dicitur, ꝙ qui habet falſam opinionē de eo nō pōt quātū ad aliquid ipſum cognoſcere. ¶ Et cōfirmatur quia alias ſequeretur *Cōfirmatio.* ꝙ fidelitas, & infidelitas nō eſſent de eodē, ſcilicet, Deo, cōſequēs autē eſt falſum ergo. Probo ſequelā: nā, ſi habēs falſam opinionē nō agit de Deo manifeſtè ſequitur, ꝙ infidelitas nūquā eſt de Deo, enim omnis infidelis habeat falſam opinionem de illo.

2. Argum. ¶ Secūdo, Hęc ſentētia D. Tho. preſupponit vnū falſum, ſcilicet, ꝙ omnis infidelitas eſt circa Deū, cum tamen ſæpe cōtingat homines errare in illis rebus, quæ ad Deum non ſpectat, vt ſi quis diceret Iſmahelē non fuiſſe filium Abrahæ, ergo ipſa eſt falſa.

Ad. 1. argu. ¶ Ad primum reſpōdetur cum Caietano in præſenti, Aliud eſſe loqui de infideli, vt ſic, & aliud de homine infideli aliam cognitionem habente. Et D. Tho. in litera nō loquitur ſecundo modo ſed primo, nō enim dicit, quod homo infidelis nullā habet cogitatio-

gitationẽ de Deo (quod obiecta impugnãt) ſed; quòd per infidelitatẽ non cognoſcitur Deus, nec ſimpliciter, nec ſecundum quid, quod verum eſt. Et quidem, quòd non cognoſcatur ſimpliciter, eſt res manifeſta: nã falſa alicuius cognitio nõ poteſt eſſe cognitio illius, ſed error; & propterea non facit appropinquare ad illud, ſed magis elongari: vnde dicimus, quòd ignorantia prauæ diſpoſitionis elongat ab eo, quod ſic ignoratur. Quod autem nec etiam ſecundũ quid, probatur; quia falſa enunciatio, vt ſic, affert oppoſitum ſubiecti vel ſimpliciter, ſi materia eſt neceſſaria, vel ſecundum quid, ſi materia eſt contingens. Cum enim dicitur, Sortes non eſt riſibilis, per iſtã enunciationem affertur nõ Sortes ſimpliciter, quia non riſibile aufert non Sortem: & cùm dicitur, Sortes currit ipſo ſedente, etiam affertur non Sortes ſecundum quid, quia affertur Sortes currens, qui non inuenitur nũc: & ſic conſtat, quòd falſa enunciatio, vt ſic, nihil cognitionis largitur de ſubiecto. Et ſi quis obijciat, Falſa enunciatio ſaltim tribuit ſimplicem cognitionem extremorũ, quæ neceſſaria eſt ad cognitionem ipſius, ergo. Reſpondetur, quòd illa ſimplex cognitio non cauſatur à falſa enunciatione, ſed potius ad illam præſupponitur. Et per hoc patet ſolutio ad primum argumentum cum ſua confirmatione.

Ad. 2. arg. ¶ Ad ſecundum reſpondetur, falſum eſſe, quòd ſententia D. Tho. præſupponit falſum, quin potiùs dico, quòd quemadmodum fides verſatur circa Deum; & ex hoc ſequitur, quod quicquid continetur ſub fide eſt Deus, vel quid pertinens ad Deum, ita etiam infidelitas, quæ opponitur fidei verſatur circa Deum, & ex hoc ſequitur, quod quidquid continetur ſub infidelitate, eſt Deus, vel quid pertinens ad Deum: & tale eſt illud, quod adducitur de Iſmahele. Qui enim dicit Iſmahelem non eſſe filium Abrahæ, ex conſequẽti etiam affirmat, Spiritum ſanctum, qui eſt autor ſacræ ſcripturę, fuiſſe mendacem, quod omnino eſt contra Deum: & ſic patet, quòd nulla datur infidelitas quę non ſit contra Deum, vt diximus.

Nota circa ſolutionem 3. argum D. Tho. ¶ In ſolutione ad tertium argumentum dicit Diuus Thomas, quòd infidelitas grauius peccatum eſt ex genere ſuo, quàm quodcunque aliud commiſſum à fidelibus circa mores: & tamen vnum & idem peccatum ab vtroque commiſſum, vt verbi gratia, adulterium grauius eſt in viro fideli, quam in infideli, tum propter notitiam veritatis ex fide, tum etiam propter ſacramenta fidei, quibus eſt imbutus, quibus peccando contumeliam facit. Circa quæ verba eſt aduertendum ex eodem Diuo Thoma primæ ad Timot. lect. 1. quòd quantum ad duo poſſumus comparare fidelem cum infideli. Primo quantum ad ſtatum: & ſic certum eſt, quod in deteriori ſtatu ſunt infideles, quàm fideles, quantumcunque fideles ſint peccatores, quia infidelibus deeſt fides, quod eſt primum fundamentum totius vitæ ſpiritualis, atque gratiæ, ſine quo impoſsibile eſt placere Deo, vt dicebat Paulus. Secundo poſſumus illos comparare in ordine ad idem peccatum ab vtroque cõmiſſum: & ſic dico, quod grauius peccat fidelis, quam infidelis ratione cognitionis fidei, quam habet: ſcienti enim bonum, & non facienti peccatum eſt illi, vt dicit Diuus Iacobus in ſua canonica cap. 4. Vnde Diuus Hieronymus in illa verba Matth. cap. 18. Sit tibi tanquam Ethnicus, & publicanus, dicit, maioris eſſe deteſtationis eum, qui ſub nomine fidelis infidelium opera agit, quam qui publicè Gentilis eſt. Et Diuus Chryſoſtomus homil. 13. operis imperfecti, explicans illa verba, Erunt nouiſsima hominis illius peiora prioribus, dicit, Ipſarum rerum experimenta nos docent, quod Chriſtianus, ſi malus euaſerit, peior fit, quam ſi Chriſtianus non fuiſſet. Et Diuus Paulus primę ad Timoth. cap. 5. hoc idem confirmans dicit, Qui curam domeſticorum non habet, fidem negauit, & eſt infideli deterior. Et D. Petrus 2. ſua canonica cap. 2. Melius erat illis viã veritatis non agnoſcere, quam poſt cognitionem retrò conuerti. De hac re eſt videndum Decretum Vrbani Papæ, quod habetur duodecima quęſtione prima. cap. ſcimus. De comparatione infidelitatis ad alia peccata, quæ ſunt contra virtutes Theologicas, de quo Diuus Thomas agit in ſecunda concluſione, dicemus nos infra quæſtio. 20. & 34.

Peccata fidelium grauiora ſut quã peccata infidelium.

ARTI-

ARTICVLVS. IIII.

¶ Vtrùm omnis actio infidelis ſit peccatum.

2.diſt.7.q.1 art.2.co.1. fin. Et diſt. 41.q.1.ar.2 Et mal.q.2. art.5.ad.7. Et Ro.14.fi. Sumitur ex Aug. & habetur in lib. Sēt. collectarum ex Auguſt.c.106. to.3.

AD QVARTVM ſic proceditur. Videtur quòd quælibet actio infidelis ſit peccatum, quia ſuper illud Rom.14. Omne quod non eſt ex fide peccatum eſt, dicit * gloſ. Omnis infidelium vita eſt peccatum, ſed ad vitā infideliū pertinet omne quod agūt, ergo omnis actio infidelis eſt peccatum.

2 ¶ Præterea, Fides intentionem dirigit: ſed nullum bonū poteſt eſſe, quod non eſt ex intentione recta. ergo in infidelibus nulla actio poteſt eſſe bona.

3 ¶ Præterea, Corrupto priori corrūpitur & poſterius: ſed actus fidei præcedit actus omnium virtutum. ergo cum in infidelibus non ſit actus fidei, nullum bonum opus facere poſſunt, ſed in omni actu ſuo peccant.

Actuum Apoſt.c.10.

¶ SED contra eſt, quod de Cornelio adhuc infideli exiſtenti dictum * eſt, quòd acceptæ erant eleemoſynæ eius Deo. ergo non omnis actio infidelis eſt peccatum, ſed aliqua eius actio eſt bona.

1.2.q.85. art.1.& 2.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd ſicut ſuprà dictum * eſt, peccatū mortale tollit gratiam gratum facientem: non autem totaliter corrumpit bonum naturæ. Vnde cum infidelitas ſit quoddam peccatum mortale, infideles quidem gratia carent: remanet tamen in eis aliquod bonum naturæ. Vnde manifeſtum eſt, quòd infideles non poſſunt operari bona opera, quæ ſunt ex gratia, ſcilicet, opera meritoria tamen bona opera, ad quæ ſufficit bonū naturę, aliqualiter operari poſſunt. Vnde non oportet, quòd in omni ſuo opere peccent. Sed quandocunque aliquod opus operantur ex infidelitate, tunc peccant. Sicut enim habens fidē poteſt aliquod peccatum committere in actu, quem nō refert ad fidei finem vel venialiter, vel etiā mortaliter peccando: ita etiam infidelis poteſt aliquē actum bonum facere, in eo quod non refert ad finem infidelitatis.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum quòd verbum illud eſt intelligēdum, vel quia vita infidelium non poteſt eſſe ſine peccato, cum peccata ſine fide non tollantur: vel quia quicquid agūt ex infidelitate, peccatum eſt. Vnde ibidem ſubditur, quia omnis infideliter viuens vel agens vehementer peccat.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd fides dirigit intentionem reſpectu finis vltimi ſupernaturalis: ſed lumē etiā naturalis rationis poteſt dirigere intētionē reſpectu alicuius boni cōnaturalis.

¶ Ad tertium dicendum, quòd per infidelitatem non corrumpitur totaliter in infidelibus ratio naturalis, quin remaneat in eis aliqua veri cognitio, per quam facere poſſunt aliquod opus de genere bonorum. De Cornelio tamen ſciendum eſt, ꝙ infidelis nō erat: alioquin eius operatio accepta nō fuiſſet Deo, cui ſine fide nullus poteſt placere. Habebat autem fidem implicitam nondum manifeſtata Euangelij veritate. Vnde, vt eum in fide plenius inſtrueret, mittitur ad eum Petrus.

SVMMA TEXTVS.

PRima concluſio, Infideles nullum opus meritorium operari poſſunt, bene tamē poſſunt efficere ſuis viribus aliqua opera naturæ moraliter bona. Probatur, Peccatum mortale, quale eſt infidelitas, vt docet D.Tho.1.2.q.85.art.1.&.2. tollit gratiā gratum facientem: ſed non totaliter corrūpit bonum naturæ, ergo infidelis, quanuis nō poſsit operari meritoriè, ad quod requiritur gratia, poterit operari bene moraliter, ad quod ſufficit natura. ¶ Secūda cōcluſio. Nō omnia opera infidelium ſunt peccata, ſed illa tantum, quæ procedunt ex infidelitate. Probatur. Infidelis poteſt operari aliqua opera bona moraliter, vt diximus, ergo illa non erunt peccata: atque ex conſequenti non omnia opera infideliū ſunt peccata, ſed illa tantum, quæ fiunt ex infidelitate. Et confirmatur, Habens fidem poteſt aliquod opus facere in actu, quod non referat ad fidei finem, ſiue venialiter

ſiue

ſiue mortaliter peccando, ergo pari ratione infidelis poterit aliquod bonum opus facere, quod non referat ad finem infidelitatis, & illud non erit peccatum.

EXPLICATIO ARTICVLI.

PRo intelligẽtia primæ cõcluſio. D. Tho. eſt ſupponendũ ex cõmuni Theologorum ſententia, quod id opus dicitur bonũ morale, quod eſt cõſentaneũ rectæ rationi, ideſt, quod habet obiectũ bonũ, & finẽ rectũ, & præterea omnes alias circunſtantias, quæ ſunt neceſſariæ ad operis honeſtatem. Bonum autẽ meritorium eſt, quod præter hæc eſt tanti valoris, propter ſuam excellẽtiam, & quia eſt informatũ charitate, quod eſt dignum vitæ æternæ. Itaq; bonum morale eſt medium inter peccatum & meritũ. Nam cùm bonum morale in nullo deficiat à recta ratione, peccatum eſſe nõ poteſt; & cum careat illa excellentia, & qualitate ſupernaturali, quæ eſt neceſſaria ad meritũ, nõ poteſt eſſe meritoriũ, vt docet Soto lib. 1. de natura & gratia. cap. 21.

Dubium. ¶ Hoc ſuppoſito circa illam primã concluſionem eſt grauis difficultas, vtrùm infidelis, ſiue quicunq; alius homo in peccato exiſtens poſsit efficere aliquod opus bonũ morale, ſine gratia Dei. De qua re eſt celebris opinio Gregorij Arimi. in 2. diſt. 28. q. 1. & Capreoli in 2. eadem d. q. 1. aſſerentiũ, ꝙ homo fidelis, ſiue infidelis, nullum opus bonum morale efficere poteſt ſine gratia Dei ſpeciali. *Opinio Gregorij Ariminenſis.* Quam etiam ſentẽtiam tenet Rophenſis contra Lutherum art. 36. & dicit eam eſſe ſanctorũ Patrum, & Caſtro lib. 7. de hæreſi. verbo, gratia, hæreſi prima in eadem opinione eſſe videtur. Quæ probari poteſt pluribꝰ argumẽtis, *1. Argum.* Primo ſic. Nullũ opus poteſt eſſe bonum moraliter, niſi referatur, in Deum, ſed nihil poteſt referri in Deum tanquam in vltimũ finem, ſine auxilio ſpeciali Dei, vt autor eſt D. Auguſtinus lib. 4. cõtra Iulianũ. c. 3. vbi dicit quod amor Dei in nobis eſſe nõ poteſt, niſi à Deo Patre per Dominum Ieſum Chriſtũ, ergo nullus homo poteſt bene moraliter operari, ſine gratia Dei. Conſequentia cũ minori eſt nota: & maior probatur. Opus morale non poteſt eſſe bonũ, niſi fiat debito fine: ſed is finis eſt ſolus Deus, vt docet D. Auguſtinus lib. 4. contra Iulia. c. 2. & 3. idque probat ex illo Pauli ad Roma. 14. Omne quod non eſt ex fide peccatũ eſt, id eſt, omne, quod non fit fideli animo, & propter Deum, peccatum eſt: vt Auguſtinus interpretatur, ergo ad hoc, vt opus ſit bonũ morale neceſſe eſt, quod referatur in Deum.

2. Argum. ¶ Secundo ſic argumentor. Si homo poſſet benè moraliter operari ſine gratia Dei, ſequeretur, per ſuas vires poſſe ſe ad gratiam iuſtificantem infallibiliter conſequendam præparare; cõſequens autem eſt falſum, & hæreticum: quia tũc principium noſtræ ſalutis eſſet ex nobis, & non ex Deo, ergo. Probo ſequelam: non operanti bene moraliter & rectam rationem ſequenti Deus infallibiliter confert gratiam; quia ſe perfecte diſponat ad iuſtitiam; iuxta illud, Facienti; quod eſt in ſe Deus non denegat gratiã, ergo ſi homo per ſuas vires poteſt benè moraliter operari, poterit etiam ſe ad gratiam diſponere. *3. Argum.* ¶ Tertio, Non poſſumus vitare peccata, nec adimplere diuina præcepta ſine gratia Dei, vt patet ex concil. Mileuitit. can. 34. & ex epiſtola 1. Céleſtini Papæ. c. 10. vbi dicitur, ꝙ ad quodcunq; peccatũ vitandum, & ad quãcunq; tẽtationem ſuperandam, eſt neceſſaria gratia Dei; ergo nec operari bene moraliter. Patet conſequẽtia: quia quodcunq; opus bonum morale, aut eſt adimpletio diuini præcepti, aut pertinet ad opera ſupererogationis, quæ difficiliora ſunt, quam opus præcepti. *4. Argum.* ¶ Quarto probari poteſt hæc eadem ſententia teſtimonijs ſacræ Scripturæ. Nã Matth. 15. de omni opere bono dicit Chriſtus, Sine me nihil poteſtis facere. Et 1. ad Corint. cap. 4. dicit Paulus, Quid habes, quod nõ accepiſti? & infra. Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis quaſi ex nobis, &c. & 2. ad Corint. c. 3. Deus eſt, qui operatur in nobis, & velle & perficere pro bona voluntate, ergo ſine gratia Dei homo nihil bonum poteſt facere. *Confirmatio* Et confirmatur: nam in concil. Arauſicano can. 9. diffinitur ꝙ bona quæ agimus, Deus in nobis, & nobiſcũ illa operatur: & rurſus can. 20. dicitur nihil boni poſſe hominẽ ſine Deo, & quod nulla bona facit homo quæ Deus non præſtet, & idem videtur diffinitum in concil. Mileuitano can. 24. & in epiſtola Celeſtini papæ. cap. 8. & 9. & in multis alijs locis.

Vltimum argumentum. ¶ Tandem hoc idem probatur ex D. Auguſtino, qui ſententiam Gregorij multis in locis ex profeſſo affirmare videtur. Nam lib. 1. contra duas epiſtolas Pelagianorum c. 3. dicit quod non poteſt homo bonum aliquid velle, niſi adiuuetur ab eo, qui non põt malum

malum velle, & lib.2.c.5.7.&.8.idem affirmat: & de Spiritu & litera.c.4.dicit, Liberũ arbitrium ſine gratia Dei non valet, niſi ad peccandum, ergo.

Sententia cõmunis.

¶Cõtrariã tamẽ ſentẽtiã tenet Magiſter in.2.diſt.26.& D.Tho.in hoc articulo &.1.2.q.109.art.2.&.7.& idem aſſerit D.Bonauen.in.2.diſt.26.q. vltima. & Sotus ibidẽ. & Gabriel eadem. q. 1. quos ſequuntur ferè omnes alij Doctores, recentiores vt Soto. lib.1.de natura & gratia.c.20.& Vega in libello de iuſtificatione.q.14.& Decanus Louanienſis lib.1.art.7. ¶Sed ad explicationẽ difficultatis ſit prima concluſio.

1. Concluſio.

Infidelis, ſiue quicunq; alius homo, pro iſto ſtatu, dum eſt extra gratiam, non poteſt ſine ſpeciali auxilio Dei bene moraliter operari, vel ſemper, vel vt in plurimum. Hanc concluſionem tenet D.Tho. 1.2.q.109.ar.2.4.&.8 quem communiter ſequuntur Doctores: eſtq; adeò certa, vt contraria ſine errore teneri nõ poſsit. Probatur, Nam ſi homo extra gratiam, ſine ſpeciali Dei auxilio poſset bene moraliter operari vel ſemper vel diu, ſequeretur quòd etiam poſſet ſuis viribus vitare omne peccatum, & adimplere diuina præcepta: cõſequens autẽ eſt falſum, & erroneum, vt dicit D.Tho.1.2.q.109. art.4. ergo & illud ex quo ſequitur. Probo ſequelam. Qui operatur bene moraliter, quãdiu ſic operatur non peccat, & adimplet diuina præcepta, ergo qui poteſt diu bene moraliter operari poteſt non peccare & adimplere diuina præcepta. Item operari bene moraliter vel diu vel ſemper eſt opus hominis ſani atq; valẽtis, ſecundũ rationẽ, ſed homo per peccatum fuit læſus, & manet in ſtatu ægritudinis, & infirmitatis, ergo nõ poteſt diu & ſemper bene moraliter operari. Et cõfirmatur ex illo vulgato teſtimonio D.Gregorij ſuper Ezechielem, Peccatum, quod per pœnitentiam non deletur mox ſuo põdere ad aliud trahit.

2. Concluſio.

¶Secunda concluſio, Homo extra gratiam poſitus, ſiue ſit fidelis, ſiue infidelis poteſt ſine auxilio ſpeciali Dei aliquid bene moraliter operari, raro tamen, & infrequenter, & maxima cũ difficultate. Probatur. Nã aliàs hominis natura nõ eſſet vulnerata per peccatum, ſed penitus extincta: ſiquidem nullum conatum quantuis languidũ & imperfectum habere poſſet ad bonum. Et confirmatur, Operari bonum moraliter, id eſt, operari conformiter ad rationẽ, nullo propoſito fine ſupernaturali, eſt opus proportionatum naturæ humanæ, ergo cùm vires naturæ non ſint extinctæ, poterit homo, ſi non ſemper, aliquando tamen bonum facere ſine auxilio ſpeciali. Secũdo homo quãtumuis infidelis poteſt ex naturali quadam compaſsione affectu naturali dare eleemoſynam indigenti: & tale opus eſt bonũ moraliter, ergo ſine auxilio ſpeciali poteſt homo aliquid bene moraliter operari. Conſequentia cum maiori eſt nota, & minor probatur: quia, ſi talis actus non eſſet bonus, maximè quia non refertur in Deũ; ſed hoc non obſtat, quia actus honeſti ex ſe & ex natura ſua, niſi ab operante in alium finem referantur, cenſentur in Deum referri. Et ratio eſt, quia cum actus boni, niſi vitientur ex malo fine ab operante appoſito, habeãt naturalem ordinem ad rectam rationem, cum qua concordant, & recta ratio habeat naturalem ordinem, & conſenſum cũ diuina ratione, cuius hæc noſtra ratio eſt quędã participatio, manifeſtè ſequitur de primo ad vltimum, quòd ea, quæ conſonãt cum recta ratione humana, licet ab agente non ordinentur in altiorem finem, conſonabũt tamen cum ratione diuina.

3. Concluſio.

¶Tertia concluſio. Nulla opera, per quæ homo tendit, & diſponitur ad gratiam iuſtificantem, ſiue mediate, ſiue immediate conſequendam, poteſt efficere homo ſuis viribus ſine auxilio ſpeciali Dei. Hæc concluſio meo iudicio eſt adeò certa, vt contrarium ſine errore dici non poſsit. Et probatur primò ex ſecunda Petri.c.1. vbi dicitur, omnia nobis donata eſſe diuina virtute, quæ ad vitam & pietatẽ pertinent: & Ioan. c.6. dicit Chriſtus, Nemo poteſt venire ad me niſi pater meus traxerit eum: & alio in loco, niſi ei datum fuerit à patre meo: venire autem in illis locis ſignificat omnem viã atq; progreſſum, quem ad vitam conſequẽdam facimus. Item ratione ſic argumentor. Si homo ex ſe poſſet efficere aliquod opus, ad quod mediate vel immediate infallibiliter ſequeretur gratia, iam initium ſalutis eſſet ex nobis, atq; ex conſequenti gratia non eſſet gratia, quia non gratis concederetur: quæ omnia ſunt falſa atque erronea, iuxta illud Pauli ad Roma. 11. Quis prior dedit ei, & retribuetur illi? &. 1. ad Corint. c.4. Quid habes, qđ non accepiſti: & Oſeę. 13. Perditio tua ex te Iſrael, tãtummodo in me auxilium tuum, ergo. Prætereà ſic argumentor. Omnis motus, ex quo homo incipit ad iuſtitiã aſpirare quoadusq; illã cõſequatur

quatur, eſt ſupernaturalis, ergo debet habere ortũ ab agente aliquo ſupernaturali, qđ eſt auxilium ſpeciale Dei. Cõſequentia eſt nota & antecedens ꝓbatur: quia terminus illius motus, ſcilicet, peccati remiſsio, & iuſtitiæ conſequutio, ſunt res ſupernaturales, ergo & ipſe motus. Item hoc idẽ probatur, exemplo Adæ, qui quoniã erat primus autor naturæ humanæ, non ſolùm naturæ noſtræ, ſed etiam, morũ noſtrorum imaginẽ continebat: & ſic ex eo, quod ipſe geſsit, quid nos agere vel nõ agere poſsimus, intelligere poſſumus. Adã ergo, vt habetur Geneſ. c. 3 poſtquã peccauit, & iuſtitiam amiſit, nihil egit, aut cogitauit, quod pertineret ad illã reparandam. Sed, vt dicit ſcriptura, cum viderent ſe eſſe nudos, conſuerũt folia ficus, & fecerunt ſibi perizomata: quę res tota pertinet ad vitã præſentẽ tuendam & iniurias cœli propulſandas. Tunc autẽ cœpit Adam de ſalute animæ cõmode cogitare, cùm primùm audiuit vocem Dei deambulãtis in Paradiſo. Sic enim dicitur, Cùm audiſſent vocẽ Dei deambulãtis in Paradiſo, abſcondit ſe Adam, & vxor eius, &c. & paulò inferiùs dixit Adã, Cum audiſſem vocẽ tuam, timui. Itaq; tunc primùm timere cœperunt, & ſanctum timorẽ conceperũt, qui eſt primus ad iuſtitiam gradus, iuxta illud, Initium ſapiẽtiæ timor Domini: cum vox diuina illorũ auribus inſonuit. In qua re datur intelligi, quòd peccator, dum eſt extra gratiã maximum bonum, quod poteſt facere ex ſuo ingenio, & ex ſuis viribus eſt cogitare de ijs bonis, quæ pertinent ad vitã præſentem, & de ſua ſalute, atq; incolumitate, quæ D. Auguſtinus vocat bona naturæ: & explicat exẽplo, vt ædificare domos, agros colere, & cum amicis ſuauiter & concorditer viuere: cæterũ de ſalute animę nõ poteſt homo quicquã cogitare, niſi priùs diuina voce interius ſtimulatus. Et ſic conſtat, nullum opus poſſe hominẽ ſine ſpeciali Dei auxilio facere, quod ad vitam æternã mediate vel immediate diſponat. Quod & diffiniri videtur in cõcilio Arauſicano can. 7. vbi dicitur, Si quis per naturæ vigorẽ bonum aliquod, quod ad ſalutem pertinet vitæ æternæ, ſine illuminatione, & inſpiratione Spiritus ſancti facere nos poſſe affirmat, hæretico fallitur ſpiritu.

Adam non ſolum naturæ ſed etiam morum imaginem continebat.

Ad. 1. arg. ¶ Reſtat, vt ad argumenta reſpõdeamus. Ad quintum reſpondetur negãdo maiorẽ, nã, vt paulo ante dicebã, ad hoc, vt aliquod opus ſit bonum morale non eſt neceſſariũ, ꝙ actualiter referatur in Deum: ſed ſatis eſt ꝙ non referatur in malum finẽ. Nam, cum opus honeſtum ex natura ſua habeat ordinem ad rectam rationẽ, & recta ratio ordinetur ad rationem diuinam, fit conſequens vt opus honeſtum ipſum ex ſeſe ordinetur in Deũ, niſi ex malitia operantis in alium finẽ trahatur quæ virtualis & tacita relatio ſufficiens eſt ad bonitatem moralem. ¶ Ad ſecũdum argumentum reſpondetur negãdo ſequelam. Et ad probationem dico, ꝙ operãti bene moraliter, & rectam rationẽ ſequenti diu, & per multũ tempus, & in omnibus quæ ſe offerunt, huic infallibiliter confert Deus gratiã, qua ſe vltimate diſponat ad iuſtitiã. Cæterum, ſic diu bene moraliter operari non poteſt homo ſine auxilio ſpeciali, vt diximus in prima concluſione: & ſic initiũ ſalutis ſemper eſt à Deo. Tamen ei, qui operatur bene moraliter vnum aut alterũ opus, & maiori ex parte operatur male, huic Deus infallibiliter non confert gratiã, qua ſe vltimatè diſponat ad iuſtitiã. Vnde nihil obſtat argumentum. Vel ſecundo reſpondetur, quod ea maxima, Faciẽti quod in ſe eſt Deus non denegat gratiam, eſt intelligenda, non de eo, qui facit quod eſt in ſe ex viribꝰ naturę, ſed de eo, qui facit quod in ſe eſt ex auxilio gratiæ. Et ſic argumentum propoſitum non facit contra noſtram concluſionem. ¶ Ad tertium reſpondetur quod quanuis nõ poſsimus ſine gratia Dei adimplere omnia præcepta diuina collectiue, nec aliqua illorum, quæ grauiora ſunt, atq; difficiliora, vt docet D. Tho. 1. 2. q. 109. per aliquot articulos, & ſimiliter, quanuis nõ poſsimus noſtris viribus vincere omnes tentationes collectiue, nec aliquas illarum, quæ ſunt vehementiores: tamen leue aliquod præceptum adimplere, & leuem aliquam tentationẽ vincere, idq; rarò, & infrequenter bene põt homo ſine auxilio ſpeciali quomodo etiã põt bñ moraliter operari. ¶ Ad quartum reſpondetur quod omnia illa teſtimonia ſunt intelligenda de opere meritorio, quod ſine Dei auxilio ſpeciali fieri non poteſt. Nam, vt docet Rophenſis contra Lutherum art. 36. mos eſt ſacræ ſcripturæ appellare nihil, quod non eſt meritorium vitæ æternæ: quo modo dixit Paulus. 1. ad Corinth. cap. 13. Si habuero, prophetiam, & nouerim myſteria omnia, & omnem ſcientiam, charitatem autem non habeam, nihil ſum: & cap. 7. Circunciſio nihil eſt aut præputiũ. ¶ Ad cõfirmationem reſpon-

Ad. 2. arg. *Ad. 3. arg.* *Ad. 4. arg.*

reſpondetur cum Magiſtro Soto atque Vega locis citatis, quòd ea teſtimonia conciliorũ ſolũ ſunt intelligẽda de bono meritorio, quod ſimpliciter appellatur bonum.

Dubium.

❡Circa vltimum argumentum, quod conſtat teſtimonijs Diui Auguſtini eſt difficultas, vtrùm ſententia Auguſtini fuerit eadem cum ſententia Gregorij. De qua re ſunt variæ doctorum ſentẽtiæ. Vega enim in libello de iuſtificatione. quæſtio. 12. & Soto lib. 2. de natura & gratia. cap. 21. & Decanus Louanienſis lib. 1. artic. 7. partem tenẽt negatiuam, dicentes, quòd cum D. Auguſtinus affirmat nos non poſſe ſine gratia Dei operari aliquod bonum, eſt intelligendus de bono meritorio, non de bono morali: cęterum Rophenſis contra Lutherum art. 36. tenet expreſſe, quòd ſententia Gregorij eſt Diui Auguſtini, & ſanctorum Patrum: quod quantum ego iudicare poſſum, procul dubio eſt verum. Et ad id probandum ſupponendum eſt, quod ſecundũ ſententiam D. Auguſtini omne opus, quod non pertinet ad vitam æternam, vel ipſam promerendo, vel ad illius meritum diſponendo, eſt malum, atque peccatum. Itaque apud D. Auguſtinũ in actibus moralibus non datur medium inter peccatum, & meritum vel diſpoſitionem ad meritum: ſed omne opus vel eſt peccatũ, ſi in aliquo deficit, aut ſi in nullo deficit eſt vel meritoriũ vel diſpoſitio ad meritum. Idq; ita eſſe probat: nam lib. 4. contra Iulianum cap. 3. cum Iulianus diceret, homines infideles per ſuas vires ſine gratia Dei bene, & tẽperatè operari, ſed ea opera eſſe ſterilia, quia non erãt meritoria vitæ ęternæ, & illos homines eſſe ſteriliter bonos, contendit D. Auguſtinus probare, implicare contradictionem, quòd aliqua ſint bona opera, & ſterilia. Et dicit, quòd ſi ſunt bona opera ſunt fructuoſa, & meritoria, ſi autem ſunt ſterilia ſunt peccata: fieri enim non poteſt, vt ſteriliter boni ſimus, ſed bonum non ſumus, quidquid ſteriliter ſumus: nam arbor bona bonos fructus facit: & abſit, vt Deus bonas arbores in ignem mittat. Et idem ex profeſſo oſtendit per totũ illud caput pluribus verbis. ❡Hoc ſuppoſito, ſic argumentor. Secũdum Auguſtinum, quidquid non eſt peccatum eſt opus fructuoſum, & ad vitã æternam conducens: ſed nullum opus conducens ad vitam æternam poteſt fieri ſine auxilio ſpeciali, vt docet idem D. Auguſtinus in pluribus locis, ergo ſecundum D. Auguſtinum nullum bonum opus poteſt fieri ſine auxilio ſpeciali: quæ eſt ſententia Gregorij.

Sententia Vegæ et Soti et aliorum.

Apud D. Auguſtinũ omne opus vel eſt peccatũ vel meritoriũ.

1. Ratio.

❡Secundo quicquid non procedit à voluntate fideli, & ſit ex fide, ſecũdum D. Auguſtinũ eſt peccatum: nam in eodem libro. 4. contra Iulianum. c. 3. dicit, Si Gentilis nudum operuerit, nunquid, quia nõ eſt ex fide peccatum eſt? prorſus inquit D. Auguſtinus, inquantum non eſt ex fide: ſed quidquid proficiſcitur ex fide, proficiſcitur ex auxilio ſpeciali, ergo ſecundum D. Auguſtinum, quidquid non procedit ab auxilio ſpeciali eſt peccatum.

2. Ratio.

❡Et confirmatur nam ſecundum D. Auguſtinũ omne opus, quãtumuis honeſtum etiam ſi habeat pro fine ipſam operis honeſtatẽ, eſt peccatum, niſi in Deum tanquam in finem referatur: ſed nullũ opus poteſt debitè referri in Deũ tanquam in vltimũ finem, & fieri propter eius amorem, ſine auxilio ſpeciali, vt docet idem D. Auguſtinus multis in locis, ergo ſecundum D. Auguſtinum nullum opus poteſt fieri, quod non ſit peccatum ſine auxilio ſpeciali, quę eſt ſententia Gregorij. Cõſequẽtia cum minori eſt nota, & maior probatur ex lib. 4. contra Iulianum. c. 3. vbi dicit, Proinde virtutes, quæ carnalibus delectationibus, vel quibuſcunq; commodis tẽporalibus ſeruiunt, veræ prorſus eſſe non poſſunt. Et, vt intelligeretis D. Auguſtinũ cum dicit has virtutes non eſſe veras virtutes, ſignificare, & docere eſſe vitia, atq; peccata, ſubdit ſtatim, Veræ quippe virtutes Deo ſeruiunt in hominibus, a quo dantur hominibus: Deo ſeruiũt in Angelis, à quo dantur, & Angelis: quidquid autem boni fit ab homine, & non propter hoc fit, propter quod fieri vera ſapientia præcipit, & ſi officio videatur bonũ, ipſo non recto fine peccatũ eſt. Et lib. 19. de Ciuitate. c. 25. apertiſsime dicit, Proinde virtutes, quas ſibi habere videntur, per quas imperant corpori, atq; vitijs ad quodlibet adipiſcendũ, & tenendum, niſi ad Deum retulerint ipſa potiùs vitia ſunt, quã virtutes. Nam licet à quibuſdam tunc veræ & honeſtæ putẽtur eſſe virtutes, cũ ad ſe ipſas, referũtur nec propter aliud expetũtur, etiã tũc inflatę atq; ſuperbæ ſunt, & ideo nõ virtutes, ſed vitia putanda ſunt.

3. Ratio.

❡Tandẽ hoc idẽ probatur: nam D. Proſperus, qui fuit diſcipulus Auguſtini eo libro, quo Auguſtinũ defendit ab illis, qui eũ accuſabant, propterea ꝙ gratiæ Dei nimiũ tribuiſſet, ponit ſentẽtiã Gregorij, & tuetur eã tãquã catholicã: cõtrariãquè dicit

Vltima ratio

eſſe

eſſe Pelagianã. Vnde in lib. de gratia Chriſti edito contra Caſsianum pro Aug. c. 28. cum dixiſſet Caſsianus dubitandum non eſſe, quin in homine naturaliter ſint ſemina virtutum, quibus ipſe per ſe aliquid bene facere poſsit: D. Proſper hanc ſententiã tãquam falſam refellit, & dicit, maniſeſtiſſimum eſſe impiorum animis nullam poſſe inhabitare virtutem, ſed omnia illorum opera eſſe immunda & polluta, qui ſapientiam non ſpiritualem, ſed animalem, non cœleſtem, ſed terreſtrem, non Chriſtianã, ſed diabolicam habent: & idem repetit. c. 29. & cap. vltimo. Signum ergo eſt, quòd D. Auguſtinus fuit in eadem ſententia.

Argumentum deſumptum ex teſtimonijs D. Auguſtini.

¶ Sed contra hoc aſſerunt nonnulli aliqua teſtimonia Diui Auguſtini, quibus ipſe videtur ſignificare hominem ſine gratia Dei poſſe efficere aliqua opera moraliter bona, ergo non fuit in ſententia Gregorij.

Solutio.

¶ Reſpõdetur quod bona opera ſunt in duplici differentia. Quædam enim ſunt bona ex obiecto, & ex genere ſuo, non autem ex circunſtantijs: & hæc propriè nõ dicuntur bona moralia, quia ſunt peccata. Alia vero ſunt bona ex obiecto, & ex circunſtantijs ſimul, & hæc appellantur propriè bona moralia. Hoc ſuppoſito ad argumẽtum dico, quòd quando D. Auguſtinus dicit, homines poſſe facere aliqua bona ſine gratia Dei, loquitur de bonis primo modo, & non ſecundo. Idque conſtat ex eodẽ lib. 4. contra Iulianũ cap. 13, vbi dicit, quod poſſunt aliqua bona fieri non tamen bene, a quibus fiunt. Bonum eſt enim ſubuenire periclitati, tamen qui hoc facit amãdo gloriam hominum, facit bonum, & non bene. Et cap. 18. idem aſſirmat. Ex dictis ergo omnibus infertur ſententiam D. Auguſtini fuiſſe, quod homines nullum bonum opus morale efficere poſſunt, ſine gratia Dei: quod item aſſirmabat Gregorius.

Dubium.

¶ Sed quæret aliquis hoc loco vtrùm hęc ſententia Gregorij atque D. Auguſtini aliqua ex parte coincidat cum ſententia Lutheri damnata in Concil. Tridentino: nam ſunt, qui teneãt partem aſſirmatiuam, propterea, quòd Lutherus aſſirmat liberum arbitrium ex ſe nihil valere, niſi ad peccandum: quòd item ex ſententia Gregorij atque Auguſtini ſequi videtur.

Sententia autoris.

¶ Cæterùm hoc non obſtante dico, quod ſententia D. Auguſtini atq; Gregorij proculdubio nullatenus differt ab errore dãnato Lutheri. Quod, vt intelligatur aduertendum eſt, quod Lutherus, qui ſibi propoſuerat auertere homines a fiducia bonorum operum, & à ſatisfactionib⁹ pro peccatis, propterea, quòd hac ratione exiſtimabat maximum malum inferre ſummo Pontifici, & eneruare claues Eccleſiæ, atque illius honeſtos redditus minuere: ad hoc efficiendũ tria docere eſt aggreſſus. Primum eſt, omnia opera, quæ fiunt ab homine dum eſt in peccato, etiam illa, per quę ſe ad gratiam diſponere nititur, eſſe peccata, & mereri odium Dei: atq; adeò dicit ipſam contritionẽ & dolorem peccatorum reddere homines magis peccatores, vt eſt videre apud Rophenſem contra Lutherum art. 6. Secundo dicebat, quòd omnia opera ſiue in gratia, ſiue extra gratiam fiant, ſunt peccata ad minus venialia: quod probat ex eo, quod in nullo opere quantumuis honeſto diligimus Deũ quantum eſt diligendus, & vt præcipitur, vt illũ diligamus: vt eſt videre apud Rophenſem art. 31. & 32. Tertio dicebat Lutherus, quòd homines non habent liberum arbitrium, vt patet ex eodem Rophenſe art. 36. Et ad hunc errorem probandum aſſumpſit ſibi tanquam certam ſententiam D. Auguſtini atque Gregorij, nimirum, quòd homines ſuis viribus non poſſunt bene operari: & quòd liberum arbitrium poſt peccatum ex ſe tantum valet ad peccatum: ex quo neceſſario ſequi putabat, liberum arbitrium non eſſe liberum arbitrium, ſed rem de ſolo titulo, vt docet Rophenſis art. 36. contra Lutherum. Cæterùm Lutherus in vtroque deceptus eſt, ſcilicet, in eo, quod negauit liberum arbitrium, & in eo, quod exiſtimauit id ſequi ex ſententia Auguſtini. Nam quamuis verum eſſet quod homo ſuis viribus non poſſet bonum aliquod operari, adhuc tamen, ex hoc non ſequeretur, quod non habet liberum arbitrium: quia per gratiam Dei, quam habet ſemper paratã, poſſet acceptare vel reſutare, atque ex conſequenti bene vel male operari, quod ſatis eſt ad arbitrij libertatem, vt latè oſtẽdimus in materia de libero arbitrio prima part. q. 83. art. 1. Ex his igitur quatuor ſententijs, quas poſuit Lutherus, prima, quòd diſpoſitiones ad gratiam ſunt peccata, ſecunda, ꝙ opera etiam iuſtorum ſunt peccata, tertia, quod homo caret libero arbitrio. quarta, ꝙ homo ex ſuis viribus non valet niſi ad peccatum, tres priores damnatæ ſunt in Concilio Tridentino, quarta autem quoniam habebat aſſertores viros catholicos, nec ab-

quod

quid iuuat cauſam Lutheri, non fuit damnata, ſed relicta in eo gradu probabilitatis, quem antea habebat, vt conſtat ex concil. Trident. ſeſsio. 6. Nam can. 5. aſſerit, eſſe liberum arbitrium, & cano. 25. diffinit, non omnia opera iuſtorum eſſe peccata: & canon. 7. quod propius accedere videtur ad ſententiam Gregorij iſto modo habet. Si quis dixerit ante iuſtificationem omnia opera, quacunq; ratione facta ſint, eſſe peccata vel odium Dei mereri, aut quanto vehementius quis nititur ſe diſponere ad gratiam, tanto eum grauius peccare, anathema ſit. In quibus verbis non diffinitur, omnia opera, quæ fiunt ante gratiam iuſtificantē, eſſe bona, nec omnia eſſe mala, ſed quod poſſunt homines ante gratiam iuſtificantem bene interdum operari, tunc, ſcilicet, quando præuenti auxilio diuino paulatim mouent ſe ad iuſtitiam conſequendam, cōcipiendo timorem, & dolendo de peccatis dolore quodam imperfecto, qui dicitur attritio, & alijs bonis operibus animum ſuū magis, ac magis ab iniquitate remouendo. In qua diffinitione aperte damnatur error Lutheri, qui dicit, omnia opera quæ facit peccator, vt ſe diſponat ad gratiā, eſſe peccata. Cæterùm ſententiam Gregorij atque Auguſtini nulla ex parte attingit. Nā quāuis dicant non poſſe hominem ſine auxilio ſpeciali bene operari, non tamen negant id auxilium ſæpe peccatoribus & infidelibus conferri, quin potius affirmāt, quòd ea opera, quibus homo interdum ad iuſtitiam cōſequendam diſponitur vt attritio, metus, &c. ſunt bona, & quod proficiſcuntur ex auxilio ſpeciali. ¶ Ex dictis infertur, quod neq; Gregorius dixit nec ſequitur ex illius opinione atque ſententia, quòd omnia opera infidelium, aut fidelium exiſtentium extra gratiam ſunt peccata, vt multi falſo illi imponunt. Et quidem quòd id non dixerit patet manifeſte. Nam in. 2. diſt. 28. q. 1. ad. 9. argumentum, cum obiecíſſet ſibi ſe qui ex ſua opinione, omnia opera peccatorum, & infidelium eſſe peccata, reſpondet negando ſequelam, & affirmat multa bona opera fieri ab infidelibus cum ſpeciali Dei auxilio, maxime cum incipiunt ſe diſponere ad iuſtitiam. Quod autem, neq; id ſequatur, ex ſentētia Gregorij probatur: nā quamuis peccatores, & infideles careant gratia iuſtificante, ſæpe tamen adiuuantur à Deo auxilio ſpeciali ad bona opera efficiēda: & ſic non ſequitur, quòd, ſi non poſſunt ſuis viribus bene moraliter operari, omnia illorum opera ſunt peccata. Et hæc de iſta difficultate.

Gregorius nunquam dixit omnia opera infideliū eſſe peccata.

¶ Circa ſecundam concluſionē D. Tho. nihil aliud reſtat dicendum. Nam cū ſupra oſtenderimus infideles tātum ſuis viribus poſſe efficere aliqua bona opera moralia, quæ nullo modo ſunt peccata, manifeſtè ſequitur, quòd non omnia opera infideliū ſunt peccata, ſed illa tantum, quæ fiunt ex infidelitate ratione mali finis adiuncti ab ipſo operante. Et eſt hoc verum, non ſolum de illis infidelibus, qui cognoſcunt verum Deum, & illum colunt: quales ſunt hæretici, & Iudæi, & Saraceni, &c. ſed etiam de illis, qui ſunt idololatræ, & habent plures ac falſos deos propter rationes iam dictas. *Nota.*

¶ Sed eſt dubium ex Caietano, vtrùm illi, qui vendunt infidelibus ea, quibus ipſi vtuntur ad ritum infidelitatis, peccent mortaliter? Et pro parte affirmatiua eſt argumentum. Ille, qui ædificat Synagogam peccat mortaliter: ergo & ille, qui vendit res ad cultum Iudaicum neceſſarias. Antecedens eſt manifeſtū, & conſequentia probatur ex paritate rationis. ¶ Et confirmatur ex capitulo vltimo extra de ſagittarijs, vbi infertur excommunicatio contra eos, qui vendunt arma infidelibus: ſed eadem ratio eſt de armis, & de alijs rebus ad cultū ſuæ religionis pertinētibus, ergo etiam qui hæc vendunt peccant. ¶ Secundo, vendere infidelibus ea, quibus ipſi vtuntur ad cultu falſi Dei, eſt cooperari malo, & conſentire facientibus: ſed hoc proculdubio eſt malū, atque peccatū, ergo & illud ex quo ſequitur. ¶ In contrarium tamen eſt: nam Romæ, & Auinionæ publicè permittūtur Iudæi, illiſq; Chriſtiani ſciente Papa, & conſentiente indiſcriminatim vendūt ea, quibus ipſi vtuntur ad ſacrificia, & alijs ſuæ religionis cultus: quod non facerent, ſi crederent hoc eſſe peccatum, ergo.

Dubium ex Caietano.

1. Argumētum pro parte affirmatiua.

Cōfirmatio.

2. Argum.

¶ Ad explicationem huius difficultatis eſt aduertendum, multipliciter poſſe contingere, quòd aliquis vendat infidelibus ea, quæ ad illius ritum pertinēt. Primo modò, ſi vendit ea, quæ ad nihil aliud ſunt vtilia quam ad infidelitatem, vt, ſi quis vendat idola, aut veſtes ſacerdotales &c. Secundo, ſi vendit ea, quorum vſus communis eſt ad bonū, & ad malū, vt res naturales, animalia, fructus, flores, veſtes communes, &c. & alia huiuſmodi. Et hoc adhuc poteſt fieri multipliciter, vno modo vendendo ad hunc effectum,

Nota pro explicatione difficultatis.

ctū, ſcilicet, vt habeāt opportuna ad ſuum cultum: alio modo neſciendo, quod infideles illa ementes ſint vſuri talibus rebus ad ſuos ritus, vel cæremonias: tertio cognoſcēdo, quòd infideles iſta emunt pro ſuis ſacrificijs, & alijs actibus ad ſuā falſam religionem pertinentibus. *1. Dictum.* ¶ Hoc ſuppoſito dico primo, quod vendēs infidelibus ea, quæ ad nihil aliud ſunt vtilia, quàm ad infidelitatē, proculdubio peccat mortaliter. Probatur: nam cooperatur malo vendens id, quod ex natura ſua habet ordinem ad malum. *2. Dictum.* ¶ Secundo dico, vendens ea, quorum vſus communis eſt ad bonū, & ad malum ea intentione, vt infideles habeant ea, quæ ad ſuum cultum ſunt opportuna, peccat mortaliter. Probatur: nam hoc etiam eſt cooperari malo instrumenta dando ad peccandū. *3. Dictum.* ¶ Tertiò dico, vendens res, quarum vſus communis eſt ad bonum, & ad malum, neſciens, quòd infideles illis ſint vſuri ad actus ſuæ religionis, nullum peccatū committit. Probatur: quia ignorantia inuincibilis excuſat à peccato, & certum eſt quòd illa ignorantia eſt inuincibilis, cum ſit de re, quam fidelis non tenetur ſcire. Et hæc certa ſunt, & extra controuerſiam poſita.

Dubium. ¶ Sed dubium eſt, Vtrùm vendens res, quarum vſus communis eſt ad bonum, & ad malum, cognoſcens quod infideles illis ſint vſuri ad ritus ſuæ infidelitatis, peccet mortaliter? De qua re ſunt variæ doctorū ſententiæ: nā *Autor Roſe.* Autor ſummę Roſellæ, verbo, Iudæus partem tenet affirmatiuam. Et præcipua ratio illius eſt: quia cùm talis videatur conſentire peccato mortali alterius, videtur *Sētētia vera.* etiā, quòd peccet mortaliter. Sed oppoſita ſententia eſt longè probabilior, quā tenet Caieta. in præſenti. Et probatur, Vendens res communes cum ſcientia & ſine timore mali ſuturi, nec ex parte ſua, nec ex parte rei venditæ dat occaſionem peccandi, ergo nō peccat mortaliter. Conſequentia eſt nota, & antecedēs probatur. Et quidem, quòd ex parte rei venditæ non det occaſionem peccandi, eſt res manifeſta: quia iam diximus eſſe indifferētem. Quod autem, nec etiam eā det ex parte ſui, probatur, Ex parte ſuæ voluntatis nullus eſt cōſenſus, ſed tantum ex parte intellectus eſt ſcientia mali futuri: ergo ex parte ſui, ille malus vſus, qui ſequitur, nō eſt voluntarius, atq; ex conſequenti non poteſt eſſe peccatū mortale. Et confirmatur, Ille malus vſus non eſt voluntarius directè, nec indirectè reſpectu illius, qui vēdit res indifferētes, ergo reſpectu illius ea vēditio non eſt peccatū mortale. Conſequentia eſt nota, & antecedēs probatur. Et quidem, quòd non ſit directè voluntarius, conſtat ex dictis, iam enim diximus, quòd non eſt à voluntate vendētis. Quod autem nec etiam ſit voluntarius indirectè probatur. Id dicitur indirectè volūtarium, quod poteſt quis & tenetur vitare, ſed illū malū vſum non tenetur vendens vitare, quamuis poſſit illum vitare, non vendendo, alias oporteret venditores rerū ſemper ſolicitari circa hoc, quod eſt futurum, ergo nec directè nec indirectè eſt voluntarius: maximè, quod cùm ipſe vendat res indifferentes, & quæ ex natura ſua non ordinantur ad malum, omnis illa mala ordinatio, & peſſimus vſus tribuendus eſt ipſi emptori. Et per hoc patet ſolutio ad fundamentum Roſellæ.

Ad 1. argu. ¶ Ad alia argumēta in principio facta, Ad primum reſpondetur quòd Synagoga ex natura ſua ordinatur ad malum, & proptereà ædificatio illius ſemper eſt peccatū mortale: & idem iudiciū eſt de venditione rerum, quæ per ſe ordinantur ad cultū infidelitatis: cæterum res indifferentes benè vēdi poſſunt ad modū iam explicatū. *Ad confir.* ¶ Ad confirmationē ex ca. vltimo de Sagittarijs, reſpondetur, quod quamuis in illo capite non eſſet lata ſententia excomunicationis contra illos, qui vendunt arma infidelibus, adhuc tamen id facientes ex natura rei peccarent mortaliter, propter intrinſecum ordinem, quē arma habent ad bellum, quod ſemper eſt iniuſtum ex parte infidelium. At verò, qui vēdit res communes, quæ ex natura ſua non ſunt ordinatæ ad malū, nulla ratione cooperatur malo, & ſic non peccat mortaliter: maximè nulla exiſtente lege, quæ contrarium prohibeat. *Ad. 2. arg.* Et eodem modo reſpondetur ad ſecundum argumentum. Et hæc de iſto articulo.

ARTICVLVS. V.

¶ *Vtrum ſint plures infidelitatis ſpecies.*

Infra. q. 11. ar. 1. cor. & q. 94. a. 1. ad 1.

AD QVINTVM ſic proceditur, Videtur quòd nō ſint plures infidelitatis ſpecies. Cum enim fides & infidelitas ſint cōtraria, oportet quòd ſint circa idem: ſed formale obiectū fidei eſt veritas prima, à qua habet vnitatem, licet multa materialiter credat, ergo etiam obiectum infideli-

tatis eſt veritas prima. Ea verò quæ diſcredit infidelis, materialiter ſe habēt in infidelitate. Sed differētia, ſecundū ſpeciem non attenditur ſecūdum principia materialia, ſed ſecundum principia formalia, ergo infidelitatis nō ſunt diuerſæ ſpecies ſecundum diuerſitatē eorum, in quibus infideles errant.

2 ¶ Præterea, Infinitis modis poteſt aliquis à veritate fidei deuiare, ſi ergo ſecundum diuerſitates errorum diuerſæ ſpecies infidelitatis aſſignentur, videtur ſequi, quod ſint infinitæ infidelitatis ſpecies, & ita huiuſmodi ſpecies non ſunt conſiderandæ.

3 ¶ Præterea, Idem non inuenitur in diuerſis ſpeciebus, ſed contingit aliquem eſſe infidelem ex eo, quòd errat circa diuerſa, ergo diuerſitas errorum non facit diuerſas ſpecies infidelitatis, ſic ergo infidelitatis non ſunt plures ſpecies.

¶ SED CONTRA eſt, quod vnicuique virtuti opponuntur plures ſpecies vitiorum. Bonum enim contingit vno modo, malum verò multipliciter: vt patet per Dion. 4. cap. * de Diuin. nomi. & per Philoſoph. in. 2.* Ethic. ſed fides eſt vna virtus, ergo ei opponūtur plures infidelitatis ſpecies.

Cap. 4. part. 4. à medio. Ariſtot. 2. Eth. cap. 6. à med. to. 5.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd quælibet virtus conſiſtit in hoc, quòd attingit regulam aliquam cognitionis vel operationis humanæ, vt ſuprà * dictum eſt. Attingere autem regulam eſt vno modo circa vnam materiam, ſed à regula deuiare contingit multipliciter. Et ideo vni virtuti multa vitia opponūtur. Diuerſitas autem vitiorum, quæ vnicuique virtuti opponūtur, poteſt cōſiderari dupliciter. Vno modo ſecundū diuerſam habitudinē ad virtutem: & ſecundū hoc determinatæ ſunt quædam ſpecies vitiorum, quæ opponūtur virtuti ſicut virtuti morali opponitur vnū vitium ſecundum exceſſum ad virtutē, & aliud vitium ſecundum defectum à virtute. Alio modo poteſt conſiderari diuerſitas vitiorum oppoſitorum vni virtuti ſecundum corruptionem diuerſorum, quæ ad virtutem requiruntur: & ſecundum hoc vni virtuti, puta temperantiæ, vel fortitudini, opponuntur infinita vitia, ſecundum quod infinitis modis contingit diuerſas circunſtantias virtutis corrumpi, vt à rectitudine virtutis recedatur. Vnde & Pythagorici * malum poſuerunt infinitum, ſic ergo dicendum, quod ſi infidelitas attendatur circa comparationem ad fidem, diuerſæ ſunt infidelitatis ſpecies, & numero determinatæ. Cum enim peccatum infidelitatis conſiſtat in renitendo fidei, hoc poteſt cōtingere dupliciter. Quia aut renititur fidei nondum ſuſceptæ: & talis infidelitas eſt Paganorum, ſiue Gentilium. Aut renititur fidei Chriſtianæ ſuſceptæ, vel in figura, & ſic eſt infidelitas Iudæorum: vel in ipſa manifeſtatione veritatis, & ſic eſt infidelitas hæreticorum. Vnde in generali poſſunt aſsignari tres prædictæ ſpecies infidelitatis. Si vero diſtinguantur infidelitatis ſpecies ſecundum errorem in diuerſis, quæ ad fidē pertinent, tunc non ſunt determinatæ infidelitatis ſpecies. Poſſunt enim errores in infinitū multiplicari: vt patet p Aug. * in lib. de Hæreſibus circa finē.

1. 2. q. 19. artic. 3. & 4. Et q. 64. artic. 1. & q. 96. ar. 1. & q. 90. ar. 1.

Vt dicitur 2. Ethi. c. 6. à med. to. 5.

In lib. de hæreſ. ad quod vult Deum, circa fi. to. 6.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd formalis ratio alicuius peccati poteſt accipi dupliciter. Vno modo ſecundum intentionem peccantis: & ſecundum hoc id, ad quod conuertitur peccans, eſt formale obiectum peccati. Et ex hoc diuerſificantur eius ſpecies. Alio modo ſecundum rationem mali, & ſic illud bonum, à quo receditur, eſt formale obiectum peccati: ſed ex hac parte peccatum nō habet ſpeciem, imò eſt priuatio ſpeciei. Sic ergo dicendum eſt, quòd infidelitatis obiectū eſt veritas prima, ſicut à qua receditur: ſed formale eius obiectū, ſicut ad quod cōuertitur, eſt ſententia falſa,

falſa quam ſequitur. Et ex hac parte eius ſpecies diuerſificãtur. Vnde ſicut charitas eſt vna, quæ inhæret ſummo bono: ſunt autem diuerſa vitia charitati oppoſita, quæ per conuerſionem ad diuerſa bona temporalia recedunt ab vno ſummo bono, & iterum ſecundum diuerſas habitudines inordinatas ad Deum: ſic etiam fides eſt vna virtus ex hoc, quod adhæret vni primæ veritati. Sed infidelitatis ſpecies ſunt multæ ex hoc, quòd infideles diuerſas & falſas ſententias ſequũtur.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd obiectio illa procedit de diſtinctione ſpecierum infidelitatis ſecundum diuerſa, in quibus erratur.

¶ Ad tertium dicendum, quòd ſicut fides eſt vna, quia multa credit in ordine ad vnum: ita infidelitas poteſt eſſe vna, etiam ſi in multis erret, inquantum omnia habent ordinem ad vnũ. Nihil tamen prohibet hominem in diuerſis infidelitatis ſpeciebus errare, ſicut etiam poteſt vnus homo diuerſis vitijs ſubiacere, & diuerſis corporalibus morbis.

SVMMA TEXTVS.

Antequam D.Tho. reſpondeat ad hãc difficultatem præmittit duo. Primũ eſt, quòd vni virtuti plura vitia poſſunt opponi. Et ratio eſt, quia cum omnis virtus cõſiſtat in hoc, ꝙ attingat regulam, vel cognitiõis, ſi virtus eſt intellectualis, vel operationis, ſi eſt moralis, & hæc attingentia circa vnam materiam poſsit cõtingere tantum vno modo, deuiatio autẽ à regula contingat multipliciter, manifeſtè ſequitur, ꝙ vni virtuti poſſunt plura vitia opponi. Secundo præmittit, quòd vitia, quæ vni virtuti opponuntur, poſſunt dupliciter conſiderari: vno modo ſecundum habitudinem diuerſam, quam habent ad virtutem: alio modo ſecũdum corruptionem eorum, quæ ad virtutem requiruntur. Si conſiderentur primo modo certum eſt, quòd ſpecies vitiorum, quæ vni virtuti opponuntur, ſunt certæ, & determinatæ ſicut habitudines, quas vitia habent ad virtutes determinatæ ſunt: vni enim virtuti, verbi gratia, temperantiæ tãtum opponitur vnum vitium per exceſſum, & aliud per defectum. Si autem conſiderentur ſecũdo modo, ſic vni virtuti poſſunt infinita vitia opponi, ſecundum quod infinitis modis contingit circunſtantias virtutis corrumpi, vt à rectitudine virtutis recedatur. ¶ His ſuppoſitis ſit prima concluſio. Loquendo de infidelitate, ſecundum habitudinẽ, quam habet ad fidem, ſic ſpecies illius ſunt tres tãtum, ſcilicet, Paganiſmus, Iudaiſmus, & hereſis. Probatur, Infidelitas ſecundum ordinem, quem habet ad fidem, conſiſtit in hoc, quod quis fidei renitatur: ſed huiuſmodi renitentia poteſt tantum contingere tripliciter: vno modo renitendo fidei nondum ſuſceptæ, & talis eſt infidelitas Paganorum: alio modo renitendo fidei ſuſceptæ, & hoc adhuc dupliciter, ſcilicet, vel ſuſceptæ in figura, & ſic eſt infidelitas Iudæorum, vel ſuſceptæ in ipſa manifeſtatione veritatis, & ſic eſt infidelitas hæreticorum: ergo ſpecies infidelitatis conſideratæ ſecundum ordinem, quem habent ad fidem tantum ſunt tres, ſcilicet, Paganiſmus, Iudaiſmus, & hæreſis. ¶ Secũda concluſio, Loquendo de infidelitate ſecundum corruptionem eorum quæ per fidem ſunt credenda, ſic non ſunt determinatæ ſpecies infidelitatis, ſed poſſunt in infinitũ creſcere. Probatur, Errores cõtra fidem poſſunt in infinitum multiplicari, vt docet D. Aug. in lib. de hæreſibus, circa finem: ergo ſpecies infidelitatis, loquendo de infidelitate ſecundum corruptionem eorum, quæ per fidem ſunt credenda, non ſunt determinatæ.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Circa ſecundum fundamentum poſitũ à D.Tho. eſt difficultas, vtrùm illa vitia, quæ conſiderantur ſecũdum corruptionem eorum, quæ ad virtutẽ pertinent, ſint diſtincta ſpecie: ſicut & illa, quæ conſiderantur ſecundum habitudinem ad ipſam virtutem? Et quod diſtinguantur ſpecie probatur ex D.Tho. in hoc articulo, & præcipue in ſolutione ad primũ: vbi ponit duplex formale in peccato, per quod vitia diſtinguũtur, dicẽs, ꝙ formalis ratiò alicuius peccati poteſt dupliciter conſiderari. Vno modo ſecundum intẽtionem peccantis, & ſic id, ad quod peccans conuertitur, eſt formale obiectũ peccati: alio modo ſecũdũ rationẽ mali, & ſic illud bonum, à quo receditur eſt formale obiectum peccati: ſed quæcunq;

Dubium.

Argumentum pro parte affirmatiua.

cunq; diſtinctio formalis obiecti facit ſpecificam diſtinctionem, ergo ſecundum D. Tho. omnia illa vitia, quæ conſiderantur ſecundum corruptionem eorum, quæ pertinent ad virtutem ſunt ſpecie diſtincta.

Argumentum in contrarium.

¶ In contrarium tamē eſt: nam ſi hoc eſſet verum ſequeretur non rectè D. Tho. 1. 2. in materia de virtutibus, & in materia de peccatis egiſſe de diſtinctione ſpecifica vitiorum, & virtutum dicens, quòd ea ſumenda eſt ex obiecto, ad quod operans ſe conuertit, cum etiā ſumatur ex priuatione illius, quod ad eſſe virtutis requiritur. Conſequens autem eſt abſurdum, ergo.

Nota pro explicatiōe difficultatis.

¶ Pro explicatione huius difficultatis aduertendum eſt ex Caietano in præſenti, quod peccatum, ſicut eſt in duplici genere, ſcilicet, mali moralis, & mali ſimpliciter: ità ſub vtroq; genere habet diſtinctas ſpecies: hoc tamen diſcrimine quod, ſicut conſtituitur in genere mali moralis per aliquid poſitiuū ita etiā cōſtituitur in ſpecie per aliquid poſitiuū, ſcilicet, per ordinem ad obiectum, ad quod peccans ſe conuertit: & iſtæ ſpecies peccatorum ſunt veræ & propriæ ſpecies. Secundum quam conſiderationem ſunt tātum tres ſpecies infidelitatis, ſcilicet Paganiſmus, Iudaiſmus, & hæreſis. At verò, ſicut peccatum cōſtituitur in genere mali ſimpliciter per priuationem, ità conſtituitur in ſpecie per priuationem alicuius perfectionis debitæ ineſſe: & ſicut malum ſimpliciter, non eſt propriè genus, ſed potiùs priuatio generis, eſt tamen genus ſecundum quid in ſuo ordine: ità & ſpecies illius non ſunt propriè ſpecies, ſed priuationes ſpecierum: ſunt tamen ſpecies ſecundum quid, & in ſuo ordine. Et de hac diuerſitate ſpecifica loquitur Diuus Tho. in hoc articulo, quando dicit, quòd vitia diſtinguuntur ſecundum corruptionem eorū, quæ ad virtutem requiruntur: de prima verò in Prima ſecūdæ, vbi de proprijs peccatorū ſpeciebus agebat. Et quòd hæc fuerit mens Autoris ex eo patet, quod diſtinctionem factam in corpore articuli de duplici diſtinctione vitiorum, ad diſtinctionem factam in reſponſione ad primum, de duplici formali, conſtat pertinere: omnis enim diſtinctio ſpecifica ex aliquo formali ſumenda eſt. Et certum eſt quod ex illis duabus rationibus formalibus, vna eſt poſitiua, cōſtituens certas & determinatas ſpecies vitiorum: alia priuatiua, quæ poteſt conſtituere infinitas ſpecies, ſecundum quod in infinitis modis poteſt à veritate fieri receſſus.

Dubium circa primā cōcluſionē D. Tho. de veritate illius.

¶ Circa primam concluſionem D. Tho. in qua dicit, quòd loquendo de infidelitate ſecundum habitudinem, quam habet ad fidem, tres tantum ſunt ſpecies illius, Paganiſmus, Iudaiſmus, & hæreſis, eſt difficultas, vtrum vera ſit. Et pro parte negatiua arguitur primo. Diſtinctio ſpecifica actus, vel habitus ſumitur ex obiecto, vt pluribꝰ in locis docet idem D. Thom. ergo in infidelitate non debet ſumi ex diuerſa habitudine, quam habet ad fidem.

1. Argu. pro parte negatiua.

¶ Secundò, Differentia ſpecifica non debet eſſe accidentalis, ſed reniti fidei ſusceptæ, vel non ſuſceptæ, eſt accidēs reſpectu infidelitatis: ergo hoc non poteſt conſtituere diſtinctas ſpecies illius. Conſequētia cum maiori eſt nota, & minor probatur. Eiuſdem rationis eſt reniti temperantiæ habitæ, vel non habitæ, & per idem quis expellit formam ſuſceptā, & reſiſtit ſuſcipiendæ, ſicut aqua per eandem frigiditatem expellit calorē ſuſceptum & reſiſtit ſuſcipiendo, ergo pari ratione per eandem ſpeciem infidelitatis reſiſtit homo fidei habitæ, & non habitæ: atq; ex conſequenti per hoc non poſſunt diſtingui diuerſæ ſpecies illius.

2. Argum.

Primum notabile pro intelligētia veræ ſentētiæ.

¶ In contrarium tamen eſt D. Thom. in præſenti, quem cōmuniter ſequūtur Theologi. Ad cuius explicationem aduertēdum eſt primo, quòd quemadmodum actus fidei conſiſtit in hoc, quòd quis aſſentiatur ſententiæ veræ, quia à Deo eſt reuelata: ita etiam actus infidelitatis conſiſtit in hoc, ꝙ quis aſſentiatur ſententiæ contrariæ: eſt enim infidelitas non tam priuatiuè quam contrariè oppoſita fidei, & ſic debet habere obiectum contrarium obiecto fidei.

2. Notabile.

¶ Secundo eſt aduertendum, ꝙ ſicut actus fidei eſt actus intellectus moti à volūtate, ita etiam actus infidelitatis eſt actus intellectus moti à voluntate: peccatum enim infidelitatis præcipuè conſiſtit in hoc, ꝙ quis renitatur fidei, vt D. Tho. affirmat in hoc articulo, & certum eſt, quòd huiuſmodi renitentia potius ad voluntatem, quam ad intellectum ſpectat, ex quo fit, vt ſpecies infidelitatis non ſumantur, ſecundum ſententias contrarias fidei abſolute, alias omnes hæreticorum errores, qui contrarientur diuerſis veritatibus fidei inter ſe ſe diſtinguerentur ſpecie, quod eſt apertè falſum: ſed diſtinguntur ex eo, quod eſt volūtariè ſentire ſententiam contrariam: & ſic

vbi-

vbicunq; fuerit diuerſa ratio voluntariè ſen tiendi cōtra fidem, ibi etiam in genere mo ris erit diuerſa ſpecies infidelitatis: & quia reniti fidei ſuſceptæ habet peculiarē rationem voluntariè renitēdi, diſtinctam ab ea, qua quis reſiſtit fidei nō ſuſceptæ, hinc fit, qđ infidelitas Paganorū, quæ reſiſtit fidei non ſuſceptæ eſt ſpecies diſtincta ab alijs. Et quia reſiſtere fidei explicitè ſuſceptæ, etiam dicit peculiarem deordinationem di ſtinctam ab ea, quæ eſt reſiſtere fidei ſuſceptæ ſolū in figura, idcircò ſimiliter ſpecies infidelitatis hæreticorū eſt diſtincta ab ſpe cie infidelitatis Iudæorū. Et ſic conſtat conuenientiſsimè D.Tho. has tres ſpecies infi delitatis tantum conſtituiſſe: quod & facit Celeſtinus Papa in quadam ſua epiſtola ad Epiſcopos Galliæ, quæ habetur in cōcil. Epheſino: conſonantq; ritui Eccleſiæ, quæ in die Paraſceues pro his tantum infidelibus, ſcilicet Iudæis, Paganis, & hęreticis, ſigillatim orare conſueuit. Et ratio eſt manifeſta: nam furtum, vel adulterium in mona cho, qui profeſſus eſt paupertatem, & caſti tatem, alterius rationis eſt ab eo, quod laicus cōmittit, vt omnes doctores fatentur: ſed fidelis in baptiſmo promiſit ſe ſeruaturum fidem, & in hoc conſiſtit ſubſtantia Chriſtianiſmi, ergo peccatum infidelitatis in illo alterius rationis erit ab eo, quod non baptizati committunt. Et cōfirmatur, Qui promittit ſe daturum alicui eleemoſynam, ſi non dat alterius rationis peccatum committit ab eo, qui non promiſit: ergo pari ratione dicendum eſt in noſtro propoſito. *Nota.* Et eſt aduertendum, quod, quia reniti fidei in figura eſt idem, quod nō ſeruare promiſſum, & reniti fidei explicitè receptæ, eſt idem ꝙ nō ſeruare profeſsionem, & plurimum intereſt inter ſimplicem promiſsionem, & profeſsionem ſolēnem, idcircò huiuſmodi diuerſæ receptiones fidei diuerſas conſtituūt ſpecies infidelitatis, vt diximus.

Ad. 1. arg. ¶ Ad primum argumentum reſpondetur, quod etiam diſtinguuntur iſtæ ſpecies inter ſe ſe ex parte obiecti, vt optimè explicat Caietanus in hoc articulo. Aliud enim eſt obiectum infidelitatis Paganorū, ſcilicet, contrarium fidei nec profeſſæ nec promiſſæ, & aliud Iudæorum, ſcilicet, contrarium fidei promiſſæ, & aliud hæreticorum, ſcilicet, cōtrarium fidei profeſſæ, quæ omnia in genere moris ſunt diſtincta obiecta, quanuis in eſſe rei ſint vnum atq; idem. Cæterùm, quia habitudines, quas iſtæ ſpecies habent ad fidem, ſunt notiores nobis, quam obiecta, & ita conſequuntur ad illa, vt iuxta diuerſitatem obiecti ſit etiam diuerſitas habitudinis, idcircò D. Tho. in litera non dixit, quod ſpecies infidelitatis diſtinguuntur per obiecta, ſed quod diſtinguūtur per habitudines ad fidem, quod idē eſt. Nā ſicut ꝓdigalitas, & auaritia ſpecie diſtinguūtur per obiecta, ꝓdigalitas enim eſt circa obiectū excedens mediocritatē, in qua liberalitas cōſiſtit: & auaritia eſt circa obiectū deficiēs ab ipſa mediocritate, & tamen iſta diuerſitas obiectorum explicatur nobis per diuerſam habitudinem, quā hæc vitia habent ad virtutem: ita ſimiliter ſpecies infidelitatis aſsignatæ à D.Tho. diſtinguūtur per obiecta, & diuerſitas obiectorū explicatur nobis per diuerſitatem habitudinum, quam habēt ad fidem. ¶ Ad ſecundum reſpondetur conceſſa maiori, negādo minorem. Et ad probationem dico, quod quanuis reniti formæ ſuſceptæ, vel ſuſcipiendæ ſit differentia accidentalis, loquendo de ſuſceptione abſolutè, & propterea talis differentia non poſsit conſtituere diuerſas ſpecies, vt rectè probat argumentum: tamen loquēdo de ſuſceptione profeſsiua, qua quis ſuſcipit aliquam fidem, vel religionem eam profitendo, reniti fidei ſuſceptæ, vel non ſuſceptæ non eſt differētia accidentalis, ſed eſſentialis in genere moris, & ſic conſtituit diuerſas ſpecies peccati mo ralis, vt iam diximus. Vel ſecundo reſpondetur, quòd quanuis fidei ſecundum ſe acci dat promitti, vel non promitti, non tamen accidit actui quo quis renititur illi: quin potius ab ipſa promiſsione ſumit ſpeciem, ſicut & actus quo ego nolo dare pecuniam promiſſam ſumit ſpeciem ab ipſa promiſſione, quanuis ipſi pecuniæ accidat promitti, vel non promitti.

¶ Sed, vt hæc meliùs intelligātur, adhuc Argumentor contra concluſionem D.Th. *Aliud argu. difficile.* & probo, quòd differētia ſpecifica aſsignata inter hæreſim, & perfidiā Iudaicam, penes hoc, ꝙ eſt reniti fidei ſuſceptæ explicitè, & reniti fidei ſuſceptæ in figura, non ſit ſufficiens. Figura vt ſic, & veritas figurata pertinēt ad eandem fidem, eadem enim eſt fides veteris, & noui teſtamenti, ergo infidelitas oppoſita figuræ, & veritati figuratæ eſt eadem. ¶ Secūdò, figura, vt ſic, & veritas *2. Argum.* figurata, ſolùm differunt penes implicitū, & explicitum, vt conſtat: ſed hæc differentia non eſt ſufficiens ad conſtituendas diuerſas

uerſas ſpecies in genere moris: ergo infidelitas oppoſita figuræ, & veritati figuratæ, eſt eadem ſpecie. Conſequentia cũ maiori eſt nota, & minor probatur. Lædere ſemina, & lædere ſegetes, quæ implicitè continentur in ſeminibus, ad eandem ſpeciem peccati pertinent in genere moris, & ſimiliter contradicere principijs, & contradicere concluſionibus, ergo pari ratione dicendum eſt in noſtro propoſito.

Nota pro ſolutione. ¶ Pro explicatione, & ſolutione horũ argumentorum aduertẽdum eſt, quod differentia ſecundum implicitum, & explicitum, ad duo poteſt referri, ſcilicet, ad id, qđ dicitur eſſe implicitè, vel explicitè, & ad modos, quibus aliqua res dicitur, eſſe implicitè, vel explicitè. Si referatur ad id, quod dicitur eſſe implicitè, vel explicitè, certum eſt, quod nõ facit ſpecificam diſtinctionẽ, nã idẽ eſt, quod in aliquo cõtinetur implicitè, & in alio explicitè. Vt, verbi gratia, eadem concluſio eſt, quæ in ſeipſa eſt explicitè, & in principijs continetur implicitè: & idem triticum eſt, quod priùs in ſeminibus cõtinebatur implicitè, & quod poſteà in ſeipſo eſt explicitè: & idem homo eſt, qui priùs erat in potentia, & poſteà eſt in actu: & deniq; eadem veritas fidei eſt, quæ priùs continebatur implicitè in figuris veteris teſtamenti, & quæ modo explicitè cõtinetur in Euangelio. Si autem differentia, ſecundum implicitum, & explicitum, referatur ad modos quibus res aliqua continetur in alio implicitè, hoc eſt, referatur ad ipſas res, prout vendicant ſibi tales modos eſſendi, ſic dico, quòd differentia ſecũdùm implicitum & explicitum efficit ſpecificã diſtinctionem: vt patet in eiſdem exemplis adductis. Nam quanuis eadem concluſio ſit, quæ continetur implicitè in principijs: & explicitè in ſeipſa: tamẽ principia, quæ implicitè continent concluſionem, diſtincta ſunt ſpecie ab ipſa concluſione, & quanuis triticum, quod continetur implicitè in ſegetibus, & quod poſtea eſt in ſe explicitè, ſit eiuſdem ſpeciei, tamen ipſæ ſegetes ſpecie diſtinguuntur ab ipſo tritico. Et eodem modo dicendum eſt, quòd quanuis eadem veritas fidei eſſet quæ implicitè continebatur in veteri teſtamento, & quæ modo eſt explicitè in nouo: tamen ipſa figura veteris teſtamenti ſpecie differt à veritate fidei, quam implicitè cõtinebat. Et ex hoc fit, quòd infidelitas, quæ opponitur veritati, vt explicitè eſt in ſe, & quæ opponitur, eidẽ veritati, prout erat in figura, ſpecie diſtinguãtur. Et hæc eſt ratio, quam aſsignat D. Thom. in hòc articulo.

¶ Et ſi quis obijciat contra hoc, Fides, quæ erat in patribus veteris teſtamenti, & quæ eſt in nobis, eſt eiuſdem ſpeciei, non obſtante, quòd fidẽs patrum verſabatur circa veritates implicitè contentas in figura, prout in illa continebantur, & fides noſtra verſatur circa eaſdem veritates contentas explicitè in Euãgelio, ergo pari ratione infidelitas, quæ opponitur veritati, vt explicitæ, & quæ opponitur eidem, vt in figura, eſt eiuſdem ſpeciei. *Obiectio.* Reſpõdetur cum Caietano in præſenti, negando cõſequentiam, & dicendo, quòd quanuis fides antiquorũ patrũ & noſtra ſit eiuſdem ſpeciei, propter vnitatem obiecti, quam habet: nihilominus tamen infidelitas oppoſita fidei explicitæ in Euangelio, & infidelitas oppoſita fidei implicitæ in figura, ſunt diuerſarum rationũ. *Solutio.* Et ratio eſt, quia vt docet D. Tho. in ſolutiõe ad primũ, aliter vtitur fides illo vno ſuo obiecto, & aliter infidelitas. Fides enim vtitur illo cõuertendo ſe ad illud: infidelitas autem auertendo ſe ab eo. Et ex hoc fit, vt meritò fides accipiat vnitatem, & ſpeciem ab obiecto: infidelitas autem non, ſed ex ipſis ſententijs, quæ contrariantur, aut figuræ, aut veritati apertæ: ſicut & vitia, quæ opponũtur charitati, vnitatem & diſtinctionem habẽt, non ex obiecto charitatis, ſed ex conuerſione ad diuerſa bona temporalia, quibus receditur à Deo vnico charitatis obiecto. Præterquam quòd, vt ſupra diximus, acceptio fidei in figura erat velut ſimplex promiſsio à Iudæis facta: ſuſceptio autem fidei explicitæ eſt velut profeſsio ſolennis, & plurimum intereſt inter violationem ſimplicis promiſsionis, & profeſsionis ſolennis in genere moris: & propterea huiuſmodi peccata ſpecie diſtinguũtur. Ex dictis patet ſolutio ad alia argumenta.

¶ Circa eandem concluſionem Diui Thom. eſt alia difficultas, vtrum iſtæ tres ſpecies infidelitatis ſint aſsignatæ à Diuo Thom. tanquam ſpecies ſpecialiſsimæ, an vero, tanquam genera ſubalterna, ſub quibus aliæ plures ſpecies ſpecialiſsimæ contineantur. *Dubium.* Et quod ſint aſsignatæ tanquam genera ſubalterna, probatur ex eodem Diuo Tho. qui in corpore articuli dicit, in generali poſſe aſsignari prędictas tres ſpecies, ergo ſentit, quod in particulari poſſunt aſsignari *Argumentũ*

Confirmatio gnari aliæ. ¶ Et confitmatur. Articulo ſequenti dicit, infidelitatem paganorum eſſe eorum, qui nullo modo fidem Euangelicã receperunt, ergo infidelitas Mahumetanorum, qui aliqua ex parte fidem Euangelicam profiteri ſe dicunt, eſt diſtincta ſpecies ab alijs, atque ex conſequenti ſunt plures, quam tres.

Sententia autoris. ¶ Hoc tamen non obſtante dico, quòd ſpecies aſsignatæ ſunt ſpecialiſsimæ, nec vltra illas alia aſsignari poteſt. Et probatur, Inter obiecta, ad quæ infidelitas ſe conuertit, non eſt alia latitudo formalis vltra illam, per quã prædictæ ſpecies diſtinguuntur, ergo non poſſunt eſſe plures ſpecies, quam dictæ. Conſequentia eſt nota, quia diſtinctio ſpecifica in actibus, neceſſario ex diuerſa ratione fotmali obiecti ſumẽda eſt. Antecedens vero probatur, Obiectum infidelitatis paganorum eſt contrarium fidei, nec promiſſæ, nec profeſſæ, & obiectum infidelitatis Iudæorum eſt contrarium fidei promiſſæ, & obiectum infidelitatis hæreticorum eſt contrarium fidei profeſſæ, nec vltra hæc poteſt dari alia ratio formalis infidelitatis, ſed reliquæ omnes ſunt materiales, & quæ tantum efficiunt numericam diſtinctionem intra prædictas ſpecies, ergo tantum ſunt tres ſpecies ſpecialiſsimæ

Ad argum. aſsignatæ. ¶ Et ad argumentum in contrarium factum reſpondetur, quòd D. Thom. non vtitur illa particula, in generali, ad declarandum, quod ſunt aliæ ſpecies ſpecialiſsimæ vltra dictas: ſed, vt hac tatione oſtẽderet quòd ratio ſpecifica in illis non ſumitur ex diuerſa corruptione eorum, quæ ad fidem requiruntur, vt contingit in negatione diuerſarum propoſitionum: ſed ex diuerſa habitudine ad ipſam fidem, non deſcendendo in particulari ad hos, vel illos errores, quos quilibet infidelis poteſt habere intta ſpeciem ſuæ infidelitatis, ad modum iam explicatum. Ad cõfirmationẽ reſpondetur, quod infidelitas Mahumetanorum ad infidelitatem paganorum pertinet: non enim dicitur tecipere Euangelium, niſi ille, qui illud ſimpliciter profitetur in baptiſmo, & certum eſt quòd Mahumetani hoc non faciunt.

ARTICVLVS. VI.

¶ *Vtrùm infidelitas Gentilium, ſeu paganorum ſit cæteris grauior.*

AD SEXTVM ſic proceditur. Videtur, quòd infidelitas Gẽtilium ſiue Paganorum ſit grauior cæteris. Sicut enim corporalis morbus tanto eſt grauior, quãto ſaluti principalioris membri magis contrariatur: ita peccatum tãto videtur eſſe grauius, quanto cõtrariatur ei, quod eſt principalius in virtute. Sed principalius in fide eſt fides vnitatis diuinæ, à qua deficiunt Gentiles multitudinem Deorum credentes. Ergo infidelitas eorum eſt grauiſsima.

2 ¶ Præterea, Inter hæreticos tantò hæreſis aliquorum deteſtabilior eſt, quantò in pluribus & principalioribus veritati fidei contradicunt, ſicut hæreſis Arrij, qui ſeparauit diuinitatem, deteſtabilior fuit, quàm hæreſis Neſtorij, qui ſeparauit humanitatem Chriſti à perſona filij Dei. Sed Gentiles in pluribus & principalioribus recedunt à fide, quàm Iudæi & hæretici, quia omnino nihil de fide recipiũt. Ergo eorum infidelitas eſt grauiſsima.

3 ¶ Præterea, Omne bonum eſt diminutiuũ mali. Sed aliquod bonum eſt in Iudæis: quia confitentur vetus teſtamentum eſſe à Deo. Bonum etiam eſt in hæreticis: quia venerantur nouum teſtamentum. Ergo minus peccant, quàm Gentiles, qui vtrũque teſtamentum deteſtantur.

¶ SED CONTRA eſt, quod dicitur ſecundæ Pet. 2. Melius enim erat illis nõ cognoſcere viã iuſtitiæ, quàm poſt cognitionem retrorſum cõuerti. Sed Gentiles non cognouerunt viam iuſtitiæ, hæretici autem & Iudæi aliqualiter cognoſcentes deſeruerunt. ergo eorum peccatum eſt grauius.

¶ RESPONDEO dicendũ, quòd in infidelitate, ſicut dictum * eſt, duo *Arti. præc.* poſſunt conſiderari. Quorum vnum eſt comparatio eius ad fidẽ, & ex hac parte aliquis grauius cõtra fidem peccat, qui fidei renititur ſuſceptæ: quàm qui renititur fidei nondum ſuſceptæ,

ſicut grauius peccat qui non implet quod promiſit, quàm ſi non impleat quod nunquã promiſit. Et ſecundum hoc infidelitas hæreticorum, qui profitentur fidem Euangelij, & ei renituntur, eam corrumpentes, grauius peccant, quàm Iudæi qui fidem Euangelij nunquam ſuſceperunt. Sed quia ſuſceperunt eius figurã in veteri lege, quam male interpretãtes corrumpunt: ideo etiam eorum infidelitas eſt grauius peccatum, quàm infidelitas Gẽtilium, qui nullo modo fidem Euangelij ſuſceperũt. Aliud, quod in infidelitate cõſideratur eſt corruptio eorum quæ ad fidem pertinent, Et ſecundũ hoc cum in pluribus errent Gentiles, quàm Iudæi, & Iudæi quã hæretici grauior eſt infidelitas Gentiliũ, q̃ Iudæorũ, & Iudæorum, quàm hæreticorũ, niſi forte quorundam, puta Manichæorum, qui etiam circa credibilia plus errant, quàm Gentiles. Harũ tamen duarum grauitatum prima prępõderat ſecundæ, quantum ad rationem culpę: quia infidelitas habet rationem culpę, vt ſupra dictũ * eſt. magis ex hoc, quòd renititur fidei, quàm ex hoc quod non habet ea, quę ſunt fidei. Hoc enim videt, vt dictum eſt, * magis ad rationem pœnę pertinere. Vnde ſimpliciter loquẽdo, infidelitas hęreticorũ eſt peſsima. ¶ Et p̱ hoc patet reſponſio ad obiecta.

Arti.1.huius quæſt.

Ibidem.

SVMMA TEXTVS.

SVppoſito, quòd in infidelitate duo poſſumus cõſiderare, vnum eſt habitudo, ſeu comparatio eius ad fidem, aliud corruptio eorum, quæ ad fidem pertinent, ponit D. Tho. tres concluſiones. ¶ Prima concluſio, Loquendo de infidelitate ſecũdum habitudinem, quàm habet ad fidem, ſic grauior infidelitas eſt hæreticorum, quàm Iudæorum, & Iudæorum quã paganorum, Probatur, Secundum habitudinem ad fidem, ille grauius peccat, qui renititur fidei iam ſuſceptæ, quam qui renititur fidei nondum ſuſcept[illegible], ſicut grauius peccat, qui nõ implet quod prom[illegible]it, quam qui non implet, quod n[illegible]nquam promiſit: ſed hæretici contradicentes Euangelio renituntur fidei, quam receperunt, ergo grauius peccãt, quàm Iudæi, & quàm Gentiles ſecundum habitudinem ad ipſam fidem. Et quia Iudæi quamuis non recipiũt Euangelium, receperũt tñ eius figuram in veteri lege, quã male interpretantes corruperũt: idcircò etiã infidelitas Iudæorũ, per cõparationem ad fidem, eſt grauius peccatũ, quã infidelitas Gentilium, qui nec explicitè, nec in figura Euangeliũ ſuſceperunt. Et cõfirmatur concluſio ex. 2. Petri. c. 2. Vbi loquens de illis, qui poſtquam Chriſtiani facti fuerant à fide deciderunt, dicit, Melius erat illis non cognoſcere viã iuſtitiæ, quàm poſt cognitionem retrorſum conuerti. ¶ Secunda concluſio, Loquendo de infidelitate, ſecũdum corruptionẽ eorũ, quę ad fidem pertinent, ſic grauior eſt infidelitas paganorũ quam Iudęorũ, & Iudęorũ quã hęreticorum. Probatur, Secundũ corruptionem eorum, quæ ad fidẽ pertinẽt illa dicitur grauior infidelitas, quæ in pluribus errat, ſed infidelitas paganorum errat in pluribus, quàm infidelitas Iudæorum, & infidelitas Iudæorum, quam infidelitas hæreticorũ, exceptis Manichæis, qui plus videntur errare circa credibilia, quam pagani, ergo ſecundum corruptionem eorum, quæ ad fidem pertinẽt, grauior infidelitas eſt paganorum, quã Iudęorũ, & Iudæorũ quã hęreticorũ. ¶ Tertia cõcluſio, Simpliciter & abſolute loquẽdo, infidelitas hæreticorum, in ratione culpæ, eſt grauior omnibus alijs. Hæc concluſio ſequitur ex dictis, & probatur, Infidelitas magis habet rationem culpæ, ex eo quòd quis renititur fidei, quam ex eo, q̄ non habet credenda: ſed hæretici magis renitũtur fidei, vt diximus, ergo.

ARTICVLVS. VII.

Vtrùm ſit cum infidelibus publice diſputandum.

AD SEPTIMVM ſic proceditur. Videtur, quod non ſit cum infidelibus publice diſputãdum. Dicit enim Apoſtolus. 2. ad Timoth. 2. Noli verbis cõtendere. Ad nihil enim vtile eſt niſi ad ſubuerſionẽ audiẽtiũ. Sed diſputatio publica cũ infidelibus fieri nõ põt ſine cõtentione verborũ. Ergo nõ eſt publicè diſputandũ cũ infidelibus.

1. Ad Timotheũ. 1. [illegible] 2. fin.

2 ¶ Præterea, Lex Martiani * Aug[illegible]ſti per Canones cõfirmata, ſic dicit, Iniuriã facit Iudicio religioſiſsimę ſynodi ſi quis

In Cod. li[illegible] titu 4. [illegible] S. Trini[illegible] fide c[illegible] ge Nem[illegible]

ſi quis ſemel iudicata, aut rectè diſpoſita reuoluere, & publicè diſputare contendit. Sed omnia quæ ad fidem pertinent, ſunt per ſacra concilia determinata. ergo grauiter peccat iniuriam ſynodo faciens, ſi quis de eis quæ ſunt fidei, publice diſputare præſumat.

3 ¶ Præterea, diſputatio argumētis aliquibꝰ agitur. Sed argumentū eſt ratio rei dubiæ faciēs fidem, ea aūt quæ ſunt fidei, cū ſint certiſsima, nō ſunt in dubitationem adducenda. Ergo de eis quę ſunt fidei, nō eſt publicè diſputādum.

¶ SED CONTRA eſt, quod Actuum nono dicitur, quòd Saulus inualeſcebat, & confundebat Iudæos: & quòd loquebatur Gentibus, & diſputabat cum Græcis.

¶ RESPONDEO dicendū, quòd in diſputatione fidei duo ſunt conſideranda. Vnū quidem ex parte diſputantis. Aliud autem ex parte audientium. Ex parte quidem diſputantis eſt conſideranda intentio. Si enim diſputet tanquam de fide dubitans, & veritatem fidei pro certo non ſupponens, ſed argumentis experiri intendens, proculdubio peccat tanquam dubius in fide, & infidelis. Si autem diſputet aliquis de fide ad confutandum errores, vel etiam ad exercitiū, laudabile eſt. Ex parte verò audientium conſiderandum eſt, vtrum illi, qui diſputationem audiunt, ſint inſtructi & firmi in fide, aut ſimplices, & in fide titubātes. Et quidem coram ſapientibus in fide firmis, nullum periculum eſt diſputare de fide. Sed circa ſimplices eſt diſtinguendum. Quia aut ſunt ſolicitati, ſiue pulſati ab infidelibus, puta Iudæis, vel hæreticis, ſiue Paganis nitentibus corrumpere in eis fidē. Aut omnino non ſunt ſolicitati ſuper hoc, ſicut in terris, in quibus non ſunt infideles. In primo caſu neceſſarium eſt publice diſputare d̄ fide, dummodo inueniantur aliqui ad hoc ſufficiētes & idonei, qui errores confutare poſsint. Per hoc enim ſimplices in fide confirmabuntur, & tolletur infidelibus decipiendi facultas, & ipſa taciturnitas eorum, qui reſiſtere deberent peruertentibus fidei veritatē, eſſet erroris cōfirmatio.

¶ Vnde Gregorius in ſecundo Paſtoralium, Sicut incauta locutio in errorem protrahit: ita indiſcretum ſilentiū eos, qui erudiri poterant, in errore derelinquit. In ſecundo verò caſu periculoſum eſt, publice diſputare de fide coram ſimplicibus, quorū fides ex hoc eſt firmior: quia nihil diuerſum audierunt ab eo, quod credunt. Et ideo non expedit eis, vt verba infideliū audiant diſputantium contra fidem. *1. part. c. 4. in princ.*

¶ AD PRIMVM ergo dicēdum, quod Apoſtolus non prohibet totaliter diſputationē, ſed inordinatā, quæ magis fit contentione verborum, q̄ firmitate ſententiarum.

¶ Ad ſecūdū dicendū: ꝙ lex illa prohibet publicā diſputationē de fide, quæ procedit ex dubitatione fidei: non aūt illā, quæ eſt ad fidei confirmationem.

¶ Ad tertiū dicendū, ꝙ nō debet diſputari de iis, quę ſunt fidei, quaſi de eis dubitādo: ſed propter veritatē manifeſtādā, & errores cōfutādos. Oportet eñ ad fidei cōfirmationē aliquādo cū infidelibus diſputare. Quādoq; quidē defendendo fidem ſecūdū illud. 1. Pet. 3. Parati ſemper ad ſatiſfactionē omni poſcēti vos rationē de ea, quę eſt in vobis ſpe & fide. Quādoq; aūt ad cōuincēdos errātes, ſecūdū illud ad Titū. 1. Vt ſit potens exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt, arguere.

SVMMA TEXTVS.

SVppoſito ꝙ in diſputatiōe duo ſunt cōſideranda, vnum ex parte diſputantis, aliud ex parte audientium, ponit D. Tho. plures propoſitiones. Prima concluſio, Diſputare de fide animo, & intentione inquirendi veritatem, de qua diſputans certus non eſt, eſt peccatum infidelitatis. Probatur, Huiuſmodi diſputatio fieri non poteſt abſque eo, quòd diſputans ſit dubius in fide, ſed quicunque dubius in fide eſt infide-

lis, ergo talis peccat peccato infidelitatis. ¶ Secunda concluſio, Diſputare de fide ad conuincendos errores, vel etiam ad exercitium, eſt laudabile. Hanc concluſionē non probat D. Thom. ſed illam, vt notam relinquit. ¶ Tertia concluſio, Diſputare de fide coram ſapientibus & firmis in fide, nullum eſt peccatum. Probatur, quia ex hoc nullum ſequitur inconueniens. ¶ Quarta concluſio, Diſputare de fide coram ſimplicibus, & infirmis ſolicitatis ab infidelibus, vt ſuam fidem relinquant, non ſolum eſt laudabile, verum etiam neceſſarium, dummodo diſputantes ſufficientes ſint, atque idonei ad conuincendos errores. Probatur, quia hac ratione ſimplices in fide confirmabuntur, & tolletur infidelibus decipiendi facultas. Vnde Grego. in Paſtorali. part. 2. cap. 4. dicit, quòd ſicut incauta loquutio in errorem protrahit, ità indiſcretum ſilentiū eos, qui erudiri poterant, in errore derelinquit. ¶ Quinta cōcluſio, Diſputare de fide coram ſimplicibus, & infirmis non ſolicitatis ab infidelibus, periculoſum eſt. Probatur, quia taliū fides ex eo eſt firmior, quod nihil diuerſum audierunt ab eo, quod credunt.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Nota. Circa iſtum articulum primò ſupponēdum tanquam certum, quòd cum hæreticis pertinacibus, qui ad ſuſcipiendam fidem parati non ſunt, nulla ratione eſt diſputandum, iuxta illud Paul. 2. ad Timot. cap. 2. Noli contendere verbis, ad nihilum enim vtile eſt, niſi ad ſubuerſionem audiētium. &. 1. ad Corinth. cap. 11. Si quis veſtrum inter vos contentioſus eſt, nos talem conſuetudinem non habemus, ſed nec Eccleſia Dei: & ad Titum. 3. hæreticum hominem poſt vnam, aut alteram monitionem deuita. In quibus verbis ponderādum eſt, quòd non dixit, poſt vnam, vel alteram diſputationem, ſed monitionem, vt hac ratione intelligeremus, non eſſe diſputandum cum illo, quem ſcimus eſſe ſubuerſum. Et ratio eſt manifeſta: nam cum talis diſputatio cum hæretico non ſolùm non ſit vtilis, ſed ſit perniciosa, ex ipſa enim homo pertinax potius occaſionem ſumit ſuum errorem alijs perſuadendi, quam illum relinquendi, manifeſte ſequitur, eam eſſe relinquendam.

2. Notabile. ¶ Secundò eſt aduertendum, quòd eſt præceptum in iure, in cap. quicunq;. §. inhibemus, de hæreticis. lib. 6. quo interdicitur laicis ſub pœna excommunicationis, non latæ ſed ferēdæ, ne de fide publicè, aut priuatim diſputent. Quod quidem caput, vt communiter notant doctores, non intelligendum eſt de diſputatione quæ ſit gratia exercitij, qualis haberi ſolet inter Catholicos, ſed de diſputatione, in qua ab infideli defenditur error fidei contrarius. Eſt etiam intelligendum, niſi neceſsitas aliud poſtulet. Nam ſi eſſet aliquis hæreticus, qui ſolicitaret fideles, vt à fide deficerent, & tunc non adeſſent Eccleſiaſtici, qui commodè poſſent illi reſiſtere, & adeſſet laicus idoneus, & doctus ad id efficiendum; proculdubio tunc non ſolùm poſſet diſputare de fide ſine peccato, verum etiam id facere teneretur ex præcepto dilectionis Dei, & proximi, cuius periculis obuiare tenetur ex iure diuino, & naturali, nec leges humanæ aliud præcipere pōſſunt.

¶ Tertiò eſt aduertendum ex Caietano in præſenti, quòd in diſputationibus, quæ in capitulis prouincialibus, & generalibus publicè fiunt à religioſis, cauēdum eſt quā maximè, ne illæ quæſtiones diſputentur, ex quibus ſimplicium audientium animi reddi valeant infirmiores: vt de prædeſtinatione, de cohærentia liberi arbitrij cū diuina prouidētia: & de alijs huiuſmodi. Quod & obſeruatū Romæ vidi, anno Dñi. 1575. ex præcepto ſanctiſsimi Domini noſtri Greg. diuina prouidentia Pōtificis. XIII. Nam cum ego eo tempore in comitijs generalibus, quibus diffinitor aderam, nomine ac vice huius noſtræ prouinciæ Caſtellæ concluſiones defendendas ſuſcepiſſem, & in eis, vt motis eſt, ſimiles quæſtiones immiſcuiſſem, eas omnes à magiſtro ſacri Palatij fuum prohibitus defendere. Et merito quidem, quia cum illis pręſentes futuri eſſent innumeri homines, quorum aliqui forſan infirmi erant, & imbecilles, conueniens fuit ne tales quæſtiones in dubiū reuocarentur. Sæpeſępius enim contingit, vt argumenta facta contra veritatem fortiora appareāt, atq; clariora, quam ſolutiones illis adhibitæ: & tunc ſimplices, & infirmi, tantum abeſt, vt roborentur in fide, ꝙ accipiunt occaſionem ab illa deficiēdi. De hac re videndus eſt Caſtro, libr. 1. de iuſta hæreti. punitione. cap. 19. & Simancas in ſuis catholicis inſtitutionibus. cap. 19. & Eckius in enchiridio. tit. 28. 3. Notabile.

Nota circa 4. conclu. Tho. ¶ Circa quartam cōcluſionem D. Tho.

eſt

eſt aduertendum, quòd diſputatio, de qua in illa fit ſermo, nõ ſolum eſt vtilis, verum & neceſſaria. Et ratio eſt, quia ſi tunc non eſſet qui publicè hæretico reſiſtere poſſet, ſimplicium fides periclitaretur. Prælati autem ſunt, quibus hoc ex officio incumbit, & qui peculiari præcepto obligantur, ſuos ſubditos ab omni hæreticorum infeſtatione defendere: iuxta illud Paul. ad Titum. 1. Oportet Epiſcopum eſſe doctum, vt potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos, qui contradicunt redarguere. Et D. Petrus prima ſua canonica. c. 3. præcipit prælatis Eccleſiæ, vt ſint parati rationem reddere de ea, quæ in nobis eſt, fide. De quibus etiam dicitur Malachiæ, c. 2. Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcietiam: & Cant. 3. Lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiũt ad bella doctiſsimi propter timores nocturnos, id eſt, propter hæreticos. Et meritò quidem: nam ſi hæreticis clamantibus & inducentibus populũ ad publicam diſputationem, tacerent Catholici: daretur ſimplicibus occaſio ſuſpicandi, aut quòd timent deficere à certitudine fidei, aut quòd tacẽdo eorum aſſentiantur erroribus: error enim, cui non contradicitur, approbatur, & veritas, quæ non defenſatur, opprimitur. Ex quo fit, vt ſemper in Eccleſia fuerint viri doctiſsimi, atque ſanctiſsimi, qui publicè cum hæreticis diſputauerint. Nã de Diuo Paulo Actorum. c. 9. dicitur, quod cõfundebat Iudæos, & diſputabat cum Græcis. Athanaſius diſputauit cum Arrio. D. Auguſtinus cum Fortunato, & Felice Manichæis: & alij ſancti cum alijs hæreticis.

Dubium. ¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco, quænam ſint præcipua argumẽta, quibus Catholici vti debeãt in ſuis diſputationibus.

Reſponſio. ¶ Ad quod breuiter reſpõdetur cũ D. Tho. 1. part. quæſt. 1. artic. 8. in ſolutione ad. 2. q in genere ſunt tria. Primũ eſt autoritas ſacræ Scripturæ, qua Catholici vtuntur, tanquam proprijs, & neceſſarijs argumentis. Et ad hoc reducuntur traditiones Apoſtolorum, quæ etiam ſunt diuinitus reuelatæ, & diffinitiones Eccleſiæ, & Conciliorum. Eccleſia enim aut Concilium, cum non accipiant immediatè à Deo reuelationem in ſuis diffinitionibus, ſed vtantur illa, quę habetur in Scriptura, idem iudicium eſt de illa, ac de ſacra Scriptura. De hoc genere argumentandi vidẽdus eſt Driedo. in libr. de Eccleſiaſticis dogmatibus: Pighius de Eccleſiaſtica hierarchia, Caſtro de hæreſibus, lib. 1. cap. 2. 3. & 4. & Cano libr. 2. de locis. Secundum genus eſt autoritas ſanctorum Patrum, quorum teſtimonijs, vt dicit Diuus Thom. loco citato, vtuntur fideles tanquam proprijs argumentis, ſed non neceſſarijs, ſed probabiliter veritatem oſtendentibus: de quo agit Caſtro, lib. 1. de here. c. 7. & Cano, lib. 7. de locis. Tertium genus eſt ratio naturalis, quæ ad tria adduci debet à Theologo, ſcilicet, vel ad cõuincendũ falſitatis opiniones cõtrarias fidei, vel ad demõſtrandũ ea, quæ ſecũdaria ſunt de fide, qualia ſunt illa, quæ de Deo naturaliter poſsũt cognoſci, vel ad ſoluenda argumẽta infidelũ. Nam quãuis ratio naturalis non ſit ſufficiens ad euidenter demõſtrandam veritatẽ propoſitionum fidei, valet tñ ad euidenter oſtẽdendum, quod argumẽta, quæ fiũt contra illa, nec ſunt demonſtrationes, nec planè conuincunt, vt docet D. Tho. in eodem loco. Quod, vt melius intelligatur, aduertẽdum eſt, quòd cum argumentum ad hoc, vt conuincat duas debeat habere conditiones, ſcilicet, veritatem præmiſſarum, & bonitatem conſequentię, argumentum factũ cõtra fidem in duobus poterit deficere, aut in bonitate conſequentiæ, aut in veritate præmiſſarum. Et quidem, ſi deficiat in bonitate conſequentiæ, certum eſt, quod poteſt à Logico euidẽter ſolui, oſtenſo duntaxat defectu conſequentiæ. Si autem deficiat in veritate præmiſſarum, tũc maior eſt difficultas, vtrum poſsit euidenter ſolui. Verbi gratia, facit aliquis hoc argumentũ contra fidẽ. Omnis res vna numero eſt vna hypoſtatice, ſed Deus eſt vnus numero, ergo vnus hypoſtaticè. Durandus in prologo ſententiarum. q. 1. dicit tria. Primum eſt, quod ratio naturalis nõ poteſt euidẽter probare id, quod fidei articulus proponit. Secundum, quod neque etiam poteſt euidenter oſtendere non eſſe impoſsibile id, quod proponit articulus fidei. Tertium quod argumenta, quæ fiunt ab infidelibus contra myſteria fidei, & non peccant in forma, ſed in materia, non poſſunt euidenter ſolui. Et ratio Durandi eſt, quia non poſſunt aliter euidẽter ſolui, niſi oſtenſa euidenter falſitate præmiſſarũ: ſed illa non poteſt euidẽter demõſtrari, ergo. Probo minorẽ, Non põt euidẽter demõſtrari falſitas alicuius propoſitionis, quin etiã demõſtretur euidẽter veritas ſuæ contradictoriæ: ſed veritas articuli fidei non poteſt euidenter demonſtrari, ergo nec falſitas propoſitionis illi oppoſitæ.

Tria genera argumentorum quibus Theologi vtũtur.

¶ Hoc

¶ Hoc tamen non obſtante dico, quòd etiã illa argumenta, quæ peccãt in falſitate præmiſſarum poſſunt euidenter ſolui à Catholico Theologo: & quòd quemadmodum euidens eſt, credendum eſſe noſtræ fidei, & tamen veritas fidei nõ eſt euidens, vt diximus ſupra quæſt.1. arti.4. ita etiam euidens eſt, ꝙ argumenta facta contra fidem ſunt ſolubilia, & tamen illorum concluſiones non ſunt euidentes. Et ratio eſt, quia vt docet Caietanus.1.part. quæſt.1.art.8. hoc eſt diſcriminis inter probationem, & ſolutionem: quòd probatio ad hoc, vt ſit ſufficiens neceſſe eſt, vt ex euidentibus procedat: ſolutio verò ad hoc, vt ſit ſufficiens, & manifeſta ſolutio, ſatis eſt quòd oſtendat argumentum in contrarium factum non planè conuincere, nec cogere intellectum aſsignando aliquam rationem diſcriminis, vel diſparitatis: ſicut in argumẽto facto, illa maior diſtinguitur à Catholico, vel in natura creata, vel in natura diuina. In creata, qa limitata eſt, habet verũ, ſecus autẽ eſt in natura diuina, quę infinita eſt, & illimitata. Et per hoc euidenter ſoluitur, quãuis non euidenter demõſtretur falſitas præmiſſarum.

Nota vltimo circa iſtũ articulum.

¶ Vltimo eſt aduertendum circa iſtum articulum, quod, vt docet D.Thom.1.part. quæſt.32.artic.1. qui nititur probare ratione naturali Trinitatem perſonarum, aut alios articulos, dupliciter derogat fidei. Primò quantum ad dignitatẽ ipſius fidei, quæ eſt, vt ſit de rebus inuiſibilibus rationem humanam excedentibus, iuxta illud Paul. ad Hebræ.11. Fides eſt de non apparentibus, &c.1.ad Corinth.2. Sapientiam loquimur inter perfectos, ſapientiam vero, non huius ſæculi, nec principum huius ſeculi. Sed loquimur Dei ſapiẽtiam in myſterio, quæ eſt abſcondita. Secundò, quantum ad vtilitatem trahendi alios ad fidem. Cùm enim aliquis ad probandam fidem inducit rationes, quæ non ſunt cogentes, cadit in irriſionẽ infidelium, qui credũt, quod huiuſmodi rationibus innitamur, & propter eas credamus. Quæ igitur fidei ſunt, non ſunt tentanda probari, niſi per autoritates ijs, qui autoritates ſuſcipiunt: apud alios vero ſufficit defendere non eſſe impoſsibile, quod prædicat fides. Vnde D. Dionyſius, 2.cap. de diuinis nominibus dicit, Si quis eſt, qui totaliter eloquijs reſiſtit, longè erit à noſtra philoſophia: ſi autem ad veritatẽ eloquiorum, ſcilicet, ſacrorum reſpicit, hoc & nos canonice vtimur.

ARTICVLVS. VIII.

¶ *Vtrùm infideles compellendi ſint ad fidem.*

AD OCTAVVM ſic proceditur. Videtur ꝙ infidelis nullo modo cõpellendi ſunt ad fidẽ. Dicitur enim Mat. 13. Quod ſerui patris familias, in cuius agro erant zizania ſeminata, quæſierunt ab eo, Vis imus & colligimus ea? Et ipſe reſpõdit, Non, ne forte colligentes zizania, eradicetis ſimul cum eis triticum. Vbi dicit* Chryſ. Hæc dicit dominus, prohibens occiſiones fieri. Nec etiam oportet interficere hæreticos: quia ſi eos occideritis, neceſſe eſt multos ſanctorum ſimul ſubuerti, ergo videtur ꝙ pari ratione nec aliqui infideles ſint ad fidẽ cogendi.

4.D.13.q.2.art.1.&6.

**Hom.47.in Matth. ante me.io.2.*

2 ¶ Præterea, In decretal. diſtin.* quadrageſima quinta ſic dicit̃, De Iudæis præcipit ſancta ſynodus, nemini deinceps ad credendum vim inferre. ergo pari ratione nec alij infideles ſunt ad fidem cogendi.

**In Decreto. d.45.ca. de Iudæis: Sumitur ex Cõcil. 4.Tolet. Ca. 25.*

3 ¶ Præterea, Auguſt. dicit.* quòd cætera poteſt homo nolens, credere verò non niſi volẽs: ſed volũtas cogi non poteſt. ergo videtur quòd infideles non ſint ad fidem cogendi.

**Tract.26.in Ioan. aliquã tulũ à princ. io.9.*

4 ¶ Præterea, Ezech.18. dicitur ex perſona Dei, Nolo mortem peccatoris, ſed nos debemus volũtatem noſtram conformare diuinæ, vt ſupra dictum* eſt. ergo etiam nos nõ debemus velle, quòd infideles occidantur.

**1.2.q.19.arti.10.*

¶ SED CONTRA eſt, quòd dicitur Luc.14. Exi in vias & ſepes, & cõpelle intrare, vt impleatur domus mea: ſed homines in domum Dei, id eſt, in ſanctam Eccleſiam intrant per fidem. ergo aliqui ſunt compellendi ad fidem.

¶ RESPONDEO dicẽdum, quod infidelium quidam ſunt, qui nunquã

ſuſce-

ſuſceperunt fidem ſicut Gentiles, & Iudæi: & tales nullo modo ſunt ad fidem cõpellendi, vt ipſi credant, quia credere volũtatis eſt: ſunt tamen cõpellendi à fidelibus, ſi adſit facultas, vt fidem nõ impediant, vel blaſphemijs vel malis perſuaſionibus, vel etiam apertis perſequutionibus. Et propter hoc fideles Chriſti frequenter contra infideles bellum mouent: non quidem, vt eos ad credendũ cogant (quia ſi etiam eos viciſſent, & captiuos haberent, in eorum libertate relinquerent, an credere vellent.) ſed propter hoc vt eos compellãt, ne fidem Chriſti impediant. Alij vero ſunt infideles, qui quandoque fidem ſuſceperunt, & eam profitentur: ſicut hæretici, & qui cunque apoſtatæ: & tales ſunt etiam corporaliter compellendi, vt impleãt quod promiſerunt, & teneant quod ſemel ſuſceperunt.

¶ AD PRIMVM ergo dicẽdum, quòd per illam autoritatem quidam intellexerunt eſſe prohibitam, nõ quidem excommunicationem hæreticorum, ſed eorum occiſionem: vt patet per autoritatem Chry. inductam. Et Aug.* ad Vincentium de ſe dicit. Hæc primitus mea ſententia erat neminem ad vnitatẽ Chriſti eſſe cogendum, verbo eſſe agẽdum, diſputatione pugnandum, ſed hæc opinio mea non contra dicentiũ verbis, ſed demonſtrantium ſuperatur exemplis. Legũ enim terror ita profuit, vt multi dicãt, Gratias Domino, qui vincula noſtra dirupit. Quòd ergo Domin⁹ dicit, Sinite vtraque creſcere vſque ad meſſem: qualiter intelligendum ſit, apparet ex hoc, quod ſubditur, Ne forte colligẽtes zizania, eradicetis ſimul cum eis & triticum. Vbi ſatis oſtẽdit, ſicut Auguſt.* dicit contra epiſtolam Parmeniani, Cum metus iſte nõ ſubeſt, id eſt, quando ita cuiuſq; crimen notum eſt omnibus, & execrabile apparet, vt nullos prorſus, vel non tales habeat defenſores, per quos poſsit ſchiſma contingere, non dormiat ſeueritas diſciplinæ.

Epi. 48. poſt med. ſecũdi folij à princ. epi. tom. 2.

Lib. 3. ca. 2. aliquantu-lum à med. tom. 7.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd Iudæi, ſi nullo modo acceperunt fidem, nullo modo ſunt cogendi ad fidem. Si autem acceperunt fidem, oportet vt fidem neceſsitate cogantur retinere, ſicut eodem capitulo dicitur.

¶ Ad tertium dicendum, quòd ſicut vouere eſt voluntatis, reddere autem neceſsitatis: ita accipere fidem eſt voluntatis: ſed tenere eam acceptam eſt neceſsitatis. Et ideo hæretici ſunt compellendi, vt fidem teneãt. Dicit enim Auguſt. ad Bonifacium comitẽ, Vbi eſt quod iſti clamare conſueuerunt, liberum eſſe credere, vel non credere, cui vim Chriſtus intulit agnoſcant in Paulo prius *cognoſcentem, & Chriſtum poſtea docentem.

Epiſt. 50. à me. aliquantulum. to. 2.

Cogentem.

¶ Ad quartum dicendum, quòd, ſicut in eadem epiſtola Aug. dicit, Nullus noſtrum vult aliquẽ hæreticum perire. Sed aliter nõ meruit habere pacem domus Dauid, niſi Abſalon filius eius in bello, quod contra patrem gerebat, fuiſſet extinctus. Sic Eccleſia catholica ſi ex aliquorum perditione cæteros colligit, dolorẽ materni ſanat cordis tantorum liberatione populorum.

SVMMA TEXTVS.

SVppoſito, quòd infideles ſunt in dupli ci differentia, quidam enim ſunt qui nũquam ſuſceperũt fidem, vt Gentiles, & Iudæi, & alij qui aliquãdo fidem ſuſceperũt, & eam profeſsi ſunt, ſicut hæretici, & apoſtatæ, ponit D. Thom. duas concluſiones. ¶ Prima concluſio, Infideles, qui nũquam fidem ſuſceperunt, nullo modo ſunt ad fidem compellendi, vt credant, poſſunt tamen compelli, vt fidem non impediant, vel blaſphemijs, vel perſequutionibus, vel malis perſuaſionib⁹. Prima pars probatur, Credere eſt actus voluntarius, ergo infideles non ſunt ad illum compellendi. Quod autem poſsint compelli, ad hoc, vt fidem non impediant, probatur, quia tunc fideles vtuntur iure ſuo, vnde frequenter propter hoc Chriſtiani contra infideles bellum mouent. ¶ Secunda concluſio. Infideles, qui aliquando

aliquando fidem ſuſceperunt poſſunt compelli, imò compellēdi ſunt corporaliter, ad hoc, vt illam teneant. Probatur, quia in baptiſmo illam profeſsi ſunt, & vnuſquiſq; poteſt compelli, vt adimpleat, quod ſemel promiſit.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Difficultas circa.1.concluſionem. Circa primam concluſionem huius articuli eſt difficultas, vtrùm verum ſit, quod infideles, qui nunquam fidem ſuſceperunt, non ſunt compellendi, vt credant. *Sentētia Scoti & aliorū.* Nam Scotus in.4.diſt.4.quęſt.vltima, contrarium exiſtimat de illis infidelibus, qui ſubditi ſunt principib' Chriſtianis: de quibus dicit, quod non ſolum poſſunt compelli, ſed quod oportet, vt compellantur. Eandem ſententiam tenet Gabriel in.4.diſt.4. *1. Argum.* quæſt.2.dub. vltimo. Et probatur primo, ex illo Lucæ.c.14. Rex præcepit ſeruis ſuis dicens, Exite in vias, & quoſcunq; inueneritis compellite intrare. Ex quo loco ſic colligunt argumentum. Domus illa ſignificat Eccleſiam, & conuiuium ſignificat ſacramentum fidei, vt omnes doctores teſtātur, & ad illud præcipit Chriſtianus miniſtris, vt compellant intrare quoſcunq; per vias inuenerint, ergo qui inuitatus venire noluerit poterit vi atq; armis compelli, vt credat. *Confirmatio.* ¶ Et confirmatur ex D. Greg.homil. 36. qui exponens hanc parabolam dicit, illam pertinere ad omnes infideles, ſiue hæreticos, ſiue paganos. *2. Argum.* ¶ Secundò, Infideles iure diuino tenentur credere noſtram fidē, ergo poterunt principes Chriſtiani, quibus illi ſubditi ſunt, eos ad fidem compellere. Antecedens eſt manifeſtum: nam præceptum illud, quod habetur Marc. c.vltimo. Qui crediderit & baptizatus fuerit, &c. vniuerſale eſt, omneſq; obligat. Conſequentia vero probatur. Principes ſunt cuſtodes legum diuinarum, ergo ſicut pertinet ad illos facere, vt infideles ſibi ſubditi obediant legibus à ſe latis, ita etiam pertinebit efficere, vt obediant Deo. *3. Argum.* ¶ Tertiò, Blaſphemantes contra Deum, aut Chriſtum, poſſunt vi compelli ne blaſphement: ergo & non credentes poſſunt vi compelli, vt in illum credant. Antecedens eſt manifeſtum, & conſequētia probatur, quia multo grauius peccat ille, qui nō credit in Chriſtum, quā qui Deum blaſphemat. Et confirmatur ex concilio Toletano, & habetur.45.diſt.cap. de Iudæis, vbi Siſebutus Rex commendatur, appellaturq; religioſiſsimus, propterea quod vi compulit Iudæos, vt in Chriſtum crederent. Ferdinādus, etiam & Eliſabeth Reges Hiſpaniæ legem tulerunt, vt Iudæi qui nollent profiteri fidem Chriſtianam è ſuis regnis exirent, quod nullo modo facerēt (cum eſſent Chriſtianiſsimi,) niſi pro certo haberent licitum eſſe vi atque pœnis inducere infideles ad ſuſcipiendam fidem. Eſt enim exilium grauiſsima pœna, & cuius comminatione vis infertur.

¶ Sed contrariam ſententiam tenet D. Tho. in hoc artic. & in.4.diſt.4.quæſt.6. & Ricar.in.4.diſt.6.quæſt.1.arti.3. & Palude in.4.diſt.4.quæſt.4. & Soto in.4.diſt.5.q. vnica.artic.10. & Sylueſt. verbo Baptizatus.4. & Caſtro de iuſta hæreticorū punitione.lib.2.c.4. *Sentētia.D. Thomæ.* Ad cuius explicationē eſt ſupponendū primo, nos hic tantū agere de infidelibus adultis, ſiue ſint ſubditi principibus Chriſtianis, ſiue non: nam de paruulis alia eſt difficultas quæ à nobis.art.12.huius quæſtionis explicabitur. *1. Notabile.*

¶ Secundo eſt ſupponendum, quòd cū quærimus vtrum liceat cogere infideles ad fidem, præſens quæſtio duplicem poteſt habere ſenſum. Primus eſt vtrum id liceat ſecundum leges humanas, ſiue ciuiles, ſiue Eccleſiaſticas. *2. Notabile.* Secundus, vtrùm id liceat ſtando in ſolo iure naturali, ſecluſis legibus humanis. Et in hoc ſenſu explicabitur à nobis.

3. Notabile. ¶ Tertiò eſt aduertendum ex Caietano in præſenti, quod cum timor adeò minuat rationem, vt ea, quæ ex timore fiunt licet ſimpliciter ſint voluntaria, quodammodo appellentur inuoluntaria, ſintque mixta, Et apud theologos ea, quæ fiunt ex timore ſeruili dicantur fieri ſine charitate: imò philoſophi morales etiam dicunt quod oderunt peccare mali formidine pœnæ, conſequens eſt, vt quæcūq; principum coactio infidelibus facta ad ſuſcipiendam fidem, ſiue ea fiat minis, ſiue terroribus, ſiue pœnis, non ad voluntariam omnino, ſed ad ſeruilem, & inuolūtariam, atq; ex conſequēti ad ſacrilegam, & illicitam ſuſceptionem per ſe terminetur. Quicunq; enim inuitus & ſeruiliter fidem profitetur, aut ſacramenta recipit, proculdubiò facit iniuriam fidei, & ſacramentis, committitq; ſacrilegium. *1. Concluſio.*

¶ His poſitis ſit prima concluſio, Secundum leges humanas nulla ratione licet cogere infideles ad hoc, vt fidem recipiant, ſiue ſint ſubditi principibus Chriſtianis, ſiue non.

non. Hæc concluſio probatur primò, ex. c. de Iudæis. 45. d. vbi præcipitur, ne vis aliqua alicui inferatur in credẽdo. Idem habetur in. c. qui ſyncera. eadẽ diſt. & in. c. ſicut Iudæi de Iudæis & Saracenis.

2. Concluſio. Contra legẽ diuinam & naturalẽ eſt, quod compellãtur infideles ad fidẽ.

¶ Secunda concluſio, Contra legem diuinam, & naturalem eſt, quod quis cõpellat infideles ad ſuſcipiendam fidem: ſiuè tales infideles ſint ſubiecti principibus Chriſtianis, ſiue nõ. Et quidem quòd ſit contra legem diuinam, probatur primò, ex Matt. cap. 10. Vbi cùm Chriſtus doceret diſcipulos ſuos modum, quem obſeruare debebãt in prædicatione Euãgelij dicit illis, Euntes prædicate dicentes, quia appropinquauit regnum cœlorũ, infirmos curate, mortuos ſuſcitate, leproſos mũdate, Dæmones eijcite, gratis accepiſtis gratis date. Nolite poſsidere aurũ, nec argẽtũ, nec pecuniã in zonis veſtris, non peram in via, nec duas tunicas, nec calceamenta, nec virgam. &c. Et paulò inferiùs, In quamcunq; ciuitatẽ, aut caſtellum intraueritis interrogate quis ea dignus ſit, & manete ibi donec exeatis. Intrantes autem in domum ſalutate eam dicẽtes, pax huic domui, & ſiquidem fuerit domus illa digna, veniet pax veſtra ſuper eam, ſin autẽ non fuerit digna, pax veſtra reuertetur ad vos. Et quicunq; non receperit vos, nec audierit ſermones veſtros, exeuntes foras de domo, vel ciuitate excutite puluerẽ de pedib⁹ veſtris. Quibus verbis, vt vidiſtis, omnis vis, & violentia prædicatoribus inhibetur præcipiturq; illis clemẽtia, & mãſuetudo, tanquã neceſſaria ad alliciẽdos eos, qui nõ armis aut minis, ſed beneficẽtia atq; miraculis voluntariè erãt adducẽdi ad fidem. Vnde D. Ambroſ. explicans iſtum locum dicit, Virgam diſcipulis portare non permiſit, quia eſt poteſtatis inſigne, & vlciſcendi inſtrumentum. Eos enim mittit ad ſeminandum fidem, qui non cogerent, ſed docerẽt: nec vim poteſtatis exercerent, ſed doctrina humilitatis vterẽtur. Et alio in loco dicit Chriſtus, Ecce ego mitto vos ſicut agnos inter lupos. Et quod magis facit ad noſtrum propoſitum eſt, quod refert Luc. cap. 9. dicens, quod cum cuiuſdam ciuitatis habitatores nollẽt Chriſtũ recipere, Ioãnes atque Iacobus ſuccenſi dixerunt ei, Vis dicamus, vt ignis deſcendat de cœlo? Et Chriſtus reſpõdit, Neſcitis cuius ſpiritus ſitis. Filius hominis nõ venit animas perdere, ſed ſaluare. Quaſi ſignificãs munus ipſius nõ eſſe vindictas quærere, aut minis, vel terroribus agere, ſed manſuetudine, & ſpe bonorum adducere homines ad fidem. Ex quo fit, vt doctrina Chriſti Euangelium pacis appelletur ſæpe ſæpius in ſacris literis, vt conſtat ex Paulo ad Epheſ. 6. dicente, Calciate pedes in præparationẽ Euangelij pacis: & Eſai. 52. Quam ſpecioſi pedes euangelizantiũ pacem, euangelizantium bona

¶ Quod autem etiam ſit cõtra legem naturalem cõpellere infideles ad ſuſcipiendam fidem probatur, Talis cõpulſio per ſe & ex natura ſua facit inuolũtariam profeſsionẽ fidei, ergo per ſe, & ex natura ſua eſt illicita vt pote quæ ordinatur ad fictam, & ſacrilegam cõfeſsionem. Conſequentia eſt nota, & antecedẽs probatur, Metus atq; coactio ex natura ſua cauſant inuoluntarium: & ſi aliquando contingit, quòd illi, qui metu compelluntur ad fidẽ, verè credunt, & non fictè, id fit rarò & iudicium in his rebus, nõ ex ijs quæ rarò, ſed ex ijs, quæ vt in plurimum contingunt ſumendum eſt, ergo talis metus atq; coactio ex natura ſua eſt cauſa fictæ, & ſacrilegæ confeſsionis. Et confirmatur, Religio Chriſtiana potiſsimũ conſiſtit in actibus interioribus fidei, ſpei, & charitatis, & ad hos actus eliciendos vis exterius illata eſt medium ineptum, & impertinens, ergo cõtra rationem naturalem eſt, quod quis eo vtatur ad ſuadendam fidem.

¶ Et ſi quis obijciat, Si hoc eſſet verum ſequeretur, quòd nec etiã Deus deberet nos trahere ad fidem, & ad ſtudium virtutis calamitatibus, aut laboribus, vel ſupplicijs, conſequens autem eſt abſurdum, & contra communẽ ſententiã doctorũ, ergo. Probo ſequelam: nã iſtæ res cauſant timorem ſeruilem, qui ex natura ſua includit inuoluntarium: atq; ex conſequenti videntur ordinari ad ſacrilegã & fictam Dei confeſsionẽ *Obiectio.*

¶ Reſpondetur negando ſequelam. Et ad probationẽ dico, eſſe latiſsimum diſcrimẽ inter Deum & hominẽ, & inter timorem ſeruilem incuſſum à Deo, & incuſſum ab homine. Nam Deus dum immittit timorẽ ſeruilem & animum hominis metu concutit, etiã ſua potẽtia paulatim interius emollit cor, atq; efficit, vt voluntariè, & ſua ſpõte fidei cõſentiat, ad quod alij homines poteſtatem non habent. Ex quo fit, vt timor ſeruilis incuſſus à Deo non inducat hominem ad ficta fidei confeſsionem, ſicut ille, qui ab alio homine incutitur. Qui enim timore Dei inductus conuertit ſe ad fidem, verè conuertit animum ſuum ab impietate *Solutio.*

ad pieta-

ad pietatem: nec fingit ſe credere, ſed verè credit, vt Deo ſatisfaciat, & eius iram declinet, quem ſcit noſſe cordis arcana. At verò qui timore hominũ mouetur ad credendũ, ſolũ id agit, vt hominibus ſatisfaciat, quos, quia interiorem animum non vident, ficta & ſacrilega fidei confeſsione facile deludere ſperat, & ſic timor ab homine incuſſus ex natura ſua ordinatur ad fictam cõfeſsionem, timor autem incuſſus à Deo ad verã & volũtariã, vt iam diximus. Tandem probatur concluſio ex illo Paul. 1. ad Corint. 5. Quid mihi de ijs, qui foris ſunt iudicare? nonne de ijs, qui intus ſunt, vos iudicatis? nam eos, qui foris ſunt Deus iudicabit. Ex quo loco ſic colligo argumentum. Eccleſia nullam poteſtatem habet ſupra infideles, vt conſtat ex Paulo, & contra rationem naturalem eſt, quod quis vim & coactionem exerceat in illum, ſupra quem poteſtatem non habet: ergo & quod compellat infideles ad fidem.

Nota valde.

¶ Sed, vt hoc melius intelligatur, aduertẽdũ eſt, quod quãuis Chriſto homini in potentia fuerit data poteſtas ſuprà omnes homines, tam fideles, quam infideles, actu tamen non fuit illi data, niſi ſupra illos tantum, qui fidem illius habuerint. Volo dicere, ꝙ Chriſtus inquantum homo noluit accipere poteſtatem ſupra omnes homines, ſed ſupra illos tantum, qui ſunt intra Eccleſiam, cuius ianua eſt fides. Ex quo fit, quod quanuis habitu atque potentia habuerit poteſtatem ſupra omnes, actu tamen tantum habet poteſtatem ſuper illos qui ſunt Chriſtiani: & habebit illã actu ſupra oẽs, ſiue bonos, ſiue malos, ſiue fideles, ſiue infideles, in die iudicij, quando vniuerſalem ſuam poteſtatem in omnes exercebit, vt docet Paul. ad Hebr. 2. dicens, In eo quod omnia ei ſubiecit nihil dimiſit nõ ſubiectum, nunc autem nec dum videmus omnia ſubiecta. Primum habet verum, quantum ad habitum, & ſecũdum quantum ad actum. Et apertiùs. 1. ad Corint. c. 15. Omnia ſunt ſubiecta Chriſto ſine dubio, propter eum qui ſubiecit ei omnia. Quod intelligendũ eſt, quantum ad habitum, & in potentia. Nam quantum ad actum ſubdit ſtatim: Cum ſubiecta fuerint illi omnia, tunc ipſe Filius ſubiectus erit Patri. Hæc eadem differentia explicatur à D. Tho. 3. p. q. 8. ar. 3. & q. 59. art. 4. cum dicit infideles actu non eſſe de Eccleſia, ſed in potentia. Et D. Athanaſius explicans illa verba, Quid mihi de ijs, qui foris ſunt iudicare, dicit in perſona Pauli, Neminem equidem nũc eorum, qui exteriores ſunt, alloquor, id enim leges meas excederet, & ſuperuacanee Chriſti præcepta illis iniungerem, qui extra Chriſti aulam vagantur. Et propterea Lucæ. c. 12. cuidam petenti, vt diceret fratri ſuo, vt diuideret ſecum hæreditatẽ reſpõdit Chriſtus: O homo quis me conſtituit iudicem, aut diuiſorem ſuper vos? ſignificans id ad ſe non pertinere, quia tales erant extra ſuã iuriſdictionem. Si ergo Chriſtus non habet actu poteſtatem ſupra infideles, cum Eccleſia non habeat maiorem poteſtatem, quam Chriſtus, manifeſtè ſequitur, ꝙ nec Eccleſia habebit poteſtatem ſupra infideles: atq; ex conſequenti ꝙ nec poterit illos compellere ad fidem ſuſcipiendam. Quod & confirmatur egregio teſtimonio D. Auguſt. in lib. de verbis domini, ſermone. 6. de puero Cẽturionis. Vbi dicit, Fratres ad nos pertinet vobis dicere, ad nos pertinet Chriſtianis loqui, quid enim mihi de ijs, qui foris ſunt, iudicare, vt ipſe Apoſtolus ait? Illos, ſcilicet Paganos alloquimur, aliter tanquam infirmos, blandiẽdum eſt illis, vt audiant veritatem, in vobis reſecanda putredo eſt. Quibus verbis, vt videtis, talem inſinuat differentiam inter infideles, & fideles, quod infideles blandimentis ſunt trahendi ad fidem, à fidelibus autem vi atque coactione reſecanda eſt putredo. Et ſubdit ſtatim, Si quæritis vnde vincantur Pagani, vnde illuminentur, vnde ad ſalutem vocentur? deſerite omnes ſolennitates eorum, deſerite nugas eorum, & ſi non conſentiunt veritati noſtræ, erubeſcant ſalſitati ſuæ. Et quia erant aliqui, qui exiſtimabãt licitum eſſe illis vi atque armis paganorũ idola confringere, adiecit, nec faciatis iſta, quando in poteſtate non eſt, vt faciatis illa. Prauorũ hominum eſt, furioſorum, & Circuncellionum, vbi poteſtatem non habẽt ſæuire, & velle mori. Appellat autem Circũcelliones eos, qui ſine cauſa ſeipſos paganis offerebant occidendos, vt pro martyribus haberentur. Et ad probandam ſuam ſententiam adducit Auguſtinus illud Deuteronomij cap. 7. Cum data vobis fuerit terra in poteſtate, tunc animas eorum deſtruetis, & dicit, vbi nobis non eſt data poteſtas, non facimus: vbi data eſt, non permittimus. Et ne quis exiſtimaret ſe loqui de poteſtate neceſſaria ad coactionem, & non de [illegible] quæ eſt neceſſaria ad licitam vocationẽ ſubdit,

Egregiũ teſtimoniũ D. Auguſt.

Multi

Multi pagani habent iſtas abominationes in fundis ſuis, nunquid accedemus, & confringemus? abſit. Prius agendū eſt, vt idola in eorum cordibus frāgamus. Modo orādum eſt pro illis, non iraſcendum. Et paulò inferius, Nonne ante nos ſunt loca, in quibus ſunt? aut vere ignoramus vbi ſunt iſta? & tamen non facimus, quia non dedit in poteſtatē Deus. Quando dat Deus in poteſtatē? quando Chriſtianus eſt, cuius res eſt. Plura alia dicit D. Auguſtinus eo in loco ad idem propoſitum, quæ breuitatis gratia omittuntur. Ex quibus omnibus colligitur nulla ratione eſſe licitum compellere infideles ad fidem. Et huius rei etiam ſignum eſt, quod nunquam Eccleſia vſa eſt inuitos ad fidem adducere, nec Imperatoribus aut Regibus talē poteſtatem cōceſsit. Eſtq; hoc adeò verum, vt nec etiam ſit licitum compellere illos, qui ſunt orti ex parentibus Chriſtianis, ſi tamē, ipſi ſunt adulti, & infideles, quidquid dicat Paludanus in. 4. diſt. 4. quæſt. 4. Et ratio eſt, quia cum Eccleſia tantum habeat ius in filios Chriſtianorum nondum baptizatos, ea ratione, quia parētes habent ius in illos, & filij adulti ſint liberi à patrum poteſtate, quantum ad fidei religionem, manifeſte ſequitur quòd non habet ius in illos.

Ad. 1. arg. ¶Ad primum argumentum in contrarium factum reſpondetur primo, quòd locus ille Lucæ non intelligitur de compulſione facta armis, ſed de ea quæ fit vi & efficacia rationum, & miraculorum, vt docet D. Tho. de veritate. quæſtio. 22. art. 9. & D. Chryſoſt. homil. 41. operis imperfecti. De qua etiam loquitur Paulus. 2. ad Timot. c. 4. cum dicit: Prædica verbum, inſta, opportune, importune, argue, obſecra, increpa, &c. Et ad Titum. 2. Argue cum omni imperio. Et Hieremiæ. c. 24. dicit Deus, Nunquid nō verba mea ſunt ſicut ignis, & malleus conterens petras? D. Grego. homil. 36. intelligit eundem locum de compulſione facta calamitatibus, quas Deus hominibus immittit, vt conuertantur. Sed hoc eſt idē. Nam cum Deus huiuſmodi coactionibus non compellat voluntatem, ſed immutet, & ex nolentibus faciat volentes, manifeſte ſequitur ipſum ſemper voluntariam, & liberam extrahere confeſsionē. Et propterea Auguſt. dicit: Felix neceſsitas, quæ compellit ad meliora. Vel ſecundo reſpondetur, ꝙ locus ille intelligitur dē coactione, quæ debet fieri hæreticis, & non de ea, quæ debet fieri infidelibus. Nam, vt docet D. Auguſtinus multis in locis, & præcipue contra Donatiſtas, hoc eſt diſcriminis inter infideles, qui nunquam receperunt fidem, & hæreticos, qui illam receperunt: quod infideles, qui nunquam ſua voluntate, quæ neceſſaria eſt ad receptionem, ſe obligauerūt ad fidem, blanditijs, & non coactionibus, ſunt inducendi ad illam: at vero hæretici pœnis, atq; armis tanquam illi, qui ſua ſpōte illam promiſerunt. Multi enim obligantur ad id ratione promiſsionis, ad quod nulla ratione tenerētur, niſi votum præceſſiſſet, iuxta illud Pſalm. 75. Vouete & reddite Domino Deo veſtro. Supra quæ verba dicunt Doctores, primum importare cōſilium, & ſecūdum præceptum. Nam quāuis ſit poſitum in mea voluntate vouere, vel non vouere, & ſit conſilium de vouendo, non tamen eſt poſitum in mea poteſtate reddere, vel nō reddere, poſtquam voui, ſed eſt præceptum de reddendo. Hæc eadē differētia aſsignatur à D. Tho. in hoc articulo, & eſt deſumpta ex cōcil. Toletano quarto, vt conſtat ex cap. de iudicijs, diſt. 45. & ex D. Gregorio qui in cap. qui ſyncera. eadem diſtinctione, dicit: Qui ſyncera intentione extraneos à Chriſtiana religione ad fidem cupiunt perfectam perducere, blandimentis debent non aſperitatibus ſtudere: nam quicunque aliter agunt, & eos ſub hoc velamine à conſueta ſui ritus voluerint cultura remouere, ſuas illic magis quā Dei cauſas probantur attendere. Et per hoc patet ſolutio ad argumentum.

Ad confirmationem. ¶Ad confirmationem ex D. Gregorio reſpondetur, ꝙ ſi parabola intelligatur vniuerſaliter tam de fidelibus, quam de infidelibus, compulſio erit explicanda de coactione, quæ fit vi & efficacia rationum, & miraculorum, & non de compulſione facta armis. *Ad. 2. arg.* ¶Ad ſecundum reſpondetur conceſſo antecedenti negando conſequentiam. Et ad probationem dico, quod quāuis principes ſeculares ſint cuſtodes legum diuinarum, & poſsint ſibi ſubditos compellere ad ſeruandas leges à ſe latas, non tamē poſſunt infideles compellere ad hoc, vt inuiti fidem ſuſcipiant propter rationes à nobis aſsignatas. Eſt enim latiſsimum diſcrimen inter legem de credendo, & de faciendis alijs rebus, vt iam explicauimus. *Ad. 3. arg.* ¶Ad tertium reſpondetur conceſſo antecedenti, negando conſequentiam. Et ad probationem dico, ꝙ quāuis ſit grauius pecca-

peccatum infidelitas, quam blaſphemia, quia tamen infidelitas conſiſtit in actu interiori, & nulla vis exterius illata poteſt totaliter efficere, vt non maneat ſacrilega & ſimulata fides, idcircò ad ſuſcipiendam fidem nullus debet vi, atque violentia cogi. Cæterùm blaſphemia, quia conſiſtit in actu exteriori, ſcilicet, in verbis iniurioſis dictis contra Deum à quibus qui abſtinet, verè abſtinet, ſiue metu id fiat, ſiue ſponte, idcirco homines vi compelli poſſunt ne blaſphement, & non vt credant.

Ad confirmationem. ¶ Ad confirmationem ex concil. Toletano reſpondetur cum Caietano in præſenti, quòd Concilium ibi ſolum laudat animũ Regis, & pium illius affectum erga religionem, factum autem non laudat: quin potiùs illud improbat, vt conſtat ex eo quòd ſtatim tulit legem, qua præcipit ne infideles ad fidem cõpellerẽtur. ¶ Ad aliud de regibus Hiſpaniæ Ferdinando & Eliſabeth dico eos iuſtiſsime legem tuliſſe qua pręceperunt, vt Iudæi, qui nollent fidem noſtrã profiteri è ſuis regnis exirent: id enim fecerunt, non, vt infideles ad fidem compellerent, ſed vt ſuis ſubditis conſulerẽt, quos videbant ex conſortio Iudæorum infici, & in deterius ire, quod iure facere poterant: imo ad id tenebantur ex regia dignitate.

Dubium. ¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco, vtrùm liceat principibus Chriſtianis vi, & armis infideles ſuæ ditioni ſubijcere, vt ſic melius poſsint edoceri, & informari ad fidem ſuſcipiendam. *Argumẽtũ pro parte affirmatiua.* Et pro parte affirmatiua eſt argumentum. Id videtur eſſe mediũ aptum ad ſuſcipiẽdam fidẽ, ergo licitũ eſt eo vti. *Sententia autoris.* ¶ Hoc tamen non obſtante dico nulla ratione eſſe licitum bellum inferre infidelibus ad hoc, vt ſubiecti principibus Chriſtianis melius doceantur de rebus ad fidem pertinentibus. Et probatur multipliciter. Primo, Hoc mediũ potiùs obeſt, quã prodeſt prædicationi Euangelicæ, ergo nõ licet eo vti, eo fine, vt infideles melius inducãtur ad fidem. Conſequẽtia eſt nota, & antecedens probatur. Ea, quæ ſunt fidei nõ rationibus naturalibus, ſed ſubiectione intellectus ad illa, ſunt percipienda, iuxta illud Pauli, Captiuantes intellectum in obſequium fidei: ſed ad huiuſmodi intellectus ſubiectionem plurimum valet pia affectio, quam diſcipuli habent erga illos, qui eam docent, vt D. Thom. affirmat in pluribus locis, ergo ad prædicationem Euãgelicam conuenientius, & aptius medium eſt illud, quod in auditoribus cauſat piam affectionem erga concionatores, quam quod cauſat odium, & deteſtationem: ſed ſic eſt quod bella, quæ præcedunt prædicationem, & fiunt ad ſubiectionem infidelium, non amorem ſed odium & deteſtationem inducunt, ergo illa non proſunt, ſed potius obſunt prædicationi Euangelicæ: atque ex conſequenti, non eſt licitum illis vti, eo fine vt infideles ſubiecti principibus Chriſtianis meliùs doceantur de rebus fidei. Et confirmatur ex Matth. cap. 10 vbi Chriſtus non armatos, ſed inermes, & bene facientes diſcipulos miſit ad prędicandum dicens, Euntes prædicate, quia appropinquauit regnum cœlorum, infirmos curate, ſuſcitate mortuos, &c. Et alio in loco, Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum, qui in cœlis eſt. Super quæ verba Diuus Chryſoſtomus homil. 1. operis imperfecti dicit, Per illos quidem, qui docent, & non faciunt blaſphematur Deus: nam ſi benè docent, & melius viuant, videntes Gentiles dicunt, benedictus Deus, qui tales habet ſeruos: vere enim eorum eſt verus Deus. Niſi enim is eſſet iuſtus, nunquam populum ſuum circa iuſtitiam ſic teneret: nam ſcientia Domini ex familiæ moribus demonſtratur. Si autem bene doceant, & malè conuerſentur, videntes Gentiles dicunt, Qualis eſt Deus eorum, qui talia agunt? Nunquid ſuſtineret talia facientes, niſi conſentiret operibus eorum? Vides quomodo Deus per malos Chriſtianos blaſphematur, nec poteſt Dominus bonam opinionem habere, qui malã familiã habet. Hucuſq, Chryſoſtomus. *D. Chryſoſt.* Et concludit verbis Pauli ad Roma. 2. dicentis, dictum eſſe ad populum Dei, Nomen Dei blaſphematur per vos inter Gentes. *D. Auguſt.* Cui concordat D. Auguſtinus in lib. de vita Chriſtiana: vbi dicit, Sanctum eſſe populum ſuum Deus voluit, & ab omni contagione iniuſtitiæ prorſus alienum, vt nihil in eo gentes, quod reprehenderent, inuenirent, ſed quod admirarentur, & dicerent, beata gens, cuius Dominus Deus eorum, populus, quem elegit in hæreditatem ſibi, &c. Manifeſtum eſt autem, quòd hoc non fiet, ſi infideles vi, & armis ſubijciantur, quin potius odio habebunt ipſos Chriſtianos, vt iam diximus. Pro hac etiã ſententia faciunt rationes, & teſtimonia à nobis adducta dubio præcedenti, ad probandam

bandam ſecundam concluſionem.

Dubium. ¶ Sed eſt aliud dubium, vtrùm ſaltim ſit licitum compellere infideles ad hoc, vt ſeruent legem naturæ, verbi gratia, ad hoc vt non furentur, vel quòd colant vnum Deũ, &c. *Argumentum pro parte affirmatiua.* Et pro parte affirmatiua eſt argumentum, Pagani poſſunt compelli ad hoc, vt ſeruent legem humanã poſitiuam, ergo multò magis ad obſeruantiam legis naturalis.

Argumentum pro parte negatiua. ¶ In contrarium tamen eſt, nam hoc virtualiter eſſet compellere ad obſeruantiam legis Chriſti, ſed hoc eſt illicitũ, vt diximus, ergo & illud. Probo maiorem: nam ille, cui non datur facultas ſuos Deos colendi, virtualiter atq; tacite compellitur ad obſeruantiam legis Chriſtianæ. Et cõfirmatur. Nõ licet prohibere Iudæis ne ſuis cęremonijs vtã tur vt habetur in cap. qui ſyncera. 45. diſt. ergo nec licet impedire paganos, ne Deos ſuos colant. Probo conſequentiam: nam vt dicit D. Gregorius eo in loco, idcirco Iudæi non ſunt prohibendi, quia illa prohibitio eſſet quædam coactio ad Chriſtianiſmum: ſed eadem ratio eſt de paganis, ergo.

1. Concluſio. ¶ In hoc tamen ſit prima concluſio, Infideles, qui non ſunt ſubditi principibus Chriſtianis, nec poſſunt compelli, vt deſerant idololatriam, nec vt obſeruent aliã pręcepta legis naturæ. Hæc concluſio eſt cõtra Antoninum de Florentia. 3. part. tit 22. cap. 5. & contra Syluestrum, verbo, Papa. §. 7. & contra Innocentium in cap. ſuper his, de voto. Sed illam tenet Victoria in relectione de Indis, nu. 40. & Caietanus. 3. par. q. 66. ar. 8. & Maiores in. 2. diſt. 44. q. 3. *1. Ratio concluſionis.* Et probatur primo, Non licet principibus Chriſtianis bella ſuſcipere, niſi ob depellendam iniuriam, vt docet Auguſtinus lib. 2. quæſt. veteris teſtamenti, quęſt. 10. ſed infideles eo ꝙ ſunt idololatræ, aut non obſeruant alia præcepta iuris naturalis, nullam fidelibus iniuriam inferunt, ergo ob id ſolum non eſt licitum illis bellum inferre. Nec obſtat, quod huiuſmodi infideles faciunt iniuriam Deo, quia nõ pertinet ad principes Chriſtianos omnes iniurias Deo illatas vindicare: ſed eas tantum quæ ſunt coniunctæ cum iniurijs noſtræ religioni, aut innocentibus factis: quales ſunt blaſphemiæ contra Chriſtum, & religionem noſtram, & perſecutio Chriſtianorum. Aliâs cum per quodcunq; peccatum mortale fiat Deo grauis iniuria, pro quocunq; illorum eſſet licitum bellum mouere infidelibus, quod eſt abſurdum.

2. Ratio. ¶ Secundò, Principes, quorum vnus ſit fidelis alter infidelis, eo modo ſe habent inter ſeſe, quo duo homines priuati, ſed priuatus homo non habet ius vindicandi iniuriam ab alio homine Deo illatam, ergo nec vnus princeps poterit alium debellare propter idololatriam. Et confirmatur ex Diuo Auguſtino qui hanc ſententiam expreſsè docet ſermone. 6. de verbis Domini dicens, non eſſe abducendos Gentiles ab idololatria per vim. Præterea probatur concluſio. *3. Ratio.* Quando autores contrarię ſentẽtiæ dicunt licitum eſſe Chriſtianis inferre bellum infidelibus proptor peccata facta contra legem naturæ, vel loquuntur vniuerſaliter de quibuſcunq; peccatis contra legem naturæ factis, vt ſunt furtũ, fornicatio, adulteriũ, vel peculiariter de illis, quæ D. Tho. 2. 2. quæſt. 154. art. 11. ad. 2. argum. appellat peccata contra naturam, quia non ſolum ſunt contra legem naturæ, ſed etiam contra ordinem naturalem, de quibus Paulus loquitur ad Roma. 1. cum dicit, Fœminæ immutauerũt naturalem vſum, in eũ vſum, qui eſt contra naturam: ſimiliter autem maſculi, relicto naturali vſu fœminæ, exarſerunt in deſiderijs ſuis, in inuicem maſculi in maſculos turpitudinem operantes, &c. ſed nihil horũ poteſt dici, ergo falſum eſt, ꝙ Chriſtiani poſſunt bellum inferre infidelibus propter peccata facta contra legẽ naturæ. Conſequentia cum maiori eſt nota: minor autem probatur quo ad ſingulas partes. Et primo quod non liceat bellum inferre generaliter pro quibuſcunq; peccatis contra legem naturę factis, patet ex Paul. 1. ad Corint. c. 5. vbi cum dixiſſet, Si is, qui frater nominatur inter vos, eſt fornicator, aut auarus, aut idolis ſeruiens, aut maledicus, aut ebrioſus, aut rapax, cum huiuſmodi nec cibum ſumere ſubdit ſtatim, Quid mihi de ijs, qui foris ſunt, iudicare? Non ne de ijs, qui intus ſunt, vos iudicatis? nam eos, qui foris ſunt, Deus iudicabit. His verbis aperte ſignificans, quod quanuis ad fideles pertineat de illis, qui ſunt intra Eccleſiam, iudicare, peccatores puniendo, & illorum conſortium vitando, quo ſic confuſi faciliùs reſipiſcant, non tamen pertinet ad eoſdem eos, qui ſunt extra Eccleſiam, qualeſcunque illi fuerint, redarguere, & multò minùs armis, aut gladio perſequi, vt boni efficiãtur. Quid enim nobis de ijs, qui foris ſunt, iudicare? Quod autem nec etiã liceat inferre bellum infidelibus ad punienda peccata ſecundi generis probatur: Nam ho-

nicidium eſt ita graue peccatum, & ità manifeſtum ſicut quodcunque aliud contra naturam factum, ſed per hoc non licet bellum inferre infidelibus, vt diximus, ergo nec pro quocunque alio. Et cõfirmatur. Non licet Papæ inferre bellum Chriſtianis, quia ſunt fornicarij, aut fures, imo nec quia ſunt cinædi. nec ideò poteſt publicare terras eorum, & dare illas alijs principibus: aliâs cum in omni prouincia ſint multi peccatores, quotidie poſſent mutari regna, quod eſt abſurdum, ergo multò minùs eſt licitum propter hæc & ſimilia peccata bellum inferre infidelibus: maximè cum hæc peccata grauiora ſint apud Chriſtianos, qui ſciunt ea eſſe peccata, quã apud barbaros illa ignorantes. Vltimo, Nec Papa, nec quicunque alius princeps Chriſtianus poteſt ferre leges infidelib' nõ ſibi ſubiectis, ergo nec poteſt in illos iudicium exercere, aut inferre pœnas. Et confirmatur, quia vel infideles tenentur ferre pœnas illatas pro his peccatis, vel non. Si non tenentur, ergo nec Papa, nec alius princeps poteſt illas inferre. Si tenentur, ergo etiam tenentur recognoſcere Papam tanquam dominum, & legiſlatorem, atque ex conſequenti, ſi non illum recognoſcant propter hoc ſolum poterit eis bellum inferri, quod eſt aperte falſum, & contra id, quod à nobis in ſuperioribus eſt probatum. Patet conſequentia. nam implicat contradictionem, quod quis poſsit impune negare autoritatem, & iuriſdictionem Papæ, & tamen teneatur ſubire illius iudicium.

Vltima ratio

Argumentum contra concluſionẽ.

¶ Sed contra hoc eſt argumentum ex Deutero. cap. 9. vbi dicitur de Ioſue, quòd ingreſſurus terram promiſsionis deleuit gentes, quæ illam incolebant, nec ob aliam rationem videtur id factum, niſi quia erant idololatræ, & committebant alia peccata contra legem naturalem, ergo ob id ſolum licitum eſt infidelibus bellum inferre.

Reſponſio.

¶ Reſpondetur primo, quòd Ioſue id fecit iuſſu Dei, qui tanquam mortis & vitæ Dominus potuit dare poteſtatem huiuſmodi gentes deſtruendi. Vel ſecundo reſpondetur, quòd id fecit Ioſue quia illæ gentes occupabant terram Palæſtinæ, quam Deus multis retrò annis promiſerat filijs Iſrael: & ſic bellum fuit iuſtum ex parte illius.

2. Concluſio.

¶ Secunda concluſio. Si aliqua reſpublica incipiat corrumpi cultu idololatriç principe id volente, atque conſentiente, & admonitus id emendare noluerit poterit cogi à quocunque principe, vt ſuæ reipublicæ conſulat. Probatur, Quotieſcunque innocentes afficiuntur iniuria, licitum eſt vnicuique illos defendere (lege naturæ id ordinãte) ſed in caſu poſito eſt certum, moraliter loquendo, quòd multi inuiti trahuntur ad idololatriam, quibus ex conſequenti ſit maxima iniuria, ergo licitum erit vnicuique tales innocentes bello, & armis defendere. Item quod huiuſmodi bello agitur eſt, ne princeps impedimentum afferat ijs, qui volunt ſeruare legem naturæ, ſed hoc eſt licitum vnicuique, ergo. Probo minorem. Licet vnicuique bellum gerere aduerſus eos, qui fidei prædicationem impediunt, vt D. Tho. affirmat in hoc articulo, ergo multò magis licebit bellum inferre principi impedienti obſeruantiam legis naturalis. Probo conſequentiam, nam ratio, & iuſtitia legis naturalis manifeſtior, eſt quam ratio & iuſtitia legis euãgelicç. Et confirmatur. Si ſubditi, qui trahuntur ad idolorum cultum, aduocarent aliquem principem, vt ſibi eſſet auxilio, ille poſſet eos armis, & gladio iuuare, ergo etiam poterit idem facere nemine vocante. Probo conſequentiam, nam ſatis clamat ille, qui inuitus patitur iniuriam.

¶ Tertia concluſio. Si qui infideles ſint adeò barbari, vt viuant more ferarum, & ſit illis pro lege ſui animi libido, vi & armis poterunt compelli à quocunque principe, vt feritate depoſita viuant humano more. Probatur: nam talis viuendi modus neceſſario debet eſſe coniunctus cum plurimorum innocentum iniuria, quibus opem ferre vnuſquiſque pro ſua virili, & poteſt, & debet. *3. Concluſio.*

¶ Quarta concluſio. Infideles principibus Chriſtianis ſubiecti poterunt compelli ad hoc, vt abſtinentes ab idolorum cultu, ſeruent legem naturæ. Probatur. Tales poſſunt compelli ad hoc, vt abſtineant à furto, & adulterio, ergo & vt abſtineant à cultu Deorum. Probo conſequentiam, nam cultus multorum Deorum non minus eſt contra legem naturæ, quã furtum. Secundo, ad principes Chriſtianos pertinet procurare bonum publicum, & ciuile, ergo & bonum religionis. Probo conſequentiam, nam bonum religionis eſt bonum publicum. Et ita factum eſt à Chriſtianiſsimis Imperatoribus, vt conſtat ex. l. prima, & ex. l. nemo. C. de Paganis, & templis, & eorum ſacrificijs, quas *4. Concluſio.*

leges tulit Conſtantinus Imperator, eaſq; approbauerunt Diuus Ambroſius epiſtola. 3. & Diuus Auguſtinus epiſtola. 46. Hanc etiam concluſionem probat argumentum à nobis factum in principio dubitationis pro parte affirmatiua.

Dubium. ¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco à quonam infideles principibus Chriſtianis ſubiecti ſint compellendi ad obſeruantiam legis naturæ? vtrùm, ſcilicet, à Papa, vel ab ipſis principibus Chriſtianis, quibus ſubijciuntur? In quo ſit vltima concluſio, Summus pontifex directe non habet poteſtatem compellendi infideles, principibus Chriſtianis ſubiectos, ad obſeruantiam legis naturæ. *Vltima concluſio.* Probatur, Poteſtas ſummi Pontificis, cum non conſtet ratione naturali, ſed diuina inſtitutione, qualis & quanta debet eſſe ex ſacris literis eſt penſandum: ſed quantum colligitur ex ſacra ſcriptura Papa ſolum habet poteſtatem ſupra eos, qui ſunt baptizati, & hoc in ordine ad finem ſupernaturalem, vt diximus in ſuperioribus, ergo non ad ipſum, ſed ad principes ſeculares directe pertinet compellere infideles ſibi ſubditos ad obſeruantiam legis naturæ. Et hac de cauſa de principibus ſecularibus dixit Paulus ad Roma. 13. Non ſine cauſa gladium portat, dum enim miniſter eſt, vindex in iram ei, qui malum agit, &c.

Ad argumentum pro parte negatiua. ¶ Et ad argumentum, quo probauimus nulla ratione eſſe licitum compellere infideles ad obſeruantiam legis naturę, reſpondetur negando idem eſſe compellere ad obſeruantiam legis naturæ, & compellere ad obſeruantiam legis Chriſti: nam poterunt infideles Chriſtianis ſubiecti deſerta idololatria permanere in cultu vnius Dei, & ſic nec infideles, nec idololatræ erunt. Ad confirmationem reſpondetur conceſſo antecedenti, negando conſequentiam. Et ratio eſt, quia ſi Iudæi cogantur deſerere ſuas ceremonias, cum illi credant in Meſsiam futurum, ex conſequenti etiam coguntur nõ credere futurum, ſed iam veniſſe, quod eſt Chriſtũ confiteri, & hoc nõ licet, vt diximus. *1. Corollariũ* ¶ Ex dictis infero nonnulla corollaria, quibus hæc reddantur explicatiora, atque clariora. Primum eſt, quod ſi in aliqua republica infideli ſunt aliqui, ſiue multi ſiue pauci, qui volunt audire fidem Chriſti, & non permittuntur illam audire, ſiue alijs eiuſdem Reipublicæ obſtantibus, ſiue principe id impediente, vel quia ipſos in carcerem conijcit, ne audiant, vel quia ipſis deſiderantibus, & flagitantibus non vult concedere, quod prædicatores verbum Dei loquantur, licitum erit vnicuique principi contra huiuſmodi Rempublicam, & Principem arma mouere, eoſque compellere, vt à cœptis deſiſtant. Probatur, Huiuſmodi impedimentum præſtantes maxima iniuria afficiunt illos, qui audire volunt fidem noſtram: habet enim vnuſquiſque ius audiendi id, quod ſibi cõueniens fuerit, quo per vim illatam priuatur, ergo licitum erit vnicuique tales innocentes defendere. ¶ Infero ſecundo, quòd *2. Corollariũ* ſi infideles per iniuriã occiderint eos Euangelij miniſtros, & prædicatores, qui nihil mali inferentes, ſed potiùs honeſtam viuendi rationem præſe ferentes omnibus prodeſſe per Euangelicam prædicationem curant, licitum erit vnicuique contra huiuſmodi infideles bellum mouere. Probatur: nam faciunt iniuriam noſtræ religioni, quam propulſare, & vindicare iure poſſumus. ¶ Infero tertio, quòd ſi Rege volen- *3. Corollariũ* te recipere miniſtros Euangelij, eoſque audire, regnum reſtiterit, licitum erit vnicuique contra huiuſmodi regnum bellum gerere. Et ratio eſt, quia impedit fidem in Rege, cuius exemplum ſolet eſſe efficaciſſimum ad inducendos alios ad fidem, ſicque facit maximam iniuriam non ſolum Regi, cui tenetur obedire in licitis, & honeſtis, ſed etiam noſtræ religioni, vt ſatis conſtat. Et hæc ſint dicta de hac difficultate, & de materia primæ concluſionis huius articuli.

¶ Circa ſecundã concluſionem D. Tho. *Dubium graue circa ſecũdam concluſionẽ D. Tho.* in qua dicit, infideles, qui aliquando fidem ſuſceperunt, poſſe compelli, imò corporaliter eſſe compellendos ad hoc, vt illam teneant: eſt difficultas, vtrùm ſit licitum hæreticos morte punire, vel contra illos bellum mouere poſtquam de illorum pertinacia & rebellione plenè conſtiterit? nam in hac re faceſſunt nobis negotium hæretici Lutherani dicentes, neutrum ho- *Sententia Lutheranorũ.* rum eſſe licitum, vt eſt videre apud Roffenſem artic. 33. contra Lutherum. Quam ſuam ſententiam probant primo ex illo *1. Argum.* Eſai. c. 2. Conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces. Ex quo loco colligi videtur, remouendum à Chriſtianis omne ſtudium bellandi, & ſupplicium per arma ſuſcipiendi: & ſic dicunt hæreticos nõ eſſe occidendos, ſed rationibus conuincendos. ¶ Hoc idem probant ſecundo ex eodẽ *2. Argum.*

Eſai.cap.11.dicente, Non nocebunt, & nō occident in vniuerſo monte ſancto meo. Et Matth.cap.18.de fratre in nos peccante, qui ſemel, & iterum admonitus emendationem negligit, dicit Chriſtus, Si Eccleſiam non audierit ſit tibi tanquam Ethnicus, & publicanus: quibus verbis, vt conſtat, Saluator noſter non occidendi, ſed excommunicandi poteſtatem dedit Eccleſię: & ſic videtur quòd iniuſtè occidantur hæretici.

3. Argum. ¶ Pro hoc etiam facere videtur parabola illa de tritico, ſuper quod inimicus homo ſeminauit zizania: quæ videntes ſerui patris familias dixerunt, Vis imus, & colligimus ea? Quibus reſpondit idem pater familias, Non, ne fortè colligentes zizania eradicetis ſimul, & triticum, ſinite vtraque creſcere vſque ad meſſem. Ex quo loco ſic colligunt argumentum, Deus prohibet eradicare zizania, ergo iniuſtè, & contra Dei præceptum faciunt qui hæreticos per zizania ſignificatos de agro huius mūdi per mortem eradicant.

Cōfirmatio. ¶ Et confirmatur ex illo Lucæ cap.9. vbi diſcipulos volentes ignem de cælo deducere, & perdere ciuitatem illam, quæ Chriſtum non ſuſceperat, compeſcens Chriſtus dixit, Neſcitis cuius ſpiritus filij ſitis: non venit filius hominis animas perdere, ſed ſaluare. Et Diuus Paulus ad Titum.3. hæreticum hominem vitare, non autem armis, aut gladio occidi iubet, ergo ita eſt faciendum.

Concluſio de fide tenēda. ¶ His tamen non obſtantibus, ſit concluſio de fide tenenda, Licitum eſt hæreticos morte punire, & contra eoſdem bellum mouere, poſtquam de illorum pertinacia, & rebellione conſtiterit. Hanc concluſionem tenent communiter omnes Doctores. Et, vt in probatione illius clariùs procedamus primo & ante omnia percontari volo eós, qui contrarium ſentiunt, vtrùm ob aliquam iuſtam cauſam ſit licitum hominem occidere? Forte dicent (vt hæretici Vualdēſes olim docuerunt) nullam eſſe cauſam, propter quam homo iuſtè occidatur, etiam ſi id fiat ex iudicis præcepto. Et certè (ſi ſuſpicionibus dandus eſt locus) multi ex Lutheranis ità ſenſerunt. Nam Otho Brunfelſius libro quarto Pandectarum ſacræ ſcripturæ volens perſuadere hæreticos non eſſe occidendos, inter alia, quæ pro ſe adducit, affert Eſaiam dicentem cap.65. Non nocebunt, & non occident in vniuerſo monte ſancto meo, quæ verba non magis de hæreticis, quam de quibuſlibet alijs loquuntur, vt hæretici magis quam alij prohibeantur occîdi. Sed iſte error longè grauior, & peſtilentior eſt, quam præcedens: vt pote qui non ſolùm repugnat ſacris literis, ſed etiam humanum conuictum tollit, perturbatque pacem totius Reipublicæ. Et quidem, quòd repugnet ſacris literis probatur.

Dicere q maleſactores nō ſunt interficiendi repugnat ſacris literis.

Nam quamuis in lege veteri fuerit datum præceptum de non occidendo, multæ tamen aliæ particulares leges fuerunt in ea, quæ ob alia particularia ſcelera homines morte punire iubebant, vt patet ex Leuitico cap. 20. vbi is, qui declinauerit ad magos, & ariolos interfici iubetur, & ſimiliter is, qui maledixerit patri, aut matri. Sed dimiſſa lege veteri, quæ circa iudicia, & cæremonias iam per Chriſti mortem abrogata eſt, veniamus ad tempus Euangelij, in quo beatus Petrus Ananiam, & Saphiram morte puniuit, propterea quod vendito agro fraudauerunt de pretio ſibi aliquid inde reſeruantes, nec totum (vt facere ex voto tenebantur) corā Apoſtolis poſuerunt, vt habetur Actorum cap.5. Item Chriſtus Matthæ.cap.25. eum, qui propria autoritate alium occiderit, iuſtè occidendum eſſe docet: Qui occiderit gladio, gladio peribit. Et alio in loco, Omnes, qui acceperint gladium gladio peribunt. Suntque hæc verba non hominis prædicentis futura, vt nonnulli exiſtimāt, ſed præcipientis, & ſtatuentis legem, qua publicę poteſtati facultatem tribuit, vt gladio vti poſſit contra eum, qui priuatim, & ſine publica autoritate alium percuſſerit: qualis tunc erat Diuus Petrus, qui nulla vtens publica poteſtate ſeruum principis gladio percuſsit. Fauetque huic noſtræ interpretationi Theophylactus, qui in commentarijs ſuper Matthæum prædicta verba interpretans dicit, Dictum legis ponit Chriſtus, ſcilicet, quod homicida & ipſe occiditur: lex enim hoc dicit, quòd qui acceperint gladium gladio moriantur. Hęc Theophylactus. Poteſt etiam probari ex ipſo contextu, hunc eſſe illius loci legitimum ſenſum. Nam poſtquam Diuus Petrus percuſsit ſeruum pontificis, Chriſtus dixit illi, Conuerte gladium tuum in locum ſuum. Et quod in his verbis præceptum contineatur, nullus meritò dubitare poteſt: ſunt enim per modum imperatiuum enuntiata. Et, vt magis vrgeret Petrum ad huius mandati executionem, legem pœnalem olim aduerſus omnes homicidas

micidas datam tunc illi ob oculos ponit dicens, Omnes, qui acceperint gladium gladio peribunt: vt ſic ſaltum metu pœnæ ab vſu gladij eum arceret. Quod autem hæc lex iam olim fuerit poſita in veteri lege patet ex concordantijs, quæ in vulgatis Biblijs circunferuntur: in quibus à latere horum verborum in margine habetur Geneſ. 9. & Apocalyp. 13. hoc ſigno indicantes his duobus locis reperiri ſimulē ſententiā cū illa, quæ ponitur Matth. 26. verba aurē quæ habētur Gen. c. 9. hæc ſunt: Quicunq; effuderit humanū ſanguinē fundetur ſanguis illius: eſt ergo contra ſacras literas affirmare nullam eſſe legitimam cauſam, propter quam liceat etiam iudicis præcepto hominem occidere. Sed quod ſimiliter iſte error vniuerſum Reipublicæ ſtatum perturbet, probatur. Nam ſi ſceleratiſsimi non occidantur, nulla erit in populo quies, & nulla pax permanebit in illo, ſed mali homines, tantò licentiùs quoſcunque iuſtos affligent, quantò certius nouerint ſe propter nullum ſcelus eſſe occidendos: & ſic mortem, quam ſecundum hanc ſententiam nō licet iudici inferre peccatoribus, ipſis malis hominibus in quoſcunque iuſtos impunè exercere licebit: eſſentque homines iuxta dictum Abacuch cap. 1. ſicut piſces maris, quorum maiores ſæpe deuorant minores. Propter quod nulla vnquam (quod ſciam) extitit tam barbara, & inculta Reſpublica, quæ ob aliqua certa crimina mortem maleficis infligendam non decerneret. Ad hoc ergo, vt debita ſit in populo quies & tranquillitas, expedit, vt ſceleratiſsimi quique homines, præſertim de quibus nulla eſt ſpes emendæ, occidantur: ne propter illorum cauſam tota Reſpublica collabatur. ¶ Et ſi quis obijciat, præceptum illud diuinum, Non occides, reſpondetur quòd illis verbis tantum inhibetur occiſio priuata autoritate facta, non autem ea, quæ fit à iudice ob aliquam iuſtam cauſam. Vnde Diuus Hieronymus ſuper. 22. caput Hieremiæ dicit, Homicidas, & ſacrilegos, & venereos punire non eſt effuſio ſanguinis, ſed legum miniſterium. Et Diuus Auguſtinus lib. 1. de ciuita. cap. 21. ab illo præcepto, non occides, aliquos dicit eſſe exceptos, quos iuſtè occidi poſſe affirmat: quibus enumeratis concludit. Hi sigitur exceptis, quos vel lex iuſta generaliter vel ipſe fons iuſtitiæ Deus ſpecialiter occidi iubet: quiſquis hominem, vel ſeipſum, vel quemlibet alium occiderit, homicidij crimine innectitur. ¶ Suppoſito ergo tanquam certo eſſe licitum ob iuſtam cauſam hominem occidere, reſtat probandum, quòd hæreſis, cui pertinacia adiungitur ſit iuſta cauſa, propter quam homo hæreticus occidatur, vt aſſeruimus in concluſione. Et vt hoc commodius efficiam explicabo prius in genere cauſas, propter quas malefici iuſtè occiduntur & cum eas in hæreticis inueniri cognouerimus, ſufficienter manebit probatum licitum eſſe illos morte punire. ¶ Galenus vir præter medicinæ ſcientiam in omni genere Philoſophiæ clariſsimus, in illo opuſculo, cui titulus eſt, quòd animi mores corporis temperaturam ſequuntur, aliquas reddit cauſas, propter quas aliqui meritò morte pleƈtuntur, ſic inquiens: Deploratos, & facinoroſos tres ob cauſas rationi conſentaneas è vita tollimus, ne, videlicet, ſuperſtites contumeliam nobis inferant: & vt eiuſdem notæ homines in terrorem producant, tanquam pari ſupplicio excipiendos, ſi præter ius quid patrauerint. Tertia quia illis ipſis mori præſtat eò malitiæ profectus, vt nullus animi medicinæ faciendæ locus ſit, nec à muſis ipſis quidem corrigi, aut à Socrate, & à Pythagora meliores reddi queant. Hæc Galenus. Sed quia fortaſſe Galeni, velut Gentilis hominis, & minimè Chriſtiani ſententiam multi contemnere non formidabunt, opus eſt vt omnes tres occiſionis cauſas ab illo aſsignatas ex naturali ratione, & ſacræ ſcripturæ teſtimonijs comprobemus: & deinde ob eaſdem tres cauſas iuſtam eſſe hæretici incorrigibilis necem oſtendamus. ¶ Prima ergo cauſa à Galeno aſsignata eſt, ne, videlicet, ſcelerati, & peſsimi homines viuentes alijs contumeliam inferant. Et quidem, quòd hæc ſit conſona iuri naturali eſt res manifeſta: nam iuſtum eſt quod innocentes ſeruentur indemnes, nec vllo pacto permittere debet is, cui gubernandæ Reipublicæ incumbit cura, vt quis alteri contumeliam, aut iniuriam inferat. Ex quo fit, quod ſi nocentiſsimus homo à Iudice ſemel, & iterum admonitus, ne alteri noceat, nolit à ſua mala vita reſipiſcere, ſed ſemper in ea perſiſtens multis quotidie noceat, iudex illum è vita tollere cogatur: ne alijs amplius nocere poſsit. Tenetur enim Reipu-

Dicere quòd malefactores non ſunt interficiendi perturbat vniuerſum reipublicæ ſtatum.

Obiectio.

Solutio.

Hæreſis cui pertinacia adiungitur, eſt iuſta cauſa propter quā homo hæreticus occidatur.

Tres ſunt cauſæ propter quas malefactores vita priuantur.

Prima cauſa.

blicæ gubernator magis toti Reipublicæ prouidere, quam vni, aut alteri ciui, & curare totum corpus magis quam vnum aut alterum membrum. Et, vt Salomon affirmat Prouerbio. 29. Homines peſtilentes diſsipant ciuitatem: ſapientes vero auertũt furorẽ. Si ergo hęc eſt iuſta cauſa, vt homo ſceleratus è vita tollatur, manifeſte ſequitur, etiam eſſe iuſtiſsimum hæreticum incorrigibilem è vita tollere, vt pote qui ſuperſtes exiſtens alijs catholicis vehementer nocere poteſt. Vnde Paulus. 2. ad Roma.c.2. dicit, Profana, & vaniloquia deuita, multum enim proficiunt ad impietatem & ſermo eorum, vt cancer ſerpit. & ad Galatas quinto, Vtinam abſcindantur, qui vos conturbant. Et Diuus Hieronymus etiam dicit, Reſecandæ ſunt putridæ carnes, & ſcabioſa ouis à caulis repellenda, ne tota domus, maſſa, corpus, & pecora ardeant, corrumpantur, putreſcant, intereant. Arrius in Alexandria vna ſcintilla fuit, ſed quoniam non ſtatim oppreſſus eſt, per totum orbem eius flamma populata eſt. Hæc Hieronymus, quæ habentur. 24. quæſtio. 3. cap. reſecandæ.

2. Cauſa. ¶ Secunda cauſa inferendæ mortis apud Galenum eſt, vt alij ſimilis pœnæ timore deterriti à ſimilibus criminibus perpetrandis arceantur. Et quòd hæc ſimiliter ſit conformis rationi naturali, probatur: Nam ſicut recta ratio docet ad pacificum conuictum ciuium, & totius Reipublicæ conſeruationem pertinere, quod nemo alterum lædat: ita etiam eadem ratio dictat, ad eorundem ciuium bonos mores quam maximè conducere, quod nullus atrocia crimina, etiam ſi per illa nullus proximus lædatur, committere audeat. Et quod hoc per pœnas à lege illatas præcipue efficiatur, certiſsimum eſt: nam multi ſunt ad crimina proni, atque procliues, qui metu mortis, quam maxime horrent, & quam alijs ob ſimilia patrata ſcelera illatam eſſe ſciunt, ab illis criminibus deterrentur, & ea perpetrare reformidant. Vnde Prouerbio. cap. 10. dicitur: Peſtilente flagellato ſtultus ſapientior erit. & Pſalm. 57. Lætabitur iuſtus cum viderit vindictam, manus ſuas lauabit in ſanguine peccatoris. Super quæ verba dicit, Caſsiodorus, Quid eſt hoc, quod ille, qui præcipit orare pro inimicis, in peccatorum ſanguine piorum manus aſſerit abluendas? Sed hoc ſi diligentius intueamur, correctionis potius quam ſæuitiæ præſtabit exemplum: nam cum ſanguis peccatoris effunditur, manus, idest, actus iuſtiſsimi corriguntur. & impio pereunte commonetur innoxius cautius ſe & diligentius tractare. Hæc Caſsiodorus. Et ex hac radice oritur tam numeroſa legum multitudo præcipientium homines occidi propter crimina, quæ nulli alteri, quam ipſorum patratori nocent. Qui declinauerint ad Magos, & ad ariolos, lege Moſayca interfici iubebãtur, & eadem lege decretum erat, vt blaſphemus lapidaretur, quamuis per hæc crimina nullus præter ipſum patratorem læderetur. Hinc iam clariſsime conſtat iuſtiſsimum eſſe hæreticum hominem morte puniri. Nam cum ad criminum horrorem alijs incutiendum mortis pœna ſæpeſæpius ſit in lege decreta, vt, videlicet, eam audientes intelligant quam grauia ſint peccata, pro quibus tam acerba infligitur pœna, & ſic ſimilis pœnæ horrore à ſimilibus ſceleribus perpetrandis deterreantur: & hæreſis ſit grauiſsimum peccatum, vt diximus artic. 3. huius quæſtionis, manifeſtè ſequitur, quòd ad tanti criminis horrorem, & odium alijs ingerendum, iuſtiſsimum erit hæretico homini incorrigibili mortis pœnam inferre. Si iuſtum eſt per vnius punitionem alijs alicuius criminis timorẽ incutere, quanto crimen fuerit grauius, & atrocius, tantò iuſtius erit per maiorem, & acerbiorem punitionem alijs eiuſdem criminis maiorem horrorem incutere. Si Martinus Lutherus, cum primum cœpit effundere ſuum venenum, & legitime admonitus noluit reſipiſcere, fuiſſet (vt dicebat) capitis animaduerſione punitus, cæteri timorem habuiſſent, nec prorupiſſent tot tamque peſtiferæ hæreticorum factiones, quales hodie Germania ſuſtinet. Sed quia impunis euaſit Lutherus, auſi ſunt prodire in publicum, & ſuas effundere hæreſes OEcolampadius, Zuinglius, Carolſtadius, & omnium hæreticorum peſsimi Anabaptiſtæ. ¶ Tertia cauſa, propter quã (vt dixit Galenus) iuſtum eſt ſceleratum hominem occidere, eſt ipſemet homo: quia, ſcilicet, deſperatur de illius emendatione, & timetur, ne, ſi ſuperſtes ſit, quotidie peior euadat. Ne igitur ad grauiora flagitia progrediatur iuſtum eſt, vt morte illata præcludatur illi peccandi libertas. 3. Cauſa.

Duæ

Duæ primæ cauſæ totius Reipublicæ vtilitatem reſpiciunt, hæc tertia ipſius peccantis commodum intuetur: præſtat enim mori quam male viuere, & præſtat etiam ſceleſtum hominem mori, quam indies peiorem fieri. Sic enim progrediens ſecundum duritiam ſuam, & impœnitens cor theſaurizabit ſibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei, qui reddet vnicuique ſecundum opera eius, vt dicit Paulus ad Romanos capite ſecundo. Ob hanc cauſam Deus, qui diues eſt in miſericordia, & longanimis in patientia, multos in pueritia, & adoleſcentia ex hac vita præripit ne, ſcilicet, crimina à quibus tunc liberi ſunt, poſteà viuentes committant, iuxta illud Sapientiæ. 4. Placens Deo factus dilectus viuens inter peccatores tranſlatus eſt, raptus eſt ne malitia mutaret intellectum eius: & pauló inferiùs, Placita erat Deo anima illius, propter hoc præparauit educere illum de medio iniquitatum. Et quidem ſi hæc vnquam iuſta poteſt eſſe cauſa, vt propter illam quis occidatur, nunquam iuſtior eſſe poteſt, quam occidendo hæreticum incorrigibilem: ne viuere permiſſus magis inſaniat, & peccator fiat. Eſt enim propria hæreticorum conditio, vt niſi prohibiti, quotidie malitiam ſuam augeant, nouos ſemper ſuſcitando errores: iuxta illud Pauli. 2. ad Timot. 3. Mali homines & ſeductores proficiunt in peius errantes, & in errorem mittentes. Cuius rei, & ſi multa poſſint dari exempla, pro omnibus tamen illis ſatis erit vnius Martini Lutheri exemplum. Cuius geſta quia ferè hoc noſtro tempore contigerunt fortiùs valebunt ad probandam noſtrã concluſionẽ. Hic enim Martinus Lutherus parua habuit ſuorum errorum initia, ab illiſque in tot tamque peſtiferos (vt nunc videmus) progreſſus eſt errores. Primo quidem ſolum circa indulgentias quæ per bullas ſummorum Pontificum peccatoribus, ad pœnæ remiſsionem concedi ſolent, errauit, nec quidquam amplius tunc inſaniuit. Poſtea autem paulatim progrediens negauit ſatisfactionem vllam pro peccatis eſſe neceſſariam, ſed dimiſſa culpa, omnem prorſus, dixit, dimitti pœnam: ex quo poſtea fuit coactus negare purgatorium, quod tamen in principio ſui erroris apertiſsimè, & publicè in diſputatione Lypſiæ habita confeſſus fuerat. De quibus omnibus ac plurimis alijs erroribus à Leone. X. fuit damnatus, ac tandem declaratus hæreticus & vt talis excõmunicatus. Sed videns Lutherus ſe hæreticũ declaratũ, & damnatum: in tot taleſq; hæreſes prorupit, quot quáleſq; ante illum nullus vnquã hæreticus docuit. Melius igitur illi fuiſſet, vt ſtatim à principio, cum legitime admonitus obedire contempſit, gladio aut igne puniretur: quam viuens in tot hęreſes labe retur: per quas diuinã in ſe quotidie augeret iram, illamq; theſaurizatam ſeruaret in diem iuſti iudicij Dei, vt ibi tunc acerbius puniretur. De geſtis autem Martini Lutheri poteritis videre Doctorem Gundiſaluũ de Illeſcas, parte ſecunda in vita Leonis. X. §. decimo ſeptimo. vbi copioſe oſtẽdit qualiter ex paruis initijs ad faſtigium aſcenderit vitiorum. Ecce iam candide Lector, tres præcipuas cauſas propter quas hęreticus incorrigibilis debet occidi. Primam, ſcilicet, ne viuens alijs noceat, illos ſuo errore decipiens. Alteram, vt ipſius periculo alij cautiores reddantur, & tantæ pœnæ timore ab hæreſi deterreãtur. Tertiã ne ſuperſtes peior indies fiat, & maiorem in ſe Dei concitet iram. Et ſic patet, quòd ſi aliquis homo iuſtè debet occidi, nullus magis causa eſt occidendus, quam hæreticus obſtinatus. ¶ Ex quo etiam infertur eſſe licitum contra eos bellum mouere, poſtquam de illorum pertinacia, & rebellione conſtiterit, vt diximus in ſecunda parte noſtrę concluſionis. De qua videndus eſt Caſtro libro ſecundo de iuſta hęreticorum punitione cap. 12.

Licitum eſt contra hæreticos bellum mouere.

¶ Sed reſtat nunc vt ad argumenta in contrarium facta reſpondeamus. Ad primũ ex Eſaiæ capite ſecundo reſpondetur, verba illa nulla ratione poſſe ad hęreticorum punitionem adaptari. Nam iuxta verum illius literę ſenſum Propheta loquitur de pace, quę Chriſto nato futura erat in mundo: cum tamen in illo tam multa, & tam frequentia bella pręceſſerint. Feruebant quidem ante aduentum Chriſti vbique bella, & populum Iſraeliticum fœlici, & proſpero ſucceſſu ſępe Gentiles infeſtauerunt. Sed Chriſto ex virginis vtero nato, qui veram pacem hominibus verbo, & opere tradere veniebat, pax toti orbi reddita eſt. Propter quod (vt refert Beda in libro de ratione temporum) templum pacis quod Romæ hacte-

Ad. 1. arg. ex Eſaia.

nus fuerat clauſum, eo temporis articulo, Deo ità diſponente, ad tantæ rei nouitatem deſignandam ſua ſponte fuit apertum. Et quòd hæc fuerit mens Eſaiæ ex antecedentibus apertè conuincitur. Nam cum dixiſſet: Et erit in nouiſsimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur ſuper omnes colles, & fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi, & dicent: Venite aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis eius, quia de Sion exiuit lex, & verbum Domini de Hieruſalem, & iudicabit gentes, & iudicabit populos multos, &c. Quæ verba ex communi conſenſu Doctorũ, ad tempus Chriſti nati referuntur, ſubdit ſtatim: Et conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces, quod ſimiliter diuturnitatem pacis illo tempore futuram deſignat. Vnde Diuus Hieronymus hunc locum interpretans dicit: Omne bellandi ſtudium vertetur ad pacem, & pro diſcordia erit in toto orbe concordia. Gladij mutabuntur in vomeres, & lanceæ in falces, vt omiſſo furore bellandi agriculturæ ſeruiãt, & vberrimas falcibus meſſes ſecent. Et paulò inferiùs: Veteres reuoluamus hiſtorias, & inueniemus vſque ad viceſimum octauum annum Cæſaris Auguſti, cuius quadrageſimo primo anno Chriſtus natus eſt in Iudæa, in toto orbe terrarum fuiſſe diſcordiam, & ſingulas nationes contra vicinas gentes arſiſſe ſtudio præliandi: ita vt cæderent, & cæderentur. Orto autem Domino Saluatore, quando ſub præſide Syriæ Cirino prima eſt in orbe terrarum facta deſcriptio, & Euangelicæ doctrinæ pax Romani Imperij præparata, tunc omnia bella ceſſauerũt. Hęc Hieronymus. Ex quibus apertè conuincitur, nullam in illis verbis contineri prohibitionem, quominus de hæreticis iuſtum per ignem ſumatur ſupplicium.

Ad. 2. arg. ¶ Ad aliud ex Eſai. cap. 11. reſpondetur primò, quòd ſi teſtimonium illud aliquid probaret, pari ratione ex eo conuinceretur, non eſſe licitum ob quamcunq; cauſam hominem interficere, cum non in particulari de ſolis hæreticis, ſed locutione vniuerſali de omnibus Eſaias propheta dicat. Non occident, & non nocebunt in vniuerſo monte ſancto meo: quod tamen eſſe contra ſacras literas, & contra rationem naturalem in ſuperioribus probauimus. Secundò reſpondetur, quòd illa verba nullum præceptum nullamque prohibitionem continent, ſed tantum promiſsiones illorum bonorum, quæ Deus poſt Chriſti aduentum ſuæ eccleſiæ erat daturus. Et vt quod dicimus apertiùs oſtendamus, verba, quæ præcedunt repetere licebit: nam circunſtantia ſcripturarum eſt, quæ maximè valet ad manifeſtandum illius verum ſenſum. Verba autem, quæ pręcedunt hæc ſunt. Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet, & requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilij & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pacis: & replebit eum ſpiritus timoris domini. Non ſecundum viſionem oculorum iudicabit, nec ſecundum auditum aurium arguet, ſed iudicabit in iuſtitia pauperes, & arguet in æquitate pro manſuetis terræ, & percutiet terram virga oris ſui, & ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impium, & erit iuſtitia cingulum lumborum eius, & fides cinctorium renum eius. Hæc Eſai. Et quod illa intelligantur de Chriſto Saluatore noſtro nullus catholicorum eſt, qui dubitet. Et ſubdit ſtatim bona, quę nobis per Chriſtum donanda erant, ſic dicens: Habitabit lupus cum agno, & pardus cũ hœdo accubabit, vitulus & leo, & ouis ſimul morabũtur, & puer paruulus minabit eos. Vitulus & vrſus paſcentur, ſimul requieſcent catuli eorum, & leo quaſi bos comedet paleas, & delectabitur infans ab vbere ſuper foramina aſpidis, & in cauerna reguli, qui ablactatus fuerit manum ſuam mittet. Non occident & non nocebunt in vniuerſo monte ſancto meo, quia repleta eſt terra ſcientia Domini, ſicut aquæ maris operientes. Hactenus Eſaias. Et quod hęc verba contineãt promiſsiones eorum bonorum, quæ per Chriſtum nobis erant donanda, & nõ præceptum, eſt res manifeſta: præterquam quod etiam illud, non occident, & non nocebunt in vniuerſo monte ſancto meo, nõ de hominibus ſed de vniuerſis illis ſerpentibus, ſcilicet, aſpide, & regulo, quos proximè nominauerat, eſt intelligendum. Suntque hæc verba non iuxta ſolam literæ ſuperficiem, ſed iuxta ſpecialem ſenſum accipienda, vt docet Diuus Hieronymus in commentarijs ſuper Eſaiam.

¶ Ad

¶ Ad aliud Matthæi cap. 18. vbi ex eo, quod de fratre peccante non dixit Chriſtus, Si Eccleſiam non audierit occidatur, ſed ſit ubi tanquam ethnicus, & paganus, infertur in Eccleſia non eſſe poteſtatem occidendi, reſpondetur negando conſequentiam: quia fit argumentatio àb autoritate negatiue, qui modus in dialectica eſt ineptiſsimus. Vt ſi quis diceret, Chriſtus Saluator noſter non dixit, feria ſecunda eſſe ieiunandum, aut orandum, ergo nihil horum in illo die agere licet: quia non eſſet bona. Et ſi ea aliquid valeret pari ratione colligere poſſemus hoc modo, Chriſtus redemptor noſter non dixit, feria ſecunda non eſſe ieiunandum, aut non orandum, ergo nihil horum in illo die omittere licet: quia ſicut Chriſtus vnum non præcepit, ità nec alterum: ſicque inferreutur ex eodem principio duæ propoſitiones contradictorię, quod omni dialecticæ repugnat. Et idem defectus etiam committitur, quando ex dictis Pauli colligitur hoc modo, Paulus non dixit hæreticum hominem poſt primam & ſecundam monitionem eſſe occidendum, ſed vitandum: ergo non licet hæreticos occidere, quia ſicut Paulus id non dixit, ita nec prohibuit contrarium, & propterea ex illo principio nec vnum nec alterum colligitur in bona conſequentia.

Ad.3.arg. ¶ Ad aliud de parabola zizaniorum, quo Lutherani præcipue videntur ſuam ſententiam confirmare, ſuppoſita Chriſti interpretatione, iuxta quam zizaniorum nomine conuenientiſsime intelligũtur hęretici, dicit enim Chriſtus, quòd zizania ſunt filij nequam, &c. reſpondetur, quòd hoc argumentum procedit ex falſa literæ intelligentia: quod vt oſtendam opus erit, vt verba ipſius Chriſti diligenter perſcrutemur. Dicitur ergo in textu, quod cum ſerui vellent zizania colligere, paterfamilias prohibuit illis, ne hoc facerent ſic inquiens: ne forte colligentes zizania eradicetis ſimul & triticum. In quibus verbis hoc præcipue eſt aduertendum, quòd pater familias non abſolutè, & generaliter talium zizaniorum collectionem prohibuit, ſed reddidit ſtatim cauſam, propter quam hoc fieri prohibebat, nempe ne fortè colligentes zizania eradicetis ſimul & triticum. Vbi metus eradicandi triticum aſsignatur totalis cauſa tolerationis zizaniorum. Vnde bene ex oppoſito colligere poterimus, quod quando nulla fuiſſet hoc metuendi ratio, vel quia inter triticum, & zizania eſt apertum diſcrimen, vel quia vnum alteri non eſt adeò coniunctum, vt vnum ſine alio eradicari non poſsit, tunc pater familias hanc zizaniorum eradicationem fieri non prohiberet. Nam quando nulla in prohibitione exprimitur cauſa, ſed loquitur legiſlator abſolutè, quamuis re vera multæ extent cauſæ prohibitionis, & illæ omnes abſint, ſemper tamen virtus prohibitionis intelligitur integra manere. Tamen quando cauſa principalis, & finalis, propter quam legiſlator ſe aliquid præcipere aut prohibere teſtatur, exprimitur, ipſa ceſſante, quod etiam ceſſet præceptum, & prohibitio eſt neceſſe. Ipſa enim expreſsione cauſę declarat legiſlator, quod ſi illa non ſubeſſet nihil tale præciperetur, aut prohiberetur. Et ſic dico, quod per illa verba, Non, ne ſortè ſimul eradicetis & triticum, ſicut pater familiâs prohibuit ſeruis ne ſtante metu eradicationis tritici colligerent zizania, ita etiam ex oppoſito conceſsit eiſdem, vt nulla iuſta cauſa metus exiſtente poſsint illa colligere. *Optima interpretatio parabola Zizaniorum.* Et ad hunc modum in hæreticorum punitione procedendum eſſe cenſeo. Nam ſi de homine aliquo dubitatur, vtrùm ſit hæreticus nec ne, vel quia non plenè conſtat illum talem aſſertionem hæreticam dixiſſe, vel non conſtat illum eſſe pertinacem, vel ſi conſtat illum talem aliquam propoſitionem pertinaciter docuiſſe, non tamen conſtat illam propoſitionem eſſe hæreticam: tunc minis iniuſte agerent inquiſirores ſi illum hæreticum declararent, & multò magis iniuſte, & crudeliter ageret etiam laica poteſtas illum occidendo: quia in hoc caſu dicit pater familias, Non, ne ſorte eradicetis ſimul & triticum. Tamen quando certiſsime ſcitur aliquem eſſe hæreticum, quia aſſertio, quam tuetur ex diametro pugnat cum catholica fide, & ille ſemel, & pluries legitime admonitus, non vult reſipiſcere, tunc licite occidendus eſt, nec timetur, vt catholicus pro infideli accipiatur. Et quod hic ſit legitimus ſenſus illius loci probatur ex Diuo Hieronymo qui in cõmentarijs ſuper Matthæum prę ſatam parabolam interpretans dicit. Quod autem dicitur, Ne ſorte colligentes zizania eradicetis ſimul & frumentum, datur locus pœnitentiæ, & monemur, ne cito amputemus frumentũ, quia fieri poteſt, vt ille qui noxio deprauatus eſt *Optimum teſtimoniũ D. Hieronymi.*

dogmate

dogmate cras reſipiſcat, & defendere incipiat veritatem. Illud quoque quod ſequitur, Sinite vtraque creſcere vſque ad meſſē, videtur illi præcepto eſſe contrarium, Auferte malum de medio veſtrûm, & nequaquam habendam ſocietatem cum ijs, qui fratres nominantur, & ſunt adulteri, & fornicatores. Si enim prohibetur eradicatio, & vſque ad meſſem tenenda eſt patiētia, quo modo eijciendi ſunt quidam de medio veſtrûm? Sed inter triticum, & zizania, quod nos appellamus lolium, quamdiu herba eſt, & nondū calamus venit ad ſpicam, grandis ſimilitudo eſt, & in diſcernendo aut nulla, aut perdifficilis eſt diſtantia. Præmonet ergo Dominus, ne vbi quid ambiguū eſt cito ſententiam proferamus: vt cum dies iudicij venerit illum non ſuſpicio criminis, ſed manifeſtum reatum de ſanctorum cœtu eijciat. Hæc dicit Hierony. Et eidē ſententiæ ſubſcribit D. Auguſtinus lib. 3. contra Epiſtolam Parmeniani cap. 2. vbi hæc verba eodem modo interpretantur.

Ad confirmationem. ¶ Ad aliud ex Luca. c. 9. reſpondetur quòd Apoſtoli eo in loco iure fuerunt à Chriſto reprehenſi, quia id petierunt, vindicandi ſtudio, & non ob ſalutem animarum: cum tamen non ſint reprehendendi magiſtratus, qui de hæreticis hoc ſolo intuitu ſupplicium ſumunt. Et hæc dicta ſint de toto iſto articulo.

ARTICVLVS. IX.

¶ *Vtrùm cum infidelibus poſsit communicari.*

4. d. 13. q. 2. art. 3. cor. Et d. 18. q. 2. artic. 1. q. 1. Et quodl. 10. a. 15. Et. 1. cor. 5. AD NONVM ſic proceditur. Videtur, quòd cum infidelibus poſsit communicari. Dicit enim Apoſtolus primæ ad Corinth. 10. Si quis vocat vos infidelium ad cœnam, & vultis ire, omne quod vobis apponitur, manducate. Et Chryſoſtomus dicit, *Ho. 25. ad Hebræos de clinando ad fidem. to. 4.* Ad menſam Paganorum ſi volueris ire, ſine vlla prohibitione permittimus: ſed ad cœnam alicuius ire eſt ei communicare. Ergo infidelibus licet communicare.

2 ¶ Præterea, Apoſtolus dicit primæ ad Corinthios. 5. Quid mihi eſt de ijs, qui foris ſunt, iudicare? Foris autem ſunt infideles. Cum ergo per iudiciū Eccleſiæ aliquorum communio fidelibus inhibeatur, videtur quòd non ſit inhibendum fidelibus cum infidelibus communicare.

3 ¶ Præterea, Dominus non poteſt vti ſeruo niſi ei communicando ſaltem verbo: quia Dominus mouet ſeruum per imperium. Sed Chriſtiani poſſunt habere ſeruos infideles, vel Iudæos, vel etiam Paganos ſiue Saracenos. Ergo poſſunt licitè cum eis communicare.

¶ SED CONTRA eſt quod dicitur Deuterono. 7. Non inibis cum eis fœdus, nec miſereberis eorum, neque ſociabis cum eis connubia: & ſuper illud Leuitic. 15. Mulier quæ redeunte mēſe, &c. dicit gloſ. Sic oportet ab idololatria abſtinere, vt nec idololatras, nec eorum diſcipulos contingamus, nec cum eis communionem habeamus. *Leuit. 15. ſuper illud, omnis qui tetigerit. Gloſ. ordina.*

¶ RESPONDEO dicendum, quòd communio alicuius perſonæ interdicitur fidelibus dupliciter. Vno modo in pœnam illius, cui communio fidelium ſubtrahitur. Alio modo ad cautelam eorum, quibus interdicitur, ne alij communicent. Et vtraque cauſa ex verbis Apoſtoli accipi poteſt primæ ad Corint. 5. Nam poſtquam ſententiam excommunicationis protulit, ſubdit pro ratione, Neſcitis quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit? Et poſtea rationem ſubdit ex parte pœnæ per iudicium Eccleſiæ illatæ, cum dicit, Nonne de ijs, qui intus ſunt, vos iudicatis? Primo ergo modo non interdicit Eccleſia fidelibus communionem infidelium, qui nullo modo fidem Chriſtianam receperunt, ſcilicet Paganorum vel Iudæorum: quia non habent de eis iudicare ſpirituali iudicio, ſed temporali, in caſu cum inter Chriſtianos commorantes, aliquam culpam cōmittunt, & per fideles tēporaliter

liter puniuntur. Sed iſto modo, ſcilicet, in pœnam, interdicit Eccleſia fidelibus communionem illorum infidelium, qui à fide ſuſcepta deuiant: vel corrumpendo fidem, ſicut hæretici: vel etiam totaliter à fide recedendo, ſicut apoſtatæ. In vtroſque enim horum excommunicationis ſententiam profert Eccleſia. Sed quantum ad ſecundum modum videtur eſſe diſtinguendum ſecundum diuerſas conditiones perſonarum & negotiorum & temporum. Si enim aliqui fuerint firmi in fide: ita quòd ex communione eorum cum infidelibus conuerſio infidelium magis ſperari poſsit, quàm fidelium à fide auerſio: non ſunt prohibēdi infidelibus communicare, qui fidem non ſuſceperunt, ſcilicet, Paganis vel Iudæis, & maxime ſi neceſſitas vrgeat. Si autem ſint ſimplices & infirmi in fide, de quorum ſubuerſione probabiliter timeri poſsit, prohibendi ſunt ab infidelium communione, & præcipuè ne magnam familiaritatem cum eis habeant, vel abſque neceſsitate eis communicent.

Deeſt ſolutio prioris argumenti. ¶AD ARGVMENTVM in oppoſitum ergo dicendum, quod Dominus illud præcipit de illis gentibus, quarum terram ingreſſuri erant Iudæi qui erant proni ad idololatriā. Et ideo timendum erat, ne per continuam conuerſionem cum eis alienarentur à fide. Et ideo ibidem * ſubditur, Quia ſeducet filium tuum ne ſequatur me. *Deut. 17.*

¶Ad ſecundum dicendum, quòd Eccleſia contra infideles non habet iudicium quò ad pœnam ſpiritualem eis infligendam, habet tamen iudicium ſuper aliquos infideles quo ad temporalem pœnam infligendam: ad quod pertinet quòd Eccleſia aliquando propter aliquas ſpeciales culpas ſubtrahit aliquibus infidelibus communionem fidelium.

¶Ad tertium dicendum quod magis eſt probabile, quòd ſeruus, qui regitur imperio domini, conuertatur ad fidem domini fidelis, quàm econuerſo & ideo non eſt prohibitum, quin fideles habeant ſeruos infideles, ſi tamen domino periculum immineret ex communione talis ſerui, deberet eum à ſe abijcere, ſecundum illud mandatum Domini. Matth. 18. Si pes tuus ſcandalizauerit te, abſcinde eum & proijce abs te.

SVMMA TEXTVS.

SVppoſito, quòd cōmunio alicuius perſonę interdicitur hominibus dupliciter, vno modo in pœnam illius, cui cōmunio fideliū ſubtrahitur: alio modo ad cautelā eorum, quibus interdicitur, ne alij communicent, vt conſtat ex Paulo primæ ad Corinth. cap. 5. vbi poſtquam ſententiam excommunicationis protulit, vtramq; rationem aſsignat, dicens: Neſcitis, quòd modicum fermentum totam maſſam corrumpit? quod pertinet ad cautelam, & de pœna per iudicium Eccleſię illata ſubdit ſtatim, Nonne de ijs, qui intus ſunt, vos iudicatis? ponit D. Tho. aliquot concluſiones. ¶Prima concluſio, Eccleſia non prohibet communionem cum infidelibus, qui nunquam fidem ſuſceperunt in pœnā ipſorum infidelium. Probatur, Eccleſia non poteſt iudicare de ijs ſpirituali iudicio, cum non pertineant ad Eccleſiam, ergo. ¶Secunda concluſio, Eccleſia interdicit fidelibus communionem cum illis infidelibus, qui a fide incepta deuiant, vel corrumpendo fidem ſicut hæretici, vel totaliter a fide recedendo, vt apoſtatę, in pœnam ipſorum infidelium. Probatur: nam vtroſque excommunicat Eccleſia: & certum eſt, quòd excommunicatio eſt pœna. ¶Tertia concluſio, Fidelibus, qui ſunt in fide firmi & de quorum conuerſatione cū infidelibus, potiùs infidelium conuerſio, quam fidelium ruina ſperari debet, Eccleſia non interdicit communionē cum illis infidelibus, qui nūquam fidē ſuſceperunt, maximè ſi neceſsitas vrgeat. Hæc concluſio patet ex ipſis terminis. ¶Quarta cōcluſio fidelibus ſimplicibus, & in fide parū firmis, interdicēda eſt ad cautelam ipſorum communicatio, & maxime familiaritas cum quibuſcunq; infidelibus. Probatur: nam in hoc caſu probabiliter

liter timetur, quod fideles ſimplices ab infidelibus ſubuertentur.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Circa iſtum articulum eſt aduertendum quòd communicatio cum infidelibus, qui nunquam fidem ſuſceperunt, quales ſunt Pagani, & Iudæi, ſtando in ſolo iure naturali, & diuino, tunc solùm eſt fidelibus prohibita, cum ex ea probabiliter timetur ſcandalum, aut ipſius, qui eos communicat, vel alterius. Quia ſicut lege naturali tenemur vitare ea, quæ ſaluti corporis fuerint noxia, ſic etiam, imò potiori ratione, tenemur vitare congreſſus, & familiaritates, quæ ſaluti animorum noſtrorum fuerint perniciem allaturæ. Veruntamen, ſi leges ab Eccleſia poſitas conſulamus, interdicta eſt in generali omnibus fidelibus indiſcriminatim nimia familiaritas cum Iudæis, vt conſtat ex toto titulo de Iudæis, & Saracenis, & ex. 28. quæſtio. 1. per multa capita. Et etiam in ſpeciali ſunt decē res, in quibus non licet nobis communicare cum illis, quas enumerat Caietanus in ſumma, verbo, Iudæorum communicatio, explicanturq; late à Syluestro, verbo Iudæi. §. 2. & 3. Et res, in quibus nunquam licet cum Iudæis communicare, ſunt. Primò ad ſimul habitandum: ſecundo ad ſimul conueniendum: tertiò ad ſimul balneandum: quartò ad vocandos illos in infirmitate: quintò ad percipiendum medicinas ab eis: ſextò, ad nutriendum infantes eorum in domibus eorum: ſeptimò ad ſeruiendum eis, vt illorum famuli: octauò ad eſſe ſeruum eorum: nono ad præficiendum ſeu permittendum illos in aliquo officio publico inter Chriſtianos: decimò ad comedendum azyma illorum. Et quoniam in multis horum eſt appoſita ſententia excōmunicationis, vt in primo, tertio, quarto, quinto & vltimo, vt eſt videre in cap. nullus. 28. quæſtio. 1. ſecundum autem eſt ſacrilegium, ſextum vero, & ſeptimum committitur prælatis, vt ad id compellant per Eccleſiaſticam cenſuram, & nono etiam indicitur ſententia excommunicationis ferenda in cap. conſtituit. 17. quæſtio. 2. idcircò cautum oportet eſſe confeſſorem, ne in omnibus eandem ſententiam ferat, iuxta doctrinam Caietani atque Syluestri locis citatis. Cauſæ autem, propter quas Eccleſia interdixit fidelibus, ne in his rebus cum Iudæis communicarent, præcipue ſunt duæ. Prima, ne fideles ob nimiam cum infidelibus Iudæis familiaritatem ſceleris contagione inficiantur. Secunda, ne dignitas Chriſtiani nominis in aliquo minuatur. Vnde ſi accidat caſus, in quo neutrum illorum probabiliter timeatur, & fidelis communicet cum Iudæo, etiam in re aliqua, ex illis decem prohibitis, dummodo non adſit contemptus Eccleſiaſtici præcepti, maxima ex parte excuſabitur à peccato, vt docent ſupradicti Doctores loco citato.

Decem ſunt res in quibus non licet cū infidelibus communicare.

¶ Circa primam concluſionem Diui Thomæ eſt difficultas, vtrum vera ſit. Et pro parte negatiua eſt argumētum ex cap. & ſi Iudæos. de Iudæis, & Saracenis: vbi in pœnam ipſorum Iudæorum præcipitur fidelibus, ne communicent cum Iudæis, qui nutrices & ſeruos Chriſtianos dimittere nollent. Et in capite poſtulaſti. eodem titulo, arcentur fideles à communione Iudæi, donec ſatisfaciat clerico, cui iniuriam fecerit: ergo falſum eſt dicere, quòd Eccleſia non prohibet communionem cum infidelibus, qui nunquam fidem ſuſceperunt, in pœnam ipſorum infidelium.

Difficultas de veritate primæ concluſionis D. Tho.

Argumentum pro parte negatiua.

¶ Ad hæc argumenta, vt reſpondeamus aduertendum eſt, quòd Eccleſia, quia ad ipſam pertinet bonum ſpirituale curare, idcircò habet poteſtatem tum ferendi leges ad vtilitatem, & commodum religionis ſpectantes, tum etiam puniendi illarum tranſgreſſores, ſi ſunt fideles, quia ſunt inobedientes, ſi vero infideles, quia religionem ipſam aſſiciunt iniuria, lex enim naturalis vnicuiq; tribuit ius ſe defendēdi, & propriam iniuriam, qua ratione melius poſsit, depellendi. Pœnæ autem, quibus Eccleſia poteſt punire ſuarum legum trāſgreſſores, ſunt in duplici differentia. Quædam enim ſunt ſpirituales, aliæ vero temporales. Et certum eſt, quod pœnæ ſpirituales non ſunt aptæ, vt contra infideles exerceantur. Et ratio eſt, quia, vel illæ conſiſtunt in priuatione bonorum ſpiritualium, quibus ſoli fideles priuari poſſunt, cum infideles ſemper eis careant, vel conſiſtunt in obligatione ad maius peccatum, vt cum præcipitur aliquid ſub pœna peccati mortalis: quod ſimiliter non poteſt cadere ſuper infideles, cùm ſint extra iuriſdictionem Eccleſiæ. Ex quo infertur, quod ſi aliqua pœna arcendi ſint infideles, ne religionem noſtram iniuria afficiant, ea debet eſſe temporalis.

Nota primo pro explicatione difficultatis & ſolutione argumentorum.

2. Notabile.

¶ Secun-

¶Secundo eſt aduertendum, quòd excõmunicatio partim eſt pœna ſpiritualis, & partim temporalis. Eſt quidem ſpiritualis, quia priuat multis bonis ſpiritualibus, temporalis autem, quia priuat commercio & communicatione hominum. Et inquantũ ſpiritualis, non poteſt inferri ab Eccleſia cõtra infideles, qui nunquam fidem ſuſceperunt, vt affirmat D. Tho. in prima concluſione: in qua tantum loquitur de pœna ſpirituali, vt ex ratione illius & ex ſolutione ad ſecundum patet. Cęterùm inquantũ eſt pœna temporalis, bene poteſt ab Eccleſia inferri in eos infideles, qui nobiſcum commorantes noſtræ religioni iniuriã irrogant. Et hoc eſt quod faciunt capita citata. Ex quo infertur, quòd quando D. Tho. in prima concluſione dicit, Eccleſiam nunquam prohibere communicationem cum infidelibus, qui nunquam fidem ſuſceperunt in pœnam ipſorum infidelium, eſt intelligendus de priuatione communionis, quæ eſt pœna ſpiritualis, non autem de priuatione communionis, quæ eſt pœna temporalis, vt diximus.

2. Concluſio D.Tho. eſt certiſsima. ¶Circa ſecundam concluſionẽ D. Tho. eſt aduertẽdum, quòd ea eſt certiſsima: nã eſt impoſita ab Eccleſia excommunicatio contra hæreticos, vt patet ex cap. nouerit. de ſententia excommunicationis. & ex bulla Cœnę Domini. Et certum eſt, quòd excõmunicatio nihil aliud eſt, quam quædã pœna, & cenſura Eccleſiaſtica priuans hominem quacumq; communione, tam ciuili, quàm ſpirituali, vt docet D. Tho. in additionibus ad. 3. par. quæſt. 21. per totam.

Dubium. ¶Sed dubium eſt, vtrùm hæc cõmunicatio cum hæreticis ſit fidelibus interdicta iure diuino. Quod eſt quærere, vtrùm hæretici ſint excommunicati ex iure diuino, an vero tantum ſint excommunicati ex iure poſitiuo. In qua re ſunt variæ Doctorũ *Sententia Driedonis et aliorum.* ſententiæ. Nam Ioannes Ekius in enchiridio. c. de comburendis hæreticis, & Clitoueus ſuper concilio Senenſe, & Driedo. lib. 1. de libertate Chriſtiana cap. 14. dicunt, quoſcunq; hæreticos ex iure diuino (etiam ſecluſo iure poſitiuo) eſſe excommunicatos, hoc eſt, priuatos quacunq; cõmunione, *Argumẽtũ* & conuictu fidelium. Quam ſuam ſententiam probant primo ex Paul. ad Timoth. cap. 3. dicente, Hæreticum hominem poſt vnam, & ſecundam correptionem deuita, ſciens, quia ſubuerſus eſt, qui huiuſmodi eſt. Et. 2. ad Theſſalo. cap. 3. dicit, Denunciamus vobis fratres in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt ſubtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate, & non ſecundum traditionem, quam acceperunt à nobis, &c. Et eſt ponderandum verbum illud (in nomine Domini) nam eo videtur ſignificare D. Paulus huiuſmodi prohibitionẽ eſſe de iure diuino. Item Diuus Ioan. in. 2. ſua canonica. cap. 1. dicit. Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere in domum, nec, aue, ei dixeritis. Et Matth. c. 18. ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi tanquam ethnicus, & publicanus.

¶His tamen non obſtantibus dico hęreticos non eſſe excommunicatos iure diuino, ſed ſolum iure poſitiuo, quod præcipit fidelibus, ne aliqua ratione cum illis cõmunicent. *Hæretici nõ ſunt excõmunicati iure diuino.* Probatur, quia aliâs ſequeretur Eccleſiam non poſſe hæreticos abſoluere ab excommunicatione: cõſequens autem eſt abſurdum, & contra communem ſenſum Eccleſiæ, ergo. Probo ſequelã: nam ad eandem poteſtatem pertinet ligare atque abſoluere. Item Eccleſia in multis concilijs anathematizat, & excommunicat hæreticos, ergo ad illam pertinet illos excommunicare. Patet conſequentia: quia aliâs deciperet nos dicens ſe id efficere.

¶Et ad teſtimonia in contrarium adducta reſpondetur primo, quòd quanuis poteſtas excommunicandi iure diuino ſit tradita Eccleſiæ, forma tamen excommunicationis, & effectus illius, qui eſt priuare ſuffragijs, & ſacramentis, & quacunque communicatione fidelium, non eſt de iure diuino, nec Chriſtus vnquam aliquem ſic iuſſit excommunicari, ſed Eccleſia poteſtatẽ ſibi traditam hoc modo eſt interpretata. *Ad argum.* Ex quo ſequitur, quòd quanuis vſus excommunicationis, quo nunc vtitur Eccleſia, ea ratione ſit de iure diuino, quia habet fundamentum in Euangelio, tamen, quantum ad alia omnia eſt de iure poſitiuo: nec contrarium probant teſtimonia adducta. Vel ſecundo reſpondetur quòd non omnia, quæ Apoſtoli ſeruanda ſanxerunt, pertinent ad ius diuinum: ſed quædam illorũ ſunt de iure humano, vt colligitur ex Paul. 1. ad Corinth. cap. 7. vbi interdum dicit, Præcipio non ego, ſed Dominus, & interdum, Dico ego non Dominus. Et priori forma loquendi ſignificat eſſe de iure diuino id, quod declarat: poſteriori vero pertinere ad ius poſitiuum. Quod ergo illis teſtimonijs pręcipitur non ptinet ad ius diuinũ

ſed ad ius humanum, quod ab initio conſueuit ſic hæreticos excommunicare. Vel tertio reſpondetur concedendo, quòd in illis teſtimonijs continetur præceptum iuris diuini, ſed hoc modo explicādum, ſcilicet, quòd tunc abſtineamus à communione cū hæreticis, quando nobis ex ea periculum imminere intellexerimus, ad quod non ſolum lege diuina, ſed etiam naturali obligamur, iuxta illud, Qui amat periculum peribit in illo.

Validum argumentum. ¶Sed contra noſtram ſententiam eſt validum argumentum: nam ſi ea eſſet vera ſe queretur, quòd non tenemur vitare conſortium eorum hæreticorum, qui ſunt occulti, licet ſciamus eos eſſe hæreticos: conſequens autem eſt falſum, ergo. Probo ſequelam. Nam ſi communicatio cum hæreticis ſolùm eſt prohibita iure poſitiuo, vt diximus, & ſecundum conſtitutionem concilij Conſtantienſis ſolum tenemur vitare excommunicatos in duobus caſibus, ſcilicet, quando fuerint nominatim excommunicati vel manifeſti percuſſores clericorū, manifeſte ſequitur, quòd non tenemur vitare hæreticos occultos, imo neque publicos quoadusque fuerint nominatim excōmunicati. Falſitas autem conſequentis probatur, quia hæretici pernicioſiores ſunt, quam quicunque manifeſti clericorū percuſſores, ergo illi hos tenemur vitare, multo magis & illos.

Conſtitutio concilij Conſtantienſis. ¶Ad hoc argumētum vt reſpondeamus, opus eſt, vt explicemus conſtitutionē concilij Conſtantienſis, quæ loquitur de participatione cum excommunicatis. Et habetur in hunc modū: Ad euitanda animarū pericula, & ſubueniendum timoratis conſcientijs, miſericorditer indulgemus omnibus Chriſti fidelibus, vt nemo deinceps à communione alicuius in ſacramentorum adminiſtratione vel receptione, aut alijs quibuſcunq; diuinis vel extra, prætextu cuiuſcunq; ſententiæ excommunicati, teneatur abſtinere, niſi ſit per ſententiam nominatim denunciatus, aut apertus clerici percuſſor, ità vt nulla poſsit tergiuerſatione factum celari, aut ſuffragio defendi. Per hoc tamen in nullo volumus ipſis excommunicatis fauere, &c. ¶Circa quod ſtatutū aduertendum eſt primo, quòd illud nō inuenitur in toto concilio Conſtātienſi, quāuis Antoninus. 3. part. tit. 25. cap. 2. dicit ſe illum vidiſſe: ſed recipitur ab omnibus Doctoribus communiter tanquam decretū illius concilij, vt eſt videre apud Adrian. in 4. quæſt. 3. de clauibus. Idem etiā affirmat Syluest. verbo excommunicatio. 5. §. 9. & Soto in 4. diſt. 1. quæſt. 5. artic. 8. & diſt. 22. quæſtio. 1. art. 4. & Couar. ſuper cap. Alma mater. §. 2. nu. 7. Vnde proculdubio pro tali eſt habendum huiuſmodi decretum.

¶Secundo eſt aduertendum quòd eadem conſtitutio poſtea facta fuit in concilio Baſilienſi, quamuis huiuſmodi concilium ampliorem facit exceptionem dicens, quòd tenemur vitare quemcunq; notoriè excommunicatum, licet non ſit nominatim excōmunicatus, vel manifeſtus percuſſor clerici. Vnde eſt dubium cui conſtitutioni ſit ſtandū. *Dubium.* Syluester loco citato affirmat, ſtandum eſſe conſtitutioni concilij Baſilienſis, *Sententia Syluestri.* quia poſterior eſt, & ſic videtur priorē correxiſſe. Et in ſuam ſententiam citat Panormitanum in clementina ſecunda. de ſentētia excommunicationis, & Felinum in cap. Rodolphus, de reſcriptis. quam etiam videtur tenere Couarruuias loco citato. Tamen contraria ſententia eſt tenendā. Vnde dico, *Sententia autoris.* quòd eſt ſtandum ſtatuto concilij Conſtātienſis, quo duobus tantum caſibus prohibemur cum excommunicato communicare, ſcilicet, quando eſt nominatim excōmunicatus, vel manifeſtus percuſſor clerici: qđ etiā affirmant Soto & Adrianus locis citatis, & Caietanus in ſumma, verbo, excōmunicatio, in cap. de minori excōmunicatione. & communiter Doctores. Quod etiam vſu Eccleſiæ firmatum eſt. Nam quamuis concilium Baſilienſe fuit poſterius, fuit tamen ſchiſmaticum, nec ab omnibus recipiebatur, quapropter in concilio Florentino ſub Martino. V. omnia fuerunt ſtatuta iuxta tenorem Conſtantienſis concilij.

1. Corollariū ¶Ex quo infero primò, quod quamuis aliquis ſit publicè excommunicatus, dummodo non ſit nominatim denunciatus vel manifeſtus percuſſor clerici, poſſumus cum illo communicare tam in diuinis, quàm extra. *2. Corollariū* ¶Infero ſecundo contra Couarruuias loco citato. §. 1. nu. 1. non eſſe iure diuino prohibitam participationem cum excommunicato tam in diuinis quàm in humanis, ſed tantum iure poſitiuo, vt antea dicebam, quamuis poteſtas excommunicādi iure diuino ſit tradita Eccleſiæ. Nam ſi iure diuino eſſet prohibita participatio cū excommunicatis, non poſſet ſummus Pontifex in illo diſpenſare, cum ſupra ius diuinum non cadat diſpenſatio, cuius tamen

contra-

contrarium videmus factum in decreto cō
cilij Conſtantienſis, quo conceditur facul-
tas communicandi cum excommunicatis,
tam in diuinis, quàm extrà, duobus tãtum
caſibus exceptis.

Dubium. ℂ Et ſi quis quærat, quidnam intelligat
concilium per nominatim excommunica-
tum, & manifeſtum clerici percuſſorem: di
co primò, quòd nominatim excommuni-
catus dicitur ille, contra quem hæc cenſu-
ra eſt impoſita expreſſo proprio nomine,
vel officio, aut dignitate, talibus appoſitis
ſignis, quæ certè & abſq; aliquo dubio eũ,
qui excommunicatur declarent, vt docet
Gloſſa ſuper caput, cum & plantare. §. ex-
communicatos. de priuilegijs. & ſuper ca-
put. conſtitutionem, de ſententia excõmu
nicationis in. 6. quàm communiter ſequun
tur Doctores, quos refert Couarruuias lo-
co citato. Ex quo ſequitur, quòd etiam ſi
ſciam aliquem feciſſe cõtra ſtatutũ, vel ius,
quod imponit excommunicationem, non
teneor illum vitare, quoadusq; talis declare
tur. ℂ Secundo dico, quòd per manifeſtum
clerici percuſſorem, intelligit Concilium
eum, cuius factum ita eſt notum, & mani-
feſtũ, vt ab omnibus, vel à pluribus ſciatur.
Nam ſi tãtum à quatuor, vel quinq; ſcitur,
poterimus cum illo communicare. Et ſic ſi-
militer ſi talis percuſſor poteſt ſe aliquo
modo defendere, nõ tenemur illum vitare:
quamuis eius factum ſit manifeſtum: ita
enim habetur expreſſe in illo decreto. Vn-
de ſi miniſter iuſtitiæ, volẽs clericum ſe de-
fendentẽ carceri mancipare, eum percuſſe-
rit, nõ tenemur illum vitare: quamuis per-
cuſsio ſit manifeſta, & culpabilis taliter ꝙ
ſit excõmunicatus: nã ille ſuffragio & ter-
giuerſatione poteſt ſe defendere, vt non cré
datur excommunicatus.

Ad argum. ℂ Et ad argumentum, cuius occaſione
hæc dicta ſunt, reſpondetur, verum eſſe, ꝙ
non tenemur vitare hæreticos, quoadusq;
fuerint nominatim excommunicati, iuxta
id, quod diximus de alijs excõmunicatis:
cæterum quia hæretici ſunt pernicioſiores
quam clericorum percuſſores, fit vt tenea-
mur illos vitare, quandocunq; ex illorum
conſortio timemus periculum, nõ ratione
excommunicationis, ſed ex lege naturali
ita præcipiente. Et tunc intelligimus hære-
ticum eſſe nominatim excommunicatum,
quando fuerit de hæreſi cõuictus, vt docet
Soto loco citato, & Adrianus in materia de
Euchariſtia quæſt. penultima.

ℂ Vltimũ dubium circa iſtum articulũ Dubium de
eſt, vtrũ libri hæreticorum debeant interdi libris hæret.
ci fidelibus. Et pro parte negatiua eſt argu-
mentum. Multa catholica, & benè tractata
ſunt in libris hæreticorum, & multi ſacræ 1. Argum.
ſcripturę nodi optimè explicati, & multa
loca eleganter illuſtrata, quæ apud viros ca
tholicos prorſus nõ habentur, ergo iniuſtũ
eſt, quod fideles his omnibus priuentur.
ℂ Secundo quamuis verum ſit, quod libri 2. Argum.
hæreticorũ continent multa falſa, poſſunt
tamen ab erroribus repurgari: & tunc per-
manebunt reliqua omnia munda, & pote-
runt bona, quæ habent abſq; vllo veneni
periculo legentibus offerri, ergo non eſt bo
num, quod abſolute huiuſmodi libri inter-
dicantur fidelibus, aut comburantur, cum
per talem prohibitionem, & combuſtionẽ
Eccleſia priuetur illis rebus, quę in libris hę
reticorum bene & catholice tractantur.

ℂ His tamen non obſtantibus dico eſſe Concluſio.
valde neceſſarium, quòd libri hæreticorum
fidelibus interdicantur, & comburantur.
Hanc concluſionẽ ponit Alphon. à Caſtr.
libr. 2. de iuſta hæret. punitione. capi. 15. Et
probatur. Valde neceſſarium eſt, quod fide 1. Ratio.
les arceantur à communicatione hæretico-
rum, à quibus nõ niſi malum recipere poſ-
ſunt, vt diximus in ſuperioribus: ſed peri-
culum quòd imminet ex lectione ſuorum
librorum eſt longe maius, & vniuerſalius,
quam illud, quod imminet ex communica
tione & collocutione, ergo eſt valde neceſ-
ſarium quòd libri hæreticorum fidelibus
interdicantur, & cõburantur. Conſequen-
tia cũ maiori eſt nota, & minor probatur,
Primò, quia, etſi viua vox habeat neſcio
quid latentis energiæ, vt poſt Pliniũ dixit
D. Hier. multi tamen ſunt, qui nihil pror-
ſus mouent loquentes, vel quia carẽt denti
bus, qui ad rectam pronuntiationem ſunt
in primis neceſſarij, vel quia carent voce ſo
nora, & placida, quæ audientium animos
nimium tenet attentos: aut ſi hæc omnia
adſint, quia habent tam malam, & horribi-
lem fortè actionem, vt auditores à con-
cione potius repellant, quam alliciant: at
ſcriptura ſine his omnibus mouere poteſt:
nec aliquo iſtorum indiget, vt affectum le-
gentis excitare, & fouere poſsit. Itẽ ea, quæ 2. Ratio.
ſcribuntur, diligentiùs cogitantur, & mul-
tò accuratius digeruntur, quam ea, quæ in
communi colloquio tractamus, quæ ſæpe,
vt menti ſe offerunt abſque vllo examine
proferũtur. Ex quo fit, vt fortiores neruos,

& ſubtiliores aculeos habeat ſæpe oratio ſcripta, quam ex tempore dicta, quibus animus legentis transfixus tam potenter detinetur, vt etiam volens diſcedere non valeat. *3. Ratio.* Habet adhuc aliquid peculiare ſcriptura, quod multò latius nocere poteſt, quam oratio prolata, etiam ſi illa ſit apprime excogitata & efficaciſsime prolata: Nam verbum ſemel ore prolatum irreuocabile volat, nec alicui præter illos, qui tūc audierunt, ſe ſolo prodeſſe, aut obeſſe poteſt. Ex quo fit, vt nulla in poſterum ſit poteſtas illius. At verò ea, quæ ſcripta ſunt per multa ſecula ſeruantur, & à diuerſis viris per multa ſecula leguntur, & ſic etiam per multa ſecula proficere, aut nocere poſſunt. Eſt ergo valde neceſſarium quod libri hæreticorū fidelibus interdicantur, & cōburantur: vtpote qui magis nocere poſſunt, quàm illorū cōicatio. Si puteus aut fons, ex quo populus aquā ad potū haurire ſolet, inficiatur veneno, is, qui populi regimē tenet, debet puteum obſtruere, ne quis forte ex illo incautus bibēs pereat: & ſi hoc facere negligit eo ipſo totius populi certiſſimus hoſtis meritò cenſetur. Cum ergo libri poſtquam in publicū prodierunt, quaſi putei publici facti ſint, cōſequens eſt quod ſi hæreſis veneno inficiuntur, ille, qui præeſt reipublicæ debet eos à toto orbe relegare, ne quis fortè ad illos incautus accedens venenum hauriat, quo inficiatur, & pereat. Et quiſquis illos, cum prohibere poſsit, permittit, totius reipublicæ Chriſtianæ apertus hoſtis iudicādus eſt. *Simachus papa.* Nam vt dicit Symmachus Papa, Non grandis eſt differentia, an lethum inferas, vel admittas: mortem enim languentibus probatur infligere, qui hanc cum poſsit non excludit. *Innocētius.* Et Innocentius primus, in quadam ſua epiſtola, & refertur à Gratiano in. c. error. 83. diſt. etiā dicit, Negligere cum poſsit perturbare peruerſos, nihil aliud eſt quam fouere: nec caret ſcrupulo ſocietatis occultæ qui manifeſto facinori deſinit obuiare. *B. Damaſus.* Et Beatus Damaſus Papa, Qui poteſt obuiare, & perturbare peruerſos & non facit, nihil aliud eſt, quam fauere impietati eorum. Quod & in veteri lege perfectiſsime adumbratū intelligimus. Nam de domino bouis cornupetæ, qui admonitus illum recludere noluit, cōdidit Deus hanc legē Exodi. c. 21. Si bos cornupeta fuit ab heri, & nudiuſtertius, & conteſtati ſunt domino eius, nec recluſit dominus eum, occideritque virum aut mulierem, & bos lapidibus obruatur, & dominum illius occident. Non ob aliam cauſam Deus tunc iuſsit dominum bouis cornupetæ occidi, niſi quia cenſuit illum homicidam, quamuis manu propria neminem occiderit. Iuſtum eſt enim quòd ille de damno illato habeatur reus, propter cuius culpam, & negligentiam damnum eueniſſe conſtiterit. Propter has omnes vrgentiſsimas rationes non ſolùm pontifices ſummi, quibus hoc potiſsimum incumbit negotium, ſed etiam Imperatores, & Reges, qui fidei catholicæ rationem aliquam habuerunt, hæreticorum libros eſſe comburendos legibus, & decretis ante multa ſecula ſtatuerūt, ſequuti D. Lucā, qui in Actibus Apoſtol. ca. 19. *Actu. c. 19.* de mirabilibus apud Epheſum D. Pauli geſtis hoc dicit: Multi credētium veniebant cōfitentes actus ſuos: multi autem ex eis, qui fuerant curioſa ſcrutati contulerunt libros, & combuſſerunt eos coram omnibus, & computatis pretijs illorū inuenerunt pecuniam quinquaginta millia. Ità fortiter creſcebat verbum Dei & cōfortabatur. Hæc D. Lucas. Si ergo libri curioſi ex præcepto Pauli tunc comburebantur, quantò magis comburerentur hæreticorū libri, qui plus legentibus nocere poſſunt? Et ſic conſtat, quòd iuſtiſsimè interdicuntur fidelibus.

Ad. 1. arg. ¶ Sed reſtat vt reſpondeamus ad argumenta in contrarium facta. Ad primum, quo potiſsimè Lutherani nituntur probare hæreticorum libros non eſſe prohibendos reſpondetur falſum eſſe, & diuinæ prouidentiæ iniurioſum, quòd multa inueniuntur in hæreticorum libris bona, & bene tractata, quę apud viros catholicos minimè reperiuntur. Fateor quædā aliquādo eſſe in hæreticorum libris vera, & catholica, & pulchrè explicata, aliâs nullus illis fidem præbere vellet, ſi omnia eſſent plena mendacijs: ſed quod ea vera, & catholica ab hæreticis tractata, non inueniantur apud Doctores catholicos, id conſtantiſsimè nego. Alioqui non ſatis promiſsioni ſuæ feciſſet Chriſtus, qua dixit Ioann. 14. Paracletus autem Spiritusſanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis. Si Chriſtus omnia neceſſario credenda docuit, & Spiritus ſanctus omnium illorum intelligentiam dedit, qualiter Eccleſia ea poterit ignorare? Numquid celare potero Abraham, dicit Deus, quæ facturus ſum?

ſum? Si ergo Abraham non voluit Deus celare, quæ facturus erat, propter amicitiã, quam cum eo habebat, quãto magis dicendum eſt, quod non celat neceſſaria ad ſalutem Eccleſiæ, quam, vt ſponſam, feruentiori amore amplectitur? Vnde Amos. c. 3. dicebat, Non facit Dominus verbum, niſi reuelauerit ſecretum ſuum ad ſeruos ſuos prophetas. ¶ Et eſt ponderandum, quod non dixit ad qualeſcunque prophetas, ſed ad ſolos ſeruos ſuos. Verũ eſt quod Deus aliquando malis hominibus prophetandi munus conceſsit: tamen ea, quæ illi prophetando prædixerunt, non per illos ſolos prædicta eſſe voluit, ſed etiam per aliorum bonorum prophetarum ora multò melius, & expreſsiùs. Prophetauit Balaam malus homo de aduentu Meſsiæ Numer. cap. 24. ſed multò melius, atque apertius quam ille prædixerunt hoc alij prophetæ. Caiphas etiam, qui erat Pontifex anni illius, quo paſſus eſt Chriſtus, prophetauit dicens, quòd Chriſtus pro omnium ſalute moriturus erat, ſed hanc generis humani ſalutem per Chriſti mortem habendam Dauid, Eſaias, & alij plurimi ſancti multò latiùs, & apertius prædixerunt. Et idem dicendum eſt de veritatibus contentis in libris hæreticorum. Vnde ratio poſtulat, quod ſi ea ſcire cupimus, ad viros fideles ex quibus Eccleſia cõſtat, deueniamus, & nõ ad hæreticos, qui de rebus ad pietatem, & religionem pertinentibus ſunt minus edocti. Quin potiùs dico, quòd etiam ſi daremus aliqua eſſe in hæreticorum libris catholicè, & fideliter tractata, quæ in catholicorum libris non reperirentur, adhuc tamen illa non eſſent ab hæreticis ſumenda: quia hæretici ſimul cum veris multa alia falſa admiſcent: & timendum eſt, ne dulcedine veritatis allecti lectores venenum falſitatis incauti deglutiant. Præſtat autem cibo quamlibet bono carere, quam illum exitiali veneno permiſtum comedere.

Nota.

Leo Papa.

Vnde Leo Papa huius nominis primus in epiſtola ad Toribium Aſtoricenſem Epiſcopum. cap. 15. dum præciperet, vt libri Priſcillianiſtarum, & aliæ ſcripturæ apocryphæ vitarentur, & comburerentur, id quod huic ſententiæ obijci poterat, ſic reijcit. Quamuis enim ſint in illis quædam, quæ videntur habere ſpeciem veritatis, nunquam tamen vacua ſunt venenis, ſed per ſabularum illecebras hoc latenter operantur, vt mirabilium narratione ſeductos laqueis cuiuſq; erroris inuoluant.

Ad. 2. arg.

¶ Ad ſecundum reſpondetur conceſſo antecedenti negando conſequentiam. Nam cum nihil ſit in hæreticorum libris verum, & catholicum, quòd in libris catholicorum non ſit meliùs & puriùs pertractatum, vt oſtendimus in ſolutione ad primum, manifeſte ſequitur, quòd Eccleſia nullius catholicæ veritatis cognitione priuabitur, etiam ſi omnes hæreticorum libri interdicantur, & comburantur. Præter quam, quòd etiam ſunt alia duo, propter quæ (etiam ſi demus aliqua contineri in libris hæreticorum, quæ non inueniũtur in libris fidelium, & ꝙ libri hæreticorum ad amuſsim corrigãtur) adhuc tamen illa ab hæreticis petere non expediret.

Rationes propter quas eſt abſtinẽdum à libris hæreticorum.

¶ Primò, propter dignitatem ipſius ſcripturæ, quæ tanta eſt, vt non cuilibet eam pertractare, aut interpretari liceat, ſed illis ſolis, qui ſunt fideles, & qui contenta in ſcripturis ea, qua decet, reuerentia ſuſcipiunt, iuxta illud Pſalm. 49. Peccatori autem dixit Deus, Quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? ¶ Secundò, quia cum ea, quæ tenemur credere ſemper ſint conſtanti, & minime hæſitanti animo ſuſcipienda, alioqui ipſa heſitatio erit ſufficiens ad efficiendum hominem hæreticum, vt diximus in ſuperioribus, & ea, quæ ab hæretico aut dicuntur, aut ſcribuntur, ſemper debent Chriſtiano homini eſſe ſuſpecta, niſi illorum veritas aliunde conſtet, vtpote dicta à tali viro, qui ſemper mentiri præſumitur, hæc eſt enim merces hominis mendacis, vt cũ vera dicit, nulla ei fides adhibeatur, vt Diogenes Laertius, in lib. de vitis philoſophorũ, Ariſtotelem cuidam reſpondiſſe dicit, manifeſtè ſequitur, non eſſe hæreticos conuenientes magiſtros, à quibus veritas ſuſcipiatur. De hac re videndus eſt Caſtro, lib. 2. de iuſta hæretic. punitione. cap. 16. vbi has rationes late proſequitur.

ARTICVLVS. X.

Vtrùm infideles poſsint habere prælationem, ſeu dominium ſupra fideles.

AD DECIMVM ſic proceditur. Videtur, quòd infideles poſſint habere prælationem, vel dominium ſupra fideles. Dicit enim Apoſtolus primæ ad Timoth. 6. Quicunque

ſunt ſub iugo ſerui, dominos ſuos omni honore dignos arbitrentur. Et quòd loquatur de infidelibus, patet per hoc quòd ſubdit, Qui autē fideles habent dominos, non contemnat. Et primæ Petri. 2. dicitur, Serui ſubditi eſtote in omni timore dominis: non tantum bonis & modeſtis, ſed etiam diſcolis. Non autem hoc præciperetur per doctrinam Apoſtolicam, niſi infideles poſſent fidelibus præeſſe. Ergo videtur quod infideles poſsint fidelibus pręeſſe.

2 ¶ Pręterea, Quicunque ſunt de familia alicuius principis, ſubſunt ei: ſed fideles aliqui erant d familia infideliū principum. Vnde dicitur ad Phil. 4. Salutant vos omnes ſancti, maxime autem qui de Cæſaris domo ſunt, ſcilicet, Neronis, qui infidelis erat. Ergo infideles poſſunt fidelibus præeſſe.

Lib. 1. Polit. c. 3. ante medium. to. 5.

3 ¶ Præterea, Sicut Philoſophus dicit in primo Polit. Seruus eſt inſtrumentum domini in ijs, quæ ad humanam vitam pertinēt: ſicut & miniſter artificis eſt inſtrumentum artificis in ijs, quæ pertinent ad operationem artis, ſed in talibus poteſt fidelis infideli ſubijci: poſſunt enim fideles infidelium coloni eſſe. Ergo infideles poſsūt fidelibus præfici, etiam quantum ad dominium.

¶SED CONTRA eſt quod ad eum, qui pręeſt pertinet habere iudicium ſuper eos, quibus pręeſt: ſed infideles non poſſunt iudicare de fidelibus. Dicit enim Apoſtolus. 1. ad Corin. 6. Audet aliquis veſtrum habens negotium aduerſus alterū, iudicari apud iniquos, id eſt infideles, & non apud ſanctos? ergo videtur quod infideles fidelibus pręeſſe non poſsint.

¶RESPONDEO dicendū, ꝙ circa hoc dupliciter loqui poſſumus. Vno modo de dominio, vel prælatione infidelium ſuper fideles de nouo inſtituenda. & hoc nullo modo permitti debet. Cederet enim hoc in ſcandalum & in periculum fidei. De facili enim illi qui ſubijciuntur aliorum iuriſdictioni, immutari poſſunt ab eis, quibus ſubſunt, vt ſequantur eorum imperiū, niſi illi qui ſubſunt, fuerint magnę virtutis. Et ſimiliter infideles contemnunt fidem, ſi fidelium defectus cognoſcant. Et ideo Apoſtolus prohibuit, vt fideles non contendant iudicio coram iudice infideli. Et ideo nullo modo permittit Eccleſia, quòd infideles acquirant dominium ſuper fideles, vel qualitercunque eis pręficiantur in aliquo officio. Alio modo poſſumus loqui de dominio vel prælatione iam præexiſtenti. Vbi cōſiderandum eſt, quòd dominium, vel prælatio introducta ſūt ex iure humano. Diſtinctio autem fidelium & infidelium eſt ex iure diuino. Ius autem diuinum quod eſt ex gratia non tollit ius humanū, quod eſt ex naturali ratione: ideo diſtinctio fidelium & infidelium ſecundum ſe conſiderata, non tollit dominiū & prælationem infidelium ſupra fideles. Poteſt tamen iuſte per ſententiam vel ordinationem Eccleſiæ authoritatem Dei habentis tale ius dominij, vel prælationis tolli: quia infideles merito ſuæ infidelitatis merentur poteſtatem amittere ſuper fideles qui transferuntur in filios Dei. Sed hoc quidem Eccleſia quādoque facit, quādoque autem non facit. In illis enim infidelibus, qui etiam temporali ſubiectione ſubijciuntur Eccleſiæ & membris eius, hoc ius Eccleſia ſtatuit, vt ſeruus Iudæorum cum fuerit factus Chriſtianus, ſtatim à ſeruitute liberetur, nullo pretio dato, ſi fuerit vernaculus, id eſt, in ſeruitute natus. Et ſimiliter ſi infidelis exiſtens fuerit emptus ad ſeruitium. Si autem fuerit emptus ad mercationem, tenetur eum infra tres menſes exponere ad vēdendum. Nec in hoc iniuriam facit Eccleſia: quia cū ipſi Iudæi ſint ſerui Eccleſiæ, poteſt diſponere de rebus eorum. Si-

cut

cut etiam principes ſeculares multas leges ediderunt circa ſuos ſubditos, in fauorem libertatis. In illis vero infidelibus, qui temporaliter Eccleſiæ vel eius mēbris non ſubiacent, prędictum ius Eccleſia non ſtatuit, licet poſſet inſtituere de iure: & hoc facit ad ſcandalum vitandum, ſicut etiam Dominus Mat. 17. oſtendit, quod poterat ſe à tributo excuſare, quia liberi ſunt filij: tamen mandauit tributum ſolui ad ſcandalum vitādum. Ita etiam & Paulus cum dixiſſet, quod ſerui dominos ſuos honorarent, ſubiūgit, Ne nomen Domini & doctrina blaſphemetur.

¶ Vnde patet reſpōſio ad primum.

¶ AD SECVNDVM ergo dicendum, quòd illa prælatio Cæſaris præexiſtebat diſtinctioni fidelium ab infidelibus. Vnde nō ſoluebatur per conuerſionem aliquorum ad fidem: & vtile erat, quod aliqui fideles locum in familia Imperatoris haberent ad defendendum alios fideles: ſicut beatus Sebaſtianus Chriſtianorum animos, quos in tormentis videbat deficere, confortabat, & adhuc latebat ſub militari chlamyde in domo Diocletiani.

¶ Ad tertium dicendum, quòd ſerui ſubijciuntur dominis ſuis ad totam vitam, & ſubditi præfectis ad omnia negotia: ſed miniſtri artificum ſubduntur eis ad aliqua ſpecialia opera. Vnde periculoſius eſt, ꝙ infideles accipiant dominium vel prælationem ſuper fideles, quàm quòd accipiant ab eis miniſterium in aliquo artificio. Et ideo permittit Eccleſia, quòd Chriſtiani poſsint colere terras Iudæorum, quia per hoc non habent neceſſe conuerſari cum eis. Salomon etiam expetijt à rege Tyri magiſtros operum ad ligna cedenda, vt habetur. 3. Regum. 5. Et tamen ſi ex tali communicatione, vel conuictu ſubuerſio fidelium timeretur, eſſet penitus interdicendum.

SVMMA TEXTVS.

SVppoſito quod de prælatione ſeu dominio infidelium ſupra fideles poſſumus loqui dupliciter, vno modo de dominio ſeu prælatione de nouo inſtituenda, alio modo de prælatione iam præexiſtenti, reſpondet Diuus Thomas, per aliquot concluſiones. ℭ Prima concluſio, Eccleſia non debet permittere, vt infideles acquirāt prælationem de nouo ſupra fideles, vel qualitercunque eis præficiantur in aliquo officio. Probatur, quia hoc cederet in ſcandalum, & periculum fidei. Primò quia illi, qui ſubſunt aliorum imperio facile inducuntur ad hoc, quod imitentur mores eorum, quibus ſubijciuntur. Secundò, quia infideles fidelium defectus cognoſcētes contemnerent fidem noſtram, & propterea D. Paul. prohibuit ne fideles coram iudice infideli iudicio contenderent. ℭ Secunda concluſio, Diſtinctio fidelium, & infidelium per ſe conſiderata non impedit, quo minùs infideles poſsint habere dominium, & prælationem ſupra fideles. Probatur: Diſtinctio fidelium, & infidelium eſt de iure diuino, & dominium ſeu prælatio fuit introducta iure gentium: ſed ius diuinum, quod eſt ex gratia non tollit ius gentium, quod eſt ex naturali ratione: ergo diſtinctio fidelium, & infidelium per ſe loquendo non impedit, quò minùs infideles poſsint habere dominium, & prælationem ſupra fideles. ℭ Tertia concluſio, Eccleſia poteſt ſua ordinatione tollere ab infidelibus omne ius & dominium, quod habent ſupra fideles. Probatur: quia infideles ratione ſuæ infidelitatis merentur amittere poteſtatē ſupra fideles, qui transferuntur in filios Dei. ℭ Quarta concluſio, Eccleſia de facto eximit à ſeruitute fideles ſeruientes illis infidelibus, qui ſunt ſubditi Eccleſiæ. Probatur: nam Eccleſia hoc ius ſtatuit, quod ſeruus Iudæorum cum fuerit factus Chriſtianus, ſtatim à ſeruitute liberetur, nullo precio dato, ſi fuerit vernaculus: & ſimiliter, ſi infidelis exiſtēs fuerit emptus ad ſeruitium. Tamen, ſi fuerit emptus ad mercationem tenetur infra tres menſes exponere ad vendendum. Nec in hoc Eccleſia aliquam iniuriam facit Iudæis: nam cum ſint ſerui Eccleſiæ, poteſt de rebus illorū diſponere, ſicut & principes, ſeculares iam multas leges ediderunt, circa

ſuos ſubditos in fauorē libertatis. ℂ Quinta concluſio, Quãuis Eccleſia poſsit liberare à ſeruitute fideles ſeruientes infidelibus, poſitis extra dominatione Chriſtianorum vt in tertia concluſione diximus, de facto tamē eos nõ liberat ad vitandum ſcandalũ.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Nota circa 1. concluſionem.

CIrca primã concluſionē huius articuli eſt aduertendum, quòd ea eſt certa, & ab omnibus conceſſa. Extant enim quam plurima iura præcipientia ne infideles prælationem de nouo acquirant ſupra fideles, vt patet ex capite. nulli. 54. diſt. vbi ſtatuit Eccleſia, quòd Iudæi nõ præficiantur Chriſtianis in aliquo officio publico. Et in cap. Iudæi. de Iudæis, & Saracenis. & in cap. ex ſpeciali, eodem titulo, idem extenditur ad paganos. Item in cap. mancipia. 54. diſt. & in cap. & ſi. & in capi. præſenti. & in cap. multos, eadem diſt. præcipitur quod Chriſtiani non ſint mancipia Iudæorum, quod etiam in cap. nulli Iudæo, de Iudęis, & Saracenis. ad alios paganos extenditur. Cauſæ autē & rationes, propter quas Eccleſia hoc edidit ſtatutum, ſunt, Prima, propter ſcandalum, & periculũ fidelium. Secunda, propter contemptum fidei, ne, ſcilicet, infideles videntes defectus fidelium fidem noſtram contemnant. Tertia, ne detur infidelibus occaſio infeſtandi Chriſtianos, quos communiter odio habent. Quarta, ne filij liberæ famulentur filijs ancillæ. Quinta, ne quos Chriſtus redemit blaſphemus Chriſti in ſeruitute retineat. Et ad has duas vltimas rationes alluſiſſe videtur D. Paul. ad Gala. 4. cum dixit: Itaq; nõ ſumus filij ancillæ ſed liberæ, qua libertate Chriſtus nos liberauit.

Rationes propter quas fideles non debent ſubijci infidelibus.

Dubium.

ℂ Circa ſecundam cõcluſionem eſt difficultas, vtrùm verum ſit, quod infidelitas ſecundum ſe conſiderata non impedit, quò minùs infideles habeãt verum dominium, & prælationē ſupra fideles. In qua re quãplurimi autores tenēt partem negatiuam: quamuis ad id affirmandum non moueãtur omnes ex vno, & eodē principio. Sed quidam dicũt, quòd infidelitas tollit dominiũ, inquantum eſt peccatum mortale. Nam cũ ſecundum hos doctores titulus dominij ſit gratia, & infideles non poſsint habere gratiam, cũ ſint in peccato mortali, manifeſtè ſequitur eos nullo poſſe habere dominiũ. Iſte fuit error Pauperum de Lugduno ſiue Vvaldēſium, quem etiam tenet Armacha. lib. 10. de quæſtionibus Armenorum. c. 4. & in dialogo. Defenſorium pacis. Et probatur, Tale dominium reprobatur à Deo, vt conſtat ex illo Oſeæ. 8. Ipſi regnauerunt, & non ex me, principes extiterunt & non cognoui. Et ſubdit cauſam: Argentum & aurum ſuum fecerunt ſibi Idola, vt interirent. &c. ergo nõ eſt verum dominiũ. Probo conſequentiam: nam cum omne dominium ſit à Deo, & omnis autoritas ab eo deriuetur, non eſt veroſimile quòd det illud inobedientibus, & trãſgreſſoribus ſuorum præceptorum: ſicut nec principes humani dãt ſua bona, vt villas, aut caſtella rebellib[us], & ſi dederunt auferũt. Et in ſignum huius videtur Deus aliquando tales proieciſſe à principatu, vt Saulem, primi Regum. c. 15. & 16. & Nabuchodonoſor, & Baltaſar, Daniel. c. 4. & 5. ℂ Item dominium fundatur in imagine Dei iuxta illud Geneſ. c. 1. Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinē noſtram, vt præſit piſcibus maris. &c. ſed hæc nõ eſt in peccatore, alias eſſet filius Dei adoptiuus, ergo in peccatore non eſt verum dominium. ℂ Et cõfirmatur ex D. Auguſtino dicente peccatorem non eſſe dignum pane, quo veſcitur.

Error pauperum de Lugduno.

1. Argum.

2. Argum.

Cõfirmatio.

ℂ Alij dicunt infideles non habere verũ dominium ciuile ſupra fideles: ceterum huius rei cauſam non eſſe, quia ſunt in peccato mortali, ſed quia carent fide, quæ eſt fundamentum talis dominij. Hanc ſententiam tenet Hoſtiēſis in cap. quod ſuper his, de voto. Et probatur, Hæretici nõ poſſunt habere tale dominium, ergo nec alij infideles. Cõſequentia tenet ex paritate rationis: & antecedens probatur ex cap. cum ſecundum. de hæreticis. lib. 6. vbi dicitur hæreticos ipſo iure eſſe priuatos quocunque dominio.

Sẽtentia Hoſtienſis & aliorum.

Argum.

1. Concluſio.

ℂ His tamen non obſtantibus ad explicationem difficultatis ſit prima concluſio, Peccatum mortale nõ impedit, quominùs fideles, aut infideles poſsint habere verum dominiũ ſupra alios, & contrarium dicere eſt hæreticum. Probatur, Scriptura ſacra ſæpe nominat Reges illos, qui erant mali, & peccatores, vt cõſtat de Salomone, Achab. & alijs, ergo per peccatum non amittitur dominium ciuile. Probo conſequentiam: nam non poteſt eſſe Rex, qui non habuerit dominium ciuile. Item, ſi homo per peccatum amitteret dominium ciuile, de quo in præſenti loquimur, ſequeretur quòd etiam amitteret dominium naturale, conſequens autem eſt abſurdum, cum non amittat dominium

minium ſupra proprios actus, & ſupra propria membra, ſed ſemper habet ius defendendi propriam vitam: ergo. Probo ſequelam: quia dominium naturale etiam eſt donũ Dei, ſicut ciuile: ergo ſi propterea peccator amittit dominium ciuile, quia eſt donum Dei, eadem ratione perdet naturale, quod ſimiliter eſt donum Dei, imò multò melius, cum dominium ciuile videatur, eſſe de iure humano. Tertiò ſic arguitur, & conuerto rationẽ factam pro parte contraria hoc modo. Dominiũ fundatur in imagine Dei, ſed homo eſt imago per naturã, ſcilicet, per potentias rationales: ergo non perditur per peccatum mortale. Conſequẽtia cum maiori eſt nota, & minor probatur ex D. Aug. lib. 9. de Trinitate: & ex cõmuni doctorũ ſententia, qui hoc ita affirmant. Item poteſtas ſpiritualis non perditur per peccatum mortale: ergo nec ciuilis. Conſequentia eſt nota, & antecedens probatur: nam ſacerdos malus conſecrat Euchariſtiã, & malus Epiſcopus ſacerdotes, vt fides docet. Tandem hoc idem probatur ex D. Petro prima ſua canonica. c. 2. dicente: Obedite præpoſitis veſtris, non tãtum bonis, ſed etiam diſcolis. Et Geneſ. c. 49. dixit Iacob, Non auferetur ſceptrum de Iuda, nec dux de fœmore eius, donec veniat qui mittendus eſt: & tamen cõſtat ex Scriptura, quòd multi Reges fuerunt mali atq; peccatores ante aduentum Chriſti.

2. Concluſio. ¶ Secunda concluſio, Infidelitas non eſt impedimẽtum, quò minùs aliquis habeat verum dominium ciuile. Probatur, Scriptura vocat aliquos Reges infideles, vt Sennacherib, Pharaonem, & multos alios: ergo infidelitas ex ſe non eſt impedimẽtum, quò minùs quis habeat dominium ciuile. Item grauiùs peccatũ eſt odium Dei, quã infidelitas, ſed per odiũ Dei non aufertur dominiũ: ergo nec per infidelitatem. Et cõfirmatur ex Paul. ad Rom. 13. & ex D. Petro. 1. can. c. 2. iubentibus, vt fideles obediẽ[illegible]m præſtent principibus, & tamen tunc omnes erant infideles. Item Ioſeph fecit totam terram tributariam Pharaoni, vt dicitur Geneſ. c. 47. & tamen conſtat Pharaonem fuiſſe infidelẽ. Et tandẽ ratio D. Tho. hic in hoc articulo id expreſſe conuincit, quæ talis eſt: Infidelitas, nec tollit ius naturale, nec ius gentium, ſed dominia ſunt de iure gentium: ergo non auferuntur per infidelitatem. De hac re videndus eſt Victoria in relectione de Indis, num. 6. & 7.

¶ Ad primum argumentum pro prima ſententia reſpondetur cõceſſo antecedenti, negando conſequentiam. Nõ enim ideò reprehendit Deus Reges iniquos, quia nõ habẽt verũ dominium ciuile ſupra ſubditos, ſed quia cũ illud habeant nõ rectè eo vtũtur. Et ad probationem dico, quòd ſi ea aliquid valeret pari ratione cõuincèretur peccatóres nullum dominium habere, nec ciuile, nec naturale, cum vtrunq; ſit ex Dei dono, quod tamen eſt abſurdum. Vnde dico, ꝙ ſicut Deus ſolem oriri facit ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper iuſtum, & iniuſtum, ità etiam bona temporalia dat indiſcriminatim bonis, & malis. ¶ Ad ſecundum reſpondetur quòd homines dicuntur facti ad ſimilitudinem Dei, non per gratiam, ſed per naturam: & cum hæc non tollatur per peccatũ nec etiam tollitur dominiũ, quod ſupra illam fundatur. ¶ Ad confirmationẽ ex D. Auguſtino reſpondetur illum affirmare peccatorem non eſſe dignum pane, quo veſcitur, non quia illius non habet verum dominium, ſed quia ſuis malis actibus Deum offendẽs meretur priuari quocunq; bono. Eſt tamen Deus adeò bonus, vt etiã ſuper eos oriri faciat ſolem, & pluat ſuper iuſtum & iniuſtum.

Ad. 1. arg. & errore pauperum de Lugdun.

Ad. 2. arg.

Ad confirmationem.

¶ Ad argumentum pro ſecunda ſententia reſpondetur, quòd ſtãdo in iure diuino hæretici nõ amittunt dominium, quod antea habebãt. Et huius rei ratio eſt, quia cum amiſsio dominij ſit pœna, & nulla pœna pro iſto ſtatu ſit conſtituta de iure diuino, manifeſtè ſequitur, ꝙ ſtando in iure diuino hæretici nõ amittunt dominium: amittunt tamen illud ex diſpoſitione iuris poſitiui, ità diſponentis, & ordinantis. Et cum illud nõ loquatur de infidelibus, qui nunquam fidem ſu[illegible]ceperant, imò nec loqui poſsit, vt infrà dicemus, fit vt non ſit eadem ratio de hæreticis, & infidelibus.

Ad argumẽ. pro. 2. ſententia.

¶ Circa tertiam concluſionem eſt difficultas, vtrùm verum ſit quod Eccleſia poteſt ſua ordinatione tollere ab infidelibus omne ius, & dominium, quod habẽt ſuprà fideles. Et pro parte negatiua argumentor primò, Eccleſia non eſt iudex infidelium iuxta illud. 1. Cor. 5. De his, qui intus ſunt, vos iudicatis: nã eos qui foris ſunt Deus iudicabit, ergo Eccleſia ſua ordinatiõe nõ poteſt priuare infideles dominio, quod habẽt ſupra fideles. ¶ Et cõfirmatur, Eccleſia non poteſt expoliare infideles illis rebus, quas legitimè poſsidẽt, cu ſint extra illam, ergo

Dubium circa. 3. concluſionem D. Tho.

1. Argum.

Cõfirmatio.

nec dominio, quod habēt ſupra fideles. Probo conſequentiā: nā hoc eſt expoliare illos rebus ſuis, quas iuſte poſſidebāt.

2. Argum. ¶ Secūdo, ſerui iure naturæ tenētur parere dñis ſuis, & ſubditi eſſe principibus: vnde Paulus ad Rom. 13. dicit, Omnis aīa poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. &c. & infrà, Reddite ergo omnibus debita, cui tributū tributū, cui vectigal vectigal &. 1. Petr. c. 2. Subditi eſtote omni humanę creaturæ ꝑpter Deū, & ad Titum. 3. Admone illos principibus ſubditos eſſe, ergo Eccleſia non pōt ſeruos Chriſtianos à ſeruitute ſuorum dominorū eripere. Probo cōſequentiam: nam lex humana legi naturæ cōtraria eſſe non poteſt.

Nota ex Caietano infideles eſſe in multiplici differentia. ¶ Pro explicatiōe huius difficultatis eſt aduertendū ex Caiet. 2. 2. q. 66. art. 8. ꝙ infideles ſunt in triplici differētia. Quidā. n. ſunt, qui iure, & facto ſubdūtur principib⁹ Chriſtianis, vt ſunt illi, qui inhabitāt terras Chriſtianorū. Et de his infidelibus certum eſt, ꝙ Eccleſia poteſt cōdere leges, per quas priuētur dominio fideliū. Imo iam de facto cōdidit eas leges, quæ de Saracenis, atq; Iudæis in principio huius articuli fuerunt à nobis citatæ. Et non ſolum Eccleſia, ſed etiā quicunque alij principes Chriſtiani ſimiles leges condere poſſunt. Nam ſi poſſunt condere legem, qua ſibi ſubditos Chriſtianos priuent dominio ſeruorum fidelium, ſi ad bonum reipublicæ id nouerint expedire, vt omnes doctores fatentur, à fortiori etiam poterunt infideles ſibi ſubditos eodem dominio priuare. Alij infideles ſunt, qui iure, non tamē facto ſubdūtur principibus Chriſtianis, vt ſunt Saraceni, quorū prædeceſſores fuerunt Chriſtiani, & inhabitant terras Chriſtianorū: nec ſunt veri domini illarū. Et de his etiam eſt certum, quòd Eccleſia & principes Chriſtiani poſſunt illos priuare dominio ſeruorum fidelium quocunq; iure illos acquiſiuerint. Et ratio eſt manifeſta: nam cum iſti infideles ſint hoſtes Chriſtiani nominis, & Chriſtianorū bona poſſideant cum aperta iniuria: ſequitur manifeſte, quod Chriſtiani poterunt illa recuperare, quocunque modo poterunt. Alij ſunt infideles, qui nec iure, nec facto ſubduntur principibus Chriſtianis, vt ſunt Indi, quorum prædeceſſores nunquā fuerunt Chriſtiani, nec ipſi inhabitāt terras Chriſtianorum. Et de his eſt maior difficultas, vtrùm poſsint priuari ab Eccleſia dominio, quod habent ſupra fideles.

1. *Concluſio.* ¶ Ad cuius explicationē ſit prima concluſio, Si iſti infideles, de quibus loquimur nitantur corrūpere bonos mores fidelium captiuorū, ipſi fideles poterunt tunc ab eis licite fugere, etſi bello iuſto fuerint capti: imò tenentur id facere lege naturæ, quacūque lege Eccleſiaſtica ſecluſa. Et ratio eſt, quia quilibet lege naturæ tenetur vitare periculum peccandi.

¶ Secunda concluſio, Si infideles ex eo, quod vident quotidie ſeruos Chriſtianos, aut quia illis ſunt infeſti, accipiūt occaſionē blaſphemandi nomen Chriſti, poterunt etiā ſerui fideles iure naturæ ab illis fugere. Et ratio eſt, quia tenetur vnuſquiſque inquantū pōt impedire blaſphemiā Chriſti. 2. *Concluſio.*

¶ Tertia concluſio, Si infideles afficiant iniurijs fideles ſeruos, & ſint illis crudeles licite etiā poterunt ab illis fugere. Probatur, quia vnuſquiſq; iure naturæ poteſt ſe defendere ab inuaſore. Ex dictis infertur, ꝙ ſi Eccleſiæ conſtaret aliquos infideles ex his, de quibus loquimur, mores Chriſtianorū corrūpere, vel blaſphemare nomē Chriſti, vel illis eſſe infeſtos, bene poſſet condere legem, qua priuaret eos dominio, quod habent ſupra fideles. Et ratio eſt, quia ſi ſerui fideles in his caſib⁹ fugere iure naturæ poſſunt, multò melius Eccleſia, ad quā ſpectat ſuorum fideliū defenſio, poterit in eiſdem caſibus cōdere legem, qua infideles priuet dominio, quod habent ſupra fideles. Præſertim, quòd, vt diximus ſupra, hi ſunt caſus, in quibus poſſunt principes Chriſtiani mouere bellū iuſtum contra eos, qui nunquam fidem ſuſceperunt. 3. *Concluſio.*

¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco, vtrùm ſuppoſita lege, qua Eccleſia propter cauſas dictas priuet infideles dominio, qđ habebāt ſupra ſeruos Chriſtianos, nō ſolum illi, qui ſuis ſeruis erāt iniurij, ſed etiā illi, qui nihil illorum cōmiſerunt, ſint priuati dominio, quod antea habebant.

¶ In quo ſit quarta cōcluſio, Suppoſito, quod Eccleſia ſimilē legem cōdat, vniuerſi infideles, ſiue ſint iniurij, ſiue nō, erunt priuati dominio, quod habebant ſupra ſeruos fideles. Probatur, Ad hoc, vt aliqua lex ſit iuſta, & obliget etiā in caſu particulari, nō eſt neceſſarium quod finis legis non ceſſet in illo caſu particulari: ſed ſatis eſt, quòd in cōmuni permaneat: ceſſante enim fine legis in particulari nō ceſſat obligatio legis vt cōmuniter dicūt doctores. Verbi gratia, eſt lex, vt qui bona fide viginti annis rem aliquam poſſederit acquirat ius, & domi- 4. *Concluſio.*

nium

nium ſupra illam. Et finis huius legis eſt obuiare litibus, & facere, ne veri domini ſint negligentes in proprijs bonis repetendis. Sit caſus, quod Petrus bona fide poſſedit agrum Pauli viginti annis, qui Paulus non fuit negligens in illo repetẽdo, ſed ceſſauit à repetitione, quia per id tempus longè profectus illum repetere non potuit, certum eſt, quod quanuis poſt illos viginti annos Paulus manifeſtè probet illum agrum, eſſe ſuum, & quod non fuit negligens in repetitione, adhuc Petrus nõ tenebitur illum reſtituere, quia poſsidet illum fauore legis iuſtæ, cuius finis, etiam ſi in in particulari deficiat, non tamen deficit in cõmuni. Ex quo fit, vt eius vis adhuc in illo caſu particulari ſuum effectum ſortiatur. Sed in caſu noſtræ cõcluſionis, quanuis fines, ob quos Eccleſia prohibuit dominium infidelium ſupra fideles deficiant in particulari, non tamen ceſſant in communi: ergo ſunt validæ illę leges, etiã in illo caſu particulari. Item, qui gerunt bellum iuſtũ poſſunt licitè expoliare innocentes inter hoſtes commorantes, quando aliunde non poſſunt reſarciri damna ab hoſtibus accepta: nec huius rei datur alia cauſa, niſi ꝙ illi innocentes ſunt partes reipublicę inimicę: ſed illi infideles, qui in caſu poſito amicè tractãt ſeruos fideles, nec aliquam iniuriam illis irrogant ſunt partes illius reipublicæ in qua infideles iniquè tractantur: ergo hoc ſolum ſufficiens erit ad hoc, vt Eccleſia etiã illos poſsit priuare dominio, qđ habent ſupra fideles.

5. Concluſio. ¶ Quinta concluſio, Si eſſent aliqui infideles, qui nec mores Chriſtianorum perturbarent, nec illos iniuria afficerent, ſed permitterent eos viuere ſine contumelia creatoris, Eccleſia non poſſet condere legem, qua huiuſmodi infideles priuarentur dominio illorum fidelium, quos iuſto bello, vel alio iuſto titulo habuiſſent. Hæc concluſio probatur primo, argumentis à nobis factis in principio dubitationis. Item, quia Eccleſia non poteſt condere legem, qua tales infideles priuentur dominio armorum, & aliarum rerum, quæ ab ipſis iniuſto bello eſſent captæ: ergo nec etiam poteſt condere legem, qua illos priuet dominio ſeruorũ. Conſequentia tenet ex paritate rationis: & anteccedẽs probatur. Illi iure gentium ſunt domini illarum rerum, quas iuſto bello acceperunt, ergo abſque ipſorum culpa non poſſunt talium rerum dominio priuari.

Vltima concluſio. ¶ Vltima concluſio, regulariter, & vt in plurimum, fideles ſeruiẽtes infidelibus verſantur in maximo periculo amittendæ fidei: & propterea Eccleſia, quæ reſpicit ea, quæ plerunq;, & regulariter contingunt, ſine alio maiori examine poteſt condere legem, qua tales ſerui à ſeruitute liberẽtur. Et ita eſt intelligendus D. Tho. in 3. & 5. concluſionibus. Probatur, Eccleſia poteſt omnia, quæ conueniunt ad ſalutẽ ſpiritualem, ſed quod fideles non ſint ſubiecti infidelibus, regulariter loquendo nõ ſolum eſt conueniens, ſed maximè neceſſarium ad ſalutem ſpiritualem ipſorum fidelium: ergo poterit Eccleſia illos à ſeruitute liberare. Et confirmatur, Vinculum matrimonij maius eſt, quam vinculum ſeruitutis, ſed ſi vno coniugũ ad fidem conuerſo, alter non vult habitare cũ ipſo, ſine contumelia creatoris diſſoluitur vinculum matrimonij, vt docet Paul. 1. ad Corinth. c. 7. ergo à fortiori Eccleſia propter periculum, quod imminet, poterit quoſcunq; fideles eripere à ſeruitute infidelium.

ARTICVLVS. XI.

¶ *Vtrùm ritus infidelium ſint tolerandi.*

AD VNDECIMVM ſic proceditur. Videtur, ꝙ ritus infideliũ non ſint tolerãdi. Manifeſtũ eſt enim, ꝙ infideles in ſuis ritibus peccant, eos ſeruãdo. Sed peccator videtur conſentire, qui nõ prohibet, cum prohibere poſsit, vt habetur * in glo. Rom. 1. ſuper illud, Non ſolum qui faciũt, ſed & qui conſentiunt facientibus. Ergo peccant qui eorum ritus tolerant. *Eſt Ambro. circa fi. comment. ad 1. ca. ad Rom. tom. 5.*

2 ¶ Præterea, Ritus Iudæorum idololatriæ cõparantur: quia ſuper illud Galat. 5. Nolite iterum iugo ſeruitutis cõtineri, dicit * glo. Non eſt leuior huius legis ſeruitus, q̃ idololatriæ, ſed nõ ſuſtineretur, ꝙ idololatriæ ritum aliqui exercerent: quinimo Chriſtianorum principes tẽpla idolorũ primo claudi, & poſtea dirui fecerũt, vt Aug. narrat. 18. de Ciuitate Dei. Ergo ſecũdũ hoc etiã ritus Iudæorũ tolerari nõ debent. *Interlinea⁊ru.*

3 ¶ Præterea, Peccatũ infidelitatis eſt grauiſsimum, vt ſupra * dictũ eſt. Sed alia peccata non tolerantur, ſed lege puniuntur, ſicut adulterium, furtum, *Art. 3. huius quæſt.*

 & alia

& alia huiuſmodi. Ergo etiam ritus in fidelium tolerandi non ſunt.

¶SED CONTRA eſt, quòd in Decret. diſtinct. 45. ca. qui ſyncera. dicit Greg. de Iudæis, Omnes feſtiuitates ſuas ſicut hactenus ipſi & patres eorum per longa colentes tempora, tenuerunt, liberam habeant obſeruandi celebrandique licentiam.

Grego. in regiſt. lib. 11. c. 15. in fin. & habetur Diſt. 45. ca. Qui ſincera.

¶RESPONDEO dicendũ, quòd humanum regimen deriuatur à diuino regimine, & ipſum debet imitari, Deus autem quãuis ſit omnipotens & ſumme bonus, permittit tamen aliqua mala fieri in vniuerſo, quæ prohibere poſſet, ne eis ſublatis maiora bona tollerentur, vel etiam peiora mala ſequerentur. Sic ergo & in regimine humano illi, qui præſunt rectè, aliqua mala tolerãt, ne aliqua bona impediãtur, vel etiã ne aliqua mala peiora incurrantur: ſicut Aug. dicit in libro de ordine. Auſer meretrices de rebus humanis, turbaueris omnia libidinibus. Sic ergo quãuis infideles in ſuis ritibus peccent, tolerari poſſunt, vel propter aliquod bonum, quod in eis prouenit, vel propter aliquod malum, quod vitatur. Ex hoc autem, quòd Iudæi ritus ſuos obſeruant, in quibus olim præfigurabatur veritas fidei, quã tenem⁹, hoc bonum prouenit, quòd teſtimonium fidei noſtræ habemus ab hoſtibus, & quaſi in figura à nobis repræſentatur quod credimus, & ideo in ſuis ritibus tolerãtur. Aliorũ vero infideliũ ritus, qui nihil veritatis, aut vtilitatis, afferunt. non ſunt aliqualiter tolerãdi, niſi forte ad aliquod malum vitandũ, ſcilicet ad vitãdum ſcandalũ, vel diſsidium, quod ex hoc poſſet prouenire, vel impedimẽtum ſalutis eorum, qui paulatim ſic tolerati conuertuntur ad fidem: propter hoc enim etiam hæreticorum & paganorum ritus aliquando Eccleſia tolerauit, quando erat magna infidelium multitudo. Et per hoc patet reſponſio ad obiecta.

Lib. 2. ca. 4. parum ante med. tom. 1.

SVMMA TEXTVS.

PRima concluſio, ritus Iudæorum tolerantur ab Eccleſia propter teſtimoniũ, quod perhibent fidei noſtræ. ¶Secunda concluſio, Ritus aliorum infideliũ nõ ſunt ab Eccleſia tolerãdi, niſi propter maius malum vitandum, aut quia ſperatur illorum conuerſio. Has duas concluſiones probat D. Tho. hac ratione, Regimen humanum deriuatur a diuino regimine, & illud imitatur: ſed Deus quanuis ſit omnipotens, & ſummè bonus permittit aliqua mala fieri, quæ prohibere poſſet, ne eis ſublatis maiora bona tollãtur, aut etiam ſequãtur peiora mala: ergo ità etiam debent facere homines. Tunc vltra, Ex ritibus Iudæorum, in quibus olim præfigurabatur veritas fidei, hoc bonum prouenit, quòd teſtimonium fidei noſtræ habemus ab hoſtibus noſtris, & ex ritibus aliorum infidelium, qui nihil veritatis, aut vtilitatis continent, nullum aliud bonum poteſt prouenire, niſi fortè vitare aliquod malum, ſcilicet, ſcãdalum, aut diſsidium, aut ſperare conuerſionem eorundem infidelium: ergo ritus Iudæorum debent tolerari ab Eccleſia propter teſtimonium, quod perhibent fidei noſtræ: & ritus aliorum infidelium nulla ratione poſſunt tolerari, niſi ad vitandum maius malũ, vel vt hac ratione expectemus illorum conuerſionem.

EXPLICATIO ARTICVLI.

CIrca iſtum articulum eſt aduertẽdum, ꝙ præſens quæſtio non eſt intelligenda de infidelibus, qui nullo modo principibus Chriſtianis ſubduntur. De his enim iã diximus ſupra, eos non eſſe à ſua religione prohibendos, dummodo nobis, aut noſtræ religioni nullam irrogent iniuriam: ſed eſt intelligenda de infidelibus principibus Chriſtianis ſubiectis. Toleratio enim ſicut permiſsio, aut prohibitio proprie loquendo non poteſt eſſe, niſi reſpectu ſubditorũ.

¶Circa primam concluſionem eſt difficultas, vtrum ſicut ab Eccleſia tolerantur ritus Iudæorum, ità etiam ſint tolerandi illorum libri. Et pro parte affirmatiua eſt argumentũ. Libri ſunt defenſiui perfidiæ Iudæorum ſicut etiam ritus, & ceremoniæ: ſed ritus & cæremoniæ tolerantur ab Eccleſia, ergo & libri debẽt tolerari. Conſequentia cum minori eſt nota, & maior probatur: nam idẽ docẽt ritus, & cæremoniæ factis, quod libri docẽt verbis.

Dubium.

Argu. pro parte affirmatiua.

¶Pro explicatione huius difficultatis

eſt

Pro explicatione diff. cultatis. eſt aduertendum, ex Caietano in præſenti, quod libri Iudæorum ſunt in duplici differentia. Quidam ſunt, qui cõpetunt Iudæis abſolute: quales ſunt libri veteris teſtamenti, & illorum expoſitores: & de his certum eſt quod ſunt relinquendi, & permittendi Iudæis, vtpote qui nihil aliud faciunt, quã explicare eos ritus, qui propter bonum fidei noſtræ ab Eccleſia tolerantur, vt dicit D.Thom. in hoc articulo. Alij libri ſunt compoſiti ad confouendam Iudaicam perfidiã contra Chriſti diuinitatem, ne videlicet Iudæi ad fidem Chriſti conuertãtur: & de his dico nulla ratione eſſe permittendos ab Eccleſia, ſed potius comburendos, vt de libris hæreticorum diximus artic.9. Et ratio eſt, quia eodem modo poſſunt nocere, ſicut & illi.

Ad argu. ¶ Et ad argumentum in contrarium factum reſpondetur, eſſe latiſſimum diſcrimen inter iſtos ritus, & inter libros Iudaicos. Nam ritus Iudaici cum ſint teſtes fidei noſtræ, ſicut figura veritatis, & vmbra corporis, maximam vtilitatem poſſunt illi afferre. & ideo iuſte tolerantur. At vero iſti libri directè ſunt blaſphemi, & pleni mendacijs contra Chriſti veritatem, & diuinitatem: & ideo meritò interdicuntur, & comburuntur.

Obiectio. ¶ Et ſi quis obijciat, Iudæi non permittuntur modo docere verbo, Chriſtum non veniſſe: ergo nec etiam debent permitti cæremoniæ Iudaicæ, quæ omnes ſignificant

Solutio. Chriſtum venturum, reſpondetur conceſſo antecedenti negando conſequentiam: nam tantum mouent verba prolata, quam occultę ſignificationes ſignorum. Hoc loco erat diſputandum, vtrum ſit licitum vendere Iudæis ea, quibus indigẽt ad ſuos cultus, & cæremonias conficiendas. Sed de hoc diximus ſupra art.4. huius quæſtionis.

ARTICVLVS. XII.

Vtrùm pueri Iudæorum & aliorum infidelium, ſint baptizandi inuitis parentibus.

3.q.68.art. 10. et quodl. 2.q.4.ar.2. Et quodl.3. q.5.a.2.cor. AD DVODECIMVM ſic proceditur. Videtur, quod pueri Iudæorum & aliorum infidelium ſint baptizandi parentibus inuitis. Maius enim eſt vinculum matrimoniale, quàm ius patriæ poteſtatis in puero: quia ius patriæ poteſtatis poteſt per hominem ſolui, cum filiusfamilias emancipetur: vinculum autem matrimoniale non poteſt ſolui per hominem, ſecundum illud Matth. 19. Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet. Sed propter infidelitatem ſoluitur vinculũ matrimoniale, Dicit enim Apoſtolus primæ ad Corint.7. Quod ſi infidelis diſcedit, diſcedat: non enim ſeruituti ſubiectus eſt frater aut ſoror in huiuſmodi. Et Canon.* dicit, quòd ſi coniux infidelis non vult ſine contumeliã ſui Creatoris cũ altero ſtare, tunc alter cõiugum non debet ei cohabitare. ergo multo magis propter infidelitatẽ tollitur ius patriæ poteſtatis in ſuos filios, poſſunt ergo eorum filij baptizari, eis inuitis. *Habetur. 28 quæſt. 2. ca. 51. infidelis diſcedit.*

2 ¶ Præterea, Magis debet homini ſubueniri circa periculũ mortis æternæ, quàm circa periculũ mortis temporalis. Sed ſi aliquis videret hominem in periculo mortis temporalis, & ei non ferret auxilium, peccaret, cum ergo filij Iudęorum & aliorum infidelium ſint in periculo mortis æternæ, ſi parentibus relinquantur, qui eos in ſua infidelitate informant: videtur quod ſint eis auferendi & baptizandi, & in fide inſtruendi.

3 ¶ Præterea, Filij ſeruorum ſunt ſerui & in poteſtate dominorum, ſed Iudæi ſunt ſerui Regum & principum, ergo & filij eorum. Reges ergo & principes habent poteſtatẽ de filijs Iudæorum facere quod voluerint. Nulla ergo erit iniuria ſi eos baptizẽt, inuitis parentibus.

4 ¶ Præterea, Quilibet homo magis eſt Dei, à quo habet animam, quàm patris carnalis, à quo habet corpus. Non ergo eſt iniuſtum ſi pueri Iudæorum carnalibus parentibus auferantur, & Deo per baptiſmum conſecrentur.

5 ¶ Præterea, Baptiſmus efficacior eſt ad ſalutem, quam prædicatio: quia per baptiſmum ſtatim tollitur peccati macula, reatus pœnæ, & aperitur ianua cæli, ſed ſi periculũ ſequitur ex defectu prædicationis, imputatur ei qui

non

non prædicauit: vt habetur Ezech 3. & 33. de eo qui videt gladium venientem, & non inſonuerit tuba. ergo multo magis ſi pueri Iudæorum damnentur propter defectum baptiſmi, imputatur ad peccatũ eis, qui potuerunt baptizare & non baptizauerunt.

¶ SED CONTRA eſt quod nemini faciẽda eſt iniuria. Fieret autem Iudæis iniuria, ſi eorum filij baptizarẽtur, eis inuitis: quia amitterent ius patriæ poteſtatis in filios iam fideles. ergo eis inuitis, non ſunt baptizandi,

¶ RESPONDEO dicendũ, quòd maximam habet autoritatem Eccleſiæ conſuetudo, quæ ſemper eſt in omnibus æmulanda: quia & ipſa doctrina catholicorum doctorum ab Eccleſia autoritatem habet, vnde magis ſtandum eſt autoritati Eccleſiæ, quàm autoritati vel Auguſtini vel Hieronymi, vel cuiuſcunque doctoris. Hoc autem Eccleſiæ vſus nũquam habuit, quòd Iudæorum filij, inuitis parentibus baptizarentur: quanuis fuerint retroactis temporibus multi catholici principes potentiſsimi, vt Conſtantinus, Theodoſius, quibus familiares fuerint ſanctiſsimi Epiſcopi, vt Sylueſter Conſtãtino, & Ambroſius Theodoſio: qui nullo modo prætermiſiſſent ab eis impetrare, ſi hoc eſſet conſonum rationi. Et ideo periculoſum videtur hanc aſſertionem de nouo inducere, vt præter conſuetudinem in Eccleſia hactenus obſeruatam, Iudæorum filij, inuitis parentibus, baptizentur. Et huius ratio eſt duplex. Vna quidem propter periculum fidei. Si enim pueri nondum vſum rationis habentes baptiſmum ſuſciperent, poſtmodum cum ad perfectã ætatem peruenirent, de facili poſſent à parentibus induci, vt relinquerent quod ignorantes ſuſceperũt: quod vergeret in fidei detrimẽtum. Alia vero ratio eſt, quia repugnat iuſtitiæ naturali. Filius em naturaliter eſt aliquid patris. Et primo quidem à parentibus non diſtinguitur ſecundum corpus, quandiu in matris vtero continetur. Poſtmodum vero poſtquam ab vtero egreditur, antequam vſum liberi arbitrij habeat, cõtinetur ſub parẽtum cura, ſicut ſub quodam ſpirituali vtero: quandiu enim vſum rationis non habet puer, non differt ab animali irrationali. Vnde ſicut bos vel equus eſt alicuius, vt vtatur eo cum voluerit ſecundum ius ciuile, ſicut proprio inſtrumento: ita de iure naturali eſt, quod filius antequam habeat vſum rationis, ſit ſub cura patris vnde contra iuſtitiam naturalem eſſet, ſi puer antequam habeat vſum rationis, à cura parentum ſubtrahatur, vel de eo aliquid ordinetur inuitis parentibus. Poſtquam autem incipit habere vſum liberi arbitrij, iam incipit eſſe ſuus, & poteſt quãtum ad ea, quæ ſunt iuris diuini, vel naturalis, ſibi ipſi prouidere. Et tunc eſt inducendus ad fidem nõ coactione, ſed perſuaſione: & poteſt etiam inuitis parentibus conſentire fidei, & baptizari: non autem ante quàm habeat vſum rationis. Vnde de pueris antiquorũ patrũ dicitur, quòd ſaluati ſunt in fide parentũ: per quod datur intelligi, quod ad parentes pertinet prouidere filijs de ſua ſalute: præcipue antequam habeãt vſum rationis.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quod in vinculo matrimoniali vterque coniugum habet vſum liberi arbitrij, & vterque poteſt inuito altero, ſidei aſſentire: ſed hoc nõ habet locũ in puero antequã habeat vſum rationis. Sed poſtquã habet vſum rationis, tũc tenet ſimilitudo, ſi conuerti voluerit.

¶ Ad ſecundum dicendũ, quod à morte naturali non eſt aliquis eripiendus contra ordinẽ iuris ciuilis, puta ſi quis à ſuo iudice cõdemnetur ad mortem temporalem, nullus debet eum violenter eripere. Vnde nec aliquis debet rumpere ordinem iuris naturalis, quo filius

filius eſt ſub cura patris: vt eũ liberet à periculo mortis æternæ.

¶ Ad tertium dicendum, quòd Iudæi ſunt ſerui principum ſeruitute ciuili quæ non excludit ordinem iuris naturalis vel diuini.

¶ Ad quartum dicendum, quòd homo ordinatur ad Deũ per rationem, per quam eum cognoſcere poteſt. Vnde puer antequam vſum rationis habeat, naturali ordine ordinatur in Deũ per rationem parẽtum: quorum curæ naturaliter ſubiacet: & ſecundum eorum diſpoſitionem ſunt circa ipſum diuina agenda.

¶ Ad quintum dicendum, quod periculum quod ſequitur de prædicatione omiſſa, non imminet niſi eis, quibus commiſſum eſt officium prædicandi. Vnde in Ezech. præmittitur, Speculatorem dedi te filijs Iſraël. Prouidere autem pueris infidelium de ſacramentis ſalutis, pertinet ad parentes eorum. Vnde in eis imminet periculum ſi propter ſubtractionem ſacramentorum, eorum paruuli detrimẽtum ſalutis patiantur.

SVMMA TEXTVS.

PRima concluſio, Pueri infidelium antequam perueniant ad vſum rationis non ſunt baptizandi inuitis parentibus. Probatur tripliciter. Primo ex vſu Eccleſię quæ nunq; cõſueuit tales pueros baptizare inuitis parentibus, quãuis multoties valde commode hoc efficere potuerit, nẽpe illis diebus, quibus catholici principes erant familiares viris ſanctiſsimis: & certum eſt ꝙ conſuetudo Eccleſiæ maximam habet autoritatem in his rebus. Secundo, quia pueri ſic baptizati, cũ poſtea eſſent in ætate perfecta facile poſſent à parentibus induci ad hoc, vt relinquerent religionem Chriſtianã quam ignorantes ſuſceperunt: quod ſanè vergeret in iniuriam fidei. Tertiò tales pueri ſecundum diſpoſitionem iuris naturalis, ſunt aliquid patris, ſicut aliæ res ipſorum, ergo ſicut eſt contra ius naturæ auferre ab illis res ſuas, ita etiam eſt contra idem ius baptizare filios inuitis parentibus. Et confirmatur Olim paruuli ſaluabantur in fide parentum: ergo ſignum eſt, quod ad parentes propriè ſpectat prouidere ſaluti filiorũ, qui nondum peruenerunt ad vſum rationis, atque ex conſequenti iniuriam illis facit, qui filios baptizat inuitis parentibus.

¶ Secunda concluſio, Filij infidelium, qui iam habent vſum rationis, poſſunt religionem noſtram ſuſcipere contra voluntatem ſuorum parentum. Probatur, Iam ſunt ſui iuris, ergo poſſunt ſibi de religione prouidere.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Dubium de veritate primæ concluſionis D. Tho.

CIrca primam concluſionem huius articuli eſt difficultas, vtrùm vera ſit. De qua re ſunt variæ Doctorũ ſententiæ.

1. Sententia Scoti.

Prima eſt Scoti in. 4. diſt. 4. quæſt. 9. aſſerentis, quod vbi id cum bona cautela fieri poſsit, & baptizati religioſe poſſent educari, licitum eſſet filios infidelium inuitis parentibus baptizare. Eandem ſententiam tenet Gabriel eadem diſtinct. quæſt. 2. dubio. 5. & multi alij, quos refert Sylueſter, verbo. baptiſmus. 4. §. 6.

1. Argum.

Et probatur primò, Quando ſuperior, & inferior contraria præcipiunt, prætermiſſo præcepto inferioris ſeruandum eſt præceptum ſuperioris: ſed Deus, qui ſuperior eſt, præcipit, vt hi paruuli baptizentur, & parentes eorum, qui ſunt inferiores Deo præcipiũt, vt non baptizentur: ergo parendum erit præcepto ſuperioris: atque ex conſequenti ſunt baptizandi pueri infidelium inuitis parentibus. Conſequentia cum minori eſt nota, & maior probatur ex Diuo Auguſtino. Qui ſermo. 6. de verbis Domini, per comparationem ſic arguit: Sicut dum proconſul quidpiam contra Imperatoris mandatum præcipit, parendum eſt potius imperatori: ità ſi Imperator cõtra imperiũ Dei quicquam iubeat, obediendum eſt potius Deo.

2. Argum.

¶ Secundò, ſic arguitur: Si pater inſtrueret filium contra bonos mores, vt ſi doceret illum blaſphemare, aut furari, princeps iure optimo poſſet talem filium à parentum cura ſubtrahere, vt bene inſtrueretur: ergo pari ratione licitum eſt principi tollere ab infidelibus filios ratione non vtentes, vt Chriſtiani fiant, quando parentes nolunt illos baptizare. ¶ Tertio, qui iure ſuo abutitur, iuſtè poteſt per principẽ eo priuari, præcipue, ſi talis abuſus vergat in iniuriam innocentis: ſed

meatur, quòd illis erunt reſtituendi, & ſint ſub poteſtate alicuius Chriſtiani, qui illorum curam gerit, bene poterunt inuitis parentibus baptizari, quia tunc cenſentur orbati parentibus.

2. Concluſio. ¶ Secunda concluſio, Paruuli eorum infidelium, qui ſunt ſerui, ſeu mancipia, poſſunt à dominis ſuis vẽdi ſeu donari: & poſt quam hac via à cura parentum fuerint ſub tracti, licitum erit illos inconſultis parentibus baptizare. Hæc concluſio quantum ad vtramque partem eſt cõtra Capreolum in. 4. diſt. 15. quæſt. 1. in reſponſione ad argumenta contra primam concluſionem. Qui dicit duo. Primum eſt, quòd dominus nõ poteſt ancillæ ſuæ natum ante vſum rationis ab illa diſtrahere, quia iure naturæ eſt ſub eius cura. Secũdo, quod etiam ſi ſub trahatur non poterit ſic ſubtractus, niſi con ſentiente parente baptizari. Et hanc dicit eſſe opinionem D. Thom. hic in ſolutione ad ſecundum. Sed probo ſingulas partes. Et primò, ꝙ dñi poſſunt ſuorũ mancipiorum filios, vel vendere, vel donare quando voluerint: nã qui vere eſt dominus alicuius rei, pro libito poteſt eam, vel vendere, vel donare: ſed in caſu poſito Chriſtiani verè ſunt domini illorum paruulorum, vt ſupponimus: ergo, vel poſſunt illos vendere, vel donare, etiã inuitis parentibus. Secundo quamuis parentes iure naturæ ſint liberi, tamen iure gẽtium facti ſunt ſerui: ergo pari ratione, quamuis iure naturæ habeant poteſtatẽ ſupra paruulos, tamen iure gentiũ fuerunt illa priuati, & ſic poſſunt ab illis ſeparari adhuc ipſis repugnantibus. Secunda pars, ſcilicet, quod poſtquam filij à cura parentum ſunt ſeparati, licitum ſit illos incõſultis parẽtibus baptizare etiam probatur. Nam tunc paruuli illi iam nõ ſunt ſub cura parẽtum, ſed ſub cura illorum, quibus venditi, vel donati ſunt, ergo inconſultis illis, qui paruulos generarunt ex conſenſu eorũ, qui illorum curam gerunt poterunt baptizari. Patet conſequentia, quia iam iſti cenſentur parentes illorum, vt diximus in primo notabili, & dixi in concluſione, poſtquam à parẽtum cura fuerint ſubtracti &c. Nam ſi maneant in eadem ciuitate, vel in loco aliquo, in quo parentes cum illis poſſint cõmunicare, adhuc nõ erit licitum eos inconſultis parentibus baptizare, propter periculum, quod imminet, ne talis baptiſmus vergat in fidei præiudicium, vt paulo antea dicebam.

¶ Tertia concluſio, Homini Chriſtiano licet vendere, vel donare paruulos ſuorum mancipiorum eo animo, vt à cura parentũ ſeparati Chriſtiani fiant. Hãc concluſionẽ [illegible]t nonnulli eſſe cõtra Caietanum qui 3. par. quæſt. 68. ar. 10. contrarium affirmat. Sed meo iudicio proculdubio falluntur: nã tantum dicit ibi, quod ex hac ſola cauſa, ſcilicet, vt baptizentur, non licet: non tamen negat, quod liceat ex alia parte, nempè, quia ſunt res exiſtentes ſub dominio vendẽtium, ſicut equus aut bos: & in hoc artic. expreſſè fatetur noſtram ſententiam. Et probatur, In caſu noſtræ concluſionis finis, ſcilicet, vt baptizẽtur, eſt bonus, & medium ad id ordinatum, ſcilicet, venditio, eſt bonũ cum venditores vtantur iure ſuo, & nihil aliud faciant quam vendere res proprias, ergo & ipſe actus eſt iuſtus. De hac re videndus eſt Soto in. 4. diſt. 5. quæſt. vnica. ar. 10. *3. Concluſio.*

¶ Ex dictis infertur, quod quando D. Th. dicit paruulos infidelium non eſſe baptizãdos inuitis parentibus, tantum loquitur de paruulis, qui poſtquam baptizati ſunt adhuc remanent ſub cura parentum: nam de illis, qui ab illis ſeparãtur, ſiue iuſte, ſiue iniuſte, alia erit habenda ratio, vt diximus in ſuperioribus. Et ſic meo iudicio ſententia Sãcti Tho. parum aut nihil differt à ſententia Durandi. *Corollarium.*

¶ Ad primũ argumẽtum Scoti reſpõdetur ꝙ quando ſuperior vult, vt præceptũ à ſe impoſitum obſeruetur, non obſtante quocunque alio iure inferioris, obſeruandum eſt proculdubio: nec obſtat præceptum inferioris, vt rectè probat ſimilitudo adducta in argumento. Cæterum, ſi ſuperior vult, vt præceptum à ſe impoſitum obſeruetur ſine violatione iuris inferioris, obſeruandũ erit ſimiliter præceptum inferioris, qui habet ius præcipiendi. Et ita contingit in propoſito. Nam quando Deus præcipit, vt paruuli baptizentur, vult hoc obſeruari ſine fractione iuris naturalis: gratia enim non deſtruit, ſed perficit naturã. Et certum eſt, quod ſtando in iure naturali nihil circa paruulos eſt faciendum inuitis parentibus: & ſic peccaret, qui illos contra voluntatem parentum baptizaret. Maximè quòd, vt docet Caietanus in præſenti, inter Deũ & parentes non eſt facienda comparatio, tanquam inter duas poteſtates ſubordinatas, qualis ſit inter Deum, & imperatorem: ſed tanquam inter Deum autorem naturæ, & inter Deum autorem fidei & cum *Ad. 1. arg. pro ſententia Scoti.*

& cum Deus, vt autor fidei nihil præcipiat derogando iuri naturali: cum ius naturale per gratiam non tollatur, manifeſtè ſequitur quod illud non erit frangendum in huiuſmodi paruulis baptizandis.

Ad argum. ¶ Ad ſecundum argumentum reſpondetur conceſſo antecedenti, negando conſequētiā. Et ratio diſcriminis eſt, quia princeps eſt cuſtos iuris naturalis: & ideò pōt omnes tranſgreſſores vi cōpellere ad ipſius obſeruantiam: non tamen eſt cuſtos legis diuinæ, ſed ſummus pōtifex, ad quem ſpectat facere, vt obſeruetur ſecundum formā à Chriſto præſcriptam, ſcilicet, ſine fractione iuris naturalis, quod diſponit, vt paruuli ante vſum rationis in omnibus ſint ſub cura parentum. *Ad.3.argu.* ¶ Ad tertium reſpondetur diſtinguendo maiorem. Nam quòd quis abutatur iure ſuo poteſt contingere dupliciter. Vno modo violando ius naturale: & tunc certum eſt, quòd poteſt per principē eo priuari, alio modo violando ius ſupernaturale, & in hoc caſu non poteſt per principem eo priuari. Verbi gratia, qui vult ſe interimere compelli poteſt, vt non ſe interimat, quia abutitur ſuo iure, violando ius naturale. Tamen qui non vult baptizari non poteſt ad id cōpelli, vt diximus arti. 8. huius quæſtionis, quanuis abutatur iure ſuo, quia id facit ſolum violando ius ſupernaturale. Cum ergo in caſu argumenti pater abutatur iure ſuo paterno, non violādo ius naturale, ſed tantum violando ius ſupernaturale manifeſtè ſequitur, quod non poterit eo per principem priuari.

Alia duo argumenta difficilia. ¶ Sed vltra hæc argumenta ſunt alia duo quæ videntur habere difficultatē. Primum eſt, *1. Argum.* In lege naturæ poterat vnuſquiſque iuſtus alienum filium inuitis parētibus Deo offerre, vt illi applicaret fidem: ergo & etiā nunc licet baptizare filium infidelis. Secundò, *2. Argum.* ſi Chriſtianus quiſpiam infidelium infantulum iamiam moriturū, de quo nulla eſſet ſpes ſalutis, inueniret, eumque tunc baptizaret nullam videretur fidei irrogare iniuriam, cum nulla inde probabiliter apoſtaſia timeretur: nec patri, cum baptizator paruulum moriturum a patris cura non remoueat, & paruulo magnum cōfert beneficium: ergo licitum eſſet ei id inuitis parentibus facere, atque ex conſequenti in aliquo caſu eſt licitum baptizare paruulos inuitis parentibus.

Ad. 1. arg. ¶ Ad primum reſpōdetur, quicquid ſit de antecedenti negando conſequentiam. Nam primo, illa oblatio per actum interiorem fieri poterat neſciente patre. Secundo, quia quanuis id faceret verbo, patre renitente nullam adhuc iniuriam ei irrogaret, ſed ratione naturali poterat eum cōuincere bonū eſſe commendare filiū Deo. Tertio, quia illud non erat ſacramentum nec imprimebat characterem, nec tunc erant coadunati homines in aliquam ſingularem religionē per aliquem exteriorem cultum, vt poſſent parentes conqueri, quod ſui ab eis ſubtraherentur filij, ſicut poſſent conqueri modo ſi baptizētur: per baptiſmum enim fierent paruuli mēbra Eccleſiæ, extra quā ipſorum parentes inueniuntur. Et hæc eſt potiſsima ratio propter quam non eſt licitum ipſos paruulos baptizare parentibus inuitis. *Corollarium.* ¶ Ex quo infertur, quod ſi in veteri lege aliquis Iudæus infidelium filios inuitis parētibus circuncideret, proculdubiò peccaret ſicut modo baptizans. Erat enim circunciſio ſacramentum profeſsiuum ſingularis religionis, ad quam paruuli adduci non debent ſine conſenſu parentum. *obiectio.* ¶ Et ſi quis obijciat: nam primi Mach. c. 2. dicitur quod Matthathias parta victoria aduerſus Antiochum circuncidit in fortitudine (hoc eſt vi) omnes pueros incircunciſos. quot quot erāt in ſinibus Iſrael, inter quos creditur aliquos fuiſſe natos ex infidelib⁹, Reſpōdetur, quod ſi aliquos circuncidit ex gentilium filijs, id fecit ex zelo fidei, ſed nō ſecundum ſcientiam ſicut de Siſebuto diximus art. 8. *Ad. 2. arg.* ¶ Ad ſecundum argumentum reſpondetur cum Magiſtro Soto in. 4. d. 5. q. vnica art. 10. quod in caſu poſito propter illa tria mēbra rationis factæ licitum eſſet baptizare paruulū ſine cōſenſu parentum, maxime ſi id fieri poſset clanculò, & ipſis parentibus neſcientibus: imò, etiam ſi illi ſcirent, dūmodo non ſic obſiſterent, vt ſine ſcandalo fieri nō poſſet. Nam iniuria, quā hactenus diximus parentibus irrogari non eſt ſuperſtitioſe, ſed ſecundum iudiciū prudentum intelligenda.

Dubium circa 2. concluſionē D. Tho. ¶ Secunda concluſio D. Tho. eſt certa, & ab omnibus conceſſa. Sed circa illam poteſt eſſe dubiū paruū, qua ætate paruulus cenſendus eſt vſum rationis attingere, vt poſsit inuitis parētibus baptizari? Syluest. verbo baptiſmus. §. 8. ait in quartodecimo anno: & alij in duodecimo. *Reſponſio.* Sed certa regula eſt, quod ſi citra illam ætatem certo conſtet puerum fidei catechiſmis inſtructum, ſatis intelligere quid ſit baptizari, & quod eſt pro-

eſt profeſsio Chriſtianæ legis, baptizãdus eſt. Nam quamuis ad contrahendum matrimonium lege humana illa ætas ſtatuatur, tamen lex diuina baptiſmi ab humana nõ dependet, & ſic quã primum rationis lumẽ effulſerit, validum erit ſacramẽtum. Quin potius dico, quòd ſi res eſt dubia, & in puero octauum annum attingente apparent aliqua indicia, quæ oſtendunt ipſum intelligere, quid ſit baptiſmus, & illum petit inuitis parentibus eſſet baptizandus: ac ſubinde ab eorum educatione ſubtrahendus, nam in re dubia in fauorem baptiſmi eſt declinandum.

QVAESTIO VNDECIMA, de Hæreſi, in quatuor articulos diuiſa.

DEINDE conſiderandum eſt de hæreſi.

¶Circa quã quærũtur quatuor.

¶Primo, vtrũ hæreſis ſit infidelitatis ſpecies.

¶Secũdo, de materia eius, circa quam eſt.

¶Tertio, vtrũ hæretici ſint tolerandi.

¶Quarto, vtrum reuertentes ſint recipiendi.

ARTICVLVS. I.

¶Vtrum hæreſis ſit infidelitatis ſpecies.

Supra. q. 10. a. 5. & infr. q. 94. art. 1. ad primum.
Supra. a. 2.

AD PRIMVM ſic proceditur. Videtur, quod hæreſis non ſit infidelitatis ſpecies. Infidelitas enim in intellectu eſt, vt ſupra dictum * eſt. Sed hæreſis non videtur ad intellectũ pertinere, ſed magis ad vim appetitiuam. Dicit enim Hieronym⁹, * & habet in Decret. 24. q. 3. Hæreſis Græce ab electione dicitur, quod, ſcilicet, eam ſibi vnuſquiſq; ligat diſciplinam, quã putat eſſe meliore, electio antẽ eſt actus appetitiuæ virtutis: vt ſupra dictũ * eſt. ergo hęreſis nõ eſt infidelitatis ſpecies

Hier. ad ca. 5. ad Gala. ſuper illud Hæreſes habetur. 24. q. 3. ca. Hæreſes.
1. 2. q. 13. ar. 1.

2 ¶Pręterea, Vitium pręcipue accipit ſpeciem à fine. Vnde Philo. dicit in. 5. Ethi. * quòd ille, qui mœchatur vt furetur, magis eſt fur q̃ mœchus. Sed finis hæreſis eſt cõmodum temporale, & maxime principatus & gloria: quod pertinet ad vitiũ ſuperbiæ vel cupiditatis. Dicit enim Auguſtinus * in lib. de vtilitate credendi, ꝙ hæreticus eſt qui alicuius temporalis cõmodi & maximè gloriæ principatuſq; ſui gratia falſas ac nouas opiniones, vel gignit, vel ſequitur. Ergo hæreſis non eſt ſpecies infidelitatis, ſed magis ſuperbiæ.

Lib. 5. cap. 2 paulo a prin. 5.
Circa prin. lib. to. 6. Et habetur. 24. q. 3. ca. Hæreticus eſt.

3 ¶Pręterea, Infidelitas cum ſit in intellectu, non videtur ad carnẽ pertinere: ſed hęreſis pertinet ad opera carnis. Dicit enim Apoſto. ad Galat. 5. Manifeſta ſunt opera carnis, quę ſunt fornicatio, immũditia: & inter cætera poſtmodum ſubdit diſſenſiones, ſectę, quę ſunt idem quod hæreſes. Ergo hęreſis non eſt infidelitatis ſpecies.

¶SED CONTRA eſt, quod falſitas veritati opponitur: ſed hæreticus eſt qui falſas vel nouas opiniones vel gignit, vel ſequitur.

¶RESPONDEO dicendum, ꝙ nomen hæreſis, ſicut dictum * eſt, electionem importat. Electio autem, vt ſupra dictum * eſt, eſt eorum, quę ſunt ad finem, prẹſuppoſito fine. In credendis autem voluntas aſſentit alicui vero tanquam proprio bono, vt ex ſuprà dictis * patet. Vnde quod eſt principale verum, habet rationem finis vltimi: quę autem ſecundaria ſunt, habent rationem eorum, quæ ſunt ad finẽ. Quia vero quicunque credit, alicuius dicto aſſentit, principale videtur eſſe & quaſi finis in vnaquaque credulitate ille, cuius dicto aſſentitur. Quaſi autem ſecũdaria ſunt ea, quę quis tenendo vult alicui aſſentire. Sic ergo qui rectè fidẽ Chriſtianam habet, ſua volũtate aſſentit Chriſto in ijs, quæ vere ad eius doctrinam pertinent. A rectitudine ergo fidei Chriſtianę dupliciter quis poteſt

In argu. 1. huius art. 1.
2. q. 13. ar. 3
Q. 1. a. 3. & 4 & q. 4. & 5.

deui

deuiare. Vno modo, quia ipſe Chriſto non vult aſſentire, & hic habet quaſi malã volũtatẽ circa ipſum finẽ: & hoc pertinet ad ſpeciẽ infidelitatis Paganorum & Iudæorũ. Alio modo, per hoc, quod intendit quidẽ Chriſto aſſentire, ſed deficit in eligendo ea, quibus Chriſto aſſentiat: quia nõ eligit ea, quæ ſunt vere à Chriſto tradita, ſed ea, quæ ſibi propria mens ſuggerit. Et ideo hæreſis eſt infidelitatis ſpecies, pertinens ad eos, qui fidem Chriſti profitentur, ſed eius dogmata corrumpunt.

¶AD PRIMVM ergo dicendum, quòd hoc modo electio pertinet ad infidelitatem, ſicut & volũtas ad fidem: *In corp. ar.* vt ſupra dictum * eſt.

¶Ad ſecundum dicendum, quòd vitia habent ſpeciem ex fine proximo: ſed ex fine remoto habent genus & cauſam: ſicut cum aliquis mœchatur, vt furetur, eſt ibi quidẽ ſpecies mœchiæ ex proprio fine & obiecto. Sed ex fine vltimo oſtenditur, quòd mœchia ex furto oritur, & ſub eo continetur ſicut effectus ſub cauſa, vel ſicut ſpecies ſub genere: vt patet ex his, quæ *1.2. q.18.a.6.&.7.* ſupra * de actibus dicta ſunt in communi. Vnde & ſimiliter in propoſito finis proximus hereſis eſt adhęrere falſæ ſententiæ propriæ, & ex hoc ſpeciem habet. Sed ex fine remoto oſtenditur cauſa eius, ſcilicet quòd oritur ex ſuperbia, vel cupiditate.

¶Ad tertium dicẽdum, quòd ſicut hæreſis dicitur ab eligendo, ita ſecta à ſe- *Lib.8.c.3.in prin.* ctãdo, ſicut Iſid. dicit in li. Etym. * Et ideo hæreſis & ſecta idem ſunt, & vtrũque pertinet ad opera carnis: non quidem quantum ad ipſum actum infidelitatis reſpectu proximi obiecti, ſed ratione cauſæ, quæ eſt vel appetitus finis indebiti, ſecundum quod oritur *Argum. 2.* ex ſuperbia, vel cupiditate, vt dictum * eſt: vel etiam, aliqua phantaſtica illuſio, quæ eſt principium errandi: vt etiã *Lib. 4. Me. tex.14.to.3.* Philoſophus * dicit in quarto Meta. Phãtaſia autem quodammodo ad carnem pertinet, in quãtum actus eius eſt cum organo corporali.

SVMMA TEXTVS.

ANtequam D. Tho. reſpõdeat ad hanc difficultatẽ præmittit duo. Primũ eſt, ꝙ hæreſis importat electionem, & electio non eſt circa finẽ, ſed circa media. Secundum, ꝙ in fide duo conſiderãtur. Primũ eſt perſona, cuius aſſentior dictis: & hoc eſt principale: nam propter perſonam aſſentior dictis illius. Secundum eſt propoſitio, cui aſſentior: & hoc eſt minus principale. ¶His ſuppoſitis ſit prima concluſio, Qui Chriſto non vult aſſentiri, ſed recedit ab illo non credens in ipſum nõ hęreticus, ſed paganus aut Iudæus eſt dicendus. Probatur. Non tantum errat circa media, ſed etiam eſt male affectus circa finẽ: ergo nõ eſt hæreticus. ¶Secũda cõcluſio. Qui intendens adhærere Chriſto, & in illũ credere eligit peculiaria dogmata, & corrũpit aliquid eorum, quæ pertinent ad fidẽ Chriſti, hic eſt proprie hæreticus. Probatur. Hic preſuppoſita volitione finis, qui eſt adhęrere Chriſto, & illi aſſentiri, deficit in eligendo ea, quibus Chriſto aſſentiat, quia nõ eligit ea, quæ ſunt vere à Chriſto tradita, ſed quæ ſibi propria mens ſuggerit, ergo eſt hęreticus. ¶Tertia concluſio, quę ſequitur ex dictis, eſt, quod hęreſis eſt ſpecies infidelitatis pertinens ad illos, qui Chriſtum profitentes eius dogmata corrumpunt.

EXPLICATIO ARTICVLI.

DE hac materia, quæ celebris eſt apud Theologos, & Canoniſtas, differunt Theologi in.3. diſt.23.24.&.26. & nonnulli in.4. diſt.13. in decretis. 24. q.3. & in Decretalibus, & in.6. toto titulo de hæreticis. Summiſtæ omnes verbo, hæreſis. Turrecremata lib.4. ſuæ ſummæ part.2. à cap.11. Alphonſus à Caſtro in initijs librorum de hæreſibus, & de iuſta hæreticorum punitione. & Cano lib.12. de locis cap. 8. & ſequentibus. ¶Ad cuius explicationem, vt à nomine ipſo exordiamur, aduertendũ eſt primo, *1. Notabile.* ꝙ Abbas in c. firmiſſime, de hęreticis, triplicẽ aſſignat deriuationẽ huius vocis hęreſis, dicẽs, qđ deducitur, vel ab hoc verbo adhæreo, vel ab hoc verbo, hercíſcor, vel ab hoc verbo, erro. Sed oẽs iſtę deductiones ineptiſſimæ ſunt, vt eſt videre apud Caſtro lib. 1. de iuſta

de iuſta hæreticorum punitione c. 1. Et ſic dico, quod hæreſis eſt nomen Grecũ, idẽ Latinè ſignificans quod electio. Deriuatur enim à verbo Greco, hęrcome, quod Latinè verſum ſonat, eligo. Ex quo fit, vt philoſophorum opiniones hęreſes quandoq; dicãtur: quia, ſcilicet, eã, quę ſibi magis placebat vnuſquiſq; illorum eligebat ſententiam. Et ſic Cicero in Paradoxis dicit: Cato in ea eſt hęreſi, quę nullum ſequitur orationis florem. Hanc etiam nominis etymologiam ſequitur D. Hieronymus ſuper. 5. caput Epiſtolę ad Galatas, explicans illa verba, Manifeſta ſunt opera carnis, & refertur. 24. q. 3. c. hæreſis. & ad Titum. 3. in illa verba, hęreticum hominem deuita. Et D. Iſidorus lib. 8. Etymologiarum. c. 3. in cuius initio hęc verba ponit: Hæreſis Gręce ab electione vocatur, quod, ſcilicet, vnuſquiſquod ſibi eligat, quod melius ſibi eſſe videtur, vt Philoſophi Peripatetici, Academici, Epicurei & Stoici, vel ſicut alij, qui peruerſum dogma cogitantes arbitrio ſuo ab Eccleſia receſſerunt. D. Tho. in. 4. diſt. 13. q. 2. art. 1. dicit hæreſim idẽ eſſe quod diuiſionem. Quam ſignificationem ſequi videtur Eraſmus. Nam vertens Chryſoſtomum ſuper illud. 1. Corint. 11. Oportet hæreſes eſſe dicit, Oportet diſsidia eſſe. Sed conuenientius dicimus cum alijs autorib⁹, quod hęreſis dicitur ab eligendo, & non à diuidendo. *Hæreſis dicitur ab eligendo.* Et ſic iuxta hãc ſignificationẽ hæreſim propriè dicemus eam diſciplinam, vel ſentẽtiã, quam ſibi quiſq; elegit ſequendam. Et cũ hæc ſententia aliquando ſit vera & aliquãdo falſa, fit, vt nomen ipſum hæreſis ex proprietate ſermonis nõ magis in bonam quã in malam partẽ accipiatur. Sed vſu Eccleſiaſticorum iam eſt accõmodatũ nomẽ ad tantum ſignificãdã falſam perſuaſionẽ cõtra fidẽ, quomodo accipitur à nobis in prẹſenti.

2. Notabile. ❡Secundo eſt aduertendũ, ꝙ cum hæreſis ſit electio, nulla ratione doctrina euangelica poterit dici hæreſis: etiam ſi hoc nomẽ in bonam partem accipiatur. Non enim ex hominis arbitrio pendet, aut humanó ingenio inuenta eſt, ſed Deó inſpirante & reuelante hominibus manifeſtata: iuxta illud Paul. ad Galat. 1. Notum vobis facio fratres euangelium, quod euãgelizatum eſt à me, quia non eſt ſecũdum hominẽ, nec ego ab homine accepi illud, nec didici, ſed per reuelationẽ Ieſu Chriſti: & 1. ad Corint. 2. Sermo meus, & prædicatio mea nõ in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus, & virtutis Dei: & ad Epheſ. 2. Gratia ſaluati eſtis per fidem, & hoc non ex vobis. Quibus verbis apertè ſignificat Paulus fidem catholicam non eſſe humana ratione inuentam, nec ex hominũ electione pendẽre, ſed ex Dei vocatione & electione. Quo fit, vt iuxta verã huius vocis ſignificationem, hæreſis minime dici poſsit. Aliam huius rei rationẽ aſsignat D. Tho. in. 4. d. 13. q. 2. art. 1. dicens, quod cum doctrina Euangelica ſit vniuerſalis, & hęreſis ex nominis proprietate ſignificet priuatam ſententiam, quam ſibi quiſq; elegit tenendam, fieri non poteſt, vt doctrina Euangelica hæreſis dicatur.

3. Notabile. ❡Tertio eſt aduertendum quòd hęreſis, de qua in prẹſenti loquimur, nihil aliud eſt quam error contrarius catholicæ veritati in eo, qui Chriſtianam fidem profitetur. Sicut enim fides conſiſtit in hoc, quod quis liberè captiuet intellectum in obſequium Dei, vt dicit Paul. 2. ad Corinth. c. 10. ità hæreſis conſiſtit in hoc, ꝙ ille, qui catholicam fidẽ profeſſus eſt, alicui catholicę veritati reſiſtat. Et ponitur in hac definitione, error, loco generis: in eo enim conuenit cũ alijs ſpeciebus infidelitatis, ſcilicet, cũ Paganiſmo, & Iudaiſmo: qui etiam ſunt errores contrarij catholicę veritati. Et differt ab illis, quia illi ſunt circa finẽ, hoc eſt, ſunt in illis, qui Chriſtum non profitentur, at vero hæreſis eſt circa media. Nã eſt electio, vt diximus, & electio autore Ariſtotele. 3. Ethicorũ eſt circa media præſuppoſita volitione finis: & id explicatur per id, quod dicitur, in eo qui Chriſtianam fidem profitetur. *Obiectio.* ❡Et ſi quis obijciat, Electio eſt actus voluntatis, & hæreſis eſt actus intellectus, ergo hęreſis non poteſt eſſe electio, *Solutio.* reſpondetur, quod licet hæreſis ſit actus intellectus, procedit tamen ab electione voluntatis, à cuius imperio intellectus mouetur ad aſſentiendum, ſicut & fides ex propria affectione procedit. Vnde D. Aug. tract. 26. ſuper Ioan. ait, Intrare quiſpiam Eccleſiam poteſt nolens, accedere ad altare poteſt nolens, accipere ſacramentum poteſt nolens, credere non poteſt, niſi volens. Si corpore crederetur, fieret in nolentibus, ſed non corpore creditur ad iuſtitiam. Apoſtolum audi dicentẽ, Corde creditur ad iuſtitiam. Et quid ſequitur? Ore autẽ confeſsio fit ad ſalutem. Hæc Auguſtinus. Et quod ille dixit de vera fide, per quam id, quod credere oportet, quis credit, idẽ prorſus de hæreſi, per quã non veritatẽ

 catholi-

catholicam, ſed errorem illi contrariũ quis credit, dicere oportet. Hæreſis ergo non eſt electio, ſed procedit ab electione.

Dubium. ¶ Sed dubium eſt, vtrùm hæreſis ſit ſpecies infidelitatis diſtincta ab apoſtaſia. Et pro parte affirmatiua eſt argumentum. *1. Argum.* Hęreſis eſt eorum, qui fidem Chriſti profitentes eius dogmata corrũpunt: ſed apoſtatæ non profitentur fidem Chriſti, ſed eam penitus reijciũt, ergò hæreſis eſt ſpecies diſtincta infidelitatis ab apoſtaſia. *2. Argum.* ¶ Secũdo apoſtata fit Iudæus, vel Paganus cũ deficit à fide: ſed Iudaiſmus & Paganiſmus ſpecie differũt ab hæreſi, vt diximus, ſupra. q. 10. art. 5. ergo & apoſtaſia. *Sentẽtia Sylueſtri.* ¶ Ad hoc Sylueſ. in ſumma verbo, hæreſis. 1. §. 2. dicit apoſtatã non eſſe hæreticum propriè loquendo. Et in eadem ſumma verbo, apoſtaſia, §. 4. contrariũ affirmat. Item Caietanus in ſumma verbo, apoſtaſia tenet apoſtaſiã non eſſe hæreſim, ſed quid peius hæreſi vt pote excedens ipſam, totaliter tollendo fidẽ. Sed in hoc articulo expreſſe dicit, apoſtatas eſſe hęreticos quia licet nõ credãt in Chriſtũ actu elicito, profitẽtur tamẽ illũ charactere. Et ſimiliter reliqui Doctores in hac re varij eſſe videntur.

1. Concluſio. ¶ Ad cuius explicationẽ ſit prima cõcluſio, Siue hęreſis differat ſpecie ab apoſtaſia, ſiue non, apoſtaſia tamẽ eſt multò grauius peccatũ, quã hęreſis: & illa circunſtãtia erit neceſſario cõfitenda. Hanc concluſionẽ tenet Caietanus in ſumma verbo, apoſtaſia. Et probatur, In furto qui longè plura, quã alius accipit grauius peccat, & hæc circunſtantia eſt neceſſariò in confeſsione explicanda, vt omnes Doctores fatentur, ergo pari ratione in apoſtaſia, quamuis apoſtata nõ differat ſpecie ab hæretico, quia tamen apoſtata diſcedit à tota fide, & hæreticus non à tota ſed à parte grauiùs peccabit apoſtata, & illa circũſtãtia erit neceſſario confitenda.

2. Concluſio. ¶ Secunda cõcluſio, In iure canonico eiſdẽ pœnis puniũtur hæreſis, & apoſtaſia: & ſic ſecũdũ iuris ęſtimationẽ hæc duo nõ differunt ſpecie. Probatur ex toto titulo de hæreticis in Decretalib. & in. 6. & ſpecialiter ex cap. Chriſtianos, eodem tit. lib. 6.

3. Concluſio. ¶ Tertia concluſio, Apoſtaſia, & hæreſis ad eandem ſpeciem infidelitatis pertinent. Hanc ſententiã tenet D. Tho. ſupra. q. 10. art. 5. vbi ſolas tres dicit eſſe infidelitatis ſpecies, ſcilicet, Paganorũ, Iudæorum, & hæreticorum: & ſub nomine hæreticorum dicit contineri quotquot à fide catholica, quam ſemel ſuſceperũt quomodocunq; recedũt. Et expreſsius infra. q. 12. art. 1. ad. 3. dicit, q apoſtaſia non importat aliquam ſpeciẽ infidelitatis, ſed quandã circunſtantiam aggrauantem. Et probatur, Infidelitas hæreticorum, vt D. Tho. affirmat. q. 10. art. 5. conſiſtit in hoc, quod quis renitatur fidei ſuſceptæ, ſed hoc efficiunt apoſtatæ, ergo ſunt propriè hæretici. Secundo, ſi quis dubitans vtrùm Chriſtus ſit Deus necne, ab illo recedit: & non accedit ad infidelitatẽ Iudæorum, aut Paganorum, ille eſt apoſtata infidelis, & non Iudæus nec Paganus, ergo hæreticus: atq; ex conſequenti apoſtaſia, & hęreſis non ſunt ſpecies diſtinctę infidelitatis. Item, ſi apoſtaſia, & hæreſis non pertinerẽt ad eandem ſpeciem, ſequeretur, quod per multiplicationem hæreſum deſineret aliquis eſſe hæreticus: conſequens autem eſt falſum, & abſurdum, nam cum hæreticus dicatur talis ab hæreſi, fieri non poterit vt per multiplicationẽ formæ ſubiectũ amittat denominationem ab illa, ergo. Probo ſequelam. Si quis pertinaciter per vnam hæreſim à fide diſcedat, eſt hęreticus, & poſteà multiplicando hęreſes quoadusq; totaliter à fide recedat fit apoſtata, ergo ſi apoſtaſia & hæreſis nõ ſunt eiuſdem ſpeciei, per multiplicationem hæreſum deſineret aliquis eſſe hęreticus. Vltimò, Differentia materialis non variat ſpeciem, ſed formalis, ſed apoſtaſia, & hęreſis non differunt formaliter, cum vtraq; verſetur circa falſitatem contrariam fidei ſolenniter ſuſceptę, ſed tantum differunt materialiter penes hoc, ſcilicet, q apoſtaſia in pluribus, & hęreſis in paucioribus corrumpit fidem, ergo nõ differunt ſpecie.

4. Concluſio. ¶ Quarta cõcluſio, Qui recedens à Chriſto per apoſtaſiam efficitur Iudæus, aut Paganus cõmittit duplex peccatũ, vnum hęreſis, alterum illius infidelitatis, ad quam cõuertitur. Ita tenẽt D. Tho. & Caietanus ſupra. q. 10. art. 5. ad. 3. Et probatur. Ille homo negat fidem profeſſam, ergo eſt hęreticus. Tunc vltra, efficitur Iudæus, vel Paganus, ergo cõmittit peccatum perfidiæ Iudaiſmi vel Paganiſmi, atque ex conſequẽti peccat duplex peccatum. Verum tamen eſt, quod quamuis ille homo ſit hæreticus, & Paganus, vel Iudæus, magis tamen eſt Paganus, vel Iudæus, quam hæreticus, ſicut ille qui mœchatur, vt furetur magis eſt fur quam mœchus, vt affirmat Ariſt. 5. Ethi.

Ad. 1. arg. ¶ Ad primum argumẽtum in contrariũ factum reſpondetur conceſſa maiori negando minorem; nam quamuis apoſtatæ non profi-

profiteatur fidem Chriſti actu mẽtis, profi
teutur tamen illo charactere, vt dicit Caie-
tanus in hoc articulo, quod ſatis eſt ad hoc
quod eorũ infidelitas nõ dicatur ſpecie diſ-
ferre ab infidelitate hæreticorũ. ¶ Ad ſecun
dum argumentũ reſpondetur, quod ſi apo-
ſtata deficiens a fide Chriſti fiat Paganus,
vel Iudæus peccabit duplex peccatũ, vnũ
hæreſis, alterũ Iudaiſmi, vel Paganiſmi, vt
diximus in quarta cõcluſione, nec ex hoc li
cet inferre quod apoſtaſia ſpecie differat
ab hæreſi ad modum iam explicatum.

Dubium de eo quod requiritur ad hæreſim.

¶ Suppoſito iam ꝙ hæreſis eſt error con-
trarius catholicæ veritati in eo, qui fidem
Chriſtianã profitetur, & quod hæc diſfini-
tio conuenit apoſtaſiæ, operęprecιũ eſt, vt
explicemus quæ nam ſint illa, quæ ſunt
neceſſaria ad hæreſim, vt ex illorũ explica
tione conſtet an diſſinitio poſita ſit bona
nec ne. Et vt hoc melius efficiamus aduer-
tendũ eſt, quod cum hæreſis ſit peccatũ for
maliter contrariũ fidei, conuenientiſſimũ
erit, vt ex ipſa conſideratione fidei hæreſis
naturã inquiramus: contrariorũ enim eadẽ
eſt diſciplina, vt habet cõmune axioma phi
loſophorũ. In fide, ergo ſunt duo, vnũ ex
parte intellectus, & eſt aſſenſus, alterum ex
parte volũtatis, & eſt pia affectio. Rurſus in
aſſenſu adhuc poſſũt duo conſiderari, vnũ
materiale, & eſt id, quod intellectus verum
iudicat, vt hæc propoſitio, Deus eſt trinus
& vnus: alterum formale qđ eſt ratio aſſen
tiendi, & eſt diuina reuelatio, & propoſitio
facta per Eccleſiã, vt credatur. Ex quo infer
tur ꝙ ad hæreſim cõſtituẽdã tria erunt ne-
ceſſaria. Primũ eſt, quod intellectus aſſẽtia
tur falſitati, alterũ quod diſcedat a ratione
formali credendi, ſcilicet, vel à teſtimonio
diuino, vel ab Eccleſia proponẽte. Tertiũ,
quod id fiat volũtarie, id eſt, ex praua affe-
ctione erga res fidei.

1. Concluſio. ¶ Hoc conſtituto ſit prima concluſio. De
ratione hæreſis eſt ꝙ ſit error contra doctri
nam reuelatã. Probatur. Hæreſis eſt aſſen-
ſus cõtrarius fidei, & fides ſolũ verſatur cir-
ca doctrinã reuelatam, ergo hæreſis neceſſa
rio debet eſſe error contra doctrinã reuela-
tam. Et ſi quis obijciat diſſentiens propoſi-
tioni, quã propter ignorantiam, qua labo-
rat, exiſtimat eſſe reuelatã, & non eſt reue-
lata, vere eſt hæreticus, vt infra dicemus, nõ
tamen habet errorẽ contra doctrinam reue
latã, ergo non eſt de ratione hęreſis, ꝙ ſit er-
ror contra doctrinam reuelatã, reſpõdetur
conceſſo antecedenti negando conſequen
tiam. Nam cũ iſte homo neget id, quod exi
ſtimat traditum à Deo, & propoſitũ ab Ec-
cleſia, vt credatur, neceſſario debet affirma-
re, ꝙ vel Deus fallit, vel quod Eccleſia deci
pit, quorum quodlibet eſt contra doctri-
nam reuelatam.

¶ Secunda concluſio, De ratione hæreſis *2. Concluſio.*
eſt non ſolũ, quod ſit error contra doctrinã
reuelatã, ſed etiam quod ſit cõtra doctrinã,
quã conſtat eſſe reuelatã. Probatur, Hęreſis
eſſe non poteſt ſine aſſertione propoſitio-
nis hæreticæ, ſed non eſt propoſitio hęreti-
ca, ſaltem quo ad nos, niſi quæ repugnat ei,
quam manifeſtũ eſt eſſe de fide, vt dicemus
articulo ſequẽti, ergo de ratione hæreſis eſt
non ſolum, ꝙ ſit contra doctrinã reuelatã,
ſed etiã, ꝙ ſit contra doctrinam, quã cõſtat
eſſe reuelatã. Item hæreſis eſt error contra-
rius fidei formaliter: ſed error circa propoſi
tionem, quã non conſtat eſſe reuelatã, non
eſt contrarius fidei formaliter, ſed tantũ ma
terialiter, ergo non eſt hæreſis. Et confirma
tur, Propoſitio, quæ quanuis ſit reuelata,
non tamen eſt definitum eam eſſe reuela-
tam, nondũ habetur catholica, hoc eſt vni-
uerſalis: ſed hæreſis eſt error cõtrarius fidei
catholicę, ergo ad rationem illius eſt neceſ-
ſarium, quod ſit contra doctrinam, quam
conſtat eſſe reuelatam.

¶ Et ſi quis quærat, vtrùm ſatis ſit ad hæ *Dubium.*
reſim, quod ſit error cõtra doctrinã, de qua
diſſinitũ eſt eſſe reuelatã, vel potius ſit ne-
ceſſariũ, quod ipſi erranti conſtet talem do-
ctrinam eſſe reuelatã. ¶ Dico primo certũ *1. Dictum.*
eſſe, quod ſi ille, qui errat circa talẽ doctrinã
inuincibiliter ignorat eã eſſe reuelatã, non
eſt dicendus hæreticus, quia nullã peccatũ
cõmittit. ¶ Dico ſecundo quod etiã ſi vin- *2. Dictum.*
cibiliter ignoret illam doctrinam eſſe reue-
latam, & diſtinitã, adhuc non erit hæreſis:
ita tenet D. Tho. ſuper tertiũ caput epiſto-
læ ad Titũ. lect. 2. & Syluefter verbo. hęreſis
§. 1. & Canus li. 12. de locis. c. 10. & Antonius
à Corduba in ſuo quæſtio. lib. 1. q. 16. §. 7.
Et probatur, Hæreſis eſt error fidei formali
ter contrarius: ſed iſte error, de quo loqui-
mur non eſt fidei formaliter contrarius, nã
vt ſupponimus, qui illũ habet eſt paratus
credere quicquid Eccleſia credẽdũ propoſue
rit: & ſi modo errat circa rẽ ab Eccleſia pro-
poſitã, id accidit, quia ignorat eã eſſe propo
ſitã, ergo non eſt hæreſis. Et cõfirmatur, Si-
cut ad fidẽ requiritur pia volũtatis affectio
circa Eccleſiã, ita ad hæreſim neceſſaria eſt
erga eãdẽ Eccleſiã affectio praua: ſed error

ortus ex ignorantia vincibili non habet ſecum prauam volũtatis affectionẽ erga Eccleſiam, quin potius ſic errans eſt pie affectus circa illam, ergo non eſt hæreſis.

Dubium de ignorãtia affectata.

¶ Sed dubium eſt de eo, qui ex ignorantia affectata errat circa doctrinã reuelatã & diffinitam. Verbi gratia, ſi quis conſulto fugit ſermones, & congreſſus Doctorũ, eo animo, vt ignorans ea, quæ ſcire tenetur liberius peccet: & ex hac ignorantia prouenit, quod exiſtimet fornicationem ſimplicem non eſſe peccatum, dubium eſt vtrùm iſtius hominis error ſit dicendus hæreſis, & ipſe ſit habẽdus hæreticus.

Argumẽtũ.

Et pro parte affirmatiua eſt fortiſsimũ argumentũ. Ignorantia affectata nõ minuit peccatum, quod ex ea ſequitur: ſed perinde eſt ex ea peccare ac ſi ex ſcientia peccaretur, cũ talis ignorãtia ſit ex electione, ſed ſi quis ſcienter erraret cõtra fidem eſſet hæreticus, & eius error eſſet propriè hæreſis, ergo idem dicendum eſt de eo, qui ex ignorantia affectata errat contra fidem.

Cõfirmatio.

Et cõfirmatur, Iſtius hominis error eſt peccatum infidelitatis, vt cõſtat, non Paganiſmi nec Iudaiſmi, ergo eſt hæreſis. Patet cõſequẽtia quia nõ ſunt plures ſpecies infidelitatis. ¶ Propter hęc argumenta multi exiſtimant hunc hominem propriè eſſe hæreticum.

Sententia autoris.

Sed illis non obſtantibus dico, probabilius eſſe, ꝙ quanuis ſic errans peccet grauiter, eius tamen error non eſt proprie hæreſis, nec ipſe eſt proprie dicendus hæreticus. Probatur, Hęreſis, vt iam diximus proprie loquendo eſt error formaliter fidei contrarius, ſed ille non habet errorem formaliter fidei contrarium, ergo non eſt hęreticus. Probo minorem. Ille, qui ſic errat, quanuis exiſtimet fornicationem ſimplicẽ non eſſe peccatũ, non tamen diſcedit à ratione formali credendi, quę eſt autoritas diuina, vel propoſitio Eccleſię: nõ enim iudicat Deum fallere, aut Eccleſiam decipi, ergo non habet errorem fidei formaliter contrarium, atque ex conſequenti nõ eſt proprie hęreticus.

Nota pro ſolutione argumenti.

¶ Ad argumentum contrarium factum, vt reſpondeamus aduertendũ eſt, quod hæreſis duo includit, ſcilicet, errorem circa res credendas, & diſſenſum à ratione credendi, ſcilicet, à doctrina Eccleſię. Et quanuis ab hoc ſecundo habeat formaliter, quod ſit hæreſis, tamen, quod ſit peccatũ habet ab vtroque. Nam ſicut peccat ille, qui circa ea quæ ſcirẽ tenetur, voluntarie errat, ita etiã peccat ille, qui diſſentit ab Eccleſię doctrina iudicando eam eſſe falſam, diuerſimode tamen: nam malũ, quod eſt in aſſenſu hæretico, quatenus eſt error circa rem cognitu neceſſariã, non minuitur per ignorantiã affectatã. Quando enim quis affectat ignorare quod ſcire tenetur, directe vult errorem ex tali ignorantia procedentem, non minus quam ſi ex ſcientia oriretur. Cæterũ malũ, quod eſt in aſſenſu hæretico ex altera parte, ſcilicet, ex deuiatione à ratione credẽdi, id eſt, à doctrina Eccleſiæ, & animus pertinax & rebellis contra eam, prorſus tollitur, cum quis peccat ex ignorantia eius rei, quã Eccleſia docet, ſiue illa ignorãtia ſit affectata, ſiue nõ. Qui enim neſcit Eccleſiam docere quod ipſe negat, & non negaret ſi ſciret, nõ poteſt eſſe rebellis. Ex hoc fit, quod quanuis talis error non excuſetur à ratione peccati, quia eſt volũtarius, excuſatur tamẽ à ratione hæreſis, quia eſt expers contumaciæ deſpicientis doctrinam Eccleſiæ. Et per hoc patet ſolutio ad argumentũ.

Ad argumentum.

¶ Vel ſecũdo reſpondetur conceſſo antecedenti negãdo conſequentiã: nam quanuis ignorantia, quæ verſatur circa res agendas, ſi eſt affectata, non excuſet à culpa: qui enim vt occideret hominẽ adhibuit operam, vt ignoraret illum eſſe hominem perinde eſt homicidij reus, ac ſi ſcienter illũ interimeret. Tamen quando verſatur circa res credendas excuſatur ab hæreſi. Et ratio diſcriminis eſt, quia res agenda poteſt fieri, & volũtarie fieri ab eo, qui habet ignorantiã, vt patet in exẽplo poſito: at vero receſſus à ratione credẽdi, id eſt, ab Eccleſiæ doctrina, non poteſt reperiri, niſi in eo, qui ſcit id ab Eccleſia doceri circa quod ipſe errat, & ſic per ignorantiã affectatã excuſatur ab hæreſi, nõ tamẽ à culpa.

Ad confirmationem.

¶ Ad confirmationem reſpondetur, quod peccatũ illud eſt in ſpecie hæreſis nõ formaliter, & directè, ſed materialiter, & reductiuè, quo modo materia pertinet ad prædicamentum ſubſtantiæ, & punctum ad prædicamẽtũ quantitatis, & embrio ad ſpeciẽ illius animãtis, cuius gratia paratur à natura.

Corollarium.

¶ Ex dictis infertur, quod quãdo diximus in prima, & ſecunda cõcluſione, de ratione hæreſis eſſe, ꝙ ſit error contra doctrinam reuelatã, de qua cõſtet eſſe reuelatã, eſt intelligẽdũ, non ſolũ abſolute reſpectu Eccleſiæ, ſed etiã in particulari reſpectu illius, qui errat, taliter, qđ ſi ille qui errat circa materiã fidei, quacũq; ratione ignorat id eſſe reuelatũ nõ erit proprie hæreticus, nec eius error erit hæreſis dicẽdus admodum iam explicatũ.

¶ Tertia

¶ Tertia concluſio, Error contra doctrinam reuelatam non eſt hæreſis, niſi habeat adiũctam pertinaciam. Hæc eſt communis omniũ doctorum tam theologorum, quã iuriſperitorũ. Et probatur primò teſtimonijs D. Auguſtini quæ referuntur à gratiano in decretis. 24. q. 3. cap. dixit Apoſtolus. &. c. qui in Eccleſia. vbi id expreſſe docet. Item quotieſcunq; in ſacris canonibus aliquid diffinitur de fide, illi ſolũ damnantur hæretici, qui cõtrariũ dicere præſumpſerint aut qui contrarium pertinaciter affirmauerint, vt conſtat ex cap. damnamus. de ſum. Trini. & fide catho. & ex. c. fideli. eodẽ titu. libr. 6. ergo ſine præſumptione in aſſerẽdo, & pertinacia in affirmãdo hæreſis exiſtere non poteſt. Tertio, hoc ipſum probatur ex ipſo nomine. Nã hæreſis, vt ſuprà diximus eſt electio, ſed electio, vt docet D. Th. ſuper caput. 4. primæ epiſtolæ ad Corint. importat non vacillantẽ voluntatem, ſed firmam adhæſionem, ergo ſine pertinacia eſſe non poteſt. Et confirmatur, Hæreſis cõtrariatur fidei per omnia, ſed fides poſtulat firmã voluntatẽ ſimul cum aſſenſu veritatis reuelatæ, ergo hęreſis ſimiliter poſtulabit firmã voluntatẽ ſimul cum errore contra doctrinam reuelatã. Vltimò, Qui errat ſine pertinacia & eſt paratus corrigi ab Eccleſia non diſcedit à ratione credendi, ſcilicet, à doctrina Eccleſiæ, ergo formaliter non eſt hæreticus. De hac re eſt vidẽdus Caſtro de hæreſi libr. 1. cap. 9. & Cano libr. 12. de locis. cap. 9.

Dubium. ¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco, quid nam ſit, & in quo formaliter conſiſtat hæc pertinacia, quam diximus neceſſariam eſſe ad hæreſim conſtituendam. Nam quãuis hoc à multis fuerit dubitatum, à paucis tamen eſt explicatũ. *Sentẽtia Silueſtri.* Antonin⁹. 2. p. tit. 12. c. 5. & Sylueſter verbo hæreſis. 1. §. 2. dicunt pertinaciã, de qua loquimur, conſiſtere in eo, quod quis admonitus de ſuo errore, in illo perſeueret per longum tempus. *1. Argum.* Et probant ſuam ſententiã primo ex illo Pau. ad Tit. 3. Hæreticum hominem poſt vnam & ſecundam admonitionẽ deuita. Quibus verbis videtur ſignificare illum ſolum habẽdum hæreticũ, qui admonitus reſipiſcere noluerit. *2. Argum.* ¶ Secũdò, Nemo feritur excõmunicatione antequã admoneatur: ſed hæreticus eſt ipſo facto excõmunicatus, ergo ante admonitionem non eſt hæreticus: atque ex conſequenti nec pertinax. ¶ Turrecremata lib. 4. ſuæ ſummæ. cap. 16. vt explicet, quid ſit pertinacia multa dicit, quæ non ſatis explicant naturam illius.

1. Concluſio. ¶ Quo circa ad explicationẽ difficultatis propoſitæ ſit prima cõcluſio, Pertinacia ad hæreſim requiſita non conſiſtit in eo, ꝙ is, qui errat admoneatur de ſuo errore: & poſtquã fuerit admonitus per lõgum tempus in ſuo errore ꝑſeueret. Probatur, Eccleſia damnat vt hæreticos eos, quos comperit tenuiſſe ſcienter aliquid cõtra fidem, quanuis nec de ſuo errore fuerint ab aliquo admoniti, nec in eo perſeuerauerint per multum tempus, ergo hoc non eſt neceſſarium ad hæreſim. Secũdò, Si quis renitatur toti fidei dedita opera negando Chriſtum, licèt ſtatim reſipiſcat, cenſetur apoſtata, ergo, & qui ſciens & prudens negat aliquã propoſitionem fidei, quanuis per longum tempus in illa ſentẽtia non maneat, erit hæreticus, atq; ex cõſequenti, nec requiritur admonitio, nec diuturna perſeuerantia ad pertinaciam, ſine qua hæreſis eſſe non poteſt.

2. Concluſio. ¶ Secunda cõcluſio, Pertinacia, de qua in præſenti loquimur, proprie loquẽdo eſt voluntarius cõſenſus in eo, quod apertè cognoſcitur eſſe contrariũ doctrinæ Eccleſiæ. Hanc concluſionẽ tenet D. Th. ſuper. c. 11. primæ epiſtolæ ad Corint. lect. 4. & Cano libr. 12. de locis. c. 9. & Simancas in ſuis catholicis inſtitutionibus. c. 47. & Caietanus in præſenti. Et probatur, Hæreſis eſt formaliter cõtraria fidei, ſed fides perficitur aſſenſu intellectus, & voluntatis, ergo hæreſis ſimiliter perficitur diſſenſu intellectus, & cõſenſu voluntatis in errorem: atq; ex conſequenti pertinacia nihil aliud erit, quam voluntarius cõſenſus in eo, quod cognoſcitur eſſe contra fidẽ. Et confirmatur, Qui ſic voluntariè errat nõ eſt paratus corrigi ab Eccleſia, ſed qui nõ eſt paratus animo corrigi ab Eccleſia. eſt verus hæreticus, ergo in illo voluntario cõſenſu in errorem cõſiſtit pertinacia requiſita ad hæreſim. Item, vt aliquis ſit adulterij reus, ſatis eſt animus adulterãdi determinatus, ergo, & vt quis ſit verè hæreticus ſatis erit error cum animi deliberatione ſuſceptus: atq; ex conſequenti illa deliberatio erit ſufficiens ad pertinaciã.

Ad. 1. argu. ¶ Ad primum argumentum pro ſententia Antonini, & Syluestri, reſpondetur, quod ex verbis Pauli potius colligitur illum hominem ante admonitionem eſſe hęreticum, quam contrarium: dicit enim, Hæreticum hominem poſt vnam, & ſecundam admonitionẽ deuita. Vbi hæreticum eum appellat ante admonitionẽ, & ſolum

dicit eſſe vitandũ poſt admonitionẽ, & poſt quam fuerit admonitus, & non correctus: quia proculdubiò cõſortium talium hære ticorũ aptum eſt, vt perniciem afferat, vt diximus. q. 10. ar. 9. Vel ſecundo reſpondetur quod loquitur Paulus de euitatione in foro exteriori, in quo, vt aliqs dãnetur tãquã hæreticus, opus eſt, vt prius admoneatur.

Ad. 2. arg.

¶ Ad ſecundum reſpondetur, quòd hæretici ſufficienter ſunt admoniti à iure, nec opus eſt, vt amplius admoneantur ad hoc, vt excommunicationem incurrant.

Corollariũ.

¶ Ex dictis infertur qualiter ſit intelligenda diffinitio hæreſis à nobis poſita, qua diximus, hæreſim eſſe errorem contra doctrinam reuelatam in eo, qui fidem Chriſtianam profitetur. Eſt enim neceſſariũ, quod ſit error voluntarius contra eam doctrinã, quam quis ſcit eſſe reuelatam, aliâs nec hæreſis erit, nec ſic errans erit dicendus hæreticus.

obiectio.

¶ Et ſi quis obijciat Diuũ Hieronymum dicentem, quod ex verbis inordinatè prolatis incurritur hęreſis: & tamen huiuſmodi inordinata prolatio poteſt eſſe ſine errore, ergo hæreſis non eſt error:

Solutio.

reſpondetur, quòd hæc verba non inueniuntur in Diuo Hieronymo, quinpotius in epiſtola ad Damaſum de nomine hypoſtaſis, ex qua communiter hæc verba citantur, dicit, Non ex verbis ſed ex verborum ſenſu hæreſis incurritur. Cui conſonat illud D. Hilarij, Nõ ex ſcriptura, ſed ex intelligentia, hæreſis orta eſt. Et huius rei ratio eſt manifeſta, nam cum infidelitas ſit in intellectu, hęreſis, quę eſt eius ſpecies, neceſſario etiam in intellectu erit conſtituenda. Et ſic deficiente errore, quantumuis quis proferat inordinata verba, in ſuſpicionem quidem hæreſis, ſed non in hæreſim venire poteſt.

ARTICVLVS. II.

¶ Vtrum hæreſis ſit proprie circa ea, quæ ſunt fidei.

4. d. 13. q. 2 art. 1. ad. 6. Et. 1. Cor. 11 lect. 4. col. 2

AD SECVNDVM ſic proceditur. Videtur, quòd hæreſis nõ ſit proprie circa ea, quę ſũt fidei. Sicut enĩ ſunt hæreſes & ſectę in Chriſtianis, ita etiam fuerũt in Iudæis & Phariſęis: ſicut Iſido.* dicit in lib. Etym. ſed eorum diſſenſiones nõ erãt circa ea, quæ ſunt fidei, ergo hæreſis non eſt circa ea, quę ſunt fidei, ſicut circa propriam materiam.

Colligitur ex lib. 8. c. 3. 4. & 6. ſimul ſumptis.

2 ¶ Præterea, Materia fidei ſunt res, quæ creduntur: ſed hęreſis non ſolum eſt circa res, ſed etiã circa verba & circa expoſitiones ſacræ Scripturæ. Dicit enim Hierony* quod quicunque aliter Scripturam intelligit, quàm ſẽſus Spũs ſancti efflagitat, à quo ſcripta eſt, licet ab Eccleſia nõ receſſerit: tamen hæreticus appellari poteſt, Et alibi * dicit, quòd ex verbis inordinatè prolatis fit hæreſis, ergo hæreſis non eſt propriè circa materiam fidei.

Ad Gal. ca. 5. Sup. illud Hæreſes, inuidiæ & c. 9. habetur. 24. q. 3. hæreſis. Refertur. 4. Sent. diſt. 13 in fine.

3 ¶ Præterea, Etiam circa ea, quę ad fidẽ pertinent, inueniuntur quandoq; ſacri doctores diſſentire: ſicut Hieronymus & Auguſt. circa ceſſationẽ legalium: & tamen hoc eſt abſq; vitio hæreſis. Ergo hæreſis non eſt propriè circa materiam fidei.

¶ SED contra eſt, quod Auguſtin. dicit cõtra Manichæos,* Qui in eccleſia Chriſti morbidum aliquid prauumue quid ſapiunt, ſi correcti vt ſanum rectumque ſapiãt, reſiſtãt cõtumaciter, ſuàque peſtifera & mortifera dogmata emendare nolunt, ſed defẽdere perſiſtunt, hæretici ſunt. Sed peſtifera & mortifera dogmata non ſunt niſi illa, quæ opponũtur dogmatibus fidei, per quam iuſtus viuit, vt dicitur Ro. 1. ergo hęreſis eſt circa ea, quæ ſunt fidei, ſicut circa propriam materiam.

Li. 18. de Ciui. Dei. c. 51, circa pri. & c. 5. Et habetur 24. q. 3. ca. Qui in Eccleſia.

¶ RESPONDEO dicendũ, quòd de hæreſi nunc loquimur, ſecundum quod importat corruptionem fidei Chriſtianæ. Non autem ad corruptionem fidei Chriſtianæ pertinet, ſi aliquis habeat aliquam falſam opinionem in his quæ non ſunt fidei, puta in Geometricalibus, vel in alijs huiuſmodi, quæ omnino ad fidẽ pertinere non poſſunt, ſed ſolum quando aliquis habet falſam opinionem circa ea quæ ad fidem pertinent. Ad quam aliquis pertinet dupliciter, ſicut ſupra dictũ * eſt. Vno modo directè & principaliter: ſicut

Ar. præ. & q. 4. 6. ad. 1. & 2. art. 5.

cut articuli fidei. Alio modo indirectè & ſecundario: ſicut ea, ex quibus ſequitur corruptio alicuius articuli. Et circa vtraq; poteſt eſſe hæreſis eo modo quo & fides.

De hæreſi Phariſæorũ Ioſ. lib. 18. Antiq. c. 2

¶AD PRIMVM ergo dicendum quòd ſicut hæreſes Iudæorum & Phariſæorum erant circa opiniones aliquas ad Iudaiſmum vel ad Phariſæos pertinentes: ita etiam Chriſtianorum hæreſes ſunt circa ea quæ pertinent ad fidem Chriſti.

¶Ad ſecundum dicendum, quòd ille dicitur aliter exponere Sacrã ſcripturam quàm Spiritus ſanctus efflagitat, qui ad hoc expoſitionem Sacræ ſcripturæ retorquet, quod contrariatur ei quod eſt per Spiritum ſanctum reuelatum. Vnde dicitur Ezech.: 3. de falſis prophetis, qui perſeuerauerunt cõfirmare ſermonem, ſcilicet, per falſas expoſitiones ſcripturæ. Similiter etiã per verba, quæ quis loquitur, ſuam fidẽ profitetur: eſt enim confeſsio actus fidei, vt ſupra dictum * eſt. Et ideo ſi ſit inordinata locutio circa ea, quæ ſunt fidei, ſequi poteſt ex hoc corruptio fidei. Vnde Leo papa in quadam epiſt. ad Proceriũ Epiſcopum Alexandrinũ, dicit, quòd inimici crucis Chriſti omnibus factis & verbis noſtris inſidiantur, vt ſi vllam illis vel tenuẽ occaſionem demus: nos Neſtoriano ſenſui etiam congruere mentiantur.

Q. 3. art. 3.

¶Ad tertium dicendum, quòd ſicut Auguſt. dicit * & habetur in Decret. 24. quæſt. 3. c. Dixit Apoſt. Si qui ſententiam ſuam quanuis falſam atq; perverſam nulla pertinaci animoſitate defendunt, quærunt autem tota ſolicitudine veritatem, corrigi parati cum inuenerint, nequaquam ſunt inter hæreticos deputandi: quia, ſcilicet, non habent electionem contradicentem Eccleſiæ doctrinæ. Sic ergo aliqui doctores videntur diſſenſiſſe, vel circa ea, quorum nihil intereſt ad fidem, vtrũ ſic vel aliter teneantur, vel etiam in quibuſdam ad fidem pertinentibus, quæ nondum erant per Eccleſiam determinata. Poſtquam autem eſſent autoritate vniuerſalis Eccleſiæ determinata, ſi quis tali ordinationi pertinaciter repugnaret, hæreticus cenſeretur. Quæ quidem authoritas principaliter reſidet in ſummo Pontifice. Dicitur * enim vigeſimaquarta quæſtione prima. Quotiens fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres noſtros & coepiſcopos non niſi ad Petrum, id eſt ad ſui nominis authoritatẽ referri debere. Contra cuius authoritatem nec Hierony. nec Auguſtin. nec aliquis ſacrorum Doctorum ſuam ſententiam defendit. Vnde dicit Hierony. ad Damaſum papam. Hæc eſt fides, Papa beatiſsime, quam in catholica didicimus Eccleſia: in qua ſi minus perite aut parum cautè forte aliquid poſitum eſt, emendari cupimus à te, qui Petri fidem & ſedem tenes. Si autem hæc noſtra cõfeſsio Apoſtolatus tui iudicio comprobatur, quicunque me culpare voluerit, ſe imperitum vel maleuolum, vel etiam non catholicum, non me hæreticum comprobabit.

Augu. epi. 102. in pri. illius to. 2. et habetur. 24. q. 3. ca. Dixit Apoſto.

24. q. 1. capi Quotieſcunque.

Hiero. in expoſ. ſymboli ad Damaſ. in fine illius to. 2. habetur. 24. q. 1. ca. hæc eſt fides.

SVMMA TEXTVS.

CONcluſio, Hæreſis verſatur circa ea, quæ vel directè, vel indirectè pertinent ad fidem. Probatur, Hæreſis in præſenti diſputatione ſignificat corruptionem fidei, ſed fides non corrumpitur, niſi per errorem circa ea, quæ directè, vel indirecte pertinẽt ad fidem, ergo hæreſis tantum verſatur circa ea, quæ, vel directè, vel indirectè pertinent ad fidem.

EXPLICATIO ARTICVLI.

CIrca iſtum articulum, in quo de materia hæreſis eſt diſputatio, aduertẽdum eſt primo ex D. Bonauentura in 3. diſt. 25. art. 1. q. 1. quod ſicut in alijs ſcientijs ſunt quædam principia cõmunia, quæ dicuntur dignitates, alia propria & intrinſeca vniuſcuiuſq; ſcientiæ, & alia cõſequentia, vt ſunt concluſiones, quæ ex proprijs principijs deducuntur. Ita etiam in doctrina fidei ſunt quædam principia communia, qualia ſunt

1. Notabile.

illa, quæ lumine rationis cognoſci poſſunt: vt Deum eſſe vnum, bonum, ſapientē, &c. alia propria, vt articuli fidei, ad quos immediate fides inclinat, & alia cōſequentia, quę ex ipſis articulis per euidentem conſequentiam inſeruntur. Et ſicut fides verſatur circa hoc triplex genus credibilium, ita etiam hæreſis poteſt verſari circa eadē credibilia.

2. Notabile. ¶ Secundo eſt aduertendum ꝙ Turrecremata lib. 4. ſuæ ſummæ. c. 9. refert octo gradus, ſeu genera propoſitionum catholicarū à quibus quicūq; diſſentiēs erit dicēdus hęreticus. Primus eſt earum, quæ expreſſe cōtinētur in ſacra ſcriptura. Secundus earum, qui ex contentis in ſcriptura manifeſtè inferuntur. Tertius earum, quas Apoſtoli à Chriſto, & Eccleſia ab Apoſtolis accepit. Quartus earum, quæ in concilijs generalibus ſunt definita de fide. Quintus earum, quæ per ſedem apoſtolicā ſunt de fide propoſitæ fidelibus. Sextus earum, quæ de fide tenendæ à doctoribus approbatis per Eccleſiam vnanimiter traditæ ſunt, etiā ſi nec in ſacris literis expreſſe contineantur nec à concilijs, aut pontificibus fuerunt definitæ. Septimus earū, quæ ex tertio, quarto, quinto, & ſexto gradibus inferuntur per bonam conſequentiam. Octauus earum, quæ non ſunt de fide, ſed ſapiunt fidē: qualis eſt hęc, vt ipſe dicit. Hoc eſt verum concilium, hic eſt Papa.

3. Notabile. ¶ Sed, vt hoc facilius intelligatur, aduertēdū eſt tertio, q̄d res fidei dupliciter poſſunt conſiderari, vno modo ſecundū ſe, alio modo quo ad nos. Si conſiderentur ſecundū ſe, illæ omnes & ſolæ res dicuntur pertinere ad fidem catholicam, quæ à Deo fuerint reuelatæ: ſiue immediate, quales ſunt illæ, quæ ab ipſo Deo expreſſe traditæ ſunt, ſiue mediate, quales ſunt illæ, quę ex reuelatis per euidentem conſequentiam inferuntur. Si autem conſiderentur quo ad nos, nō omnes illæ res erunt de fide, ſed illæ tantū, quę ſunt à Deo reuelatę, & quas eſſe reuelatas conſtat nobis infallibili aliquo teſtimonio. Quatuor autem ſunt quę omnino infallibiliter poſſunt nos cōuincere aliquid eſſe à Deo reuelatum, ſcilicet, Sacra ſcriptura, Apoſtolica traditio, Eccleſię autoritas, quę conſtat tam diffinitione generalis concilij, quam Summi Pontificis, & euidentia rationis, vnū ex altero deducentis. Ex quo fit, vt omnes illę res, quę quo ad nos ſunt de fide, ad quatuor tantum genera reduci poſſunt. In primo continentur illæ res, quę expreſsè continentur in ſcriptura. In ſecundo illæ, quæ nobis ab Apoſtolis oretenus traditæ ſunt. In tertio illæ, quas Eccleſia veritatis columna, & firmamentum definiuit eſſe de fide. In quarto, & vltimo, omnes illæ res, quæ ex ſuperioribus per euidentem conſequentiam inſeruntur.

¶ Sed contra iſtud quartum genus eſt argumentum: & probo falſum eſſe, quod illæ propoſitiones, quę ex reuelatis deducūtur per euidentem cōſequentiam ſint de fide. Illæ pertinent ad Theologiam, vt omnes Doctores fatentur, aſſentimurque illis per habitum ſcientificum, ergo nō ſunt de fide. *1. Argum.* ¶ Secundo ſi illæ propoſitiones eſſent de fide, ſequeretur quod quicunque illas negaret eſſet hæreticus, conſequens autem eſt falſum, ergo. Probo minorem. Qui negaret hanc propoſitionem, Chriſtus eſt riſibilis, vel quia non percipit vim huius conſequentiæ, omnis homo eſt riſibilis, Chriſtus eſt homo, ergo Chriſtus eſt riſibilis, vel quia exiſtimat falſum eſſe quod omnis homo eſt riſibilis: non eſſet hæreticus, ergo illæ propoſitiones, quæ ſequuntur ex reuelatis non ſunt de fide. *2. Argum.*

¶ His tamen non obſtantibus dico certū eſſe, quod propoſitiones quarti generis abſolute loquendo ſunt cenſendæ de fide. Primo quia ſunt reuelatæ à Deo ſaltim mediate, & fides verſatur circa ea, quæ à Deo ſunt reuelata. Secundo, nam in concilio Conſtātinopolitano ſexto damnati ſunt tanquam hæretici illi, qui negabant in Chriſto volūtatem humanam pręter diuinam, & nō ob aliam cauſam, niſi quia iudicabat conciliū hoc colligi euidenter ex altera propoſitione expreſsè in ſacris literis cōtenta, ſcilicet, in Chriſto ſunt duæ naturæ, diuina, & humana, ergo illæ propoſitiones, quę ſequuntur ex reuelatis ſunt de fide. Tertio, quia cū talium propoſitionū aſſenſus cauſetur ab aſſenſu præmiſſarum, ad quarum alterā fides immediatè inclinat, manifeſte ſequitur quod eadē fides ſaltim mediatè inclinabit ad illas. Cum hoc tamen ſtat quod qui negaret propoſitionē quarti generis, nō quia dubitat de præmiſſa fidei, ſed quia iudicat conſequentiā non eſſe neceſſariā, vel quia exiſtimat eſſe falſam pręmiſſā naturale nō eſſet proprie hæreticus, vt rectè ꝓbat argumētū factū: nihil enim tūc ſupnaturale negaret. Verū tñ eſt, ꝙ ſi homo ille tut[illegible]er admonitus de bonitate cōſequētiæ, & de veritate alterius pręmiſſę, adhuc perſiſteret *Propoſitiones deducta ex alijs de fide, ſunt de fide.*

in

in ſuo errore, merito damnandus eſſet tanquam hæreticus: quia iure præſumeretur negare, non præmiſſam, quæ lumine naturali eſt nota, ſed illam, quæ cognoſcitur lumine fidei. Per hoc patet ſolutio ad ſecũdum argumentum. Ad primũ reſpondetur quod propoſitiones quarti generis, quãuis immediate pertineant ad Theologiam, mediate tamen pertinent ad fidem propter rationes iam dictas.

Ad. 1. arg. & ad. 2.

4. Notabile.

¶Quarto eſt aduertendũ, ꝙ quanuis loquendo de propoſitionibus repugnãtibus fidei ſecundũ ſe conſideratis, non ſit in illis generũ diuerſitas, ſed omnes ſecũdũ ſe ſunt hæreticæ cũ ab homine baptizato proferũtur, tamen loquẽdo de illis quo ad nos, diuidi poſsũt in plura genera, pro vt magis, aut minus poteſt nobis conſtare illas pugnare cũ propoſitionibus fidei. Vnde ſecundum iſtam conſiderationẽ quædã propoſitiones dicuntur hæreticæ, aliæ erroneæ, aliæ temerariæ, aliæ ſapientes hæreſim, aliæ ſcandaloſæ, aliæ ſeditioſæ. Et conſtat itá eſſe ex ſeſſione. 8. concilij Conſtantienſis: vbi dãnantur quadraginta quinq, propoſitiones Ioãnis Vvitcleff ſub diuerſis cenſuris, aliæ vt hæreticæ, aliæ vt erroneę, alię vt temerarię. Ex quo infertur falſum eſſe, quod Turrecremata lib. 4. ſuæ ſummę. c. 11. affirmat, nẽpe propoſitionẽ hæreticam in nulla re ab erronea differre.

Dubium

¶Et ſi quis quærat, penes quid hæ duæ propoſitiones, hæretica, ſcilicet, & erronea differant inter ſeſe: reſpõdet Caſtro lib. 1. de iuſta hære. punitio. c. 11. dicens, quod differunt penes hoc, quod propoſitio hæretica principaliter & directe eſt contra doctrinã ſupernaturalẽ, & reuelatã, erronea vero contra illã doctrinã, quæ quãuis ſit reuelata, poteſt tamen ratione naturali cognoſci, vt Deum eſſe vnũ, bonum, &c. Cæterũ hæc ſententia eſt apertè falſa: & ex ea ſequeretur has propoſitiones, Deus non eſt vnus, non eſt omnipotens, & reliquę id genus, nõ eſſe hæreticas q̃d eſt abſurdũ, & contra cõmunẽ ſenſum omniũ Theologorũ. Quocirca, vt hoc perfectè intelligatur operępretiũ erit, vt de ſingulis his generibus propoſitionum ſeorſum dicamus.

Sententia Caſtri.

Quæ ſit propoſitio hæretica.

¶Et primo de propoſitione hæretica: quę vt conſtat ex ſuperioribus, nihil aliud eſt, quam propoſitio apertè repugnans vni ex illis quatuor generibus, in quibus collocauimus propoſitiones de fide quo ad nos. Nempe quæ aperte contrariatur, aut rebus expreſſe contẽtis in ſcriptura, aut illis, quas ab Apoſtolis accepimus, aut illis, quas Eccleſia diffiniuit, aut deniq; illis, quæ ex ſuperioribus per euidentẽ conſequentiã inferuntur. Quod eſt intelligendum dũmodo talem propoſitionem concomitentur pertinacia, & cognitio reuelationis illius, vt diximus articulo præcedenti.

¶Sed eſt aduertendũ, ꝙ aliud eſt hæreſis, & aliud propoſitio hæretica. Nam hæreſis pertinet ad notitiam iudicatiuã: eſt enim diſſenſus circa veritatem catholicã: at vero propoſitio hæretica pertinet ad notitiã apprehenſiuã, in qua cõpoſitio, & diuiſio inuenitur. Ex quo ſequitur quod doctores vni propoſitioni hæreticæ nomen hæreſis tribuẽtes minus proprie loquuntur, cum nõ hæreſis, ſed propoſitio hæretica ſit appellanda.

Nota. 1.

¶Secundo eſt aduertendum, ꝙ propoſitiones fidei repugnantes, ſi conſiderentur ſecundum ſe, & abſq; vllo ordine ad proferentẽ, appellari debent contrariæ fidei, quoniam cũ illa pugnant, & non poſſunt appellari aut hæreticæ, aut perfidæ, aut paganæ, ſed iſtæ appellationes conueniunt illis per ordinẽ ad proferentẽ. Nam ſi iſta propoſitio, Mortui non reſurgunt, proferatur ab hæretico, erit hęretica, ſi à Iudæo, perfida, ſi à pagano, gẽtilis. Ex quo infertur, quod ad propoſitionẽ hæreticam hæc omnia requiruntur, quod ſit contra doctrinã fidei, quam conſtat eſſe reuelatam, & quod proferatur ab homine profitẽte Chriſtũ, vel actu mẽtis, vt faciunt hæretici, vel charactere, vt faciũt apoſtatæ.

Nota. 2.

¶Propoſitio ſapiens hæreſim eſt illa, ex qua ſimul, & ex vna alia, quæ cum non ſit de fide non poteſt rationabiliter negari, infertur propria hæreſis, vel quæ ſequitur ex hæreſi ſimul, & ex vna alia quæ rationabiliter negari nõ poteſt, vel quæ in cõſequẽtia ſyllogiſtica, ſiue enthymematica, quæ rationabiliter negari non poteſt, ſequitur ex hęreſi, aut ex ea ſequitur hęreſis, vt optime declarat Cordoua in ſuo quæſtionario quæſt. 17. §. 8. Et hoc eſt verum conſiderando ipſas propoſitiones ex parte ipſarum abſolute, vel ex parte obiecti. Nam ex parte ſubiecti poteſt etiam dici propoſitio ſapiens hæreſim illa, quæ cum duplicẽ habeat ſenſum, vnum catholicum, & alterum hæreticum, profertur ſine explicatione, vel ab homine parum probatæ fidei, vel eo tempore, quo de ea re exiſtũt hæreſes. Vt ſi quis de hæreſi Pelagiana ſuſpectus, diceret, philoſophos in lege naturę potuiſſe ſaluari. Nec hoc mirũ eſſe debet. Nã quem-

Propoſitio ſapiens hæreſim.

quemadmodum eadem aqua ex diuerſitate vaſorũ, aut locorum per quæ trãſit, diuerſum ſaporem, vel dulcem, vel amarum, vel ſalſum, vel vinaceum contrahit: ita etiã poteſt contingere, quod eadẽ propoſitio a catholico prolata catholica, & ſapiens fidem, & ab hæretico ſapiens hæreſim dicatur.

Propoſitio erronea.

Sententia Melchioris Cano.

¶ Propoſitio erronea in fide multipliciter à doctoribus accipitur. Nã Cano de locis lib. 12. c. 6. & latius. c. 11. dicit eã quadrupliciter accipi poſſe. Primo pro omni propoſitione hæretica materialiter tantũ, qualis eſt illa, quæ eſt ſine pertinacia. Et ratio illius eſt, quia error etiam in materia fidei in ſolo intellectu inuenitur, cum tamen hæreſis proprie & formaliter etiam ſit à pertinacia voluntatis. Secundo modo, propoſitio erronea in fide eſt illa, quæ ſic opponitur catholicæ veritati, quã tenet Eccleſia, quod non opponatur ipſi fidei, nec illam tollat, ſed eam obſcurat, & infirmat. Quod, vt explicet aduertit, quod catholicæ veritates ſunt in duplici differentia. Quædam enim ſunt, quæ ita ad fidem pertinet, vt illis ſublatis fides etiam ipſa tollatur: quales ſunt articuli fidei. Aliæ vero ſunt, quę quãuis vniuerſales ſint, quia eas vniuerſa tenet Eccleſia, non tamen illis ſublatis aufertur fides, quãuis obſcuretur, & infirmetur. Vt eſt dicere, quod orationes ſpeciales applicatę per prælatos vni perſonæ non proſunt illi magis quam generales, & ꝙ ſacerdos in memento non debet aliquid ſpecialiter petere à Deo. Item quod religioſi tenentur labore corporali victum quærere, nec eis licet mẽdicare, & quamplures aliæ ſimiles propoſitiones, quarum contrarias omnes catholici ſine dubio veras eſſe exiſtimant. Hoc ſuppoſito dicit, quod propoſitiones, quæ huius ſecundi generis veritatibus contradicũt, ſunt erroneæ & non hæreticæ, vt pote quæ doctrinę catholicę, & nõ fidei aduerſantur. Tertio modo propoſitio erronea in fide eſt illa, quæ eſt cõtra aliquam veritatem ex illis, quæ ſecundum vehementem omniũ ferè ſapientium opinionẽ ſunt, vel cenſentur veritas fidei, non tamẽ ſunt ab Eccleſia diffinitæ, nec certa probatione demonſtratæ. Quarto modo ꝓpoſitio erronea in fide eſt illa, quę certè & manifeſtę veritati fidei aduerſatur, non tamen aperte ſed ſecundum omniũ ferè ſapientum valde probabilẽ ac ferme neceſſariã ſententiam, vel opinionẽ. Nam grauiter errat, qui pertinaciter defendit, quod oẽs viri docti ſentiunt eſſe periculũ, & diſcrimẽ fidei. Hæc Cano vbi ſupra. Sed ſaluo meliori iudicio nõ cõuenienter explicat naturã ꝓpoſitionis erroneæ: nã erronea primo modo, ex natura ſua eſt hęretica propoſitio: quãuis materialiter accipiatur: & erronea aliis tribus modis, potius ſapiens hæreſim aut temeraria erit dicenda. Quo circa m[illegible]s ꝓprie, & verius dicimus, quod propoſitio in fide erronea eſt quæ in materia fidei, & morũ eſt contra rectam rationẽ, vt contra aliquam veritatem catholicã non aperte, ſed iuxta cõmunem Doctorum ſententiã. *Nota.* Quod vt intelligamus aduertendũ, quod propoſitio falſa, propoſitio erronea ſimpliciter, propoſitio erronea in fide, & propoſitio hæretica, valde differũt inter ſe. Nã propoſitio falſa eſt, quæ aliter ſignificat quã eſt à parte rei, & conuenit omni facultati in quacunq; materia. Erronea autẽ abſolute eſt propoſitio falſa ſimul, & contra rectam rationẽ, vel ſenſum cõmunẽ ſapientum in vnaquaq; facultate: in qua ſignificatione dicitur propoſitio erronea in Logica, in Philoſophia, in Medicina, & Theologia. Erronea vero in fide eſt quę in materia fidei & morum eſt contra rectã rationem, vel contra veritatem catholicam, non apertè ſed iuxta cõmunem Doctorum ſententiã, vt antea dicebam. Differtq; hæc propoſitio erronea in fide a propoſitione hæretica in eo, ꝙ propoſitio hæretica eſt cõtra id, quod aperte conſtat eſſe de fide, at vero propoſitio erronea eſt cõtra id quod nõ ſatis cõſtat eſſe de fide. Et ſi quis quęrat in quonam differt propoſitio erronea in fide, à propoſitione hæreſim ſapiente, reſpondetur, quod differunt in hoc, ꝙ propoſitio erronea eſt in materia fidei, vel morũ contra rationem manifeſtam, vel contra reuelata non quidem expreſſe, ſed ſecundum cõmunem, & certũ doctorũ ſiue ſapientũ ſenſum, vel intellectũ: at vero ſapiẽs hæreſim eſt cõtra reuelata, ſecundũ probabilẽ rationẽ, vel ſequelam, aut ſententiã probabilẽ ipſorũ.

Propoſitio temeraria.

¶ Propoſitio temeraria eſt, quæ non de errore, nec de hæreſis ſuſpicione, ſed de temeritate, & impudentia notatur. Et eſt ea, quę in doctrina fidei, vel morũ inſolẽter, & nimis audaciter ſine ſufficiẽti motiuo, vel ꝓbatione ꝓfertur. Et eſt duplex. Vna quæ aſſerit pro certo id, qđ nulla ratione, vel auctoritate probari poteſt, etiã ſi [illegible] eſſe verũ, quia ad id aſſerẽdũ nulla ratio ꝓbabilis vel autoritas ſufficiẽs habetur. Vt ſi quis dicat, quod abhinc ad tot annos mundus finietur,

nietur, vel ꝙ iſte, vel ille eſt præſcitus, vel prædeſtinatus. Altera, quæ ſine ſufficienti ratione, vel autoritate manifeſta, eſt contra aliquos doctores ſanctos per Eccleſiam approbatos, vel contra cõmunẽ doctrinam ſanctorũ, ſiue doctorũ approbatorũ, aut cõtra decretũ, vel cẽſurã cõmunẽ alicuius vniuerſitatis celebris in Eccleſia, puta Pariſienſis, Salmanticenſis, Cõplutenſis, & à fortiori erit temeraria, quæ eſt contra cõmunẽ, & firmã ſententiã omniũ Theologorũ in fide, & moribus, vt latè probat Cano lib.8.de locis.c.4.& lib.12.c.11. Similiter eſt temeraria propoſitio, quæ ſine manifeſta & ſufficiẽti ꝓbatione eſt cõtra aliquã hiſtoriã, legẽdã, aut reuelationẽ, per oẽs fere, aut per plures cõmuniter ſapiẽtes, aut per Eccleſiã approbatã, ſiue ſuſceptã vt pie & probabiliter credendã ſiue tenendã: aut quę eſt contra ritũ, vel conſuetudinẽ alicuius Eccleſię catholicæ. Et hæc propoſitio temeraria ſecũdo modo dicitur etiã impudẽs, & inſolens: ſoletq; grauiter puniri ab inquiſitoribus hæreticæ prauitatis, ad quos propriè eius punitio pertinet, vt pote quæ vix caret errore, & hęreſis ſuſpicione.

Propoſitio ſcandaloſa.

¶Propoſitio ſcandaloſa eſt, quæ etiã ſi ſit vera ſcandalũ, vel occaſiõnẽ ruinæ, ſiue peccati præſtat auditorib⁹, & maxime ſimplicibus & infirmis. Vt eſt narratio incõmodorum confeſsionis ſacramẽtalis, quã facit Eraſmus, & narratio, vel fictio peccatorũ occultorũ religioſorũ, vel põtificũ in vulgus, q̃a inde fideles remouẽtur à cõfeſsione & religionũ deuotione, & ſuperiorum obedientia, & tandem à fide.

Propoſitio periculoſa.

¶Propoſitio periculoſa eſt illa, quę abſolute, & generaliter dicit, licitũ eſſe, & fieri poſſe id, qđ non niſi vix ab aliquibus, & cũ multis circumſtantijs fieri poteſt. Vt dicere quod homo ſolus cum ſola in lecto manere, aut diu cum mulieribus conuerſari licite poteſt: item, quod ſine ieiunijs homo poteſt eſſe perfectus.

Propoſitio ſeditioſa.

¶Propoſitio ſeditioſa eſt, quæ viã parat ſeditionibus, aut factionibus. Vt dicere, ꝙ quilibet tyrannus poteſt licitè occidi per quemlibet ſibi ſubditum. Quæ propoſitio etiam vt hæretica dãnata fuit contra Vvitcleff & Ioannẽ Hus in concilio Conſtantienſi ſeſsio.8.& 15. Nam vltra hoc quod eſt hęretica, eſt etiam ſeditioſa, vtpote aperiens viã ſeditionibus, & factionibus in populo. Nec eſt incõueniens quod propoſitio hæretica etiã ſeditioſa dicatur, quia vt docet Caſtro lib.1.de iuſta hæretico.punitio.c.4 aſta varia genera propoſitionũ nõ ſic ſunt abinuicẽ diſtincta, & ſeparata, vt nõ poſsint vni & eidem aſſertioni cõuenire: poteſt enim eadem aſſertio multis notis maculari. Nam illa propoſitio Vvitcleff, Religioſi viuentes in priuatis religionibus non ſunt de religione Chriſtiana, ſimul eſt hæretica, ſcandaloſa, temeraria, & iniurioſa.

Propoſitio iniurioſa.

¶Propoſitio iniurioſa eſt, quæ in aliquẽ aſſerta irrogat ei iniuriã, irriſionẽ, vel cõtumeliã. Vt ſi quis dicat, ꝙ Papa eſt Antichriſtus, & cardinales eius miniſtri.

Propoſitio male ſonans.

¶Propoſitio male ſonans & piarũ auriũ offenſiua eſt, quæ bonũ & malum ſenſum habere poteſt, & quę cũ expreſſa modificatione eſt vera, & bene ſonans, tamen abſolute prolata accipitur in malo ſenſu. Vt ſi quis dicat, quod Deus creat aut facit malũ, aut quod Deus non facit malũ. Nam quanuis vtraq; contradictoria cõtineatur in ſcriptura, condẽnatur tamen à D. Auguſt. in li. de hæreſi.c.65, & c.67. & ab Iſidoro. 24.q.3. c. vltimo, niſi cũ limitatione dicatur, ſcilicet, quod Deus facit malũ pœnæ, & non facit malũ culpæ, nec naturã eſſentialiter malã. Et nota, ꝙ illæ dicuntur pię aures, quę rectè callent ſenſum propoſitionis auditæ, & quæ ſimul rectè de fide & moribus ſentiũt. Ex quo fit, quod ſi talibus auribus propoſitio male ſonat, propoſitio male ſonans dicẽda ſit. Sunt & aliæ notæ, & qualitates propoſitionum, quibus aliquæ dicuntur præſumptuoſæ, aliæ ſuperſtitioſæ, aliæ vanæ, aliæ inſanæ, aliæ ſcrupuloſæ, de quibus videndus eſt Corduba lib. 1. ſui quæſtionarij. quæſt.17.

Primum dubium de homine hæretico.

¶Dicto iam de propoſitionib⁹ hæreticis ſupereſt, vt de ipſo homine hæretico dicamus. Circa qđ eſt primũ dubiũ vtrùm ille, qui nõ animo, ſed ſolũ verbo, aut opere exteriori aliquid dicit, aut agit cõtra fidem ſit hæreticus. Et pro parte affirmatiua eſt argumentum.

Argumẽtũ.

Eccleſia huiuſmodi hominem iudicat, vt hæreticum: nam in.c. cõtra Chriſtianos de hæreticis in.6. damnatur, vt hęreticus qui cæremonijs Iudaicis vſus fuerit, & in cap. quiſquis. 2.q.1. qui cõmiſerit ſimoniam, & certum eſt quod vtrumq; in opere exteriori conſiſtit, ergo.

Sententia autoris.

¶Hoc tamen non obſtante dico nõ eſſe formaliter hæreticũ, niſi illũ, qui mẽte ſeu animo affirmat aliquã ſententiam contra fidem. Probatur, Fides non conſiſtit ſolum in oris confeſsione, ſed præcipue in aſſenſu mentis: iuxta illud Pauli ad Rom.10. Corde creditur

de creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem: ergo hæreſis ſimiliter nõ conſiſtit in verbo, aut opere exteriori, ſed præcipue in diſſenſu cordis: atq; ex conſequenti non erit vere hæreticus, niſi qui animo aſſeruerit aliquam propoſitionem fidei contrariam.

Ad argum. ¶ Et ad argumentum in cõtrarium factum reſpõdet Syluester, verbo, hæreſis.1. §.5. quod ius appellat illis in locis eos homines hæreticos non proprie ſed large modo. Vel ſecundo reſpondetur, quod dicuntur hæretici tantum ex præſumptione iuris. Vnde ſi iudicibus fidei conſtaret illos non ex errore, ſed ex cupiditate, vel aliqua animi perturbatione id feciſſe, non cõdemnarent eos vt hæreticos. Ita affirmat Syluester loco citato, & Turrecremata lib. 4. ſuæ ſummę partem. cap. 1. & 13. & Antoninus par. 2. ti. 12. §. 4. & Paludanus in. 4. d. 13. q. 1. Cæterum, quia, vt dicit Sapiens, geſtus hominis, & riſus dentium iudicant de illo, fit, vt ex factis hæreticorum cuuueniẽtiſsime inquiſitores ſumant præſumptionem ad iudicãdum illos, vt hæreticos. Nam quamuis formaliter loquendo hæreſis tantum ſit in intellectu, tamen opus externũ etiam quodãmodo dicitur hæreſis, hoc eſt, effectus, & opus ex hæreſi procedens.

Dubium. ¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco quænã ſint illa facta, ex quibus inquiſitores poſſunt hæreſim colligere? Ad quod Magiſter

Sẽtẽtia Soti. Soto in relectione de hęreſi. dicebat, aliqua eſſe opera mala, quæ aliquãdo fuerunt probata, vel laudata ab aliquo hæretico, vt circuncidere puerum, adorare Mahometum: & qui hæc fecerit meritò erit ſuſpectus de hæreſi. Alia opera ſunt, quæ non ſunt laudata ab hęreticis, vt fornicatio, adulterium, & qui hæc fecerit non poteſt eſſe ſuſpectus de hæreſi. Sed hæc ſententia eſt aperte falſa.

Impugnatur Soto. Ex ea enim ſequeretur quod propter quodlibet peccatum mortale eſſent homines ſuſpecti de hæreſi, cum nullum fermè ſit quod non ſit probatum, & laudatum ab aliquo hæretico, vt patet inductione. Nam Nicolaus ſocius beati Stephani probauit adulterium, vt habetur. 24. q. 3. cap. quidã autem. & fornicationem ſimplicem probauerunt Græci, vt autor eſt Guido Carmelita de hæreſibus cap. 21. Quinimo peccatũ contra naturam probauerunt Valdenſes, vt dicit idem Guido. c. 18. & multa alia poteſtis videre in Alphonſo à Caſtro lib. de iuſta hæret. punitione. c. 1.

Sent ntiaau toris, ¶ Quo circa hac ſententia omiſſa aliter ad difficultatem reſpondetur, notando eſſe quædam opera, ad quæ omnes homines cõmuniter proni ſunt, & procliues, & in quę etiam contradicente conſcientia, & ſcientes mala eſſe, & peccata, præcipites labũtur: vt ſunt carnales voluptates, diuitiarũ cupiditas, honoris appetitus. &c.

Primum dictum. Et de his dico primo quod quantũcũq; in illis homo peccaret, non poteſt eſſe notabiliter de hæreſi ſuſpectus, niſi aliunde iuſta ſuſpicio oriatur. Et ratio eſt, quia cũ ad peccata prædicta ſufficienter homo inſtigetur ex parte appetitus, & voluntatis, & quamuis ſciat illa eſſe mala, non tamen ea cõmittere reformidat motus à ſenſualitate, nõ eſt opus ad errorẽ intellectus recurrere. Dixi, niſi aliũde iuſta ſuſpicio oriatur, quia poteſt cõtingere etiã in prædictis peccatis, ꝙ ex aliqua circũſtantia oppoſitũ iudicemus. Vt ſi ſacerdos aliquis, vel religioſus uõ ſacerdos publice matrimonium cõtraheret: is licet ex actu carnali non poſſet eſſe ſuſpectus de hæreſi, tamẽ propter matrimonium publicè adiunctum dignè præſumeretur hæreticus, vt pote qui malè ſentit de ſacramẽtis, & votis Eccleſię, vt rectè docet Simancas in Enchiridiu violatæ religionis tit. 12. Dico tamen quod ſi is clam matrimonium contraheret, non eſſet ita vehementer ſuſpectus de hæreſi; ſed poſſet iudicari id feciſſe, vt hac via mulierem deciperet, quam alia via ita cõmode decipere nõ potuiſſe exiſtimauit. Et idẽ dicẽdũ eſt de eo, qui viuente priori vxore aliam ducit. Alia ſunt opera, ad quæ homo nõ inclinatur à ſuo appetitu, imo illã voluntas naturaliter refugit, nec illa cõmittit homo, niſi motus à vehemẽti paſsione, vel errore intellectus, vt ſunt occiſio ſui ipſius, abſciſsio mẽbri principalis.

2. Dictum. Et dę his dico ſecũdo, quod quãdo talia opera fiunt, inquirendũ eſt an præceſſerit aliqua vehemens paſſio, quæ hominẽ ad tam horrendum ſcelus perpetrandũ impulerit. Et ſi reperitur præceſsiſſe, cõmittens talia iudicandus erit peccaſſe ex paſsione, & ex infirmitate, & non ex errore intellectus. Vt ſi quis tędio tentationis victus in odium libidinis ſibi virilia amputaret, quo modo cõmuniter operãtur homines deſperati, qui regulariter, nõ peccant cõtra fidẽ, ſed ex paſsione, & puſillanimitate, vt docet D. Tho. infra. q. 20. art. 2. Si autem conſtiterit hoc non fieri ex paſsione, tunc ſuſpicandum erit, quod id faciunt homines ex errore, qui crediderunt licitum fuiſſe id facere, quod eſt hęreſis. Tertia ſunt

ſunt opera, ad quæ voluntas, nec ex ſe mouetur, nec illa reſiſtit, ſed indifferenter ſe habet ad illa: qualia ſunt cæremoniæ Iudaicæ, & ritus Saracenorum, & alia huiuſmodi, quæ cum ex ſe nihil habeant, quo poſſint aut voluntatem allicere, aut fugare, cũ iſta fiunt ab homine, credendum eſt ea facere ab intellectu præcipuè per motũ. Et de his dico tertio, quòd cũ homo iſta facit eſt vehementer ſuſpectus de hæreſi, quia rationabiliter credere poſſumus huiuſmodi hominẽ ad illa inclinari ex errore intellect⁹ judicãtis talia opera licita eſſe, & bona. Et hæc ſunt opera, ex quibus inquiſitores rationabiliter poſſunt hæreſim colligere.

Secundũ dubiũ de eo qui eſt dubius in fide. ¶ Secundum dubium eſt, Vtrùm dubius in fide ſit dicendus hæreticus? Quam difficultatem late diſputat Cano lib. 12. de locis cap. 9. & loquimur de illo, qui pertinaciter dubitat, ſcilicet, de eo, qui videns & ſciens aliquam propoſitionem eſſe diffinitam ab Eccleſia de fide, adhuc dubitat de illius veritate, vel falſitate. Nam ſi ex inconſideratione, vel ignorantia dubitet, certa res eſt, quod non eſt hæreticus. Et quod non ſit hęreſis dubitatio pertinax in rebus fidei probatur. *1. Argum.* Primo ex D. Tho. qui ſuper. 11. caput Epiſtolæ ad Corint. lect. 4. dicit, de ratione hæreſis eſſe, vt quis pertinaciter inhæreat priuatæ diſciplinę: electio enim importat inhæſionem: ſed ille, qui eſt pertinax in dubitando, non adhæret alicui priuatæ diſciplinę, ergo non eſt hęreticus. *2. Argum.* ¶ Secundo, hæreſis, & fides opponuntur contrarie, ergo dubitatio non eſt hæreſis. Antecedens eſt manifeſtum, & conſequentia probatur, quoniã dubitatio non importat aſſenſum, nec diſſenſum contrarium fidei. *3. Argum.* ¶ Tertio, ſi dubius in fide eſſet hæreticus, ſequeretur aſſenſum verum eſſe hæreſim, conſequens autem eſt abſurdũ, quia, vt ſupra diximus, hæreſis eſt error, ergo. Probo ſequelã. Dato, quod quis aſſentiatur huic propoſitioni Deus eſt trinus, & vnus, aſſenſu opinatiuo: eſt verus aſſenſus, & tamen eſt hæreſis per te, ergo aſſenſus verus poteſt eſſe hęreticus.

Sentẽtia Melchioris Cano. ¶ Propter hæc argumenta Can. lib. 12. de locis. cap. 9. dicit duo. Primum eſt, quod metaphyſice loquendo dubius in fide non eſt verus hæreticus, quia hæreſis eſt error poſitiue cõtrarius fidei: & certum eſt quod dubitans de veritate catholica, non habet errorem fidei contrarium poſitiue, ſed tantum priuatiue: cum nec aſſerat nec neget, ſed animo ſuſpenſus ſit. Secundum ꝙ dicit Cano eſt, quod ſi ſequamur regulas moralis philoſophiæ, talis homo erit dicẽdus hęreticus, quia moraliter loquendo nõ poteſt contingere, vt quis pertinaciter dubitet de veritate catholica, quin habeat aliquem errorem fidei poſitiue contrarium.

¶ Ego tamen ad explicationem difficultatis aliquot ſtatuam concluſiones. *1. Concluſio.* Prima cõcluſio. Qui ſciens, & prudens dubitat de veritate catholica amittit fidem infuſam. Hanc concluſionem ponit Cano loco citato, & probatur teſtimonio Stephani Papæ in. c. 1. de hæreticis, vbi dicit dubios in fide eſſe infideles. Et Bernardus etiam affirmat, quod fides ambiguum nõ habet, ergo qui circa fidem ſciens & prudens dubitat, fidẽ infuſam amittit. Et ratio eſt manifeſta. Fides infuſa, non ſolum extinguitur eo errore, qui eſt poſitiuè contrarius ei, ſed etiã illo, qui ei opponitur priuatiue: vtrobique enim eſt culpa mortalis infidelitatis, ſed dubitatio, de qua loquimur, quamuis nõ contineat errorem poſitiue contrarium fidei, cõtinet tamen errorẽ illi priuatiuè oppoſitũ: ergo per talẽ dubitationẽ omnino amittitur fides infuſa. Et cõfirmatur ex D. Auguſtino lib. 8. de Trinitate. c. 1. dicente: In ijs, quæ ſunt fidei, non licet dicere forſan. Poſſumus, inquit, dicere forſan B. Virgo habebat talem faciem, non tamen poſſumus dicere ſalua fide, forſan de Maria virgine natus eſt Chriſtus. Et D. Athanaſius poſt datã fidei regulam in Symbolo ait, Hæc eſt fides catholica, quam niſi quiſq; fideliter, firmiterq; crediderit, ſaluus eſſe non poterit. Et Theophylactus ad Ro. 1. iuxta illud, Iuſtitia Dei reuelatur, &c. dicit. Cum ea, quibus à Deo donati ſumus, mortales nequeãt cogitatione complecti, merito eſt nobis hæc fides neceſſaria, quam ſi ſcrutari hæſitando cœperimus, omniũ proculdubio patiemur iacturã. Et D. Paul. ad Rom. 4. cõmendans fidem Abrahæ dicit, In repromiſsione Dei non hæſitauit diffidentia, his verbis ſignificans hæſitantem nulla ratione habere fidẽ.

2. Concluſio. ¶ Secunda concluſio, Qui ſciens, & prudens dubitat de veritate ab Eccleſia diffinita, verè eſt hæreticus non ſolum ſecundum regulas philoſophiæ moralis, ſed etiam logicè & metaphyſicè loquendo. Dixi in vtraque propoſitione, qui dubitat ſciens & prudens; nam qui non animo deliberato, ſed ex infirmitate animi, aut ex tentatione dubitat, nec amittit fidem, nec eſt hæreticus: cum non ſit pertinax, ſed

paratus

paratus ab Eccleſia corrigi. Nunc probatur concluſio. Qui prudens, & ſciens dubitat eſt infidelis, vt conſtat ex ſententia Stephani Papæ iam citata, & non eſt Iudæus, neque paganus, ergo eſt hereticus. Secundo, D. August. in Enchiridio. cap. 17. & 19. dicit quod error eſt habere certum pro incerto: ſed quæcunque veritas noſtræ fidei eſt certiſſima, ergo qui de illa ſcienter dubitat, errat pertinaciter in fide, atque ex conſequenti eſt hæreticus. Tertio, concilium Viennenſe reprobat tanquam erroneam, & catholicæ veritati contrariam, omnem doctrinam, aut temere aſſerentem, aut vertentem in dubium, quod anima rationalis ſubſtantialiter eſt forma corporis humani, ergo iudicat concilium, quod pertinaciter dubitare de veritate ab Eccleſia definita, eſt aperta hæreſis. Et confirmatur. Per talem dubitationem extinguitur fides infuſa vt diximus in prima concluſione: ſed fides in baptiſmo ſuſcepta non extinguitur, niſi per hæreſim, ergo dubitans pertinaciter de re fidei eſt hæreticus, etiam metaphyſicè loquendo. Vltimo, qui prudens, & ſciens dubitat de hac propoſitione, Deus eſt trinus & vnus, iudicat eam eſſe dubitabilem, & non eſſe infallibilem: ſed hoc iudicium plane continet errorem poſitiuum cōtrarium fidei, quæ docet id non eſſe dubitabile, ſed infallibiliter verum, vt pote propoſitum ab Eccleſia credendū, ergo eſt hæreticus. ¶ Et ſi quis obijciat cōtra iſtam rationem, quod ex illa ſequi videtur, eum qui ſcienter dubitat de fide non eſſe hæreticum ratione dubitationis, ſed ratione iudicij, quo iudicat dubitandum eſſe de rebus fidei, & ſic dubitatio proprie loquendo non eſt hæreſis, ſed illud iudicium. Reſpōdeo parum referre dicere quod ſic dubitans eſt hæreticus ratione dubitationis, vel ratione iudicij, dū modo teneamus pro certo illum eſſe hæreticū. Vel ſecundo reſpōdetur negādo ſequelam, quinpotius dico, quod ſic dubitans non ſolum ratione iudicij, ſed etiam ratione dubitationis, quatenus ex pertinacia proficiſcitur, hæreticus eſt & ipſa dubitatio eſt hæreſis, deficit enim a rectitudine, & ſic eſt error: cum errare nihil aliud ſit, quam deficere. Maxime quod cum illa dubitatio procedat ex deliberatione, neceſſario debet importare quid poſitiuum, ſaltem in radice, ratione cuius dicatur contraria fidei, ſicut ignis dicitur contrarius aquæ, nō ratione ſubſtantiæ, quia ſubſtantiæ nihil eſt contrarium: ſed ratione qualitatis adiunctæ, ſcilicet, caliditatis. ¶ Ex hoc infertur primo, quod nō ſolū dubitatio de rebus fidei cum pertinacia facit hominem hæreticum, ſed etiam opinio cum pertinacia: quia hæc excludit fidem ſicut dubitatio, & habet intrinſece adiūctam formam contrariam firmitati fidei. Ille autem dicitur cum pertinacia aliquam propoſitionem dubitare, qui poſtquam perpēdit eam eſſe de fide, non vult ei aſſentire ſine formidine, ſed cum metu & hæſitatione, tāquam propoſitioni cui falſum ſubeſſe poteſt. ¶ Infero ſecundo, quod ſic dubitans, vel opinans incurrit pœnas hæreticorum, ſi ſuā dubitationem, vel opinionem exterius manifeſtet, vt ſi dicat ſe dubitare Euangelium eſſe verum, vel illi aſſentiri nolle, niſi per opinionē, veluti rei cui falſum ſubeſſe poteſt. Nam ſi in corde interius retineat dubitationem, vel opinionem, nullam pœnam in hæreticos poſitam incurret, ſicut nec illā incurrunt alij hæretici mentales. Quo modo autem qui ſic opinatur, vel dubitat pertinaciter cōtra fidem, quando ſolum mente hoc verſat, ſi velit redire in meliorē mentem, & confiteri ſuum peccatum debet hoc facere, & quibus verbis, ne in confeſsione propalando ſuum errorem incurrat pœnas hæreticorū, dicemus articulo ſequēti. ¶ Ad primum argumentum in contrarium factum reſpondetur conceſſa maiori, negando minorem, ſcilicet, quod ille, qui eſt pertinax in dubitando non adhæreat alicui priuatæ diſciplinæ. Nam, vt ſupra diximus, quanuis non habeat firmam adhæſionem circa errorem contrarium huic propoſitioni, Deus eſt trinus, & vnus, tamen eo ipſo, quod de illa ſcienter dubitat firmiter adhæret iudicio, quo apud ſe ſtatuit illam eſſe dubitabilem, & non infallibiliter verā: quod iudicium eſt fidei formaliter contrarium: & ſic illud habens eſt hæreticus. ¶ Ad ſecūdū reſpondetur conceſſo antecedenti, negando conſequentiam. Et ad probationem dico, quod cum dubitatio includat iudicium poſitiuum fidei formaliter contrarium, neceſſario dicendum erit, quod importat aſſenſum, vel diſſenſum. ¶ Ad tertiū reſpondetur negando ſequelam. Et ad probationem dico, quod cum quis ex pertinacia aſſentitur huic propoſitioni, Deus eſt trinus, & vnus, aſſenſu opinatiuo: vltra veritatem talis aſſenſus, habet etiā iudicium ortum ex electione, & imperio voluntatis, quo dicit, volo huic propoſitioni fidei aſſentire cum firmi-

Margin notes: Obiectio. — Solutio. — 1. Corollariū. — 2. Corollariū. — Ad. 1. arg. — Ad. 2. arg. — Ad. 3. arg.

formidine, & veluti cui poteſt ſubeſſe falſum quod iudiciū proculdubiò eſt falſum, & fidei contrarium.

Aliud arg. difficile. ¶ Sed vltrà hæc argumēta eſt aliud, quod videtur habere difficultatē. Nam ſi dubius in fide eſſet hæreticus, ſequeretur Apoſtolos tempore paſsionis Chriſti fuiſſe hæreticos: conſequēs autem eſt abſurdum: nam nō videtur veroſimile, quod Deus primos Euangelij miniſtros ſic errare permitteret, vt in hæreſim laberentur, ergo. Probo ſequelam: quia dubitauerūt de reſurrectione Chriſti, idque non ex infirmitate, ſed cum pertinacia. Quod patet primò ex eo, quod Dominus Marci vltimo, increpauit incredulitatem eorum, & duritiem cordis, quia iis, qui viderant eum reſurrexiſſe à mortuis nō crediderant. Secundò, quia Chriſtus expreſsè dixit illis ſe reſurrecturum tertia die, & ſi quis dubitaret de aliqua veritate expreſſè aſſerta in ſacris literis eſſet hereticus, ergo Apoſtoli fuerunt hæretici.

Solutio. ¶ Ad hoc argumentum reſpōdetur negando ſequelam. Certum eſt enim quòd Apoſtoli nec amiſerūt fidem infuſam, nec fuerunt hæretici. Quod probo primò, quia ſancti patres quamuis dicant eos in triduo mortis fuiſſe infirmos in fide, nunquam tamen dicunt illos fuiſſe hæreticos. Secundò, quia dubitatio, quam habuerunt non fuit pertinax, ſed habuit ortum ex infirmitate, & animi perturbatione. Et ad primam probationem ex Marco dico, quòd Apoſtoli fuerunt increduli nō Domino, ſed illis, qui viderāt eum reſurrexiſſe à mortuis, quorū quidē teſtimoniū fallibile erat: quāuis ipſi erant digni, quibus fides adhiberetur: & ideò iure fuerūt à Chriſto reprehenſi, quāuis non eſſent hæretici. Ad ſecundam probationē dico, quòd quāuis Dominus aperte dixerit diſcipulis ſe reſurrecturum tertia die, illi tamē vt dicit D. Lucas cap. 18. non intelligebant quæ dicebantur, ſed erat verbum illud abſconditū ab eis. Vnde quemadmodum qui ex ignorātia errat circa veritatem ab Eccleſia diffinitam, excuſatur à pertinacia, & hæreſi, vt diximus articulo præcedēti, ità etiam Apoſtoli, qui ex ignorantia id fecerunt excuſabuntur, & ſic nec fuerunt pertinaces nec hæretici.

3. Dubium. ¶ Tertium dubium eſt, Vtrùm catechumenus, qui ſciens & prudens errat circa veritatem fidei ſit dicēdus hæreticus. De qua *Sententia Caſtri.* re Caſtro lib. 1. de iuſta hæreticorum punitione cap. 8. dicit, quod catechumenus, qui firmo, & conſtanti animo baptiſmū ab Eccleſia petijt, ſi poſtquam fuerit ab Eccleſia edoctus à recta fide in hæreſim aliquā antequam baptiſmū ſuſcipiat labatur, & illam pertinaciter tueatur, erit dicendus proprie hæreticus, & vt talis niſi reſipiſcat puniendus, licet, non ità acriter ac ſi baptiſmum ſuſcepiſſet. Et ratio illius eſt, nam baptizatus *Fundamentum.* à fide diſcedēs ea ratione eſt verè hæreticus & pœnis hæreticorū ſubiectus, quia cum ſit intra Eccleſiam ſciens, & prudens errat circa fidē illius: ſed hic catechumenus, qui per baptiſmum flaminis erat intra Eccleſiam, extra quam nō eſt ſalus, ſciens & prudens errat circa fidē illius, ergo eſt verè hæreticus, & vt talis puniendus.

Sententia autoris. ¶ Hoc tamen non obſtante dico, quòd talis catechumenus, nec eſt verè hæreticus, nec vt talis puniendus. Ita tenet Syluester verbo hæreſis primo. §. 2. & Caietanus in hoc articulo. Et probatur, Talis catechumenus non diſcedit à fide ſolenniter profeſſa, quod eſt de ratione hæreſis, vt diximus. q. 10. art. 5. ergo non erit hæreticus, atque ex conſequenti non eſt puniendus pœnis hæreticorum. Conſequentia eſt nota, & antecedens probatur. Talis catechumenus nondum eſt profeſſus fidem catholicam, ergo nō diſcedit à fide ſolenniter profeſſa. Et ad *Ad argum. pro ſententia Caſtri.* argumentum in contrarium factum reſpondetur quod catechumenus, qui per baptiſmum flaminis Eccleſiam intrauit, tantum eſt in illa quoad meritū, quod non eſt ſatis, vt dicatur hæreticus, qui poſtea ſciens & prudens errat circa fidem: ſed ſemper requiritur quod intrauerit Eccleſiam quo ad numerum ſolenniter profitendo fidem in baptiſmo, vt diximus quæſtione præcedenti.

Vltimū dubium. ¶ Vltimum dubiū circa iſtum articulū eſt, de puero baptizato nutrito inter infideles, & eorum more viuenti, vtrùm talis ſit dicendus verè hæreticus. Et pro parte affir- *Argumentum.* matiua eſt argumentum, Talis puer pertinaciter tenet errorē aperte cōtrarium fidei, quam ſolenniter profeſſus eſt in baptiſmo, ergo eſt verè hæreticus.

1. Concluſio. ¶ In hoc tamē ſit prima concluſio, Puer apud infideles nutritus, cui fides noſtra nūquam fuit ſufficienter propoſita, ſed illam ignorat, nō eſt cenſendus hæreticus, quamuis infidelium more viuat. Probatur, Talis non eſt pertinax in erroribus, quos tenet contra fidem, ergo non eſt hæreticus. Conſequentia eſt nota, & antecedens probatur, quia vt diximus in ſuperioribus, quæcunq;

Y ignoran

ignorantia ſufficiens eſt ad tollendam pertinaciam.

2. Concluſio. ¶ Secunda concluſio, Si huic puero fides noſtra fuiſſet ſufficienter propoſita, & adhuc ipſe perſiſteret in errore infidelium, inter quos nutritus eſt, verè eſſet hæreticus: & apoſtata. Probatur, quia tunc pertinaciter negaret fidem quam profeſſus eſt ſolenniter in baptiſmo. De hac re vidēdus eſt Caſtro, lib. 1. de iuſta hæreticorum punitione. cap. 8.

Definitio hæreſis & hæretici. ¶ Ex dictis omnibus colligere licebit veram hæreſis definitionem. Quæ eſt, error catholicæ fidei manifeſtè contrarius in eo, qui fidem catholicam ſolenniter eſt profeſſus. Et hæreticus erit ille, qui ſciēs & prudens amplectitur errorem manifeſtè contrarium illi fidei, quam ſolenniter profeſſus eſt.

ARTICVLVS. III.

¶ *Vtrùm hæretici ſint tolerandi.*

4. Diſt. 13. q. 1. art. 1. cor. et quodl. 10. ar. 15. AD TERTIVM ſic proceditur. Videtur quòd hæretici ſint tolerandi. Dicit enim Apoſt. 2. ad Timot. 2. Seruum Dei oportet manſuetum eſſe, cū modeſtia corripientem eos, qui reſiſtunt veritati, ne quando det illis pœnitentiam Deus ad cognoſcendam veritatem, & reſipiſcāt à laqueis diaboli. Sed ſi hæretici non tolerantur, ſed morti traduntur, aufertur eis facultas pœnitendi, ergo hoc videtur eſſe contra præceptum Apoſtoli.

2 ¶ Præterea. Illud quod eſt neceſſarium in Eccleſia, eſt tolerandum. Sed hæreſes ſunt neceſſariæ in Eccleſia. Dicit enim Apoſtolus primę ad Corint. cap. 11. Oportet hæreſes eſſe, vt & qui probati ſunt manifeſti fiant in vobis. ergo videtur, quòd hæretici ſunt tolerandi.

3 ¶ Præterea, Dominus mandauit Matt. 13. ſeruis ſuis, vt zizania permitterent creſcere vſque ad meſſem, quæ eſt finis ſeculi, vt ibidem exponit. Sed per zizania ſignificantur hæretici ſecundum expoſitionem ſanctorum. Ergo hęretici ſunt tolerandi.

¶ SED CONTRA eſt, quod Apoſt. dicit ad Titum 3. Hæreticum hominem poſt primam & ſecundam correptionem deuita, ſciens quia ſubuerſus eſt qui huiuſmodi eſt.

¶ RESPONDEO dicendū, quòd circa hęreticos duo ſunt conſideranda. Vnum quidem ex parte ipſorum. Aliud vero ex parte Eccleſię. Ex parte quidem ipſorum eſt peccatum per quod meruerunt non ſolum ab Eccleſia per excommunicationē ſeparari, ſed etiam per mortem à mundo excludi. Multo enim grauius eſt corrumpere fidem, per quam eſt animæ vita, quàm falſare pecuniam, per quā temporali vitæ ſubuenitur. Vnde ſi falſarij pecuniæ, vel alij malefactores ſtatim per ſeculares principes iuſtè morti traduntur, multo magis hæretici ſtatim, ex quo de hæreſi conuincuntur, poſſunt non ſolum excommunicari, ſed & iuſte occidi. Ex parte autem Eccleſiæ eſt miſericordia ad errantium conuerſionem: & ideo non ſtatim condemnat, ſed poſt primam & ſecūdam correptionem, vt Apoſtolus docet, poſtmodum verò ſi adhuc pertinax inueniatur, Eccleſia de eius conuerſione non ſperans, aliorum ſaluti prouidet eum ab Eccleſia ſeparando per excommunicationis ſententiam, & vlterius relinquit eum iudicio ſeculari à modo exterminādum, per mortem. Dicit enim Hierony.* & habetur vigeſima quarta quæſtione tertia, Reſecandæ ſunt putridæ carnes, & ſcabioſa ouis à caulis repellenda, ne tota domus, maſſa, corpus, & pecora, ardeant, corrumpantur, putreſcant, intereant. Arrius in Alexandria vna ſcintilla fuit. Sed quoniam non ſtatim oppreſſus eſt, totum orbem eius flamma populata eſt. *Hiero. ad Galat. 5. ſup. illud modicum fermentum, tom. 9. Hab tur. 24 q. 3. cap. Reſecāda ſunt.*

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd ad modeſtiam illam pertinet, vt primo & ſecundo corripiatur. Quòd

primo

ſi redire noluerit, iam pro ſubuerſo habetur, vt patet in authoritate * Apoſtoli inducta.

In argu. Sed contra.

¶ Ad ſecũdum dicendum, quòd vtilitas, quæ ex hæreſibus prouenit, eſt prę ter intentionem hæreticorum, dum ſcilicet conſtantia fidelium comprobatur. vt Apoſtolus dicit: & vt excutiamus pigritiam, diuinas ſcripturas ſolicitius intuentes, ſicut Augusti. * dicit. Sed ex intentione eorum eſt corrumpere fidem: quod eſt maximi nocumenti. Et ideo magis reſpiciēdum eſt ad id, quod eſt per ſe de eorum intentione, vt excludantur: quàm ad hoc quod eſt præter eorum intentionem, vt ſuſtineantur.

Lib. 1. contra Manichaeos. cap. 2. circa med. tom. 1.

¶ Ad tertium dicẽdum, quòd ſicut habetur in Decretal. vigeſima quarta quæſtione quarta, aliud eſt excommunicatio, & aliud eradicatio. Excommunicatur enim ad hoc aliquis (vt ait Apoſtolus) vt ſpiritus eius ſaluus fiat in die Domini. Si tamen totaliter eradicentur per mortem hæretici, non eſt etiam contra mandatũ Domini: quod eſt in eo caſu intelligendum, quando non poſſunt extirpari zizania ſine extirpatione tritici, vt ſupra dictum * eſt, cum de infidelibus in communi ageretur.

Q. præ. ar. 8.

SVMMA TEXTVS.

SVppoſito quod in hęreticis ſunt duo cõſideranda: vnum ex parte ipſorum & eſt peccatum, alterum ex parte Eccleſiæ, & eſt miſericordia ad errantium conuerſionem, ponit D. Thom. tres concluſiones. Prima concluſio. Si ſolum habeatur ratio culpæ, quam hæretici committunt, digni ſunt, vt ſtatim ſeparentur ab Eccleſia per excommunicationem, & à mundo per mortem. Probatur, Grauius eſt corrumpere fidem, per quam eſt animæ vita, quàm falſare pecuniam, per quam temporali vitæ ſubuenitur: ſed falſarij pecuniæ, & alij malefactores, ſtatim per ſeculares principes iuſtæ morti traduntur: ergo multò magis hæretici, poſtquam de hæreſi conuicti ſunt poſſunt iuſte non ſolum excommunicari, ſed etiam occidi. ¶ Secunda cõcluſio, Eccleſia habita ratione ſuæ pietatis, atque miſericordiæ, non ſtatim punit hæreticos, ſed poſt primam, & ſecundam admonitionem, vt dicit Apoſt. Hæc concluſio patet experientia. ¶ Tertia concluſio, Hæreticos ſæpe admonitos, & in ſuo errore perſiſtentes iuſte ferit Eccleſia anathemare, & eos poteſtati ſeculari tradit interficiendos. Hæc concluſio probatur teſtimonio D. Hieronymi, & habetur. 24. quæſt. 3. cap. reſecandæ. vbi dicit: Reſecandæ ſunt putridę carnes, & ſcabioſa ouis à caulis repellenda.

EXPLICATIO ARTICVLI.

PRo intelligentia huius articuli eſt aduertendum, quod hęretici ſecundum canones, duplici pœna puniuntur, ſcilicet, ſpirituali, & corporali. Spiritualis eſt excõmunicatio, corporalis vero eſt triplex, iuxta triplex genus bonorum corporaliũ, quibus hæretici priuantur: quę ſunt diuitię, fama, & vita. Et de his omnibus ſuo ordine erit dicendum: & primo de excommunicatione. ¶ Circa quod eſt notandum, quòd excommunicatio cõtra hęreticos poſita omnibus alijs eſt antiquior, vt patet ex diuerſis capitibus iuris, in quibus illius fit mentio: preſertim ex capite excommunicamus. de ſententia excommunicationis, & ex capite excommunicamus de hęreticis. Et quanuis iure ipſo iſtius excommunicationis abſolutio non ſit reſeruata ſummo Pontifici, reſeruatur tamen per bullam cœnę Domini, vt docet Nauar. in Manuali. cap. 27. num. 55. & ſuper caput. quorundam. not. 11. num. 41. & Caietanus in ſumma verbo. excommunicatio. cap. 1. Et non tantum excõmunicantur hæretici, ſed etiã eorũ fautores & defenſores, quod quidem formaliter eſt intelligendum: ita vt fautor hæretici dicatur ſolus ille, qui fauet hæretico, vt hæreticus eſt, & defenſor, qui defendit hæreticum quatenus hęreticum. Et ſimiliter receptor hęretici dicitur, qui recipit hęreticum, quatenus hęreticum: nam ex intẽtione, & propoſito malificia diſtinguntur in iure, & verba ſunt formaliter intelligenda in quacunque facultate. Ex quo ſequitur: quod ſi aliquis recipiat, aut defendat hominem, qui re vera eſt hęreticus titulo conſanguinitatis, aut alterius obligationis, non habita ratione & notitia hęreſis, non incurret excommunicationem, cum

Prima pœna impoſita contra hæreticos eſt excõmunicatio.

proprie & formaliter loquendo, talis non dicatur hæreticum recipere aut defendere, ſed conſanguineum, vel amicum quòd in iure aut alio loco non eſt prohibitum. Ità docẽt Caietanus, & Nauar. locis citatis.

Dubium. ¶ Sed dubium eſt, Vtrùm iſta excommunicatione comprehendantur vniuerſaliter omnes hæretici, ſiue occulti fuerint, ſiue publici, an verò tantum comprehendantur illi, qui manifeſtè & notoriè fuerint hæretici. Ad cuius dubij intelligentiam eſt aduertendum, quod dupliciter aliquis hæreticus poteſt dici occultus vno modo per ſe, & eſt cum quis tantum in mente habet hæreſim pertinaciter adhærens alicui propoſitioni fidei contrariæ, nec eam verbis, aut ſignis manifeſtauit. Alio modo per accidens: & eſt cum quis licèt hæreſim mente conceptam verbis, aut ſignis declarauit, & protulit, ità tamen ſe habet, quod eius prolatio, & manifeſtatio eſt occulta, & à nemine ſcitur. ¶ Hoc ſuppoſito, vt certa ab incertis ſeparemus, dico certum eſſe, quod illi hæretici, qui verbis aut ſignis hæreſim mente conceptam declararunt, & expreſſerũt, ſiue declaratio, & expreſsio ſit manifeſta, ſiue occulta, ſunt excommunicati excommunicatione reſeruata ſummo Pontifici: ità enim habetur expreſſè in. §. 1. bullæ cœna Domini. Et ſic tantum eſt dubitatio de hæretico mentali, qui hæreſim habet in intellectu, nec eam verbis, aut ſignis exterius expreſsit, vtrùm ſit excommunicatus: quæ quæſtio difficilis eſt, & de qua ſunt variæ doctorum ſententiæ. Nam Gloſſa ſuper Clementinam primam de hæreticis. verbo. eo ipſo. partem tenet affirmatiuam: pro qua etiam adducit plures alios doctores. Idem tenet Adrianus quodli. 8. & in. 4. quæſt. 2. de confeſsione. & dicit hanc eſſe communẽ opinionem canoniſtarum. Quę probari poteſt hac ratione. Hæreſis mente concepta non ſolum eſt vera ſed etiam perfecta hæreſis. Et hoc eſt diſcriminis inter hæreſim, & furtum, quòd furtum in mẽte, licet ſit peccatum mortale non tamen eſt furtum perfectum: at verò hæreſis in mẽte eſt perfecta hæreſis. Et ratio eſt, quia ſicut fides eſt virtus, quæ perficitur interius, ità etiam hæreſis perficitur in diſſenſu interio ri ex conſenſu voluntatis. Sed excommunicatio abſolute imponitur contra omnes hæreticos, nulla facta diſtinctione hæretici mentalis, aut exterioris, ergo hæreticus mẽtalis incurrit excommunicationem. ¶ Cõtrariam tamen ſententiam tenet Caietanus in hoc arctulo. & Syluester verbo excommunicatio. 7. §. 2. & Antoninus. 3. parte. titulo. 25. cap. 14. & eſt communis opinio Theologorum. Huius dubitationis determinatio pẽdet ex deciſione alterius, vtrùm ſcilicet, Eccleſia habeat iuriſdictionem in actus tam exteriores, quam interiores: an vero tantum in actus exteriores. Nam ſi Eccleſiæ iuriſdictio tantum ſe extendit ad actus exteriores, manifeſtè ſequitur, eos tantum incurrere excommunicationem, qui exteriori actu hæreſim declararunt: at vero ſi dicta iuriſdictio ad actus tam interiores, quam exteriores ſe extendit ſicut propter hæreſim exteriori ſigno declaratam incurritur excommunicatio: ità etiam & propter hæreſim mentalem incurretur, cũ vtraque vere, & proprie hæreſis dicatur. De qua quæſtione eadem eſt varietas opinionum, quæ erat & de præcedenti. Nam illi, qui affirmant quod hæreticus mentalis non incurrit excommunicationem, conſequenter dicunt Eccleſiam non habere iuriſdictionem in actus interiores. At vero illi, qui affirmant illos incurrere excommunicationem ſubinde dicunt, Eccleſiam habere iuriſdictionem in quoſcunque actus. Et ſic prius hæc ſecunda quæſtio erit determinanda, & ex illius declaratione conſtabit, quid ad principalem quæſtionem ſit reſpondendum. ¶ Et quidem quod Eccleſia habeat iuriſdictionem in actus tam interiores, quam exteriores probatur primò. Eccleſia præcepta imponit de actibus pure interioribus: & aliquando eos prohibet cenſuris impoſitis contra delinquentes, ergo habet iuriſdictionem in actus pure interiores. Conſequentia eſt nota, & antecedens probatur, ex Clementina prima de ſtatu monachorum, quo loco monacho interdicitur ſub pœna excommunicationis acceſſus ad curiam animo nocendi: & excommunicatio imponitur pro ipſo animo nocendi: ſiquidem eo non exiſtente acceſſus non prohibetur: & tamen ille actus eſt interior, vt conſtat. Item in iure excommunicantur inquiſitores odio, vel amore contra aliquem procedentes, vt patet ex Clementina multorum. de hæreticis: & odium, vel amor ſunt actus interiores. Item in capite. fundamenta. de electione. & electi poteſt. libro. 6. excommunicantur conſentientes electioni in

Dupliciter hæreticus poteſt dici occultus.

Quæſtio difficilis de hæretico mentali.

Sentẽtia gloſſæ.

Argumentum.

Sentẽtia Caietani, & theologorũ.

1. Argumentum ad probandum q̃ Eccleſia habet iuriſdictionem in actus interiores.

cotextu

eo textu reprobatæ: & in capite dolentes de celebratione miſſarum attentio diuini officij clericis præcipitur cum tamen attentio ſit actus interior diſtinctus à recitatione officij, quæ alio loco fuerat præcepta. Item in capite ad abolendam. extra de hæreticis, excommunicatur quicunque ſenſerit aliter de ſeptem ſacramentis, quam ſentit Romana Eccleſia, aliter autem ſentire eſt actus interior: & in capite. 13. extra de hæreticis. excommunicantur omnes credentes erroribus hæreticorum: credere autem eſt actus interior: & in capite vnico de ſchiſmaticis excommunicantur omnes, qui Petrum, & Iacobum olim cardinales, ſcienter, & de liberate pro talibus eos habuerint, qui actus eſt etiam interior: ergo Eccleſia habet iuriſdictionem in actus interiores.

2. Argum. ¶ Secundo principaliter argumentor, Summus Pontifex poteſt diſpenſare in voto interius emiſſo, vt omnes doctores fatentur, & tamen diſpenſatio eſt actus iuriſdictionis, ergo Eccleſia habet iuriſdictionem in actus interiores.

Cōfirmatio. ¶ Et confirmatur, Quando Eccleſia proponit aliquid credendum omnes obligantur ad habendum actum fidei interiorem, ergo Eccleſia habet iuriſdictionem ſupra actus interiores.

3. Argum. ¶ Tertio, Eccleſia habet poteſtatem abſoluendi omnia peccata tam interiora quam exteriora, vt conſtat ex eo, quod Chriſtus dixit Apoſtolis, Quæcunque ſolueritis ſuper terram erunt ſoluta, & in cœlis. In quibus verbis nulla fit diſtinctio actus interioris, & exterioris: quin potius omnes dicunt, ꝙ ea poteſtas ſe extendit ad omnia illa, per quæ ingreſſus regni cœlorum, poteſt impediri, qualia ſunt multa in actibus interioribus, ergo Eccleſia habet iuriſdictionem in actus interiores.

Confirmatio ¶ Et confirmatur. Ille, qui habet tantum peccata interiora, tenetur ea confiteri ex præcepto Eccleſiæ, ſaltim ſemel in anno, ergo Eccleſia habet iuriſdictionem in actus interiores.

Vltimum argumentum. ¶ Sed præcipua, & principalis ratio pro hac ſententia eſt autoritas dominorum Inquiſitorum, qui hoc habent in practica: & ita volunt obſeruari, quibus tamquam æquiſsimis iudicibus, & cenſoribus magna eſt fides adhibenda. Vnde in cap. 5. primæ inſtructionis Hiſpalenſis, vbi datur forma generalis publicæ abiurationis in omnibus hæreticis conuerſis, ſic dicitur: Niſi crimen vſqueadeò fuerit occultum, vt ſolus pœnitens illud ſciat, nec ab alio ſciri poſſit, tunc enim ſecreto reconciliatus abſoluetur, cum per alium reconciliari nequiret, quia ita iure cautum eſt. Hæc inquam inſtructio quæ magnæ eſt autoritatis, docet hæreticū non talem eſſe excommunicatum, cum præcipiat ſecreto abſolui, & reconciliari.

¶ Propter hæc argumenta doct. ſupra citati, & communiter Canoniſtæ dicunt, quod Eccleſia habet iuriſdictionem in actus interiores: Contraria tamen ſententia eſt probabilior, quam tenēt D. Th. & Caietanus. 1. 2. quæſt. 91. artic. 4. & communiter omnes Theologi. Et probatur ex capite. Chriſtiana. 32. quæſtione. 5. Vbi dicitur, quod Eccleſia non iudicat de occultis. Idem etiam habetur. 2. quæſt. 5. capite. conſuluiſti & . 6. quæſtione. 1. capite. ſi omnia. & in capite. erubeſcant. 32. diſtinct. etiam dicitur, quod ſecretorum Deus, & cognitor, & iudex eſt. Et ratio eſt manifeſta: nam de his poteſt homo, vel Eccleſia legem ferre, de quibus poteſt iudicare: ſed de actibus interioribus, & per ſe occultis Eccleſia non poteſt iudicare, ergo nec de illis legem ferre: atque ex conſequenti non habet iuriſdictionem ſupra illos. *Eccleſia non habet poteſtatem ſupra actus interiores.* Ex quo colligit Diuus Thomas. 1. 2. quæſtione. 91. articulo. 4. quod vltra legem humanam Eccleſiaſticam, eſt neceſſaria alia lex diuina, quæ ad actus interiores ſe extendat eos ordinans, & præcipiens, quæ ad illorum rectitudinem fuerint neceſſaria, alioqui non rectè eſſet homini prouiſum, cum ad illius perfectionem requiratur, quod in vtriſque actibus ſit perfectus. Denique eſt maximum argumentum ad probandum Eccleſiam non habere huiuſmodi poteſtatem in actus interiores, quod nunquam ea vſa eſt in aliquo tempore, vel occaſione.

Corollariū. ¶ Ex his colligitur, quid dicendum ſit ad principalem quæſtionem, cuius gratia hæc dicta ſunt. Manifeſtè enim ſequitur hæreticos purè mentales, qui hæreſim habuerunt in intellectu, nec eam verbis aut ſignis declararunt, non eſſe excommunicatos. Siquidem Eccleſiæ iuriſdictio neceſſaria ad excommunicationem inferendam non ſe extendit ad hos actus, atque ex conſequenti quilibet idoneus confeſſor poterit abſoluere ab huiuſmodi peccato. Eſt tamen

hoc intelligendum dummodo tale peccatum non habeat aliam reſeruationem, vltra illam, quæ prouenit ex bulla cœnæ Domini. Nam ſi aliàs peccatum hæreſis eſſet Papæ, vel Epiſcopo reſeruatum, non poſſet talis hæreticus ab inferiori abſolui. Nec ex hoc ſequitur aliquid contra concluſionem, quia reſeruatio non eſt pœna, ſed ademptio iuriſdictionis, qua ſuperior poteſt vti in quantumcunque occultis, vt docet Caietanus in hoc articulo.

Dubium.

¶ Sed dubium eſt de eo, qui dicit, ſe aliquando in mente habuiſſe aliquam hæreſim, nunc tamen eam non habere, vtrùm incurrat excommunicationem.

Solutio.

Reſpondetur, quod, qui propter conſilium capiendum, vel alterius rei honeſtæ cauſa profert exterius hæreſim, in qua aliquando fuit, non eſt excommunicatus. Et ratio eſt nam antequam proferret illa verba non erat excommunicatus, & ille actus eſt bonus, ergo propter illum non poteſt excommunicationem incurrere. Verum tamen eſt, quod ſi aliquando hæreſim ſuam confiteatur, nec doleat de peccato, excommunicationem incurret. Et hæc eſt communis ſententia omnium Theologorum.

Ad argum. pro ſententia

¶ Sed oportet, vt ad argumenta in contrarium facta reſpondeamus. Vnde ad argumentum pro prima quæſtione reſpondetur concedendo hæreſim mentalem eſſe veram hæreſim: negatur tamen quod talis hæreticus incurrat excommunicationem: quia cum ille actus ſit purè occultus nullum de eo iudicium poteſt habere Eccleſia: & ſic cenſuræ impoſitæ contra hæreticos eos comprehendere non poſſunt, vt iam explicauimus.

Ad. 2. arg. quo probatur Eccleſiã habere iuriſdictionem in actus interiores.

¶ Ad alia argumenta, quibus probatum fuit Eccleſiam habere iuriſdictionem in actus purè interiores reſpondetur ad primum negando antecedens. Et ad probationem ex Clementina de ſtatu monachorum dico, quod in illo loco prohibetur actus exterior, ſcilicet, acceſſus ad curiam, non quicunque, ſed ex malo animo proueniens, & ſimiliter reſpondetur ad illud de Inquiſitoribus. Vnde ex his locis non licet colligere Eccleſiam habere iuriſdictionem in actus interiores. Ad aliud ex cap. fundamenta. reſpondetur quod ibi excommunicatur, qui conſenſerit electioni, hoc eſt, qui exterius ſe geſſerit erga electum, ac ſi rectè eſſet electus. Conſentire enim in illo loco non ſignificat ſolum actum interiorem, ſed illum, qui ſignis exterioribus fuerit declaratus. Vnde ſi conſenſus tantum fuerit intellectualis, nullam incurret excommunicationem. Ad aliud ex capite dolentes. reſpondetur, quòd quamuis verum ſit quod Eccleſia directè, & per ſe ſolum reſpicit actus exteriores, mediate tamen reſpicit actus interiores, quatenus ſunt conditio requiſita ad actus exteriores. Nam qui præcipit miſſam audire ex conſequenti etiam mediate præcipit voluntatem audiēdi, & ſimiliter contingit in attentione, & recitatione diuini officij, qui præcipit recitationem, quæ eſt actus exterior, ex conſequenti præcipit attentionem, quæ eſt conditio neceſſario requiſita ad debitam recitationem: & ſic præceptum non eſt de actu purè interiori, ſed potius de exteriori ſimpliciter, qui debet fieri cum omnibus circumſtantijs requiſitis ad bonitatem illius. Ad aliud ex capit. ad abolendam. reſpondetur, quod ſentire in illo textu ſignificat conſenſum exteriori ſigno declaratum. Vnde ſi tantum fuerit iudicium internum, quo quis diſſentit à ſacramentis Eccleſiæ, non incurrit excommunicationem, ſicut nec quicunque alius hæreticus mentalis. Ad aliud ex capit. 13. extra de hæreticis. reſpondetur, quod excommunicantur credentes erroribus hæreticorum, ſicut quicunq; alij hæretici, quod eſt ita intelligendum, dummodo ſuum errorem ſigno exteriori expreſſerint. Nam hunc tantum actum poteſt Eccleſia iudicare ad modum iam explicatum. Ad aliud ex capite vnico. reſpondetur, quod illi tantum dicuntur habere aliquem tanquam cardinalem, qui in exterioribus illi reuerentiam, & honorem exhibuerint, ac ſi vere eſſet cardinalis. Et ſic in his omnibus locis tantum prohibentur actus exteriores: nec ex eis inferre licet Eccleſiam habere iuriſdictionem in actus purè interiores.

Ad. 2. arg.

¶ Ad ſecundum argumentum principale reſpondetur notando, quod votum interius emiſſum, poteſt eſſe aut de actu exteriori, qui ſubeſt prælato, vt de ieiunando: aut de actu interiori, ſcilicet, de contemplando. Si ſit de actu exteriori nulla eſt dubitatio, ſed eſt certum, quod ſummus Pontifex poteſt ſupra illud diſpenſare. Nam poteſt præcipere, vt talis vouens cœnet, & ſic tollere votum, quod erat impeditiuum ſui præcepti. Tamen, ſi votum ſit interius emiſſum, & de actu interiori non poteſt pa

pa

pa diſpenſare ſupra illud, quãuis poſsit vouentem occupare circa aliquod opus exterius, cui repugnet contemplatio: quoniam ipſe ſummus Pontifex non habet iuriſdictionem in actus purè interiores. Verum tamen eſt, quod eo ipſo quod illud votum fuerit Pontifici aliqua ratione manifeſtatum ſigno exteriori, ſpectat ad iuriſdictionem illius, & tunc poteſt ſupra illud diſpenſare ſicut ſupra quodcunq; aliud opus exterius. ¶ Ad confirmationem reſpondetur, verum eſſe, quod eo ipſo, quod Eccleſia proponit aliquid credendum omnes vniuerſaliter obligantur habere actum fidei interiorem: hæc tamen obligatio nõ naſcitur ex præcepto Eccleſiaſtico, ſed ex iure diuino, quo obligamur aſſentiri propoſitionibus ab Eccleſia definitis, & propoſitis. Nam quanuis verum ſit, quod Eccleſia ſit quæ proponit & declarat res credendas, & hac ratione quædam dicantur credibilia de iure poſitiuo, tamen obligatio credendi, & aſſentiendi omnibus propoſitis, & declaratis eſt de iure diuino, quod ſe extendit etiam ad actus interiores.

Ad confirmationem.

Ad.3. arg. ¶ Ad tertium argumentum reſpondetur primo concedendo quod Eccleſia habet iuriſdictionem in actus interiores in ſoro conſcientiæ, vt rectè probat argumentum: at vero noſtra opinio procedit de foro exteriori: & quoniam excommunicatio & cæteræ pœnæ pertinent ad forum exterius, pro actu interiori hæreſis non incurruntur. Vel ſecundo reſpõdetur, quod Eccleſia non poteſt immediate exercere actum iuriſdictionis circa actum internum, nec immediate abſoluere à peccato interiori, niſi mediante confeſsione exteriori: & ſic ſemper Eccleſiæ iuriſdictio eſt penes actus exteriores. Sed melior eſt prima ſolutio. ¶ Ad confirmationem reſpondetur concedendo, quod habens tantum peccata interiora obligatur ex præcepto Eccleſiæ ea ſaltim ſemel in anno confiteri. Ex hoc tamen non ſequitur, quod Eccleſia habet iuriſdictionem ſupra actus interiores. Non enim præcipit, niſi exteriorem confeſsionem faciendam, quæ quoniam neceſſario debet eſſe integra; ex conſequenti tenetur homo omnia peccata tam interiora, quam exteriora dicere: & ſic quodam modo mediate Eccleſiæ iuriſdictio ſe extendit ad actus interiores: ſicut qui obligatur ad audiendam miſſam, ex conſequenti obligatur velle audire miſſam, qui eſt actus interior.

Ad confirmationem.

¶ Ad vltimum ex capite.5. primæ inſtructionis Hiſpalenſis, reſpondet Iacobus Simancas in inſtitutionibus catholicis capite.42. num: 9. quod illa verba ſunt intelligenda de hæretico, qui ſolus hæreſim protulit, vel ſcripſit, & eſt occultus per accidens: hic enim cum ſit excommunicatus indiget abſolutione & non intelliguntur de hæretico pure mentali.

Ad vltimũ argum.

¶ Sed dubium eſt quis nam poſsit hæreticos reſipiſcentes ab excommunicatione abſoluere? Ad cuius explicationem dico primo, quod hæc excommunicatio eſt ex iis, quarum abſolutio reſeruatur ſummo Pontifici, vt conſtat ex proceſſu bullæ cœnæ Domini. ¶ Dico ſecundo, quod poſt cõcilium Tridentinum, Epiſcopi poſſunt per ſe ipſos, & non per ſuos vicarios in foro conſcientiæ abſoluere in ſua diœceſi hæreticos ſibi ſubditos, occultos tamen, hoc eſt, illos, quorum hæreſes non fuerint ad forum contentioſum deductę, quantũis exterius fuerint prolatæ. Probatur ex ſtatuto concilij Tridentini ſeſsione.24. capite.6. de reformatione. Cuius verba ſunt: Liceat Epiſcopis in irregularitatibus omnibus, & ſuſpenſionibus ex delicto occulto prouenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis alijs deductis ad forum contentioſum, diſpenſare: & in quibuſcunque caſibus occultis, etiam ſedi Apoſtolicæ reſeruatis, delinquentes quoſcunque ſibi ſubditos in diœceſi ſua per ſe ipſos, aut vicarium ad id ſpecialiter deputatum, in foro conſcientiæ gratis abſoluere, impoſita pœnitentia ſalutari: idem etiam in hæreſis crimine, in eodem foro conſcientiæ, eis tãtum, non eorum vicarijs, ſit permiſſum. ¶ Dico tertio, quod inquiſitores poſſunt ab hac excommunicatione abſoluere quoſcunque hæreticos, vt patet ex eorum vſu. ¶ Dico quarto, nonnullos dixiſſe, quod confeſſor electus per bullam Cruciatæ poteſt ſemel in vita hæreticos abſoluere ab excommunicatione. Sed proculdubio decipiuntur, & oppoſitum eſt verum. Nam illa conceſsione generali in bulla Cruciatæ contenta, ſcilicet, (*El qual os pueda abſoluer vna vez en la vida y otra en la muerte de qualeſquier peccados, y cenſuras aunque ſean de los reſeruados a la ſede Apoſtolica, y de los declarados en la bulla*

Dubium de eo qui poteſt hæreticũ abſoluere.

1. dictum.

2. dictum.

3. dictum.

4. dictum.

La bulla de la cena del Señor.) non comprehenditur hæreſis crimen, vt conſtat ex declaratione facta à Gregorio. XIII. ad petitionem inquiſitorum Hiſpaniæ, qui dederũt operam, vt per concionatores hæc declaratio euulgata ad omnium notitiam perueniret.

5. Dictum. ¶ Quintò dico, quod ab hæreſi in mente latente, & nullo modo exterius declarata, poteſt abſoluere quilibet ſacerdos habens facultatem abſoluendi ab alijs mortalibus. Probatur, Crimen hæreſis non eſt reſeruatum, niſi ratione excommunicationis, vt aſſerunt Caietanus in ſumma verbo, caſus reſeruati, & Nauarro in Manuali. capite. 27. ſed hæreſis in corde occulta non eſt ſubiecta excommunicationi, vt diximus in ſuperioribus, ergo poteſt ab ea abſoluere quilibet idoneus confeſſor. Item, ſi quis intra ſe ſtatuat occidere clericum, aut emere ſacramentum, nulla opera exterius adhibita ad has res efficiendas, non incurrit excommunicationem: & ideo poteſt abſolui à quolibet ſacerdote iuriſdictionem habente, vt affirmant Sylueſter & alij, quos refert Sylueſter verbo. excommunicatio. 7. §. 5. ergo pari ratione dicendum erit de hæreſi in corde latente.

6. Dictum. ¶ Dico ſextò, quod qui fidem in corde integram retinens, dixerit aut fecerit aliquid ad infidelitatem pertinens, vt ſi ore tenus neget Chriſtum, aut adoret idolum, poterit abſolui à quocunque confeſſore per Cruciatam electo. Probatur, Hic non eſt hæreticus nec excommunicationi ſubiectus, & crimen ipſum non habet aliam reſeruationem, ergo poteſt abſolui à quocunque idoneo confeſſore. Conſequentia eſt nota, & antecedens probatur, Secundum regulam iuris, odia ſunt reſtringenda, &c. & lex Eccleſiæ hæreticos excõmunicans inter odia computatur, ergo eſt reſtringenda ad eos dumtaxat qui verè ſunt hæretici: ſed hic, de quo loquimur non eſt vere hæreticus, cum habeat integram fidem in corde, ergo non eſt excommunicatus. Ita tenent Sylueſter verbo. hæreſis. §. 9. & Nauarro in Manuali cap. 11. num. 25. Verum tamen eſt, quod in foro exteriori iudicabitur excõmunicatus ille, qui fidem integram retinens interius, aliquid ad infidelitatem pertinens dixerit aut fecerit, vt conſtat ex capite. contra Chriſtianos, de hæreticis, vbi dicitur contra Chriſtianos, qui ad ritum tranſierint infidelium, eſſe tanquam contra hæreticos procedendum. Caietanus. 2. 2. quæſtione. 94. artic. 1. tenet, quòd qui ſciens & prudens facit aliquid contra fidem, quam integram in corde retinet, vt qui ore negat Chriſtum, aut adorat idolum, eſt excommunicatus. Et ratio illius eſt, quia ſi in iure eſſet lata excommunicatio contra furem, is verè eam incurreret, qui voluntariè furaretur: ſed eſt lata excommunicatio in iure contra eos, qui ex voluntate exterius fuerint infideles, ergo omnes tales ſunt excommunicati, quanuis interius in corde veram fidem retineant. ¶ Hoc tamen non obſtante dico, quòd contraria ſententia proculdubio eſt vera. Et ad argumentum Caietani reſpondetur negando minorem: nam excommunicatio poſita in iure in foro conſcientiæ, non ſe extendit ad eos, qui ex voluntate exterius fecerint aliquid infidelitatis: ſed ad eos tantum, qui interius repugnauerint fidei in baptiſmo ſuſceptæ, & exterius verbis aut factis id declarauerint: itaq; vtrumque eſt neceſſarium, vt excommunicatio contra hæreticos lata incurratur, & ſi alterum illorum deſit non incurritur. Et hæc ſint dicta de prima pœna contra hæreticos impoſita, quæ eſt excommunicatio. Ex qua ſequitur alia, quæ eſt priuatio Eccleſiaſticæ ſepulturæ, & aliarũ oblationum, & precũ quæ pro mortuis agi cõſueuerũt, vt dicitur de hæret. in. 6. capit. accuſatus. §. in eo. & capitulo ſicut. & cap. ſacris. de ſepulturis. Sic etiam in omni religione impij non ſolum morte cruciātur atq; dedecore, verum etiam ſepulturæ iuſtis exequijs caruerunt, vt dicit Cicero, lib. 2. de legibus.

Difficultas de pœna priuationis bonorum hæreticorum. ¶ Iam dicendum nobis erit de pœnis temporalibus, quæ ab Eccleſia contra hæreticos decretæ ſunt. Et primo de priuatione bonorum. Circa quod eſt difficultas, vtrùm hæretici, qui ſuam hæreſim exterius protulerunt (hi enim ſunt, qui, vt diximus, pœnis contra hæreticos ab Eccleſia ſtatutis ſubijciuntur) ſint ipſo facto, & ante iudicis ſententiam priuati dominio ac poſſeſſione bonorum ſuorum. In qua difficultate vnum eſt certum, & alterum controuerſum.

Hæreticus eo ipſo eſt priuatus dominio bonorum ſuorum. Certum eſt apud omnes tam Theologos, quam iuriſperitos, vno Archidiacono excepto, contra quem diſputat Caſtro libr. 2. de iuſta hæreticorum punitione. capit. 6. quod hæreticus ipſo facto

amittit

amittit dominium bonorum ſuorum, eo namque priuatur per cap. cum ſecundum leges, de hæreticis. lib.6. Vbi dicitur, Bona hæreticorum ipſo iure de fratrũ noſtrorum conſilio decernimus confiſcata, confiſcationis tamen huiuſmodi exequutio fieri non debet per principes, aut dominos alios temporales, iuxta Gregorij Papę prædeceſſoris noſtri declarationem, antequam per Epiſcopum loci, vel aliam perſonam Eccleſiaſticam, quæ ſuper hoc poteſtatem habeat, ſententia ſuper eodem crimine fuerit promulgata. Cuius rei etiam ſignum eſt, quod cum quis, per ſententiam à iudice latam, declaratur hæreticus, retrò agitur confiſcatio, vſque in illum diem, quo conſtat ipſum primum in hæreſim incidiſſe: quod nulla ratione fieri poſſet, niſi hæreticus ipſo facto ſuorum bonorum dominium amitteret. Eſtq; hæc pœna merito contra tam graue ſcelus impoſita, vt huius tam acerbæ punitionis metu hæretici ſuas hæreſes alijs palã facere reformidẽt. Diuitiarũ ſiquidem cupido, & amor, multorum animos adeò vehemẽter percellit, vt pro illarum tutela nullum prętermittãt laborem, nihilq; intẽtatum relinquant etiã ſi pro illarũ conſeruatione oporteat periculo ſe exponere mortis iuxta illud Poetæ. *—Curris mercator ad Indos, Per mare pauperiem fugiens, per ſaxa, per ignes.* Ex quo factũ fuit, vt ſapientes legũlatores, cũ leges aliquas condiderũt, quas ſummè obſeruãdas eſſe cupiebãt, aliquã pecuniæ mulctã earũdem legum trãſgreſſoribus ſtatuerint. Solon, qui nunc inter ſeptẽ Græcię ſapientes numeratus eſt, aliquibus illarum legũ quas Atheniẽſibus dedit, quo melius obſeruarẽtur, certã aliquã pecuniæ mulctã adiecit. Nam (vt Plutarchus in vita Solonis refert) ſi quis ſacris in locis, vel in iudicio, in viuũ aliquẽ eſſet maledictis inuectus, eũ quinq; drachmis mulctari quarũ tres iniuria affecto duas alia ęrario publico ſoluere iuſsit. Itaq; hoc certũ eſt. ¶ Sed cõtrouertitur, vtrũ hæreticus ſtatim, ac in hæreſim lapſus eſt, teneatur in foro conſcientiæ ante iudicis condemnationem, tradere bona ſua fiſco. ¶ In qua difficultate ex Theologis Conradus, lib.1. de contractibus, quæſtione.7. & Caſtro, lib. 2. de iuſta hæreticorum punitione. cap. 6. & de lege pœnali. libr. 2. capit. 8. & ex iuriſperitis Abbas & Felinus ſuper caput primum. de conſtitutionibus, partem tenent affirmatiuam, dicentes, quòd hæreticus, ſtatim ac hęreticus factus eſt, tenetur in foro conſcientię ſpoliare ſe bonis ſuis, & reſignare ea fiſco.

Sententia Alphonſi à Caſtro & aliorum.

1. Argum.

Quam ſuam ſententiam probant primo: Illa bona iam non ſunt hæretici, cum hęreticus ſit ipſo facto priuatus dominio illorum, ſed ſunt fiſci, vt tanquam certum ſuppoſuimus, ergo hęreticus illa retinens peccat, atque ex conſequenti in foro conſcientiæ tenetur illa reſignare. Antecedens eſt manifeſtum, & conſequentia probatur ex Diuo Auguſt. qui in epiſtola ad Macedonium, & refertur. capit. ſi res. 17. quæſtione. 6. dicit. Si res aliena, propter quam peccatum eſt, reddi poſſit, & non redditur, pœnitentia non agitur, ſed ſimulatur.

2. Argum.

¶ Secundò, per præceptum iſtum, non furaberis, non ſolum prohibita eſt rei alienæ ablatio, ſed etiam quæuis rei alienę detentio inuito domino, alioqui oporteret dicere furem ſolum peccare, quando rem alienam aufert, & non quando inuito domino retinet, quod eſt apertè falſum, & contra Diuum Hieronymum, qui ſuper illud prouerb. 29. Qui cum fure participat. &c. & refertur in cap. qui cum fure. extra de furtis, dicit, Nõ fur ſolummodo, ſed etiam ille reus tenetur, qui conſcius furti quærenti poſſeſſori pecuniam, quam perdidit, non vult indicare, cum valet. Quæ verba ſic ſunt intelligenda, quod tenetur indicare non furem ſed furtũ, & hoc quando furtum recuperari poſſit. Si ergo ille, qui non indicat rem furtiuam cum poteſt, reus tenetur furti: quantò magis ille tenebitur reus, qui rem alienam detinet apud ſe, atque ex cõſequenti hæreticus, qui bona olim ſua apud ſe retinet, nec reddit ea fiſco peccabit mortaliter.

3. Argum.

¶ Tertiò ſic argumentor, Poſt iudicis ſententiam declaratiuam abſque vlla alia ſententia, vel condemnatiua, vel definitiua, tenetur hæreticus bona ſua fiſco reſignare, vt omnes doctores fatentur, ergo & ante prædictam ſententiam. Antecedens eſt manifeſtum, & conſequentia probatur: quia illa ſententia declaratiua nihil de nouo præcipit, nec nouam aliquam obligationem inducit, quantum ad hoc, ſed ſolum eſt declaratiua criminis commiſsi, propter quod ſecundum legem incurritur illa priuatio bonorum: vt ſic alijs conſtet de crimine, & de iuſta

punitione ſeu priuatione dominij, & poſſeſsionis, & vt ſic fiſcus poſsit in foro cõtentioſo iuſtè exequi talem pœnam apprehendendo poſſeſsionem. *4. Argum.* ¶ Quartò, ſi fiſcus, cui per legem illa bona adiudicata ſunt, ante ſententiam iudicis declaratiuam, talia bona manifeſti hæretici deprehenderet, nõ teneretur illa ei amplius reſtituere, vt patet per legem, quod à quoquã. ff. de re. ſur. Vbi dicitur, Quòd à quoquam pœnæ nomine exactum eſt, id eidem reſtituere nemo cogitur: ergo ipſe hæreticus tenebatur ante talem iudicis ſententiam talia bona fiſco relinquere. Probo conſequentiam, nam res, quæ ſolius vnius domini eſt, non poteſt à pluribus iuſtè poſſideri. *5. Argum.* ¶ Quintò, lex pœnalis continens ſententiam latam, ipſo facto idem efficit in reo, quo ad pœnam ibi expreſſam, quod efficeret ſimilis ſententia à iudice lata, ſi per ſolam ſententiam, & non per legem condemnandus eſſet, ſed per ſententiam iudicis condemnatiuam reus obligaretur in conſcientia, non ſolum ad relinquendum dominium, ſed etiam poſſeſsionem bonorum, vt omnes doctores fatentur, ergo ad idem obligabitur per ſententiam legis ipſo facto, ante iudicis condemnationem. Conſequentia cum minori eſt nota, & maior probatur: quia non eſt minoris, ſed maioris autoritatis lex, quam iudex eius miniſter, vt cõſtat ex lege cum quaſi. §. ſi plures. ff. de fideicommiſsi. libert. & ex gloſſa ibidem, verſiculo, iudicat. vnde à ſententia iudicis licet appellare, & nõ à ſententia legis. *Vltimum argumentum.* ¶ Vltimo, Aliæ leges pœnales, quæ continent ſententiam latam in iure, obligant ad pœnam ſubeundam ante iudicis condemnationem: ergo idem dicendum eſt de pœna priuationis bonorum hęreticis impoſita. Conſequentia tenet ex paritate rationis, & antecedens probatur multipliciter. Nam primo omnes leges, quæ imponunt ſententiam excommunicationis, ipſo facto incurrendam, ante iudicis condemnationem, ligant trãſgreſſores, vt omnes Doctores fatentur. ¶ Item, in collegijs, ſunt ſtatuta decernentia, vt qui hoc, vel illud fecerit teneatur ſtatim ante iudicis condemnationem reſtituere, quæ de collegio acceperat, & certum eſt apud omnes, quod talis tenetur in conſcientia pœnam ſubire ante iudicis condemnationem. ¶ Item, in noſtra vniuerſitate ſunt leges, quæ priuant iure ferendi ſuffragium eos, qui ambierint, vel aliquid ab oppoſitoribus acceperint: quam pœnam incurrunt ipſo facto ante iudicis condemnationem. ¶ Item, ſunt leges Regiæ præcipientes, vt iudices, qui munera à litigantibus acceperint, quadruplum reſtituant, quod tenentur efficere ante iudicis condemnationem. ¶ Item, qui vendit triticum vltra taxatum precium, ſtatim ante iudicis ſententiam tenetur illud reſtituere. ¶ Et ſimiliter poſt determinationem concilij Tridentini ſeſsione. 23. cap. 1. Quicunque curatus non reſidens in ſuo beneficio, tenetur ipſo facto fructus reſtituere, & clerici qui habebant duo beneficia curata, tenebantur ea reſignare, alioqui ipſo facto illis priuabantur, vt patet ex concilio Tridentino ſeſſ. 7. cap. 4. ergo.

¶ Ad explicationem huius difficultatis *1. Notabile.* eſt aduertendum primò, aliam eſſe quæſtionem, vtrùm lex pœnalis obliget in conſcientia tranſgreſſores ad ſolutionem pœnæ ante iudicis ſententiam: aliam verò, vtrùm hæreticus ex eo, quod per legem eſt ſpoliatus dominio ſuorum bonorum, teneatur in conſcientia tradere ea fiſco ante iudicis condemnationem. Et non ſeparare ab inuicẽ has duas quæſtiones fuit nonnullis occaſio, vt errarent in præſenti diſputatione, exiſtimantes eas eſſe ità inter ſe ſe connexas, vt ſi lex pœnalis obligat ad ſolutionem pœnæ ante iudicis ſententiam, hæreticus etiam teneatur reſignare bona ſua fiſco, nulla expectata condẽnatione, & ſi non obligat, non tenetur: cum tamen hæc duo poſsint ab inuicem ſeparari, & vnum non dependeat ab alio. Quin potiùs dico, quòd quamuis concedamus legem pœnalem obligare ad pœnæ ſolutionem ante iudicis ſententiam, adhuc tamen ex hoc non ſequitur, quod hæreticus ſtatim, vt crimen committit, tenetur reſignare bona ſua fiſco, niſi prius probetur, eſſe aliquam legem, quæ ipſo facto priuet cũ vſu, & poſſeſsione bonorum ſuorum, quæ ſanè nulla eſt, vt infra dicemus.

¶ Secundò eſt aduertẽdum, ꝙ in bonis tẽporalibus dominium, & poſſeſsio rei, ità diſtinguuntur ſecundũ naturã & ſecundũ leges, vt vnũ ſine altero eſſe poſsit. *2. Notabile.* Imo de facto ſæpè ita contingit, quòd vnus poſsidet rem cuius non eſt dominus, & alter habet dominium rei, cuius poſſeſsione eſt priuatus,

priuatus, vt conſtare poteſt ex multis exemplis.

3. *Notabile.* ¶ Tertiò eſt aduertendum, quod hæreticus ante commiſſum crimen verè habet & dominium & poſſeſsionem bonorum ſuorum, nec ipſum crimen hæreſis ex natura ſua efficit, vt hæreticus ſit bonis ſuis priuatus, ſed id ſolum efficitur ex diſpoſitione & decreto legis humanæ, vt omnes concedunt.

4. *Notabile.* ¶ Quartò eſt aduertendum, quod in dicto cap. cum ſecundum leges, tria præcipuè dicuntur. Primum eſt, quod hæreticus ipſo facto amittit dominium bonorum ſuorum, & quod illa cedunt fiſco. Secundum, quod fiſcus non occupet illa bona ante iudicis condemnationem. Tertium eſt, quod facta condemnatione, confiſcatio retro agatur à die cõmiſsi criminis, & quòd omnes donationes & contractus facti ab hæretico poſt cõmiſſum crimen ſint nulli.

Concluſio. ¶ His ſuppoſitis ſit concluſio, Hæretici ante latam à iudice ſententiam non tenentur in foro conſcientiæ abdicare à ſe bona ſua, & tradere ea fiſco. Hanc tenent cõmuniter omnes theologi: & probatur, Hæreticus ante ſententiam iudicis habet legitimam bonorum ſuorum poſſeſsionẽ, ergo in foro conſcientiæ non tenetur illa fiſco reſignare. Conſequentia eſt nota & antecedens probatur. Hæreticus ante commiſſum crimẽ habebat legitimam poſſeſsionẽ bonorũ ſuorũ, & nulla lex eſt, quæ illum priuet iſta legitima poſſeſsione ante iudicis condemnationem, ergo illam habet. Et confirmatur. Ante commiſſum crimen habebat vtrumque, ſcilicet, & dominium, & poſſeſsionẽ: & poſt cõmiſſum crimen lex tantum illum ſpoliat dominio, ergo retinet poſſeſsionem: cum hæc duo realiter diſtinguantur, nec ſublato vno neceſſe ſit alterum auferri. Item, Vel illorum bonorum legitima poſſeſsio pertinet ad fiſcum, vel ad ipſum hæreticum, ante iudicis ſententiam: non ad fiſcum, nam lex præcipit illi ne ea occupet, ergo pertinet ad hæreticum. Et confirmatur, Illa lex non ſolum non priuat hæreticum legitima poſſeſsione ante iudicis ſententiam, ſed etiam illam ei concedit, quoadusque ſententia ſupra eodem crimine fuerit promulgata, ergo non tenetur bona reſignare quoadusque de hæreſi fuerit condemnatus. Maximè quòd pœnæ non debent extendi vltra verba legis. Item conſuetudo eſt optima legum interpres, vt habetur in capitulo cum dilectus, de conſuetudine. Et eſt in tantum hoc verum, quòd ſi conſuetudo eſt legitima derogat legem humanam, & ipſa valet pro lege, vt communiter docent doctores in dicto capitulo, & in capite, cum conſuetudinis, & capite finali eodem titulo: ſed conſuetudo hoc tempore & practica & cõmuni omnium conſenſu, & opinione roborata, eſt quod hæreticus non abdicat à ſe bona, quo adusque de crimine fuerit conuictus, ergo non tenetur illa reſignare. Vltimo hoc ipſum probatur: nam ex oppoſita ſententia ſequerentur quam plurima incommoda. Nam primò ſequeretur, quòd lex humana cogeret hominem ad hoc, vt ſumeret de ſe ſupplicium tanquam iudex, & vindex ſui: quod à recta ratiõne eſt prorſus alienum. Item cogeret eum ad hoc, vt ſuum occultiſsimum crimen manifeſtaret, quod repugnat rationi naturali. Item cogeret eum ad impoſsibile: nam moraliter loquendo, id iudicatur impoſsibile, quod ingentiſsimam continet difficultatem. Eſt autem difficillimum vniuerſum ſuum patrimonium fiſco tradere, & ſe ac totam ſuam familiam, & poſteros in ſordidam paupertatem deijcere, ergo non eſt aliqua lex humana obligans in conſcientia hæreticum ad id efficiendum. ¶ Ex dictis infero primo, quòd hæreticus ante iudicis ſententiam prætextu hæreſis nulla ratione poteſt excludi ab agendo contra proprios debitores: ſed ſicut retinet bonorum poſſeſsionem, ità etiam retinet illorum adminiſtrationem. *1. Corollariũ.* ¶ Infero ſecundo, quod omnes contractus tam venditionis, quàm donationis facti ab hæreticis, ſunt ipſo facto nulli: nam cum hæretici non habeant verum dominium bonorum ſuorum, quanuis habeant illorum legitimam poſſeſsionem, fit, vt per nullum contractum poſsint dominium in alium transferre. *2. Corollariũ.* ¶ Infero tertio, quod fiſcus poteſt bona ſic alienata de manu cuiuſcunque poſſeſſoris reuendicare, hac tamen conditione, vt precium, quo bona diſtracta fuerint reſtituat emptori, ſi tale precium aut aliquid illi æquiualens apud hæreticum inueniatur. *3. Corollariũ.* Si autem nec precium illorum bonorum, neque aliquid aliud loco precij apud hæreticum reperiatur, poterit tunc fiſcus bona illa nullo dato precio reuendicare, quanuis emptor bona fide emerit. Ita docent Ioannes Andreas ſuper caput cum ſecundum

cundum leges de hæreticis.lib.6.& Dominicus de ſancto Geminiano eodem loco. Et pro huius rei confirmatione afferunt argumentum ex lege.ſicut dotem.§.finali.& lege ſequenti.ff.ſoluto.matr.&.ff.de legat. 1.l. imperator. & lege ſequenti. Ego tamen adduco ſimile, quod rem propoſitam maximè confirmat. Si Petrus emit à Ioanne bona fide rem furtiuam, quam Ioannes furto ſurripuerat à Frãciſco, & poſteà Franciſcus rem illam ab eo furto ſublatam inueniat apud Petrum, iuſtè reuendicabit eam à Petro, etiam ſi non inueniatur apud furem preciũ, aut aliquid aliud tãtundẽ valens. Et hoc non ob aliam cauſam iuſte faciet, niſi quia rem ſuam à quocunque poſſeſſore iuſtè repetere, & reuendicare poteſt. Cum igitur hæreticus à die commiſſi criminis ſit priuatus dominio omnium bonorum ſuorũ, ſequitur, illum, ſi aliquid ex illis bonis vendiderit, rem non ſuam, ſed fiſci vendidiſſe: & per conſequens fiſcum à quocunque poſſeſſore illam poſſe repetere. Eſt tamen hoc intelligendum, antequam legitimum præſcriptionis tempus ſit elapſum: nam bona hæreticorum tenentes præſcribere poſſunt contra Romanam Eccleſiam ſpacio annorum quadraginta, vt patet ex cap. finali. de præſcriptionibus.lib.6.

4. Corollariũ ℂ Infero quarto, quod hæreticus nullum poteſt conficere teſtamentũ, & ſi confecerit in morte, nullius erit roboris, aut momenti. De proprijs, enim faciendum eſt teſtamentum & non de alienis.

Obiectio. ℂ Et ſi quis obijciat contra hoc, nam ex hac doctrina ſequitur, quod hæreticus occultus peccat, ſi facit aliquos contractus, ſiquidem non habet ſuorum bonorum dominium: conſequens autem eſt falſum, & contra communem ſententiam omnium doctorum, ergo.

Solutio. Ad hoc argumentum reſpondetur ſub diſtinctione: nam vel crimen commiſſum ab hæretico ita eſt occultum, vt nulla ratione moraliter loquendo poſſit in iudicio probari, vel ita eſt occultum, vt tamẽ poſſit in iudicio probari. Si ſit occultum primo modo hæreticus non peccaret vendendo, aut donando bona ſua, quia cum ſit poſſeſſor legitimus, vſque ad iudicis condemnationem, quæ moraliter loquendo timeri non debet, poteſt quemcunque contractum efficere: & tunc poſſeſſio æquiualet dominio. Si tamen crimen ſit occultum ſecundo modo, tunc quidem peccaret hæreticus bona ſua vendendo, aut alienando: niſi forte id faceret ad alendam familiam, vel ad cõſumptionem eorum in eis, quæ victui, & veſtitui ſunt neceſſaria.

ℂ Sed reſtat, vt reſpondeamus ad argumenta in principio facta. Ad. 1. arg. Ad primum reſpondetur conceſſo antecedenti negando conſequentiam. Nam cum hæreticus ſit illorum bonorum legitimus poſſeſſor, vſq; ad ſententiam iudicis, non retinet ea inuito Domino rationabiliter, quod neceſſarium eſſet ad hoc, vt peccaret non reddendo. Ad. 2. arg. ℂ Ad ſecundum reſpondetur concedendo, per illud præceptum, Non furaberis, prohiberi non ſolum rei alienæ ablationẽ, ſed etiam quamcũq; eius rei detentionem, quæ fit inuito domino rationabiliter, nego tamen, quod hæreticus hoc modo res alienas detineat, ante iudicis condemnationẽ: cum ſit illorum omnium legitimus poſſeſſor, vt iam diximus. Ad. 3. arg. ℂ Ad tertium argumentum reſpondetur conceſſo antecedenti negando conſequentiam. Et ad probationem dico, quod quamuis ſententia declaratiua iudicis per ſe nihil pręcipiat, nec obliget ad aliquid de nouo, ipſa tamen præſuppoſita lege, & in virtute illius, ſeu potius ipſa lex, quæ per talem ſententiam declaratiuam, & non aliter, nec ante voluit, vt hæreticus eſſet in effectu priuatus ſuorum bonorum poſſeſsione, efficit talem priuationem, & ſic falſum eſt dicere, quod ſententia declaratiua iudicis ſolum requiritur, vt declaret crimen, vt alijs innuteſcat: ſed etiam requiritur, vt condemnet, vel ſaltim, vt ponat in actu conditionem, qua mediante & non aliter lex vult, vt hæreticus ſit priuatus ſuorum bonorum poſſeſsione, vnde ante talem ſententiam nunquam obligatur illa reſignare. Ad. 4. arg. ℂ Ad quartum reſpondetur negando antecedens. Quin potiùs teneretur fiſcus illa bona reſtituere quantumuis crimen & criminoſus notoria eſſent, quia iniuſte poſſideret, quod non niſi mediante ſententia iudicis ſibi debetur. Et ad legem. quod à quoquã. reſpõdetur quod loquitur de pœna, quę legitimè iam exacta eſt, qualis nõ eſt in caſu poſito ante iudicis declaratiuam ſententiam. Ad. 5. arg. ℂ Ad quintum reſpõdetur negando maiorem, & ad probationem dico, non prouenire ex minori perfectione legis, quod iudex puniens per ſententiam obliget ſtatim ad pœnã priuationis,

bonorum

bonorum, & non lex: ſed ipſa rei natura, quæ talis eſt, vt poſtulet miniſtrum ad ſui excuſationẽ, vt ſtatim dicemus. Præterquã quod etiam, quod iudex talẽ proferat ſententiam, hoc habet virtute legis, ita præcipientis, & ſic non iudex, ſed lex eſt quæ principaliter operatur.

Difficultas explicãda pro ſolutione vltimi argumenti. ¶ Ad vltimum argumentum vt reſpondeamus operæprecium erit, vt explicemus illam quæſtionem difficilem vtrum tranſgreſſores legum pœnalium ante iudicis condemnationem teneantur in conſcientia pœnam ſubire. Ad cuius intelligẽtiam, *Leges pœnales ſunt in duplici differentia.* eſt aduertendum, quod leges pœnales ſunt in duplici differentia. Quædam enim ſunt, quæ decernunt pœnas non latas ſed ferendas: aliæ verò, quæ ipſo iure inferunt pœnas, quas decernunt. Et quidem de legibus primi generis certum eſt quod non tenentur eorum trãſgreſſores pœnam ſubire ante iudicis condemnationem. De alijs vero legibus ſecundi generis eſt maxima con*Sententia Panormitani.* certatio inter Doct. Nam Panormit. in cap. canonum. de conſtitutio. & in cap. dilecti. de arbitris dicit. quòd tranſgreſſores legũ pœnalium ipſo iure inferentium pœnam, quam decernunt, tenentur in conſcientia pœnam ſubire ante iudicis condemnationem. Eandem tenet Felinus in dicto cap. canonum. num. 43. & plures alij ex iuriſperitis, quos refert Cordoua. lib. 1. quæſt. 36. Caſtro etiam tenet eandem ſententiam libro. 2. de iuſta hæreti. punitione. cap. 6. & de lege pœnali, lib. 2. cap. 8. & 9. ¶ Sed con*Sentẽtia D. Thom.* trariam ſententiam tenent D. Thom. 2. 2. quæſt. 62. artic. 3. & Caietanus ibidem. & in ſumma verbo pœna. Conradus tract. 1. de contractibus. q. 7. Syluester verbo hære ſis. 1. §. 8. & in verbo, aſſaſinus. Adria. quodlibet. 6. art. 2. & alij, quos citat Soto libr. 1. de iuſtitia & iure. q. 6. artic. 6. Qui omnes dicunt, quòd tranſgreſſores legum pœnalium peccant quidem, ſed non tenentur in conſcientia pœnam ſubire ante iudicis condemnationem.

Pœnæ legibus appoſitæ ſunt in duplici differẽtia. ¶ Sed nos pro breui reſolutione huius difficultatis aduertimus, quòd pœnæ legibus appoſitæ ſunt in duplici differentia. Quædam enim ſunt, quæ nullam requirunt actionem, nec ex parte delinquentis, nec ex parte iudicis, aut miniſtrorum, ſed in ſola priuatione conſiſtunt, vt excommunicatio, & irregularitas, &c. Aliæ verò ſunt, quæ requirunt aliquam actionem paſsioni adiunctam, vt pœna exilij pœna capitis. &c. Hoc ſuppoſito ſit prima cõcluſio. Tranſgreſſores legum pœnalium, ante iudicis condemnationem incurrunt eas pœnas, quæ in ſola priuatione conſiſtunt. *1. Concluſio.* Itaque ſi iudex Eccleſiaſticus præcipiat aliquid ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, quicunque tranſgreditur illam legem ante iudicis condemnationem erit excommunicatus, & idem erit de irregularitate, & ſuſpenſione. Hæc concluſio certa eſt, & communi vſu, & ſenſu Eccleſiæ comprobata. Cæterùm in eius ratione aſsignanda nonnihil eſt controuerſiæ. Caietanus. 2. 2. quæſt. 62. artic. 3. dicit hoc ita eſſe, quia cum huiuſmodi pœnæ in mera priuatione conſiſtant, ità vt ad eas inferendas nulla actio requiratur ex parte delinquentis, poteſt Eccleſia eas inferre cum ſola notitia criminis, quam habet tranſgreſſor. At verò Soto alia via procedit. Et dicit, hoc ità eſſe, quia cum excommunicatio non ſit priuatio alicuius boni proprij, quod tranſgreſſor prius poſsideret, ſed tantum eſt priuatio bonorum communiũ, quæ ab Eccleſia erat accepturus, poteſt Eccleſia eum, qui tranſgreditur ſuas leges, eo ipſo efficere inhabilem ad huiuſmodi bona percipienda. Mihi vtraque ratio probabilis videtur, ſed magis illa, quæ eſt Caietani quia eſt vniuerſalior. ¶ Ex hac con*Corollariũ.* cluſione infertur, quòd ſi quis tranſgreditur legem pœnalem priuantem voce actiua, aut paſsiua ſuos tranſgreſſores, erit ipſo facto illa priuatus. Ita, vt, ſi eligat vel eligatur electio ſit nulla, non obſtante ſententia Soti, qui loco citato dicit ſolum id habere verum in lege, quæ priuat voce paſſiua, & non in ea quæ priuat voce actiua. Probatur primo, nam hæc pœna etiam cõſiſtit in mera priuatione ſicut illa. Item quia excommunicatio ſtatim incurritur ante iudicis condemnationem: & certum eſt quod excommunicatio vtriuſque vocis priuationem includit. Eſt tamen ad*Nota.* uertendum quod ad hoc, quòd noſtra concluſio verum habeat, neceſſariũ eſt, quòd in ipſa lege dicatur pœnam impoſitã ipſo facto, vel ipſo iure incurrendam à trãſgreſſoribus. Nam cum leges pœnales ſint odioſiſsimæ, & ex conſequenti in mitiorem partem interpretandæ, fit, vt quotieſcunque aliquid præcipitur ſub pœna excommunicationis, vel ſuſpenſionis ſimpliciter, de excommunicatione ferenda, & non lata ſit intelligendum.

¶ Secunda

2. Concluſio. ¶ Secunda concluſio, Tranſgreſſores legum pœnalium non tenentur in conſcientia ante iudicis condemnationem ſubire eas pœnas, quæ in actione, & paſsione conſiſtunt. Probatur: Nam leges, quia mortuæ ſunt, egent iudice atque miniſtro, qui eas executioni mandet, ſeuerè animaduertens quoſcunque tranſgreſſores quantum ipſæ leges patiuntur: ſed nullus poteſt in cauſa propria eſſe ſeuerus ac rectus iudex, ergo nullus ad legem pœnalem in ſe exequẽdam eſt rectus miniſter: atque ex conſequenti nullus obligabitur ad ſubeundam pœnã ante iudicis condemnationem. Confirmatur: nam eſt ab omni humanitate alienum, quod qui in occulto crimen cõmiſit, ſe ipſum cõdemnet ad iacturam bonorum vel ad pœnam exilij, aut mortis, & quod ſe ipſum prodat futurus iudex, reus, accuſator, & teſtis in cauſa propria: ergo non eſt dicendum, quod leges pœnales obligant ad ſubeundam pœnam ante iudicis cõdemnationem. Item leges humanæ ad hoc, vt iuſtæ ſint, debent eſſe tolerabiles: & quę moraliter loquendo, poſsint obſeruari, vt docet D. Thom. 1. 2. quæſt. 95. articulo. 3. Vnde leges multum difficiles, quamuis ſint ex obiecto bonæ, ſunt tamen pernicioſæ, quia prębẽt hominibus offendicula, & ſunt tanquam laquei ad irretiendos homines. Sed moraliter loquendo non eſt veroſimile, quod trãſgreſſor legis occultus ſit ſubiturus pœnam exilij aut ſpoliationis bonorum, ergo non eſt dicendum, quod ad hoc obligatur. Plures alias rationes adducit Soto ad hoc probandum libr. 2. de iuſtitia & iure. quæſt. 6. art. 6. quas ibi poteſtis videre. Ex quibus omnibus infertur, ità verum eſſe, quod leges pœnales non obligãt ad ſubeundam pœnam ante iudicis ſententiam, vt contrarium per potentiam humanam fieri non poſsit. Itaque dico, quod nec obligantur nec per aliquam potentiam humanam poſſunt obligari trãſgreſſores legum pœnalium ad ſubeundas eas pœnas, quæ in actione & paſsione conſiſtunt.

Ad argum. vltimum in principio factum, & cuius occaſione hæc omnia diximus. ¶ Vnde ad argumentum, cuius occaſione hæc dicta ſunt reſpondetur, quidquid ſit de antecedenti negando conſequentiã. Et ad primam probationẽ de legibus, quæ imponunt ſententiam excommunicationis ex dictis patet ſolutio. ¶ Ad aliud de legibus collegiorum, vt reſpondeamus eſt aduertendum, aliud eſſe aliquem ſpoliari bonis, quæ prius habebat: aliud autem impediri ne acquirat dominium eorum, quæ nõ habet. Et vtrũque poteſt fieri per leges humanas: ſed hoc ſecũdũ multo facilius, & minori de cauſa. Hoc ſuppoſito dico, quòd ſtatuta illa non priuant trãſgreſſores bonis ſuis, ſed efficiũt eos inhabiles ad recipienda ea bona, quæ ex collegio erant accepturi: quod quidem facere potuit conditor ipſius collegij, cum eſſet dominus illorum bonorum. Et cum trãſgreſſores illorum ſtatutorum non efficiant ea bona ſua, ſed illa vſurpent, fit, vt teneantur ea in conſcientia reddere ante iudicis condẽnationem, ſicut & alij fures, atque raptores. ¶ Ad aliud de ſtatutis noſtræ vniuerſitatis dico eſſe varias doctorum ſententias. Quidam enim dicũt trãſgreſſores nõ eſſe inhabiles ante iudicis condemnationem. Ita tenet Soto loco citato: alij verò contrarium dicunt. Et quia vtraque ſententia vera eſt quantum ad aliquid, ad explicationem difficultatis dico primò, quòd ſi ſtatuta huius vniuerſitatis ſuffragatores ipſo facto redderẽt inhabiles propter res, quas explicant, proculdubiò obligarent ante iudicis condemnationem: cum huiuſmodi pœna in mera priuatione conſiſtat. Dico ſecundò, quòd ſtatuta huius vniuerſitatis nõ decernunt eorum tranſgreſſores eſſe inhabiles ipſo facto, atq; ex conſequenti, quòd ex vi horum ſtatutorum nõ prohibentur violatores à ſuffragio ferendo ante iudicis cõdemnationẽ. Quod quidem intelligitur dummodo ipſi tranſgreſſores ex alia parte ſint legitimi ſuffragatores. Qui enim albo ſcholaſticorum non eſt adſcriptus, vel non dat operam eidem facultati in qua ſuffragium ferri debet, ante iudicis cõdemnationem eſt inhabilis, cum ius ſuffragandi nulla ratione habeat. Dico tertio, quòd qui trãſgrediuntur ſtatuta huius vniuerſitatis, vel ambiendo, vel aliquid ab oppoſitoribus accipiendo, ſimpliciter loquendo, non poſſunt in conſcientia ferre ſuffragium, etiam ſi à iudice non ſint condemnati. Probatur: nam antequam ſuffragium ferant iurant ſe non laturos ſuffragium ſi fecerint aliquid contra ea, quæ legibus vniuerſitatis ſunt ſtatuta, ergo quamuis ex ſola tranſgreſsione legis non ſint ipſo facto inhabiles, ratione tamen præſtiti iuramenti tenentur abſtinere à ſuffragio ferendo. Eſt tamen notandum, quod cum hoc peccatum tantum ſit periurium, nec ſpeciem aliquam contineat iniuſtitiæ, qui ſic periurus ſuffragium

Sententia autoris quantum ad ſtatuta noſtra vniuerſitatis.

Nota.

fragium tulerit nihil tenebitur reſtituere. Secus autem ſi aut bis, vel omnino excluſus a numero ſuffragantium, ſuffragium ferat: tunc enim tenebitur reſtituere cathedram, ſi propter ſuum ſuffragium alius ea priuatur. ¶ Ad aliud de iudicib⁹ dico primo verū eſſe, q̄ tenentur in cōſcientia reſtituere ante iudicis condēnationem ea, quæ à litigātibus acceperint. Nam cum leges regni impediant acquiſitionē dominij eorū, fit, vt cōtinuò teneantur illa reſtituere, tanquam aliena, nec vnquā facta propria. Dico ſecundò, quod ſi fortè in eiſdem legibus imponatur aliqua pœna, vt verbi gratia, q̄ quadruplum reddant ipſofacto, probabile eſt quod ante iudicis condēnationem tenētur in cōſcientia illā ſubire. Quia cum principes ſua voluntate eligant iudices tanquā miniſtros, quibus ex ſuo ærario ſtipendia decernunt, poſſunt tali conditione illos eligere, vt in conſcientia teneantur ſuorum delictorum pœnam ſubire ante iudicis condēnationem. Quapropter ratione cōditionis appoſitæ, & etiam ratione præſtiti iuramenti, (iurant enim ſe regni legibus pariturus) aſtringi poſſunt ad id, ad quod lex per ſe eos obligare non poterat. Nec propriè loquendo iſtæ leges ſunt pœnales, ſed potiùs conuentionales, quibus partes liberè obligantur ad aliquid efficiendum. ¶ Ad aliud de venditione frumenti ſuppoſito, quod lex illa duo facit, primū eſt taxare pretium frumento, alterum autem ſtatuere pœnam in illos, qui contra fecerint, dico primo certum eſſe, quod tranſgreſſores ante iudicis condemnationem tenentur in conſcientia reſtituere id, quod vltra taxatum precium acceperint. Nam cum in illa acceptione directè peccauerint contra iuſtitiam, & contra legem naturæ, quæ ſtatuit, ne quid accipiatur vltra iuſtum, nulla alia requiritur iudicis condemnatio ad hoc, vt teneantur ad eius reſtitutionem, quod iuſtum precium excedit. Secundò dico, quod quamcunque aliam pœnam ſubire non tenentur ante iudicis condemnationem, propter rationem iam dictam. ¶ Ad aliud de clericis non reſidentibus dico, verum eſſe, quod tenentur reſtituere fructus perceptos ante iudicis cō demnationem: quia Eccleſia, quæ eſt domina illorum fructuum, nō vult, vt faciant eos ſuos, niſi perſonaliter reſidēdo: & ideò ſi aliud faciūt Curati percipiunt alienum, vt diximus de ſtatutis collegiorum. Et idē eſt de eo qui poſt determinationem concilij Tridentini haberet duo beneficia curata. Et hæc de iſta dubitatione.

Iudices tenētur in cōſcientia reſtituere ſtatim ea, quæ a litigātibus acceperunt.

¶ De ſecunda pœna temporali, quæ eſt infamia contra hæreticos ab Eccleſia decreta, & tanto cæteris pœnis grauior æſtimari debet, quanto fama reliquis omnibus tranſitorijs bonis meritò anteponitur, (melius eſt enim nomen bonum quam diuitiæ multæ, vt affirmat Salomō Prouerbiorum. 22.) multa dicit Caſtro libro. 2. de iuſta hæreticorum punitione capit. 9. & 10. Ad quorum breuem reſolutionem aduertendum eſt, quod infamia eſt duplex: vna facti, altera iuris. Infamia facti eſt illa, quā quis incurrit propter criminis ſui manifeſtationem: & eſt tanto grauior quanto crimen quod cōmiſit eſt grauius, & tanto latior, quanto peccatum fuerit pluribus manifeſtum. Infamia iuris eſt illa, ad quam ex iuris decreto aliquis damnatus eſt. Sunt enim multa peccata, quorum aliquod ſi quis cōmiſerit iure ipſo cenſetur infamis: vt qui exercet improbum fœnus ex vſuris 3. quæſt. 7. §. Porro. & qui contrahit ſimul cum duabus, vel qui ſimul duas habet ſpōſas. l. quid ergo. ff. de his qui no. infam. & cap. nuper à nobis. extra de bigamis. Et qui locauit operas ſuas vt pugnaret cum feræ. ff. de poſtulando. l. 1. §. Beſtias. & denique quiſquis per ſententiam iudicis damnatus eſt de crimine publico. Quod ſolum habet verum quando damnatus eſt per ſententiam diffinitiuam, & non per ſententiam interloquutoriā: & quando damnatus eſt ab ordinario iudice, & non ſi damnetur ab arbitro. leg. quid ergo. §. excompromiſſo. ff. de his qui notantur infamia. Crimen autem publicum appellatur illud in iure, cuius accuſatio, vel denunciatio non ſolum perſonæ, quæ ex crimine illo aliquam paſſa eſt iacturam, ſed cuilibet ex populo competere poteſt. Sunt enim aliqua peccata à iure ſignata, quæ propter illorum grauitatem, ab omnibus accuſari poſſunt, ne maneant impunita: vt ſunt homicidia, parricidia, adulterium, crimen læſæ maieſtatis. &c. Quæ ideò publica dicuntur crimina, quia ad publicam ſpectat vtilitatem, vt talia puniantur: & niſi id fieret, plurima inde reipublicæ euenirent incommoda. Inter quæ primum locum tenet crimen hæreſis, quod cæteris omnibus eſt nocentius, & maiora reipublicæ incommoda inferre poteſt, iuxta illud, quod Paulus de hæreticis, dicit,

De pœna infamia cōtra hæreticos impoſita.

Infamia duplex.

dicit, Sermo eorum, vt cancer ſerpit. 2. Timoth. c. 2. Ex quo fit, vt quiſquis de hęreſi dãnatus ſit, vtroq; iure cenſeatur infamis.

2. Notabile.

¶ Secundò eſt aduertendum, ꝙ inter hæreticum occultum, & manifeſtum hoc eſt diſcriminis quòd hæreticus occultus ſola iuris infamia poteſt cenſeri infamis. Nam cum illud crimen non ſit manifeſtum, nulla ratione fieri poteſt, vt eius famam tollat. At verò hæreticus manifeſtus infamia facti, & infamia iuris poteſt eſſe infamis. Sed omiſſa facti infamia, vt manifeſta, & de qua nihil eſt dicendum, circa infamiam iuris eſt prima dubitatio, vtrum hæreticus antequam de crimine hæreſis à iudice damnetur, ſit ipſo iure infamis, an verò requiratur iudicis ſententia, ad hoc, vt iuris infamiam incurrat.

1. Dubium de infamia iuris.

Argumentum.

Et quod requiratur iudicis ſententia probatur, Nam commune eſt omnibus publicis criminibus, quòd in illis nõ incurratur iuris infamia, niſi poſt iudicis ordinarij ſententiam diffinitiuã: vt conſtat ex lege. 1. ff. de his, qui no. infam. & notat Dinus in regula infamibus. & Panormitanus in capitulo. teſtamentum. de teſtibus. & in cap. exceptionem. de exceptionibus: ergo idem dicendum eſt de hæreſi.

Sententia auctoris.

¶ Hoc tamen non obſtante dico eſſe longe probabilius, quod hæreticus ante iudicis cõdemnationem eſt ipſo iure infamis. Et probatur, Credentes, & receptores hæreticorum, qui intra annum ſatisfactionem congruam reddere neglexerint, velut hæretici reputantur, vt patet ex capitulo contumaciã, de hæreticis, libro. 6. & inter cæteras pœnas, quibus huiuſmodi credentes, & receptores hæreticorum puniũtur, vna eſt, quòd ipſo iure ſunt infames, vt patet ex capitulo excõmunicamus. §. credẽtes, extra, de hæreticis: ergo multo magis ipſi hæretici erunt ipſo iure infames. Probo conſequẽtiam: nam propter vnumquodq; tale, & illud magis: ſi ergo credentes, & receptores hæreticorum propter hæreticos ſunt infames, à fortiori hæretici, propter quos hæc pœna eſt illis inflicta etiam erunt ipſo iure infames. Secundò, Omnia quæ conueniũt illis, qui ſunt ipſo iure infames, conueniũt ante iudicis condemnationem, ergo hæretici ante iudicis ſententiam iuris infamiam incurrunt. Conſequentia eſt nota, & antecedens patebit ex his, quæ infra dicemus. Et hæc pœna nõ ſolum ipſos hæreticos, ſed etiam illorum filios punit: nam parentum hæreticorum filij quanuis fideles ſint, etiam cenſentur ipſo iure infames. Et merito quidem hãc pœnã ad filios vſq; extendẽdam eſſe diffinitum eſt: quia ſicut gloria, & nobilitate parentum gaudent filij, ita etiam è contrario, ꝙ parentum ignobilitatem, dedecus, & infamiam in ſeipſis ſentiãt æquũ eſt. Gloria filiorum parentes eorum dicit Sapiẽs prouerb. 17.

Hæreticus nõ poteſt eſſe teſtis.

¶ Ex hac iuris infamia, velut ex radice, quædam aliæ pœnæ oriuntur. Prima eſt, quod hæreticus non poteſt eſſe teſtis, vt patet ex cap. 1. extra de hæreticis. & ex capit. ipſa pietas. 23. quæſt. 4. Et merito quidem, nam qui falſum de fide Christiana dedit teſtimonium, iuſtè præſumitur de qualibet alia re falſum dicturum, vt habetur. 2. quæſt. 7. cap. non poteſt, & de regulis iuris. lib. 6. etiã dicitur, quod qui ſemel eſt malus ſemper præſumitur eſſe malus in eodem genere mali. Excipitur tamen ab hac regula cauſa hæreſis, in qua hæreticus contra hæreticum poteſt reddere teſtimonium, vt patet ex cap. in fidei fauorem. de hæreticis. lib. 6.

Hæretici ſũt priuati quocunq; beneficio & dignitate.

¶ Secunda pœna, quæ etiam ex prædicta iuris infamia deducitur, eſt priuatio cuiuſcunq; dignitatis, & officij publici, & cuiuſcunq; beneficij eccleſiaſtici, & indignitas, & inhabilitas ad aliquid horum in poſterum recipiendum. Sed oportet admonere lectorẽ, ꝙ hæc duo, ſcilicet, priuatio ſusceptorum, & indignitas ad alia ſuſcipienda, non pari paſſu currunt. Nam priuationem officij, aut beneficij ſuſcepti non incurrit hæreticus ipſo facto, ſed poſtquam ad illam fuerit per iudicem condemnatus. Verba enim quæ habentur in cap. ad abolendam. §. præſenti. extra, de hæreticis, non exprimunt ſententiam latam à iure, ſed ferendam. Sic enim dicit. Totius eccleſiaſtici ordinis prærogatiua nudetur: & nõ dicit ipſo facto, vel ipſo iure, ſit nudatus, quæ ſunt verba exprimentia latam ſentẽtiam. At vero pœnã, quæ eſt indignitas, & inhabilitas ad officia publica, & Eccleſiaſtica beneficia recipienda, vt incurrat hæreticus, non eſt opus aliqua iudicis ſententia, quæ illum iudicet indignũ, vel inhabilem. Sed poſtquam factus eſt hæreticus, ipſo iure eſt ineptus ad talia officia & beneficia recipienda, vt patet expreſsè ex cap. quæcunque. §. hæretici. de hæret. lib. 6.

Ad argum.

¶ Et ad argumentum in principio factum reſpondetur, quod quanuis regulariter loquendo in criminibus publicis nunquam incurratur infamia, niſi poſt iudicis ordinarij ſententiam diffinitiuam, notantur

tur

tur tamen in iure quædam crimina quę ſiquis commiſerit, ipſo iure eſt infamis: & inter hæc præcipuum eſt hæreſis, vt diximus. Ex quo fit, vt hæreticus etiam ante iudicis condēnationem ſit ipſo iure infamis.

2. Dubiū de pœna infamia.

¶Circa eandem pœnam, quæ eſt Infamia iuris, poteſt eſſe ſecundùm dubium, vtrùm ſit licitum, quod hæreticorum filij catholici propter ſuorum parentum hæreſim eiſdem pœnis, quibus illorum parentes puniuntur, ſubijciantur, ita vt ſint infames, ſicut illi, & inhabiles ad omnia officia & beneficia recipienda: & deniq; priuati omnibus bonis paternis, quæ ſibi hæreditario iure competere poterant? Et pro parte negatiua eſt illud Ezechielis cap. 18.

Argumētū.

Anima, quæ peccauerit ipſa morietur, filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filij. Iuſtitia iuſti ſuper eum erit, & impietas impij ſuper eum. Quibus verbis apertè ſignificat Deus, neminem ſecundum iuſtitiam peccato alieno puniri debere, ſed vnumquēq; pro ſuo. Et D. Auguſtinus etiam dicit, Nō prius eſt Deus vltor, quam aliquis ſit peccator, &c.

Concluſio catholica.

¶Hoc tamen non obſtante dico iuſtiſſimum eſſe, quod filij hæreticorum eiſdem pœnis ſubijciātur quibus eorum parentes puniuntur. Nec in hoc aliqua apparet ratio iniuſtitiæ, quin potius humanum iudicium imitatur iudicium diuinum, de quo Exod. cap. 20. dicitur: Ego ſum Dominus Deus tuus, fortis zelotes viſitans iniquitatem patrum in filios in tertiam, & quartam generationem, eorum, qui oderunt me. Viſitans dixit pro eo, quod eſt puniens, aut verberans, vel caſtigans. Nam cū aliquōd horum erga nos in hac vita exiſtentes pro noſtris peccatis Deus facit, tunc noſtras viſitare dicitur iniquitates, iuxta illud Pſal. 88. Si iuſtitias meas profanauerint, & mandata mea non cuſtodierint, viſitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum. Et ratio huius iuſti iudicij eſt, quia cum filij ſint quædam res ad parentes ſpectantes, & quæ inter omnes res externas magis ipſos parentes contingunt, & propius ad ipſos accedunt, fit, vt filio mortuo, vel ægrotante, vel damnum patiente, pater puniatur & ſic proprie ille punitur, qui peccatum commiſit. De infamia iuris, quam filij hæreticorum contrahunt, alia etiam poteſt eſſe ratio. Nam ſicut iuuenes, qui aliquid indolis habent, ne degenerare videantur, ſolent maiorum ſuorum dignitatem, & virtutem æmulari, ſic etiam illi, qui ex prauis parentibus orti ſunt naturalem quādam inclinationem habent, vt parentum peccata, & ſcelera imitentur. Ex quo ſit vt ſuſpicio oriatur de filijs, vt tales illi ſint, aut ſaltim futuri ſint, quales parentes eorum fuere. Hinc etiam eſt illa filiorum gloria, quæ ex parentum nobilitate, & virtute oritur, vt bonus, & ſtudioſus ille habeatur, qui bonorum eſt filius. Pro quo facit id, quod Ariſt. lib. 1. Politi. cap. 4. dicit Helenā apud Theodectum in ſui laudem dixiſſe: Ex dijs (inquit illa) ab vtraque ſtirpe prognatam quiſq̄ appellabit ſeruam? Et Paulus ad Roma. cap. 11. etiam dicit: Si radix ſancta, & rami, ex Abrahā ortus eſt Iſaac, & ab hoc genitus eſt Iacob, ex Tobia ſeniore prodit Tobias iunior bonus, & ſanctus ſicut pater. Et ad eundem modum de malis ſentiendum eſt. Propter quod Salomon Sapientiæ cap. 4. dicit: Ex iniquis omnes filij, qui naſcuntur, teſtes ſunt nequitiæ aduerſus parentes in interrogatione ſua. Fuitque hæc ſententia tam vera ſemper reputata, vt in prouerbium exierit, Mali corui malum ouum. Scio aliquando accidiſſe, vt ex bonis parentibus mali procedant filij. Sic ex Adam ortus eſt Cain, ex Noe Cham, ex Iſaac natus eſt Eſau. Et ècõuerſo ex malis parentibus aliquando oriuntur boni & virtutis ſtudioſi. Nam ex Achaz peſſimo rege, & idololatra natus eſt fidelis, & ſanctus rex Ezechias. 4. Reg. 16. & Ioſias ille rex, qui tulit abominationes impietatis, cuius memoria, vt dicit Eccleſiaſt. 41. quaſi mel indulcabitur, filius fuit impij & idololatræ regis Amon. Sed rara ſunt exempla. Quod vero frequenter, & quaſi ſemper euenit eſt malos ex malis parentibus generari, & bonos ex bonis. Propter quod eleganter poëta Latinus dicebat,

Baptiſta Mātuanus.

Qui viret in ſolijs venit à radicibus humor:
Et patrum in natos abeunt cum ſemine mores.

Cum ergo ità ſit, quod regulariter loquendo ex prauis parentibus praui oriuntur filij, conuenienter inſtitutum fuit, vt filij hæreticorum eandem, quam parentes contraherent iuris infamiam. Præſumit enim ius, & meritò filios tales futuros, quales eorum parentes fuiſſe experientia comprobatum eſt. Et ſic in cap. ſiquis. 6. queſt. 1. dicitur. In filijs paterni, hoc eſt, hæreditarij criminis exempla metiuntur.

Nota.

Ad argumētum in contrarium.

¶Et ad argumentum in cōtrarium factū,

Ad illud ex Ezechiele.19. Anima quæ peccauerit reſpondetur, verba illa ſolum eſſe intelligenda de pœna æterna, quæ poſt hãc vitam peccatoribus manet: quæ quidem filijs pro peccatis parentum non infligitur, ſed anima, quæ peccauerit ipſa æternaliter punitur: vel ſi loquitur de pœna temporali, loquitur tantum de pœna ſpirituali, cuiuſmodi eſt priuatio gratiæ, & amiſsio iuris ad gloriam ſuſcipiendam, quibus pœnis ſimiliter nullus, niſi pro ſuo peccato plectetur. Et non loquitur de pœna temporali, qua conſtat ſæpeſæpius Deum filios pro peccatis parentum caſtigaſſe, iuxta illud Exodi, Ego ſum Deus zelotes viſitans iniquitates patrum in filios vſque in tertiam & quartam generationẽ. Sic Chanaan maledictus fuit à Noe propter peccata patris ſui Chã Geneſ. 19. & Paruuli infantes qui erant in Sodomis ſimul cum ſuis parentibus propter illorum peccata igne cõbuſti ſunt. Geneſ. 10. & filij Giezi, pueri Eliſei prophetæ percuſsi ſunt lepra propter peccata patris eorum, qui contra voluntatem Eliſei à Naaman leproſo ob collatam illi ſalutem munera accepit. 4. Regum cap.5. Et deniq; filius Dauid, qui ex adulterio fuerat natus, pro peccato patris morte fuit interẽptus, vt ex verbis, quæ illi Nathan propheta dixit, apertè conuincitur. Nam poſtquã Dauid peccatum ſuum confeſſus eſt dicẽs: Peccaui domino ſtatim Propheta dixit ad eum, Dominus quoque tranſtulit peccatũ tuum, non morieris. Veruntamen, quoniã blaſphemare feciſti inimicos nomen Domini propter verbum hoc, filius, qui natus eſt tibi, morte morietur. Itaque certum eſt Deum multoties filios caſtigaſſe temporaliter pro peccatis parentum. Et ſic locus ille Ezechielis non de pœna temporali abſolute, ſed de pœna æterna, vel ſpirituali eſt intelligendus. Quod ex eiſdem verbis colligere licet. Nam non dixit Propheta, Anima, quæ peccauerit ipſa punietur ſed ipſa morietur: vt hac ratione nõ de qualibet pœna ſed tantum de morte ſpirituali, vel æterna ſignificaret Deum ſuiſſe locutũ. Mors enim quæ ex lege pro peccato mortali datur, æterna eſt, & non tẽporalis. Explicans autẽ rationẽ, quare Deus pœnis corporalibus huius vitę vnum pro alio puniat, & nõ pœnis alterius vitę D. Auguſtinus ſuper librũ Ioſue.q. 8. ſic inquit. Viſibiles afflictiones hominũ, ſiue mortes, quoniam his, quibus iniungũtur, & obeſſe, & prodeſſe poſſunt, nouit Dominus in occulto prouidentiæ ſuæ, quemadmodũ quibuſcunq; iuſtè diſpenſet, etiam cum aliorũ peccata in alijs videtur vlciſci. Pœnas vero inuiſibiles, quę nocent, & prodeſſe non poſſunt, ità nullus Deo iudice pro alienis peccatis luit, ſicut iudice homine luere nullus, niſi pro ſua culpa iſtas viſibiles debet. Hæc Auguſtinus.

¶ Ad teſtimonium ex D. Auguſtino dictũ, Non prius Deus eſt vltor, quã aliquis ſit peccator, reſpondetur illud nihil facere contra noſtram ſententiã. Nam quanuis Deus nunquã ſe de aliquo vindicet, quin priùs ille ſit peccator: ſæpe tñ Deus multos, abſq; aliqua illorum culpa affligit, & torquet, nõ enim ſunt prorſus idẽ vindicta, ſeu punitio & afflictio. Sed vindicta habet quendã reſpectum ad iniuriam præcedentẽ, ſine qua nulla pœna vindicta, aut vltio dici poteſt, & ſimiliter punitio, ſeu caſtigatio. At vero afflictio, ſeu tortura nullum horum dicit reſpectũ, ſed quomodolibet quis tribulationem patiatur, ſiue propter culpam, ſiue ſine illa, ſemper affligi dicetur. Et iuſti quib' Deus tribulationes varias in hac vita ad eorum meritum augendum dat, affliguntur quidem, & torquentur, ſed nõ puniuntur, nec caſtigãtur, cũ in illis nulla ſit culpa quę debeat ſic puniri, aut caſtigari. Optime ergo dicit D. Auguſtinus q̃ nõ prius Deus eſt vltor, quã aliquis ſit peccator. Et hæc de ſecũda pœna corporali hæreticis impoſita dicta ſufficiant. De tertia vero, quæ eſt pœna mortis, iam diximus ſatis quæſtione præcedenti art.8.

ARTICVLVS. IIII.

¶ Vtrùm reuertentes ab hæreſi, ſint ab Eccleſia recipiendi.

AD quartum ſic proceditur. Videtur, quod reuertẽtes ab hereſi, ſint omnino ab Eccleſia recipiẽdi. Dicitur enim Iere. 3. ex perſona Domini, Fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuertere ad me, dicit Dominus. Sed Eccleſiæ iudiciũ eſt iudiciũ Dei: ſecundum illud Deut. 1. Ita Paruum audietis vt magnũ, neq; accipietis cuiuſquam perſonã, quia Dei iudicium eſt, ergo ſi aliqui fornicati fuerint per infidelitatem, quæ eſt ſpiritualis fornicatio, nihilominus ſunt recipiendi. *Quol.10. art.16.* *Sup. illud verbum Matth. 8.11.9.*

2 ¶ Præterea, Dominus Matt. 18. Petro

tro mandat, vt fratri peccanti dimittat non ſolum ſepties, ſed vſque ſeptuagies ſepties: per quæ intelligitur, ſecundũ expoſitionem Hieronymi, * quod quotieſcunque aliquis peccauerit, eſt ei dimittendum, ergo quotieſcunque aliquis peccauerit in hæreſi relapſus, erit ab Eccleſia ſuſcipiendus.

3 ¶Præterea, Hæreſis eſt quædam infidelitas. Sed alij infideles volentes cõuerti ab Eccleſia ſuſcipiuntur, ergo etiam hæretici ſunt recipiendi.

In Decretali lib. 5. tit. 7. c. 9. à med.

¶SED contra eſt quod * Decretalis, Ad abolendam, dicit, quod ſi aliqui poſt abiurationem erroris, deprehenſi fuerint in abiuratã hæreſim decidiſſe, ſeculari iudicio ſunt relinquendi. Non ergo ab Eccleſia ſunt recipiendi.

¶RESPONDEO dicendũ, quòd Eccleſia ſecundum Domini inſtitutionem, charitatem ſuam extẽdit ad omnes, non ſolum amicos, verum etiam inimicos & perſequentes, ſecundum illud Matth. 5. Diligite inimicos veſtros, benefacite ijs, qui oderunt vos: pertinet autem ad charitatem, vt aliquis bonum proximi & velit & operetur. Eſt autem duplex bonum. Vnum quidem ſpirituale, ſcilicet, ſalus animæ, quod principaliter reſpicit charitas. Hoc enim quilibet ex charitate debet alij velle. Vnde quantum ad hoc hæretici reuertentes, quotieſcunque relapſi fuerint, ab Eccleſia recipiuntur ad pœnitentiam, per quã impenditur eis via ſalutis. Aliud autem eſt bonum, quod ſecundariò reſpicit charitas, ſcilicet, bonum temporale, ſicut eſt vita corporalis, poſſeſſio mundana, & bona fama, & dignitas Eccleſiaſtica, ſiue ſecularis. Hoc enim non tenentur ex charitate alijs velle, niſi in ordine ad ſalutem æternam & eorum, & aliorum. Vnde ſi aliquid de huiuſmodi bonis exiſtens in vno, impedire poſſit æternam ſalutem in multis, non oportet quod ex charitate huiuſmodi bonum ei velimus: ſed potius vt velimus eum illo carere: tũ, quia ſalus æterna præferenda eſt bono temporali: tũ, quia bonum multorum præfertur bono vnius. Si autem hæretici reuertentes ſemper reciperentur, vt conſeruarentur in vita, & alijs temporalibus bonis, poſſet in præiudicium ſalutis aliorum hoc eſſe: tum, quia ſi relaberẽtur, alios inficerent: tum etiam, quia ſi ſine pœna euaderent, alij ſecurius in hæreſim laberẽtur. Dicitur enim Eccleſ. 8. Etenim quia non cito profertur cõtra malos ſententia, abſq; timore vllo filij hominũ perpetrant mala. Et ideo eccleſia quidẽ primo reuertentes ab hæreſi, non ſolum recipit ad pœnitentiã, ſed etiam conſeruat eos in vita, & interdum reſtituit eos diſpenſatiue ad eccleſiaſticas dignitates, quas prius habebant, ſi videantur vere conuerſi. Et hoc pro bono pacis frequenter legitur eſſe factum. Sed quando recepti iterũ relabuntur: videtur eſſe ſignum incõſtantiæ eorum circa fidem. Et ideo vlterius redeuntes, recipiuntur quidem ad pœnitentiam, nõ tamen vt liberentur à ſententia mortis.

¶AD PRIMVM ergo dicendum, quod in iudicio Dei ſemper recipiuntur redeuntes: quia Deus ſcrutator eſt cordium, & verè redeũtes cognoſcit. Sed hoc Eccleſia imitari non poteſt. Præſumit enim eos nõ verè reuerti: qui cum recepti fuiſſent, iterum ſunt relapſi. Et ideo eis viam ſalutis non denegat, ſed à periculo mortis eos non tuetur.

¶Ad ſecundum dicendum, quòd Dominus loquitur Petro de peccato in eum cõmiſſo, quod eſt ſemper dimittendũ, vt fratri redeunti parcatur. Nõ autem intelligitur de peccato in proximum, vel in Deum cõmiſſo, quod nõ eſt noſtri arbitrij dimittere, vt Hieronymus * dicit, ſed etiã in hoc eſt à lege modus ſtatutus, ſecũdũ quod cõgruit honori Dei & vtilitati proximorum.

Super illud Matth. 18. Si peccauerit in te fr. 9.

¶Ad tertium dicendum, quòd alij infideles, qui nunquam fidem acceperant,

 con-

conuerſi ad fidem, nõdum oſtendunt aliquod ſignum inconſtantiæ circa fidem: ſicut hæretici relapſi. Et ideo nõ eſt ſimilis ratio de vtriſque.

SVMMA TEXTVS.

PRima concluſio, Reuertentes ab hæreſi ſemper ſunt ab Eccleſia recipiẽdi ad pœnitẽtiam. Probatur. Eccleſia vult omnibus ſalutem animæ, ſed per pœnitentiam reuocantur hæretici ad animæ ſalutem, ergo. ¶ Secunda concluſio, Reuertentes ab hæreſi non ſemper ſunt ab Eccleſia recipiẽdi, vt in vita ſeruentur. Probatur, Bonum temporale alicuius non debet ex charitate diligi illi, niſi in ordine ad bonum ſpiritua le ipſius, vel aliorum: ſed ſi reuertentes ab hęreſi ſemper conſeruarentur in vita, vergeret hoc in præiudicium, vel ipſorum hæreticorũ, vel aliorum, qui talibus erroribus inſici poſſet, maximè, quod videntes hæreticos impunitos euadere ſecurius in hæreſes laberẽtur., ergo Eccleſia reuertẽtes ab hæreſi nõ ſemper debet in vita ſeruare. ¶ Tertia concluſio, Eccleſia primo reuertentes ab hæreſi non ſolũ recipit ad pœnitentiam, ſed etiam conſeruat ad vitam: & interdum diſpenſatiuè reſtituunt eos ad dignitates Eccleſiaſticas, quas prius habebant: ſed relapſos recipit ad pœnitentiam, non tamen ad hoc, vt ſeruentur in vita. Hãc cõcluſionẽ nõ probat D. Tho. ſed illam, vt notã relinquit ex vſu Eccleſię.

EXPLICATIO ARTICVLI.

CIrca primam concluſionem huius articuli eſt aduertẽdũ, quod ea eſt de fide diffinita in cap. ſuper eo. de hæreticis lib. 6. & de ea videndus eſt Caſtro de hæreſibus verbo pœnitentiæ, hæreſi. 3. & lib. 1. de iuſta hęreticorum punitione. cap. 21.

Dubium circa ſecũdam cõcluſionem D. Tho. ¶ Circa ſecundam concluſionem eſt difficultas, quibus hæreticis ad Eccleſiam reuertentibus ſit remittenda pœna capitis: & qui ſunt poteſtati ſeculari relaxandi. ¶ Ad cuius explicationẽ dico primo, quod illis, qui nec fuerunt hæreſiarchæ, nec ſunt relapſi, cum reſipiſcunt, remittenda eſt capitis pœna: & citra hoc pro iudicũ arbitrio alij grauius, alij leuius ſunt puniendi. Hæc concluſio conſtat ex practica Inquiſitorũ, quam & optime explicat Caſtro lib. 1. de iuſta hæretic. punitio. c. 21. & 22. ¶ Dico ſecũdo, quod hæreſiarchis, hoc eſt hæreſium autorib⁹, vel *1. Dictum.* *2. Dictum.*

diſſeminatoribus, quanuis reſipiſcant, non eſt remittenda capitis pœna. Hæc cõcluſio probatur exemplo ſcripturę Nume. 25. vbi dicitur, quod eo tempore quo filij Iſraël cum filiabus Moab fornicati ſunt, & adorauerunt Deos earũ, principes populi ex decreto Domini ſuſpenſi ſunt patibulis contra Solem, & ſic placatus eſt Dominus. Ad eũdẽ ergo modũ hæreſiarchis, hoc eſt autoribus & diſſeminatorib⁹ hęreſum, erit mors infligẽda, quanuis alijs, qui non ità grauiter peccauerunt, ſit miſericorditer parcendum. Et ratio eſt manifeſta. Nam cum horũ hominũ peccata ſint grauiora, & reipublicę pernicioſiora, ratio poſtulat, vt grauius, quã alij puniãtur. ¶ Tertiò dico, quod relapſis, dum ad Eccleſiam reuertuntur, non eſt remittẽda pœna capitis. Sed vt hoc intelligatur oportet aduertere, eum dici relapſum, qui poſtquã ſemel conuictus de aliqua hæreſi, & Eccleſię reconciliatus eam ſolenniter abiurauit, iterum in eandem, vel in aliam incidit: & rurſus ille, qui quanuis non fuit conuictus de hæreſi, fuit tamen de ea vehementer ſuſpectus, & poſt ſolennem abiurationem in eã, vel aliã lapſus eſt. Quod conſtat ità eſſe ex capite accuſatus, & ex cap. ſuper eo, de hęreticis lib. 6. Rationes autẽ propter quas iuſtũ eſt hos hæreticos morte punire, poſitæ ſunt à nobis in ſuperioribus. q. 10. art. 8. *3. Dictum.*

¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco, vtrum Rex, vel princeps ſecularis poſſit diſpẽſare in lege præcipiente, vt hæretici traditi brachio ſeculari, moriantur. Et pro parte affirmatiua eſt argumentũ. Lex, quæ præcipit hæreticos morti tradere, eſt ciuilis, ſed Rex, vel princeps poteſt diſpẽſare ſuper ius ciuile, ergo. Et confirmatur. Nam olim hæretici non occidebantur, ſed mittebantur in exilium. Et ſic Conſtantinus Imperator in concilio Nicæno, miſit in exiliũ decem & ſeptem Epiſcopos, qui noluerunt decretis concilij obedire. ¶ In contrariũ tamen eſt, quod poſtquã lex de morte inſtituta eſt cõtra hæreticos, nunquã viſum eſt diſpenſari in vita cũ hæretico brachio ſeculari tradito. Et confirmatur: nam in cap. excõmunicamus, extra de hæreticis. §. moneantur, præcipit Eccleſia principibus ſecularibus, vt hæreticos ſibi traditos exterminent. Et idẽ habetur in cap. Inquiſitionis. de hæreticis li. 6. ſed princeps ſecularis non poteſt diſpenſare in lege Eccleſiaſtica, ergo nec in morte hæreticis infligenda. *Dubium.* *Argumentũ pro parte affirmatiua.* *Argumẽtũ pro parte negatiua.*

¶ Ad explicationem huius difficultatis dico *1. Dictum.*

dico primo, q́ regulariter loquendo principes ſeculares non poſſunt diſpẽſare in mor te cum hęreticis ſibi traditis. Probatur, nam quamuis reſpublica ciuilis diſtinguatur ab eccleſiaſtica, quantũ ad temporalia, tamen quantum ad ſpiritualia ciuilis poteſtas eſt ſubiecta Eccleſiæ, imo inſtituta principaliter, vt illi deſeruiat, vt Leo papa, & D. Iſidorus docent, dicẽtes, Ciuilis poteſtas ideo eſt in Eccleſia, vt quod non præualent ſacerdotes efficere per doctrinæ ſermonẽ, poteſtas hæc imperet per diſciplinę terrorẽ. Et alibi: Cognoſcãt principes Deo ſe reddituros rationem, propter Eccleſiam quã Chriſto tuẽdam ſuſcipiunt. 23. q. 5. Et Concilium Baſilienſe ad electores Sacri Imperij inquit, Deus pius, & miſericors Reges principes, & magiſtratus in terra cõſtituit, vt ſanctuaria templaq; ſua defenderent, & veluti quadrigæ quędam arcam Eccleſiæ ſanctiſsimã deportarent. Sunt ergo agri diuini cultores, põtes, arces, & diuinæ humanæq; legis vehicula, atq; portus. Quãobrẽ ſi cõmiſſam illis curam intelligerent nihil magis ſe debere exiſtimabunt, quam vt Eccleſiã ſanctã, pro qua Chriſtus, ne periret, in cruce orauit, tueantur. Hæc conciliũ. De hac re vidẽdus eſt D. Tho. opuſculo vigeſimo. & lib. 1. de regimine principum. c. 14. vbi mirè loquitur ad hoc propoſitũ. ¶Dico ſecundo, q́ ſi 2. Dictam. reſpublica turbaretur ex morte alicuius hęretici ſibi traditi, tunc princeps poſſet cũ eo in morte diſpẽſare. Probatur, nam hoc colligi videtur ex capit. excommunicamus extra de hæreticis. §. moneantur. Vbi dicitur quod cogantur principes ſeculares exterminare hæreticos bona fide, id eſt, non fraude. Ex quo ſequitur, quòd ſi ſit rationabilis cauſa, ipſa Eccleſia conſentit diſpenſationi. Sed deberent principes tunc declarare Eccleſiæ, cauſas iuſtas non occidendi talem hæreticum, & prouidere, ne inde damnum reipublicæ orıretur.

QVAESTIO DVODECIma, De Apoſtaſia, in duos articulos diuiſa.

DEINDE cõſiderandum eſt de Apoſtaſia.

¶Et circa hoc quæruntur duo.

¶Primò, vtrum apoſtaſia ad infidelitatem pertineat.

¶Secũdo, vtrum propter apoſtaſiam à fide, ſubditi abſoluãtur à dominio præſidentium apoſtatarum.

ARTICVLVS I.

¶Vtrum apoſtaſia pertineat ad infidelitatem.

AD PRIMVM ſic proceditur. Videtur q́ apoſtaſia nõ pertineat ad infidelitatem. Illud enim quod eſt omnis peccati principium, nõ videtur ad infidelitatem pertinere, quia multa peccata ſine infidelitate exiſtunt: ſed apoſtaſia videtur eſſe omnis peccati principium. Dicitur enim Eccleſ. 10. Initium ſuperbiæ hominis apoſtatare à Deo. Et poſtea ſubditur, Initium omnis peccati ſuperbia. Ergo apoſtaſia nõ pertinet ad infidelitatem.

2 ¶Præterea, Infidelitas in intellectu conſiſtit, ſed apoſtaſia magis videtur cõſiſtere in exteriori opere vel ſermone, aut etiam in interiori voluntate. Dicitur enim Prouer. 6. Homo apoſtata vir inutilis, gradiens ore peruerſo, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, prauo corde machinatur malum: & in omni tẽpore iurgia ſeminat. Si quis etiam ſe circũcideret, vel ſepulchrum Mahometi adoraret, apoſtata reputaretur. Ergo apoſtaſia non pertinet directè ad infidelitatem.

3 ¶Pręterea, Hæreſis, quia ad infidelitatem pertinet, eſt quædam determinata ſpecies infidelitatis. Si ergo apoſtaſia ad infidelitatem pertineret, ſequeretur quòd eſſet quædam determinata ſpecies infidelitatis. Quod non videtur ſecundum prædicta. Nõ ergo Q. 10. art. 1. apoſtaſia ad infidelitatem pertinet.

¶SED contra eſt, quod dicitur Ioannis. 6. Multi diſcipulorum eius abierunt retro: quòd eſt apoſtatare: de quibus ſuprà dixerat Dominus, Sunt quidam ex vobis, qui non credunt. Ergo apoſtaſia pertinet ad infidelitatem.

¶RESPONDEO dicendum, ꝙ apoſtaſia importat retroceſsionem quandã à Deo. Quæ quidẽ diuerſimodo fit ſecundũ diuerſos modos, quibus homo Deo coniungitur. Primò nãque coniungitur homo Deo per fidem. Secundo, per debitã & ſubiectã voluntatẽ ad obediendum præceptis eius. Tertiò, per aliqua ſpecialia ad ſupererogationem pertinentia: ſicut per religionem, & clericatum, vel ſacrum ordinem. Remoto autẽ poſteriori remanet prius, ſed non conuertitur. Cõtingit ergo aliquem apoſtatare à Deo, retrocedendo à religione, quam profeſſus eſt, vel ab ordine, quẽ ſuſcepit: & hæc dicitur apoſtaſia religionis ſeu ordinis. Contingit etiam aliquem apoſtatare à Deo, per mentem repugnantem diuinis mandatis. Quibus duabus apoſtaſijs exiſtentibus, adhuc poteſt remanere homo Deo coniunctus per fidem. Sed ſi à fide diſcedat, tunc omnino à Deo retrocedere videtur. Et ideo ſimpliciter & abſolute erit apoſtaſia, per quam aliquis diſcedit à fide, quæ vocatur apoſtaſia perfidiæ. Et ſecundum hunc modum apoſtaſia ſimpliciter dicta ad infidelitatẽ pertinet.

¶AD PRIMVM ergo dicendum, quòd obiectio illa procedit de ſecunda apoſtaſia, quæ importat voluntatẽ à mandatis Dei reſilientem, quæ inuenitur in omni peccato mortali.

¶Ad ſecundum dicendum, quòd ad fidem pertinet nõ ſolum credulitas cordis, ſed etiam proteſtatio exterioris fidei per exteriora verba & facta. Nam confeſsio eſt actus fidei. Et per hunc etiam modum quædam exteriora verba vel opera ad infidelitatẽ pertinent, inquantum ſunt infidelitatis ſigna, per modum, quo ſignum ſanitatis ſanum
In argum. dicitur. Autoritas autem * inducta etſi poſsit intelligi de omni apoſtaſia, veriſsimè tamen contingit in apoſtaſia à fide. Quia enim fides eſt primum fundamentum rerum ſperandarum, & ſine fide impoſsibile eſt placere Deo, ſublata fide, nihil remanet in homine, quod poſsit eſſe vtile ad ſalutem æternam. Et propter hoc dicitur Prouerb. 6. Homo apoſtata vir inutilis. Fides enim eſt vita animæ: ſecundum illud Roma. 1. Iuſtus ex fide viuit. Sicut ergo ſublata vita corporali, omnia membra & partes hominis à debita diſpoſitione recedunt: ita ſublata vita iuſtitię, quæ eſt per fidem, apparet inordinatio in omnibus membris. Et primo quidẽ in ore, per quod maxime manifeſtatur cor: ſecundo in oculis: tertio in inſtrumentis motiuis: quarto in voluntate, quæ ad malum tendit. Et ex his ſequitur, quòd iurgia ſeminet alios intẽdẽs ſeparare à fide, ſicut & ipſe receſsit.

¶Ad tertium dicendum, quòd ſpecies alicuius qualitatis vel formæ nõ diuerſificatur per hoc, ꝙ eſt terminus motus à quo, vel ad quẽ, ſed potius è conuerſo, ſecundum terminos motuum ſpecies attenduntur. Apoſtaſia autẽ reſpicit infidelitatẽ, vt terminũ ad quẽ eſt motus recedẽtis à fide. Vnde apoſtaſia nõ importat determinatã ſpeciẽ infidelitatis, ſed quãdã circunſtãtiam aggrauantẽ: ſecũdũ illud ſecũdæ Pet. 2. Melius erat eis veritatem nõ cognoſcere, quàm poſt cognitam retroire.

SVMMA TEXTVS.

PRima concluſio. Triplex eſt apoſtaſia, prima à fide, ſecũda ab obediẽtia Deo debita, tertia verò à religione, vel ordine. Probatur. Apoſtaſia ſignificat retroceſsionem à Deo: ſed tripliciter poſſumus Deo cõiungi: vno modo per fidem, ſecundò per obediẽtiam illi debitã, tertiò per opus ſupererogationis, vt per religionẽ, aut clericatũ: ergo apoſtaſia poteſt eſſe triplex, vna per quã receditur à fide, altera per quã deſeritur obedientia Deo debita, tertia per quã retroceditur ab ordine, vel religione. ℭ Secunda cõcluſio. Sola apoſtaſia, qua quis recedit à fide eſt ſimpliciter & propriè apoſtaſia. Probatur. Alijs duabus apoſtaſijs exiſtentibus adhuc poteſt homo

manere

manere Deo coniunctus per fidem, & ſi recedit à fide omnino à Deo retrocedere videtur, ergo ſola apoſtaſia, qua quis recedit à fide eſt ſimpliciter, & proprie apoſtaſia.

¶ Tertia cõcluſio, Apoſtaſia ſimpliciter dicta pertinet ad infidelitatem. Hanc concluſionem non probat D. Tho. ſed illã, vt notam relinquit ex ſuperioribus.

EXPLICATIO ARTICVLI.

1. Nota Circa iſtum articulum eſt aduertẽdum, quòd Apoſtaſia eſt nomen Græcum ſignificãs retroceſsionem à cœpto negotio, vt autor eſt D. Auguſ. in Enchiridio. cuius verba referuntur. 26. q. 7. ca. non obſeruantes. & D. Hieronymus ſupra ſecundum caput. 2. ad Timotheum. & Anacletus Papa. 3. q. 4. cap. benedictus. Et quamuis Apoſtaſia in rigore accipi poſsit in bonã, & in malam partem, tamẽ ex accõmodatione vſus ſemper accipitur in malã, & præcipuè pro apoſtaſia à fide.

2. Nota. ¶ Secundò eſt aduertendum, quòd, vt cõſtat ex hoc articulo, apoſtaſia poteſt eſſe triplex, ſcilicet, ab ordine, à religione, & à fide. Nam Apoſtaſia ab obedientia Deo debita, quæ inuenitur in omni peccato mortali, largo modo dicitur apoſtaſia, & ſic de ea nihil à nobis in præſenti eſt dicendum, ſed tantum de alijs ſuo ordine, & primò de apoſtaſia ab ordine.

Dubium de apoſtaſia ab ordine. ¶ Circa quã eſt prima difficultas, vtrũ apoſtaſia à minoribus ordinibus ſit peccatum mortale. Ad quam difficultatẽ Caiet. in præſenti dicit, quod qui exiſtens in minoribus ordinibusità deſerit ſuũ ſtatũ, vt reddat ſe omnino inhabilẽ in miniſterio, cui ſe dedicauit, vt ſi contrahat bis, vel contrahat cum vidua, peccat mortaliter. Idem etiam tenet Ricardus in. 4. diſt. 24. Et *Sẽtentia Ricardi.* probari poteſt hæc ſententia ex cap. 1. 20. q. 2. vbi cõcilium Toletanum præcipit clericis ſub pœna excõmunicationis, ne dimittãt clericatum, & tonſuram. ¶ Hoc tamen non *Sententia autoris.* obſtante dico, quòd talis non peccat mortaliter, niſi aliunde proueniat peccatum, ſcilicet, ex mala intentione, vel ex cõtemptu, quo ordinẽ deſerit. Quinpotiùs dico, quòd ſi relinquat ordinem ex rationabili cauſa, ſcilicet, vel, quia ſibi eſt vtile ducere viduã, vel iudicẽ agere in cauſis criminalibus, nõ peccat venialiter. Et idem iudiciũ eſt de eo, qui cum minoribus ordinibus habet beneficium quod deſerit, vt docet Caiet. in ſumma, verbo. apoſtaſia. vbi corrigit ſententiã, quã in hoc articulo tenuerat. Et idem tenet Syluester, verbo. apoſtaſia. §. 5. Et ratio eſt, quia nec talis contemnit ordinem cum ſit illi liberũ illum relinquere, nec propriè dicitur apoſtata, cum non prohibeatur à iure ducere viduam, nec puniatur ſi id faciat: nõ tamen gaudebit priuilegio clericali in aliquo caſu nec illum percutiens erit excommunicatus, vt habetur de Bigamis. c. vnico. in. 6. Si autẽ quis ordinetur prima tonſura, nõ animo ſeruiendi in Eccleſia, ſed, vt gaudeat priuilegio clericali, vel, vt eximat ſe à poteſtate ciuili, peccat mortaliter faciẽs iniuriam Eccleſiæ. Si tamen bona intentione ordinetur nõ peccat, nec tenetur habere intentionẽ recipiendi ſacerdotium, ſed ſat eſt quod velit Eccleſiæ ſeruire, vt docet Naua. c. 28. addito manuali ſuper caput. 25. num. 108. Si verò ordinatus ordinibus minorib⁹ ducat vxorẽ virginem, dũmodo vtatur veſte clericali, & tõſura, & ſeruiat Eccleſiæ in aliquo miniſterio, gaudebit priuilegio clericali, quantũ ad duo, ſcilicet, vt ſint excommunicati percutientes eum, & ſit liber à poteſtate iudicis ſecularis in cauſis criminalibus, iuxta decretum Bonifacij Papæ, in. c. clerici. de clericis coniugatis. li. 6. Quod & de nouo confirmatum fuit per concilium Trid. ſeſſ. 23. cap. 6. de reformatione. Non tamen tẽpore interdicti poterit iſte miſſam audire, niſi habeat aliud priuilegium: ordo enim tantũ adiuuat illum ad duo prędicta. Bene tamen hoc poſſunt ordinati in minoribus ordinibus, non coniugati, vt docet Nauarr. cap. 27. nu. 74. ¶ Et ſi quis quærat vtrùm conſtitutus in minoribus ordinibus nõ deferens habitũ, & tonſurã gaudeat priuilegio clericali, dico, ꝙ Alex. VI. conceſſit Regibus Catholicis diploma, quo decreuit, ꝙ nullus clericus, qui nõ ſit in maioribus ordinibus cõſtitutus poſsit gaudere priuilegio clericali, niſi per quatuor menſes ante cõmiſſum delictum detulerit habitũ, & tonſurã. Quod priuilegium habetur inter pragmaticas regales. lege. 21. &. 22. & fuit acceptatum per plures Epiſcopos. Ex quo fit, vt iudices ſeculares aliquãdo vtantur eo. De hoc videndus eſt Syluest. verbo. apoſtaſia. §. 7. &. 8. & verbo. clericus. §. 5. &. 6. Si quis autem cõſtitutus in maioribus ordinibus ducat vxorẽ, matrimoniũ eſt nullum, & peccat mortaliter, & manet excommunicatus ipſo facto, vt cõſtat ex Clementina. eos qui. de cõſanguinitate. & affinitate. peccat

te. Peccat etiã mortaliter non deferens tõſuram, & habitum clericalẽ. Ad argumẽtum ex. c. 1. 20. q. 2. reſpõdet Syluester, ꝙ forte iure antiquo illi clerici cogebantur deſerre tõſurã, & perſiſtere in ordine ſemel ſuſcepto, ſed modo non coguntur, vt conſtat ex conſuetudine, & ex quadã tacita iuris permiſſione quæ colligitur ex cap. 2. de cleri. cõiu.

Nota vltimo. ¶ Vltimo eſt aduertẽdũ, ꝙ bis nuptæ, & bigami etiã apud gentiles nõ admittebãtur ad ſacerdotiũ, vt docet Seruius AEneid. 4. Huic vni forſan potui ſuccũbere culpæ, & Alexãder ab Alexãdro li. 6. genialiũ dierũ c. 12. Albertus Pighius controuerſia. 15. de coniugio ſacerdotũ, & Ambroſius Catherinus tractatu de matrimonio, quæſtione, an matrimoniũ ante copulam ſit ſacramentũ.

Dubium de apoſtaſia à religione. ¶ Circa ſecundã apoſtaſiã, quæ eſt à religione, eſt difficultas vtrũ monachus diſcedens à religione ſine licentia ſui prælati ſit apoſtata excõmunicatus. *1. Dictum.* De qua re, vt certa ab incertis ſeparemus, dico primo certũ eſſe, quod nouitij religionis habitũ quomolibet relinquẽtes nõ ſunt dicẽdi apoſtatæ à religione. Et ratio eſt, quia illã nõdum ſunt profeſsi: & exire poſſunt ſine peccato, niſi ex intentione, vel cauſa exeũdi peccent, vt docet Syluester verbo, apoſtaſia. § 9. & verbo, religio. 5. § 8. *2. Dictum.* ¶ Dico ſecundo etiam eſſe certũ, ꝙ mulieres, quæ dicuntur Beatæ, ſcilicet, quæ tantũ emiſerunt votũ ſimplex caſtitatis, ſi matrimoniũ contrahant, licet peccent mortaliter, non tamen erunt dicendæ apoſtatæ, quia non ſunt profeſſæ, nec fecerunt aliquod votum ſolenne, vel caſtitatis, vel religionis. Itaque hæc certa ſunt.

Dubium. ¶ Sed dubiũ eſt de illis, qui ſolenniter aliquam religionẽ ſunt profeſsi. *Solutio ex Caietano.* Ad quam difficultatẽ, vt reſpondeat Caietanus diſtinguit, & bene, dicens, ꝙ monachus cũ diſcedit, vel habet animũ nunquam reuertendi ad religionem, ſed deſerendi prorſus illam, & ſic vere eſt apoſtata: & ſubiectus omnibus pœnis, quæ in iure contra apoſtatas diſcernuntur, vt conſtat ex cap. vt periculoſa. ne clerici, vel monachi. lib. 6. Vel nõ habet animum deſerendi omnino religionẽ, ſed vagandi per aliquot dies, vel mutãdi prælatum, cuius importunos mores ſuſtinere nõ poteſt, & tunc adhuc eſt diſtinguẽdũ. Nã, vel defert habitũ, vel nõ defert. Si defert, nõ eſt apoſtata, nec ſubiectus excõmunicationi, cõtra apoſtatas impoſitæ, quia nõ retrocedit à religione, ſed eſt inobediens: & ſic ſecundũ ſuarũ conſtitutionũ pœnas erit puniẽdus. Si vero nõ defert habitũ religionis, nec etiã tunc erit apoſtata, quia non deſerit religionẽ: erit tamen excõmunicatus ob temerariã habitus dimiſsionẽ, vt conſtat ex cap. vt periculoſa. iam citato. *Nota valde.* Quinpotius dico, quod quãuis recedens à religione animo nunquã reuertẽdi, etiã ſi habitũ religionis retineat ſit vere apoſtata, quia eſſentia religionis conſiſtit in obedientia, & non in habitu: vt docet Caietanus & Syluester verbo, apoſtaſia, & Innocentius in cap. finali. de renuntiatione, & in cap. intelleximus, de ætate, & qualitate ordinandorũ, tamen iſte apoſtata nõ dimittens habitũ non erit excõmunicatus: quia in iure nõ reperitur excõmunicatio contra apoſtatas à religione, ſed ſolũ contra relinquentes habitũ, vt optimè declarat Caietanus in ſumma verbo excõmunicatio. c. 61. vbi non meminit monachi non relinquentis habitũ. Et verbo, apoſtaſia, expreſſe dicit, ꝙ apoſtatæ ſunt excõmunicati, ob habitus dimiſsionẽ, aliâs non erunt excõmunicati. Et hęc ſentẽtia eſt vera loquendo de iure cõmuni: nã ſecus erit ſi ſit aliqua peculiaris excõmunicatio in religionibus impoſita cõtra apoſtatas. Cum hoc tamẽ ſtat, ꝙ huiuſmodi apoſtata incurrat pœnã infamiæ, & alias pœnas ad arbitriũ iudicis, vt dicitur in toto titulo de apoſtatis. *1. Corollariũ.* ¶ Ex dictis infero primo, ꝙ monachus fugiens ad aliã religionem, etiã ſi illa ſit minus arcta, ſi tamen fugiat cũ habitu, nec erit excõmunicatus, nec verè apoſtata. Et ratio eſt, quia cũ non dimittat habitum, non erit excõmunicatus, & cũ religio cõſiſtat in tribus votis, quæ fugiens intendit ſeruare in religione minus arcta non erit verè apoſtata. *2. Corollariũ.* ¶ Secundo infero, ꝙ ille, qui verè eſt apoſtata, quia recedit à religione animo nunquã reuertendi, ſi tamen non dimittit habitũ ſtãdo in iure cõmuni nõ indiget abſolutione ab excõicatione quantũ ad forũ exterius, quia illã nõ incurrit, erit tamen ad cautelã abſoluẽdus quãtũ ad forũ interius.

Nota. ¶ Circa iſtã apoſtaſiam à religione eſt vltimo aduertendũ, ꝙ qui ex religione mendicantiũ conſert ſe ad monachalẽ ſine licentia ſummi Põtificis, eſt ipſo facto excõmunicatus. Et etiã excõmunicantur illi, qui illũ recipiunt, vt patet ex extrauaganti Martini. V. quæ incipit, Viã ambitioſa. Sed eſt aduertẽdũ, ꝙ ſi Papa dat licentiã alicui mẽdicanti, vt tranſeat ad religionẽ monachalem, ſi nihil ampliùs dicit Pontifex nõ poterit ille monachus in religione monachali

manens

manens eligere, aut eligi, nec vocem habere in cap. ſine noua licentia Pontificis, vt dicitur expreſſe in Clementina, vt profeſſores. de regularibus. Et eſt hoc verum ſtandó in iure communi: ſed conſideranda erunt particularia priuilegia vniuſcuiuſq; religionis. ¶ De illis, qui ex diſpenſatione ſummi Pontificis dimittunt habitum monachalẽ, & aſſumunt clericalem, vel canonicorum regulariũ ſancti Auguſtini, vel ſancti Spiritus in Saxa, dico quòd, licet ex legitima cauſa poſsit optime hęc diſpenſatio à ſummo Pontifice fieri timendum eſt tamen regulariter, ne tales diſpẽſati in apoſtaſia exiſtant: tum quia maiori ex parte iſtæ diſpenſationes ſunt ſubreptitiæ ex defectu informationis, tum etiam quia quanuis aliquando ſeruent caſtitatem, tamen quo ad alia vota atq; conſuetudines ita ſe habent ac ſi nunquam fuiſſent monachi.

De apoſtaſia à fide. ¶ Reſtat agere de Apoſtaſia à fide, de qua quid ſit, & in quo cõſiſtat diximus quæſtione præcedenti articulo primo, & etiam de pœnis cõtra apoſtatas impoſitis, quæ prorſus ſunt eædem cum illis, quæ imponũtur contra hæreticos, vt patet ex capite. contra Chriſtianos, de hæreticis. lib. 6. Et vltra hęc clerici apoſtatæ ſunt irregulares, vt conſtat ex cap. presbyteros. 50. diſt. *Dubium.* ¶ Sed dubiũ eſt de illis, qui verbo, vel facto ſolum exercent actum infidelitatis, qualis eſt colere idolũ, vtrum ſint verè apoſtatæ. *Pro ſolutione nota.* Ad cuius explicationem eſt aduertendum, ꝙ actus idololatriæ proprie loquendo nõ eſt actus intellectus ſed voluntatis, quanuis in vero idololatra ſupponat errorem, & actũ intellectus. Et quòd hoc ita ſit patet ex eo, quod idololatria eſt vitium oppoſitũ religioni, de quo D. Tho. infrà. q. 94. Ex quo infertur quod poteſt aliquis eſſe idololatra ſine errore intellectus, pro hoc ſolum, quod quis ſponte ſua, vel terrore compulſus ſacrificium offerat idolo: & tunc actus ille idololatriæ per ſe conſtituet ſpeciem irreligioſitatis.

1. Concluſio. ¶ Hoc cõſtituto ſit prima concluſio. Qui retinens veram fidem in intellectu exterius colit idolum, non eſt propriè apoſtata: nec incurrit alias pœnas in iure contra apoſtatas impoſitas. Probatur, quia talis non retrocedit à fide, quod requiritur ad veram apoſtaſiam, vt diximus. q. 11. art. 1.

2. Concluſio. ¶ Secunda concluſio, Qui ſponte ſua colit idolum, vere eſt idololatra, quãuis nullũ errorem habeat in intellectu. Hæc concluſio eſt Caietani in præſenti in ſolutione ad ſecundum. Et probatur. Talis cum vera animi deliberatione vult tribuere idolo cultum Deo debitum, quod ad veram idololatriam eſt ſufficiens, ergo. Ex hoc infertur, quòd qui ita colit idolum vere incurret pœnas latas contra idololatras ſi quæ ſunt (dixi ſi quæ ſunt) quoniam in iure nulla reperitur impoſita excommunicatio contra huiuſmodi homines. De lamijs, necromanticis, ſortilegis, incantatoribus, maleficis, & diuinatoribus poterat eſſe difficultas vtrum ſint apoſtatæ. Sed de illis omnibus in ſingulari agit Caſtro lib. ſecũdo. de iuſta hæreticorum punitione. cap. 13. 14. 15. & 16. Vide illum & ſummiſtas. verbo, Lamię, necromantia, ſortilegium, &c. & Directorium Inquiſitorum part. 2. quæſtio. 43. Et eſt notandum quod Ioannes. 22. tulit excommunicationem contra omnes prædictos, & voluit, quod incurrerent omnes pœnas contra hæreticos impoſitas, excepto quod eorum bona non confiſcentur, vt refert Directorium loco citato. Nonnulli dicunt hanc conſtitutionem. Ioan. 22. non eſſe receptam, ſed ſtandum erit iudicio Inquiſitorum.

¶ In ſolutione ad tertium docet expreſſe D. Tho. apoſtaſiã non differre ſpecie ab hæreſi de quo nos ſupra quæſtio. 11. art. 1. *Explicatur D. Tho. in ſolutione ad. 3* Sed Cano. lib. 11. de locis cap. 9. nititur trahere verba D. Tho. quæ in hoc loco habentur in contrariam ſententiam, quam ipſe tenet, dicens, quòd D. Tho. ſentit apoſtaſiam nõ eſſe determinatè in aliqua ſpecie infidelitatis, ſed quod reducitur ad eam, ad quam is, qui recedit à fide conuertitur. Nam ſi conuertitur ad Iudaiſmum reducitur ad Iudaiſmum, & ſi ad Paganiſmum reducitur ad Paganiſmum. Nec ex parte fidei à qua apoſtata recedit habet apoſtaſia ſpeciem, ſed ſolum dicit circunſtantiam aggrauantem. Cæterum hæc ſententia Cani eſt apertè falſa, vt iam explicauimus, nec rectè intelligit D. Thomas. Quocirca dico mentem illius fuiſſe, quòd quanuis apoſtaſia non differat ſpecie ab hæreſi, ſed ſolum accidentaliter inquantum, ſcilicet, apoſtaſia corrumpit fidem in pluribus, quam hæreſis: tamen quia is, qui efficitur apoſtata regulariter loquendo reſpicit Paganiſmum, vel Iudaiſmum tanquam terminum ad quem, à quo in motibus ſpecies, & denominatio accipitur, idcircò non hæreticus, ſed vel Iudæus, vel Paganus vocatur, ſicut & qui mœchatur, vt furetur, dicit Ari-

ſtoteles quod magis fur eſt, quã mœchus. Magiſter Cano reputat inconueniens, ꝙ aliquis ſimul ſit hæreticus, & Iudæus, vel paganus, quoniã ſimul eſſet in duabus ſpeciebus eiuſdẽ generis immediatè, quod videtur impoſsibile ſed re verã hoc nihil obſtat. Quinpotiùs dico, quod in moralib⁹ ſæpeſæpius contrariũ cõtingit: & idẽ actus ſecundum diuerſas rationes ad plures virtutes, vel ad plura vitia pertinet, vt conſtat experientia. Et hæc dicta ſint de toto iſto articulo.

ARTICVLVS. II.

Vtrum princeps propter apoſtaſiam à fide, amittat dominium in ſubditos: ita quòd ei obedire non teneantur.

Habetur. 1. 11.q.3.c. Iuli.c. Imperatores. Id habet Auguſt. Pſalm. 124. ſuper illud. Non relinquet Dominus virgam. to.8.

ADSECVNDVM ſic proceditur. Videt̃ quòd princeps propter apoſtaſiã à fide, nõ amittat dominiũ in ſubditos, quin ei teneant̃ obedire. Dicit em̃ Ambr. & habetur 11.q.3. ꝙ Iulianus imperator, quanuis eſſet apoſtata, habuit tamẽ ſub ſe Chriſtianos milites, quibus cum dicebat, Producite aciem pro defenſione reipubli. obediebant ei. ergo propter apoſtaſiam principis ſubditi non abſoluuntur ab eius dominio.

2 ¶Præterea, Apoſtata à fide infidelis eſt, ſed infidelibus dominis inueniũtur aliqui ſancti viri fideliter ſeruiſſe: ſicut Ioſeph Pharaoni, & Daniel Nabuchodonoſor, & Mardochæus Aſſuero. ergo propter apoſtaſiam à fide nõ eſt dimittendum, quin principi obediatur à ſubditis.

3 ¶ Præterea, ſicut per apoſtaſiã à fide receditur à Deo, ita per quodlibet peccatũ. Si ergo propter apoſtaſiã à fide perderẽt principes ius imperãdi ſubditis fidelibus, pari ratione propter peccata alia hoc amitterẽt. Sed hoc patet eſſe falſum: non ergo propter apoſtaſiam à fide eſt recedendum ab obedientia principum.

Habetur. 15. q. 6. c. Nos ſanctorum. c. Iuratos milites Ext. de hæreticis. c. Abſolutos. c. Excommunicamus. §. moueantur. In Decretali lib. 5. tit. 7. c. 9.

¶SED CONTRA eſt, ꝙ Greg. 7. dicit, Nos ſanctorũ prædeceſſorũ ſtatuta tenentes, eos qui excommunicatis, fidelitate aut iuramẽti ſacramẽto ſunt cõſtricti, apoſtolica authoritate à ſacramẽto abſoluimus: & ne ſibi fidelitatẽ obſeruent, omnib⁹ modis prohibem⁹, quouſque ad ſatisfactionem veniant. Sed apoſtatæ à fide ſunt excomunicati ſicut & hæretici, vt dicit Decretalis extra de hæreticis, Ad abolendam. Ergo principibus apoſtatãtibus à fide nõ eſt obediendum.

Q.10. ar.10

¶RESPONDEO dicendũ, quòd ſicut ſuprà dictũ eſt, infidelitas ſecundũ ſeipſam non repugnat dominio, eo ꝙ dominium intro ductum eſt de iure gentium, quod eſt ius humanũ. Diſtinctio autẽ fidelium & infidelium eſt, ſecundũ ius diuinum, per quod nõ tollitur ius humanũ. Sed aliquis per infidelitatẽ peccans poteſt ſententialiter ius dominij amittere, ſicut etiã quãdoque propter alias culpas. Ad Eccleſiã autẽ nõ pertinet punire infidelitatẽ in illis, qui nunquam fidem ſuſceperũt, ſecundum illud Apoſtoli. 1. Ad Corin. 5. Quid mihi de ijs, qui foris ſunt, iudicare? Sed infidelitatẽ illorum, qui fidẽ ſuſceperunt, poteſt ſentẽtialiter puniri, & cõuenienter in hoc puniũtur, ꝙ ſubditis infidelib⁹ dominari nõ poſsint. Hoc enim vergere poſſet in magnam fidei corruptionem: quia, vt dictũ eſt, homo apoſtata prauo corde machinatur malũ, & iurgia ſeminat, intendens homines ſeparare à fide. Et ideo quàm cito aliquis per ſententiã denuntiatur excommunicatus propter apoſtaſiã à fide, ipſo facto eius ſubditi ſunt abſoluti à dominio eius, & iuramento fidelitatis, quo ei tenebantur. *Art. præc.*

¶AD PRIMVM ergo dicendum, ꝙ illo tempore Eccleſia in ſui nouitate nondum habebat poteſtatem terrenos principes compeſcendi: & ideo tolerauit fideles Iuliano apoſtatæ obedire in ijs, quæ nondum erant contra fidem, vt maius periculum fidei vitaretur.

¶Ad ſecundũ dicendum, ꝙ alia ratio eſt

eſt de infidelibus alijs, qui nunquam fidem ſuſceperunt, vt dictum * eſt. *In corp. & art. 1.*

¶Ad tertinm dicendum, quòd apoſtaſia à fide totaliter ſeparat hominem à Deo, vt dictum * eſt: quod non contingit in quibuſcunq; alijs peccatis. *Art. praced.*

SVMMA TEXTVS.

PRima cõcluſio. Apoſtaſia ex natura ſua nõ repugnat dominio in ſubditos. Probatur. Dominium fuit introductũ iure gẽtium: & diſtinctio fidelium ab infidelibus eſt de iure diuino, quod ius gentiũ non tollit, ergo apoſtaſia ex natura ſua nõ repugnat dominio in ſubditos. ℂSecunda cõcluſio. Eccleſia poteſt priuare principes apoſtatas dominio, quod habent in ſubditos, & cõuenienter eos illo priuat. Et quidem quod poſsit illos priuare dominio eſt res manifeſta. Nam ad Eccleſiã pertinet hæc & ſimilia peccata punire in illis, qui ſemel fidem ſuſceperunt. Quod autem cõuenienter propter apoſtaſiã principes priuẽtur dominio probatur. Nam ſi apoſtata fidelibus dominaretur, vergere poſſet hoc in maximam fidei corruptionem: & homo apoſtata prauo corde machinaretur malum, & iurgia ſeminaret intendens fideles à fide ſeparare.

ℂTertia concluſio. Statim ac princeps per ſententiam Eccleſiæ declaratur excommunicatus propter apoſtaſiam à fide, ſubditiità abſoluuntur ab eius obedientia, & à iuramento fidelitatis, quo ei tenebãtur, ꝙ amplius ei obedire non tenentur. Hanc concluſionem non probat D. Tho. ſed illã, vt notã relinquit ex determinatione Gregorij ſeptimi adducta in argumento, ſed cõtra, quę incipit, nos ſanctorum, & habetur. 15. q. 6.

EXPLICATIO ARTICVLI.

CIrca primam concluſionem videnda erunt, quæ diximus ſupra. q. 10. art. 10. vbi oſtendimus infidelitatem non eſſe impedimentum, quo minus quis habeat verũ dominiũ ciuile ſupra ſubditos, & ſic ex natura ſua apoſtaſia & dominiũ nõ repugnãt.

Nota circa ſecundam concluſionẽ D. Tho. ℂCirca ſecundam concluſionem eſt aduertendum, quod princeps Eccleſiæ ſubiectus non ſolùm ob apoſtaſiam, ſed etiã ob quodcunq; crimen, cui eſt annexa excommunicatio, amittit dominium in ſubditos donec Eccleſiæ ſatisfaciat, vt cõſtat ex cap. nos ſanctorum, iam citato, & ex cap. iuratos. 15. q. 6. Imo clericus excommunicatus quandiu manet in excõmunicatione non facit ſuos fructus ex beneficio perceptos. Sed eſt latiſsimum diſcrimen inter excommunicatos, & apoſtatas. Nam excommunicati non priuãtur in perpetuũ dominio, quod habent, ſed quãdiu manent in excommunicatione: & requiritur ſecundum Caietanum, quòd tales per ſententiam ſint declarati excommunicati. At vero apoſtata à fide priuatur in perpetuũ dominio, quod habebat, cum incurrat pœnas hæreticorum, vt conſtat ex cap. cum ſecundum leges. de hæret. lib. 6. Et ad hoc etiam requiritur declaratio iudicis, vt ſubditi ſint liberi à iuramento, & fidelitate debita, vt dicunt D. Thom. & Caietanus in præſenti. Et poſt ſententiã latam ſubditi, Si poſſunt, tenẽtur illi non obedire: excuſabuntur tamen ab huiuſmodi obligatione, ſi abſq; magno periculo non poſsint ſe à prędicta obedientia ſubtrahere. An vero ſi apoſtata eſt publicus, & notorius, ita vt crimen nulla poſsit tergiuerſatione celari, ſubditi teneantur in licitis, & honeſtis illi obedire ante iudicis ſententiam, varietate opinionum diſputatur à doctoribus. Et Caietanus in præſenti tenet partem affirmatiuam, quia dicit ſemper requiri iudicis ſententiam declaratiuã propter autoritatiuam manifeſtationẽ, & vt quod autoritas publica inchoauit lege; autoritas publica perficiat iudice. Sed huius rei determinatio potiùs ad Iuriſtas, quã ad Theologos pertinet.

QVAESTIO DECIMA-tertia, de Peccato blaſphemiæ in generali, in quatuor articulos diuiſa.

DEINDE conſiderandum eſt de peccato blaſphemię quod opponitur cõfeſsioni fidei. Et primo de blaſphemia in generali: ſecũdo, de blaſphemia, quæ dicitur peccatum in Spiritum ſanctum.

¶Circa primum quæruntur quatuor.

¶Primo, vtrum blaſphemia opponatur confeſsioni fidei.

¶Secundo, vtrum blaſphemia ſemper ſit peccatum mortale.

Tertio,

¶Tertio, vtrum blaſphemia ſit maximum peccatum.

¶Quarto, vtrum blaſphemia ſit in dānatis.

ARTICVLVS. I.

Vtrum blaſphemia opponatur confeſsioni fidei.

4.diſ.14.in expo. lit. ad 9.Et lo. 10. le.5.princi. AD PRIMVM ſic proceditur. Videtur quòd blaſphemia non opponatur confeſsioni fidei. Nā blaſphemare eſt contumeliā, vel aliquod conuitium inferre in iniuriam Creatoris. Sed hoc magis pertinet ad maleuolentiā contra Deum, quam ad infidelitatem, ergo blaſphemia non opponitur confeſsioni fidei.

2 ¶Prçterea, Ad Epheſ.4. ſuper illud. *Glo. Interlinearis, ibidem.* Blaſphemia tollatū à vobis, dicit * glo. quę fit in Deū vel in ſanctos. Sed confeſsio fidei nō videtur eſſe, niſi de his, quæ pertinent ad Deum, qui eſt fidei obiectum, ergo blaſphemia non ſemper opponitur confeſsioni fidei.

3 ¶Prçterea, A quibuſdam dicitur, ꝙ ſunt tres blaſphemiæ ſpecies. Quarū vna eſt, cum attribuitur Deo, quod ei non conuenit. Secunda eſt, cum ab eo remouetur quod ei cōuenit. Tertia eſt cum attribuitur creaturæ, quod Deo appropriatur: & ſic videtur quòd blaſphemia, nō ſolum ſit circa Deum, ſed etiam circa creaturas. Fides autem habet Deum, pro obiecto. ergo blaſphemia non opponitur confeſsioni fidei.

¶SED CONTRA eſt, quod Apoſtolus dicit 1.ad Tim.1. Prius fui blaſphemus & perſecutor: & poſtea ſubdit, Ignorās feci in incredulitate mea. Ex quo videtur, quòd blaſphemia ad infidelitatem pertineat.

¶RESPONDEO dicendū, ꝙ nomen blaſphemiæ importare videtur quandam derogationem alicuius excellētis bonitatis, & præcipue diuinę. *Cap.1.poſt med.illius.* Deus autē, vt Dionyſius dicit * primo c. de Diui.nomi. eſt ipſa eſſentia veræ bonitatis. Vnde quicquid Deo conuenit, pertinet ad bonitatē ipſius: & quicquid ad ipſum nō pertinet, longe eſt à ratione perfectæ bonitatis, quę eſt eius eſſentia. Quicunq; ergo, vel negat aliquid de Deo qđ ei conuenit: vel aſſerit de eo quod ei non conuenit, derogat diuinæ bonitati. Quod quidem poteſt contingere dupliciter. Vno quidem modo ſecūdum ſolam opinionem intellectus, Alio modo cōiuncta quadā affectus deteſtatione: ſicut contrario fides Dei per dilectionem perficitur ipſius. Huiuſmodi ergo derogatio diuinę bonitatis, vel eſt ſecundum intellectum tantum, vel etiam ſecundum affectum. Si conſiſtat tātum in corde, eſt cordis blaſphemia. Si autem exterius prodeat per locutionem, eſt oris blaſphemia. Et ſecūdum hoc blaſphemia confeſsioni opponitur.

¶AD PRIMVM ergo dicendū, ꝙ ille qui contra Deū loquitur cōuitiū inferre intēdens, derogat diuinæ bonitati, nō ſolum ſecundum veritatem intellectus, ſed etiam ſecundū prauitatē voluntatis deteſtantis, & impedientis pro poſſe diuinū honorē: quod eſt blaſphemia perfecta.

¶Ad ſecundū dicendū, ꝙ ſicut Deus in ſanctis ſuis laudatur, in quātū laudātur opera, quæ Deus in ſanctis efficit, ita & blaſphemia, quæ fit in ſanctos, ex conſequenti in Deum redundat.

¶Ad tertiū dicendū, ꝙ ſecundum illa tria nō poſsūt propriè loquēdo, diſtingui diuerſæ ſpecies peccati blaſphemię. Attribuere enim Deo, qđ ei nō conuenit, vel remouere ab eo quod ei conuenit, non differunt niſi ſecudum affirmationem & negationem: quæ quidem diuerſitas habitus ſpeciem nō diſtinguit, quia per eandem ſcientiam innoteſcit falſitas affirmationum, & negationum: & per eandem ignorantiam vtroq; modo erratur cum negatio ꝓbetur per affirmationē, vt habetur primo Poſte. Quòd autē ea quæ ſunt Dei propria, creaturis attribuantur,

ad hoc

ad hoc pertinere videtur, quod aliquid ei attribuatur quod ei non conueniat. Quicquid enim eſt Deo propriũ, eſt ipſe Deus. Attribuere autẽ id, quod eſt Dei proprium, alicui creaturæ, eſt ipſum Deum dicere idem creaturæ.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio, Blaſphemia oris opponitur fidei confeſsioni. Probatur. Is dicitur blaſphem⁹ ore, qui verbis ſuis derogat diuinæ bonitati, vel tribuendo Deo, quæ ipſi non conueniunt, vel auferendo ab eo, quæ ipſi conueniunt: ſed hæc hominis locutio eſt cõtraria fidei cõfeſsioni, ergo blaſphemia oris opponitur fidei confeſsioni. Conſequentia cum minori eſt nota, & maior probatur à D. Thom. ex ipſa nominis ratione. Nam blaſphemia importare videtur quandam derogationem diuinæ bonitatis, quæ fieri poteſt, vel negando de Deo quod ei conuenit, vel aſſirmando de eo, quod ei nõ conuenit, &c.

EXPLICATIO ARTICVLI.

1. Notabile. Circa iſtum articulum eſt aduertendũ, quòd blaſphemia eſt nomen Græcum idem ſignificans quod Latinè maledictio, ſeu conuitium: accipiturque dupliciter. Vno modo generaliter pro quocunq; maledicto ſiue in Deũ ſiue in homines iactato, quo modo accipit Paulus ad Titũ. 3. quãdo præcipit neminẽ blaſphemare. Super quẽ locum dicit D. Hieronymus, tunc verbis in eſſe blaſphemiam, quando aliqua mala dicuntur de bonis. Alio modo accipitur particulariter pro maledicto in Deũ iniecto. Secundum quã ſignificationẽ dicit D. Auguſtinus li. 2. de moribus Manichæorũ c. 11. ꝙ quãuis blaſphemia in homines dici poſſit, tamẽ blaſphemare proprie homines cõtra Deum intelliguntur. Et ſecundum iſtã acceptionem agimus de blaſphemia in præſenti de quã etiam agunt iuris periti in titulo de maledicis.

2. Notabile. ¶ Secũdo eſt aduertendũ, ꝙ quamuis maledictio plerũque cõſiſtat in verbis exterioribus, tamen nonnunquã ſola animi cogitatione fieri poteſt. Sed ſiue verbis, ſiue cogitatione fiat, male dicere alicui formaliter loquendo, nihil aliud erit, quam dicere de eo, ſiue aſſerendo, ſiue optando, ſiue imperando ea, quæ ipſum dedecore afficiũt. Ex quo fit, vt maledictio ſemper ſit coniuncta cum contumelia.

¶ Tertio eſt aduertendũ hoc eſſe diſcriminis inter Deũ, & homines, ꝙ Deus cum ſit eſſentialiter ipſamet bonitas, nihil turpe habet in ſe, ſed id quod eſt optimum: & habere illa, quæ ipſi nõ inſunt, vicioſum eſſet illi. At vero homines ſicut habent multa turpia, ſic etiam carent multis rebus honeſtis. Ex quo fit, vt non quoties obijcimus falſa hominib⁹ maledicamus illis: vt patet cum ea, quæ obijcimus ſunt honeſta. Nec rurſus quoties maledicimus hominibus, neceſſe eſt, vt falſa dicamus, vt patet, cũ obijcimus illis res turpes quas habẽt. Cæterũ quoties maledicimus Deo, neceſſariũ eſt vt falſum dicamus: quia nihil illi turpe obijcere poſſumus, niſi falſò. Dupliciter autẽ poteſt cõtingere, ꝙ aliquid alicui falſò obijciatur. Vno modo, quia re vera nõ habẽt id, quod obijcitur: alio modo, quia quanuis illud habeat, non tamẽ ineſt illi eo modo, quo nos ei ineſſe ſignificamus. *3. Notabile.*

¶ Quarto eſt aduertendũ, ꝙ maledictio mendax in aliquẽ prolata, oriri poteſt ab vna è duabus cauſis, ſcilicet, vel à iudicio mẽtis, quo is, qui maledicit, exiſtimat rẽ ita ſe habere ſicut ipſe profert, vel à mala voluntate, quã habet erga illũ, cui maledicit. Qui profert maledictionẽ mendacem in aliquẽ, quia iudicat id eſſe verũ, & nõ, quia illi male vult, propriè loquendo nõ eſt cõtumelioſus. At vero is, qui maledictionẽ profert in aliquẽ, non quia id iudicat eſſe verum, ſed quia illi male vult, is proprie loquendo eſt cõtumelioſus, ac proinde blaſphemus. Ex quo fit, vt blaſphemia ſemper requirat malã voluntatẽ aduerſus eũ, cui male dicitur, & non requirat falſum iudiciũ intellectus, à quo proficiſcatur. Includit quidẽ blaſphemia actũ intellectus, quo falſum dicitur, & actũ voluntatis, qui eſt mala affectio erga eũ, de quo illud malum dicitur: & in actu intellectus conſiſtit formaliter, in actu vero voluntatis radicaliter. Cæterũ non includit actũ intellectus falſò iudicantis id, quod obijcit eſſe verũ: quinpotius oppoſitũ iudiciũ eſt neceſſariũ ad verã blaſphemiam, vt ſtatim dicebam. Ex dictis poſſumus colligere veram blaſphemiæ deſinitionẽ, quæ eſt falſa locutio aduerſus Deũ prolata ab eo, qui non ità iudicat, ſed Deo male vult. Vel, vt dicit Hugo de Sancto Victore in libro de ſtructu carnis, & ſpiritus, cap. 6. Blaſphemia eſt cum quadam probroſa religioſitate conui- *4. Notabile.* *Diffinitio blaſphemiæ.*

conuiciorum iaculata in alium maledictio: aut eſt diuini, vel humani nominis diminutio iurãdo, vel exprobrãdo facta. *1. Corollariũ.* ¶ Ex quo infero primò, quod infideles proferentes de Deo ea, quæ ipſi credunt, non ſunt propriè blaſphemi, quamuis dicant falſa de Deo, quia non dicunt illa, quia Deo male volũt; *2. Corollariũ* ſed quia iudicant eſſe vera. ¶ Infero ſecundo, ꝙ blaſphemus, vt ſic, non peccat peccato infidelitatis, ſed accidere poteſt, vt is, qui verè fidelis eſt, ſit ꝓpriè blaſphemus, cũ ad rationẽ blaſphemiæ non requiratur qd qui falſum de Deo dicit, ita iudicet. *3. Corollariũ* ¶ Infero tertio, quòd illi qui nominant membra pudenda Chriſti, aut ſanctorum ſunt blaſphemi. Nam licet Chriſtus atque ſancti ea membra habeant, non tamen eſt ignominioſum illis ea habere: & qui ea nominant obijciunt ſibi illa tanquam turpia, & ignominioſa, Ex quo fit, vt mẽdaciter obijciũt, atq; ex conſequenti ſunt blaſphemi. Et idẽ dicendum eſt de quibuſcunq; alijs locutionibus, quę, vel conuitium, vel vituperium, vel iniuriam, vel irriſionem, vel derogationem, ſeu diminutionem honoris, vel excellentiæ diuinæ, vel alicuius ad Deum quomodolibet pertinentis, continent in ſe; vel in modo dicendi, quæ omnia ſunt aperte blaſphemiæ, vt optimè explicat Caietanus hic, & in ſumma verbo blaſphemia. & Antonius à Cordoua lib. 1. q. 17. § 15.

Argumẽtũ. ¶ Sed contra prædicta eſt argumentum ſumptum ex D. Tho. in hoc articulo qui dicit blaſphemiã aliquando conſiſtere in ſola opinione intellectus, ſine affectu voluntatis, ergo falſum eſt dicere, quòd ſemper habet ortum à mala voluntate. *Solutio.* ¶ Ad hoc reſpondetur, quod quando D. Tho. dicit blaſphemiã conſiſtere in ſola opinione, nõ excludit volũtatem neceſſario requiſitam ad omnem actum moralem: ſed loquitur de blaſphemia imperfecta, quæ pot̃ eſſe ſine praua affectione voluntatis, vt in litera dicitur. Quod, vt intelligatur aduertendum eſt, quod ſicut fides dicitur formata, & informis, ità etiam blaſphemia. Et formata dicitur, illa quæ procedit ex odio Dei, quam D. Tho. appellat perfectam in hoc articulo. Informis vero (quæ etiam eſt vera blaſphemia,) eſt, quando dicitur aliquid falſum contra Deũ, non tamen ex odio ipſius profectũ, ſed ex alia quauis praua affectione. Nam quamuis omnis blaſphemia, quia eſt voluntaria fit à mala voluntate, non tamen omnis eſt cum voluntate affecta ad derogãdum diuinę bonitati, ſed aliqua tantum, vt dicitur in litera, ſicut omne credere eſt volũtariũ: non tamen omne credere eſt à volũtate affecta charitate: habet enim ſe hęc malitia ad blaſphemiam, ſicut charitas ad fidẽ.

¶ In ſolutione ad tertium docet D. Tho. ꝙ blaſphemia nõ habet ſpecies diuerſas: ꝙ verum eſt, nam ſiue in Deũ ſiue in ſanctos blaſphemia iactetur, quomis modo ſemper habet vnam rationem, ſcilicet, diuinæ bonitati derogare. Nam quemadmodũ creaturę pertinent ad fidem quatenus pertinent ad Deum, ità etiã blaſphemia eſt de illis quatenus in Deũ referũtur: & ſic omnis blaſphemia pertinet ad vnam, & eandẽ ſpeciẽ. Cũ hoc tamen ſtat, ꝙ ſit neceſſariũ blaſphemię circunſtantias explicare in confeſsione, vt peccati grauitas intelligatur: grauius enim eſt blaſphemare in Deum quam in beatã Virginem, & in ſacram Virginem, quam in alios diuos. Et rurſus, grauius eſt blaſphemare ex peruerſa voluntate, & inteſtino odio contra Deum, quam vel ex paſsione, vel animi perturbatione.

ARTICVLVS. II.

¶ *Vtrùm blaſphemia ſemper ſit peccatum mortale.*

AD SECVNDVM ſic proceditur. Videtur quod blaſphemia non ſemper ſit peccatũ mortale. Quia ſuper illud ad Coloſ. 3. Nunc autẽ deponite & vos, &c. dicit glo. Poſt maiora prohibet minora. Et tamẽ ſubdit de blaſphemia. Ergo blaſphemia inter peccata minora computatur, quę ſunt peccata venialia. *Ad Col. 3. lc. 2. Eſt glo. Ambroſ. in iſtũ locum to. 5.*

2 ¶ Præterea, Omne peccatũ mortale opponitur alicui præcepto decalogi. Sed blaſphemia non videtur alicui ꝓcotum opponi. Ergo blaſphemia non eſt peccatum mortale.

3 ¶ Præterea, Peccata quæ abſq; deliberatione cõmittuntur, non ſunt mortalia: propter quod primi motus non ſunt peccata mortalia, quia deliberationẽ rationis præcedũt, vt ex ſupra dictis patet. Sed blaſphemia quandoq; abſque deliberatione procedit, ergo non *1. 2. q. 74. art. 10.*

non ſemper eſt peccatum mortale.

¶SED contra eſt, quòd dicitur Leui. 24. Qui blaſphemauerit nomen Domini morte moriatur. Sed pœna mortis non infertur, niſi pro peccato mortali. Ergo blaſphemia eſt peccatum mortale.

1.2.q.72.ar tic.5.&q. 88.art.1. ¶RESPONDEO dicendum, ꝙ ſicut ſuprà * dictum eſt, peccatū mortale eſt, per quod homo ſeparatur à primo principio ſpiritualis vitæ, quod eſt charitas Dei. Vnde quæcunq; charitati repugnant, ex ſuo genere ſunt peccata mortalia. Blaſphemia autem ſecundum genus ſuum repugnat charitati diuinæ: quia derogat diuinæ bonitati: vt dictum * eſt, quæ eſt obiectū Ar. præced. charitatis. Et ideo blaſphemia eſt peccatum mortale ex ſuo genere.

¶AD PRIMVM ergo dicendum, quòd glo. illa non eſt ſic intelligenda, quòd omnia, quæ ſubduntur, ſint peccata minora: ſed quia cum ſuprà non expreſsiſſet, niſi maiora, poſtmodum etiam quædā minora ſubdit, inter quę etiam quædam de maioribus ponit.

¶Ad ſecundum dicendum, quòd cum blaſphemia opponatur confeſsioni fidei, vt * dictum eſt, eius prohibitio re Ar. præced. ducitur ad prohibitionem infidelitatis quæ intelligitur in eo, quod dicitur, Ego ſum Dominus Deus tuus, &c. vel prohibetur per id quod dicitur, Non aſſumes nomē Dei tui in vanum. Magis enim in vanum aſſumit nomē Dei, qui aliquod falſum de Deo aſſerit, quā qui per nomen Dei aliquod falſum confirmat.

¶Ad tertium dicēdum, quòd blaſphemia poteſt abſque deliberatione ex ſurreptione ꝓcedere dupliciter. Vno modo, quòd aliquis nō aduertat hoc, quod dicit eſſe blaſphemiam: quod poteſt contingere, cum aliquis ſubito ex aliqua paſsione in verba imaginata prorumpit quorum ſignificationem non conſiderat: & tunc eſt peccatum veniale, & non habet propriè rationē blaſphemiæ. Alio modo, quando aduertit hoc eſſe blaſphemiam, conſiderans ſignificata verborum: & tunc nō excuſatur à peccato mortali, ſicut nec ille, qui ex ſubito motu iræ aliquem occidit iuxta ſe ſedentem.

SVMMA TEXTVS.

COncluſio eſt affirmatiua, ſcilicet, quod blaſphemia ex genere ſuo ſemper eſt peccatum mortale. Et probatur. Peccatum, quod ſecundum genus ſuum pugnat cum charitate, quæ eſt principium vitæ ſpiritualis, ex genere ſuo eſt mortale: ſed blaſphemia ſecundum genus ſuum pugnat cū charitate, derogat enim diuinæ bonitati, quæ eſt obiectū charitatis, ergo blaſphemia ex genere ſuo eſt peccatum mortale: & hac de cauſa blaſphemi in lege veteri morte puniebantur, vt conſtat ex præcepto Leuitici cap. 24.

EXPLICATIO ARTICVLI.

CIrca iſtum articulum, & præcipue circa ſolutionem ad tertium argumentū *Nota circa ſolutionem.* eſt aduertendum, quod blaſphemia, quæ directè profertur contra Deum, vel contra ſanctos, qui diuinam ſanctitatem participant, non poteſt eſſe peccatum veniale ex leuitate materiæ ſicut alia peccata, quæ licet ex genere ſuo ſint mortalia, fiunt tamē venialia ex paruitate materiæ, vt eſt videre in furto, & in alijs. Sed eſt blaſphemia ſicut homicidium, quod nunquam fit veniale ex leuitate materiæ: poteſt tamen fieri veniale ex ſubreptione, vel defectu deliberationis: & ſimiliter etiam poterit eſſe veniale, ſi non directè & formaliter, ſed materialiter & de per accidens feratur in ſanctos, vt ſi quis gratia riſus dicat de beato Petro (*Que tiene barbas de cardador*) vel quod cū eſſet Iudæus negauit Chriſtum. Hæc enim omnia leuem continent cōtumeliam, & ad quam ſanctitas ſe habet de per accidens. Dicimus tamē, ꝙ in his locutionibus blaſphemia continetur, quia etiam in his, quæ humana ſunt, tenemur magis honorare ſanctos, & tegere ea, quæ turpia ſunt ex hominis conditione, quam in alijs hominibus. Imo talis poſſet eſſe hæc pronunciatio, vt quod in vno eſt peccatum veniale in alio eſſet

eſſet mortale. Vt, ſi quis explicãs illud Pauli, Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, impudenter diceret Apoſtolum impudicum quid paſſum fuiſſe.

ARTICVLVS. III.

Vtrum peccatum blaſphemiæ ſit maximum peccatum.

3.q.80.art.3.cor. Et.4.diſt.9.art.3.q.3.cor. Et mal.q.2.ar.10.cor. ca.12.ſo 3.

AD TERTIVM ſic proceditur, Videtur quòd peccatũ blaſphemię non ſit maximum peccatum. Malum enim dicitur, quia nocet, ſecũdum Auguſt.* in Enchiridio. Sed magis nocet peccatum homicidij, quod perimit vitam hominis, quàm peccatum blaſphemiæ, quod Deo nullum nocumentũ poteſt inferre. Ergo peccatum homicidij eſt grauius peccato blaſphemiæ.

2 ¶Præterea, Quicunq; periurat inducit Deum teſtem falſitatis, & ita videtur eum aſſerere eſſe falſum. Sed non quilibet blaſphemus vſq; ad hoc procedit, vt Deum aſſerat eſſe falſum. Ergo periurium eſt grauius peccatum, quàm blaſphemia.

3 ¶Præterea, Super illud Pſalm. 47. Nolite extollere in altum cornu veſtrum, dicit *glo. Maximum eſt vitiũ excuſationis peccati. Nõ ergo blaſphemia eſt maximum peccatum. *In Pſal. 47. in gloſ. ordi. ex Caſsiodoro.*

¶SED contra eſt, quòd Iſa. 18. ſuper illud. Ad populum terribilem, &c. dicit *glo. Omne peccatum blaſphemię comparatum leuius eſt. *Gloſ. ordina. ibid.*

¶RESPONDEO dicendũ, quòd ſicut ſuprà dictum * eſt, blaſphemia opponitur confeſsioni fidei. *Art.1.huius quæſt.* Et ideò habet in ſe grauitatem infidelitatis & aggrauatur peccatum, ſi ſuperueniat deteſtatio voluntatis: & adhuc magis ſi prorumpat in verba: ſicut & laus fidei augetur per dilectionem & confeſsionẽ. Vnde cum infidelitas ſit maximum peccatum, ſecundum ſuum genus, ſicut ſuprà * dictum eſt: *Q.10.art.3.* conſequens eſt, quòd etiam blaſphemia ſit peccatum maximum ad idem genus pertinens, & ipſum aggrauans.

¶AD PRIMVM ergo dicendum, quòd homicidium & blaſphemia, ſi comparentur ſecundum obiecta, in quæ peccatur: manifeſtum eſt ꝙ blaſphemia, quæ eſt directè peccatum in Deũ, præponderat homicidio, quod eſt peccatum in proximum. Si autem comparentur, ſecundum effectum nocendi, ſic homicidium præponderat. Plus enim homicidium nocet proximo, quàm blaſphemia Deo. Sed quia in grauitate culpæ magis attenditur intentio voluntatis peruerſæ, quàm effectus operis, vt ex ſupradictis * patet: *1.2.q.73.art.3.& .8.* ideo cum blaſphemus intendat nocumentum inferre honori diuino, ſimpliciter loquendo, grauius peccat, quã homicida. Homicidium tamen primum locum tenet in pœnis inter peccata in proximum commiſſa.

¶Ad ſecundum dicendum, quòd ſuper illud ad Epheſ. 4. Blaſphemia tollatur à vobis, dicit * gloſ. *Eſt Aug. in li. cõtra mẽdacium cap. 19. non procul à fine, to. 4.* Peius eſt blaſphemare, quàm periurare. Qui enim periurat non dicit, aut ſentit aliquid falſum de Deo, ſicut blaſphemus, ſed Deum adhibet teſtem falſitati: non tãquam æſtimans Deum eſſe falſum teſtem, ſed tãquam ſperans, quòd Deus ſuper hoc non teſtificetur per aliquod euidens ſignum.

¶Ad tertium dicendum, quòd excuſatio peccati eſt quædam circunſtantia aggrauans omne peccatum, etiam ipſam blaſphemiam: & pro tanto dicitur eſſe maximum peccatum, quia quodlibet facit maius.

SVMMA TEXTVS.

COncluſio eſt affirmatiua, Probatur. Infidelitas ex genere ſuo eſt maximum peccatum, vt diximus ſuprà. q. 10. art. 4. ſed blaſphemia habet in ſe grauitatem infidelitatis, & rurſus aliam ex deteſtatione volũtatis, & aliam ſi prorumpat in verba exteriora, ſicut laus fidei augetur ex interiori di lectione

lectione, & exteriori confeſsione, ergo blaſphemia eſt maximum peccatum ad genus infidelitatis pertinēs, & ipſam aggrauans.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Dubium vtrum infidelitas claudatur in blaſphemia.

CIrca iſtum articulum eſt difficultas vtrùm verū ſit, quod infidelitas clauditur in blaſphemia. Et pro parte negatiua eſt argumentum, Blaſphemia reperiri poteſt, imò ſæpe reperitur ſine infidelitate: non enim neceſſe eſt, vt qui blaphemat habeat iudicium falſum circa Deum, vt diximus articulo primo huius quæſtionis, ergo infidelitas non clauditur in blaſphemia. ¶ In contrarium tamē videtur eſſe D. Th. in hoc articulo.

Sententia autoris.

¶ Ad hanc difficultatem reſpondetur, proculdubiò verum eſſe quod infidelitas non clauditur in blaſphemia: vt rectè probat argumentum, nec D. Tho. contrarium dicit, ſed tantum affirmat, q blaſphemia continet grauitatem infidelitatis, quod longe diuerſum eſt. Nam bene poteſt fieri, q blaſphemia contineat grauitatem infidelitatis, & tamen non contineat ipſam infidelitatem, ſicut de Chriſto dicimus, quod habuit meritū fidei, & meritum pœnitentiæ, & tamen nec habuit fidem, nec pænitentiam. Item habēs demonſtrationem, quòd Deus eſt, non habet fidem huius rei, & tamen habet meritū fidei, vt diximus ſupra, propter volūtatem affectam ad aſſentiendum, etiam ſi demonſtrationem non haberet: meritū enim conſiſtit in præparatione animi. Et ad eundem modum dicit D. Th. quòd blaſphemus licet nō habeat errorem in intellectu, quia tamen eius voluntas ita eſt affecta, vt vellet Deum nō eſſe iuſtum, ſapientem. &c. & ſic loquitur de illo, ac ſi ita eſſet, idcirco dicitur habere grauitatem infidelitatis. Nec vult dicere quod blaſphemia habet omnē grauitatem infidelitatis, id enim falſum eſſet, & leuius malum eſt locutio falſa de Deo, quæ reperitur in blaſphemia, quam iudicium falſum de eodem, quod reperitur in infidelitate: ſed tantum vult dicere, quod blaſphemia habet aliquam partem grauitatis, quæ eſt in infidelitate, id eſt, quod vtraq; habet grauitatem ad id genus peccati pertinentem, quanuis inæqualem: quod quidem verum eſt. Nam cum infidelitas iudicet falſo de Deo, blaſphemia vero loquatur falſò de eodē, manifeſte ſequitur quod vtraque verſatur circa eandem materiam, & obiectum, atq; ex conſequenti quod vtraque habet malitiam & grauitatem eiuſdem generis: quanuis inæqualem. Ad quem etiam modum in materia tēperantiæ dicere ſolemus, q tactus impudici erga ſeipſum habent grauitatem ſodomiæ. ¶ Et ſi quis obijciat: nam ex hoc ſequi videtur, blaſphemiam ſimpliciter eſſe minus peccatum quam infidelitatem, quod Diuus Thomas, videtur negare, reſpondetur negando ſequelam: nam proculdubiò infidelitas ex natura ſua eſt maius peccatum, quam blaſphemia: & patet ex eo, quod infidelitas deſtruit fundamētum Chriſtiani ædificij, ſcilicet, fidem, quam tamen blaſphemia nō deſtruit. Nec hoc aduerſatur doctrinæ traditæ à D. Tho. in hoc articulo qui ſolum docet blaſphemiam eſſe maximum peccatum, eo quod grauitati infidelitatis quam habet in ſe, iuxta modum explicatum, copulatur etiam grauitas orta, tum ex deteſtatione voluntatis, tum etiam ex exteriori prolatiōe, quod verum eſt. Si quis autem cognoſcere voluerit, quam graue peccatum ſit blaſphemia, poterit illud colligere ex nonnullis, quæ in ſacra ſcriptura continentur. Primo ex eo, q blaſphemus ex diuina lege præcipiebatur lapidari Leuit. cap. 24. ſub his verbis: Educ blaſphemum extra caſtra, & ponant omnes qui audierint manus ſuper caput eius, & lapidet eum omnis populus. &c. Secundo ex eo, quod antiqui adeò abhorrebant blaſphemiam, vt nec illam audire vellent, ex quo factum fuit, quod Iudæi, qui exiſtimarunt Stephanum blaſphemaſſe, cum dixit actorum. 7. Video cœlos apertos, & Ieſum ſtantem à dextris Dei, continuerunt aures ſuas. Tandem ex eo, quod nec blaſphemiæ nomen proferre volebant tanto odio eam proſequebantur. Et ſic. 3. Reg. c. 22. qui Nabot accuſauerunt, nō dixerunt, blaſphemauit Deum, & Regem: ſed benedixit Deo & Regi: & Iob cap. 1. non dixit: Ne forte blaſphemauerint Deū, ſed, forte benedixerint Deo. De pœna autem blaſphemantium, & de practica quæ circa hoc habetur, videndus eſt Caſtr. lib. 1. de iuſta hæreticorum punitione. cap. 12. & Directorium Inquiſitorum part. 2. q. 41.

Quā graue peccatum ſit blaſphemia.

ARTICVLVS. IIII.

¶ Vtrum damnati blaſphement

3. 3. art. 2. & 10. 8. lec. 6.

AD QVARTVM ſic proceditur. Videtur, quòd damnati non blaſphement. Deterrentur enim nunc aliqui mali à blaſphemando propter timorem futurarum pœnarum. Sed damnati has pœnas experiuntur: vnde magis eas abhorrent, ergo multò magis à blaſphemando compeſcuntur.

2 ¶ Præterea. Blaſphemia, cũ ſit grauiſsimum peccatum, eſt maximè demeritorium, Sed in futura vita non eſt ſtatus merendi, neque demerendi. Ergo nullus erit locus blaſphemiæ.

3 ¶ Præterea, Eccl. 11. dicitur, quòd in quocunque loco lignum ceciderit, ibi erit. Ex quo patet, quòd poſt hanc vitam homini non accreſcit, nec meritum, nec peccatum quod nõ habuit in hac vita. Sed multi damnabuntur, qui in hac vita non fuerunt blaſphemi. Ergo nec in futura vita blaſphemabunt.

¶ SED CONTRA eſt, quod dicitur Apocalyp. 16. Aeſtuauerunt homines æſtu magno, & blaſphemauerunt nomen Domini habentis poteſtatem ſuper has plagas. Vbi dicit glo. quòd in inferno poſiti, quanuis ſciant ſe pro meritis puniri, dolebũt tamen, quòd Deus tantam potentiam habeat, quòd plagas eis inferat. Hoc autem eſſet blaſphemia in præſenti. ergo & in futuro.

Ar. præced. & ar. 1. huius q.

¶ RESPONDEO dicendũ, quod ſicut * dictum eſt: ad rationẽ blaſphemiæ pertinet deteſtatio diuinæ bonitatis. Illi autem qui ſunt in inferno, retinebunt peruerſam voluntatem auerſam à Dei iuſtitia in hoc, quod diligũt ea, pro quibus puniuntur, & vellẽt eis vti, ſi poſſent, & odiunt pœnas, quæ pro huiuſmodi peccatis infliguntur. Dolent tamem etiam de peccatis, quæ commiſerunt: non quia ipſa odiant, ſed quia pro eis puniuntur. Sic ergo talis deteſtatio diuinæ iuſtitiæ eſt in eis interior cordis blaſphemia. Et credibile eſt, quod poſt reſurrectionem erit in eis etiam vocalis blaſphemia, ſicut in ſanctis vocalis laus Dei.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quod homines deterrentur in præſenti à blaſphemia propter timorem pœnarũ, quas ſe putãt euadere. Sed damnati in inferno non ſperãt ſe poſſe euadere. Et ideo tanquam deſperati feruntur ad omne, ad quod eis peruerſa voluntas ſuggerit.

¶ Ad ſecundum dicendum, quod mereri, & demereri pertinent ad ſtatum viæ. vnde bona in viatoribus ſunt meritoria, vel demeritoria. In beatis autem bona non ſunt meritoria, ſed pertinẽtia ad eorum beatitudinis præmium. Et ſimiliter mala in damnatis non ſunt demeritoria, ſed pertinẽt ad damnationis pœnam.

¶ Ad tertium dicendum, quod quilibet in peccato mortali decedens, fert ſecum volũtatem deteſtandi diuinam iuſtitiam, quantum ad aliquid, & ſecundum hoc poterit ei ineſſe blaſphemia.

SVMMA TEXTVS.

PRima concluſio, In damnatis eſt interior cordis blaſphemia. Probatur, Ad rationem blaſphemiæ pertinet deteſtatio diuinæ bonitatis: ſed in damnatis eſt huiuſmodi deteſtatio, eo quod diuina bonitas & phibet culpas erga quas ipſi affecti ſunt & infligit pœnam, quam ipſi pati nolunt, ergo eſt in illis blaſphemia, non oris, quia in illis modò non eſt corporalis loquutio, ergo cordis. ¶ Secunda concluſio, Credibile eſt, quod poſt diem iudicij erit in damnatis blaſphemia oris, ſicut in ſanctis vocalis laus Dei.

EXPLICATIO ARTICVLI.

CIrca iſtum articulum ſolum eſt aduertendum, quòd quãdo D. Thom. dicit deteſtationem diuinæ iuſtitiæ eſſe in damnatis blaſphemiã, non eſt intelligendus formaliter, cum blaſphemia eſſentialiter conſiſtat

ſiſtat in locutione mentis, & deteſtatio eſt actus voluntatis: ſed eſt intelligendus cauſaliter, ſcilicet, quòd blaſphemia procedit ex deteſtatione. Itaque ſicut credere non eſt formaliter pia affectio, ità etiã blaſphemia non eſt deteſtatio, ſed procedit ex deteſtatione: ex quo fit, vt blaſphemia diſſerat à deteſtatione ſicut effectus à cauſa.

QVAESTIO DECIMAQVARTA, De blaſphemia in Spiritum ſanctum, in qua tuor articulos diuiſa.

DEINDE conſiderandum eſt in ſpeciali de blaſphemia in Spiritum ſanctum. ¶ Circa quod quærũtur quatuor.

¶ Primo, vtrum blaſphemia, vel peccatum in Spiritũ ſanctum, ſit idem, quod peccatum ex certa malitia.

¶ Secũdo, de ſpeciebus huius peccati.

¶ Tertio, vtrum ſit irremiſsibile.

¶ Quarto, vtrũ aliquis peccare poſsit in Spiritum ſanctum à principio, antequam alia peccata committat.

ARTICVLVS. I.

¶ Vtrùm peccatum in Spiritum ſanctum ſit idem quod peccatum ex certa malitia.

2. Diſt. 42. art. 1. & 2. Et ma. q. 3. artic. 14. Et quodli. 2. q. 8. arti. 1. & Rom. 2.

AD PRIMVM ſic proceditur. Videtur quod peccatum in Spiritum ſanctum non ſit idem quod peccatum ex certa malitia, peccatũ enim in Spiritum ſanctum eſt peccatum blaſphemiæ: vt patet Mat. 12. ſed non omne peccatum ex certa malitia eſt peccatum blaſphemiæ: cõtingit enim multa alia peccatorum genera ex certa malitia committi. ergo peccatum in Spiritum ſanctum non eſt idem quod peccatum ex certa malitia.

2 ¶ Præterea, Peccatum ex certa malitia diuiditur contra peccatũ ex ignorantia, & contra peccatum ex infirmitate, ſed peccatum in Spiritũ ſanctum diuiditur contra peccatum in Filium hominis, vt patet Matt. 12. Ergo peccatum in Spiritum ſanctũ nõ eſt idem, quod peccatum ex certa malitia: quia quorũ oppoſita ſunt diuerſa, ipſa quoque ſunt diuerſa.

3 ¶ Præterea, Peccatum in Spiritum ſanctum eſt quoddam genus peccati, cui determinatæ ſpecies aſsignantur. Sed peccatũ ex certa malitia non eſt ſpeciale genus peccati, ſed eſt quædã conditio, vel circunſtantia generalis, quæ poteſt eſſe circa omnia peccatorum genera. ergo peccatum in Spiritum ſanctum non eſt idem, quòd peccatum ex certa malitia.

¶ SED CONTRA eſt, quòd Magiſter dicit 43.* di. ſecundi libri ſententiarum, quod ille peccat in Spiritum ſanctũ, cui malitia propter ſe placet. Hoc autem eſt peccare ex certa malitia, ergo idem videtur eſſe peccatum ex certa malitia, quod peccatum in Spiritum ſanctum. *Lib. 2. d. 43.*

¶ RESPONDEO dicendum, ꝙ de peccato, ſeu blaſphemia in Spiritum ſanctum tripliciter aliqui loquuntur. Antiqui enim doctores, ſcilicet Atha.* Hila. Ambro. Hierony. & Chryſoſt. dicunt eſſe peccatum in Spiritum ſanctum, quando ad literam aliquid blaſphemum dicitur contra Spiritum ſanctũ, ſiue Spiritus ſanctus accipiatur, ſecundum quòd eſt nomen eſſentiale conueniens toti Trinitati: cuius quælibet perſona, & Spiritus eſt. & ſanctus eſt: ſiue prout eſt nomen perſonale vnius in Trinitate perſonæ. Et ſecundum hoc diſtinguitur Matt. 12. blaſphemia in Spiritum ſanctum contra blaſphemiam in filium hominis. Chriſtus enim operabatur quædã humanitus, comedendo, bibendo, & alia huiuſmodi faciendo: & quędam diuinitus, ſcilicet dæmones eijciẽdo, mortuos ſuſcitãdo, & alia huiuſmodi, quæ quidẽ agebat, & per virtutem proprię

Tractantes prædictũ locum Ma. 12.

diuinitatis, & per operationẽ Spiritus ſancti, quo ſecundum humanitatem erat repletus. Iudæi autem, primo quidem dixerant blaſphemiā in Filium hominis, cum dicebāt eum voracem, potatorẽ vini, & publicanorum amatorem, vt habetur Mat. 11. Poſtmodum autem blaſphemauerunt in Spiritum ſanctum, dum opera, quæ ipſe operabatur virtute propriæ diuinitatis, & per operationem Spiritus ſancti, attribuebant principi dæmoniorum, & propter hoc dicuntur in Spiritum ſanctum blaſphemaſſe*. Aug. autem in li. de verbis Domini, blaſphemiam, vel peccatum in Spiritum ſanctum dicit eſſe finalem impœnitentiam: quando ſcilicet aliquis perſeuerat in peccato mortali vſq; ad mortẽ. Quod quidem non ſolū verbo oris fit, ſed etiam verbo cordis, & operis, non vno, ſed multis. Hoc autẽ verbū ſic acceptum dicitur eſſe contra Spiritum ſanctum, quia eſt contra remiſsionem peccatorum, quæ fit per Spiritū ſanctum, qui eſt charitas, & Patris, & Filij. Nec hoc Dominus dicit Iudæis, quaſi ipſi peccarẽt in Spiritum ſanctum. Nondum enim erant finaliter impœnitẽtes: ſed admonuit eos, ne taliter loquentes ad hoc peruenirent, quod in Spiritum ſanctum peccarent. Et ſic intelligendum eſt quod dicitur Marci. 3. vbi poſtquā dixerat, Qui autem blaſphemauerit in Spiritum ſanctum, &c, ſubiungit Euangeliſta: Quoniam dicebant, ſpiritum immundum habet. Alij vero aliter accipiunt, dicẽtes peccatum, vel blaſphemiam in Spiritum ſanctū eſſe, quando aliquis peccat contra appropriatū bonū Spiritus ſancti. Sic enim Spiritui ſancto appropriatur bonitas, ſicut & patri appropriatur potentia, & Filio ſapiētia. Vnde peccatum in patrem dicunt eſſe, quando peccatur ex infirmitate: peccatum autem in filiū, quando peccatur ex ignorantia: peccatum autem in Spiritum ſanctū, quando peccatur ex certa malitia, id eſt, ex ipſa electione mali, vt ſuprà * expoſitum eſt. Quod quidem contingit dupliciter, Vno modo ex inclinatione habitus vitioſi, qui malitia dicitur: & ſic nō eſt idẽ peccare ex malitia, quod peccare in Spiritū ſanctū. Alio modo contingit ex eo, quod per contẽptum abijcitur, & remouetur id, quod electionem peccati poterat impedire: ſicut ſpes per deſperationem, & timor per præſumptionem: & quædam alia huiuſmodi, vt infrà * dicetur. Hæc autem omnia, quæ peccati electionem impediunt ſunt effectus Spiritusſancti in nobis. Et ideo ſic ex malitia peccare, eſt peccare in Spiritum ſanctum.

Serm. 11. poſt me. to. 10.

1. 2. q. 78. art. 1. & 3.

Art. ſeq. & q. 20. et. 21.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quod ſicut confeſsio fidei non ſolum cōſiſtit in proteſtatione oris, ſed etiam in proteſtatione operis: ita etiam blaſphemia Spiritusſancti poteſt conſiderari, & in ore, & in corde, & in opere.

¶ Ad ſecundum dicendum, quod ſecundnm tertiā acceptionem blaſphemia in Spiritum ſanctum diſtinguitur contra blaſphemiam in filium hominis, ſecūdum quod Filius hominis eſt etiam filius Dei, id eſt, Dei virtus, & Dei ſapientia. Vnde ſecūdum hoc peccatum in filium hominis, erit peccatum ex ignorantia, vel ex infirmitate.

¶ Ad tertium dicendum, quod peccatum ex certa malitia, ſecundum quod prouenit ex inclinatione habitus, non eſt ſpeciale peccatum, ſed quædam generalis conditio peccati. Prout vero eſt ex ſpeciali contemptu effectus Spiritusſancti in nobis, habet rationem ſpecialis peccati. Et ſecundū hoc etiā peccatum in Spiritum ſanctum, eſt ſpeciale genus peccati, & ſimiliter ſecundum primam expoſitionem. Secundum autem ſecundam expoſitionem non eſt ſpeciale genus peccati. Nam finalis impœnitentia poteſt eſſe circunſtantia cuiuſlibet generis peccati.

EXPLI-

EXPLICATIO ARTICVLI.

DIuus Tho. tota hac quæſt. nititur explicare nobis illa verba Chriſti Matt. 12. Qui dixerit verbũ contra filium hominis remittetur ei, qui autẽ dixerit verbum in Spiritum ſanctum non remittetur ei nec in hoc ſeculo nec in futuro. Quæ ſanè adeò ſunt explicatu difficilia, vt dixerit D. Auguſtinus ſermone. 11. de verbis Domini, nulla fortè difficiliora in ſacris literis contineri. Et tres ſanctorũ Patrũ explicationes refert D. Th. Prima eſt D. Ambroſij lib. 2. de pœnitentia. c. 4. & lib. de Spiritu ſancto c. 3. D. Hierony. & D. Chryſoſt. ſuper. 12. caput Matt. & aliorũ, qui dicunt, ꝙ verbũ in filiũ hominis, eſt blaſphemia in Chriſti humanitatẽ iactata, quales fuerunt illæ, qui bus dixerũt Chriſtũ eſſe voracem, potatorẽ vini, amicum publicanorum. &c. Verbum autem in Spiritũ ſanctũ eſt blaſphemia in Chriſti diuinitatẽ prolata, qualis fuit illa. In Beelzebub principe dæmoniorũ eijcit dæmonia: qua, opus diuina virtute apertè factum, virtuti dæmonis tribuebant. Hæc expoſitio eſt textui valde germana, quare autem blaſphemia in filium dicatur remitti, & blaſphemia in Spiritum ſanctum dicatur non remitti infra dicemus.

1. Interpretatio D. Ambroſij. atque D. Hierony.

¶ Secunda expoſitio eſt D. Augu. qui in Enchiridio. c. 83. & epiſtola. 50. dicit blaſphemiam in Spiritum ſanctum eſſe finalem impœnitentiam, hoc eſt peccatũ mortale ad finẽ vſq; vitæ perſeuerans, blaſphemia vero in filium eſt quodcunque aliud peccatum. Finalis impœnitẽtia nunquam remittitur, nec in hoc ſæculo nec in futuro: alia verò peccata remittũtur. Finalis impœnitentia dicitur peccatum in Spiritum ſanctum, quoniam excludit remiſsionem, quę peculiariter Spiritui ſancto tribuitur. At vero alia peccata, quæ non ſunt contra remiſſionem peccatorũ, ſiquidem aliquando remittuntur, dicuntur peccata in filium. Hęc D. Auguſtinus. Et quãuis eius doctrina ab omnibus veneretur propter tãti viri autoritatẽ, à nullo tamẽ admittitur tanquam germana expoſitio textus. Loquitur enim ibi Chriſtus de aliquo peculiari peccato blaſphemiæ, vt ex ipſo textu cõſtat, & finalis impœnitentia nec eſt peculiare peccatum, ſed conditio quæ poteſt omnibus peccatis conuenire, nec ſemper eſt blaſphemia: ſed plerunq; eſt culpa alterius generis. Niſi velimus dicere cum D. Tho. hic ad primum, & cum Caietano in commentario, ꝙ ſicut omnis pia cogitatio, & pium opus externũ dicitur quodãmodo confeſsio fidei, ſic etiã omne peccatũ, ſiue cordis ſiue oris, ſiue operis poteſt dici quodam modo blaſphemia.

2. Interpretatio D. Auguſtini.

¶ Tertia expoſitio eſt D. Th. hic, quã recẽtiores doctores admittũt, ſcilicet quod peccata, quæ cõmittũtur, per fragilitatem ſunt in Patrem, cui tribuitur potentia, quæ verò per ignorantiã ſunt in Filium, cui tribuitur ſapientia, quæ autem procedunt ex certa malitia, illa ſunt in Spiritum ſanctum cui tribuitur bonitas. Et intelligit D. Thom. per operari ex certa malitia operari ex ipſa electione mali, vt ipſe ſe exponit citans ea, quæ dixerat. 1. 2. q. 78. arti. 1. & 3. Et ſuppoſito quod poteſt hoc contingere dupliciter, vno modo ex inclinatiõe habitus vitioſi, q malitia dicitur: alio modo ex eo, ꝙ per contemptum abijcitur & remouetur id, quod electionem peccati poterat impedire, ponit iſtam concluſionẽ bimembrem. Peccatum in Spiritũ ſanctum eſt peccatum ex certa malitia, non quæ procedit ex inclinatione habitus vicioſi, ſed ex malitia, qua per contemptum obijcitur, & remouetur id, quod electionẽ peccati poterat impedire. Primã partẽ probat in ſolutione ad tertium ex eo, ꝙ peccare ex inclinatione habitus vitioſi non dicit ſpeciale genus peccati, ſed conditionem, ſiue circunſtantiã, quæ poteſt omnibus peccatis competere: peccare vero in Spiritum ſanctum dicit ſpeciale genus peccati, quod poſtea articulo ſequenti diuidit in ſex ſpecies. Secunda vero pars probatur nam per operari ex certa malitia, vel debet intelligi prauus habitus, vel praua electio: nõ prauus habitus, vt ſtatim dicebam, ergo praua electio. Et eſt aduertendum, ꝙ omne peccatum procedẽs ex malitia ad modum explicatũ appellatur hic à D. Th. blaſphemia, nõ quia ꝓprie ſit ſpecies blaſphemię, ſed quia quodã modo poteſt appellari blaſphemia: ſicut omne opus bonũ poteſt etiã appellari fidei confeſsio.

3. Interpretatio D. Tho.

¶ Mihi ex his ſententijs quantũ ad loci expoſitionẽ attinet, longe probabilior videtur ea, quæ eſt D. Hieron. atq; Chryſo. Quod probatur primo ex eo, quod certum eſt Dominũ ibi loqui non de quouis peccato, quod dici poſsit ſingulari aliqua ratione commiſſum in Spiritum ſanctum, ſed de peccato, quod in verbis cõſiſtit: blaſphemia enim proprie eſt cõtumelia alicui

Sententia auctoris.

verbi illata. Nec dicit, Omnis, qui peccauerit in Spiritum ſanctum, ſed qui dixerit verbum contra Spiritum ſanctum, aut vt habet D. Marcus qui blaſphemauerit in Spiritū ſanctum, quod nec de finali impœnitentia, nec de peccato ex malitia cōmiſſo poteſt cōmodè intelligi. Eſt ergo blaſphemia in Spiritum ſanctum ea, qua quis malitia aliqua permotus, quæ manifeſtè ſunt Dei tribuit dæmonibus: vt erat eiectio dæmoniorum. Nec nomen, Spiritus ſanctus, neceſſario hic accipi debet, vt ſignificat ſingulariter tertiam in diuinitate perſonam: ſed ponitur pro tota diuinitate: ita vt blaſphemare in Spiritū ſanctum ſit penè idē quod blaſphemare in Deum. Ideo autem poſitum fuit hoc nomen Spiritus ſanctus; quia directè opponitur ſpiritui immundo, cuius virtute dicebant Iudæi Dominum eijcere dæmonia, & quia etiam Spirituiſancto propriè tribuitur in ſcripturis operatio virtutum, & miraculorū. Blaſphemia verò in filium Dei fuit, quā aliqui calumniabantur Chriſtum, tanquam vini potatorem, & voracē, &c. Quod autem dicitur, verbū in Spiritū ſanctū nec remitti in hoc ſeculo, nec in futuro, nō ſic debet intelligi, quaſi voluerit Chriſtus ſignificare huiuſmodi peccatū eſſe omnino irremiſſibile: ſed ita appellatur, vel q̄a regulariter nō dimittitur, vel q̄a difficulter eius venia obtinetur. Vnde non dixit Chriſt⁹, blaſphemia in ſpiritū ſanctū eſt irremiſſibilis, ſed nō remittitur, negans, nō remiſſionis poſsibilitatē, ſed euentū; vt in plurimū enim nō ſequitur tale peccatū remiſſio: nā ob criminis ipſius enormitatē; qui ſic peccāt, tradūtur ferè in reprobū ſenſum, aut ex reprobo ſenſu, in quem traditi ſunt, procedit: ex quo fit vt dignā non agāt pœnitentiam, ac proinde, nec remiſſionē conſequūtur. De hac re vidēdus eſt D. Ambroſius, lib. 2. de pœnitentia. c. 4. & D. Hieronymus ſuper. 12. cap. Matthæi & Ianſenius in concordia Euangeliſtarum. concordia. 49. & Vega ſuper cōcil. Trid. lib. 13. c. 9.

¶ Circa iſtum articulum mouet Caiet. difficultatem, vtrùm voluntas ex certa malitia poſſit velle malum ſub ratione mali: ſed huius rei determinatio propriè pertinet ad 1. 2. q. 78. art. 1. & q. 8. art. 1.

ARTICVLVS. II.

¶ *Vtrùm conuenienter aſsignentur ſex ſpecies peccati in Spiritum ſanctum, ſcilicet, deſperatio, præſumptio, &c.*

AD SECVNDVM ſic proceditur: Videtur q̄ inconuenienter aſsignentur ſex ſpecies peccati in Spiritum ſanctum, ſcilicet, deſperatio, præſumptio, impœnitentia, obſtinatio, impugnatio veritatis agnitæ, & inuidentia fraternæ gratiæ: quas ſpecies ponit* Magiſter. 43. diſt. 2. lib. ſentent. Negare enim diuinā iuſtitiā, vel miſericordiam, ad infidelitatem pertinet, ſed per deſperationem aliquis reijcit diuinam miſericordiā, per præſumptionem autem diuinam iuſtitiam, ergo vnumquodque eorum potius eſt ſpecies infidelitatis, quàm peccati in Spiritum ſanctum.

In. q. 36. art. 4. ad. 2. Et 2. d. 43. arti. 4. & Re. 2. lect. 1. in f.

** 2. ſent. diſt. 43.*

2 ¶ Præterea, Impœnitentia videtur reſpicere peccatum præteritū, obſtinatio autem peccatum futurum, ſed præteritum, vel futurum non diuerſificant ſpeciem virtutis, vel vitij: ſecundum enim eandem fidem, qua credimus Chriſtum natum, antiqui crediderunt eum naſciturū. Ergo obſtinatio, & impœnitentia non debent poni duæ ſpecies peccati in Spiritū ſanctū.

3 ¶ Præterea, Gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt, vt habetur Ioan. 1. Ergo videtur quòd impugnatio veritatis agnitæ, & inuidentia fraternæ gratiæ, magis pertineant ad blaſphemiam in Filiū, quàm ad blaſphemiam in Spiritum ſanctum.

4 ¶ Præterea, Ber. dicit in lib.* de diſpenſatione & præcepto; quod nolle obedire eſt reſiſtere Spirituiſancto. Glo. etiam dicit Leui. 7. quod ſimulatā pœnitentia eſt blaſphemia Spiritusſancti, Schiſma etiam videtur directè opponi Spirituiſancto, per quem Eccleſia vnitur: & ita videtur, quòd non ſufficienter tradantur ſpecies peccati in Spiritum ſanctum.

** Parum ante med. lib.*

¶ SED CONTRA eſt, quod Auguſti.* dicit in lib. de Fide ad Petrū, q̄ illi, qui deſperāt de indulgentia peccatorum, vel qui ſine meritis de miſericordia Dei præſumunt, peccant in

** Cap. 3. per 3 num ſolum ante finem to. 3.*

Spiritum

Ench.c.82. tom.3. Spiritũ ſanctũ. Et in Enchiridio dicit,
quod qui in obſtinatione mentis diẽ
claudit extremum, reus eſt peccati in
Spiritum ſanctum. Et in lib. de Verbis
Lib. de Verb. Dñi, ſer. 11. à med. to. 10 Domini di it, ꝙ impœnitẽtia eſt pec
catum in Spiritum ſanctum. Et in lib.
de ſermone Dñi in monte dicit, ꝙ in-
uidiæ facibus fraternitatem impugna
re, eſt peccatũ in Spiritum ſanctum. Et
Lib.1. de ſer. Do. in monte. c. 44. paulo à pri. to. 4. in lib. de Vnico bapt. dicit, ꝙ qui veri
tatem contemnit, aut circa fratres ma
lignus eſt, quib⁹ veritas reuelatur, aut
circa Deum ingratus, cuius inſpiratio-
ne Eccleſia inſtruitur: & ſic videtur,
ꝙ peccet in Spiritum ſanctum.

¶ RESPONDEO dicendum, ꝙ
ſecũdum quod peccatum in Spiritum
ſanctum tertio modo accipitur, cõue
nienter prædictæ ſpecies ei aſsignãtur,
quæ diſtinguuntur ſecundum remo-
tionem vel contemptum eorum, per
quæ poteſt homo ab electione pecca
ti impediri. Quæ quidem ſunt vel ex
parte diuini iudicij, vel ex parte dono
rum ipſius, vel etiã ex parte ipſius pec
cati. Auertitur em̃ homo ab electione
peccati ex conſideratione diuini iudi-
cij, qđ habet iuſtitiã cũ miſericordia:
& per ſpem, quæ cõſurgit ex conſide-
ratione miſericordiæ remittentis pec
cata, & præmiãtis bona. Et hæc tolli-
tur per deſperationem. Et iterum, per
timorẽ, qui conſurgit ex conſideratio
ne diuinæ iuſtitiæ punientis peccata.
Et hic tollitur per præſumptionem,
dum, ſcilicet, aliquis præſumit ſe glo-
riam poſſe adipiſci ſine meritis, vel ve
niam ſine pœnitentia. Dona autem
Dei, quibus retrahimur à peccato,
ſunt duo: quorum vnum eſt agnitio
veritatis, contra quod ponitur impug
natio veritatis agnitæ, dum, ſcilicet ali
quis veritatem fidei agnitam impug-
nat, vt licentius peccet. Aliud eſt auxi
lium interioris gratiæ, cõtra quod po
nitur inuidentia fraternæ gratiæ, dum
ſcilicet aliquis non ſolum inuidet per-
ſonæ fratris, ſed etiam inuidet gratiæ
Dei creſcenti in mundo. Ex parte ve-
rò peccati duo ſunt, quæ hominem à
peccato retrahere poſſunt. Quorum
vnum eſt inordinatio, & turpitudo
actus, cuius conſideratio inducere ſo-
let in homine pœnitentiam de pecca-
to commiſſo. Et contra hoc ponitur
impœnitentia non quidem eo modo,
quo dicit permanentiam in peccato
vſque ad mortem, ſicut ſuprà impœ-
nitẽtia accipiebatur (ſic enim nõ eſſet
ſpeciale peccatum, ſed quædam pecca
ti circunſtantia) ſed accipitur hic im-
pœnitentia ſecundum quod importat
propoſitũ non pœnitendi. Aliud autẽ
eſt paruitas & breuitas boni, quod quis
in peccato quærit: ſecundum illud Ro
ma. 6. Quẽ ergo fructũ habuiſtis tunc
in illis, in quibus nunc erubeſcitis. Cu-
ius conſideratio inducere ſolet homi
nem ad hoc, quod eius volũtas in pec
cato non firmetur. Et hoc tollitur per
obſtinationẽ: quãdo ſcilicet homo fir
mat ſuũ propoſitũ in hoc, ꝙ peccato
inhæreat. Et de his duobus dicitur Hie
rem. 8. Nullus eſt qui agat pœnitentiã
ſuper peccato ſuo, dicens, Quid feci?
quãtum ad primũ. Oẽs conuerſi ſunt
ad curſum, quaſi equus impetu vadẽs
ad prælium, quantum ad ſecundum.

¶ AD PRIMVM ergo dicendũ,
ꝙ peccatũ deſperationis vel præſum-
ptionis non conſiſtit in hoc, ꝙ Dei iu-
ſtitia vel miſericordia non credatur,
ſed in hoc, quod contemnitur.

¶ Ad ſecundum dicendum, quod ob-
ſtinatio & impœnitentia non ſolũ dif
ferunt ſecundum præteritum & futu
rum, ſed ſecundum quaſdam forma-
les rationes ex diuerſa conſideratione
eorũ, quæ in peccato conſiderari poſ-
ſunt, vt dictum eſt. *In cor. artic.*

¶ Ad tertium dicendum, quòd gra-
tiam & veritatem Chriſtus fecit per
dona Spiritus ſancti, quæ hominibus
dedit.

¶ Ad quartum dicendum, quòd nolle
obedire pertinet ad obſtinationem,

 ſimulatio

ſimulatio pœnitentiæ ad impœnitentiam, ſchiſma ad inuidentiam gratiæ fraternæ, per quam membra Eccleſiæ vniuntur.

SVMMA TEXTVS.

PErſiſtens D. Tho. in ſua ſententia, qua per peccatum in Spiritum ſanctum intelligit peccatum ex certa malitia, explicat in iſto articulo quænam ſint ſpecies illius, & ponit iſtam cõcluſionem: Sex ſunt ſpecies peccati in Spiritũ ſanctum, ſcilicet, deſperatio, præſumptio, impugnatio veritatis agnitæ, inuidentia fraternæ gratiæ, impœnitentia, & obſtinatio. Probatur, Tũc dicitur homo peccare in Spiritũ ſanctum, cùm peccat ex praua electione, qua ſciens, & prudens cõtemnit ea, quibus poſſet retrahi à peccando, vt diximus articulo primo ex ſententia D. Tho. ſed ſex ſunt quorum conſideratio poſſet nos retrahere à peccãdo, & quibus neglectis homines ſcientes, & vidẽtes peccare poſſunt, ſcilicet, diuina miſericordia, diuina iuſtitia, veritas religionis Chriſtianæ, quã cognoſcimus, gratia Dei in mundo creſcẽs, turpitudo in peccato exiſtens, & paruitas ac breuitas boni, quæ in ipſo peccato reperitur, ergo ſex ſunt ſpecies peccati in Spiritũ ſanctum, ſcilicet, deſperatio, qua cõtemnitur diuina miſericordia, præſumptio, qua contemnitur diuina iuſtitia, impugnatio veritatis agnitæ, cui reſiſtimus, vt licentiùs peccemus, inuidentia fraternæ gratiæ, qua quis inuidet gratiæ fratris & gratiæ Dei creſcẽti in mũdo, impœnitẽtia, ideſt, determinata voluntas nõ pœnitendi turpitudine peccati neglecta, & obſtinatio, ideſt, definita voluntas adhærendi peccato, quãuis exiguum apparens & tranſitorium bonum in illo ſit.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Nota. CIrca iſtum articulum eſt aduertẽdum, quòd prædicta ſex peccata aliquando oriũtur ex certa malitia, hoc eſt, ex electione, qua quis ſecluſa ignorãntia ex parte intellectus, & paſsione ex parte appetitus, ſciens, & prudens cõtemnit eas rẽs, quarum conſideratio poterat illum retardare à peccato: aliquãdo verò oritur ex alia cauſa, ſcilicet, vel ex paſsione, vt cũ quis vehementi animi angore affectus, ob aliquam ingentem calamitatẽ deſperat, vel ex ignorantia, vt cum Paulus Euangelij veritatem impugnauit, iuxta id, quod ipſe fatetur primę ad Timo. ca. 1. dicens: Blaſphemus ſui, ſed miſericordiã conſequutus ſum, quia ignorans feci. Et quidem ſi oriãtur ex certa malitia, tunc ſunt peccata in Spiritũ ſanctum, tum ex parte radicis, hoc eſt malitiæ, à qua procedunt, quæ eſt contraria diuinæ bonitati Spiritui ſancto appropriatæ, tum etiam ex parte motiui, hoc eſt, ex parte eius rei, quæ cõtemnitur cum ſic peccatur. Nam ex hac etiam parte hęc peccata ſunt cõtraria remiſſioni peccatorum, quæ Spiritui ſancto tribuitur. Si verò oriãntur, vel ex ignorãtia, vel ex paſsione, tũc ex vna tantum parte erunt peccata in Spiritũ ſanctum, ſcilicet, ex parte motiui, ex cuius contemptu procedunt: & non ex parte radicis, cũ non habeant ortũ ex malitia, ſed, vel ex fragilitate, vel ex ignorãtia: quarum prior opponitur Patri, & poſterior Filio, vt diximus ex D. Tho. articulo pręcedẽti. Ex quo fit, vt multi ex diſcipulis D. Th. dicant, quod deſperatio procedens ex ignorantia, vel ex paſsione non eſt peccatum in Spiritum ſanctum, ſcilicet, ex parte radicis. Imò D. Hieron. in epiſtola ad Marcellam de blaſphemia in Spiritum ſanctũ conſtanter aſſirmat eos, qui tot tormentis compulſi veritatẽ Euangelij ſemel ſuſceptam negant, nõ peccare in Spiritum ſanctum, ſcilicet, ex parte radicis. Et D. Bernardus in ſermone de cõuerſione Pauli dicit, quòd Paulus quãuis fuerit blaſphemus euangelicam veritatem impugnãdo, tamẽ quia id ignorans fecit nõ peccauit in Spiritum ſanctũ, ſcilicet ex parte radicis. Cum, ergo D. Tho. in articulo præcedenti docuerit quænam peccata ſint in Spiritum ſanctum ex parte radicis, hoc eſt, quę oriantur ex certa malitia, conſequenter, in hoc art. ſecundo docet quænam dicãtur peccata in Spiritum ſanctum ex parte motiui, hoc eſt quænam ſint cõtraria remiſsioni peccatorum, quæ ab Spiritu ſancto procedit. Et dicit eſſe numero ſex, quibus omnibus contemnitur id, quod poſſet hominẽ à peccando retardare, vt iam diximus. Et ad hoc, vt aliquod peccatum ſit perfectè contra Spiritũ ſanctum, opus eſt, vt habeat vtrumque, ſcilicet, quod procedat ex malitia, & quod ſit contrarium remiſsioni per Spiritum ſanctum datæ: & ſecundũ iſtam rationem erit perfecte irremiſsibile ad modum explicandum articulo ſequenti. ℭ Vega ſuper concilium Tridentinum lib. 13. c. 9. quanuis nõ improbet ea, quæ hucuſque dicta ſunt de peccato in Spiritũ ſanctũ, ſcilicet, quod eſt *Sententia Vega.*

vnum

vnum genus continẽs ſub ſe ſex prædictas ſpecies, imò potius probet eo, quod, qui ità ſentiunt patronum habent non vulgarem, ſed egregium nempe D. Auguſt. in varijs locis à D. Th. in argumẽto. ſed contra, citatis, ipſe tamen veſtigijs Athanaſij, Hilarij Hieronymi, & Chryſoſtomi, & aliorũ antiquorum inhærens, dicit nõ eſſe plures ſpecies peccati in Spiritum ſanctum, ſed illud eſſe vnum tantum, vt ex ſcriptura colligi videtur, nempe blaſphemiam, qua opera miraculoſa per virtutem diuinam aperte facta dæmoni tribuuntur, vel imputantur. Quam etiam ſententiam tenet Durandus in.2.diſt.43.quæſt.1.& eſt conuenientiſſima, vt diximus articulo præcedenti: quanuis ſententia D. Tho. qui ſequutus Diuũ Auguſtinum peccatũ in Spiritum ſanctũ accipit pro eo, quod eſt contrarium bonitati ac remiſsioni peccatorũ Spiritui ſancto appropriatę, ſit etiã probabiliſſima, etſi expoſitioni loci Matth.12. minus cõueniens, vt iam diximus.

ARTICVLVS III.

3.q.86.art.3.ad.2.Et.3 & .2.d.43.artic.4. Et mal.q.3.ar.14.& .15. Et quodli.2.q.8.art.1.et Roman.2. Serm.11.à med.to.10.

Vtrum peccatum in Spiritum ſanctum ſit irremiſsibile.

AD TERTIVM ſic proceditur. Videtur quòd peccatum in Spiritum ſanctum non ſit irremiſsibile. Dicit enĩ Aug.* in lib. de verbis Domini. De nullo deſperandum eſt quãdiu patientia Domini ad pœnitẽtiam adducit. Sed ſi aliquod peccatũ eſſet irremiſsibile, eſſet de aliquo peccatore deſperandum, ergo peccatum in Spiritum ſanctum non eſt irremiſsibile.

Eſt. Aug. in iſtud verb. Pſalm.102. tom.8.

2 ¶ Præterea, Nullum peccatum remittitur, niſi per hoc, quod anima ſanatur à Deo: ſed omnipotenti medico nullus inſanabilis languor occurrit: ſicut dicit glo.* ſuper illud Pſalmi. Qui ſanat oẽs infirmitates tuas: ergo peccatum in Spiritum ſanctum non eſt irremiſsibile.

3 ¶ Præterea, Liberum arbitrium ſe habet ad bonũ & ad malum: ſed quandiu durat ſtatus viæ, poteſt aliquis à quacunque virtute excidere cum etiã angelus de cœlo ceciderit. Vnde dicit Iob.4. In angelis ſuis reperit prauitatẽ, quanto magis qui habitant domos luteas? ergo pari ratione poteſt aliquis à quocunq; peccato ad ſtatum iuſtitiæ redire, ergo peccatũ in Spiritum ſanctum non eſt irremiſsibile.

¶ SED CONTRA eſt, quòd dicitur Matt.12. Qui dixerit verbum contra Spiritum ſanctum, non remittetur ei, neq; in hoc ſeculo, neque in futuro. Et Aug. dicit* in lib. de ſermone Domini in monte, quòd tanta eſt labes huius peccati, quòd humilitatẽ deprecandi ſubire non poteſt.

Li.1.c.44. paulo à pri. to.4.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd ſecundum diuerſas acceptiones peccati peccatum in Spiritum ſanctum diuerſimode irremiſsibile dicitur. Si enim dicatur peccatum in Spiritum ſanctum, finalis impœnitentia: ſic dicitur irremiſsibile, quia nullo modo remittitur. Peccatum enim mortale, in quo homo perſeuerat vſq; ad mortem: quia in hac vita nõ remittitur per pœnitentiam, nec etiam in futuro dimittetur. Secundum autem alias duas acceptiones dicitur irremiſsibile: non quòd nullo modo remittatur, ſed quia quantum eſt de ſe, habet meritum, vt non remittatur. Et hoc dupliciter. Vno modo quãtum ad pœnam. Qui enim ex ignorantia vel infirmitate peccat, minorem pœnam meretur. Qui autem ex certa malitia peccat, non habet aliquam excuſationem, vnde eius pœna minuatur. Similiter etiam, qui blaſphemabat in Filium hominis, eius diuinitate nondum reuelata, poterat habere aliquam excuſationẽ propter infirmitatem carnis, quam in eo aſpiciebat: & ſic minorem pœnam merebatur. Sed qui ipſam diuinitatem blaſpemabat, opera Spiritus ſancti diabolo attribuens, nullam excuſationem habebat, vnde eius pœna diminueretur. Et ideo dicitur ſecundum expoſitionem * Chryſoſt. Hoc peccatum Iudæis non remitti, neq; in hoc ſeculo, neq; in futuro: quia

Hom.43 in Matt. à medio, tomo.2.

pro eo paſſi ſunt pœnam: & in præſenti vita per Romanos, & in futura vita in pœna inferni. Sicut etiā Atha.*inducit exemplum de eorū parētibus, qui primo quidē contra Moyſem contenderunt propter defectum aquæ & panis: & hoc Dominus ſuſtinuit patiēter Habebant enim excuſationem ex infirmitate carnis. Sed poſtmodum grauius peccauerunt, quaſi blaſphemantes in Spiritum ſanctum, beneficia Dei qui eos de AEgypto eduxerat, idolo attribuentes cum dixerunt, Hi ſunt dij tui Iſraël, qui te eduxerunt de terra AEgyp. Et ideo Dominus & temporaliter fecit eos puniri: quia ceciderunt in die illa quaſi.23.milia hominum: & in futuro eis pœnam comminatur dicens, Ego autem in die vltionis viſitabo hoc peccatum eorum. Alio modo poteſt intelligi quo ad culpā: ſicut aliquis dicitur morbus incurabilis ſecundum naturā morbi, per quem tollitur id, ꝑ quod morbus poteſt curari, puta cum morbus tollit virtutem naturæ, vel inducit faſtidium cibi & medicinę licet talem morbū Deus poſsit curare ita etiā peccatū in Spiritū ſanctū dicit irremiſsibile ſecūdum ſuam naturam, inquantum excludit ea, per quæ fit remiſsio peccatorum. Per hoc tamē nō præcluditur via remittendi & ſanandi omnipotētiæ & miſericordiæ Dei, per quam aliquādo tales quaſi miraculoſē ſpiritualiter ſanantur.

In tractatu quem facit de hoc dict. Euāgelij circa medium.

¶ AD PRIMVM ergo dicendū, ꝙ de nemine deſperandum eſt in hac vita conſiderata omnipotentia & miſericordia Dei. Sed conſiderata conditione peccati, dicūtur aliqui filij diffidentiæ, vt habetur ad Epheſ.2.

¶ Ad ſecundum dicēdum, ꝙ ratio illa procedit ex parte omnipotentiæ Dei, non ſecundum conditionem peccati.

¶ Ad tertium dicendum, quòd liberū arbitrium remanet quidem ſemper in hac vita vertibile: tamen quandoque abijcit à ſe id, per quod verti poteſt ad bonum, quantum in ipſo eſt. Vnde ex parte ſua peccatum eſt irremiſsibile, licet Deus remittere poſsit.

SVMMA TEXTVS.

PRima cōcluſio, Si peccatū in Spiritum ſanctum accipiatur pro finali impœnitentia, ſic ſimpliciter eſt irremiſsibile. Probatur: nam peccatum nunquā dimittitur, niſi per pœnitentiam. ℭ Secūda cōcluſio. Si peccatum in Spiritum ſanctum accipiatur, vel pro blaſphemia in Chriſti diuinitatē iactata, vel pro illo, quod fit ex certa malitia, ſic dicitur irremiſsibile quo ad pœnā, & quo ad culpā, nō quia nō remittitur, ſed quia quantū eſt ex ſe nō habet meritum, vnde remittatur. Et quidem quod ſit iſto modo irremiſsibile quo ad pœnā, ꝓbatur, quia peccatū ex certa malitia factum non habet in ſe per quod excuſetur à pœna: ſicut illud, quod fit ex ignorantia, vel fragilitate: & idcirco dignum eſt, vt maiori pœna puniatur. Et ſimiliter blaſphemia in Chriſti diuinitatem iactata, qua eius miracula virtuti dæmonis tribuebātur, non habebat vnde excuſaretur ex carnis infirmitate, ſicut cōuitium in Chriſti humanitatem prolatum. Ex quo fit, vt Iudæi pro ea pœnam temporalē in hac vita per Romanos, & ęternā in inferno per dæmones fuerint paſsi, vt dicit D.Chryſoſtomus. Quod aūt etiam illud peccatū ſit irremiſsibile quo ad culpā, patet, quia quantū eſt ex ſe eſt contrarium principio remiſsionis, & ſic eſt irremiſsibile: quamuis à Deo qui iniquitates noſtras delet miſericorditer remitti poſsit.

EXPLICATIO ARTICVLI.

IN hoc articulo in primis ſtatuēdum eſt tanquam de fide, nullum eſſe peccatum hominis viatoris, quod ſecundum ordinariam legem deleri non poſsit per pœnitentiam. Quod ita eſſe manifeſtè probatur. Nam ſi aliquod eſſet, maximè peccatum in Spiritum ſanctum, de quo Chriſtus Matt. 12. dicit, illud nec in hoc ſeculo nec in futuro deleri: ſed hoc deleri poteſt ꝑ pœnitētiā, & ſi diligenter Euangelij textum percurramus, inueniemus Chriſtum vocaſſe ad pœnitentiam, & veniam promiſiſſe (ſi illam egiſſent) illos, qui in illū blaſphemati fuerant, ergo nullum peccatum eſt, quod de lege ordinaria deleri nō poſsit. Et cōfirmatur ex Hic-

Nullum peccatum eſt irremiſsibile de lege ordinaria.

ex Hieremiæ.c.2. vbi Dñs ad Rempublicã multis ac magnis peccatis obnoxiã dicit: Tu autẽ fornicata es cũ amatoribus multis; verũtamen reuertere ad me. &c. Itẽ quandiu homo eſt viator habet liberũ arbitriũ, nec deeſt illi diuinũ auxilium neceſſarium ad hoc, vt à peccatis reſurgat, ergo nullum peccatũ cõmittit quantumuis graue, quod in hac vita per pœnitentiã non poſsit deleri ac dimitti. Ex quo infertur, Armachanum lib.9. ſuæ ſummæ. turpiter erraſſe cũ contrariũ dixit. De qua re diſputare nõ eſt præſentis loci, ſed de ea agit D.Th.3.p.q.87.& doctores in.4.diſt.15. Videte Medinã Codice de pœnitentia.q.12.& Adrianũ in.4. in materia de pœnitentia. & Vegã ſuper concil. Trid.lib.13.à.c.2.vſq; ad.10. Itaq; hoc certum eſt.

Dubium.

1. ¶ Sed dubium eſt qua ratione peccatum in Spiritũ Sanctum dicatur irremiſsibile: ſiquidem (vt diximus) nullum eſt, quod remitti nõ poſsit. De qua re ſunt variæ doctorum ſententiæ. Prima eſt Abulenſis, qui ſuper caput.12. Matthæi dicit peccatũ in Spiritum ſanctum appellari irremiſsibile, nõ abſolutè, ſed poſita conditione, ſcilicet, niſi de illo pœnitentia agatur. Sed hæc ratio explicandi eſt inſufficiens; cum in hoc ſenſu nõ ſolum peccatum in Spiritum ſanctum, ſed etiam peccatũ in Filium, & in Patrem, & vniuerſaliter quodcunq; peccatum, ſit irremiſsibile, iuxta illud, quod dixit Chriſtus Luc.13. Niſi pœnitentiam egeritis omnes ſimul peribitis.

1. Sententia Abulenſis.

¶ Secunda ſententia eſt Alphonſi de Caſtro in lib. de hæreſibus, verbo peccatũ. hæreſi.6. dicentis, peccatum in Spiritum ſanctũ dici irremiſsibile, quo ad pœnam tãtum, ſcilicet, quia licet per pœnitentiã culpa remittatur, nihil tamẽ remittitur de pœna debita pro culpa. Sed nec hæc ſententia poteſt teneri, cum certũ ſit quòd quoties homo reſurgit à peccato per pœnitentiã, pœna æterna, quæ pro eo debebatur, cõmutatur in temporalẽ, vt omnes Theologi ſentiunt, ſiue peccatum fuerit in Spiritum ſanctũ, ſiue quodcunq; aliud.

2. Sẽtẽtia Alphõſi à Caſt.

¶ Tertia ſententia eſt Magiſtri Andreæ de Vega lib.13. ſuper concil. Trid.cap.9. dicentis, q peccatum in Spiritum ſanctũ dicitur irremiſsibile, non quia remitti nõ poſsit per pœnitentiã, ſed quia de facto nunquam remittitur. Sed nec hæc ſentententia mihi ꝓbatur: nã ſi peccatũ in Spiritum ſanctum nunquam de facto remittetur, ſequeretur Deũ ſtatuiſſe homini ſic peccanti nunquã de facto dare auxiliũ efficax ad pœnitendum. Et cum homo ſine hoc auxilio nequeat efficaciter pœnitere, rurſus ſequitur hoc peccatum abſolute eſſe irremiſsibile, & q homo ab eo ꝑ pœnitentiam non poteſt reparari, quod eſt aperte falſum.

3. Sententia Vega.

¶ Quarta ſententia eſt aliorum, qui dicunt peccatum in Spiritum ſanctũ dici irremiſsibile in hoc ſeculo & in futuro; quia ſemper à Deo punitur in hoc ſeculo, & in futuro, in quo diſtinguitur ab alijs peccatis, quæ, vel in hoc ſeculo tãtum, vel in futuro tãtum puniũtur. Sed nec hæc ſententia eſt vera, cum certũ ſit ex communi ſententia omnium doctorum quod ſæpe Deus in hoc ſeculo incipit punire multa peccata, quorum punitionem in altera vita proſequitur: nec tamẽ omnia ſemper ſunt in Spiritum ſanctum, hoc eſt, ex certa malitia orta, ſed ex alijs cauſis.

4. Sententia

¶ Quocirca his omnibus modis dicendi omiſsis, verã & optimam rationem, propter quam peccatum in Spiritum ſanctum dicitur irremiſsibile, puto eſſe eam, quam D.Th. ex D.Chryſoſtomo ſumptã in hoc articulo proſequitur, nimirũ, quod dicitur irremiſsibile, quia ex ſe non habet vnde remittatur, quia nec habet vnde excuſetur, ſicut peccatum, quod, vel ex infirmitate, vel ex ignorantia procedit. Verum tamen eſt, quod per Dei miſericordiam pœnitentiam immittentis remitti poteſt. Et ex hoc etiã ſequitur alius dicẽdi modus, ſcilicet, quod dicitur, hoc peccatũ irremiſsibile, quia habet difficilem remiſsionem; iuxta communem modum loquẽdi ſcripturæ, in qua ea quæ difficillima ſunt, impoſsibilia appellãtur. Et difficile eſt hominibus huius peccati remiſsionẽ conſequi, magis quã aliorum (conſiderata ipſorum peccatorum natura) quia hoc peccatũ nec habet ex ſe, vnde excuſetur, & præterea eſt contrarium ipſi remiſsioni, cum tamen reliqua peccata, & habeant ex ſe vnde excuſentur, vt ſtatim dicebam, & præterea nõ ſint contraria remiſsioni, vt ex dictis patet.

Sententia autoris.

ARTICVLVS. IIII.

¶ *Vtrum homo poſsit primo peccare in Spiritum ſanctum.*

AD QVARTVM ſic proceditur. Videtur quod homo non poſsit primo peccare in Spiritum ſanctum, nõ præſuppoſitis alijs peccatis.

Naturalis enim ordo eſt, vt ab imperfecto ad perfectũ quis moueatur: & hoc quidem in bonis apparet, ſecũdum illud Prouerb. 4. Iuſtorũ ſemita quaſi lux ſplendens creſcit, & proficit vſque ad perfectum diem. Sed perfectum dicitur in malis, quod eſt maximum: vt patet per Philoſophum in 5. Metaph. Cum ergo peccatum in Spiritum ſanctum ſit grauiſsimum, videtur quod homo ad hoc peccatum per ueniat per alia peccata minora.

2. Diſt. 43. q. 5. & 7. Ver. q. 2. arti. 13.

2 ¶ Præterea, Peccare in Spiritum ſanctũ, eſt peccare ex malitia ſiue ex electione. Sed hoc nõ ſtatim põt homo antequam multoties peccauerit. Dicit enim Philoſophus in 5. Ethic. * qđ etſi homo poſsit iniuſta facere, non tñ põt ſtatim operari ſicut iniuſtus, ſcilicet ex electione, ergo videtur ꝙ peccatum in Spiritum ſanctum non poſsit committi, niſi poſt alia peccata.

Lib. 5. Ethi. à med. to. 6. in princ. & c. 8. à medio to. 5.

3 ¶ Præterea, Pœnitentia & impœnitentia ſunt circa idem: ſed pœnitentia non eſt niſi de peccatis præteritis. Ergo etiam neq; impœnitentia, quæ eſt ſpecies peccati in Spiritum ſanctum. Peccatum ergo in Spiritum ſanctum, ſcilicet, quod dictũ eſt impœnitentia, præſupponit alia peccata.

¶ SED CONTRA eſt, quòd facile eſt in cõſpectu Dei ſubito honeſtare pauperem, vt dicitur Eccle. 11. Ergo ecõtrario poſsibile eſt, ſecũdum malitiam dæmonis ſuggerentis, vt ſtatim aliquis inducatur ad peccatũ grauiſsimum, quod eſt peccatum in Spiritum ſanctum.

¶ RESPONDEO dicendum, ꝙ ſicut dictum * eſt, peccare in Spiritum ſanctum vno modo eſt peccare ex certa malitia. Ex certa autem malitia dupliciter peccare contingit, ſicut dictũ * eſt. Vno modo ex inclinatione habitus, quod non eſt propriè peccare in Spiritũ ſanctum: & hoc modo peccare ex certa malitia non cõtingit à principio. Oportet enim actus peccatorũ præcedere ex quibus cauſetur habitus ad peccandum inclinans. Alio modo poteſt aliquis peccare ex certa malitia, abijciendo per contẽptum ea, per quę homo retrahitur à peccato: quod propriè eſt peccare in Spiritũ ſanctũ, ſicut dictum * eſt. Et hoc etiã plerũq; præſupponit alia peccata: quia ſicut dicitur Prouerb. 18. Impius cum in profundum peccatorũ venerit, cõtemnit. Poteſt tamen contingere, quòd aliquis in primo actu peccãti in Spiritum ſanctum peccet per cõtemptum, tum propter libertatem arbitrij, tum etiam propter multas diſpoſitiones præcedentes, vel etiam propter aliquod vehemens motiuum ad malum, & debilem affectum hominis ad bonum. Et ideo in viris perfectis hoc vix, aut nunquam accidere poteſt, quòd ſtatim à principio peccent in Spiritum ſanctũ. Vnde dicit * Orige. in primo Periarchon, Non arbitror, quòd aliquis ex his, qui in ſummo perfectionis gradu conſtiterint, ad ſubitum euacuetur, aut decidat: ſed paulatim ac per partes eum decidere neceſſe eſt. Et eadem ratio eſt ſi peccatum in Spiritum ſanctum accipiatur ad literam pro blaſphemia Spiritus ſancti. Talis enim blaſphemia, de qua Dominus loquitur, ſemper ex malitiæ cõtemptu procedit. Si verò per peccatum in Spiritum ſanctum intelligatur finalis impœnitentia, ſecundum intellectum Aug. * quæſtionem non habet: quia ad peccatum in Spiritum ſanctum requiritur continuatio peccatorum, vſque in finem vitæ.

Arti. 1. huius quæſt. Arti. 2. huius quæſt. Arti. 1 huius quæſt. Lib. 1. ca. 3. circa. fi. to. 4. Serm. 11. de Ver. Domini à med. to. 10

¶ AD PRIMVM ergo dicendũ, quòd tam in bono quàm in malo, vt in pluribus proceditur ab imperfecto ad perfectum, prout homo proficit, vel in bono vel in malo, & tamen in vtroq; vnus poteſt incipere à maiori, quã alius. Et ita illud à quo aliquid incipit poteſt eſſe perfectum in bono vel in malo, ſecundum genus ſuum: licet

licetſit imperfectum, ſecũdum ſeriem proceſſus hominis in melius vel in peius proficientis.

¶ Ad ſecundum dicendum, quod ratio illa ꝓcedit de peccato cõmiſſo ex malitia, qñ eſt ex inclinatione habitus.

¶ Ad tertium dicendum, quod ſi accipiatur impœnitentia ſecundum intentionem * Aug. ſecũdum quod importat permanentiam in peccato vſque ad finem, ſic planum eſt, quod impœnitentia præſupponit peccata, ſicut & pœnitẽtia. Sed ſi loquamur de impœnitentia habituali, ſecundum quod ponitur ſpecies peccati in Spiritum ſanctum: ſic manifeſtum eſt, quod impœnitẽtia poteſt eſſe etiam ante peccata. Poteſt enim ille, qui nunquam peccauit, habere propoſitum vel pœnitendi, vel non pœnitendi, ſi contingeret eum peccare.

Serm. 11. de verb. Domini à med. ro. 10.

SVMMA TEXTVS.

SVppoſito quod peccatum in Spiritum ſanctum accipi poteſt, vel pro peccato ex certa malitia facto, hoc eſt, ex electione mali cum abiectione eorum, quæ poſſunt hominem retardare à peccando, vel pro blaſphemia in Spiritũ ſanctum, vel pro finali impœnitẽtia, vt ex dictis patet, ponit Diuus Tho. tres cõcluſiones. ¶ Prima concluſio eſt, Si peccatum in Spiritum ſanctum accipiatur pro peccato ex certa malitia, id eſt, ex praua electione proueniente plærũq; præſupponit alia peccata: ſed bene poteſt aliquando eſſe primum. Prima pars huius concluſionis patet ex illo Prouerbiorũ cap. 8. Impius cum in profundum malorũ venerit contemnit. Secunda verò pars probatur. Homo in primo peccato, quo à gratia cadit, poteſt contemnere ea, quibus retrahi poſſet à peccando, tum ob libertatẽ arbitrij, tum ob multas diſpoſitiones antecedentes, tum etiam propter vehemens motiuum ad peccandum, & debilem affectum ad bonum, ergo aliquãdo poteſt primò peccare ex certa malitia. Ex hac concluſione infert D. Tho. quòd in viris perfectis vix aut nunquam poteſt accidere, vt primum eorum peccatum ſit in Spiritum ſanctum. Quod & teſtimonio Origenis confirmat. Vide in litera. ¶ Secunda concluſio, Si peccatum in Spiritum ſanctum accipiatur pro blaſphemia in diuinitatem iactata, qua eius opera virtuti dæmonis tribuuntur, benè poteſt contingere, quod hoc primo ab homine committatur, quamuis regulariter loquẽdo hoc peccatũ ex malitia, ex cõtemptu procedat. Hæc concluſio probatur eadem ratione, qua & ſuperior. ¶ Tertia concluſio, Si peccatum in Spiritum ſanctum accipiatur pro finali impœnitentia, nunquam poteſt eſſe primum, quod homo cõmittit. Nam ad peccatum in Spiritum ſanctum, ſecũdum iſtam acceptionem neceſſaria eſt cõtinuatio in aliquo peccato vſq; ad cõſummationem ſeculi, quæ ſine præcedenti peccato eſſe non poteſt.

EXPLICATIO ARTICVLI.

CIrca iſtum articulum ſolum eſt aduertendum ex Caietano in præſenti, ꝙ quando D. Tho. quærit vtrum homo poſſit primo peccare in Spiritum ſanctum, ly, primo, non dicit ordinem ad omnimodam negationem peccatorum in præterito, ſed ad negationem peccatorum perſeuerantiũ ſeu permanẽtium. Itaq; ſenſus quæſtionis non eſt vtrùm homo poſſit peccare in Spiritum ſanctum antequam alia peccata cõmittat, ſed vtrum homo mũdus à peccato, vel per pœnitentiam, vel per baptiſmum, vel etiam per hoc, quod nunquam peccauit mortaliter, poſſit primò peccare in Spiritum ſanctum. Et ſecũdum iſtum ſenſum procedunt concluſiones poſitæ. Et quod ita ſit dicendum probatur ex ipſa litera, in qua fit diſtinctio perfectorum, & male diſpoſitorum, per antecedentia peccata: ex quibus etiam poſt confeſsionem & contritionem aliquæ reliquiæ remanẽt, quæ male diſponunt ipſum peccatorem.

QVAESTIO DECIMAQUINTA, De Vitijs oppoſitis ſcientiæ & intellectui, in tres articulos diuiſa.

DEinde conſiderãdum eſt de vitijs oppoſitis ſcientiæ & intellectui. Et quia de ignorantia, quæ opponitur ſcientiæ, dictum eſt ſuprà, cùm de cauſis peccatorum ageretur, quærendum eſt nunc de cæci-

cæcitate mentis,& hebetudine ſenſus, quæ opponuntur dono intellectus.

¶ Et circa hoc quæruntur tria.

¶ Primò, vtrum cæcitas mẽtis ſit peccatum.

¶ Secundò, vtrum hebetudo ſenſus ſit aliud peccatū à cæcitate mentis.

¶ Tertio, vtrum hæc vitia à peccatis carnalibus oriantur.

ARTICVLVS I.

Vtrùm cæcitas mentis ſit peccatum.

AD PRIMVM ſic proceditur. Videtur quòd cæcitas mentis non ſit peccatum. Illud enim quod excuſat à peccato, non videtur eſſe peccatum, ſed cæcitas mẽtis excuſat à peccato. Dicitur enim Ioan. 9. Si cæci eſſetis, non haberetis peccatum, ergo cæcitas mentis non eſt peccatum.

2 ¶ Præterea, Pœna differt à culpa, ſed cæcitas mentis eſt quędam pœna, vt patet per illud quod habetur Iſai. 6. Excæca cor populi huius. Non enim eſſet à Deo cum ſit malum, niſi pœna eſſet. Ergo cæcitas mentis non eſt peccatum.

3 ¶ Præterea, Omne peccatum eſt voluntarium, vt Auguſt. dicit. ſed cæcitas mentis non eſt voluntaria: quia, vt Aug. dicit. 10. Confeſ. Cognoſcere veritatem lucentem omnes amāt. Et Eccleſ. 11. dicitur. Dulce lumen & delectabile oculis videre ſolem, ergo cæcitas mentis non eſt peccatum.

Lib. de ver. religi. ca. 4. pr. to. 1. ¶ SED CONTRA eſt, quòd Grego. 31. Moral. cæcitatem mentis ponit inter vitia, quæ cauſantur ex luxuria.

Li. 10. Conf. c. 23. à med. to. 1.

Li. 31. Mor. c. 31.

¶ RESPONDEO dicendum, ꝙ ſicut cæcitas corporalis eſt priuatio eius, quod eſt principium corporalis viſionis: ita etiam cæcitas mentis eſt priuatio eius, quod eſt principiū mentalis, ſiue intellectualis viſionis. Cuius quidem principium eſt triplex. Vnū quidẽ eſt lumen naturalis rationis, & hoc lumẽ, cum pertineat ad ſpeciem animæ rationalis, nunquā priuatur ab anima: impeditur tamen quandoque à proprio actu per impedimenta viriū inferiorum, quibus indiget intellectus humanus ad intelligendum: ſicut patet in amentibus & furioſis: vt in primo * dictum eſt. Aliud autem principiū intellectualis viſionis eſt aliquod lumẽ habituale, naturali lumini rationis ſuperadditum. Et hoc quidem lumen interdum priuatur ab anima: & talis priuatio eſt cæcitas, quæ eſt pœna, ſecundum quod priuatio luminis gratiæ quædam pœna ponitur. Vnde dicitur de quibuſdam Sapient. ſecundo, Excæcauit illos malitia eorū. Tertium principium viſionis intellectualis eſt aliquod intelligibile principiū, per quod homo intelligit alia, cui quidem principio intelligibili mens hominis poteſt intendere, vel non intendere. Et quòd ei non intendat, contingit dupliciter. Quādoque quidem ex hoc, quòd habet voluntatem ſpontaneè ſe auertentem à conſideratione talis principij, ſecundum illud Pſalm. 35. Noluit intelligere, vt bene ageret. Alio modo per occupationem mẽtis circa alia, quæ magis diligit, quibus ab inſpectione huius principij mens auertitur, ſecūdum illud Pſal. 57. Supercecidit ignis, ſcilicet concupiſcentiæ, & non viderunt ſolem, Et vtroque modo cæcitas mentis eſt peccatum.

1. p. q. 84. ar. 7. & 8.

¶ AD PRIMVM ergo dicendū, quòd cæcitas quæ excuſat à peccato, eſt quæ contingit ex naturali defectu non potentis videre.

¶ Ad ſecundum dicẽdum, quod ratio illa procedit de ſecunda cæcitate, quæ eſt pœna.

¶ Ad tertium dicendum, quod intelligere veritatem cuilibet eſt ſecundum ſe amabile, poteſt tamen per accidens eſſe alicui odibile, in quantum ſcilicet per hoc homo impeditur ab alijs, quæ magis amat.

SVMMA

SVMMA TEXTVS.

SVppoſito quod ſicut cęcitas corporalis eſt priuatio eius, quod eſt principium corporalis viſionis, ita etiam cæcitas mentis eſt priuatio eius, quod eſt principium mentalis viſionis, ſiue intellectualis, & quod huiuſmodi principium poteſt eſſe triplex, vnum eſt lumē naturale intellectus, ſecundum, lumen habituale naturali lumini ſuperadditum, tertium verò eſt intelligibile principiũ, per quod homo intelligit alia, & cui mens hominis poteſt intendere, vel nõ intendere, reſpondet D. Thom. ad difficultatem per aliquot concluſiones. ℭ Prima concluſio, Cæcitas mentis, quæ conſiſtit in priuatione luminis naturalis rationis non poteſt homini conuenire. Probatur, Lumen naturale rationis non poteſt ab anima ſeparari quanuis quandoque impediatur à proprio actu per impedimenta viriũ inferiorum, quibus indiget homo ad intelligendum, vt docet idem D. Thom. 1. par. quæſt. 84. art. 7. & 8. ergo cæcitas mentis, quæ conſiſtit in priuatione luminis naturalis, nõ poteſt homini conuenire. ℭ Secunda concluſio, Cæcitas mentis, quæ cõſiſtit in priuatione ſupernaturalis luminis gratiæ nõ eſt peccatum, ſed pœna peccati. Probatur ex illo Sapientiæ. capit. 2. Excæcauit illos malitia eorũ. ℭ Tertia concluſio, Cæcitas mentis, quæ conſiſtit in eo, quod quis non intendat principio intelligibili, per quod poteſt alia intelligere, ſemper eſt peccatum. Probatur, Quod quis non intendat tali principio prouenit, vel ex eo, quod voluntariè ſe auertit à cõſideratione talis principij, iuxta illud Pſam. noluit intelligere, vt bene ageret, vel quia per occupationem circa alia quæ magis diligit, mens auertitur ab inſpectione eius principij, iuxta illud Pſalm. Super cecidit ignis, ſcilicet, concupiſcentiæ, & non viderunt ſolem: ſed vtrunque eſt peccatum, ergo cæcitas mentis, quæ conſiſtit in eo, quod quis non intendat principio intelligibili, per quod poteſt alia intelligere, ſemper eſt peccatum.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Cæcitas & ignorãtia diſtinguntur.

CIrca iſtam quæſtionem eſt aduertendum, quod illam mouet D. Tho. propter D. Gregorium qui lib. 31. Moral. c. 32. cæcitatem ponit diſtinctam ab ignorãtia. Si quis autem quærat penes quid hæc duo diſtinguantur. Nam videntur prorſus eſſe idem, reſpondetur, quod diſtinguntur penes hoc, quod ignorantia omnimodam dicit negationem ſcientiæ, at vero cæcitas mentis tantum dicit inaduertentiã. Vnde, ſi vir doctiſsimus ex paſsione, vel ex aliquo alio motiuo nõ aduertat ad ea, ad quæ nouit ſe obligatum, peccabit non peccato ignorantiæ, ſed cæcitatis mentis. Et ſi quis obijciat quod nullus confitetur cæcitatem mentis, ergo. Reſpondetur negando antecedens, imò quilibet Chriſtianus, qui ex inaduertentia omiſit id, ad quod tenebatur, id exprimit in confeſsione. Et vt D. Tho. dicit in hoc articulo, hæc inaduertentia poteſt prouenire, vel ex eo, quod voluntariè ſe auertit homo à cõſideratione principij, vel quia per occupationem circa alia, quæ magis diligit, mens auertitur ab inſpectione. Cuius diſtinctiõis ſenſus eſt, quod principium hujus auerſionis quandoque eſt à voluntate, ſine paſsione, quod importat illud, Noluit intelligere vt bene ageret, & aliquando à voluntate deducta à paſsione, quod importat illud, Super cecidit ignis, & non viderunt ſolem, vt optime explicat Caietanus in præſenti.

ARTICVLVS. II.

ℭ *Vtrùm hebetudo ſenſus ſit aliud peccatum à cæcitate mentis.*

AD SECVNDVM ſic proceditur. Videtur, quòd hebetudo ſenſus non ſit aliud à cæcitate mentis. Vnum enim vni eſt contrariũ. Sed dono intellectus opponitur hebetudo, vt patet per Greg. in. 2. *Mora. cui etiã opponitur cæcitas mentis, eo quòd intellectus, principiũ quoddam viſiuum deſignat: ergo hebetudo ſenſus eſt idẽ quod cæcitas mentis. *Lib. 2. Mor. cap. 36.*

2 ¶ Præterea, Greg. in 31. * Mora. de hebetudine loquens, nominat eam hebetudinem ſenſus circa intelligẽtiam. Sed hebetari ſenſus circa intelligentiã, nihil aliud eſſe videtur, quàm intelligẽdo deficere, qđ pertinet ad mẽtis cæcitatẽ, ergo hebetudo ſenſus idem eſt quod cæcitas mentis. *Lib. 31. Mor. ca. 31. à med.*

3 ¶ Præterea, Si in aliquo differũt, maximè videntur in hoc differre, quod

cæcitas

cæcitas mentis eſt voluntaria, vt ſuprà dictum * eſt, hebetudo autem ſenſus eſt naturalis defectus. Sed defectus naturalis non eſt peccatum, ergo ſecũdum hoc hebetudo ſenſus non eſſet peccatum. Quod eſt contra Grego.* qui connumerat eam inter vitia, quę ex gula oriuntur.

Arti. præce.

Lib. 31. Moral. c. 31.

¶SED CONTRA eſt, quòd diuerſarum cauſarum ſunt diuerſi effectus. Sed Grego. 31. Mora.* dicit, ꝙ hebetudo mentis oritur ex gula, cæcitas autem mentis ex luxuria, ſed hæc ſunt diuerſa vitia. Ergo & ipſa ſunt diuerſa vitia.

Lib. 31. Moral. cap. 31. à med.

¶RESPONDEO dicendum, ꝙ hebes acuto opponitur. Acutum autẽ dicitur aliquid ex hoc, quod eſt penetratiuum, vnde & hebes dicitur aliquid ex hoc, ꝙ eſt obtuſum, penetrare non valens. Senſus autem corporalis per quandam ſimilitudinem penetrare dicitur medium, inquantum ex aliqua diſtãtia ſuum obiectum percipit, vel inquantum poteſt quaſi penetrando minima, vel intima rei percipere. Vnde in corporalibus dicitur aliquis eſſe acuti ſenſus, qui poteſt percipere ſenſibile aliqđ ex remotis, vel videndo, vel audiendo, vel olfaciẽdo. Et ẽ cõtrario dicit. ſenſu hebetari qui non percipit. niſi ex propinquo, & magna ſenſibilia. Ad ſimilitudinem autẽ corporalis ſenſus, dicitur etiam circa intelligentiam eſſe aliquis ſenſus, qui eſt aliquorum primorum & extremorum, vt dicitur in. 6. Ethic. Sicut etiam ſenſus eſt cognoſcitiuus ſenſibilium, quaſi quorundam principiorũ cognitionis. Hic autem ſenſus, qui eſt circa intelligentiam non percipit ſuum obiectum per medium diſtantiæ corporalis, ſed per quædam alia media, ſicut cum per proprietatẽ rei percipit eius eſſentiã, & per effectum percipit cauſam. Ille ergo dicitur eſſe acuti ſenſus circa intelligentiam, qui ſtatim ad apprehenſionẽ proprietatis rei, vel etiã effectus, naturam rei comprehendit, & inquantum vſq; ad minimas conditiones rei conſiderãdas pertingit. Ille autem dicitur hebes circa intelligentiã, qui ad cognoſcendam veritatẽ rei pertingere non poteſt, niſi per multa ei expoſita, & tunc etiam non poteſt pertingere ad perfectè conſiderandũ omnia, quæ pertinẽt ad rei rationem. Sic ergo hebetudo ſenſus circa intelligentiam importat quandam debilitatem mentis circa cõſiderationem ſpiritualium bonorum. Cæcitas autem mentis importat omnimodã priuationem cognitionis ipſorum. Et vtrũque opponitur dono intellectus, per quẽ homo ſpiritualia bona apprehendendo cognoſcit, & ad eorum intima ſubtiliter penetrat. Habet enim hebetudo rationem peccati, ſicut & cæcitas mentis, inquantum ſcilicet eſt voluntaria, vt patet in eo, qui affectus circa carnalia de ſpiritualibus ſubtiliter diſcutere faſtidit, vel negligit.

Lib. 6. ca. 8. circa fin. & cap. 11.

¶ Et per hoc patet reſponſio ad obiecta.

SVMMA TEXTVS.

ANtequam D. Tho. reſpondeat ad iſtã difficultatem explicat quid ſit hebetudo, dicens quod hebes opponitur acuto: acutum autem dicitur aliquid ex eo, quod eſt penetratiuum. Ex quo fit, vt hebes dicatur, quod eſt obtuſum, penetrare non valens. Sẽſus autem corporalis per quandam ſimilitudinem dicitur acutus, quando penetrans medium, ex aliqua diſtantia percipit ſuum obiectum, intimaque ac minima rei conſiderat: & è contrario hebes, quando non percipit, niſi ex propinquo, & magna ſenſibilia. Et per comparationem ad ſenſus corporales dicitur etiam eſſe circa intelligentiam aliquis ſenſus: qui tunc dicitur eſſe acutus, quando ex vno cognoſcit aliud. Verbi gratia, ex apprehenſione proprietatis rei, vel etiam effectus, comprehendit eius naturam: & vſque ad conſiderandas minimas proprietates pertingit. Tunc autem dicitur hebes quando ad cognoſcendam rei naturam nõ poteſt pertingere, niſi

per

permulta ei expoſita, & nec tunc adhuc poteſt omnia, quæ pertinent ad rei naturam perfecte conſiderare. Hoc ſuppoſito ponit D. Tho. tres concluſiones. ¶ Prima concluſio. Hebetudo ſenſus eſt peccatum diſtinctum à cæcitate mentis. Probatur. Cæcitas mentis importat omnimodam priuationẽ cognitionis principiorum, procedentem, vel ex voluntaria inaduertentia, vel ex occupatione circa alia, vt diximus articulo primo, & hebetudo ſenſus circa intelligibilia tantum dicit quandam imbecillitatem circa conſiderationem ſpiritualium bonorum, ergo cæcitas mentis eſt diſtinctũ peccatum ab hebetudine. ¶ Secunda cõcluſio. Hebetudo ſenſus ſicut & cæcitas habent rationem peccati inquantum ſunt voluntaria, hoc eſt, inquantum homo, vel ex induſtria, vel propter nimiam erga res carnales affectionem, faſtidit, vel negligit ſubtilem, & exactam rerum ſpiritualium cognitionem. Hæc concluſio patet ex terminis. ¶ Tertia cõcluſio. Tam hebetudo quã cæcitas mẽtis opponũtur dono intellectus. Probatur. Per donũ intellectus percipimus, & penetramus res ſpirituales, vt diximus. q. 8. art. 1. ſed cæcitas mentis, cõſiſtit in eo, quod homo non percipit iſtas res ſpirituales auertens ſe ab eorum conſideratione, hebetudo autem ſenſus conſiſtit in eo, quod eædem res non penetrantur, hoc eſt, exacte cognoſcuntur, ergo tam cæcitas, quam hebetudo opponuntur, dono intellectus.

ARTICVLVS III.

¶ *Vtrum cæcitas mentis & hebetudo ſenſus oriantur ex peccatis carnalibus.*

AD TERTIVM ſic proceditur. Videtur quòd cæcitas mẽtis & hebetudo ſenſus nõ oriãtur ex vitijs carnalibus. Aug. *enim in libro Retractationum, retractans illud quod dixerat in Soliloquijs, Deus qui nõ niſi mũdos ſcire verum voluiſti, dicit, ꝙ reſpõderi poteſt multos etiam immundos multa vera ſcire. Sed homines maximè efficiũtur immũdi per vitia carnalia, ergo cæcitas mentis & hebetudo ſenſus nõ cauſantur à vitijs carnalibus.

Lib. 1. Retract. cap. 4. paulo à pr. Id dixerat li. 1. ſolilo q. c. 1. to. 1.

2 ¶ Præterea, Cæcitas mentis & hebetudo ſenſus ſunt defectus quidã circa partẽ animę intellectiuam. Vitia autẽ carnalia pertinẽt ad corruptionem carnis. Sed caro non agit in animam, ſed potius è contrario, ergo vitia carnalia non cauſant cæcitatem mentis & hebetudinem ſenſus.

3 ¶ Præterea, Vnumquodque magis patitur à propinquiori, quàm à remotiori. Sed propinquiora ſunt menti vitia ſpiritualia, quàm carnalia, ergo cæcitas mentis & hebetudo ſenſus magis cauſantur ex vitijs ſpiritualibus, quàm ex vitijs carnalibus.

¶ SED CONTRA eſt, ꝙ Grego. 31. Mora. dicit quòd hebetudo ſenſus circa intelligentiam oritur ex gula, cæcitas autem mentis ex luxuria.

Lib. 31. Moral. c. 31. à medio.

¶ RESPONDEO dicendũ, quòd perfectio intellectualis operationis in homine conſiſtit in quadam abſtractione à ſenſibilium phantaſmatibus, Et ideo quanto intellectus hominis magis fuerit liber ab huiuſmodi phantaſmatibus, tanto potius conſiderare intelligibilia poterit, & ordinare omnia ſenſibilia, ſicut & Anaxagoras dicit, quòd oportet intellectum eſſe immiſtũ ad hoc, quod imperet, & agens oportet, quòd dominetur ſuper materiam ad hoc, quòd poſſit eã mouere, vt narrat* Philoſophus. 8. Phyſi. Manifeſtum eſt autẽ, quòd delectatio applicat intẽtionem ad ea, in quibus aliquis delectatur. Vnde Philo. dicit in. 10. Ethi. quòd vnuſquiſq; ea, in quibus delectatur, optime operatur, cõtraria verò nequaquam vel debiliter. Vitia autem carnalia, ſcilicet gula & luxuria, conſiſtunt circa delectationes tactus, ciborum, ſcilicet, & venereorum, quæ ſunt vehementiſſimæ inter omnes corporales delectationes. Et ideo per hæc vitia intentio hominis maximè applicatur ad corporalia, & per cõſequens debilitatur operatio hominis circa intelligibilia. Magis autẽ per luxuriam, quam per gulam, quanto delectationes venereorum ſunt vehementiores

Lib. 8. Phy. tex. 77. to. 2. Li. 10. Ethi. c. 5. & 4. to. 5.

quàm ciborũ. Et ideò ex luxuria oritur cæcitas mentis, quæ quaſi totaliter ſpiritualium bonorum cognitionẽ excludit. Ex gula autem hebetudo ſenſus, quæ reddit hominem debilem ad huiuſmodi intelligibilia. Et econuerſo oppoſitæ virtutes, ſcilicet abſtinentia & caſtitas maximè diſponunt hominem ad perfectionẽ intellectualis operationis. Vnde dicitur Danie. 1. quòd pueris his, ſcilicet, abſtinentibus & cõtinentibus dedit Deus ſcientiam & diſciplinam in omni libro & ſapientia.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd quamuis aliqui vitijs carnalibus ſubditi poſsint quandoque ſubtiliter ſpeculari aliqua circa intelligibilia, propter bonitatem ingenij naturalis, vel habitus ſuperadditi, tamen neceſſe eſt, vt ab hac ſubtilitate cõtẽplationis eorũ intentio plerunq; retrahatur, propter delectatiões corporales. Et ita immũdi poſſunt aliqua vera ſcire, ſed ex ſua immunditia circa hoc impediũtur.

¶ Ad ſecundum dicẽdum, quòd caro non agit in partem intellectiuam, alterando ipſam, ſed impediẽdo operationem ipſius per modum prædictum.

¶ Ad tertium dicendum, quòd vitia carnalia quo magis ſunt remota à mente, eo magis eius intentionem ad remotiora diſtrahunt, vnde magis impediunt mentis contemplationem.

SVMMA TEXTVS.

CONcluſio eſt, Cæcitas mentis naſcitur ex luxuria, hebetudo autem ſenſus ex gula. Probatur, Ad perfectionem operationis intellectualis requiritur in homine abſtractio mentis à rebus ſenſibilibus: vnde Anaxagoras dicebat, intellectũ debere eſſe immixtũ ad hoc, vt imperet, ſed per vitia carnalia, ſcilicet, per luxuriam atq; gulam mẽs hominis rapitur ad ſenſibilia, & diſtrahitur ab intelligibilibus, ſunt enim delectationes venereorum, & ciborum vehementiſsimæ: ex quo fit, vt vnuſquiſq; ea in quibus delectatur optime operetur, contraria verò nequaquam, vt docet Ariſt. 10. Ethic. ergo operatio hominis circa intelligibilia per hæc vitia debilitatur. Tunc vltra: Operatio hominis circa intelligibilia magis debilitatur per luxuriam, quàm per gulã delectationes enim luxuriæ ſunt vehementiores delectationibus gulæ, ergo ex luxuria oritur cæcitas mentis, qua quaſi totaliter excluditur cognitio ſpiritualiũ: & ex gula hebetudo ſenſus, quæ facit hominem debilem ad eorundem cognitionem. Secundò, hoc idem probatur, Caſtitas, & abſtinentia maximè diſponunt hominẽ ad cognitionẽ rerum ſpiritualium, vt conſtat ex Daniele cap. 1. vbi de tribus pueris dicitur, quod cõtinentibus, & abſtinẽtibus dedit Deus ſciẽtiam, & diſciplinã, ergo ex luxuria, & gula quæ opponuntur caſtitati, & abſtinentiæ, oriuntur cęcitas mẽtis, & ſenſus hebetudo.

QVAESTIO DECIMASEXTA, De Præceptis fidei, ſcientię, & intellectus, in duos articulos diuiſa.

DEINDE cõſiderandum eſt de pręceptis pertinẽtibus ad prædicta. ¶ Et circa hoc quęruntur duo.

¶ Primo, de præceptis pertinentibus ad fidem.

¶ Secundo, de præceptis pertinẽtibus ad dona ſcientiæ & intellectus.

ARTICVLVS I.

¶ Vtrùm in veteri lege debuerint dari præcepta credendi.

AD PRIMVM ſic proceditur. Videtur quòd in veteri lege dari debuerint præcepta credendi. *Infra. q. 22. ar. 1. cor. Et. 3. contra ca. 118.* Præceptũ enim eſt de eo, quod eſt debitum & neceſſarium. Sed maximè neceſſarium eſt homini quòd credat, ſecundũ illud Heb. 11. Sine fide impoſſibile eſt placere Deo. Ergo maximè oportuit præcepta dari de fide.

a ¶ Præ-

2 ¶ Præterea, Nouum teſtamentum continetur in veteri, ſicut figuratum in figura, vt ſuprà * dictum eſt. Sed in nouo teſtamento ponuntur expreſſa mãdata de fide, vt patet Ioan. 14. Creditis in Deũ, & in me credite. Ergo videtur, ꝙ in veteri lege etiã debuerint aliqua præcepta dari de fide.

1.2.q.7.ar. 1. & art. 3. ad. 1.

3 ¶ Præterea, eiuſdem rationis eſt præcipere actũ virtutis, & prohibere vitia oppoſita. Sed in veteri lege ponuntur multa præcepta prohibẽtia infidelitatẽ, ſicut Exod. 20. Non habebis Deos alienos corã me. Et iterum Deut. 13. Mandatur, ꝙ non audiant verba prophetæ aut ſomniatoris, qui eos de fide Dei vellet auertere, ergo in veteri lege etiã debuerunt præcepta dari de fide.

4 ¶ Præterea, Cõfeſsio eſt actus fidei, vt ſuprà dictũ * eſt, ſed de confeſsione & promulgatione fidei dãtur præcepta in veteri lege, mandatur enim in Exod. 12. Quòd filijs ſuis interrogãtibus rationẽ aſsignẽtur paſchalis obſeruãtia. Et Deut. 13. Mãdatur, quòd ille qui diſſeminat doctrinã contra fidem occidatur, ergo lex vetus præcepta fidei debuit habere.

Q. 3. art. 1.

5 ¶ Præterea, Omnes libri veteris teſtamẽti ſub lege veteri continẽtur. Vnde Dominus Iohan. 15. dicit in lege eſſe ſcriptum, Odio habuerũt me gratis, quod tamẽ ſcribitur in Pſalm. Sed Eccle. 2. dicitur, Qui timetis Dominũ, credite illi, ergo in veteri lege fuerunt præcepta danda de fide.

¶ SED CONTRA eſt, ꝙ Apoſto. ad Roma. 3. Legem veterem nominat legem factorum, & diuidit eã contra legem fidei. Ergo in lege veteri non fuerunt pręcepta danda de fide.

¶ RESPONDEO dicendũ, quòd lex nõ imponitur ab aliquo Domino niſi ſuis ſubditis, & ideo pręcepta legis præſupponunt ſubiectionem cuiuſlibet recipientis legem ad eum, qui dat legem, Prima autem ſubiectio hominis ad Deum eſt per fidem, ſecundum illud. Heb. 11. Accedentẽ ad Deum oportet credere quia eſt, & ideo fides præſupponitur ad legis præcepta. Et propter hoc Exod. 20. id quod eſt fidei, præmittitur ante legis præcepta, cum dicitur, Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra AEgypti. Et ſimiliter Deut. 6. præmittitur, Audi Iſrael, Dominus Deus tuus, vnus eſt, & poſtea ſtatim incipit agere de præceptis. Sed quia in fide multa cõtinentur ordinata ad fidẽ, qua credimus Deum eſſe, quod eſt primum & principale inter omnia credibilia, vt dictum * eſt, & ideo præſuppoſita fide de Deo, per quam mens humana Deo ſubijciatur, poſſunt dari præcepta de alijs credendis, ſicut Aug. * dicit ſuper Iohã. quòd plurima ſunt nobis de fide mãdata, ex ponens illud. Hoc eſt præceptũ meũ. Sed in veteri lege non erant ſecreta fidei populo exponẽda, & ideo ſuppoſita fide vnius Dei nulla alia pręcepta ſunt in veteri lege data de fide.

Q. 1. art. 7.

Tract. 83. inter med. & ſi. to. 9.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd fides eſt neceſſaria tanquã principium ſpiritualis vitæ, & ideo pręſupponitur ad legis ſuſceptionem.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd ibi etiam Dominus præſupponit aliquid de fide, ſcilicet, fidem vnius Dei, cum dicit, Creditis in Deum, Et aliquid pręcipit, ſcilicet, fidẽ incarnationis, per quã vnus eſt Deus & homo, quæ quidẽ fidei explicatio pertinet ad fidẽ noui teſtamenti. Et ideo ſubdit, Et in me credite.

¶ Ad tertium dicendum, quòd præcepta prohibitiua reſpiciunt peccata, quæ corrumpunt virtutem. Virtus autem corrumpitur ex particularibus defectibus, vt ſuprà * dictũ eſt. Et ideo pręſuppoſita fide vnius Dei in lege veteri fuerunt danda prohibitiua pręcepta, quibus homines prohiberentur ab ijs particularibus defectibus, per quos fides corrumpi poſſet.

1.2.q. 18. a. 9. ad. 3. et q. 19. art. 6. ad 1. & art. 7. ad. 3.

¶ Ad quartum dicedum, quòd etiam

 confeſsio

confeſsio vel doctrina fidei præſupponit ſubiectionem hominis ad Deũ per fidem. Et ideo magis potuerunt dari præcepta in veteri lege pertinentia ad confeſsionem vel doctrinam fidei, quàm pertinentia ad ipſam fidem. ¶Ad quintum dicendum quòd in ipſa etiam autoritate præſupponitur fides, per quam credimus Deum eſſe. Vnde præmittit, Qui timetis Dominum, quod non poſſet eſſe ſine fide. Quòd autem addit, Credite illi, ad quædam credibilia ſpecialia referendum eſt, & præcipuè ad illa, quæ promittit Deus ſibi obedientibus. Vnde ſubdit, Et non euacuabitur merces veſtra.

SVMMA TEXTVS.

PRima cõcluſio. Credere Deũ, nec in veteri lege, nec in noua fuit præceptũ. Probatur: Fides vnius Dei præſupponitur ad præcepta legis, lex enim præcepta continens non imponitur, niſi ſubiectis, & prima ſubiectio hominis ad Deũ eſt per eius fidẽ, iuxta illud Paul. ad Hebræos. 11. Accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt, ergo credere vnum Deum, nec in veteri nec in noua lege fuit præceptũ. Vnde Exod. c.20. priùs fuit dictum, Ego ſum Dns Deus tuus, quã fuerint impoſita alia præcepta legis. ¶Secũda cõcluſio. Suppoſita ſubiectione hominis ad Deum per fidẽ ipſius Dei, conueniens fuit, vt nobis imponerentur præcepta de alijs rebus credendis. Hæc concluſio probatur teſtimonio Auguſtini tract. 83. ſuper Ioan. & probari etiam poteſt teſtimonio Chriſti, qui Ioã. cap. 14. ſuppoſita fide vnius Dei ſuę etiam incarnationis fidẽ præcipit dicens, Creditis in Deũ & in me credite, &c. ¶Tertia concluſio. In veteri lege, ſuppoſita fide vnius Dei, nulla alia præcepta fidei fuerunt data. Probatur: In veteri lege ſecreta fidei non fuerunt populo expoſita, ergo Iudæi nulla præcepta fidei habuerunt. Et cõfirmatur ex Paulo ad Rom. 3. qui veterem legem appellat legem factorum, diuiditq; eam cõtra legem fidei.

EXPLICATIO ARTICVLI.

CIrca primam concluſionem huius articuli aduertendum eſt ex D.Tho. infrà. q.22. art.1. quòd præcepta diuina ſunt in duplici differentia. Quædam enim pertinent ad ipſam ſubſtantiam legis, qualia ſunt illa, Non facies tibi ſculptile: Non aſſumes nomen Dei in vanum, &c. Alia ſunt præambula ad ipſam legem, qualia ſunt illa, quibus ad fidem vnius Dei, ac ſpem in eo collocandam obligamur. Hoc ſuppoſito dico, quòd quando D.Tho. affirmat nec in veteri nec in noua lege fuiſſe præceptum de fide vnius Dei, loquitur de præcepto ad ipſam legis ſubſtantiam pertinente, & non de præcepto, quod eſt ad legem præambulum. Nam cum ad ſalutem poſt peccatum ſemper fuerit neceſſaria fides vnius Dei, iuxta illud Paul. ad Hebræ. 11. Accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt, manifeſtè ſequitur ſemper omni tempore fuiſſe præceptum de illa habenda. Cæterum illud nõ pertinebat ad legis ſubſtantiã, ſed erat præambulum ad legem.

Præcepta diuina ſunt duplicia.

¶Secundo eſt aduertendum, hoc fuiſſe diſcriminis inter nos, & veteres Iudæos, ꝙ nos tenemur credere explicitè multa, quæ illi non tenebantur explicitè credere: vt conſtat ex ijs, quæ diximus ſupra. q.2. art.6.7. &.8. Et hæc eſt cauſa, propter quã D.Tho. in hoc articulo affirmat in noua lege eſſe præceptum obligans nos ad fidem, ſcilicet, explicitam, multarum rerum ad Deum pertinentium, quod in veteri lege non erat. Et eſt hoc intelligendum, non vniuerſaliter de omnibus antiquis, ſed tantum de indoctis, rudibus, & vulgaribus hominibus. Nam proceres, & ſapientes illius temporis etiam tenebantur habere fidem explicitam aliquorum articulorum noſtræ fidei, vt diximus in ſuperioribus.

Differentia inter Chriſtianos & veteres Iudæos.

¶Sed contra tertiam concluſionem eſt argumentum. In veteri lege erat præceptũ de fide, ſpe, & charitate, ſemper enim fuit neceſſarium ad ſalutem credere, ſperare, & diligere aliquid ſupernaturale, vltra cognitionem Dei, quæ ratione naturali poterat haberi, ergo falſum eſt dicere, quòd ſuppoſita fide vnius Dei nulla alia præcepta fidei fuerunt data populo Iſraelitico.

Argumentũ contra tertiã cõcluſionem D.Tho.

¶Ad hoc argumentum reſpondetur, ꝙ quanuis cultores veteris legis, atque adeò omnes, qui vixerunt in lege naturæ, tenerentur credere, & ſperare aliquid ſupernaturale, (ſine fide enim impoſsibile erat placere Deo) illud tamen præceptum non pertinebat ad legem Moſaicam, ſed erat vel præambulum ad illam, vel potius per-

Reſponſio.

tinebat ad legem Euangelij, & fuit ab initio mundi omnibus hominibus impoſitũ, ſi modo vellent ſuorum delictorum conſequi veniam, quæ per Ieſum Chriſtum danda erat, iuxta illud Acto. 3. Non eſt datum aliud nomen ſub cœlo, in quo oporteat nos ſaluos fieri. Et Ioan. 1. Lex per Moyſen data eſt, gratia autem per Ieſum Chriſtũ. Vnde Paulus legem Moſaicam ſæpeſæpius à fide diſtinguit. Et dicit ad Roma. 3. Arbitramur iuſtificari hominem per fidem, ſine operibus legis, & cap. 4. Non per legem promiſsio Abrahę, ſed per iuſtitiam fidei. Et ſic patet, quòd hæc præcepta non pertinebant ad veterem legem.

ARTICVLVS II.

Vtrùm in veteri lege conuenienter tradantur præcepta pertinentia ad ſcientiam & intellectum.

Infra. q. 46. art. 2. ad. 3. & q. 49. ar tic. 1. ad. 2.

AD SECVNDVM ſic proceditur. Videtur, quòd in veteri lege inconuenienter tradantur pręcepta pertinentia ad ſcientiam & intellectum. Scientia enim & intellectus ad cognitionem pertinent. Cognitio autem præcedit & dirigit actionem. Ergo præcepta ad ſcientiam & intellectum pertinentia, debent præcedere præcepta pertinentia ad actionem. Cum ergo prima præcepta legis ſint præcepta decalogi, videtur quòd inter præcepta decalogi debuerunt tradi aliqua pręcepta pertinentia ad ſciẽtiam & intellectum.

2 ¶Præterea, Diſciplina præcedit doctrinam, prius enim homo ab alio diſcit, quàm alium doceat. Sed dantur in veteri lege aliqua præcepta de doctrina etiam affirmatiua, vt præcipitur Deute. 4. Docebis ea filios aut nepotes tuos. Et etiam prohibitiua, ſicut dicitur Deuterono. 4. Non addetis ad verbum quod vobis loquor, neque auferetis ab eo. Ergo videtur, quòd etiam aliqua præcepta dari debuerint inducentia hominem ad diſcendum.

3 ¶Præterea, Scientia & intellectus magis videntur neceſſaria ſacerdoti quàm regi. Vnde dicitur Malach. 2. Labia ſacerdotis cuſtodiũt ſcientiam, & legem requirent ex ore eius. Et Oſee. 4. dicitur, Quia repuliſti ſcientiam, repellam & ego te, ne ſacerdotio fungaris mihi. Sed regi mandatur, quòd addiſcat ſcientiam legis, vt patet Deutero. 17. Ergo multo magis debuit præcipi in lege, quod ſacerdotes legem addiſcerent.

4 ¶Præterea, Meditatio eorum, quæ ad ſcientiam & intellectum pertinent, non poteſt eſſe in dormiendo. Impeditur etiam, per occupationes extraneas. Ergo inconuenienter præcipitur Deutero. 6. Meditaberis ea, ſedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque conſurgens. Inconuenienter ergo traduntur in veteri lege præcepta ad ſcientiam & intellectum pertinentia.

¶SED CONTRA eſt, quòd dicitur Deutero. 4. Audientes vniuerſi præcepta hæc, dicant. En populus ſapiens & intelligens.

¶RESPONDEO dicendum, quòd circa ſcientiam & intellectum tria poſſunt conſiderari. Primò quidem acceptio ipſius, ſecundo, vſus eius, tertio verò conſeruatio ipſius. Acceptio quidem ſcientiæ vel intellectus fit per doctrinam & diſciplinam: Et vtrunque in lege præcipitur. Dicitur enim Deutero. 6. Erunt verba hęc, quæ ego præcipio tibi in corde tuo, quod pertinet ad diſciplinam. Pertinet enim ad diſcipulum, vt cor ſuum applicet his, quæ dicuntur. Quod verò ſubditur. Et narrabis ea filijs tuis, pertinet ad doctrinam. Vſus verò ſcientiæ vel intellectus eſt meditatio eorum, quæ quis ſcit vel intelligit. Et quantum ad hoc ſubditur, Et meditaberis, ſedens in domo tua, &c. Conſeruatio autem fit per memoriam. Et quantum ad hoc ſubdit. Et ligabis ea

quaſi ſignum in manu tua, eruntque & mouebuntur inter oculos tuos, ſcribeſque ea in limine & oſtijs domus tuæ. Per quæ omnia iugem memoriã mandatorum Dei ſignificat. Ea enim, quæ continuè ſenſibus noſtris occurrunt, vel tactu, ſicut ea, quæ in manu habemus, vel viſu, ſicut ea, quæ ante oculos mentis ſunt continuè: vel ad quæ oportet nos ſępe recurrere, ſicut ad oſtium domus, à memoria noſtra excidere non poſſunt. Et Deut. 4. manifeſtius dicitur. Ne obliuiſcaris verborum, quæ viderunt oculi tui, & ne excidant de corde tuo cunctis diebus vitæ tuæ. Et hæc etiam abundantius in nouo teſtamento tam in doctrina Euangelica, quàm Apoſtolica mandata leguntur.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd ſicut dicitur Deut. 4. Hæc enim eſt veſtra ſapientia & intellectus corã populis. Ex quo datur intelligi, quod ſcientia & intellectus fideliũ Dei conſiſtit in præceptis legis. Et ideo primo ſunt proponenda legis præcepta, & poſtmodum homines ſunt inducendi ad eorum ſcientiam vel intellectum. Et ideo præmiſſa præcepta non debuerunt poni inter præcepta decalogi, quæ ſunt prima.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd etiam in lege ponuntur præcepta pertinentia ad diſciplinam, vt dictum eſt. *In corp. art.* Expreſsius tamen præcipitur doctrina, quàm diſciplina, quia doctrina pertinet ad maiores, qui ſunt ſui iuris immediatè ſub lege exiſtentes, quibus debent dari legis præcepta. Diſciplina autem pertinet ad minores ad quos præcepta legis per maiores debent peruenire.

¶ Ad tertium dicendum, quòd ſciẽtia legis eſt ideo annexa officio ſacerdotis; vt ſimul cum iniunctione officij intelligatur etiam & ſcientiæ legis iniũctio. Et ideo non oportuit ſpecialia pręcepta dari de inſtructione ſacerdotum. Sed doctrina legis Dei non adeo eſt annexa regali officio, quia rex conſtituitur ſuper populum in temporalibus, & ideo ſpecialiter pręcipitur, vt rex inſtruatur de his, quę pertinent ad legem Dei, per ſacerdotes.

¶ Ad quartum dicendum, quòd illud pręceptum legis non eſt ſic intelligendum, quòd homo dormiendo meditetur de lege Dei, ſed quòd dormiens, id eſt vadens dormitum, de lege Dei meditetur, quia ex hoc etiam homines dormiendo adipiſcuntur meliora phantaſmata, ſecundum quod pertranſeunt motus à vigilantibus ad dormientes, vt patet per Philoſophum in primo * Ethic. Similiter etiam mandatur, vt in actu ſuo aliquis meditetur de lege, nõ quòd ſemper actu de lege cogitet, ſed quod omnia, quæ facit, ſecundum legem moderetur. *Li. 1. Ethic. cap. vlt. poſt med. to. 5.*

SVMMA TEXTVS.

CONcluſio eſt. Tam in veteri, quàm in noua le[ge] conuenienter ſunt tradita præcepta, quæ pertinent ad ſcientiam, & intellectum. Et quidem, quod in veteri legẽ conuenienter hæc præcepta fuerint impoſita, probat D. Tho. pluribus teſtimonijs ſacræ ſcripturæ, quæ clare patent in litera. Quod autem in noua lege conuenienter etiam ſimilis doctrina tradita fuerit, tanquam notum relinquit. Omnia enim, quæ in veteri lege diſponuntur, clarius & diſtinctius habentur in Euangelio, ergo. ¶ Sed eſt aduertendum, quod hæc præcepta non ſunt de habitibus, ſed de actibus, nec ſemper obligant ad mortale, cum illorum trãſgreſsio ſæpe ſit veniali. Et hæc dicta ſint de tota materia de fide.

QVAESTIO DECIMAſeptima, de Spe, in octo Articulos diuiſa.

CONSEQVENTER poſt fidem conſiderandum eſt de ſpe, & primo de ipſa ſpe, ſecundo, de dono timoris,

ris, tertio de vitijs oppoſitis, quarto de præceptis ad hoc pertinentibus.

¶ Circa primum occurrit. Primo cōſideratio de ipſa ſpe. Secundo, de ſubiecto eius.

¶ Circa primum quæruntur octo.

¶ Primo vtrum ſpes ſit virtus.

¶ Secundo, vtrum obiectum eius ſit beatitudo æterna.

¶ Tertio, vtrum vnus homo poſsit ſperare beatitudinem alterius per virtutem ſpei

¶ Quarto, vtrum homo licite poſsit ſperare in homine.

¶ Quinto, vtrum ſpes ſit virtus theologica.

¶ Sexto, de diſtinctione eius ab alijs virtutibus theologicis,

¶ Septimo, de ordine eius ad fidem.

¶ Octauo, de eius ordine ad charitatem.

ARTICVLVS I.

¶ Vtrum ſpes ſit virtus.

3.d.26.q.2. ar.1. Et virt. q.4. art.1. *Lib.3.ca.18. & 19.to.1.*

AD PRIMVM ſic proceditur. Videtur quod ſpes non ſit virtus. Virtute enim nullus male vtitur, vt dicit* Augu. in lib. de Lib. arb. Sed ſpe aliquis male vtitur, quia circa paſsionem ſpei contingit eſſe medium & extrema, ſicut & circa alias paſsiones, ergo ſpes non eſt virtus.

August. contra 26. in Pſal. 118. to. 8.

2 ¶ Præterea, Nulla virtus procedit ex meritis, quia virtutem Deus in nobis ſine nobis operatur, vt Auguſt. dicit.* Sed ſpes eſt ex gratia & meritis prouenienś, vt Magiſter dicit 26. diſt. tertij libri ſententiarum, ergo ſpes non eſt virtus.

Lib.7. Phyſ. tex. 17. & 18. to. 2.

3 ¶ Præterea, Virtus eſt diſpoſitio perfecti, vt dicitur * in 7. Phyſico. ſpes autē eſt diſpoſitio imperfecti, ſcilicet, eius qui non habet id quod ſperat. Ergo ſpes non eſt virtus.

Lib.1. Mora. cap.33. ante med.

¶ SED CONTRA eſt quòd Grego. in 1. Moral.* dicit, quòd per tres filias Iob ſignificantur hæ tres virtutes, fides, ſpes, charitas. ergo ſpes eſt virtus.

Li.2. Ethic. cap.6. circa prin. to.5.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd ſecundum Philoſophum in 2. Eth. * Virtus vniuſcuiuſque rei eſt, quæ bonum facit habentem, & opus eius bonum reddit. Oportet ergo vbicunq; inuenitur aliquis actus hominis bonus, quod reſpondeat alicui virtuti humanæ. In omnibus autem regulatis & menſuratis, bonum conſideratur per hoc, quòd aliquid propriam regulam attingit, ſicut dicimus veſtem eſſe bonam, quæ nec excedit, nec deficit à debita menſura. Humanorum autem actuum, ſicut ſupra dictum * eſt, duplex eſt menſura, Vna quidem proxima & homogenea, ſcilicet ratio. Alia autem ſuprema & excedens, ſcilicet Deus, & ab hoc omnis actus humanus attingens ad rationem, aut ad ipſum Deum, eſt bonus. Actus autem ſpei, de qua nunc loquimur, attingit ad Deum. Vt enim ſupra dictum * eſt cum de paſsione ſpei ageretur, obiectum ſpei eſt bonum futurū arduum poſsibile haberi. Poſsibile autem eſt aliquid nobis dupliciter, Vno modo per noſmetipſos, alio modo per alios, vt patet * in 3. Eth. Inquantum ergo ſperamus aliqd vt poſsibile nobis per diuinum auxilium, ſpes noſtra attingit ad ipſum Deum, cuius auxilio innititur. Et ideo patet, quod ſpes eſt virtus, cum faciat actum hominis bonum, & debitam regulam attingentem.

Q.8. art.3. ad.3. *1.2. q. 40, art.1.* *Lib.3. ca.3. à med. to.5.*

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quod in paſsionibus accipitur medium virtutis, per hoc, quod attingitur ratio recta, & in hoc etiam conſiſtit ratio virtutis, Vnde etiam & in ſpe bonum virtutis accipitur, ſecundū quod homo attingit ſperando regulam debitam, ſcilicet Deum. Et ideo ſpe attingente Deum, nullus poteſt male vti, ſicut nec virtute morali attingente rationem, quia hoc ipſum quod eſt

attingere, eſt bonus vſus virtutis, quã uis ſpes, de qua nunc loquimur, non ſit paſsio, ſed habitus mentis, vt infra patebit.

Ar.5. huius q. & q.18. art.1.

¶Ad ſecũdũ dicẽdũ, ꝙ ſpes dicitur ex meritis prouenire, quantum ad ipſam rem expectatam, prout aliquis ſperat beatitudinem ſe adepturum ex gratia & meritis, vel quantum ad actum ſpei formatæ. Ipſe autem habitus ſpei, per quam aliquis expectat beatitudinem, non cauſatur ex meritis, ſed purè ex gratia.

¶ Ad tertium dicendum, quod ille qui ſperat, eſt quidẽ imperfectus ſecũdũ conſiderationẽ ad id quod ſperat obtinere quod nondum habet, ſed eſt perfectus quantum ad hoc, quòd iam attingit propriam regulam, ſcilicet, Deum, cuius auxilio innititur.

SVMMA TEXTVS.

CONCLVSIO eſt affirmatiua. Probatur. Virtus ſecundum Ariſtotelem eſt quæ bonum facit habentem, & opus eius bonum reddit: ſed talis eſt ſpes, ergo. Probo minorem. Ad hoc, vt aliquis actus humanus ſit bonus, neceſſarium eſt, quòd debitam regulam attingat: eſt autem duplex regula humanorum actuũ, vna homogenea, quæ eſt ratio, altera excedens, quæ eſt Deus: ſed ſpes attingit regulam, quæ eſt Deus, ergo eius actus eſt bonus, atque ex conſequenti eſt virtus. Quod ſpes attingat Deũ probatur, quia obiectum ſpei eſt bonum futurum arduũ poſsibile. Dupliciter autem aliquid poteſt nobis eſſe poſsibile, vno modo per nos ipſos, alio modo per alios. In quantum ergo ſperamus aliquid, vt poſsibile nobis per diuinum auxilium ſpes attingit Deũ.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Spes accipitur tripliciter.

PRO explicatione huius materiæ eſt aduertendum primò, ꝙ hoc nomen ſpes tripliciter accipi poteſt. Vno modo, pro re ſperata, hoc eſt, pro obiecto ſpei: quo modo accepit Paulus ad Roma.8. quando dixit, ſpes quæ videtur non eſt ſpes, & ad Titum.3. ſpectantes beatam ſpem, & aduentum gloriæ magni Dei. Alio modo accipitur pro actu ſperandi, quomodo accepit Paulus primę ad Corinth.9. quando dixit: Qui arat, in ſpe arat fructus percipiendi: & Iob cap.9. repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo. Tertio accipitur pro habitu, quo inclinamur ad ſperandum: & de ſpe iſto tertio modo accepta diſſerit D. Tho. in pręſenti & Doctores in.3. diſt.26.

Spes eſt de bonis futuris arduis.

¶Secundo eſt aduertendum, quòd licèt interdum ſperare quis dicatur ea, quæ mala ſunt cum imminent: iuxta illud Poetæ:

Hunc ego ſi potui tantum ſperare dolorem.

AEneid. 4. tamen recepto vſu omnium doctorum, vt autor eſt Diuus Auguſtinus in Enchiridio. cap.8. ſpes ſemper eſt de bonis, ſicut timor de malis. Vnde dicimus quod ſpes eſt quædam proſequutio boni: timor autem eſt fuga mali. Sed quanuis ſpes ſemper verſetur circa bonum, non tamen verſatur circa omne: ſed tantum circa aliquod. Quod, vt intelligatur aduertendum eſt, quòd bona ſunt in multiplici differentia. Quædem enim ſunt bona, quæ poſsidemus, alia quibus caremus. Et rurſus hæc, quædam ſunt impoſsibilia, alia verò poſsibilia: & tandem horum quædam ſunt ardua & difficilia, quædam vero facilia. Quo ſuppoſito dico certum eſſe, quòd nullus ſperat ea, quæ iam habet, nec ea, quę habere nullo modo poteſt: nec etiã aliquis prudens aut ſapiens dicitur ſperare ea, quæ facili negocio poteſt habere. Ex quo fit, vt ſpes tantum verſetur circa illud bonum, quod eſt abſens, & poſsibile, adipiſcique non poteſt, niſi magna cum difficultate. Vnde obiectum ſpei definitur, quòd ſit bonum futurum poſsibile & arduum, vt autor eſt Diuus Thom.1.2. quęſtio.40.art.1.

Voluntas & appetitus fertur in bonũ, ſed diuerſimode.

¶Tertio eſt aduertendum, quòd tam voluntas, quàm appetitus ſenſitiuus fertur in bonum, diuerſimode tamen. Nam voluntas fertur in ſuum bonum moderatè, & cum ratione, quatenus, & quomodo oportet: appetitus verò fertur perturbatè, & nullo ordine ſeruato. Ex quo ſequitur, primò, quòd quanuis in voluntate inueniantur motus ſimiles illis motibus, qui inueniuntur in appetitu ſenſitiuo circa bonum, & circa malum, vt autor eſt D. Tho. 1.2. quæſtio.22.&.23. quia tamen motus appetitus ſenſitiui fiunt cum perturbatione, appellantur paſsiones: quo nomine motus volun-

voluntatis non appellantur. Infero ſecundò, quòd tam in voluntate, quam in appetitu ſenſitiuo quatenus eſt iraſcibilis, & tendit in bonum arduum, poteſt eſſe motus ſpei: tamen in præſenti tantum agimus de ea ſpe, quæ eſt virtus in voluntate reſidens: & de alia, quæ eſt paſsio appetitus ſenſitiui, diſſerit Diuus Thomas 1.2.quæſt.40.

Virtutes ponuntur in hominibus propter duas rationes.

¶Quarto eſt aduertendum, quòd habitus boni, atque virtutes ponuntur in nobis propter duas cauſas. Prima eſt, vt per eas ità ordinentur paſsiones appetitus ſenſitiui, vt qui ſua natura neſcit tenere modum, aſſuetudine, & per habitus ſtudioſos intra rectum contineatur. Altera eſt, vt per tales habitus potentia inclinetur in ſtudium eius boni, in quod natura ſua non ſatis inclinatur, nec fertur: vel quia eſt alienum ab illa, vel improportionatum. Propter primam cauſam ponitur in appetitu ſenſitiuo virtus, quæ moderetur paſſionem ſpei: eaque eſt magnanimitas, vt docet Diuus Thomas infra artic. 5. huius quæſtionis, ad quartum argumentum, & quæſtio.129.artic.1.ad ſecundum. Propter ſecundam autem cauſam ponitur in voluntate alia virtus, quæ appellatur ſpes: & inclinat ad ſperandum, non iſta bona temporalia: nam ad hæc ſatis ex ſeſe eſt inclinata, & propenſa voluntas: ſed ad ſperandum bona cœleſtia, & ſupernaturalia, quæ illi ſunt improportionata: & de hac diſſerit D.Tho.in præſenti.

Dubium.

¶Hoc ſuppoſito circa concluſionem huius articuli eſt difficultas, vtrum ſpes propriè & ſtrictè loquendo ſit dicenda virtus? Nam Durandus in tertio.diſtinctio. 26. quæſtio. prima. partem tenet negatiuam, dicens, quòd ſpes non propriè ſed largo modo eſt virtus: ſicut dixerat etiam de fide. Tamen Diuus Thomas in præſenti contrariam tenet ſententiam, quæ proculdubio eſt vera. Vnde ad illius explicationem eſt aduertendum primò, quòd ad hoc, vt aliquis habitus habeat virtutis rationem, non eſt neceſſe, vt per illum potentia attingat ſuum obiectum omni ratione, qua poteſt illud attingere, & quantum poſsibile eſt: ſed ſufficit, vt illud attingat quantum poteſt attingi ſecundum ſtatum, & conditionem eius, qui operatur. Vt, verbigratia, ad hoc, vt habitus ſcientificus, qui eſt in homine ſit virtus intellectualis, non eſt neceſſe, vt per illum intellectus ità perfectè attingat, & cognoſcat verum, ſicut cognoſcitur ab angelo, vel ab aliqua præſtantiori creatura: ſed ſufficit, vt tribuat homini facultatē cognoſcendi verum, quantum optime ab homine pro iſto ſtatu poteſt cognoſci.

1. Notabile. *2. Notabile.*

¶Secundo eſt aduertendum, quòd nec etiam eſt de ratione virtutis, quòd tribuat ſubiecto omnimodam perfectionem: nam ſic non eſſent ponendæ plures virtutes, ſed ſatis eſſet vna ad hominem perficiendum: ſed eſt de ratione virtutis, vt perficiat & rectificet ſubiectum in ordine ad obiectum, & materiam, circa quā verſatur talis virtus.

Spes eſt vera & propria virtus.

¶Et his poſitis probatur ſpem eſſe verè & propriè virtutem. Nam perfectio humana pro iſto ſtatu conſiſtit in eo, quòd homo amet, & ſperet vltimum finem, nec poteſt homo in hac vita maiorem perfectionem habere: ſed ſpes efficit, vt homo firmè, & certò ſperet vltimum finem, ergo eſt virtus. Item circa bonum arduum & abſens, quale eſt beatitudo, non poteſt homo perfectiorem habere actum, quam eſt per ſpem tendere in illud, ergo habitus ad id inclinans eſt propriè & verè virtus.

Argumētū. *Solutio.*

¶Et ad argumentum Durandi, quod tale eſt, Virtus eſt diſpoſitio perfecti ad optimum, ſed ſperans non eſt perfectus cum non habeat bonum quod ſperat, ergò ſpes non eſt virtus, reſpōdetur primo cum D.Tho.in hoc articulo in ſolutione ad tertium, quòd quāuis ille, qui ſperat ſit imperfectus in ordine ad bonum, quod ſperat, cum illud non habeat, adhuc tamen dicitur perfectus quatenus attingit propriam regulam, quæ eſt Deus, hoc eſt quatenus exercet actionem, qua Deo, qui ſua regula eſt, maximè coniungitur. Et hoc ſatis eſt ad hoc, vt ſpes dicatur diſpoſitio perfecti ad optimū. Vel ſecundo reſpondetur, ꝙ quando dicimus virtutem eſſe diſpoſitionē perfecti ad optimū, nihil aliud intelligimus, quàm, quod eſt diſpoſitio perficiens ad id, quod optimum eſt. Et hoc quidem contingit in ſpe: nam perficit voluntatem in ordine ad vltimum finem quatenus habet rationē ardui maxima perfectione, qua ſecundum iſtum ſtatum poteſt perficere, & ſic habet rationem virtutis.

Dubium.

¶Sed dubium eſt, Vtrùm ſit neceſſarium ponere ſpem, quæ ſit diſtincta à fide, & charitate? Quæ quæſtio poteſt habere duplicem ſenſum. Primus eſt de actu, vtrùm ſit neceſſarium ponere actum ſpei diſtinctum ab actu credendi & amandi. Secundus de

habitu, verùm, ſcilicet, ſit neceſſarium ponere nouum habitum, qui inclinet ad ſperandum, diſtinctum ab habitu fidei, & charitatis.

Sententia hæreticorũ de actu ſpei. Et quidem quantum ad primum ſenſum, ſolum eſt nobis controuerſia cum hæreticis, qui dicunt hæc tria, ſcilicet, credere, & ſperare, & diligere, confundi inter ſeſe, & non diſtingui re ſed tantum voce.

1. Argum. Quod probant primo ex Paulo primæ ad Corinth. cap. 13. dicente: Charitas omnia credit, omnia ſperat, &c. ergo credere, ſperare, & diligere pertinent ad eandem virtutem.

2. Argum. ❡ Item cap. 7. fides appellatur dilectio, nam mulieri peccatrici dixit Chriſtus: Remittũtur ei peccata multa, quoniam dilexit multum: & ſubdit ſtatim: Fides tua te ſaluam fecit, ergo fides, & charitas, & ſimiliter ſpes ſunt vna, & eadem res.

3. Argum. ❡ Item, ad Roma. 4. dicit Paulus, Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam, & paulo inferius loquens de eadẽ fide dicit, In ſpem contra ſpem credidit, ergo fides atq; ſpes nõ diſtinguũtur.

Concluſio de fide. ❡ Hoc tamen non obſtante dico certiſſimum eſſe, quòd illa tria realiter diſtinguũtur, nec pertinent ad eandem virtutem, vt patet ex Paulo primæ ad Corint. cap. 13. dicente, Nunc autem manent tria hæc, fides, ſpes, charitas maior autem horum eſt charitas. Hoc etiam docet D. Auguſtinus in enchiridio cap. 8. & colligitur ex concilio Tridentino, ſeſsione. 6. cap. 7. & cano. 12. & 28. Et ratio eſt manifeſta. Nam fides poteſt eſſe ſine charitate (vt diximus) in materia de fide, & ſimiliter ſpes, ergo realiter inter ſeſe diſtinguũtur.

Ad. 1. arg. ❡ Et ad primum argumẽtum reſpondetur, quòd quando dicimus de charitate, quod omnia credit, & omnia ſperat eſt intelligendum imperatiuè, & nõ elicitiuè: hoc eſt, imperat fidei, vt credat.

Ad. 2. arg. ❡ Et ad aliud reſpondetur, quòd ex illo teſtimonio non colligitur fidem, & charitatem eſſe vnam, & eandem rem, ſed tantum, quòd illa mulier veniam eſt conſequuta ex vtroque. Vel ſecũdo reſpondetur, quòd fides in ſacris literis interdum accipitur, nõ pro aſſenſu intellectus nudè, ſed pro aſſenſu practico coniuncto operi, & obſeruantiæ mandatorum: & ità cõtingit in eo loco.

Ad. 3. arg. ❡ Ad aliud ex Paulo ad Roma. 4. reſpõdetur, quòd ex illo teſtimonio nihil colligitur, contra noſtram concluſionem. Senſus enim illius eſt, quòd tunc credidit Abrahã Deo, quãdo omnis ratio humana inducens ad credendum deeſſe videbatur.

Dubium de habitu ſpei vtrum ſit neceſſarius. ❡ De quæſtione autem in ſecundo ſenſu maior eſt difficultas: nam videtur, quod ad eliciendum actum ſpei nõ eſt neceſſarium ponere habitum diſtinctum ab habitu fidei, & charitatis.

1. Argum. Primo, quia beatitudo, & eius fruitio eſt proprium obiectum charitatis, ergo poſſumus eam per charitatem ſperare.

2. Argum. ❡ Secundo, poſito hoc iudicio in intellectu, poſſum ſaluari, & in voluntate hoc actu, volo ſaluari, naturaliter ſequitur in nobis ſpes ſalutis conſequendæ, & ad illos primos duos actus ſufficit habitus fidei, & charitatis, ergo non eſt neceſſarium ponere habitum ſpei diſtinctum ab illis. Propter hoc argumentum Ocham quodlibeto. 3. quæſtio. 1. affirmat ad eliciendum actũ ſpei ſufficere habitum fidei, & charitatis.

Concluſio. ❡ His tamen non obſtantibus dico certiſſimum eſſe, quod habitus fidei, & charitatis non ſunt ſufficientes ad eliciendam ſpem, ſed præter illos requiritur nouus & diſtinctus habitus. Probatur. In ſperando eſt diſtincta ratio ab ea, quæ eſt in credendo, & in amando, ergo requiritur diſtinctus habitus. Conſequentia eſt nota, & antecedens probatur. Et primo, quòd in ſperando ſit diſtincta ratio ab ea, quæ eſt in amando, probatur: nam amor fertur in bonum abſolute, nulla habita ratione ardui nec difficilis: ille autem, qui ſperat prius videt bonum eſſe arduum, & difficile, & ex difficultate conſurgit in voluntate quidam timor, atque contractio ad quam ſuperandam requiritur noua, & diſtincta virtus, ergo, &c.

Ad. 1. arg. ❡ Et ad primum argumẽtum reſpondetur concesſo antecedenti negando conſequentiam. Nam fruitio beatitudinis eſt obiectum charitatis quatenus eſt bonum abſolute, ſpei verò quatenus eſt bonum arduum, & ſic eſt diſtincta ratio ſpei & charitatis.

Ad. 2. arg. ❡ Ad ſecundum argumẽtum reſpondetur negando maiorem: Nam quãtumuis aliquis iudicet aliquod bonum eſſe poſſibile, & illud deſideret, ſi tamen cognoſcit id eſſe cum labore, & difficultate conſequendum, non ſtatim ſperat illud: ſed, vt illud ſperare poſsit neceſſum eſt, quod firmetur voluntas per nouum habitum atque virtutem, quæ vincat eam difficultatem: & ità contingit in propoſito.

Dubium. ❡ Sed quæret aliquis hoc loco, verùm talis habitus ſpei ſit neceſſarius ad ſimpliciter ſperandum, vel tantum, vt facilius, atque promptius ſperemus. Nam Durand. in. 3. diſtinctio. 26. quæſtio. 1. tenet, non eſ-

ſe

ſe neceſſarium, vt ſimpliciter, ſed tantum vt facilius ſperemus. In hoc tamen ſit prima concluſio. *1. Concluſio.* Viribus naturæ nullus poteſt ſperare, ſed requiritur ad id ſpeciale auxilium Dei mouentis voluntatem: & contrarium dicere eſt error Pelagij. Hæc concluſio eſt diffinita in Concilio Tridentino ſeſsione ſexta. cap. 7. & canone. 3. vbi dicitur: Si quis dixerit ſine Chriſti inſpiratione: atque eius adiutorio, poſſe hominem credere, ſperare, & diligere, anathema ſit. Et probatur ex pſalmo. 118. vbi dicitur: Memor eſto ſerui tui Domine, in quo mihi ſpem dediſti. Ex quibus verbis Diuus Auguſtinus ſuper illum locum deducit ſpem eſſe in nobis ex ſpeciali auxilio Dei. Item Diuus Paulus ad Roma. 8. dicit, Spe ſalui facti ſumus. Ex quo loco Diuus Ambroſius lib. 5. epiſtolarum cap. 22. tale colligit argumentum: Spes ſaluat nos ſicut fides, & charitas, ergo eſt donum Dei. Item ad Roma. 15. Deus ſpei repleat vos omni gaudio: hoc eſt, Deus autor, & effector ſpei, &. 1. ad Theſſalonicenſ. cap. 2. Deus, & pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui dilexit nos, & dedit nobis conſolationem, & bonam ſpem. Et Eccleſiaſt. cap. 18. dicit de ſe diuina Sapientia: Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & magnitudinis, & ſanctæ ſpei, ergo ſpes eſt in nobis ex ſpeciali Dei auxilio.

2. Concluſio. ¶ Secunda concluſio. Habitus ſpei ſecundum metaphyſicam conſiderationem non eſt neceſſarius ad ſimpliciter ſperandum: volo dicere, quòd non implicat contradictionem, quòd homo ſperet ſine hoc habitu: probatur, quia hæc eſt natura, & ratio habituum, & in quo potiſsimum diſtinguuntur à potentia, quòd potentia eſt vt ſimpliciter poſsimus, habitus verò, vt melius poſsimus, ergò. Item ſecundo. Si habitus ſpei eſſet ſimpliciter neceſſarius, maximè quia actus ſpei eſt ſupernaturalis, & excedens omnes vires naturæ, ſed ad actũ ſupernaturalem ſufficit ſpeciale auxilium Dei ſimul cum potentia, ergo habitus non eſt ſimpliciter neceſſarius. Dico tamen, quòd ſecundum conſiderationem moralem, habitus ſpei dicitur ſimpliciter neceſſarius ad ſperandum. Et ratio eſt: nam ad exercendam operationem moralem ſimpliciter eſt neceſſaria potentia, quæ ſit ipſius operationis principium, & moraliter loquendo habitus ſpei licèt verè ſit habitus induit tamen rationem potentiæ: quia voluntas, quæ ex natura ſua non eſſet idonea ad ſperandum, per habitum ſpei ſit potens & eleuatur ad talem actum exercẽdũ.

¶ Tertia concluſio, quando Durandus dicit habitum ſpei non eſſe ſimpliciter neceſſarium, etiam negat ſpeciale Dei auxilium. *3. Concluſio.* Probatur: nam Durandus loco citato ex eo ſolùm probat habitum non eſſe neceſſarium, quia poſita cognitione fœlicitatis, & illius promiſsione, voluntas noſtra ſatis virium habet ad ſperandum. Sed hæc ratio ſimiliter concludit non eſſe neceſſarium ſpeciale auxilium, ergo illud negat Durandus. Et confirmatur: nam in. 1. diſtinctio. 28. quæſtio. 5. expreſſe dicit non eſſe neceſſarium ſpeciale Dei auxilium ad hoc, vt homo immediate ſe diſponat ad gratiam. Certum eſt autem, quòd diſponitur per ſpem, fidem, & charitatem, ergo ſecundum ſententiam Durandi ad ſperandum non requiritur ſpeciale Dei auxiliũ.

¶ Quarta concluſio. *4. Concluſio.* Sententia Durandi hoc modo explicata, vt verè eſt intelligenda, eſt erronea, & Pelagiana. Hæc concluſio ſequitur ex priori.

¶ Circa id, quod dicit D. Tho. in corpore articuli, ſcilicet, *Dubium.* Vbicunque eſt aliquis actus hominis bonus, neceſſariũ eſt quod correſpondeat alicui virtuti, eſt difficultas, verùm veritas ſit, quod omnis actus bonus ſemper procedit ab aliqua virtute. Et pro parte negatiua argumentor ſic. *1. Argum.* Amor fœlicitatis in communi, eſt actus bonus: & tamen non procedit ab aliqua virtute, ſed ab inclinatione naturali, ergo. ¶ Secundo, *2. Argum.* voluntas temperatè comedendi eſt actus bonus, & tamen in voluntate nulla eſt virtus temperantiæ, quæ ad illum actum inclinet, vt docet D. Tho. 1. 2. quæſtio. 56. art. 6. ergo. ¶ Tertio, ſi homo, qui diu fuit incontinens *3. Argum.* nunc incipiat ſe à voluptatibus venereis continere, primus actus continentiæ, quem elicit eſt bonus, & tamen non procedit à virtute, quia nullam habet tunc comparatam, vt ſupponimus, ergo.

¶ Ad primum argumentum nonnulli reſpondent, *Ad. 1. arg.* quòd dictum D. Thom. non eſt vniuerſaliter intelligendum, ſed tantum de eo actu, qui fit cum plena libertate, & cum aliqua difficultate: proprium enim eſt virtutis operari ex electione, & circa difficile. Vnde cum amor fœlicitatis in cõmuni non ſit omnino liber, ſed tantum quo ad ſpecificationẽ, nec exerceatur cum difficultate, ſed cum maxima facilitate, propter inclina-

inclinationem, quam voluntas habet ad id, fit, vt excludatur ab intelligentia illius dicti. Vel ſecundo reſpondetur, quòd dictum D.Tho. eſt vniuerſaliter verũ ad hunc ſenſum, quòd omnis actus bonus elicitur à virtute, vel ab aliquo, quod ſit maius virtute: quale eſt facultas, & inclinatio naturalis: amor autem felicitatis in communi, etſi nõ ſit à virtute eſt tamen ab inclinatione naturali, quæ maior eſt ipſa virtute.

Ad.2.arg. ¶ Et eodẽ modo reſpondetur ad ſecundum, ſcilicet, quòd voluntas temperatè comedendi partim eſt ab inclinatione naturali voluntatis, & partim ab inclinatione acquiſitæ virtutis exiſtentis in appetitu ſenſitiuo, quæ ſaltim mediatè inclinat voluntatem ad eum actum eliciendum.

Ad.3.arg. ¶ Ad tertium reſpondetur, quòd D.Thom. non dicit, quòd omnis actus bonus procedit à virtute aliqua, ſed quòd omnis actus bonus reſpondet alicui virtuti, quod ſanè verum eſt ſiue eliciatur ille actus à virtute iam præexiſtente, ſiue ſit ille actus via ad virtutem, quæ per illum actum incipiat produci. Et in caſu argumẽti ille primus actus continentiæ correſpondet virtuti, quæ incipit generari, & acquiri. Vel ſortè poterimus ad omnia ſuprà dicta argumenta vno verbo reſpondere dicẽtes, quòd illa propoſitio D. Tho. eſt accipienda iuxta ſubiectam materiam. Et vult dicere, quòd omnis actus bonus ſupernaturalis eſt referendus in aliquam virtutem. Ex quo colligitur, quòd actus ſpei, de quo in præſenti loquitur, cum ſit ſupernaturalis, & bonus ſit referendus in aliquam virtutem, atque ex conſequenti neceſſe eſt, ꝙ ſpes ſit virtus.

Nota circa ſolutionẽ ad 1.D.Tho. ¶ Circa ſolutionẽ ad primum argumentum eſt aduertendum, dupliciter poſſe intelligi, ꝙ aliquis malè vtatur virtute. Vno modo tanquam obiecto, vel malè ſentiendo de virtute, vel illam odio habendo, vel ſumendo ex ipſa occaſionem ſuperbiendi: & iſte malus vſus eſt poſsibilis, cæterum nõ procedit à virtute, ſed ab aliquo vitio. Alio modo quod ipſa virtus ſit principium mali vſus, ità, vt ille actus ſiue malus vſus procedat directè à virtute: & iſte malus vſus non eſt poſsibilis, vt docet D. Auguſtinus libro.2. de libero arbitrio. cap.18. &.19. Et ratio eſt, quia cùm proprium opus virtutis ſit bene vti bonis corporis, & animæ, non eſt poſsibile, quod malus vſus directè eliciatur à virtute. Et hoc modo eſt intelligẽdus D.Tho, quando dicit, ꝙ nullus poteſt malè vti ſpe attingente Deum, ſicut nec virtute morali attingente rationem.

¶ In ſecundo argumẽto adducit D.Tho. teſtimonium Magiſtri ſententiarum in.3. d.26. cuius verba ſunt. Spes & expectatio certa æternæ beatitudinis ex gratia, & meritis proueniens. Et paulò inferiùs, nam ſine meritis aliquid ſperare non eſt ſpes ſed præſumptio dici poteſt. Circa quod eſt difficultas, vtrùm ipſa ſpes ſit, quæ debeat prouenire ex meritis, vel potiùs beatitudo, quę ſperatur. *Dubium.* Ad hoc Durand. in.3. diſt.26.q.1. dicit, quòd ſola beatitudo eſt nobis ſperanda ex meritis, non autem ipſa ſpes. Sed, vt ad hanc difficultatem reſpondeamus, eſt aduertendum, quòd in ſpe tria poſſumus conſiderare, ſcilicet, habitum, actum, & obiectũ.

1.Dictum. ¶ Quo ſuppoſito dico primò, quod habitus ſpei nõ datur nobis ex meritis, ſed infunditur à Deo cum prima gratia gratis, quando homo primo iuſtificatur: & augetur poſt infuſionem ad modũ, quo alij habitus ſupernaturales augentur.

2.Dictum. ¶ Dico ſecũdo quòd actus ſpei formatæ per charitatẽ, & eſt meritorius, & cadit ſub merito: eſt enim medium ordinatum ad vitam æternam: & ſimiliter obiectum ſpei, quod eſt beatitudo, cadit ſub merito. Ex quo fit, vt quantum ad hæc duo bene poſsit dici, ꝙ ſpes eſt ex meritis, vt docet D.Tho. in ſolutione ad ſecundum, & Caietanus ibidem. Quando autem dicitur, quòd beatitudo eſt ex meritis, debet intelligi, vel proprijs, vel alienis: nam illis, qui cum ſola gratia baptiſmali ſeu ſacramentali diſcedunt, datur vita æterna per ſolum meritum Chriſti ſibi in ſacramento applicatum. Et hęc de iſto articulo dicta ſufficiant.

ARTICVLVS II.

¶ *Vtrùm beatitudo æterna ſit obiectum proprium ſpei.*

AD SECVNDVM ſic proceditur. Videtur quòd beatitudo æterna non ſit obiectum propriũ ſpei. Illud enim homo nõ ſperat, quod omnẽ animi ſui motum excedit, cum ſpei actus ſit quidã animi motus. Sed beatitudo excedit omnẽ humani animi motũ dicit enim Apoſt. 1. ad Cor. 2. Quòd in cor hominis nõ aſcẽdit, ergo beatitudo

tudo nō eſt proprium obiectum ſpei.

2 ¶ Præterea, Petitio eſt ſpei interpretatiua, Dicitur enim in Pſal. 36. Reuela domino viā tuam, & ſpera in eo, & ipſa faciet. Sed homo petit licitè à Deo non ſolū beatitudinem æternam, ſed etiam bona præſentis vitæ, tam ſpiritualia, quàm temporalia, & etiam liberationem à malis, quæ in beatitudine æterna non erunt, vt patet in oratione dominica, Matth. 6. ergo beatitudo æterna non eſt proprium obiectum ſpei.

3 ¶ Præterea, ſpei obiectū eſt arduum. Sed in comparatione ad hominē mul ta alia ſunt ardua, quàm beatitudo æterna, ergo beatitudo æterna non eſt proprium obiectum ſpei.

¶ SED CONTRA eſt, quod Apoſtolus ad Heb. 6. dicit, Habemus ſpem incedentem, id eſt, incedere facientem ad interiora velaminis, id eſt, ad beatitudinem cæleſtem, vt gloſ.* ibidem exponit. ergo obiectum ſpei eſt beatitudò æterna. *Ad Heb. 6. Glo. ordinaria ibidem.*

¶ RESPONDEO dicendū, quòd ſicut dictum * eſt, ſpes, de qua loquimur, attingit Deū, innitens eius auxilio ad conſequendum bonum ſperatum. Oportet autem effectū eſſe cauſę proportionatū, & ideo bonum quod propriè & principaliter à Deo ſperare debemus, eſt bonum infinitum, quod proportionatur virtuti Dei adiuuātis. Nam infinitę virtutis eſt proprium ad infinitum bonum perducere, Hoc autem bonum eſt vita ęterna, quę in fruitione ipſius Dei cōſiſtit. Non enim minus aliquid ab eo ſperādum eſt, quàm ſit ipſe, cum nō ſit minor eius bonitas, per quam bona creaturæ communicat, quàm eius eſſentia, & ideo proprium & principale obiectum ſpei eſt beatitudo æterna. *Ar. praeced.*

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd beatitudo æterna perfectè quidem in cor hominis non aſcendit, vt ſcilicet cognoſci poſsit ab homine viatore, quæ, & qualis ſit, ſed ſecundum cōmunē rationem, ſcilicet boni perfecti cadere poteſt in apprehenſionē hominis. Et hoc modo motus ſpei in ipſam conſurgit. Vnde & ſignanter Apoſtolus dicit. Spes incedit vſque ad interiora velaminis: quia id quod ſperamus, eſt nobis quaſi adhuc velatum.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd quęcunque alia bona nō debemus à Deo petere, niſi in ordine ad beatitudinem æternam. Vnde & ſpes quidem principaliter reſpicit beatitudinē ęternam. Alia vero, quæ petuntur à Deo, reſpicit ſecundario in ordine ad beatitudinem ęternam: ſicut & fides principaliter quidem reſpicit Deū, & ſecundario reſpicit ea, quę ad Deum ordinantur, vt ſupra dictum * eſt. *Q. 1. art. 1. & 6.*

¶ Ad tertium dicendū, quòd homini, qui anhelat ad aliquid magnū, paruū videtur omne aliud quod eſt eo minus. Et ideo homini ſperanti beatitudinem æternam, habito reſpectū ad iſtam ſpem, nihil aliud eſt arduū, ſed habito reſpectu ad facultatem ſperantis, poſſunt etiam quædam alia eſſe ardua, & ſecundum hoc eorum poteſt eſſe ſpes in ordine ad principale obiectum.

SVMMA TEXTVS.

Concluſio eſt affirmatiua. Et probatur, Obiectum proprium, & præcipuum ſpei eſt bonum infinitum, ergo eſt beatitudo æterna. Conſequentia patet, & antecedens probatur. Nam à Deo, qui eſt infinitus, & cui innititur ſpes non eſt ſperandum, niſi bonum infinitum: tum quia effectus debet eſſe cauſæ proportionatus: tum etiam, quia non eſt minor eius bonitas, per quam creaturæ bona communicantur, quàm eius virtus.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Circa iſtum articulum eſt aduertēdum, quòd D. Tho. in præſenti tantum loquitur de ea ſpe, quę eſt virtus Theologica, &c

ca, & habet pro obiecto bonum ſupernaturale, vel quod ordinem habet ad ſupernaturale: nam alia ſpes in communi ſumpta fertur in quodcunque bonum, dummodo ſit arduum & difficile. Ex quo infertur nõ pertinere ad ſpem, de qua in præſenti eſt ſermo, ſpectare bona temporalia, etiam ſi illa à Deo ſperemus: ſed tantum bona ſupernaturalia. Dubium. ¶ Cæterum, quia bona ſupernaturalia ſunt in multiplici differentia, dubiũ eſt, vtrum ea omnia poſsint eſſe obiectũ ſpei. In quo ſit prima concluſio. Primum & præ-

1. Concluſio. cipuũ obiectum ſpei eſt bonum ſupernaturale beatitudinis. Probatur ex Paulo ad Roma. cap. 5. dicente: Gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei: & cap. 8. Non ſunt condignæ paſsiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis, nam expectatio creaturæ reuelationem filiorum Dei expectat. Et ad Philip. cap. 1. rurſus dicit: Deus gloriæ det vobis illuminatos oculos cordis veſtri, vt ſciatis quæ ſit ſpes vocationis veſtræ, & quæ diuitiæ gloriæ eius in ſanctis. & ad Titum cap. 1. Secundum agnitionem veritatis, quæ eſt ſecundum veritatem in ſpem vitæ æternæ: ergo ſecundum D. Paulum propriũ, & præcipuum obiectum ſpei eſt æterna beatitudo. Et ratio D. Tho. in hoc articulo eſt efficaciſsima ad idem probãdum. Sed cum ſit duplex beatitudo, vt dicunt Theologi, vna formalis, quę eſt actus videndi Deum, altera obiectiua, quæ eſt Deus, poteſt eſſe dubium quænam iſtarum ſit primum, & præcipuum obiectum ſpei. Ad quod breuiter dico cum Caietano in præſenti, quòd vtraq; beatitudo eſt primum, & immediatum obiectum ſpei. Nec ex hoc ſequitur, ꝙ ſpes habeat duo obiecta prima & principalia. Nam ſicut, qui appetit bibere vinum non appetit bibere ſolum, nec vinum ſolũ, ſed vtrunq;, nec appetit duas res: ita etiam ſpes fertur in hoc vnum, & ſimplex, quod eſt videre Deum, quod vnum comprehendit viſionem atque Deum tanquam vnum primum, & principale ſpei obiectum.

2. Concluſio. ¶ Secunda cõcluſio. Bona ſupernaturalia, vt auxilium gratię, & virtutum, quibus homo tanquam medijs neceſſarijs perducitur ad vitam ęternam, etiam cadunt ſub obiecto ſpei. Probatur ex Paulo ad Hebræos. 4. dicente: Adeamus cum fiducia ad Thronũ gratiæ ipſius, vt miſericordiã conſequamur; & gratiã inueniamus, &c. Fiducia autem eſt certa ſpes. Item Pſalmo. 90. dicitur: Quia in me ſperauit liberabo eum, & oſtẽdam illi ſalutare meum.

¶ Tertia concluſio, Quodcunq; donum ſupernaturale, etiam ſi illud directe non ſit neceſſarium ad ſalutem conſequendam, videtur ſpectare ad obiectum ſpei. Probatur ex Paulo ad Roma. 4. vbi de Abraham dicit, quod in ſpem contra ſpem credidit, ad ſignificãdum, ꝙ ſperabat ex Iſaac, quẽ immolaturus erat, accepturũ ſe filios: & tamẽ hoc nõ erat beatitudo ęterna, nec aliquid directe pertinens ad conſequutionem illius, 3. Concluſio.

¶ Quarta concluſio, Ad hanc virtutẽ ſpectat ſperare gloriam non ſolum animæ, ſed etiam corporis, quæ eſt accidentaria quædã felicitas. Et probatur ex Paulo ad Roma. 8. dicente: Nos primitias ſpiritus habẽtes expectamus adoptionem filiorum Dei redẽptionem corporis noſtri. Et ratio harũ omnium concluſionũ eſt manifeſta: nam omnia iſta bona habent rationem ardui, atque difficilis ſupernaturalis. Eſt tamen aduertẽdum, ꝙ omnia bona præter æternam beatitudinem ſecũdariò pertinent ad ſpem, beatitudo autem primariò, vt docet D. Auguſtinus in Enchiridio c. 114. & D. Tho. hic in ſolutione ad ſecundũ vbi dicit, quod ſpes principaliter reſpicit beatitudinem, alia vero ſecundario in ordine ad beatitudinem æternam. Si quis autem quærat, vtrum bona temporalia poſsint aliqua ratione cadere ſub obiecto ſpei, dico, ꝙ bona temporalia poſſunt dupliciter conſiderari: vno modo abſolute, & ſecundum ſe, alio modo inquantum ſunt materia virtutum exercendarum. Et quidem ſi conſiderentur iſto ſecundo modo, pertinent ad obiectum ſpei: nam per ea iſto modo conſiderata ordinamur in vitam ęternam: & hac de cauſa licite petuntur in oratione, quæ eſt ſpei interpretatiua. Cęterum ſi conſiderentur primo modo, non pertinent ad obiectũ ſpei: quia, vt ſic nõ ſunt bona ſolida, nec ſupernaturalia ſed futilia, ac parui momẽti, & quę interdũ poſſunt nobis eſſe noxia. Ex quo fit, vt nõ ſint à Deo determinatè petenda, ſed ſub cõditione, vt docet D. Tho. infra. q. 85. ar. 5. 4. Concluſio. Nota.

¶ Sed contra primam concluſionem eſt argumentum. Obiectum ſpei debet eſſe bonum futurum, vt docuit D. Tho. articulo præcedenti & 1. 2. q. 40. art. 1. & D. Auguſtinus in Enchiridio c. 8. & Ariſto. in libro de memoria, & reminiſcentia: ſed beatitudo obiectiua, quæ eſt Deus nõ eſt bonum futurum, cum ſit æternum, nec in æternitate

ſit

ſit futurum, aut prçteritum, ergo Deus non poteſt eſſe obiectum ſpei. Ad hoc argumẽtum reſpondet D. Tho. in. 3. d. 26. in expoſitione literæ Magiſtri, quòd licet Deus in ſe nõ ſit futurus, eſt tamẽ futurus ſperanti: quod ſatis eſt ad hoc, vt verè ſit obiectum ſpei. Quinpotiùs dicit, ꝙ ad hoc, vt aliquod bonũ ſit obiectum ſpei nõ eſt neceſſarium quod ſit futurum ſperãti (præſcitus enim, qui nunquam eſt conſecuturus vitam æternam, poteſt ſperare illam) ſed ſufficit quòd ſit futurum ſecundum æſtimationem ſperantis: quod in noſtro propoſito contingit.

Solutio.

ARTICVLVS III.

¶ Vtrùm aliquis poßit ſperare alteri beatitudinem æternam.

3. q. 7. ar. 4. ad. 3. & 3. di. 26. in. fi. expo. lib. & ve. q. 4. a. 4. cor.

AD TERTIVM ſic proceditur. Videtur ꝙ aliquis poſsit ſperare alteri beatitudinem æternam. Dicit enim Apoſtolus Philippenſium primo. Confidens hoc ipſum, quia qui cœpit in vobis opus bonũ, perficiet vſque in diẽ Chriſti Ieſu. Perfectio autẽ illius diei, erit beatitudo æterna. ergo aliquis poteſt alteri ſperare beatitudinem æternam.

2 ¶ Præterea, ea quæ à Deo petimus, ſperamus obtinere ab eo, ſed à Deo petimus quòd alios ad beatitudinẽ æternam perducat, ſecundum illud Iacobi vlt. Orate pro inuicem, vt ſaluemini. ergo poſſumus alijs ſperare beatitudinem æternam.

3 ¶ Præterea, ſpes & deſperatio ſunt de eodem, ſed aliquis poteſt deſperare de beatitudine æterna alicuius, alioquin fruſtra diceret* Auguſtinus in libro de Verbis Dñi, de nemine eſſe deſperandum, dum viuit, ergo etiam poteſt ſperare aliquis alteri vitã æternã.

Ser. 11. poſt med. to. 10.

¶ SED CONTRA eſt, ꝙ Augu. dicit* in Enchiridio, quòd ſpes non eſt niſi rerum ad Deum pertinẽtium, qui curam eorum, qui ſpem habẽt, gerere perhibetur.

Enchiridij. 8. c. to. 3.

¶ RESPONDEO dicendum, ꝙ ſpes poteſt eſſe alicui⁹ dupliciter. Vno modo abſolutè, & ſic eſt ſolius boni ardui ad ſe pertinentis. Alio modo ex præſuppoſitione alterius, & ſic poteſt eſſe etiam eorum, quæ ad alium pertinent. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quòd amor & ſpes in hoc differũt, quòd amor importat quandam vnionem amantis ad amatum: ſpes autem importat quendam motum ſiuè propenſionem appetitus in aliquod bonum arduum: vnio autem eſt aliquorum diſtinctorum, & ideo amor directè poteſt reſpicere alium, quem ſibi aliquis vnit per amorem, habens eum ſicut ſeipſum. Motus autẽ ſemper eſt ad proprium terminum proportionatum mobili, & ideo ſpes directè reſpicit ꝓprium bonum, nõ autem quod ad alium pertinet. Sed prçſuppoſita vnione amoris ad alterum, iam aliquis poteſt ſperare, & deſiderare alteri vitam æternam, inquantum eſt ei vnitus per amorem. Et ſicut eſt eadem virtus charitatis, qua quis diligit Deum, ſeipſum, & proximũ, ita etiã eſt eadẽ virtus ſpei, qua quis ſperat ſibiipſi & alij. ¶ Et ꝑ hoc patet reſponſio ad obiecta.

SVMMA TEXTVS.

AD hanc difficultatẽ reſpondet D. Th. per tres propoſitiones. Prima concluſio, Propriè loquẽdo nullus ſperat, niſi propriam beatitudinem. ¶ Secunda cõcluſio, Suppoſito, quod alterum diligas bene potes eidem beatitudinem ſperare. Vtranque concluſionem probat ſimul D. Th. ex differentia, quæ eſt inter amorẽ, & ſpem: nam amor importat vnionem amantis ad amatum, ſpes verò motum ſiue propenſionem appetitus in aliquod bonũ arduum, & difficile. Certum eſt autem, quòd vnio eſt aliquorum diſtinctorũ, & ſic directè poteſt reſpicere alterum inquantum illum ſibi vnit per amorem: motus verò ſemper eſt ad proprium terminum. Ex quo ſequitur quod ſpes directè ſemper reſpicit propriam beatitudinẽ, indirectè autem reſpicit alienam, inquãtum ille talis eſt alteri vnitus per charitatem. ¶ Tertia cõcluſio, Vna virtus ſpei ſufficit ad vtrumq;, ſcilicet, ad ſperandum ſibi & alijs fœlicitatẽ. Probatur, Nam ſufficit eadem charitas ad diligendum Deum & proximum, ergo.

EXPLICATIO ARTICVLI.

DE prima concluſione huius articuli nulla eſt difficultas: nam ſupra oſtẽdimus proprium obiectum ſpei eſſe propriã beatitudinem. Secunda autem etiam eſt certa, vt conſtat ex Paulo. 2. ad Corinth. cap. 1. dicẽte: Spes noſtra firma eſt pro vobis, ſciẽtes, quòd ſicut ſocij paſsionum eſtis, ità & conſolationis eritis: & ad Philip. cap. 1. Cõfidentes hoc ipſum, quia qui incepit in vobis bonum opus ipſe perficiet vſque in diẽ Chriſti Ieſu. Ex quibus verbis apertè colligitur Paulum ſperaſſe aliorum beatitudinem. ¶ Cęterum contra tertiam concluſionem eſt argumentum. Beati in patria non habent virtutem ſpei, vt docet D. Tho. 1. 2. q. 67. art. 4. & 2. 2. q. 18. art. 2. ad. 3. & tamen beati ſperant beatitudinem amicis in hac vita degentibus, quos ſciunt eſſe ſaluãdos, ergo non pertinet ad eandem virtutem ſperare ſibi, & alijs beatitudinem. ¶ Ad hoc argumentum reſpondetur, quòd quãuis beati in patria non egeant virtute ſpei ad ſperandum alijs beatitudinem, non tamen inde infertur quòd in hac vita non ſit ad id neceſſaria. Et ratio eſt: nam cùm ſperare ſibi & alijs beatitudinem in hac vita, ſit bonum arduum, atq; difficile, cadit ſub obiecto ſpei: at verò in patria nulla eſt difficultas in ſperanda aliorum ſalute: quapropter ille actus non ad ſpem, ſed ad charitatem eſt referendus.

Argumentum contra tertiam conclusionẽ D. Tho.

Solutio.

ARTICVLVS IIII.

¶ *Vtrum aliquis poſsit licite ſperare in homine.*

In q. 25. art. 1. ad. 3. & 4. cõtra c. 8.

AD QVARTVM ſic proceditur. Videtur quod aliquis poſsit licitè ſperare in homine. Spei enim obiectum eſt beatitudo æterna, ſed ad beatitudinem æternam conſequendam adiuuamur patrocinijs ſanctorũ. Dicit enim Grego. • in. 1. Dialo. quod prædeſtinatio iuuatur precibus ſanctorum, ergo aliquis poteſt in homine ſperare.

Lib. 1. Dial. c. 8. à med. & habetur 23. q. 4. c. Obtineri.

2 ¶ Præterea, Si non poteſt aliquis ſperare in homine, non eſſet reputãdum alicui in vitium, quòd in eo aliquis ſperare non poſsit: ſed hoc de quibuſdam in vitium dicitur, vt patet Iere. 9. Vnuſquiſque à proximo ſuo ſe cuſtodiat, & in omni fratre ſuo non habeat fiduciã, ergo licite poteſt aliquis ſperare in homine.

3 ¶ Præterea, Petitio eſt interpretatiua ſpei, ſicut dictum • eſt. Sed licite poteſt homo aliquid petere ab homine. Ergo licite poteſt ſperare de eo.

Ar. 2. huius q. arg. 2.

¶ SED contra eſt, quod dicitur Iere. 17. Maledictus homo qui confidit in homine.

¶ RESPONDEO dicendum, quod ſpes, ſicut dictum • eſt, duo reſpicit, ſcilicet, bonum quod obtinere intendit, & auxilium, per quod illud bonum obtinetur. Bonum autẽ quod aliquis ſperat obtinendum, habet rationem cauſæ finalis, auxiliũ autem, per quod aliquis ſperat illud bonum obtinere, habet rationem cauſæ efficientis. In genere autem vtriuſq; cauſæ inuenitur principale & ſecundarium. Principalis enim finis eſt finis vltimus, ſecundarius autem finis eſt bonum, quod eſt ad finem. Similiter principalis cauſa agens eſt primum agens. Secundaria verò cauſa efficiens eſt agens ſecundarium inſtrumẽtale. Spes autem reſpicit beatitudinem æternam ſicut finem vltimũ, diuinum autẽ auxiliũ, ſicut primam cauſam inducentem ad beatitudinem. Sicut ergo non licet ſperare aliquod bonum præter beatitudinem, ſicut vltimum finem, ſed ſolum ſicut id quod eſt ad finem beatitudinis ordinatum, ita etiam non licet ſperare de aliquo homine, vel de aliqua creatura, ſicut de prima cauſa mouente in beatitudinem. Licet autem ſperare de aliquo homine vel de aliqua creatura, ſicut de agente ſecundario & inſtrumentali, per quod aliquis adiuuatur ad quæcunque bona conſequenda in beatitudinẽ ordinata. Et hoc modo ad ſanctos conuertimur, & ab hominibus etiam aliqua petimus, & vituperantur illi, de quibus

Ar. 1. huius q. & 1. 2. q. 40. a. 7. & q. 42. ar. 1.

busaliquis confidere non poteſt, ad auxilium ferendum.

¶Et per hoc patet reſponſio ad obie-ēta.

SVMMA TEXTVS.

PRima concluſio, Non eſt licitum ſperare in homine, tãquam in prima, & præcipua cauſa beatitudinis. ℭ Secũda concluſio, Licitum eſt ſperare in homine, vel in Angelo tanquam in cauſa ſecũdaria, & inſtrumentali adiuuãte ad beatitudinem conſequendam. Has duas concluſiones probat ſimul D. Tho. Et ad id ſupponit, quod ſpes reſpicit duo, ſcilicet, bonum, quod intendit obtinere, & auxilium, per quod illud eſt obtinẽdum. Primum habet rationem finis, ſecundum autem habet rationem cauſę efficientis. Et certum eſt, ꝙ in vtroq; inuenitur principale, & ſecundarium. Finis principalis eſt finis vltimus: finis ſecũdarius eſt bonum, quod eſt ad finem. Et ſimiliter cauſa principalis eſt primum agens: cauſa verò ſecundaria eſt agens ſecũdarium, vel inſtrumentale. Hoc ſuppoſito probãtur poſitæ concluſiones. Sicut ſpes reſpicit beatitudinem æternam ſicut vltimum finem, ità etiam reſpicit diuinum auxilium, ſicut primam cauſam: ſed nõ licèt ſperare aliud bonũ, præter beatitudinem, ſicut vltimũ finẽ, ſed ſolùm ſicut id, quod eſt ad finẽ beatitudinis ordinatũ, ergo nec etiam licet ſperare de aliqua creatura, ſicut de agenti principali, bene tamen ſicut de agente ſecundario, & inſtrumentali, per quod aliquis adiuuatur ad beatitudinem conſequendam. Et hoc modo conuertimur ad ſanctos, & ipſos oramus.

EXPLICATIO ARTICVLI.

IN hoc articulo duo extremi errores coarguuntur. Primus eſt Lutheranorũ impiè aſſerentium, nulla ratione diuis eſſe fidendum, nec eſſe eos à nobis interpellandos: cuius diſputationis proprius locus pertinet ad 2.2.q.83.artic.4. & ad additiones in.3.part. quæſt.72.artic.2. Alter Pelagianorum, qui omnia ſuis viribus tribuebant, exiſtimantes ſe, nec egere diuino auxilio, nec ſanctorum ope: cuius erroris impugnatio propriè pertinet ad 1.2.quæſt.109.art.5 6.&.7. & ad primam partem.q.23.art.9. quo loco D. Tho. docet qualiter prædeſtinatio hominum iuuari poſsit precibus ſanctorum. De hac re vidẽdus eſt Caſtro verbo, ſancti, hæreſi prima & frater Didacus à Stuniga Auguſtinianus, lib.2. de vera religione. capite.18.

ARTICVLVS V.

ℭ Vtrùm ſpes ſit virtus theologica.

AD QVINTVM ſic proceditur. Videtur quòd ſpes non 3.d.26.q.2.
ſit virtus theologica. Virtus em̃ theo- a.2.& ver.
logica eſt, quæ habet Deum pro obie- q.4.a.1.ad.
cto. Sed ſpes non habet ſolum Deum 6.&.7.&
pro obiecto, ſed etiam alia bona, quę à d.2.cor.&
Deo obtinere ſperamus, ergo ſpes nõ ad.15.&.
eſt virtus theologica. 16.

2 ¶Præterea, virtus theologica non conſiſtit in medio duorum vitiorum,
vt ſuprà habitum*eſt. Sed ſpes cõſiſtit 1.2.q.64.a.
in medio pręſumptionis & deſperationis. 4.
Ergo ſpes non eſt virt᷒ theologica.

3 ¶Præterea, Expectatio pertinet ad longanimitatem, quę eſt ſpecies fortitudinis. Cum ergo ſpes ſit quædam expectatio, videtur quòd ſpes nõ ſit virtus theologica, ſed moralis.

4 ¶Præterea, Obiectũ ſpei eſt arduũ, ſed tendere in arduum pertinet ad magnanimitatem, quæ eſt virtus moralis. Ergo ſpes eſt virtus moralis & non theologica.

¶SED CONTRA eſt, ꝙ primæ ad Corinth. 13. connumeratur ſpes fidei & charitati, quæ ſunt virtutes theologicæ.

¶RESPONDEO dicendum, ꝙ cum differentiæ ſpecificæ per ſe diuidant genus, oportet attẽdere vnde habeat ſpes rationem virtutis, ad hoc vt ſciamus ſub qua differẽtia virtutis col-
locetur. Dictum eſt autem *ſupra, ꝙ A.1.&.4.
ſpes habet rationem virtutis, ex hoc huius.q.
quod attingit ſupremam regulam humanorum actuum, quam attingit, & ſicut primam cauſam efficientem, inquãtum eius auxilio innititur, & ſicut vltimam cauſam finalem, in quantum in eius fruitione beatitudinẽ expectat.

Et ſic patet, quod ſpei, inquantum eſt virtus, principale eius obiectum eſt Deus. Cum ergo in hoc cōſiſtat ratio virtutis theologicæ, ꝙ Deum habeat pro obiecto, ſicut ſupra dictū eſt, manifeſtum eſt quòd ſpes eſt virtus theologica. *1.2.q.62.a.1.*

¶ AD PRIMVM ergo dicēdum, quod quæcunque alia ſpes adipiſci expectat, ſperat in ordine ad Deū, ſicut ad vltimum finē, vel ſicut ad primam cauſam efficientem; vt dictum eſt. *Ar. præced. & a.2.*

¶ Ad ſecundum dicēdum, quòd medium accipitur in regulatis, & menſuratis, ſecundum quod regula vel menſura attingitur, ſecūdum autem quod exceditur regula, eſt ſuperfluū, ſecundum autem defectum à regula, eſt diminutum. In ipſa autē regula, vel menſura, nō eſt accipere medium & extrema. Virtus autem moralis eſt circa ea, quę regulantur ratione, ſicut circa obiectum proprium, & ideo per ſe cōuenit ei eſſe in medio ex parte proprij obiecti. Sed virtus theologica eſt circa ipſam regulam primā, non regulatam alia regula, ſicut circa proprium obiectum, & ideo per ſe & ſecundum proprium obiectum nō conuenit virtuti theologicæ eſſe in medio. Sed poteſt ſibi competere per accidens, ratione eius, quod ordinatur ad principale obiectum, ſicut fides non poteſt habere medium & extrema in hoc, quod innitatur primæ veritati, cui nullus poteſt nimis inniti, ſed ex parte eorū, quæ credit, poteſt habere mediū & extrema, ſicut vnum verum eſt medium inter duo falſa. Et ſimiliter ſpes non habet medium, & extrema ex parte principalis obiecti, quia diuino auxilio nullus poteſt nimis inniti, ſed quātum ad ea, quæ cōfidit aliquis ſe adepturum, poteſt ibi eſſe medium & extrema, inquantum vel præſumit ea, quæ ſunt ſupra ſuam proportionem, vel deſperat de his quæ ſunt ſibi proportionata.

¶ Ad tertium dicendum, quòd expectatio quę ponitur in diffinitione ſpei, non importat dilationem, ſicut expectatio, quę pertinet ad lōganimitatem ſed importat reſpectum ad auxilium diuinum, ſiue id quod ſperatur differatur, ſiue non differatur.

¶ Ad quartum dicendum, quod magnanimitas tendit in arduum, ſperans aliquid quod eſt ſuæ poteſtatis: Vnde propriè reſpicit operationem aliquorum magnorum. Sed ſpes, ſecundum quod eſt virtus theologica, reſpicit arduum alterius auxilio aſſequendum, vt dictum eſt.

SVMMA TEXTVS.

Ar. 1. huius quæſt.

CONcluſio eſt affirmatiua. Probatur, De ratione virtutis theologicæ eſt, ꝙ habeat Deum pro obiecto: ſed ſpes habet Deum pro obiecto, tam in genere cauſę efficientis, quàm in genere cauſę finalis, ergo ſpes eſt virtus theologica.

EXPLICATIO ARTICVLI.

IN hoc articulo, vt certa ab incertis ſeparemus, dico primò certum eſſe, & ab omnibus conceſſum, quod ſpes eſt virtus theologica. Secūdò etiam eſt certū, quòd virtutes theologicę diſtinguūtur à moralibus in eo, quod virtutes theologicæ habent Deū pro obiecto, morales verò non Deū, ſed res, in quibus moderādis, aut regendis verſantur. Itaque hæc certa ſunt. ℭ Sed dubiū eſt, vtrùm ad hoc, vt aliqua virtus ſit theologica ſit neceſſarium, quòd habeat Deum pro obiecto immediato, vel potiùs ſufficiat, ꝙ illum habeat pro obiecto principali, quamuis non ſit immediatum, ſed mediatum. *Dubium.* Et quod hoc vltimū ſufficiat probatur primò Spes eſt virtus theologica, vt omnes conceduut, & tamen habet Deum pro obiecto mediato, ergo id ſufficit. *1. Argum.* Conſequētia cum maiori eſt nota, & minor ꝓbatur. Spes pertinet ad amorem cōcupiſcentiæ, ſed Deus non eſt obiectum immediatum huius amoris, quia res, quæ amantur amore concupiſcentiæ non amantur propter ſe, impium eſt autem Deum non propter ſe amare: vt docet D. Aug. in lib. de doctrina Chriſtiana. c. 3. & 4. ergo Deus nō eſt immediatum obiectum ſpei. ℭ Secundò, Idem eſt obiectum

ctum gaudij in patria, & ſpei in via, & tantum differunt in eo, quod gaudium eſt de obiecto præſenti, ſpes verò eſt de obiecto futuro: nam id nunc conſequi ſperamus quo conſequuto afficimur gaudio, & voluptate: ſed obiectum gaudij non eſt aliquod bonum extra nos poſitum, ſed ipſa beatitudo formalis in nobis exiſtens, quæ eſt quid creatum, ergo obiectum ſpei ſimiliter eſt aliquid in nobis exiſtẽs, quod ſit creatum: atque ex conſequenti Deus non eſt obiectum immediatum ſpei. ℭ Tertiò ſic argumentor,

3. *Argum.* Obiectum timoris non eſt Deus, ſed malum, quo poteſt nos Deus aſficere, ergo obiectum ſpei non eſt Deus, ſed bonum, quod poteſt in nobis efficere. Antecedens eſt manifeſtum, & conſequentia probatur: nam oppoſitorum eadem eſt ratio: ſed timor opponitur ſpei, ergo. Propter hęc argumenta Durandus in. 3. diſt. 26. q. 2. dicit, quod Deus non eſt immediatum obiectum ſpei: nec hoc requiritur ad hoc, vt aliqua virtus ſit theologica: ſed quod eſt obiectum principale, quod ſatis eſſe dicit ad rationem virtutis theologicæ. Et quidem D. Tho. in hoc articulo de hoc nihil dicit, ſed tãtum affirmat Deum eſſe obiectum principale ſpei: vtrùm autem ſit mediatum necne, nihil declarat.

1. *Concluſio.* ℭ In hoc tamẽ ſit prima concluſio. Non eſt virtus theologica, quæ nõ habet Deum pro obiecto immediato. Hæc eſt communis theologorum ſententia, quam tenet Caietanus hic, & D. Tho. quæſt. 1. de virtutibus, artic. 11. Et probatur: nam alias ſequeretur, quòd theologia, & religio, & timor Dei, eſſent virtutes theologicæ: cum ſaltim mediatè verſentur circa Deum: cõſequens autem eſt falſum: nam ſic eſſent plures virtutes theologicæ, quam tres, quod eſt cõtra D. Paulum. 1. ad Corin. capi. 13. dicentem: Nunc autem manent tria hæc, fides, ſpes, charitas. &c. & contra communem ſenſum Eccleſiæ, quæ tantum ponit tres virtutes theologicas, ergo.

2. *Concluſio.* ℭ Secunda cõcluſio, Spes habet Deum pro obiecto, non ſolùm præcipuo, ſed immediato. Hæc concluſio ſequitur ex dictis. Nam ſi ſpes eſt virtus theologica, vt omnes ſancti & doctores fatentur, & ad rationem virtutis theologicæ non ſufficit, quòd habeat Deum prò obiecto principali, ſed requiritur, quod habeat illum pro obiecto immediato: manifeſte ſequitur, quòd ſpes habet Deum pro obiecto non ſolum principali, ſed immediato. Cęterum, vt hoc perfectius intelligatur, aduertendum eſt primo ex D. Thom. in præſenti, quòd ſpes duppliciter poteſt ad Deum comparari: vno modo tanquam ad primam cauſam efficientẽ, cuius auxilio nititur conſequi quod ſperat: alio modo tanquam ad cauſam finalem, quæ eſt ſummum bonum, quod conſequi ſperamus. Et quidem, quod ſpes tendat immediate in Deum tanquam in primam cauſam efficientem, certum eſt & ab omnibus conceſſum, nec hoc negat Durandus. Vtrùm autẽ etiam feratur immediate in Deum tanquam in vltimum finem, & bonum, quòd ſperatur, varietate opinionum diſputatur à doctoribus. Inter quas ea eſt probabilior, quę aſſerit ſpem immediate tendere in Deum, non ſolum tanquam in primam cauſam efficientem, ſed etiam tanquam in vltimum finem. Quod, vt probemus ſupponendum eſt ſecundò, quòd quamuis finis, & conſequutio finis, ſcilicet; Deus, & viſio Dei ſint duæ res diſtinctæ, tamen propriè loquendo non ſunt duo fines, nec duo obiecta, ſed vnum tantum. *Res & conſequutio rei non ſunt duo fines ſed vnus.* Qui enim deſiderat videre Deum, nihil aliud deſiderat, quàm Deum viſum, & qui deſiderat pecunias, nihil aliud deſiderat, quàm pecunias poſſeſſas: nec hęc ſunt duo, ſed vnus finis. Hoc ſuppoſito probatur concluſio. Spes fertur immediate in finis vltimi conſequutionem, ſcilicet, in futuram fœlicitatem: ſed finis vltimus, putà Deus, & eius conſequutio, ſunt vnus finis, ergo ſpes immediate tendit in Deum. Ex dictis infertur, quòd quãdo dicimus, ſpem immediate reſpicere beatitudinem, nomine beatitudinis non ſolum intelligimus beatitudinem obiectiuam, qualis eſt Deus, ſed etiam formalem, qualis eſt viſio: cum idem ſint finis & poſſeſſio finis, vt iã explicuimus.

ℭ Sed, vt ad argumenta in contrarium facta reſpondeamus, aduertendũ eſt primò ex Caietano in præſenti, quòd res, quæ ſubiecto eſt ab altera diſtincta, ſecundum bonitatem, quam habet in ſe ipſa, poteſt eſſe proprium bonũ alterius. *Nota. 1. pro ſolutione argumentorũ.* Vt, verbi gratia, vinũ, quod eſt ab homine diſtinctum ſubiecto, ſecundum bonitatem, quam habet in ſe ipſo poteſt eſſe proprium bonum hominis. Et ratio eſt manifeſta. Nam cum bonum, & finis idem ſint, & res, quę ſubiecto eſt ab homine diſtincta ſecundum bonitatem, quam habet in ſe, ſit proprius finis hominis, manifeſte ſequitur, quod etiam

erit bonum proprium illius.

Nota. 2. ¶ Secundò eſt aduertendum, quòd bonum ab homine diſtinctũ poteſt eſſe in illo obiectum amoris concupiſcentiæ. Et ratio eſt, quia cum vnuſquiſque ſibi concupiſcat id quod iudicat eſſe proprium bonum, & bonũ ſubiecto ab homine diſtinctum, accidat, quòd ſit bonum proprium illius, vt ſtatim dicebam, ſit, vt poſsit homo illud ſibi cõcupiſcere: atq; ex conſequenti tunc bonũ ab homine ſubiecto diſtinctum erit obiectum amoris concupiſcentiæ.

Nota. 3. ¶ Tertiò eſt aduertendum, quòd de ratione amoris concupiſcentię, non eſt, quod id, quod concupiſcitur, ordinetur tanquam in finem in illum, cui concupiſcitur, ſed ſatis eſt, ꝙ ſit volitum alteri, vt docet D. Tho. 1.2. quæſt. 26. artic. 4. &. 1. part. quæſt. 60. artic. 3. Quod & iſto exemplo fit manifeſtum. Nam certum eſt, quod cum volumus proximo beatitudinẽ, amamus illam amore concupiſcentiæ, (concupiſcimus enim eam proximo) & tamen non ordinamus beatitudinem in proximum tanquam medium in finem, ſed potiùs id volumus, ſcilicet, quod proximus ordinetur in ſuum finem, qui eſt beatitudo. Item, Pater æternus voluit nobis filium ſuum, id eſt, cõcupiuit illum nobis: & tamẽ certum eſt, quod non ordinauit filium ſuum in nos tanquam in finem. Et ſic conſtat non eſſe neceſſarium, quòd id, quod amatur amore concupiſcentiæ, ordinetur tanquam in finem in illum, cui concupiſcitur: quanuis id aliquãdo contingat, vt cum volo cibum amico: ſed ſatis

Regula. eſt quod ſit volitum alteri. Ex quo poſſumus colligere regulam bimembrem. Quòd quando id, quod amatur amore concupiſcentiæ eſt ordinabile, tanquam in finem, in illum cui concupiſcitur, tunc non ſolum amatur illi, ſed amatur propter eum: vt contingit in cibo reſpectu amici. Quando verò id, quod amatur amore cõcupiſcentiæ non eſt ordinabile in eum, cui cõcupiſcitur, tanquam in finem, tunc non amatur propter eum, ſed ſolum amatur illi, vt contingit in beatitudine reſpectu proximi.

Nota vltimo ¶ Vltimò eſt aduertendum, quòd, ſicut in cauſa efficienti, verbi gratia, in igne poſſumus tria conſiderare. Primum eſt forma, quæ eſt illi ratio agẽdi, ſcilicet, calor. Secundum eſt ipſa actio, ſcilicet, calefactio, Tertium eſt effectus, ſcilicet, calor per actionem productus: ita etiã in cauſa finali poſſunt totidem conſiderari. Verbi gratia, in vino primũ eſt forma, qua finalizat, id eſt trahit ad ſe voluntatem, & hæc eſt contemperatio qualitatum apta ad extinguendam ſitim. Secundum eſt ipſa finalizatio. Tertium verò effectus conſequens, qui eſt ſitis extinctio. Et ſicut ignis dicitur verè cauſa immediata caloris, quẽ producit in ligno, quanuis mediet, & forma, per quam agit, & actio ipſa, quia iſtæ ſunt conditiones neceſſario requiſitæ ad producendum calorem, neque eſt aliud agens medium: ita etiam bonum, quod eſt ab homine ſubiecto diſtinctum, erit immediatus finis illius, quanuis mediet, & ratio, qua finalizat, id eſt, allicit voluntatem, & actio finalizandi, id eſt, ipſum allicere actuale: quia iſtæ ſunt conditiones neceſſariò requiſitæ, nec mediat alius finis.

¶ His ſuppoſitis ad primum argumentum reſpondetur conceſſa maiori, negando minorem. Et ad probationem dico, quòd ſpes eſt quidam puriſsimus actus concupiſcentiæ, quo Deum amamus, non propter nos, quia Deus ſecundum ſe non eſt ordinabilis ad nos tanquam ad finem, ſed amamus illum nobis, quod eſt ordinare nos ipſos ad eum, vt ad vltimum finem, & ſummum bonum, cuius viſione ac fruitione tandem beati ſumus futuri. Nec hoc dicit D. Auguſtinus eſſe impium, ſed tantum amare Deum propter aliud tanquam propter finem. ¶ Ad ſecundum reſpondetur conceſſa maiori, negãdo minorem. Falſum eſt enim, quod obiectum gaudij nõ poſsit eſſe bonum extra nos poſitum, quale eſt Deus, vt docet Caietanus in hoc articulo. Quia cum obiectum gaudij ſit bonum proprium, quod interdum poteſt eſſe ſubiecto diſtinctum ab eo, cuius eſt bonum, vt patet in vino, quod ſecundum bonitatem, quam habet in ſe eſt bonum proprium ebrij, manifeſtè ſequitur, quod obiectum gaudij etiam poteſt eſſe bonum externum. ¶ Ad tertium reſpondetur, quod timor vtrumq; habet pro obiecto, ſcilicet, Deum, & malum, quod Deus infert peccatori: tamẽ hæc duo pro eodem obiecto computãtur. Nam qui Deum timet nihil aliud timet, quam Deum mali effectorem, vel malum quatenus à Deo proficiſcitur, quod idem eſt: & idem contingit in ſpe: ex hoc tamen non ſequitur, quod timor habeat Deum pro obiecto immediato, vt dicemus infra quæſt. 19. artic. 1. *Ad. 1. arg.* *Ad. 2. argu.* *Ad. 3. argu.*

¶ Circa id, quod dicit D. Thom. in hoc artic. *Dubium.*

arti [illegible] ſ[illegible]et. Ratio virtutis theologicæ conſiſtit in hoc, quod habeat Deum pro

1. Argum. obiecto eſt difficultas, vt verum ſit. Et probatur argumentum. Theologia noſtra habet Deum pro obiecto, vt docet D.Thom. 1. part. quæſt. 1. artic. 7. & tamen non eſt virtus theologica, quia ſic eſſent quatuor virtutes theologicæ, ergo ratio virtutis theologicæ non conſiſtit in hoc,

2. Argum. vt habeat Deum pro obiecto. ℭ Secundo, Si ratio virtutis theologicæ conſiſteret in eo, quod habeat Deum pro obiecto, ſequeretur, quod fides, ſpes, & charitas acquiſitæ eſſent virtutes theologicæ, conſequens autem eſt abſurdum, cum iſtæ virtutes non cõnumerentur à doctoribus inter theologicas, ergo. Probo ſequelam: quia fides, ſpes, & charitas acquiſitæ etiam habent Deum pro obiecto.

ℭ His tamen non obſtantibus dico, ꝙ ſententia D. Thom. eſt vera, quam, & tenent communiter omnes theologi, vt ſupra diximus. Et ad primum argumentum reſpondetur cum Caietano in præſenti, ꝙ theologia noſtra in duobus deficit à ratio-

Ad. 1. arg. ne virtutis theologicæ. Primum eſt, quòd cum non ſit virtus non poteſt eſſe virtus theologica: ſicut, & quod non eſt animal non poteſt eſſe homo. Quod autem theologia noſtra non ſit virtus probatur ex eo, quod de ratione virtutis eſt efficere opus perfectum, eſt enim virtus diſpoſitio perfecti ad optimũ, vt docet Ariſtot. 7. Phyſico.

Theologia in duobus deficit à ratione virtutis Theologicæ. text. 17. Et theologia noſtra pro iſto ſtatu non poteſt cauſare opus perfectum, cum non poſſit cauſare aſſenſum euidentem, & firmum, in qua firmitate & euidentia perfectio aſſenſus conſiſtit. Et ſi quis obijciat: nam ex hoc ſequitur, quòd neque fides ſit virtus, cum nõ cauſet aſſenſum euidentẽ, reſpõdetur negando ſequelam. Nam cum de ratione actus fidei ſit, quòd ſit ineuidens, dum producit fides aſſenſum firmum etiã ineuidentem, producit actum in ſua ſpecie perfectum, & ſic eſt virtus. At verò Theologia cum ſit ſcientia ad hoc, vt produceret aſſenſum in ſua ſpecie perfectum, neceſſarium erat, quod illum produceret euidentem & firmum: & cum hoc non habeat, nulla ratione erit dicenda virtus. atque ex conſequenti nec virtus theologica. Secũdo deficit theologia noſtra à ratione virtutis theologicæ in eo, quòd non habet Deum pro obiecto immediato, ſed mediato: immediatè enim tendit in opera Dei, quæ ſunt quædam veſtigia ipſius, mediantibus illis tendit in Deum: & ad rationem virtutis theologicæ eſt neceſſarium, quo habeat Deum pro obiecto immediato. Hæc ratio dicendi eſt D.Thom. 1. part. quæſt. 1. artic. 7. ad primum argumentum. ℭ Et ſi

Obiectio. quis obijciat. Principia, ex quibus Theologia procedit, ſunt articuli fidei, quorum cognitio immediatè terminatur ad ipſum Deum, ergo Theologia noſtra etiam habet Deum pro obiecto immediato. Reſpondetur conceſſo antecedenti, negando conſe-

Solutio. quentiam. Quod, vt intelligatur aduertendũ eſt, quòd fides, & Theologia noſtra differunt penes hoc, quod fides immediatè innititur autoritate Dei, Theologia verò non nititur immediatè autoritate Dei, ſed ratione, & diſcurſu, quo vtitur ad eliciendas concluſiones. Itaque quemadmodum habitus principiorum, qui dicitur intellectus, & ſcientia, quæ eſt habitus concluſionum, differunt penes hoc, quod habitus principiorum innititur lumine naturali intellectus ſine diſcurſu cognoſcentis principia; & habitus ſcientificus innititur ratiocinatione, quæ per euidentem conſequentiam deducit ex principijs cõcluſiones: ita etiam fides, & Theologia differunt penes hoc, ꝙ fides innititur immediatè diuinæ reuelationi, Theologia verò non immediatè, ſed mediante lumine naturali, quo ex principijs deducit concluſiones. Et ſic lumen diuinæ reuelationis eſt immediatum obiectum formale fidei: theologiæ verò non niſi mediatum. Ex quo fit, vt theologia non immediatè, ſed mediatè tendat in Deum, atque ex conſequenti non eſt virtus theologica.

Ad. 2. argu. ℭ Ad aliud, de virtutibus acquiſitis fidei, ſpei, & charitatis, Scotus in tertio diſtinctione. 26. quæſt. 1. concedit illas eſſe virtu-

Sententia Scoti de virtutibus acquiſitis. tes theologicas. Et cum ſecundum ipſum ad virtutem theologicam requirantur tria, primum eſt, quòd habeat Deum pro obiecto: ſecundum, quod actus, ad quem inclinat, regulentur regula non humana, ſed diuina: tertium, quod ſit à Deo infuſa, dicit, ꝙ duæ priores conditiones actu conueniunt virtutib⁹ acquiſitis fidei, ſpei, & charitatis, quæ & habent Deum pro obiecto, & ad nihil aliud inclinant, niſi ad id, quod diuina lex docet eſſe credendum, ſperandum, & diligendum. De tertia autem conditione affirmat, quòd licet nõ conueniat illis actu, conuenit tamen aptitudine: quia aptæ natæ

 ſunt

ſunt iſtæ virtutes infundi à Deo, quamuis actu nō infundantur. Et hoc ſatis eſſe dicit ad hoc, vt verè dicantur virtutes Theologicæ. Gabriel in.3.diſt.26.quæſt.vnica art.2. concluſ.1.dicit, quod illę virtutes theologicæ largo modo propter duas priores conditiones, quas habent: non autem ſunt virtutes theologicæ ſtricto modo propter defectum tertiæ conditionis.

Sententia autoris. ¶ Ego tamen ad explicationem difficultatis dico primò, certum eſſe, quòd illæ virtutes acquiſitæ dantur in rerū natura, quicquid dicant aliqui ex Thomiſtis, qui illas negant, vt eſt videre apud Caietanum.1.2. quæſt.26.ar.3.ad ſecundum argumentum. Nec ad id probandum opus eſt alia ratione ab experientia, quæ id docet. De qua re videndus eſt D. Thom.1.2.quæſt.51.artic.4. ad tertium & quæſt. vnica de virtutibus in communi art.10. ad nonum argumentum. Dico ſecundò, quòd huiuſmodi virtutes acquiſitæ non ſunt virtutes theologicæ, imò nec propriè virtutes. Et probatur. De ratione virtutis eſt, quòd ſemper eliciat actum bonum, ſed huiuſmodi virtutes acquiſitæ non ſemper eliciunt actum bonum, ergo nō ſunt virtutes. Conſequentia cum maiori eſt nota, & minor probatur. Illæ virtutes innituntur rationi humanæ, cui poteſt ſubeſſe falſum, & quæ non ſemper neceſſariò concludit, ergo non ſemper eliciunt actum bonum. Secūdò, de ratione virtutis eſt non ſolum elicere actum bonum, ſed etiam ſuo obiecto proportionatum: nā cum vnaquęque virtus per ſuum actum attingat proprium obiectum, neceſſarium erit, quod producat actum obiecto proportionatum, vnde dicunt philoſophi, ꝙ hæc tria, actus, habitus, & obiectum debent eſſe proportionata: ſed illi habitus acquiſiti non poſſunt producere actum proportionatum obiecto virtutis theologicæ, ergo non ſunt virtutes theologicę. Cōſequentia cum maiori eſt nota, & minor probatur. Obiectum virtutis theologicæ eſt Deus, non vtcunque conſideratus, ſed vt excedens facultatem naturalē, & vt ſupernaturaliter cognitus: ſed habitus naturalis, vel acquiſitus non poteſt elicere actum proportionatum obiecto ſupernaturali, ergo. Ex dictis infertur eſſe de ratione virtutis theologicæ, quod habeatur per infuſionem: & ſic ſunt de per ſe infuſæ, & non de per accidens: in quo fuit deceptus Scotus. *Ad argum.* Et ad argumētum, cuius occaſione hæc dicta ſunt reſpondetur negando ſequelam. Et ad probationem dico, quod quamuis illi habitus acquiſiti habeat Deum pro obiecto materiali, non tamen pro obiecto formali, cum non innitantur motiuo diuino, ſed humano. Et ad hoc, vt aliqua virtus ſit theologica neceſſarium eſt, quod habeat Deum pro obiecto formali, vt docet Diuus Thomas. 1.2.quæſt. 62. artic.1. pręterquam quòd etiam cum non eliciant ſemper actum bonū nullo modo poſſunt habere rationem virtutis.

Dubium. ¶ In ſolutione ad ſecundum argumentum dicit D.Thom quòd virtuti theologicæ per ſe nō conuenit eſſe in medio, poteſt tamē hoc illi per accidens conuenire. Circa quod eſt difficultas, Vtrùm ita ſit propriū moralium virtutū conſiſtere in medio duorum viciorum, vt id virtutibus theologicis nulla ratione poſsit conuenire. *Sentētia Durandi.* De qua re eſt ſententia Duran. in.3. diſt.26.quæſt.2.aſſerentis ità competere virtutibus theologicis in medio conſiſtere, ſicut virtutibus moralibus. Et probatur hæc ſententia. *1. Argum.* Primò, quia ſicut inuenitur ſuperabundantia, & defectus in paſsionibus reſpectu regulæ naturalis, atq; rationis, ità in actibus rationis reſpectu regulæ ſupernaturalis, ergo ſicut virtutes, quæ reſpiciunt regulam rationis, quales ſunt morales, conſiſtunt in medio, ità etiam virtutes, quæ reſpiciunt regulam ſupernaturalem, quales ſunt theologicæ. Conſequentia eſt nota, & antecedens probatur. Nam, ſicut in temperantia datur exceſſus, atque defectus: ità etiam in fide excedit, qui nimium credit, & deficit qui incredulus eſt: & in ſpe excedit qui eſt præſumptuoſus, & deficit qui nihil ſperat, ergo. *2. Argum.* ¶ Secundò, In obiecto fidei poteſt conſiderari aliquid nimium, & aliquid deficiens, ergo datur medium inter duo illa extrema quod ſit credendum, atq; ex conſequenti fides conſiſtit in medio. Conſequentia eſt nota, & antecedens probatur. Hæc propoſitio, verbi gratia, Deus eſt trinus, & vnus, eſt obiectum fidei: & ſi de ea nihil credatur vel credatur tantum, quod Deus eſt vnus, eſt defectus: ſi autem credatur trinus eſſentialiter eſt exceſſus, ergo in obiecto fidei verè eſt defectus, exceſſus, & medium. *Sentētia Scoti.* ¶ Scotus in.3.diſt,26.quæſt.1.alia ratione procedit: & dicit, quod in virtutibus theologicis ex parte obiecti nō eſt inuenire medium, quia non datur exceſſus, nec defectus in vero & bono, quæ ſunt earum obiecta. Tamen ex parte actus tendentis in ſuum ob-

iectum

iectum poteſt dari, imò datur exceſſus & defectus: ex quo fit, vt ex parte actus conſiſtant in medio, & poteſt quis plus minus ve debito tendere in verum, & in bonum, vt in fide qui citò credit peccat per exceſſum, qui autem tarde credit peccat per defectum.

1. Notabile. ¶ Ad explicationem huius difficultatis eſt aduertẽdum primò, quòd in virtutibus theologicis poſſumus conſiderare duplex obiectum. Vnum principale, & proprium quale in fide eſt veritas prima, & in ſpe potentia, ſeu bonitas diuina, cui nititur, & beatitudo, quæ ſperatur. Alterum eſt ſecundarium, & minus principale, qualia ſunt in fide ea, quæ creduntur, & in ſpe ea, quæ ſperamus.

2. Notabile. ¶ Secundò eſt aduertendum, quod de virtutibus, & earum medijs poſſumus loqui dupliciter: vno modo cõſiderando eas ſecundum ſe: alio modo habito reſpectu ad ſubiecta, in quibus ſunt.

1. Concluſio. ¶ His ſuppoſitis ſit prima concluſio, Virtutes theologicæ reſpectu ſui obiecti ſecundarij conſiſtunt in medio, ſicut virtutes morales. Probatur, Fides reſpectu huius propoſitionis, Deus eſt trinus & vnus, poteſt excedere, & deficere, & mediũ tenere: obiecta enim ſecũdaria ſunt propoſitiones veræ, & certum eſt quod vnum verum eſt medium inter duo falſa, ergo virtus theologica reſpectu obiecti ſecundarij conſiſtit in medio. Hanc etiam conclusionem probant argumenta in principio facta.

2. Concluſio. ¶ Secunda concluſio, Virtutes theologicæ ex parte ſubiecti, in quo ſunt, debent conſiſtere in medio, ſicut virtutes morales. Hanc concluſionem tenet D. Tho. 1. 2. q. 64. artic. 4. Et probatur, Si comparemus bona, de quibus habetur ſpes ad nos ipſos, inueniemus quædã excedere conditionem noſtram, & alia eſſe nobis proportionata, ergo qui ſperat quæ non conueniunt, peccat per exceſſum, & qui non ſperat ea, quæ conueniunt peccat per defectum, ergo in virtutibus theologicis datur exceſſus atq; defectus ex parte noſtra.

3. Concluſio. ¶ Tertia concluſio, Virtutes theologicæ propriè & per ſe loquendo ex parte obiecti principalis non conſiſtunt in medio: ità tenent D. Thom. & Caietanus hic. Et probatur. Proprium obiectum fidei eſt veritas prima: ſed certum eſt, quòd reſpectu primæ veritatis nihil poteſt eſſe nimium, nec poteſt aliquis excedere in credendo primæ veritati, ergo in virtutibus theologicis reſpectu obiecti principalis non datur exceſſus. Et confirmatur, Virtutes theologicæ, quantùm ad obiectum principale, regulantur per regulam infinitam ad quam licèt infinite accedamus, nunquam erit nimius exceſſus. Vnde D. Bernardus dicebat, quod Deum debemus diligere ſine modo, ergo virtutes theologicæ quãtum ad obiectum principale non conſiſtunt in medio. Et per hoc patet ſolutio ad argumenta propoſita.

ARTICVLVS VI.

¶ Vtrùm ſpes ſit virtus diſtincta ab alijs virtutibus theologicis.

AD SEXTVM ſic proceditur. *3. d. 26. q. 2. ar. 3. q. 1. & virt. q. 2. a. 3 cor. & q. 4. a. 3. ad. 9.* Videtur quod ſpes non ſit virtus diſtincta ab alijs virtutibus theologicis. Habitus enim diſtinguuntur ſecundum obiecta, vt ſuprà dictum* eſt. *1. 2. q. 54. a.* Sed idem eſt obiectum ſpei & aliarum virtutum theologicarum. Ergo ſpes non diſtinguitur ab alijs virtutibus theologicis.

2 ¶ Præterea, In ſymbolo fidei, in quo fidem profitemur dicitur, Expecto reſurrectionem mortuorum, & vitam venturi ſeculi. Sed expectatio futuræ beatitudinis pertinet ad ſpem, vt ſuprà dictum* eſt, ergo ſpes à fide non diſtinguitur. *Ar. præced. Ar. 2. huius. q.*

3 ¶ Præterea, Per ſpẽ homo tendit in Deum. Sed hoc propriè pertinet ad charitatem. Ergo ſpes à charitate non diſtinguitur.

¶ SED CONTRA, Vbi non eſt diſtinctio, ibi non eſt numerus. Sed ſpes connumeratur alijs virtutibus theologicis. Dicit enim Greg.* in. 1. moral. eſſe tres virtutes, ſpem, fidem, & charitatem. Ergo ſpes eſt virtus diſtincta ab alijs virtutibus theologicis. *Lib. 1. Mor. ca. 28. ante med.*

¶ RESPONDEO dicendũ, quòd virtus aliqua dicitur eſſe theologica ex hoc, quòd habet Deum pro obiecto, cui inhæret. Poteſt autem aliquis alicui inhærere dupliciter. Vno modo propter ſeipſum, alio modò

 inquan-

inquantum ex eo in aliud deuenitur. Charitas ergo facit hominem Deo inhærere propter ſeipſum, mentem hominis vniens Deo per affectum amoris. Spes autem & fides faciunt hominem inhærere Deo, ſicut cuidā principio ex quo aliqua nobis proueniunt. De Deo autem prouenit nobis & cognitio veritatis, & adeptio perfectæ bonitatis. Fides ergo facit homine Deo inhærere inquantum eſt nobis principium cognoſcendi veritatem. Credimus enim ea vera eſſe, quæ nobis à Deo dicuntur. Spes autem facit Deo adhærere, prout eſt in nobis principium perfectæ bonitatis, inquantum ſcilicet per ſpem diuino auxilio innitimur ad beatitudinem obtinendam.

¶ AD PRIMVM ergo dicēdum, quòd Deus ſecundum aliam, & aliam rationem eſt obiectum harum virtutum, vt dictum * eſt. *In corp. arti.*

¶ Ad diſtinctionem autem habituum ſufficit diuerſa ratio obiecti, vt ſupra habitum * eſt. *1.2.q.54.ar tic.2.*

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd expectatio ponitur in ſymbolo fidei, non quia ſit actus proprius fidei, ſed inquantum actus ſpei præſupponit fidē, vt infrà * dicetur, & ſic actus fidei manifeſtatur per actus ſpei. *Art.7.ſeq.*

¶ Ad tertium dicendum, quòd ſpes facit tendere in Deum, ſicut in quoddam bonum finale adipiſcendum, & ſicut in quoddam adiutorium efficax ad ſubueniendum. Sed charitas propriè facit tendere in Deum, vniendo affectum hominis Deo, vt ſcilicet, homo non ſibi viuat, ſed Deo.

SVMMA TEXTVS.

Concluſio eſt affirmatiua, Probatur. Virtutes theologicæ habent Deum pro obiecto, cui inhærent. Dupliciter autem poteſt aliquis alicui inhærere: vno modo propter ſe ipſum, alio modo inquantum ab eo deriuatur nobis aliquod bonū: & quidem charitas inhæret Deo propter ſe ipſum, fides verò, & ſpes inquantum ab eo aliquid deriuatur. Duo autem ſunt, quæ poſſunt nobis à Deo deriuari, vnum eſt cognitio rerum ſupernaturalium, alterum eſt adeptio beatitudinis: & inquātum deriuatur nobis cognitio veritatis, inhæret fides Deo, inquantum autem deriuatur beatitudo inhæret ſpes, ergo iſtæ tres virtutes diſtinguuntur inter ſe ſe.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Circa iſtum articulum eſt aduertēdum, ꝙ quanuis diſtinctio habituum propriè ſumatur ex obiectis, tamen D. Thom. probat in præſenti virtutes theologicas eſſe diſtinctas non quia habent diſtincta formalia obiecta, ſed quia diuerſo modo Deo inhærent. Idque facit propterea quòd hoc eſt clarius atque manifeſtius. Et ex diuerſo modo tendendi in obiectum ſufficienter colligitur ipſa obiecta eſſe formaliter diſtincta. Nam quia charitas inhæret Deo propter ſe ipſum, ſufficienter colligitur, quod Deus inquatum eſt bonus in ſe ipſo eſt obiectum illius: & quia ſpes inhæret Deo, vt effectori fœlicitatis, ſequitur quod Deus, vt bonus nobis, id eſt, vt beans nos eſt obiectum ſpei: & quia fides inhæret Deo, vt docenti veritatem, etiam ſequitur quòd Deus, vt docens & dicens eſt obiectum fidei: certum eſt autem quòd hęc tria ſunt diſtincta & formalia obiecta. *Nota.*

¶ Sed contra hoc eſt argumentum. Sperare à Deo beatitudinem eſt actus charitatis, ergo ſpes, & charitas non diſtinguuntur. Conſequentia eſt nota, & antecedens probatur. Deſiderare proximo beatitudinem eſt actus charitatis, ergo & deſiderare eam nobis etiam erit actus charitatis: atque ex conſequenti ſpes cuius eſt tale deſiderium non diſtinguitur à charitate. Maximè, quod, vt docet Ariſt. Amicabilia, quæ ſunt ad alterum, debent ſumi ex amicabilibus, quæ ſunt ad ſe. *Argumentum.*

¶ Ad hoc argumentum, vt reſpondeamus eſt aduertendum primò, quòd, vt docet D. Tho. 1.2. quæſt. 40. artic. 1. & quæſt. vnica de ſpe articul. 1. inter ſpem, & deſiderium hoc eſt diſcriminis, quod obiectum deſiderij eſt bonum abſolutè futurum, *Pro ſolutione nota. 1.*

rum, obiectum verò ſpei eſt bonum futurum arduum. Ex quo fit, vt deſiderium ſit actus concupiſcibilis, ſpes verò iraſcibilis: additque ſupra deſiderium conatum quendam & animi eleuationem ad conſequendum bonum ſperatum, vt docet D. Thom. 1.2. quæſtione. 25. artic. 1. Vnde in concilio Tridentino. ſeſſ. 6. cap. 6. dicitur, quod peccatores ad conſiderationem diuinæ miſericordiæ ſe conuertendo eriguntur in ſpem. Et eſt ponderandum illud verbum, erigun tur, quo actus ſpei propriè ſignificantur. Eſtque iſte conatus neceſſarius in ſpe propter arduitatem obiecti illius. Nam cum duplex ſit motus partis appetitiuæ, ſcilicet, proſequutio, & fuga, & obiectum ſpei ſit bonum arduũ, quod quatenus bonum mouet appetitum ad ſui proſequutionem, & quatenus arduũ mouet ad fugam, & actus ſpei conſiſtat in proſequutione à qua quodammodo retardatur propter arduitatem obiecti, quæ ſuapte natura mouet ad fugã, idcirco opus eſt in ſpe iſta erectione & eleuatione animi ad proſequendum bonum arduum: & vincendam eius difficultatem. Ex quo fit, vt actus ſpei diſtinguatur ab actu charitatis penes iſtum conatum, & nõ ſolum diſtinguitur penes iſtum conatum, ſed etiam penes alia duo.

Nota. 2. ¶ Ad quorum explicationem eſt aduertendum ſecundo, quòd actus ſpei eſt duplex, quorum vnus eſt principium, & cauſa alterius, ſcilicet, confidere, & confidendo ſperare. Nam cùm obiectum ſpei ſit duplex, vnum materiale, quod eſt æterna beatitudo, alterum formale, quod eſt adiutorium diuinum, reſpectu materialis eſt actus ſperandi, & reſpectu formalis eſt confidere. Cuius duplicis actus meminit Diuus Thom. hic ad. 3. Nam dicit, quòd ſpes facit tendere in Deum tanquam in quoddam bonum finale adipiſcẽdum, & etiam facit tendere in Deum, tanquam in quoddam adiutorium ad ſubueniendum: per primum ſignificat actum ſperandi, & per ſecundum actum confidendi. Idem etiam docet Diuus Bonauentura, in. 3. diſtin. 26. queſt. 4. art. 2. Et in hoc etiam differt actus ſpei ab actu charitatis, ꝙ ſpes includit in ſe iſtos duos actus, quos charitas non includit. Sed eſt aduertendum, quod iſti duo actus non ſunt diſtincti adinuicem niſi ſola ratione, per diuerſas habitudines ad obiectum: ſicut ſuprà diximus de actibus fidei, qui ſunt credere Deum, credere Deo, & credere in Deum. His conſtitutis facile reſpondetur ad argumentũ propoſitum negando antecedens. Et ad probationem dico, quòd deſiderium, vt ſic non eſt actus ſpei, ſed charitatis, à qua ſpes differt in multis, vt iam explicauimus. *Ad argum.*

Concluſio D. Tho. certa. ¶ Circa concluſionem huius articuli eſt aduertendum, fuiſſe de ea apud antiquos varias opiniones, quas refert Gabriel in 3. diſtinct. 26. quæſt. vnica. artic. 1. notabili. 2. & Scotus ibidem. Sed quia illarum fundamenta facilè deſtrui poſſunt, idcircò in illis recenſendis hic immorari ſuperuacaneum duxi. Eſt ergo concluſio Diui Thom. certiſſima, quam & nos artic. 1. huius quæſtionis latè probauimus: vbi oſtendimus, quod ſpes, & reliquæ virtutes theologales realiter inter ſe ſe diſtinguuntur.

Dubium. ¶ Sed hoc conſtituto conſurgit ſtatim difficultas, quisnam ſit propriè actus ſpei, & ad quam potentiam pertineat: nam de hac re variæ fuerunt doctorum atque philoſophorum ſententiæ, vt eſt videre apud Ocham quodlib. 3. queſt. 1. Quidam enim dixerunt, quòd actus ſpei nihil aliud eſt, quàm deſiderium futuræ beatitudinis: alij autem, quod eſt iudicium, quo quis iudicat ſe futurum beatum: alij autem, quòd eſt compoſitum ex vtroq;.

1. Concluſio. ¶ In hoc ſit prima concluſio, Nullus poteſt ſperare beatitudinem, niſi prius iudicet poſſe eam conſequi, & eius deſiderio tangatur. Prima pars huius concluſionis probatur: nam obiectum ſpei eſt bonum arduum, atque poſsibile: ergo niſi quis prius iudicet illud conſequi poſſe, non poterit ſperare. Quod autem etiam ſit neceſſarium deſiderium probatur: quia ea, quæ quis nec amat, nec deſiderat, non ſperat, ſed potius timet quando iudicat eſſe ventura: ergo ad ſpem eſt neceſſarium deſiderium præcedens.

2. Concluſio. ¶ Secunda concluſio, Actus ſpei neutrum horum eſt per ſe ſumptum. Probatur. Et primo, quod non ſit iudicium patet: nam ſpes pertinet ad voluntatem, cum ſit motus in rem ſperatam, iudicium verò pertinet ad intellectum. Quod autem nec etiam ſit deſiderium probo: nam deſiderium pertinet ad partem concupiſcibilem, cum deſideremus nobis quæcunque bona proportionata, ſiue ſint ardua, ſiue facilia: ſpes autem ſolùm eſt de bono arduo, atque difficili: & ſic pertinet ad iraſcibilem.

3. *Concluſio.* ¶ Tertia concluſio, Actus ſpei non eſt aggregatum ex iudicio, & deſiderio. Probatur. Vterque actus poteſt eſſe, ſpe non exiſtente, vt cum iudicium ac deſiderium verſatur circa aliquod bonum facile ad cõſequendum: ergo actus ſpei non eſt iudicium, nec deſiderium, nec aggregatum ex vtroque.

4. *Concluſio.* ¶ Quarta concluſio, Spes non eſt deſiderium beatitudinis quatenus bonum noſtrum eſt. Hęc concluſio eſt cõtra Scotum, qui in.3.diſt.26.quæſt.1.ſuppoſito, quod beatitudo poteſt conſiderari dupliciter, vno modo, vt eſt bonum in ſe, alio modo, vt eſt bonum noſtrum, dicit, quòd velle ſeu deſiderare beatitudinem in ſe eſt actus charitatis: at verò deſiderare ſeu velle beatitudinem, quatenus eſt bonum noſtrum eſt actus ſpei: & loquitur de beatitudine formali. Probatur tamen noſtra concluſio. Primo, nam beatitudo formalis, de qua loquitur Scotus, ea de cauſa eſt bonum in ſe, quia eſt bonum noſtrũ, niſi enim actus ille nos perficeret nõ eſſet cur bonus cenſeretur: ergo diſtinctio poſita ab Scoto nihil valet. Item præterea, velle aut deſiderare beatitudinem quatenus eſt bonum noſtrũ pertinet ad charitatem: ergo non eſt actus ſpei. Conſequentia eſt nota, & antecedens probatur. Eadem charitas, qua nos ipſos diligimus, inclinat etiam ad amandum, & diligendum omnia illa, quæ pertinent ad noſtram perfectionem quatenus talia ſunt: ergo amare ſeu deſiderare beatitudinem quatenus eſt bonum noſtrum eſt actus charitatis.

5. *Concluſio.* ¶ Quinta concluſio, Actus ſpei nihil aliud eſt, quam motus voluntatis, in quo ineſt conatus & eleuatio voluntatis in bonum arduum, atque difficile quatenus eſt poſsibile. Hæc concluſio patet ex his, quæ ſtatim dicebamus: quam & ponit D. Tho. 1.2.quæſt.25.artic.1. vbi dicit, quod actus ſpei addit ſupra deſiderium conatum quendam, & animi eleuationem ad bonum arduum conſequendum. Et ratio eſt manifeſta: quia actus ſpei nihil aliud eſt, quàm motus volũtatis in bonum arduum futurum: ſed hic eſſe non poteſt ſine conatu, & eleuatione mentis: ergo hæc ſunt de ratione ſpei.

ARTICVLVS. VII.

Vtrùm ſpes præcedat fidem.

AD SEPTIMVM ſic proceditur. Videtur quòd ſpes præcedat fidem, quia ſuper illud Pſalm. Spera in Domino, & fac bonitatem, dicit* gloſ. Spes eſt introitus fidei, initium ſalutis. Sed ſalus eſt per fidem, per quam iuſtificamur, ergo ſpes præcedit fidem.

1.2.q.62.artic.4.cor. Et 3.diſt.23.q.2.artic.5. Et virt.q.2.ar.3.ad.15.

** Eſt Caßiodori in hunc locum.*

2 ¶ Præterea, Illud quod ponitur in diffinitione alicuius, debet eſſe prius & magis notum. Sed ſpes ponitur in diffinitione fidei, vt patet Hebræorum.11. Fides eſt ſubſtantia ſperandarum rerum, ergo ſpes eſt prior fide.

3 ¶ Præterea, Spes præcedit actum meritorium. Dicit enim Apoſto.1.ad Corin.9. Quòd qui arat, debet arare in ſpe fructus percipiendi. Sed actus fidei eſt meritorius, ergo ſpes præcedit fidem.

¶ SED CONTRA eſt, quòd Matth.1.dicitur, Abrahã genuit Iſaac, id eſt, fides ſpem, ſicut dicit* gloſſa.

Gloſ. interli. ibidem.

¶ RESPONDEO dicendum, ꝙ fides abſolutè præcedit ſpem. Obiectum enim ſpei eſt bonum futurũ arduum poſsibile haberi. Ad hoc ergo, ꝙ aliquis ſperet, requiritur quòd obiectum ſpei proponatur ei, vt poſsibile. Obiectum autem ſpei eſt vno modo beatitudo æterna, & alio modo diuinum auxilium, vt ex dictis* patet. Et vtrũq; eorum proponitur nobis per fidem, per quam nobis innoteſcit, ꝙ ad vitã æternam poſſumus peruenire, & quod ad hoc paratum eſt nobis diuinũ auxiliũ, ſecundũ illud Hebr.11. Accedentem ad Deum oportet credere quia eſt, & quia inquirentibus ſe remunerator ſit. Vnde manifeſtũ eſt, ꝙ fides præcedit ſpem.

Ar.1.& 2 huius.q.& arti.praced. ad tertium.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, ꝙ ſicut gloſ. ibidem* ſubdit, Spes dicitur introitus fidei, id eſt, rei creditæ, quia per ſpem intratur ad videndum id, quod creditur. Vel poteſt dici, ꝙ eſt introitus fidei, quia per eam homo

Eſt Caßiodo. in hũc locũ.

homo intrat ad hoc, quòd ſtabiliatur & perficiatur in fide.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd in definitione fidei ponitur res ſperãda, quia proprium obiectum fidei non eſt apparens, ſecundum ſeipſum. Vnde fuit neceſſarium, vt quadam circunlocutione deſignaretur per id, quod conſequitur ad fidem.

¶ Ad tertium dicendum, quod non omnis actus meritorius habet ſpẽ præcedẽtem, ſed ſufficit ſi habeat concomitantem vel conſequentem.

SVMMA TEXTVS.

COnclуſio, Fides abſolutè præcedit ſpem. Probatur, Obiectum ſpei vno modo eſt bonum futurum arduum poſsibile, ſcilicet beatitudo: & alio modo diuinum auxilium, cuius virtute illum conſequi ſperamus: ſed vtrumq; proponitur nobis per fidem, per quam ea cognoſcimus: ergo fides abſolute loquendo, eſt prior ſpe.

EXPLICATIO ARTICVLI.

IN hoc articulo vnum eſt certum, & alterum dubium. Certum eſt, quòd ſpes præſupponit iudicium vt ſupra diximus, nullus enim poteſt ſperare aliquod bonũ, niſi prius iudicet ſe poſſe illud conſequi.

Dubium. Sed dubium eſt vtrùm ſit neceſſarium, ꝙ illud iudiciũ ſit aſſenſus fidei infuſæ. Nam

Sentẽtia Almaini. Almai. in. 3. diſt. 26. quæſt. vnica. dicit nõ requiri, quod aſſenſus & iudicium fidei infuſæ præcedat actũ ſpei: ſed ſatis eſſe quod præcedat aſſenſus fidei humanæ. Quam ſuam ſententiam probat hoc argumento.

Argumentum. Qui habet iudicium probabile, quod poſſit conſequi beatitudinem poteſt illam ſperare, & tamen illud iudicium non eſt aſſenſus fidei infuſæ, vt conſtat: ergo ſine fide infuſa poteſt eſſe ſpes. Et confirmatur, Hæreticus non habet fidem, & tamen certiſsima fiducia ſperat ſe futurum beatum: ergo ſine fide poteſt eſſe ſpes.

Sententia autoris. ¶ Hoc tamen non obſtante dico debere eſſe certiſsimum, quòd actus ſpei infuſæ, & Chriſtianæ non poteſt eſſe, quin præcedat actus fidei, & amiſſa fide ſemper amittitur ſpes. Probatur primo, ex definitione fidei poſita à D. Paul. ad Hebr. 11. vbi dicit: Fides eſt ſubſtantia rerũ ſperandarum, hoc eſt fundamẽtum, in quo innititur ſpes: ergo ſpes præſupponit fidẽ. Item, Fides à ſanctis patribus appellatur fundamẽtum vitæ ſpiritualis, & initium iuſtitiæ, vt eſt videre in concil. Trid. in decreto de iuſtificatione. c. 6. ergo ante quam ſit fides nulla ſpiritualis virtus poteſt eſſe in nobis. Vltimò, actus ſpei ita oritur ex iudicio, quo quis iudicat beatitudinem eſſe poſsibilem, vt eo modo, quo iudicat ità ſperet, ſcilicet, vel firmiter, vel leuiter: ergo actus ſpei Chriſtianæ, qui certiſsimus eſt, & firmus, non poterit proficiſci, niſi ex iudicio firmo, & certo, quale eſt iudicium fidei. ¶ Et per hoc patet ſolutio ad argumentum in cõtrarium factum. *Ad argum.* Ad confirmationẽm reſpondetur quòd ſicut hæretici iudicant atq; credunt fide acquiſita, & humana, ita etiam ſperãt ſpe humana, & acquiſita, quæ multũ diſtat à ſpe infuſa, de qua loquimur.

ARTICVLVS. VIII.

Vtrum charitas ſit prior ſpe.

AD OCTAVVM ſic proceditur. Videtur ꝙ charitas ſit prior ſpe, dicit enim * Ambroſ. ſuper illud Luc. 17. Si habueritis fidẽ ſicut granũ ſinapis, &c. Ex fide eſt charitas, ex charitate ſpes. Sed fides eſt prior charitate, ergo charitas eſt prior ſpe,

1. 2. q. 62. art. 4. Et. 3. diſ. 26. q. 2. ar. 3. q. 2. Et Veri. q. 4. artic. 3.

2 ¶ Præterea, Auguſt. dicit * 14. de Ciuitate Dei, quod boni motus atque affectus & amore & ſancta charitate veniunt. Sed ſperare, ſecundum quod eſt actus ſpei, eſt quidã bonus animi motus, ergo deriuatur à charitate.

Li. 8. in Lucam, in titu. de Virt. fidei per comparationẽ ad granum ſinapis. to. 5.

3 ¶ Præterea, Magiſter * dicit 26. diſt. 3. li. Sẽten. quod ſpes ex meritis prouenit, quæ præcedunt non ſolum rem ſperatam, ſed etiam ſpem, quam natura præit charitas, ergo charitas eſt prior ſpe.

Lib. 14. c. 9. ante med. tomo. 5.
Libr. 3. ſent. di. 26. §. A.
Gloſ. interli. ibidem.

¶ SED CONTRA eſt, quod Apoſt. dicit. 1. ad Tim. 1. Finis præcepti charitas eſt de corde puro, & conſcientia bona, gloſ. id eſt, ſpe, ergo ſpes eſt prior charitate.

¶ RE-

¶ RESPONDEO dicendũ, quod duplex eſt ordo. Vnus quidem ſecum dum viam generationis & naturæ, ſecũdum quem imperfectum prius eſt perfecto. Alius autem ordo eſt perfectionis & formæ, ſecundum quē perfectum naturaliter prius eſt imperfecto. Secundum ergo primum ordinem ſpes eſt prior charitate. Quod ſic patet, quia ſpes & omnis appetitiuus motus ex amore deriuatur, vt ſupra * habitū eſt, cũ de paſsionibus agetur. Amor autem quidam eſt perfectus, quidã imperfectus. Perfectus quidem amor eſt, quo aliquis ſecundum ſe amatur, vt puta cum aliquis ſecundum ſe vult alicui bonũ, ſicut homo amat amicũ. Imperfectus amor eſt, quo quis amat aliquid non ſecundum ipſum, ſed vt illud bonum ſibiipſi proueniat, ſicut homo amat rem quã concupiſcit. Primus autem amor pertinet ad charitatem, quia inhæret Deo ſecũdum ſeipſum. Sed ſpes pertinet ad ſecundum amorem, quia ille qui ſperat aliquid, ſibi obtinere intendit. Et ideo in via generationis ſpes eſt prior charitate. Sicut enim aliquis introducitur ad amandum Deum, per hoc quod timens ab ipſo puniri ceſſat à peccato, vt Aug.* dicit ſuper primam Canonicam Ioan. ita etiam ſpes introducit ad charitatem, inquãtum aliquis ſperans remunerari à Deo, accẽditur ad amandum Deum, & ſeruandum præcepta eius. Sed ſecũdum ordinem perfectionis, charitas prior eſt naturaliter. Et ideo adueniente charitate, ſpes perfectior redditur, quia de amicis maxime ſperamus. Et hoc modo dicit Ambro. *quod ſpes eſt ex charitate.

1.2.q.25. artic.2.

Tracta.9. in Cano. Ioã. in med. to. 9. & habetur de pœnitentia. diſt.2.c. Sicut ſeta.

Loco citato in arg.1.

¶ Vnde patet reſponſio ad primum.

¶ AD SECVNDVM dicendum, ꝙ ſpes & omnis motus appetitiuus ex amore prouenit aliquo, quo ſcilicet aliquis amat bonum expectatum. Sed non omnis ſpes prouenit à charitate, ſed ſolum motus ſpei formatæ, qua ſcilicet aliquis ſperat bonum à Deo, vt ab amico.

¶ Ad tertium dicendum, quod Magiſter loquitur de ſpe formata, quam naturaliter præcedit charitas, & merita ex charitate cauſata..

SVMMA TEXTVS.

Svppoſito, quod duplex eſt ordo, vnus generationis, ſecundum quem imperfectum eſt prius perfecto, alter perfectionis, ſecundum quem perfectum naturaliter eſt prius imperfecto, ponit D. Th. duas propoſitiones. ¶ Prima concluſio, Secũdum ordinem generationis ſpes eſt prior charitate. Probatur. Ordine generationis minus perfectum eſt prius, quàm magis perfectum, ſed ſpes eſt minus perfecta, quam charitas: ergo ſpes eſt prior quam charitas ordine generationis. Conſequentia cum maiori eſt nota, & minor probatur. Spes pertinet ad amorem concupiſcentiæ: per eam enim diligimus Deum nobis, & charitas eſt amor amicitiæ, per eam enim diligimus Deum ſecundum ſeipſum: ſed amor concupiſcentiæ eſt minus perfectus, quàm amor amicitiæ: ergo ſpes eſt minus perfecta, quam charitas. ¶ Secunda concluſio, Ordine perfectionis charitas eſt prior ſpe. Hæc concluſio ſequitur ex priori: & probatur adhuc. Spes adueniẽte charitate perficitur, de amicis enim maximè ſperamus: ergo charitas eſt perfectior ſpe.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Circa primam concluſionem huius articuli eſt difficultas, vtrum vera ſit. Et pro parte negatiua eſt argumẽtum. Prius eſt amare, & velle beatitudinem, quàm illã ſperare: ſed amor beatitudinis eſt actus charitatis: ergo ordine generationis prior eſt charitas quam ſpes. Conſequentia cum maiori eſt nota, & minor probatur. Nam nemo poteſt ſperare, niſi id, quod amat: ex quo fit, vt deſiderium ſemper debeat præcedere ſpem, vt diximus articulo ſexto. ¶ Secundo, ſi propter aliquid opus eſſet, vt ſpes præcederet charitatem, maximè, quia ſpes eſt amor concupiſcentiæ, & charitas eſt amor amicitiæ: & concupiſcentia præcedit amicitiam iuxta illud, Amicabilia, quæ ſunt ad alterum. &c. ſed

Dubium de veritate primæ conclu.

1. Argum.

2. Argum.

ſed hæc ratio nihil valet:ergo.Probo mino rem,quia ſæpe contingit,vt diligamus mul tos, quos iudicamus nulla in re futuros nobis vtiles: imò hoc eſt proprium excellẽtis bonitatis, vt alliciat ad ſui amorem nullâ interdum propoſita vtilitate. ¶ Et confirmatur. Etiã ſi iudicaremus nihil vtilitatis, atque commodi ex Deo ad nos peruenturum, adhuc charitas inclinaret nos ad illius amorem: ergo charitas ex ſua natura non præſupponit amorem concupiſcentiæ, atque ex conſequenti non eſt neceſſarium, vt illam præcedat ſpes. *Cõfirmatio.*

¶ Propter hæc argumenta Almaynus in.3.diſt.26.quęſt.vnica.dicit ſpem eſſe poſteriorem charitate. Sed proculdubiò contrarium eſt habendũ pro certo cum D. Th. hic,& cum Durand.in.3.diſt.26.q.2.

1. Notabile. ¶ Ad cuius explicationẽ eſt aduertẽdũ primò,quod,vt conſtat ex D.Th.1.2.q.62. ar.4.ad.3.ſpes poteſt ad duo comparari, ſcilicet, ad bonũ quod quis ſperat, & ad Deũ, per quẽ ſperat ſe id bonũ conſequuturum. Ob priorem comparationem dicimur ſperare bonum, ob ſecundam verò ſperare in Deo. Eſtq; inter iſtas duas comparationes plurimũ differentiæ.Nam ſperare bonum, vel eſt,vel includit appetitum habẽdi illud ſuum bonum, at verò ſperare in Deo non eſt deſiderare habere illum ſuum, ſed eius auxilio inniti.Ex quo fit,vt actus ſpei,quatenus fertur in bonũ ſperatũ,præſupponat amorem, & deſiderium illius:at verò actus ſpei,quatenus fertur in eum, à quo aliquid ſperamus,regulariter loquendo nõ pręſupponit amorẽ illius, ſed potius ex eo, quod de illo bene ſperamus efficitur, vt ipſum amemus. Dixi regulariter loquendo: quia poteſt cõtingere,vt aliquid diligamus ante quam aliquid ab illo ſperemus, vt docet D.Tho.3.contra gentes cap.153.

2. Notabile. ¶ Secundò eſt aduertẽdum, quòd actus charitatis etiam poteſt cõparari ad Deum, & ad beatitudinem, nam in vtrũq; fertur, ſed præcipuus actus charitatis eſt ferri in Deum, ſicut & præcipuus actus ſpei eſt ſperare in Deo.

1. Concluſio. ¶ His conſtitutis ſit prima concluſio. Actus charitatis, quo beatitudinem diligimus,præcedit actum ſpei, quo eandem beatitudinẽ ſperamus. Patet ex his quæ diximus: quia nemo poteſt ſperare, niſi id,qđ amat.Et hanc concluſionẽ probat primum argumentum à nobis factum.

2. Concluſio. ¶ Secunda concluſio, Actus ſpei, quo quis ſperat in Deo, eſt prior quã actus charitatis, quo idem Deus amatur. Probatur: quia bene poſſumus ſperare in eum, quem nondum amamus,ſed amaturi ſumus,quia in illo ſperamus.

¶ Tertia concluſio,Simpliciter loquendo ſpes eſt prior quàm charitas. Probatur, faciendo comparationem ſecundum præcipuos actus harum virtutum,actus ſpei antecedit actum charitatis, vt patet ex ſecunda concluſione: ergo abſolutè loquendo ſpes antecedit charitatem. *3. Concluſio.* ¶ Ad primum argumentũ reſpondetur, quòd probat noſtram primam concluſionem. *Ad. 1. argu.* ¶ Ad ſecundum reſpõdetur,quod quãuis aliquãdo accidat, vt amemus eũ, à quo nihil boni ſperamus, tamẽ plęrũq; & regulariter loquẽdo vſu venit, vt prius ſperemus ab aliquo aliquod bonum,& inde procedamus ad illius amorem. *Ad. 2. argu.* Et ità contingit in Deo,quod regulariter loquendo,prius ſperamus ab eo beatitudinem per fidem oſtenſam, quam ipſum diligamus. Imò ex eo, quòd à Deo ſperamus beatitudinem, inclinamur ad illum amandum. Et per hoc etiam patet ad confirmationem.

¶ Circa iſtum articulum poterat eſſe diſputatio, an primus actus ſpei in habente charitatẽ, poſſet eſſe meritorius. *Nota.* Sed in illa eſt dicendũ, quod diximus ſupra.q.2.ar.9. de primo actu fidei. Item ea, quæ diximus quæſt.4. art.4. &.7. de fide, ſcilicet, quòd manet in peccatore amiſſa charitate, & ꝙ poteſt infundi ſine charitate, ſunt etiam intelligenda de ſpe propter eaſdem rationes.

¶ Sed cõtra præcipuum fundamentum huius articuli, quo dicit D. Tho. quod imperfectiora ſunt priora ordinẽ generationis eſt argumentum. *Argu. contra fundamẽtum D. Tho.* Anima eſt prius generatione ſuis potentijs, & ſubiectũ eſt prius ſuis paſsionibus,& viſio Dei eſt prior dilectione beatifica, & tamen anima, & ſubiectũ & viſio Dei ſunt perfectiora: ergo falſum eſt,quod D.Th.dicit. ¶ Ad hoc argumentum reſpondetur cum Ferrara. 3. cõtra Gentiles.capit.26.maximam D. Tho. eſſe intelligendam ſolum de illis,quę ſunt priora ordine generationis, non autem de illis, quæ ſunt priora generatione & cauſalitate, qualia ſunt omnia illa, quæ adducuntur in argumento.

QVAESTIO

QVAESTIO DECImaoctaua, De ſubiecto ſpei, in quatuor articulos diuiſa.

DEINDE conſiderandũ eſt de ſubiecto ſpei.

¶ Et circa hoc quęrantur quatuor.

¶ Primo, vtrum virtus ſpei ſit in voluntate ſicut in ſubiecto.

¶ Secundo, vtrum ſit in beatis.

¶ Tertio, vtrum ſit in damnatis.

¶ Quarto, vtrũ in viatoribus habeat certitudinem.

ARTICVLVS. I.

1.2.q.40.a.2.&3.d.26 q.1.a.5.& veri.q.4.a.2.

Vtrum ſpes ſit in voluntate ſicut in ſubiecto.

AD PRIMVM ſic proceditur. Videtur quòd ſpes non ſit in voluntate ſicut in ſubiecto. Spei enim obiectum eſt bonũ arduum, vt ſuprà dictum * eſt. Arduum autem non eſt obiectũ volũtatis, ſed iraſcibilis, ergo ſpes nõ eſt in volũtate, ſed in iraſcibili.

Q. præced. a. 1. & 1.2.q.4.a.1.

2 ¶ Præterea, Ei ad quod vnũ ſufficit, ſuperflue apponitur aliud. Sed ad perficiendum potentiam voluntatis ſufficit charitas, quæ eſt perfectiſsima virtutum, ergo ſpes non eſt in voluntate.

3 ¶ Præterea, Vna potentia non poteſt ſimul eſſe in duobus actibus, ſicut intellectus non poteſt ſimul multa intelligere. Sed actus ſpei ſimul poteſt eſſe cum actu charitatis, ergo cum actus charitatis manifeſtè pertineat ad voluntatẽ, actus ſpei non pertinet ad ipſam. Sic ergo ſpes non eſt in voluntate.

¶ SED CONTRA. Anima non eſt capax Dei, niſi ſecundum mẽtem, in qua eſt memoria, intelligentia, & voluntas, vt patet per Aug * in lib. de Tri. Sed ſpes eſt virtus theologica, habens Deum pro obiecto. Cum ergo non ſit neque in memoria neque in intelligentia, quæ pertinent ad vim cognoſcitiuam, relinquitur, quòd ſit in voluntate ſicut in ſubiecto.

Lib. 14. c. 3. & 6. to. 3.

¶ RESPONDEO dicendũ, quòd ſicut ex prædictis * patet, habitus per actus cognoſcuntur. Actus autem ſpei eſt quidam motus appetitiuæ partis, cum ſit eius obiectum bonum. Cum autẽ ſit duplex appetitus in homine, ſcilicet appetitus ſenſitiuus, qui diuiditur per iraſcibilem & concupiſcibilem, & appetitus intellectiuus qui dicitur voluntas, vt in 1. habitum * eſt, illi motus qui ſunt in appetitu inferiori, ſunt cum paſsione, in ſuperiori autem ſine paſsione, vt ex ſuprà dictis * patet. Actus autem virtutis ſpei non poteſt pertinere ad appetitum ſenſitiuum, quia bonũ quod eſt obiectum principale huius virtutis, non eſt aliquod bonum ſenſibile, ſed bonũ diuinum. Et ideo ſpes eſt in appetitu ſuperiori, qui dicitur volũtas, ſicut in ſubiecto. Non autem in appetitu inferiori, ad quem pertinet iraſcibilis.

1.2.q.49.et 53.ar.2.& ſup.q.4.a.1.

1.p.q.80.81 & 82.

D.978.1.p. q.82.a.5.ad 1.& 1.2.q. 22.a.1.ad. 3.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd iraſcibilis obiectum eſt arduum ſenſibile. Obiectum autẽ virtutis ſpei eſt arduum intelligibile, vel potius ſupra intellectum exiſtens.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd charitas ſufficienter perficit voluntatem, quantum ad vnum actum, qui eſt diligere. Requiritur autem alia virtus ad perficiendum ipſam ſecundum alium actum eius, qui eſt ſperare.

¶ Ad tertium dicendum, quod motus ſpei & motus charitatis habent ordinem adinuicem, vt ex ſuprà dictis * patet. Vnde nihil prohibet vtrũque motũ ſimul eſſe vnius potentiæ. Sicut & intellectus poteſt ſimul multa intelligere adinuicem ordinata, vt in primo * habitum eſt.

Q. 17. ar. 8.

1.p.q.85.ar. 4.

SVM-

SVMMA TEXTVS.

Conclusio eſt affirmatiua: & probatur. Spes debet ſubiectari in appetitu, cũ eius actus verſetur circa bonum, quod eſt obiectum appetitus, & non ſubiectatur in appetitu ſenſitiuo: ergo ſubiectatur in appetitu rationali, qui eſt voluntas. Conſequentia cum maiori eſt nota, & minor probatur. Obiectum appetitus ſenſitiui eſt bonũ ſenſibile, obiectum autem ſpei non eſt bonum ſenſibile, ſed bonum diuinum, cum ſit virtus theologica: ergo ſpes nõ ſubiectatur in appetitu ſenſitiuo, ſed in voluntate.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Conclusio huius articuli eſt certa, & ab omnibus recepta. Cæterum contra rationem, qua D. Tho. illam probat argumentor primo. *1. Arg. contra rationẽ D. Thom.* Appetitus ſenſitiuus non ſolum habet pro obiecto bonum ſenſibile, ſed etiam bonum maius, & altius, quale eſt ſpirituale, vt patet de virtutibus moralibus infuſis, quæ licet ſint in appetitu ſenſitiuo habẽt tamen Deum pro obiecto, Temperantia enim infuſa & acquiſita differũt ſpecie, & non ob aliam rationem, niſi, quia acquiſita habet pro obiecto bonum ſenſibile, infuſa verò bonũ ſpirituale: ergo ex eo, quod obiectum appetitus ſenſitiui eſt bonum ſenſibile, non licèt inſerre quod ſpes ſubiectatur in voluntate. *2. Argum.* ℭ Secundò, officium virtutum infuſarũ eſt diſponere potentias in ordine ad charitatem, id eſt, facere, vt potentiæ facilè obediant charitati mouenti, & præcipienti: ſed obiectum charitatis eſt Deus, & quidquid agit, aut præcipit eſt in ordine ad Deum: ergo virtutes morales infuſæ inclinãt appetitum ſenſitiuum, in quo ſunt, ad Deum, qui eſt bonum ſpirituale: atq; ex conſequenti appetitus ſenſitiuus poteſt ferri in bona maiora, quam ſenſibilia.

Nota pro ſolutione argumentorum. ℭ Pro ſolutione horum argumentorum aduertendum eſt ex D. Tho. 1. 2. quæſt. 63. artic. 4. quòd aliud eſt loqui de obiecto immediato, circa qđ verſatur virtus, & aliud de fine, ad quem vltimò refertur. Nam obiectum immediatum virtutis eſt id, quod efficit ipſa virtus: & quia virtutes morales verſantur in moderandis paſſionibus, vel actionibus, hinc fit, quòd obiectum immediatum harum virtutum eſt actio, vel paſſio moderata, verbi gratia, obiectum temperantiæ eſt moderata voluptas, vel moderata ſumptio cibi, vel aliarum rerum delectabilium vſus, in quo obiecto ipſæ voluntates ſe habent, velut materiale, & modus illarum, tanquam formale: & cum id dicatur moderatè fieri, quod fit juxta regulam aliquam, & duplex ſit regula humanorum actuum, vna naturalis, ſcilicet, ratio humana, altera ſupernaturalis, ſcilicet, lex diuinitus reuelata, rurſus fit, quod dupliciter contingat vſum voluptatum, ſeu rerum delectabilium eſſe moderatum, vno modo in ordine ad rationẽ humanam, alio modo in ordine ad legem diuinitus reuelatam. Et quia vſus delectabilium moderatus per rationem humanam formaliter differt ab vſu delectabilium moderato per legem diuinitus reuelatam, rurſus fit, vt temperantia acquiſita, cujus officium eſt imponere modum vſui delectabilium per comparationẽ ad regulá rationis, ſpecie differat à tẽperantia infuſa, cujus munus eſt moderare vſum delectabilium in ordine ad legẽ diuinitus reuelatam, obiectũ enim vnius formaliter differt ab obiecto alterius. Vtraq; tamẽ tẽperantia natura ſua ordinatur in vltimũ finẽ, quãuis diuerſimodè, nam acquiſita ordinatur in vltimũ finem naturalem, infuſa verò in vltimum finem ſupernaturalem: ſed vtraq; per imperium charitatis refertur in vltimũ finem ſupernaturalẽ, qui eſt ipſius charitatis obiectum.

Ad. 1. arg. ℭ Hoc ſuppoſito ad primum argumentum reſpondetur negando, quòd appetitus ſenſitiuus poſsit ferri in aliquod bonũ maius, quam bonum ſenſibile. Et ad probationem de moralibus virtutibus dico, quod morales acquiſitæ, & morales infuſæ non differunt ſpecie ex eo, quod acquiſitæ ferũtur in bonum ſenſibilem infuſæ verò in intelligibile: vtræque enim feruntur in idem bonum: ſed differunt ex eo, quod illud bonum ſumitur ſecundum diuerſas regulas, vt iã explicauimus: nã bonum temperantiæ acquiſitæ eſt medium in delectationibus ſumptum ſecundum regulas rationis humanæ, & bonum tẽperantiæ infuſæ eſt idem medium ſumptum ſecundum regulam legis diuinę. Et hæc obiecta ſunt formaliter diſtincta, atque ex cõſequenti ipſę virtutes. *Ad. 2. arg.* ℭ Ad ſecundum reſpondetur, illud probare, quod virtutes morales infuſæ habent Deum pro ſine, idq; ex motione &

imperio

imperio alterius virtutis ſuperioris, ſcilicet charitatis, quod nos libenter concedimus, non autē ꝓbat quod verſantur circa Deum tanquam circa obiectum.

¶ Circa ſolutionem ad ſecundum argumentum vbi dicit D. Thom. quòd charitas perficit volūtatem quātum ad vnum actū, qui eſt diligere, & quantum ad alium, qui eſt ſperare perficit ſpes: eſt difficultas, vtrū iſti duo actus differant ſpecie ſecūdum eſſe naturæ. Et dico notanter; ſecundum eſſe naturæ: nam ſecundum eſſe moris certum eſt, quod diſtinguūtur, cùm vnus pertineat ad vnam virtutem, & alter ad alteram. Et ratio dubitandi eſt, nam cum vterq; actus ſit volitio, & omnes volitiones in eſſe naturæ videantur eſſe eiuſdem ſpeciei, videtur, ꝙ illi actus in eſſe naturæ etiam ſint eiuſdem ſpeciei. Ad hoc Caietanus in præſenti dubitans loquitur.

Dubiū circa ſolutionē ad ſecundū. D. Tho.

Ratio dubitandi.

1. Dictum.

¶ Ego tamen ad explicationem difficultatis dico primo, Amare & ſperare, prout pertinent ad appetitum ſenſitiuum, ſunt actus ſpecie diſtincti ſecundum eſſe naturæ. Hoc dictum eſt D. Tho. 1.2. quæſt. 48. art. 2. & probatur. Amor reſpicit bonū abſolutè, ſpes verò reſpicit bonum abſens arduum, & poſsibile haberi: ſed iſtæ duæ rationes boni ſunt inter ſe ſe formaliter diſtinctæ: ergo paſsiones appetitus ſenſitiui, quæ hæc duo obiecta reſpiciunt, quales ſunt amare & ſperare diſtinguūtur ſpecie ſecundum eſſe naturæ.

2. Dictum.

¶ Dico ſecundo, probabiliſsimum eſſe, ꝙ amor, & ſpes, prout pertinent ad voluntatem, diſtinguuntur ſpecie ſecūdum ſuum eſſe naturæ. Probatur. Obiecta formalia horum duorum actuum ſunt formaliter diſtincta, obiectum enim amoris eſt bonum abſolutè, & obiectum ſpei eſt bonum abſens arduum & poſsibile, ſicut diximus de amore, & ſpe prout pertinēt ad appetitum, niſi quod hi duo motus, ſecundum quod ſunt paſsiones appetitus, verſantur circa bonū cognitum per ſenſum, & ſecundum quod pertinent ad volūtatem verſantur circa bonum apprehenſum per rationem: ergo differunt ſpecie in eſſe naturæ.

3. Dictum.

¶ Dico tertio, quod ſperare, & diligere prout ſunt actus ſupernaturales charitatis, & ſpei differunt ſpecie ſecūdum eſſe naturæ. Probatur. Principia, à quibus iſti actus eliciuntur, ſcilicet, charitas, & ſpes, ſunt ſpecie diſtincta ex natura ſua, vt diximus ſupra, quæſt. 17. arti. 6. ergo & ipſi actus ſpecie diſtinguuntur. Et cōfirmatur. Actus diligendi manent in patria, actus vero ſperādi non poteſt manere, ergo iſti actus ex natura ſua diſtinguūtur.

Ad rationē dubitandi.

¶ Et ad rationem dubitandi dico, ꝙ omnes volitiones ſunt eiuſdem generis, diſtinguūtur tamen ſpecie inter ſe ſe, ſicut diſtinguuntur obiecta, circa quæ verſantur.

Nota.

¶ In ſolutione ad tertium, dicit D. Th. quòd voluntas ſimul tempore poteſt elicere duos actus, vnum qui ſit ſperare, alterū qui ſit diligere. Cùius rei ratio eſt, quia hi duo actus habēt ordinem inter ſe ſe. Vnde ſicut intellectus poteſt ſimul ferri in plura ad inuicem ordinata, vt verbi gratia, poteſt ſimul ferri in prædicatum, & ſubiectum, ex quibus conficitur propoſitio: ſic etiam voluntas poteſt ſimul ferri per actum ſpei, & per actum dilectionis in Deum. Similē doctrinam tradit idem Diuus Thomas. 1.2. quæſt. 10. & 13. arti. 5. & 6. in corpore. & art. 7. ad ſecundum. Vbi dicit, ſecundum expoſitionem Caietani, quod quando homo per contritionem reſurgit à peccato, ſimul tempore habet in volūtate duos actus, vnum odij, quo deteſtatur peccatum: alterum amoris, quo diligit Deum. Nec hoc eſt inconueniens: quia iſti duo actus ſunt ad inuicem ordinati: propterea enim tunc deteſtatur peccatū, quia diligit Deum. Sed quanuis hæc doctrina poſsit valde probabiliter ſuſtineri, non tamen exiſtimo minus probabilem eam, quæ aſſerit, quòd ſicut intellectus vno & eodem actu intelligit plura quatenus habent inter ſe ſe aliquem ordinem, ſic etiam voluntas in puncto iuſtificationis elicit vnum actum, quo verſatur circa obiecta formaliter diſtincta, & per cōparationem ad vnum, ſcilicet, peccatum, dicitur deteſtatio, ſeu odium: & per comparationem ad aliud, ſcilicet, Deum, dicitur dilectio: & ſimiliter per eūdem numero actū ſperat in Deo, & diligit eum, quanuis ille vnus actus propter duas ratiōes obiecti formaliter diſtinctas, quas reſpicit dicatur habere duas ſpecies. Quæ doctrina affinis eſt ei, quam tradit D. Tho. 1.2. q. 8. arti. 3. Vbi dicit, quòd voluntas aliquando fertur eodem actu in finem, & in id, quod eſt ad finem: ſed ille vnus actus à fine ſumit ſpeciem intentionis, à medio autem ſumit ſpeciem electionis.

Sententia autoris.

ARTICVLVS II.

¶ *Vtrùm ſpes ſit in beatis.*

AD SECVNDVM ſic proceditur. Videtur quòd ſpes ſit

1.2. q. 67. art. 4. & 5. Et 3. d. 26. q. 2. art. 5. q. 2. Et d. 31. q. 2. art. 1. q. 2. & 3. Et virt. q. 4. artic. 4.

in

in beatis. Chriſtus enim à principio ſuæ conceptionis fuit perfectus comprehenſor, Sed ipſe habuit ſpem, cum ex eius perſona dicatur in Pſal. 30. In te Domine ſperaui, vt gloſ. * exponit, ergo in beatis poteſt eſſe ſpes.

2 ¶ Præterea, Sicut adeptio beatitudinis eſt quoddam bonum arduum, ita etiam eius continuatio. Sed homines antequam beatitudinem adipiſcātur, habent ſpem de beatitudinis adeptione. Ergo poſtquā ſunt beatitudinem adepti, poſſunt ſperare beatitudinis cōtinuationem.

3 ¶ Prĉterea, Per virtutem ſpei poteſt aliquis beatitudinem ſperare, non ſolum ſibi, ſed etiam alijs, vt ſuprà dictum * eſt. Sed beati, qui ſunt in patria, ſperant beatitudinem alijs, alioquin non rogarent pro eis, ergo in beatis poteſt eſſe ſpes.

Q. 17. art. 3.

4 ¶ Præterea, Ad beatitudinem Sanctorum pertinet non ſolum gloria animę, ſed etiam gloria corporis. Sed animæ Sanctorum qui ſunt in patria, expectant adhuc gloriam corporis, vt patet Apoca. * 6. & 12. ſuper Gen. ad literam, ergo ſpes poteſt eſſe in beatis.

Aug. 12. ſuper Geneſ. ad lit. c. 35. circa med. to. 3.

¶ SED CONTRA eſt, quod Apoſto. dicit ad Roma. octauo. Quod videt quis, quid ſperat; Sed beati fruuntur Dei viſione, ergo in eis ſpes locum non habet.

¶ RESPONDEO dicendum, ꝙ ſubtracto eo, quod dat ſpeciem rei, reſoluitur ſpecies, & res non poteſt eadem remanere, ſicut remota forma corporis naturalis, non permanet idē, ſecundum ſpeciem. Spes autem recipit ſpeciem à ſuo obiecto principali, ſicut & cæteræ virtutes, vt ex ſuprà dictis * patet. Obiectum autem principale eius eſt beatitudo æterna, ſecundum quòd eſt poſsibilis haberi ex auxilio diuino, vt ſuprà dictum * eſt. Quia ergo bonum arduum poſsibile non cadit ſub ratione ſpei, niſi ſecundum quod eſt futurum, ideo cum beatitudo iam non fuerit futura, ſed præſens, non poteſt ibi eſſe virtus ſpei. Et ideo ſpes, ſicut & fides euacuatur in patria, & neutrum eorum in beatis eſſe poteſt.

Q. prec. art. 5. & 1. 2. q. 54. art. 2. Art. 1. et. 2. q. preced.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quod Chriſtus, etſi eſſet comprehenſor, & per conſequens beatus quantū ad diuinam fruitionem: erat tamen ſimul viator, quantum ad paſsibilitatē naturæ, quam adhuc gerebat, & ideo gloria impaſsibilitatis & immortalitatis ſperare potuit: nō tamen ita, quòd haberet virtutem ſpei, quæ non reſpicit gloriam corporis, ſicut principale obiectum, ſed potius fruitionem diuinam.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd beatitudo ſanctorum dicitur vita æterna: quia per hoc, quòd Deo fruuntur, efficiuntur quodammodo participes ęternitatis diuinæ, quæ excedit omne tempus. Et ita continuatio beatitudinis non diuerſificatur per præſens, præteritum, & futurum: & ideo beati non habent ſpem de continuatione beatitudinis: ſed habęnt ipſam rē, quia non eſt ibi ratio futuri.

¶ Ad tertium dicendum, quòd durante virtute ſpei, eadē ſpe aliquis ſperat beatitudinē ſibi & alijs. Sed euacuata ſpe in beatis, ſecundū quā ſperabant ſibi beatitudinē, ſperāt quidē alijs beatitudinem, ſed non virtute ſpei, ſed magis ex amore charitatis. Sicut etiam qui habet charitatem Dei, eadem charitate diligit proximum: & tamen aliquis poteſt diligere proximum, nō habens virtutem charitatis, ſed alio quodam amore.

¶ Ad quartum dicendum, quòd cum ſpes ſit virtus theologica, habens Deū pro obiecto, principale obiectum ſpei eſt gloria animæ, quæ in fruitione diuina conſiſtit, non autem gloria corporis. Gloria etiam corporis, etſi habeat rationem ardui per comparationem ad naturam humanam, non ha-

bet tamẽ rationem ardui habenti gloriam animæ: tum quia gloria corporis eſt minimum quiddam in cõparatione ad gloriam animæ: tum etiam quia habens gloriã animæ, habet iam ſufficienter cauſam gloriæ corporis.

SVMMA TEXTVS.

CONcluſio eſt negatiua. Probatur. Ablata ratione formali obiecti alicuius habitus, vel virtutis, impoſsibile eſt, quòd talis virtus, vel habitus maneat: ſed in patria auſertur ratio formalis obiecti ſpei, ergo in beatis non manet ſpes. Conſequentia cum maiori eſt nota, & minor probatur. Ratio formalis obiecti ſpei eſt beatitudo æterna poſsibilis haberi ex auxilio diuino: ſed in patria hæc ratio auſertur, cum beatitudo non ſit futura, ſed præſens: ergo.

EXPLICATIO ARTICVLI.

HAnc concluſionem D. Tho. ſequũtur cõmuniter omnes doctores, vno excepto Gerſone, qui in lib. de vita ſpirituali dicit, omnes virtutes, quæ ſunt in viatoribus manere in patria, ſaltim quantum ad habitum. Et peculiariter dicit de ſpe, quòd manet in beatis quantum ad actum, & quantum ad habitum. Idem etiam tenet Duran. in.3. diſt.31. q.3. &.4. Et probari poteſt hęc ſententia. Primo, Differentiæ temporis per accidens ſe habent ad partem intellectiuã, ſed ſpes pertinet ad partem intellectiuam, cum ſit in voluntate tanquam in ſubiecto: ergo per accidens ſe habet ad illam differẽtia temporis, atque ex conſequenti nõ erit de ratione formali obiecti ſpei, quòd ſit futurum. ❡Et confirmatur. Deus ſecundum ſuum eſſe reale eſt obiectum ſpei, quod verò ſit futurum non eſt aliquid reale in Deo exiſtens, ſed ſola denominatio conueniens illi ab extrinſeco, ſcilicet, per reſpectum ad nos qui aliquando ſumus ei futuri, ergo eſſe futurum non poteſt eſſe ratio formalis obiecti ſpei. ❡Secũdo, beati carent corporibus, & expectant illorum reſurrectionẽ, & gloriam: idque eſt bonum abſens arduũ & poſsibile: ergo ſaltim reſpectu huius habent actum ſpei. ❡Tertio, viatores per virtutem ſpei ſperant ſibi, & alijs beatitudinẽ, ſed beati, licèt non ſperent ſibi beatitudinem, poſſunt tamen illam alijs ſperare: ergo ſaltim quantum ad hoc poſſunt haberẽ actum ſpei.

Sententia Gerſon. et Durandi. *1. Argum.* *Cõfirmatio.* *2. Argum.* *3. Argum.*

❡His tamen nõ obſtantibus dico, quòd beati nec quantum ad actum, nec quãtum ad habitum habẽt ſpem. Et quidem quòd quantum ad actum illã non habeant, probatur ex Paulo ad Roma. 8. dicente, Quod videt quis quid ſperat? Super quæ verba dicit Gloſſa interlinearis, res ſperata, quæ videtur, non eſt ſpes: hoc eſt non eſt ſubiecta virtuti ſpei, quæ non eſt, niſi de non apparentibus: ſed beati in patria vident, quæ ſperauerunt: ergo non habent ſpem. Secundò, actus ſpei eſt quidam motus animi tendentis in id, quod non habetur: ſed conſequuto termino ceſſat motus: ergo beati, qui iam ſunt in termino non habent motum ſpei. Et confirmatur, Eo modo ſe habet motus ſpei ad beatitudinẽ, quo quicunque alius motus ad quietem: ſed adepta quiete in termino ceſſat motus: ergo adepta beatitudine ceſſat etiam ſpes: atque ex conſequẽti beati nõ habent actum ſpei. Vltimò, Deficiente obiecto proprio principali alicuius actus neceſſario deficit talis actus: ſed proprium obiectum principale actus ſpei eſt beatitudo æterna nondum poſſeſſa: ergo beati, qui iam illam habent non poſſunt habere actum ſpei. Quod autem nec etiam maneat in beatis ſpes quantum ad habitum, probatur: quia habitus eſt propter actum, ſed beati nec habent nec poſſunt habere actum ſpei: ergo fruſtra haberent habitum. ❡Et eſt aduertendum, quòd quando negamus in beatis fidem, atque ſpem non negamus illas, quia eſſent ſuperfluæ, vt dicunt Scotus, atque Gabriel, in.3. diſtinctio.31. Sed quia ſunt incompoſsibiles ſtatui beatorum, vt docet Diuus Tho. quæſtio. vnica de ſpe art.4. & 1.2. quæſtio. 67. art.3.4. &.5. & Caietanus ibidem artic.5. Et ratio eſt, quia cum actus imperfectus neceſſariò requirat ſubiectum imperfectum, vt verbi gratia, motus, qui eſt actus imperfectus neceſſario requirit ſubiectum imperfectum, quod partim ſit in actu, & partim in potentia, & repugnat motui manere ſublata illa imperfectione ſubiecti, fit, vt quando ſubiectum eſt in actu completo ceſſet motus: & ſic ceſſant actus fidei, & ſpei, qui ſunt actus imperfecti eo ipſo, quod ſubiectum eſt in ſtatu completo, & perfecto beatitudinis.

Sententia auctoris. *Nota.*

❡Ad primum argumentum in contrarium *Ad. 1. arg.*

rium factum reſpondetur cum Caietano in præſenti, quod quamuis differentiæ temporis per accidens ſe habeant ad partem intellectiuam, quatenus eſt cognoſcitiua, non tamen quatenus eſt appetitiua. Et ratio diſcriminis eſt: nam vis cognoſcitiua terminatur ad res, vt ſunt in ipſa: & rebus intra intellectum exiſtētibus accidit quòd exiſtant, vel non exiſtant: at verò vis appetitiua fertur in res pro vt ſunt in ſe ipſis, & rebus, vt ſic, non accidit, quod exiſtant, vel non exiſtant, quin potius ſecundum eſſe reale, quod habent, vel ſunt habituræ trahunt appetitum ad ſe per diuerſos actus, qui ei conueniunt in ordine ad bonum: & quia ſpes exiſtit non in vi cognoſcitiua ſed in vi appetitiua, idcircò eſſe futurum pertinet ad rationem formalem obiecti illius.

Ad confirmationem. ¶ Ad confirmationem reſpondetur, quòd in obiecto ſpei, quod eſt Deus duas rationes formales poſſumus conſiderare, vnam, quæ conuenit illi ex ſe, & hæc eſt eſſe ſummum bonum, alteram, quæ redundat in illum ex parte noſtra & hæc eſt eſſe futurum. Quæ licèt non ſit aliquid reale, ſed tantum denominatio extrinſeca, quia tamen habet cauſam realem, quæ eſt talis diſpoſitio ſubiecti, idcirco rectè appellatur ratio formalis obiecti ſpei, reſultans in illum ex parte ſubiecti.

Ad. 2. arg. ¶ Ad ſecundum reſpondetur, quod illud deſiderium, quod beati habent de gloria ſui corporis non eſt propriè ſpes, cum non ſit de bono arduo, & difficili: reſpectu enim beatorum non eſt difficile gloriam corporis ſperare, quia intra ſe habent ſufficiens principium ad gloriam corporis efficiēdam.

Ad. 3. arg. ¶ Ad tertium reſpondetur, quòd beati ſperant beatitudinem aliorum, non omnium, ſed illorum tantum, quos vident ad beatitudinem peruenturos: & ſperant illam non per virtutem ſpei, ſed per charitatem, qua proximos diligunt: quia talis proximorum beatitudo non proponitur beatis, vt bonum arduum & difficile, quod requiritur ad rationem ſpei.

ARTICVLVS III.

¶ *Vtrùm ſpes ſit in damnatis.*

3. d. 26. q. 2. artic. 5. q. 3. & 4. AD TERTIVM ſic proceditur. Videtur quòd in damnatis ſit ſpes. Diabolus enim eſt damnatus & princeps damnatorum, ſecundum illud Matth. 25. Ite maledicti in ignē æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis eius. Sed diabolus habet ſpem, ſecundum illud Iob. 40. Ecce, ſpes eius fruſtrabitur eum. Ergo videtur quòd damnati habeant ſpem.

2 ¶ Præterea, Sicut fides eſt formata & informis, ita & ſpes. Sed fides informis poteſt eſſe in dæmonibus, & damnatis: ſecundum illud Iac. 2. Dæmones credunt, & contremiſcunt. Ergo videtur quòd etiam ſpes informis poteſt eſſe in damnatis.

3 ¶ Præterea, Nulli hominū poſt mortem accreſcit meritum, vel demeritū, quod in vita non habuit, ſecundum illud Eccleſi. 11. Si ceciderit lignum ad Auſtrum, aut ad Aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit. Sed multi, qui damnabuntur habuerunt in hac vita ſpem, nunquam deſperantes. Ergo etiam in futura vita ſpem habebunt.

¶ SED CONTRA eſt, quòd ſpes cauſat gaudium, ſecundum illud Roma. 12. Spe gaudentes. Sed damnati non ſunt in gaudio, ſed in dolore & luctu ſecundum illud Eſa. 65. Serui mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione ſpiritus vlulabitis. Ergo ſpes non eſt in damnatis.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd ſicut de ratione beatitudinis eſt, vt in ea quietetur voluntas: ita de ratione pœnæ eſt, vt id quod pro pœna infligitur, voluntati repugnet. Non autem poteſt voluntatem quietare, vel ei repugnare, quod ignoratur. Et ideo Auguſtinus dicit * ſuper Gen. ad literam, quòd angeli perfectè beati eſſe non poterant in primo ſtatu ante confirmationem, vel lapſum, cum non eſſent præſcij ſui euentus. Requiritur enim ad perfectam & veram beatitudinē, vt aliquis certus ſit de ſuæ beatitudinis perpetuitate: alioquin voluntas non *Lib. 11. ca. 17. & 19. to. 3.*

quietaretur. Similiter etiam cum per petuitas dānationis pertineat ad pœnam damnatorum, non verè haberet rationem pœnæ, niſi voluntati repugnaret, quod eſſe non poſſet, ſi perpetuitatem ſuæ damnationis ignoraret. Et ideo ad conditionem miſeriç damnatorum pertinet, vt ipſi ſciant, quòd nullo modo poſſunt damnationem euadere, & ad beatitudinem peruenire. Vnde dicitur Iob. 15. Non credit quòd reuerti poſsit de tenebris ad lucem. Vnde patet, quod non poſſunt apprehendere beatitudinem, vt bonum poſsibile, ſicut nec beati vt bonū futurum: & ideo, neque in beatis, neque in damnatis eſt ſpes. Sed in viatoribus, ſiue ſint in vita iſta, ſiue in purgatorio, poteſt eſſe ſpes: quia vtrobique apprehendunt beatitudinem vt futurum poſsibile.

Lib.33.cap. 24.ante medium.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd ſicut Gregor. dicit.33. Moral. hoc dicitur de diabolo ſecūdum membra eius, quorum ſpes annullabitur. Vel ſi intelligatur de ipſo diabolo, poteſt referri ad ſpem, qua ſperat ſe de ſanctis victoriam obtinere: ſecundum illud quod ſuprà præmiſerat, Habet fiduciam, quòd Iordanis influat in os eius. Hæc autem non eſt ſpes, de qua loquimur.

Enchiridij cap.8.to.3.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd ſicut Aug. * dicit in Enchiridio, Fides eſt & malarū rerum & bonarū & præteritarum & præſentium, & futurarum, & ſuarum & alienarum. Sed ſpes non eſt, niſi rerum bonarum futurarum ad ſe pertinentium: & ideo magis poteſt eſſe fides informis in dānatis, quàm ſpes, quia dona diuina non ſunt eis futura poſsibilia, ſed ſunt eis abſentia.

¶ Ad tertium dicendum, quòd defectus ſpei in damnatis non variat demeritum, ſicut nec euacuatio ſpei in beatis auget meritum: ſed vtrumque contingit propter mutationem ſtatus.

SVMMA TEXTVS.

PRima concluſio, In damnatis non eſt ſpes. Probatur. Damnati apprehendunt beatitudinem, vt ſibi impoſsibilem, ergo non poſſunt habere ſpem. Conſequentia eſt nota, quia obiectum ſpei eſt bonum arduum poſsibile: antecedens vero probatur. Damnati ſunt perfectè miſeri: ſed ad perfectam miſeriam pertinet, quod quis cognoſcat ſe non poſſe damnationem euadere: vnde Iob cap.15. dicitur de damnatis, Non credit, ſcilicet, damnatus, quòd reuerti poſsit de tenebris ad lucem: ergo damnati apprehendunt beatitudinem, vt ſibi impoſsibilem. ℭ Secunda concluſio, In viatoribus, & in exiſtentibus in purgatorio eſt ſpes. Probatur: quia vtrique apprehendunt beatitudinem, vt bonum arduum poſsibile.

EXPLICATIO ARTICVLI.

CIrca primam concluſionem huius articuli eſt aduertendum, quòd illa eſt certa, & ab omnibus conceſſa, eſtque intelligenda non ſolum quantum ad actum, ſed etiam quantum ad habitum. Itaque damnati non habent actum nec habitum ſpei.

Obiectio contra primam concluſionē D.Tho.

ℭ Et ſi quis obijciat: Damnati habent in inferno eandem ignorantiam, quam habuerunt in hoc ſeculo, ſed potuit contingere, quòd quis in hac vita erraret in fide exiſtimans cruciatus damnatorum eſſe minuendos, vel finiendos, & talis in inferno in eodem errore exiſtens iudicabit ſuos cruciatus non eſſe perpetuos: ergo poterit tunc ſperare beatitudinem.

Solutio.

ℭ Reſpondetur breuiter, quòd quia pertinet ad pœnam damnatorum, vt intelligant ſuos cruciatus fore perpetuos, ſicut pertinet ad beatitudinem, quòd beati intelligant, & videant ſuā beatitudinem nō eſſe finiendam, idcirco Deus vtriſque hoc reuelat, beatis quidem in præmium, & damnatis in miſeriam.

1. Dubium circa ſecundam concluſionē D.Tho.

1. Arg. pro parte negatiua.

ℭ Circa ſecundam concluſionem eſt prima difficultas de exiſtentibus in peccato mortali, vtrùm habeant ſpem. Et pro parte negatiua argumentor. Primo, Amiſſa charitate omnes virtutes inſuſæ pereunt: ſed exiſtentes in peccato mortali non habent charitatem: ergo nec ſpem, quæ eſt vna ex virtutibus infuſis.

2. Argum.

ℭ Secundo, beatitudo non poteſt ſperari, niſi prius diligatur, vt diximus ſupra quæſtio.17.art.8. ſed non poteſt

diligi

diligi, niſi per charitatem, cùm ſit res ſupernaturalis ſupra naturæ noſtræ vires exiſtens: ergo ſpes non exiſtit in peccatoribus. 3. *Argum.* ¶ Tertiò, Spes eſt quędam eleuatio mẽtis in Deum: ſed peccator eſt omnino auerſus à Deo: ergo non habet ſpem. Et confirmatur ex D. Auguſtino qui ſuper pſal. 31. dicit, quòd ſicut bona conſcientia tota eſt in ſpe, ſic mala in deſperatione: & paulo inferius, Ille enim, qui bonam conſcientiam gerit, ſperat, qui verò malam, nihil ſperat, ergo ſpes non eſt in peccatoribus.

1. *Concluſio.* ¶ Contrariam tamen ſententiam tenent communiter omnes Theologi. Ad cuius explicationem ſit prima concluſio. In peccatore poteſt eſſe actus ſpei ſupernaturalis. Hæc eſt adeò certa, vt contrarium ſine errore dici non poſsit. Et probatur ſufficienter ratione D. Thom. in hoc articulo, quæ talis eſt. Peccatores apprehendunt beatitudinem ſupernaturalem, vt bonum arduum futurum poſsibile, ergo poſſunt illam ſperare actu ſupernaturali. Et confirmatur. Peccator poteſt ſperare ſe conſequuturum à Deo veniam omnium ſuorum delictorum, vt diffinitum eſt in concil. Arauſ. 2. cano. 4. 5. & 6. vnde Dauid in pſal. 39. dicit, Expectans expectaui Dominum: ſed hic actus non poteſt eſſe, niſi ſpei ſupernaturalis: ergo. Item, peccator tenetur petere à Deo veniam ſuorum peccatorum, quę petitio ſine actu ſpei ſupernaturalis eſſe non poteſt: ergo peccator poteſt habere actum ſpei.

2. *Concluſio.* ¶ Secunda concluſio. In peccatore, qui non deliquit contra ſpem, ſed ſolùm contra charitatem, vel bonos mores, manet habitus ſpei. Hæc concluſio ſequitur ex priori. Nam, ſi peccator poteſt habere actum ſpei ſupernaturalis, & ad huiuſmodi actũ exercendum moraliter loquendo eſt ſimpliciter neceſſarius habitus ſpei infuſæ, vt diximus quæſtio. 17. artic. 1. manifeſtè ſequitur, quòd in peccatore, qui non deliquit contra ſpem manet infuſa ſpes. Cæterum, quòd illa maneat non eſt adeò certum, ſicut, quòd maneat fides: quia in Concilio Tridentino, ſeſsione ſexta, Canon. 27. expreſsè diffinitur, quòd manet fides, & non diffinitur expreſſe quòd manet ſpes.

3. *Concluſio.* ¶ Tertia concluſio. Idem numero habitus ſpei manet in peccatore, qui erat in illo antequàm peccaret. Hæc eſt D. Tho. 1.2. q. 64. art. 4. ad 2. & probatur. Fides formata & informis eſt eadem numero, vt oſtendimus ſupra quæſt. 4. art. 4. ergo & ſpes formata, & informis ſunt eadem numero. Secundò, Deſtructo poſteriori nõ neceſſe eſt, vt deſtruatur prius: ſed charitas eſt poſterior ſimpliciter, quàm ſpes: ergo deſtructa charitate per peccatum mortale poteſt manere, & verè manet idem numero habitus ſpei infuſæ. ¶ Ex hoc infertur, quòd actus ſpei, qui elicitur ab ſpe manente in peccatore eſt eiuſdem ſpeciei cum actu, qui eliciebatur ab eadem ſpe, quando erat informata charitate. Et ratio eſt, quia vterque elicitur ab eodem principio, & verſatur circa eandem rationem formalem obiecti. *Corollariũ.*

4. *Concluſio.* ¶ Quarta concluſio. Spes in peccatore exiſtens non eſt ſimpliciter virtus. Hæc eſt D. Tho. 1.2. quæſt. 62. art. 4. & probatur. Fides in peccatore exiſtens non eſt ſimpliciter virtus, vt probauimus ſupra. q. 4. art. 5. ergo nec ſpes. Et confirmatur. Virtus eſt, quæ bonum facit habentem; & opus eius bonum reddit: ſed ſpes manens in peccatore, nec facit habentem bonum ſimpliciter, quia peccator ſimpliciter eſt malus, nec eius opus reddit perfectè bonũ, cum actus ſpei, niſi eliciatur à volũtate informata per charitatẽ, non ſit perfectè ordinatus in vltimum finem, ergo ſpes in peccatore non eſt ſimpliciter virtus.

Ad. 1. arg. ¶ Ad primum argumentum reſpondetur, quòd virtutes infuſæ poſteriores charitate, ſcilicet, morales pereunte charitate per peccatum mortale pereunt omnino. Cæterum virtutes infuſæ, quæ ſunt priores charitate, vt fides, & ſpes, non pereunt omnino quamuis extinguantur in eſſe virtutis.

¶ Ad ſecundum reſpondetur, quòd iuſti diligunt beatitudinem charitate: peccatores verò non charitate, ſed voluntate eleuata per auxilium diuinum, quo participant, ſuppoſita cognitione ſupernaturali.

¶ Ad tertium reſpondetur concedendo, quòd ſpes eſt quædam eleuatio mentis in Deũ, imperfecta tamen: quia per illam non diligitur Deus amore amicitiæ propter ſe ipſum: & ſic poteſt eſſe in peccatore, quamuis ſit à Deo perfectè auerſus. Ad confirmationem ex D. Auguſtino reſpõdetur, ſenſum illorum verborum eſſe, quòd mala conſcientia, quantum eſt ex ſe tota eſt in deſperatione, animus enim ſibi male conſcius ex malorum, quæ commiſit, conſideratione non erigitur in ſpem, ſed potius inducitur ad deſperationem, aliunde tamen, ſcilicet, ex con-

ſideratione diuinæ bonitatis, qua peccatores ad pœnitentiam vocat, & pœnitentibus veniam, atq; vitam pollicetur, & eis, vt pœniteãt auxilium præbet, bene poteſt cõſurgere: imo conſurgit ſpes, & ſic inuenitur in peccatoribus.

2. Dubium.

¶ Sed dubitabit aliquis, hoc loco, vtrùm viatores, quibus reuelatum eſt à Deo ſe futuros fœlices, vt D. Paulus qui. 2. ad Timo. cap. 1. dicit: Repoſita eſt mihi corona iuſtitię & Apoſtoli, qui à Chriſto audierũt: Nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis, poſsint habere ſpem. Et pro parte negatiua eſt argumẽtum.

Argumentũ pro parte negatiua

Tales ſunt omnino certi, quòd beatitudinem conſequentur: ergo beatitudo illis non proponitur tanquam bonum arduum futurum, atque ex conſequenti non habent ſpem.

Sententia autoris.

¶ Hoc tamen non obſtante dico, quòd proculdubio habuerunt ſpem. Et probatur: nam ſpes non tollitur, niſi per præmiũ ſubſequens, vt in beatis, aut per habitũ contrarium, qui eſt deſperatio, vt in damnatis: ſed illi qui habent certitudinem, quod beatitudinem conſequentur neutrum horum habent: ergo manet in illis ſpes. Et confirmatur ex Paulo. 1. ad Corin. cap. 13. dicẽte: Cum venerit quod perfectum eſt tunc euacuabitur quod ex parte eſt.

Ad argumẽtum.

¶ Et ad argumentum in contrarium factum reſpondetur, quòd certitudo beatitudinis conſequendæ non tollit ab ea rationẽ ardui: maximè quod Apoſtoli quanuis certiſsimè cognoſcerẽt ſe beatitudinem conſequuturos, certiſsimè etiam cognoſcebant ad illam non peruenturos, niſi per varios labores ac multa rerum diſcrimina, quæ ipſam rem arduam, ac difficilem reddebant. Et eadem ratio eſt de animabus exiſtentibus in purgatorio: quæ quanuis certò cognoſcant ſe ad cælum peruenturas, vt tandem æterna beatitudine perfruantur, quia tamen certò ſciunt ſe prius ingentibus cruciatibus eſſe torquendas, vt purgentur idcircò poſſunt habere ſpem, quæ verſetur circa bonum futurum arduum ac difficile.

obiectio.

¶ Et ſi quis obijciat: Spes importat quendã conatum, & erectionem animi qua vincitur difficultas, quæ poteſt retrahere voluntatem ab ſpe beatitudinis æternæ, vt diximus in ſuperioribus: ſed iſte conatus nõ videtur neceſſarius in his, qui ſunt in purgatorio, cum nihil ſit illic, quod poſsit illos deterrere ab ſperanda beatitudine propter certitudinem, quam tenent de illa: ergo talis certitudo tollit ſpem.

Solutio.

¶ Reſpondetur cõceſſo antecedenti negãdo conſequentiam. Non enim inconuenit, quòd vna & eadem virtus pro diuerſis ſtatibus diuerſos etiã habeat actus, ac modos operandi: vt eſt videre in ſcientia, quæ in via, & in patria erit vna atque eadem: & tamen in patria habebit alium actum, & alium modum operãdi ab eo, quẽ nunc habet. Nam actus ſcientiæ in patria erit ſine diſcurſu, & conuerſione ad phantaſmata, at verò in via habet vtrumq;. Et ſimiliter virtutes morales, quæ manent in patria non habẽt eundem actum, quem habent in via, vt docet magiſter in. 3. d. 31. & D. Tho. ibidem. q. 2. artic. 4. & 1. 2. q. 67. artic. 1. ad. 2. Vbi docet ex ſententia D. Auguſtini. lib. 14. de Trinitate. cap. 9. quòd virtutes morales manẽt in patria quanuis alio modo. Quod, vt oſtendat aduertit, quòd in virtutibus moralibus aliquid eſt formale, & aliquid quaſi materiale. Materiale eſt in eis inclinatio quędam partis appetitiuæ ad paſsiones vel operationes ſecundum modũ aliquẽ, ſed quia iſte modus determinatur à ratione, idcircò formale in omnibus virtutibus eſt ipſe ordo rationis. Hoc ſuppoſito dicit, quòd virtutes morales in futura vita non manent quantum ad id, quod eſt materiale in eis: non enim habebunt in futura vita locum concupiſcẽtiæ, & delectationes ciborum, & venereorum, nec etiam timores, nec audaciæ, circa pericula mortis. Sed quantum ad id, quod eſt formale remanebũt in beatis perfectiſsimè poſt hãc vitam in quantum, ſcilicet, ratio vniuſcuiuſq; perfectiſsima erit circa ea, quæ ad ipſum pertinent ſecundum illum ſtatum & vis appetitiua omnino mouebitur ſecundum ordinẽ rationis. Vnde D. Auguſtinus in eodem loco dicit, quòd prudentia ibi erit ſine vllo periculo erroris, fortitudo ſine moleſtia tolerandorum malorum, temperantia ſine repugnantia libidinum, &c. Et ad eundem modum dicendum erit in noſtro propoſito, quòd virtus ſpei prout eſt in viatoribus includit in ſuo actu conatum, & erectionem voluntatis iam dictam. At verò eadem virtus, prout eſt in illis, qui ſunt in purgatorio, talem conatum non includit. Et ratio diſcriminis eſt: quia cum ſpes in viatoribus ſit coniuncta cum timore æternæ damnationis, qui timor deprimit, & proſternit voluntatem: opus eſt vt per conatum eleuet animum, & illum erigat: at verò in illis, qui ſunt in purgatorio nullus eſt talis timor

æternæ dãnationis, & ideo non eſt opus, vt ſpes talem faciat erectionẽ, ſeu eleuationẽ animi. Vel poſſumus dicere, quòd vehemẽtia deſiderij, quo animæ in purgatorio deſiderant beatitudinem eſt conatus, & erectio animi in illam.

Nota circa ſolutionem ad 2. argum. D. Tho. ¶ Circa ſolutionem ad ſecundũ eſt aduertendum, quòd D. Tho. non docet in damnatis eſſe fidẽ, quin potiùs dicit, quod nec fides, nec ſpes eſt in illis, quanuis fides minus repugnet ſtatui illorum, quàm ſpes. Et ratio eſt: quia fides tam eſt bonorum, quã malorum: at vero ſpes non eſt niſi boni, cuius damnati non poſſunt eſſe participes.

ARTICVLVS. IIII.

¶ Vtrum ſpes viatorum habeat certitudinem.

AD QVARTVM ſic proceditur. Videtur quòd ſpes viatorum non habeat certitudinem. *Ver. q. 4. ar. 2. ad. 4.* Spes enim eſt in voluntate, ſicut in ſubiecto. Sed certitudo non pertinet ad voluntatẽ, ſed ad intellectum. ergo ſpes non habet certitudinem.

2 ¶ Præterea, Spes ex gratia & meritis prouenit, vt ſuprà dictum * eſt. *Q. 17. ar. 1.* Sed in hac vita ſcire per certitudinem non poſſumus, quòd gratiam habeamus: vt ſuprà dictum * eſt. *1. 2. q. 112. art. 5.* ergo ſpes viatorum non habet certitudinem.

3 ¶ Præterea, Certitudo eſſe non poteſt de eo, quod poteſt deficere. Sed multi viatores habentes ſpem deficiũt à conſecutione beatitudinis. Ergo ſpes viatorum non habet certitudinem.

¶ SED CONTRA eſt, quòd ſpes eſt certa expectatio futuræ beatitudinis: ſicut Magiſter dicit. 26. diſt. tertij ſententiarum, quod poteſt accipi ex hoc. quòd dicitur. 2. ad Timo. 1. *Lib. 3. ſent. diſt. 26. para. A.* Scio cui credidi, & certus ſum, quia potens eſt depoſitum meum ſeruare.

¶ RESPONDEO dicendũ, quòd certitudo inuenitur in aliquo dupliciter, ſcilicet eſſentialiter & participatiuè. Eſſentialiter quidem inuenitur in vi cognoſcitiua, participatiuè autẽ in omni eo, quòd à vi cognoſcitiua mouetur infallibiliter ad finẽ ſuũ: ſecũdũ quem modũ dicitur ꝙ natura certitudinaliter operatur tanquam mota ab intellectu diuino certitudinaliter mouente vnumquodque ad ſuum finem. Et per hunc etiam modum virtutes morales certius arte dicuntur operari, in quantum per modum naturæ mouentur à ratione ad ſuos actus. Et ſic etiam ſpes certitudinaliter tendit in ſuum finem, quaſi participans certitudinem à fide, quæ eſt in vi cognoſcitiua.

¶ Vnde patet reſponſio ad primum.

¶ AD SECVNDVM dicendum, quòd ſpes non innititur principaliter gratię iam habitæ: ſed diuinæ omnipotentiæ & miſericordiæ: per quam etiã qui gratiam non habet, eam conſequi poteſt, vt ſic ad vitam æternam perueniat. De omnipotentia autem Dei, & miſericordia eius certus eſt quicunque fidem habet.

¶ Ad tertium dicendum, quòd hoc, quòd aliqui habentes ſpem, deficiant à conſecutione beatitudinis, contingit ex defectu liberi arbitrij ponentis obſtaculum peccati, non autem ex defectu diuinæ potentię, vel miſericordiæ, cui ſpes innititur. Vnde hoc non præiudicat certitudini ſpei.

SVMMA TEXTVS.

SVPPOSITO, quòd certitudo dupliciter poteſt alicui cõuenire, vno modo eſſentialiter, alio modo participatiuè reſpondet D. Tho. per duas propoſitiones. Prima concluſio, Spes non habet certitudinem eſſentialiter. Probatur. Certitudo eſſentialiter pertinet ad vim cognoſcitiuam: ſed ſpes non eſt in vi cognoſcitiua, ſed in voluntate vt diximus articulo primo huius quæſtionis, ergo ſpes non habet certitudinem eſſentialiter. ¶ Secũda concluſio. Spes habet certitudinem participatiuè, in quantum, ſcilicet, participans certitudinem à fide, quę eſt in vi cognoſcitiua, infallibiliter tẽdit in

ſuum finem. Hanc concluſionem probat D.Tho.in argumento. Sed contra, ex definitione ſpei, quam ponit Magiſter in.3. d. 25.dicens, Spes eſt certa expectatio futuræ beatitudinis ex meritis & gratia procedēs: quæ definitio colligi poteſt ex illo Paul. 2. ad Timoth.cap.1. Scio cui credidi, & certus ſum, quia potēs eſt Deus depoſitum meū ſeruare, &c.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Certitudo duplici ter poteſt alicui cōuenire.

PRo intelligentia huius articuli eſt aduertendum primo, quòd certitudo dupliciter poteſt alicui conuenire, Vno modo eſſentialiter, quę eſt certitudo cognitionis: & ſic conuenit potentiæ intellectiuæ. Alio modo participatiuè, quæ eſt certitudo inclinationis: & ſic conuenit omni illi, quod à virtute cognoſcitiua aptum eſt moueri infallibiliter in ſuum finem. Inter quos modos certitudinis hoc eſt diſcrimins, vt docet D.Th. in.3.d.26.q.2.ar.4.ad.2. quòd certitudo eſſentialis nunquam poteſt deficere, id enim, quod per ſe conuenit alicui ſemper conuenit. At verò certitudo participatiua poteſt aliquādo deficere: nō quidē, quia ipſa ex ſe non habet certitudinē, ſed quia poteſt impediri ab alio ne finem conſequatur. Vt verbi gratia graue, quod certò deſcēdit deorſum certitudine participata à diuino intellectu mouente, & dirigente, fruſtrari poteſt ab aliquo impediente: & idem contingit in ſpe quæ à fide dirigitur ad ſperandam æternam beatitudinem, & tamen aliunde poteſt impediri, ne eam conſequatur.

Certitudo voluntatis excludit omnē timorem.

¶Secundo eſt aduertendum, quòd quēadmodum intellectus non dicitur certus quando hæſitat inter verum, & falſum, ità etiam voluntas non dicitur certa quādo fluctuat inter odium, & amorem, ſpem & timorem reſpectu eiuſdem obiecti. Ex quo fit, vt, quēadmodum certitudo intellectus excludit omnem dubitationem, & hæſitationem, ità etiam certitudo voluntatis excludat omnem contrariam affectionem, atque ex conſequenti certitudo ſpei, quæ ad voluntatem pertinet, quantum eſt ex parte ſua debet excludere omnem timorē. Cæterum, quia certitudo ſpei eſt participata, vt diximus, idcircò cum ea ſtat non conſequi bonum, quod ſperatur: aliunde enim habet certitudinem, & aliunde quod non adipiſcatur id quod ſperat. Quod, vt explicet D.Bonauen. aduertit, quòd duplex eſt certitudo, vna ordinis, altera euentus: & dicit, quòd ſpes atque natura habent certitudinem ordinis, quia quantū eſt ex ſe infallibiliter tendunt in ſuos fines, non tamē habēt certitudinem euentus, quia de per accidens ratione alicuius impedimenti poſſunt deficere à ſuis finibus. Et hoc eſt, quod voluit ſancti, atque doctores explicare quando dicunt ſpem Chriſtianorum eſſe certiſsimā. Ex dictis poſſumus colligere, quòd cū certitudine ſpei poteſt ſtare timor de non conſequendo bono ſperato. Nam cùm certitudo ſpei ſolùm ſit certitudo ordinis, cū qua poteſt ſtare fruſtratio euentus, manifeſtè ſequitur, quòd poſſumus timere, vt non eueniat quod ſperamus. Et in hoc differt certitudo fidei à certitudine ſpei, quòd certitudo fidei nec per ſe nec per accidens poteſt aliquando deficere: at verò, certitudo ſpei poteſt aliquando deficere ad modum iā explicatum. Pro quo opus erit videre quę nos diximus ſupra.q.4.art.8 de certitudine fidei diſputantes.

Dubium.

¶His ſuppoſitis eſt difficultas, vtrū iſta certitudo ſpei ſit abſoluta, an verò conditionalis. Nam Vega lib.9.in Concil. Trident. cap.38.tenet eſſe conditionatam, & dicit ſpem eſſe certam, quia homo habet hunc actum certum, Spero me conſequuturū vitam æternam ſi in gratia diſceſſero: idē etiā tenet Soto in apologia contra Catherinum cap.4. Quam ſuam ſententiam probāt ex Conci. Trid. Seſsio.6. Cano.26. vbi dicitur iuſtos debere ſperare beatitudinē æternā, ſi bene agendo perſeuerauerint vſque in finem.

ſententia Vegæ & Soti.

Argum. ex Concil. Trid.

1. Concluſio.

¶Hoc tamen non obſtante, ad explicationem difficultatis ſit prima cōcluſio. Certitudo ordinis, quæ eſt propria certitudo ſpei, non eſt cōditionalis, ſed abſoluta. Hęc concluſio videtur eſſe D.Th. in hoc art. qui dicit certitudinem ſpei eſſe, qualis eſt certitudo naturæ. & in.3.diſt.26.q.2.arti.4. dicit certitudinem naturæ eſſe abſolutā. Et probatur. Iſta certitudo ſpei nihil aliud eſt, quàm quædam determinatio inclinationis ipſius ad propriū actum circa propriū obiectū: ſicut certitudo naturæ nihil aliud eſt, quàm determinatio inclinationis rei naturalis ad propriū finē. Certitudo enim nihil aliud eſt, quàm quædam determinatio ad vnum, vt diximus .q.4.artic.8. Sed hęc determinatio eſt abſoluta & nō cōditionalis, ergo & ipſa certitudo ſpei. Conſequentia

cum

cum maiori eſt nota, & minor probatur: nã lapis verbi gratia abſolutè & ſine aliqua cõditione habet inclinationem determinatam ad centrum, & ſpes ad proprium actũ. ¶ Secundo, ſi certitudo ſpei eſſet conditionalis ſequeretur quod nunquam poſſet deficere. Conſequens autem eſt contra D. Thom. & contra omnes doctores, qui communiter dicunt ſpei certitudinem aliquando poſſe deficere, ergo & illud ex quo ſequitur. Probo ſequelam. Nã ſicut non poteſt deficere veritas illius propoſitionis, Quicunque perſeuerauerit vſque in finem ſaluus erit: ita etiam nec iſtius, ſi ego perſeuerauero vſque in finem ſaluus ero, quia vtraque eſt certitudo fidei. ¶ Tertio, Timor opponitur ſpei, ſed actus timoris non eſt conditionatus, ſed abſolutus, ergo nec actus ſpei. Conſequentia cum maiori eſt nota, & minor probatur. Non timet aliquis, ꝙ ſi moriatur in peccato mortali condemnabitur, ſed de hoc eſt certus certitudine fidei, & quod timet eſt quod moriatur in peccato mortali, & ſic quòd condemnabitur, ergo pari ratione nec ſperat aliquis quod ſi moriatur in gratia ſaluabitur: ſed quod ſperat eſt quod ex auxilio diuino vitam in gratia conſummabitꝰ, & ſic ſaluabitur, atq; ex conſequẽti actus ſpei eſt abſolutus.

2. Concluſio.

¶ Secunda concluſio. Certitudo euentus eſt conditionalis in ſpe, & non abſoluta. Probatur. Certitudo euentus in natura eſt conditionalis, & non abſoluta, ergo pari ratione dicendum eſt de ſpe cum vtriuſque certitudo ſit participata. Conſequentia eſt nota, & antecedens probatur. Certitudo euentus in lapide eſt conditionalis, & non abſoluta, non enim eſt certum, quod lapis perueniet ad centrum, niſi ſub conditione, ſcilicet, niſi fuerit impeditus, ergo.

Ad argum. ex Conci. Triden.

¶ Et ad argumentum ex Concil. Tridentino reſpondetur, quòd actus ſpei non debet ferri in illam conditionem, ſi bene agendo, &c. ſed abſolutè in æternam retributionem ex gratia, & meritis conſequendam. Et ꝙ hoc ita ſit patet: nam conciliũ eo in loco ſolum volebat definire contra Lutherum quod æterna beatitudo non ex gratia ſolùm, ſed etiam ex meritis noſtris, quæ à gratia Dei procedunt erat nobis reddenda: & ideo ex illis erat etiam ſperanda. Appoſuitque illam conditionem concilium ſolùm, vt doceret quòd ex meritis erat reddenda beatitudo, niſi in fine vitæ obicem peccati mortalis poſuerimus; quod verum eſt. ¶ Et ſi quis adhuc inſtet, eo modo eſt ſperanda beatitudo, quo Deus illam promiſit, ſed Deus promiſit beatitudinem ſub conditione, ergo ità eſt ſperanda.

Inſtantia.

Reſponſio.

¶ Reſpondetur, quòd illa maior propoſitio poteſt habere duplicem ſenſum. Primus eſt, quòd ſicut Deus promiſit beatitudinem nobis obtinendam ex meritis, ità etiam nos debemus illam ex meritis, & non gratis ſperare: & in hoc ſenſu vera eſt illa maior. Alter ſenſus eſt, quòd ſicut Deus promiſit beatitudinem ſub conditione, ità etiam nos debemus eandem ſub conditione, & non abſolute ſperare. Et in hoc ſenſu falſa eſt illa maior: nam, vt ſupradiximus, ſpes in ſuo actu nullam conditionem apponit. Quin potiùs dico, quòd quemadmodum Deus comminatur æternam damnationem ſub conditione, ſcilicet, ſi peccauerimus, & tamen adhuc timor non fertur in pœnam illam ſub cõditione, ſed abſolutè non enim timemus, quòd ſi moriamur in peccato damnabimus, ſed abſolutè timemus damnari propter peccata: ita etiam non ſperamus, quòd ſi moriamur in gratia ſaluabimur, ſed ſperamus abſolute ſaluari propter bona opera ex Dei auxilio facta: & ſic actus ſpei eſt abſolutus.

Dubium.

¶ Circa id, quod dicit D. Thom. in hoc articulo, ſcilicet, Certitudo participata eſt in omni eo, quod à virtute cognoſcitiua dirigitur infallibiliter in ſuum finem, eſt difficultas, quis nam ſit actus virtutis cognoſcitiuæ, à quo ſpes ſuam certitudinem participat? Quam difficultatem, vt intelligamus eſt aduertendum, quòd ad ſpem Chriſtianam neceſſariò debet præcedere in intellectu iudicium certum, & infallibile certitudine propriè dicta, ad quod ipſa ſpes ſequatur. Et ratio eſt. Nam cum ad ſpem neceſſariò debeat præcedere iudicium, vt diximus quæſtio. 17. artic. 6. ſi hoc iudicium eſt incertum, nec erit ſufficiens ad excitandam certam ſpem in noſtra voluntate, nec etiam ad eleuandam potentiam in bonum tam arduum, ac difficile, quale eſt beatitudo æterna. Duo autem iudicia ſunt, quæ poſſunt concurrere ad actum ſpei, ſcilicet, Ego ſaluabor, vel, poſſum ſaluari ex gratia & meritis. Et ſic de his eſt difficultas, quiſnã iſtorũ actuũ requiratur ad actum ſpei.

Nota.

1. Argum.

¶ De qua re ſunt variæ doctorum ſentẽtiæ. Prima eſt quorundam aſſerentium, ꝙ debet præcedere illud iudiciũ, Ego ſaluabor, nec ſatis eſt ꝙ pręcedat illud, ego poſ

ſum ſaluari ex gratia, & meritis. Quam ſuã ſententiam probant primo: nam, niſi quis habeat hoc iudicium, Ego ſaluabor, nõ ſperabit: ergo illud eſt neceſſarium ad actum ſpei. *2. Argum.* ¶ Secundo, ſublato hoc iudicio, Ego ſaluabor, tãquam non neceſſario ad ſpem; & poſito alio, ſcilicet, poſſum ſaluari, ex gratia & meritis, ſequitur, quòd cum ſpe poſsit ſtare deſperatio, conſequens autem eſt abſurdum, ergo. Probo ſequelã: quia poſito hoc iudicio, ego poſſum ſaluari ex gratia & meritis, adhuc cum illo poteſt eſſe deſperatio, ergo ſi illud ſufficit ad ſpem, ſimul cum ſpe poteſt eſſe deſperatio. Conſequẽtia eſt nota & antecedens probatur. Homo fragilis, qui quotidie cadit bene ſcit, quòd poteſt ſaluari; & tamen adhuc videns lapſus frequentes poteſt deſperare, ergo exiſtente hoc iudicio in intellectu, Ego poſſum ſaluari, adhuc poteſt eſſe deſperatio in voluntate.

1. Concluſio. ¶ His tamen non obſtantibus ad explicationem difficultatis ſit prima concluſio, Illud iudicium, Ego ſaluabor, non eſt neceſſarium ad actum ſpei. Probatur. Illud iudicium ſæpeſæpius eſt falſum, vt patet in omnibus præſcitis, ergo nõ eſt neceſſarium ad actum ſpei. Antecedens eſt manifeſtum, & conſequẽtia probatur: quia homo tenetur habere illud iudicium, quod neceſſarium eſt ad ſperandum, & tamen nullus tenetur habere iudicium falſum. ¶ Secundo, iudicium, quod concurrit ad actum ſpei neceſſariò debet eſſe iudicium fidei, vt ſtatim dicebam, quia ſpes participat ſuam certitudinem à fide, ſed illud iudiciũ, Ego ſaluabor non eſt iudicium fidei, cum poſsit eſſe falſum, ergo illud non eſt neceſſarium ad actum ſpei.

2. Concluſio. ¶ Secunda cõcluſio. Hoc iudicium, Ego poſſum ſaluari ex gratia, & meritis, eſt ſufficiens ad actum ſpei, & concurrit neceſſario ad illum. Hanc concluſionem ſimul cũ priori ponit Vega. lib. 9. in Concilium Tridentinũ cap. 38. & decanus Louanienſis art. 8. videnturque eſſe D. Tho. in hoc art. in ſolutione ad. 2. vbi dicit quod ſpes principaliter innititur potentiæ, & miſericordiæ Dei, de quibus certus eſt quicunque habet fidem, ergo ex ſententia D. Tho. iudiciũ, quo quis iudicat ſe poſſe ſaluari ex gratia, & meritis, eſt quod requiritur ad ſpem. Itẽ, ſpes participat ſuam certitudinẽ à fide, ſed hoc iudicium, Ego poſſum ſaluari ex gratia, & meritis, habet certitudinem fidei: ergo illud requiritur ad ſpem. Verum tamen eſt, quod cum hoc iudicio, Ego poſſum ſaluari, &c. eſt neceſſarium, quòd non habeam iudicium contrarium illi, ego ſaluabor, quale eſt hoc, ego nunquam ſum æternam beatitudinem conſequuturus: nam tali iudicio exiſtente nõ poteſt manere actus ſpei.

¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco, vtrũ ſit licitum habere hoc iudiciò, Ego ſaluabor: vel potius tanquam præſumptuoſum ſit damnandum. *Dubium.* ¶ Ad quod breuiter reſpondetur, quòd, ſi id iudicium habeatur ab eo, qui habet propoſitum ſeruandi diuina mãdata, nec in ſe confidit, ſed in gratia & miſericordia Dei, eſt licitum, & non præſumptuoſum, vt conſtat. *Reſponſio.*

¶ Ad primum argumentum in contrarium factum reſpondetur negando antecedens. *Ad. 1. arg.* ¶ Ad ſecundum reſpondetur negando ſequelam. *Ad. 2. arg.* Et ad probationem dico, verum eſſe, quod cum hoc iudicio, Ego poſsũ ſaluari, poteſt eſſe deſperatio. Ex hoc tamẽ non ſequitur, quòd cum ſpe poſsit eſſe deſperatio. Nam iudicium, ad quod ſequitur ſpes eſt hoc, Ego poſſum ſaluari ex gratia, & meritis, niſi obicem apponam, vel impedimentum: & appoſito obice, quod à peccatore iudicatur ſublatu difficile, vel impoſsibile, bene poteſt in deſperationem venire: nec tunc habebit actum, vel habitum ſpei.

¶ Vltimum dubium circa iſtum articulum eſt, vtrùm ſpes vltra certitudinem, quã habet à fide, habeat aliã, vel à ſe vel ab alia virtute? *Vltimum dubium.* Et ratio dubitandi eſt: nam D. Th. in hoc articulo tantum meminit certitudinis à fide prouenientis.

¶ In hoc tamen ſit concluſio, Spes vltra certitudinem, quam habet à fide habet etiã certitudinem propriam illi conuenientem, in quantum eſt quædam virtus ex ſe inclinans, non ſolum ad ſperandum, ſed etiã ad firmiter ſperandum. *Concluſio.* quæ certitudo etiam inuenitur in omnibus alijs virtutibus, appellaturque ab Alexandro, certitudo affectionis, & à D. Tho. certitudo inclinationis. Probatur, Spes includit facultatem perueniendi ad vitam æternam; quæ facultas prouenit, & ex diuina miſericordia ordinante nos in beatitudinem, & ex actibus omnium aliarum virtutum, quibus illam poſſumus promereri, ergo ex illis actibus in quãtum ſunt meritorij, & ex diuina miſericordia accipit ſpes peculiarem quãdã cer-

certitudinẽ: quam maiorem eſſe in ſpe formata charitate, quam in informi affirmat D.Tho.in.3.d.26.q.2.artic.4.atque ex conſequenti ſpes non tantũ habet certitudinẽ à fide, ſed etiam à ſe, & ab alijs virtutibus.

QVAESTIO DECIMAnona, de Dono timoris, in duodecim articulos diuiſa.

Anno. DEINDE conſiderandum eſt de dono timoris.

¶ Et circa hoc quęrũtur duodecim.

¶ Primo, vtrum Deus debeat timeri.

¶ Secundo, de diuiſione timoris in timorem filialem, initialẽ, ſeruilem, & mundanum.

¶ Tertio, vtrũ timor mundanus ſemper ſit malus.

¶ Quarto, vtrum timor ſeruilis ſit bonus.

¶ Quinto, vtrum ſit idem in ſubſtantia cum filiali.

¶ Sexto, vtrum adueniente charitate excludatur timor ſeruilis.

¶ Septimo, vtrum timor ſit initium ſapientiæ.

¶ Octauo, vtrum timor initialis ſit idem in ſubſtantia cũ timóre filiali.

¶ Nono, vtrum timor ſit donum Spiritus ſancti.

¶ Decimo, vtrum creſcat creſcente charitate.

¶ Vndecimo, vtrũ maneat in patria.

¶ Duodecimo, quid reſpondeat ei in beatitudinibus & fructibus.

3.q.42.art.1.Cor.Et.3.diſt.34.q.2.artic.2.q.1.ad.2.1.2.q.64.artic.1.& q.42.arti.1.& 3.Quæſtio.Lib.2.Rhetor.cap.5.to.6.

ARTICVLVS. I.

¶ *Vtrum Deus poſſit timeri.*

AD PRIMVM ſic proceditur. Videtur quòd Deus timeri non poſsit. Obiectum enim timoris eſt malum futurum, vt ſuprà * habitum eſt. Sed Deus eſt expers omnis mali, cum ſit ipſa bonitas. Ergo Deus timeri non poteſt,

2 ¶ Præterea, Timor ſpei opponitur, ſed ſpem habemus de Deo. Ergo non poſſumus & ſimul eum timere.

3 ¶ Præterea, Sicut Philoſophus dicit 2. Rhetoricæ, illa timemus, de quibus nobis mala proueniunt. Sed mala non proueniunt nobis à Deo, ſed ex nobis ipſis: ſecundum illud Oſeæ.13. Perditio tua ex te Iſrael, ex me auxilium tuum. Ergo, Deus timeri non debet.

¶ SED CONTRA eſt, quod dicitur Ie.1. Quis non timibit te, ô rex gentium. Et Malach.1. Si ego Dominus, vbi timor meus?

¶ RESPONDEO dicendum, ꝙ ſicut ſpes habet duplex obiectum, quorũ vnum eſt ipſum bonum futurum, cuius adeptionẽ quis expectat. Aliud autem eſt auxiliũ alicuius, per quem expectat ſe adipiſci quod ſperat: ita etiã & timor duplex obiectũ habere poteſt. Quorum vnum eſt ipſum malũ, quod homo refugit. Aliud autem eſt illud, à quo malũ prouenire poteſt. Primo ergo modo Deus, qui eſt ipſa bonitas, obiectũ timoris eſſe non poteſt. Sed ſecũdo modo poteſt eſſe obiectum timoris, in quantum ſcilicet ab ipſo, vel per comparationem ad ipſum nobis poteſt aliquod malum imminere. Ab ipſo quidem poteſt nobis imminere malum pœnæ, quod non eſt ſimpliciter malum, ſed ſecundum quid, bonũ autem ſimpliciter. Cum enim bonum dicatur in ordine ad finem, malum autem importet huius ordinis priuationem, illud eſt malum ſimpliciter, quod excludit ordinẽ à fine vltimo quod eſt malũ culpæ. Malũ autẽ pœnæ eſt quidem malum, in quãtum priuat aliquod particulare bonũ. Eſt tamen bonum ſimpliciter, in quantum dependet ab ordine finis vltimi. Per comparationem autem ad Deum poteſt nobis malũ pœnæ prouenire,

ſi ab

ſi ab eo ſeparemur. Et per hunc modum Deus poteſt, & debet timeri.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd ratio illa procedit ſecundũ quod malum quod homo refugit, eſt timoris obiectum.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd in Deo eſt conſiderare & iuſtitiam, ſecundum quam peccantes punit, & miſericordiam, ſecundum quam nos liberat. Secundum ergo conſiderationem ipſius iuſtitiæ, inſurgit in nobis timor: ſecundum autem conſiderationem ipſius miſericordiæ inſurgit in nobis ſpes. Et ita ſecundum diuerſas rationes Deus eſt obiectum ſpei & timoris.

¶ Ad tertium dicendum, quòd malum culpæ non eſt à Deo, ſicut ab actore, ſed à nobiſipſis, in quantum à Deo recedimus. Malum autem pœnæ eſt quidem à Deo actore, in quantum habet rationem boni, prout ſcilicet eſt iuſtum, ſecundum quod iuſtè nobis pœna infligitur. Licet hoc primordialiter ex merito noſtri peccati contingat, ſecundum quem modum dicitur Sap. primo, Quòd Deus mortem non fecit: ſed impij manibus, & verbis accerſierunt illam.

SVMMA TEXTVS.

SVPPOSITO, quòd ſicut ſpes habet duplex obiectũ, vnũ eſt futurum bonum, aliud eſt auxilium, per quod ſperat conſequi illud bonum: ita etiam timor poteſt habere duplex obiectum, vnum eſt malũ, quod homo refugit, alterum eſt illud, à quo malum poteſt prouenire, reſpondetur D. Thom. per aliquot propoſitiones. ℭ Prima concluſio. Deus non poteſt timeri, vt malum, circa quod verſatur timor. Probatur, quia eſt ipſa eſſentia bonitatis. ℭ Secunda concluſio. Deus poteſt timeri quatenus ab ipſo, vel per comparationem ad ipſum poteſt nobis aliquod malum pœnæ prouenire. Probatur, Poteſt Deus nobis inferre pœnam, quæ licet ſit bona ſimpliciter, eſt tamen mala nobis: ergo poteſt hac ratione timeri. ℭ Tertia concluſio, A Deo non poteſt nobis prouenire malum ſimpliciter, quod eſt malũ culpæ, ſed nos illud committimus.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Timor multiplicitèr accipitur.

PRo intelligentia huius materiæ, vt à nomine ipſo exordiamur, aduertendũ eſt, quòd timor pōt accipi tripliciter. Vno modo pro paſſione appetitus, ex parte, qua eſt iraſcibilis, de quo diſſerit D. Tho. 1.2. q. 41. & 42. Alio modo pro habitu vitioſo, qui virtuti fortitudinis apponitur, & alio nomine appellatur timiditas, de quo diſſerit D. Th. 2.2. q. 125. Tertiò modo accipitur pro dono Spiritus ſancti, quod eſt vis quædam diuina vtiliter concutiens hominem, ne immodica ſpe eluus [illegible] ſibi fidat: & de hoc diſſerit D. Tho. in præſenti, omnibus alijs modis timoris ſuis locis relictis.

Timor eſt quidam motus, quo appetitus fugit, ac deteſtatur malum imminens.

ℭ Secũdo eſt aduertendum, quòd, vt docet D. Tho. locis citatis, & colligitur ex Ariſto. lib. 2. Rhetorum, timor eſt quidam motus quo appetitus, ſiue ſenſitiuus, ſiue rationalis fugit, ac deteſtatur magnum malum, quod quanuis cauere à nobis poſſit, non tamen ſine difficultate: apprehenditurq;, vt iam imminẽs. Ex quo ſequitur, quòd parua mala, & etiam illa, quæ licet magna ſint accidere tamen nequeũt, aut longè abſunt, & præterea illa, quæ quanuis immineãt facilè tamen à nobis declinari poſſunt, propriè loquendo non dicãtur timeri. Et quia non ſolum in malum incidere, ſed etiam à bono ſperato decidere habet rationem mali, idcirco metus non ſolum naſcitur ex opinione mali futuri appropinquantis, ſed etiam ex opinione amittendi, vel non conſequendi bonum ſperatum. Ex quo ſequitur, quòd in pluribus metus, & ſpes ſimul concurrant reſpectu eiuſdem obiecti, quanuis ſecundum diuerſas rationes.

Dubium.

ℭ His ſuppoſitis circa primam concluſionem huius articuli eſt difficultas, vtrũ Deus immediatè, & in ſe poſſit timeri. Et pro parte affirmatiua eſt argumẽtum, Deus immediatè, & ſecundum ſeipſum poteſt odio haberi: ergo & timeri. Conſequentia patet: quia vtrũq; eſt de malo, antecedẽs verò probatur. Damnati in inferno odio proſequũtur Deum propter ſe ipſum, ſicut beati diligunt Deũ propter ſe ipſum, ergo Deus immediatè, & ſecũdũ ſe pōt timeri.

Primum argumentum pro parte affirmatiua.

ℭ Secũdo, Deus dicitur bonũ noſtrũ, quia cōfert nobis bona: ergo pari rõe dicetur malũ noſtrũ, quia infert

Secundũ argumentum.

infert nobis mala pœnæ, atque ex conſequenti poterit ſecundum ſe, & immediate timeri.

Concluſio. ¶ Hoc tamen non obſtante dico, quòd concluſio D. Thomæ eſt certiſsima, quam tenent communiter omnes Theologi, & probatur ſufficienter ratione illius in hoc articulo, quæ talis eſt. Timor poteſt habere duplex obiectum, vnum eſt malum, quod homo refugit, & aliud illud, à quo malum poteſt prouenire: ſed Deus non poteſt eſſe obiectum timoris primo modo, ergo nec timeri immediate, & ſecundum ſe.

Ad.1.arg. ¶ Et ad primum argumentum reſpondetur negando antecedens: non enim poteſt Deus ſecundum ſe ipſum odio haberi, vt docet D. Thom. infrà quæſtio.34. Et ad probationem dico, quòd damnati odio proſequuntur Deum, quia per errorem intellectus apprehendunt illum, vt ſummum malum ſuum, cum tamen ſecundum ſe ipſum ſit ſumme diligibilis. *Ad.2.arg.* ¶ Ad ſecundum reſpondetur negando, quòd Deus ſit bonum noſtrum, quia confert nobis bona, quinpotius, quia eſt bonum noſtrum largitur nobis bona: & propter eandem rationem infert mala pœnæ in bonum noſtrũ: malum enim pœnæ non auertit nos ab vltimo fine, ſed potius ducit nos ad Deum. Vnde in pſal. 32. quod incipit: Quam bonus Iſrael Deus ijs, qui recto ſunt corde, cum Propheta recenſet mala pœnæ, quibus Deus affligit ſuos, non appellat eum malum, ſed bonum.

Argumentum contra fundamentum D. Tho. ¶ Sed contra fundamentum, quod D. Tho. ponit in hoc articulo dicens, quòd ſicut ſpes habet duplex obiectum, ita timor, eſt argumentum. Nam hoc videtur eſſe cõtra doctrinam à nobis traditam ſupra quæſtio.17. artic.5. vbi diximus apud philoſophum moralem vnicum tantum eſſe obiectum ſpei, & ex eo intulimus contra Durandum, quod Deus erat immediatum obiectũ ſpei: ergo. *Solutio.* ¶ Reſpondetur tamen, ꝙ hæc duo non contrariantur. Nam in præſenti tantum docet D. Thom. quòd obiectum, cui ſpes innititur, vt primæ cauſæ efficienti, & obiectum, quod ſpes quærit tanquam vltimum finem, apud philoſophum moralem reputantur, vt duo obiecta: quorum vnum appellatur obiectum cui, hoc eſt obiectum, cui ſpes innititur, alterum autem obiectum, quod, hoc eſt, obiectum, quod ſpes quærit. At verò nos in ſuperioribus docuimus quod in ipſo obiecto, quod erant duæ res, quæ quanuis apud metaphyſicum diſtinctæ, ſcilicet, Deus, & viſio ipſius, tamen apud philoſophum moralem ex vtraque conſtituitur vnum obiectum immediatum gaudij in patria, & ſpei in via: & ſic hæc non opponuntur. *Nota.* ¶ Sed eſt aduertendum, quòd quanuis in ſpe ſint duo, ſcilicet, bonum, quod ſperatur, & is, à quo ſperatur: & ſimiliter in timore ſint alia duo, ſcilicet, malum quod timetur, & is, à quo id malum poteſt prouenire, iſta tamen aliter ſunt in ſpe & aliter in timore. Nam in ſpe idem eſt bonum, quod percipi ſperatur, & Deus à quo illud bonũ ſperatur: at verò in timore malum, quod timetur, re diſtinguitur à Deo inflictore. Et hoc ſatis eſt ad hoc, vt timor non dicatur habere Deum pro obiecto immediato, vt diximus de ſpe. q.17. art.5.

Nota circa ſecundã concluſionẽ D. Tho. ¶ Circa ſecundam cõcluſionem D. Tho. eſt aduertendum, quòd pœna eſt duplex. Vna, quæ nullam habet rationem culpæ, vt mors, ægritudo, & alia huiuſmodi: quæ omnia inſunt nobis à Deo iuxta illud Amos tertio, Si erit malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit. Alia pœna eſt, quæ habet rationem culpæ, quales fuerunt illæ paſsiones, & ignominiæ, & reprobus ſenſus, quorum mentionem facit Paul. ad Roma.1. & de his loquitur Diuus Tho. in ſecunda concluſione quando dicit, quòd aliqua mala pœnæ poſſunt nobis prouenire per comparationem ad Deum. Sunt enim talia mala in nobis non ab ipſo Deo tanquam à cauſa, cum Deus nullius peccati poſsit eſſe cauſa: ſed per comparationem ad Deum, hoc eſt, ipſo Deo permittente, vt propter aliqua peccata incidamus in maiora crimina. Vel poſſumus ſecũdo dicere, & melius, quòd illam particulam, per comparationem, poſuit D. Tho. propter amorem filialem, quia, vt infrà dicemus habet pro maxima pœna ſeparari à Deo: nihil enim eſt ita graue & moleſtum amanti Deum, ac ſeparari ab illo. Qua ratione non ſolùm peccata, quæ ſunt pœna præcedentium delictorum, habẽt rationem pœnæ, ſed etiam quodcunque aliud peccatum. Nec tamen iſta pœna dicitur eſſe à Deo, ſed per comparationem ad Deum quatenus, ſcilicet, per tale peccatum ſeparamur à Deo. Et propterea dicit in concluſione quod poteſt Deus timeri quatenus ab ipſo & per comparationem ad ipſum poteſt nobis aliquod malũ pœnæ prouenire.

ARTI-

ARTICVLVS II.

Vtrùm timor conuenienter diuidatur in filialem, initialem, ſeruilem, & mundanum.

3.d.34.q.2. art.1.q.2.et 3e.q.2.art. 10. ad. 13. Et Roma. 8. lec.3. Damaſ. lib. ortho. fidei cap.15. 1.2.q.41.ar tic.4.

AD SECVNDVM ſic proceditur. Videtur quòd inconuenienter diuidatur timor in filialem, initialem, ſeruilem, & mũdanum. Damaſcenus* enim in ſecundo lib. ponit ſex ſpecies timoris, ſcilicet, ſegnitiem, erubeſcentiam, & alia, de quibus ſuprà dictum* eſt, quæ in hac diuiſione non tanguntur. Ergo videtur, quòd hæc diuiſio timoris ſit inconueniens.

2 ¶Præterea, Quilibet horum timorum, vel eſt bonus vel malus. Sed aliquis eſt timor, ſcilicet, naturalis, qui neq; bonus eſt moraliter, cũ ſit in Dæmonibus, ſecundum illud Iaco.2. Dęmones credunt, & contremiſcunt. Neque etiam malus cum ſit in Chriſto, ſecundum illud Matth.14. Cœpit Ieſus pauere & tædere. Ergo timor inſufficienter diuiditur, ſecundum prędicta.

3 ¶Præterea, Alia eſt habitudo filij ad patrem, & vxoris ad virum, & ſerui ad dominũ. Sed timor filialis, qui eſt filij in comparatione ad patrem, diſtinguitur à timore ſeruili, qui eſt ſerui per comparationem ad dominum, ergo etiam timor caſtus, qui videtur eſſe vxoris per cõparationẽ ad virũ, debet diſtingui ab omnib⁹ iſtis timorib⁹.

4 ¶Preterea, Sicut timor ſeruilis timet pœnam, ita timor initialis & mundanus. Non ergo debuerunt ab inuicem diſtingui iſti timores.

5 ¶Præterea, Sicut concupiſcentia eſt boni, ita etiam timor eſt mali. Sed alia eſt concupiſcẽtia oculorum, qua quis concupiſcit bona mundi: alia eſt cõcupiſcentia carnis, qua quis concupiſcit delectationem propriam, ergo etiam alius eſt timor mundanus, quo quis timet amittere bona exteriora, & alius eſt timor humanus, quo quis timet propriæ perſonæ detrimentum.

¶SED CONTRA eſt authoritas Magiſtri.34.d.3.lib.ſententiarum.

¶RESPONDEO dicendum, quòd de timore nunc agimus, ſecundum quod per ipſum aliquo modo ad Deũ conuertimur, vel ab eo auertimur. Cum enim obiectum timoris ſit malum, quandoque homo propter mala quæ timet, à Deo recedit, & iſte dicitur timor humanus, vel mundanus. Quandoque autem homo propter mala, quæ timet ad Deum conuertitur, & inhęret. Quod quidem malum eſt duplex, ſcilicet, malum pœnæ, & malum culpæ. Si ergo aliquis conuertatur ad Deum, & ei inhæreat propter timorem pœnæ, erit timor ſeruilis. Si autem propter timorem culpæ erit timor filialis. Nam filiorum eſt timere offenſam patris. Si autem propter vtrumque, eſt timor initialis, qui eſt medius inter vtrumque timorem. Vtrum autem malum culpæ poſſit timeri, ſuprà dictum* eſt, cum de paſſione timoris ageretur. 1.2.q.42. art.3.

¶AD PRIMVM ergo dicendum, quòd Dam. diuidit timorem, ſecundum quod eſt paſſio animæ. Hæc autem diuiſio timoris attenditur in ordine ad Deum. vt* dictum eſt. In corp. art.

¶Ad ſecundum dicendum, quòd bonũ morale præcipuè conſiſtit in conuerſione ad Deum, malum autem morale in auerſione à Deo: & ideo omnes prædicti timores morales, vel important malum morale, vel bonum. Sed timor naturalis prȩſupponitur bono & malo morali: & ideo non connumeratur inter iſtos timores.

¶Ad tertium dicendum, quòd habitudo ſerui ad dominum eſt per poteſtatẽ domini ſeruũ ſibi ſubijciẽtis. Sed habitudo filij ad patrem, vel vxoris ad virum eſt econuerſo per affectum filij ſe ſubdentis patri, vel vxoris ſe coniungentis viro vnione amoris. Vnde timor filialis, & caſtus ad idem pertinent: quia per charitatis amorẽ Deus pater

pater noſter efficitur, ſecundum illud Roma.8. Accepiſtis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba pater. Et ſecundum eandem charitatem dicitur etiam ſponſus noſter, ſecundum illud. 2. ad Corin. 11. Deſpondi vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto. Timor autem ſeruilis ad aliud pertinet: quia charitatem in ſui ratione non includit.

¶ Ad quartum dicendum, quòd prædicti tres timores reſpiciunt pœnam, ſed diuerſimodè. Nam timor mundanus, ſiue humanus reſpicit pœnam à Deo auertentem, quam quandoque inimici Dei infligunt, vel comminantur. Sed timor ſeruilis & initialis reſpiciunt pœnam, per quam homines attrahuntur ad Deū diuinitus inflictam, vel comminatam, quam quidem pœnam principaliter timor ſeruilis reſpicit, timor autem initialis ſecundario.

¶ Ad quintum dicendum, quòd eadem ratione homo à Deo auertitur propter timorem amittēdi bona mundana, & propter timorem amittendi incolumitatem proprij corporis, quia bona exteriora ad corpus pertinent. Et ideo vterque timor hic pro eodem computatur: quanuis mala, quæ timentur ſint diuerſa, ſicut & bona, quę concupiſcuntur. Ex qua quidem diuerſitate prouenit diuerſitas peccatorum ſecundum ſpeciem: quibus tamen omnibus commune eſt à Deo abducere.

SVMMA TEXTVS.

Concluſio eſt affirmatiua, & probatur. Homo propter malū, quod timet, aut recedit à Deo, & ſic timor, quem habet, eſt mundanus, aut conuertitur in Deum, & tunc, vel malum, quod timet, eſt malum pœnæ, & ſic eſt timor ſeruilis, vel malum culpæ, & ſic eſt timor filialis, vel ſimul pœnæ & culpæ, & ſic eſt timor initialis, qui medium tenet inter ſeruilem & filialem, ergo timor ſufficienter diuiditur in filialem initialem, ſeruilem, & mundanum.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Circa iſtum articulum eſt aduertēdum, quòd horum timorum expreſſa mentio fit in ſacris literis. Nam de timore filiali dicitur in pſalm. 18. Timor Domini ſanctus permanet in ſeculum ſeculi: & de timore ſeruili, primæ Ioannis. 4. Timor non eſt in charitate, ſed perfecta charitas foras mittit timorem: & Matthæ. 10. Illum timete, qui poſtquam occiderit habet poteſtatem mittendi in Gehennam. De timore initiali quanuis non ſint tam aperta teſtimonia in ſacris literis, propterea quòd iſte timor non diſtinguitur à ſeruili, & filiali, ſed eſt quid conſtans ex vtroque, poteſt tamen de eo commode explicari illud, quod dicitur Eccleſiaſt. cap. 2. Fili accedens ad ſeruitutem Dei ſta in iuſtitia, & in timore, & præpara animam tuam ad tentationem. Tandem de timore mundano intelligitur illud Matth. 10. Nolite timere eos, qui occidunt corpus, &c.

Dubium.

℄ Sed eſt difficultas, vtrùm malū culpę ſit immediatum obiectum timoris filialis? Et pro parte negatiua argumentor primo. Timor filialis fuit in Chriſto, vt conſtat ex illo Iſaiæ cap. 11. repleuit eum ſpiritu timoris Domini, & tamen Chriſtus non timebat culpam cum ſciret ſe omnino peccare non poſſe: ergo malum culpæ non eſt immediatum obiectum timoris filialis. *1. Argumētum pro parte negatiua.*

℄ Item beati in patria habent timorem filialem iuxta illud Iob. cap. 26. Columnæ cæli contremiſcunt, & pauent ad nutum eius, hoc eſt, Angeli, vt doctores communiter interpretantur: & tamen beati non poſſunt culpam committere, ergo malum culpæ non eſt immediatum obiectum timoris filialis. *2. Argum.* ℄ Tertio, obiectū timoris eſt malum, non quodcunque ſed malum arduum: id eſt, quod ſine magna difficultate vitari non poteſt: ſed quæcunque culpa facili negotio poteſt vitari, cum illa proprio hominis arbitrio committatur, ergo malum culpæ nullius timoris poteſt eſſe obiectum. *3. Argum.* ℄ Quarto, timor verſatur circa proprium malum, quod proprio bono aduerſatur, ſed culpa ex ratione ſua eſt malum contrarium bono diuino, ergo nullius timoris poteſt eſſe obiectum. *4. Argum.* ℄ Vltimo, charitas deteſtatur culpā quatenus eſt contraria bono diuino, ergo timor alia ratione fugit eam, ſcilicet, quatenus eſt contraria bono noſtro: atque ex conſequenti *Vltimum argumentum.*

culpa

culpa ſub ratione culpæ non poteſt eſſe obiectum timoris. Et confirmatur ex D. Tho. qui. 1. 2. quæſt. 42. art. 3. pro comperto habet malum culpæ non poſſe timeri, idque probat teſtimonio. Ariſtot. lib. 2. Rhetoricorum cap. 5. dicentis, quòd non omnia mala timentur, puta ſi aliquis erit iniuſtus aut tardus, ergo.

Sententia Durandi. ¶ Propter hæc argumenta Durandus in 3. diſt. 34. quæſt. 4. dicit malum culpæ non eſſe immediatum obiectũ timoris filialis, ſed quòd filius immediate timet eſt ſeparari à patre, & ideò timet offenſam. Ex quo ſequitur, quòd ſeparatio à Deo, quæ eſt pœna damni eſt immediatum obiectum timoris filialis, culpa verò eſt obiectũ mediatũ.

Sententia D. Tho. ¶ Ceterum D. Tho. in hoc articulo apertè fatetur præcipuum obiectum timoris filialis eſſe offenſam Dei. Quam etiam ſententiam tenet Magiſter in. 3. diſt. 34. & D. Auguſtinus, de verbis Apoſtoli tractat. 13. 18. & 19. & ſuper Ioan. tract. 43. & 85. & in Epiſtola. 120. & ſuper epiſtolam ad Roma. cap. 8. in illa verba, Non accepiſtis ſpiritum ſeruitutis in timore. Ponitque D. Auguſtinus pulchrum exemplum ad explicãdam differentiam inter timorem ſeruilem, & filialem de duabus mulieribus, quarum vna cauet adulteriũ timore pœnæ, cuius timor eſt ſeruilis, alia verò amore viri, cuius timor eſt caſtus, ac filialis.

1. Concluſio. ¶ Quocircà ad explicationem difficultatis ſit prima concluſio, culpa vt ſic, ſecluſa omni pœna, & ſecluſo omni ordine, quem habet ad illam poteſt eſſe immediatum obiectum timoris, in quantum timor verſatur circa malũ poſsibile imminens. Probatur. Culpa, & offenſa Dei ſecluſa omni pœna, & omni ordine ad eam eſt maximum malum peccatoris, cum formaliter, & directè priuet illum maximis bonis, ſcilicet, gratia, virtutibus, ac rectitudine rationis: ergo culpa, vt ſic ſecluſa omni pœna poteſt eſſe immediatum obiectum timoris.

2. Concluſio. ¶ Secunda concluſio, Culpa quatenus eſt voluntaria non poteſt eſſe obiectum timoris. Probatur. Timor proprie loquendo eſt de malo inuoluntario, vt docet D. Tho. 1. 2. quæſt. 42. art. 1. ergo culpa quatenus eſt à voluntate non poteſt eſſe obiectum timoris.

3. Concluſio. ¶ Tertia concluſio. Culpa quatenus eſt à cauſa extrinſeca impellente nos ad peccandum, poteſt eſſe obiectum timoris. Probatur. Culpa ſecundum iſtam cõſiderationem habet rationem mali inuoluntarij, ergo ſecundum eandem rationem poteſt eſſe obiectum timoris.

¶ Quarta concluſio. Probabiliter dici poteſt, quòd culpa abſolute loquendo poteſt eſſe obiectum timoris. Probatur. Culpæ, quanuis ſit voluntaria ſimpliciter ſemper tamen ineſt aliqua ratio inuoluntarij, in quãtum, ſcilicet, vt docet philoſophus, omnis peccans eſt ignorans, vel priuatiue, quia non habet ſcientiam, quam poteſt, & tenetur habere, vel poſitiuè, quia habet errorẽ contrarium: ſed hæc ignorantia cauſat aliquo modo inuoluntarium: ergo culpa aliqua ex parte eſt inuoluntaria: ac proinde ſecundum ſe, & abſolute conſiderata poteſt eſſe obiectum timoris. *4. Concluſio.*

¶ Ad primum argumentum vt reſpondeamus ſupponendum eſt primo quòd, vt communiter docent doctores, timor filialis oritur à duplici radice, ſcilicet, à cognitione diuinæ magnitudinis, vel maieſtatis, & à dilectione Dei: & in quantũ oritur à priori radice appellatur timor, in quantum verò oritur ex ſecunda appellatur filialis. Secundo eſt aduertendum, quòd timor filialis habet tres actus. Primus & infimus eſt timere culpam, quatenus eſt magnum noſtrum malum: malum enim noſtrum eſt à Deo ſeparari. Secundus actus eſt timere culpam, quatenus eſt contraria bono diuino: qui actus perfectione ſuperat priorem: nam primus oritur ex charitate, qua nos ipſos diligimus, & ſecundus à charitate, qua diligimus Deum. Tertius & ſupremus actus timoris filialis eſt quidam honor, & reuerentia diuinæ maieſtatis, qua homo refugit æquari Deo conſiderata eius immenſitate, & excellentia. His ſuppoſitis dico, quòd timor filialis, quantum ad primum & ſecundum actum non extitit in Chriſto, bene tamen quantum ad tertium, & quantum ad eundem etiam exiſtit in beatis. Vnde D. Dionyſius in lib. de Cœleſti Hierarchia. c. 13. dicit, quòd cum Eſai. cap. 6. inducuntur Seraphim velantes faciem duabus alis, & tegentes pedes alijs duabus, ſignificatur reuerentia, & timor, quo illi ſpiritus afficiebantur erga Deum, iuxta illud Iob cap. 26. Columnæ cœli contremiſcunt, & pauent, & c. De hac re eſt videndus D. Gregorius lib. 17 Moralium. cap. 14. & Alphonſus à Caſtro lib. 4. de hæreſi. verbo, Chriſtus, hæreſi. 9. & verbo, timor Dei. lib. 14. Et per hoc patet ſolutio ad primũ & ſecundũ argumẽtũ. *Ad 1. & 2. argum.* *Timor filialis habet tres actus.*

¶ Ad

Ad.3.argu. ¶ Ad tertium reſpondetur, quòd, vt conſtat ex iis, quæ diximus, culpa poteſt conſiderari dupliciter. Vno modo inquantum pendet a libera voluntate: & vt ſic non eſt obiectum timoris, ſed odij, vt diximus in ſecunda concluſione: obiectum enim timoris neceſſariò debet eſſe malum arduum, & difficile, quod vix depelli poſsit. Alio modo poteſt conſiderari ex parte cauſarum, quę inclinant, & incitant hominem ad peccandum: & ſecundum iſtam conſiderationem, ſi cauſa inclinans habuerit vim poterit malum culpæ eſſe obiectum timoris, vt diximus in tertia concluſione. *Ad. 4.arg.* ¶ Ad quartum reſpondetur conceſſo antecedenti, negando conſequentiā. Et ratio eſt, quia quēadmodū ſi manus hominis haberet vſum rationis, ac liberi arbitrij, amor naturalis efficeret in ea, vt malū capitis exiſtitimaret proprium, illudque ſugeret, ac timeret magis, quàm proprium, ſic etiam charitas efficit in nobis, vt fugiamus, ac timeamus culpam, non ſolum quatenus eſt contraria bono noſtro, ſed etiam & præcipuè quatenus eſt cōtraria bono diuino. *Ad vltimum.* ¶ Ad vltimū reſpondetur, ꝙ charitas deteſtatur culpam per actum odij, qui eſt circa malum abſolutè, ſiuè illud ſit præſens, ſiuè futurum. At verò timor filialis fugit eandem culpam, quatenus eſt malum futurum arduum, & ſic ſub vna ratione charitas deteſtatur culpam, & ſub alia fugit illā amor filialis. Ad confirmationem ex D. Thom. reſpondetur, quod probat noſtram ſecundam concluſionem.

Aliud argu: Durandi. ¶ Sed vltra hæc argumenta eſt aliud, quod facit Durandus ad probādum, quòd culpa non poteſt eſſe obiectū timòris, quia videtur habere difficultatē. Argumentum autem eſt huiuſmodi: Nō peccare eſt actus imperatus à timore, ergo peccatum non poteſt eſſe obiectum timoris. Conſequentia patet: nā actus imperatus ab aliqua potentia, vel virtute non poteſt eſſe obiectum illius, potentia enim vel virtus nō poteſt ferri in proprium obiectum, niſi per actum immediatè a ſe elicitum. Vt, verbi gratia, potentia viſiua non fertur in colorem, niſi per viſionem à ſe elicitam, nec etiam intellectus, aut voluntas fertur in verum, aut in bonum, niſi per actus à ſe elicitos. Antecedens verò probatur, quoniam filius timet patrem, vel homo Deū per illum timorem præcipit ne peccet, vel illum offendat, ergo non peccare eſt actus imperatus à timore.

¶ Ad hoc agumentū, vt reſpondeamus *Nota pro ſolutione arg.* aduertendum eſt ex D. Thom. in. 3.d.34. quæſt.2.artic.3.quæſtiunc.2.quòd in vnoquoq; timore inuenitur duplex actus, vnꝰ principalis, & elicitus, qui eſt fuga mali, qđ timetur: alter minus principalis & imperatus à timore ad vitandum malum, quod timetur. Verbi gratia, in timore mundano actus elicitus ab illo eſt fugere mala temporalia, actus verò imperatus eſt committere culpam ad vitanda illa mala. Item in timore ſeruili actus elicitus eſt timere pœnam inferni, imperatus verò eſt non peccare ad vitandam illam pœnam. In timore autem filiali ipſum peccatum, vt eſt offenſa Dei, eſt immediatum obiectum actus eliciti à timore: ſtatim enim ac obijcitur peccatum ſub ratione offenſę Dei, timor refugit illud & ſic illa fuga peccati eſt actus elicitus à timore filiali, imperatus autem eſt non committere peccatum. Quo ſuppoſito ad argu *Ad argum.* mentum Durandi reſpondetur concedendo, quòd non peccare ſit actus imperatus à timore, nego tamen, quòd ipſum non peccare ſit obiectum immediatum timoris filialis: ſed obiectum immediatum timoris filialis eſt offenſa Dei, quam per actum à ſe elicitum refugit, & actus ad hoc imperatus eſt nō peccare, vt iam explicauimus. Et ſic patet quod actus imperatus non eſt obiectum actus eliciti ab aliqua potentia, vel virtute, vt nitebatur probare argumētum.

¶ Circa ſolutionem ad quintum argu- *Dubium circa ſolutionē ad.5.arg.D. Tho.* mentum eſt difficultas ex Caietano in præſenti, Vtrùm peccatum cōmiſſum ex timore amittendi bona temporalia ſit ſpecie diſtinctum à ſimili peccato commiſſo ex timore amittendi incolumitatem corporis. *Nota.* Ad cuius dubij explicationē aduertendum eſt, quòd omnis timor procedit ex amore, nullus enim timet amittere niſi ea, quæ amat. Cæterum dupliciter poteſt contingere, quòd aliquis amet bona corporis, vel alia bona exteriora. Vno modo indebitè, & ſine ordine, quo modo auarus amat diuitias, & luxurioſus carnales delectationes: alio modo debitè & ordinatè. Quo ſuppo- *Sententia auctoris.* ſito dico, ꝙ qui timens amittere bona exteriora, quæ licitè amat, & ordinatè, fidem negat, vel committit quoduis aliud peccatum, non peccat peccatū ſpecie diſtinctum ab eo, qui inordinatè timens amittere incolumitatem corporis ſimiliter negat fidem, vel committit aliud quoduis peccatum. Et ratio eſt, quia in vtroque iſtorum peccato-

rum eadem malitia, & deformitas inuenitur, ſcilicet, infidelitas, vel alterius peccati. Et in hoc ſenſu habet verum doctrina Caietani poſita. t. 2. quæſt. 72. artic. 3. vbi dicit, quòd adulterium commiſſum ex amore, & adulterium commiſſum ex timore mali temporalis, non differunt ſpecie: nec ſimiliter adulterium commiſſum ex timore mali temporalis differt ſpecie ab adulterio commiſſo ex timore mali corporalis: quia vnam duntaxat habent deformitatem iſta adulteria. Si verò aliquis timens amittere bona exteriora quę inordinate amat, vt auarus, negat fidem, committit peccatum ſpecie diſtinctum ob eo, qui fidem negauerit ex timore amittendi bona corporis, quæ etiam amat inordinate. Et ratio eſt, quia in vtroque iſtorum peccatorum inuenitur duplex deformitas atque malitia, vna eſt auaritiæ in vno, & luxuriæ in altero: altera eſt infidelitatis in vtroque. Et quia alterius rationis eſt malitia auaritiæ à malitia luxuriæ, idcirco illa duo peccata ſunt diſtincta ſpecie inter ſe ſe, & diſtingũtur ex diuerſitate obiectorum, vt docet D. Tho. 1. 2. quæſt. 72. art. 1. Ex dictis infertur, quòd quando aliquod peccatum committitur propter finem licitum, & honeſtũ, vt cum quis adulteratur, vt paret ſibi cibum, vel, vt ſeruet ſe incolumem, non inducit aliam deformitatẽ ab adulterio: nec ille finis appoſitus auget, ſed potius minuit grauitatẽ adulterij. Vide Caiet. in hoc artic.

ARTICVLVS III.

Vtrùm timor mundanus ſemper ſit malus.

3. d. 34. q. 2. a. 1. q. 3. cor. Et Ro. 8. le. 3. ADTERTIVM ſic proceditur. Videtur ꝙ timor mũdanus non ſemper ſit malus. Ad timorem enim humanum pertinere videtur, ꝙ homines reueremur. Sed quidam vituperantur de hoc, quòd homines non reuerentur, vt patet Luc. 18. de illo iudice iniquo, qui nec Deum timebat, nec homines reuerebatur. ergo videtur, ꝙ timor mundanus non ſemper ſit malus.

2 ¶ Prętereа, Ad timorẽ mundanum videntur pertinere pœnæ, quæ per poteſtates ſeculares infliguntur. Sed per huiuſmodi pœnas prouocamur ad bene agendum, ſecundum illud Rom. 13. Vis non timere poteſtatẽ? bonum fac, & habebis laudem ex illa, ergo timor mundanus nõ ſemper eſt malus.

3 ¶ Præterea, Illud quod ineſt nobis naturaliter, non videtur eſſe malum, eo, quòd naturalia ſunt nobis à Deo, ſed naturale eſt homini, vt timeat proprij corporis detrimentum, & amiſsionem bonorum temporalium, quibus pręſens vita ſuſtentatur. Ergo videtur, quòd timor mundanus non ſit ſemper malus.

¶ SED CONTRA eſt, quòd Dominus dixit Matthæi. 10. Nolite timere eos, qui corpus occidunt: vbi timor mundanus prohibetur. Nihil autem diuinitus prohibetur niſi malum, Ergo timor mundanus eſt malus.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd ſicut ex ſuprà dictis patet, actus morales, & habitus ex obiectis nomen & ſpeciem habent. Proprium autem obiectũ appetitiui motus eſt bonum finale, & ideo à proprio fine omnis motus appetitiuus, & ſpecificatur, & nominatur. Si quis enim cupiditatem nominaret amorem laboris, quia propter cupiditatem homines laborant, nõ rectè nominaret. Non enim cupidi laborem quærunt ſicut finem, ſed ſicut id, quod eſt ad finẽ. Sicut finem autem quærunt diuitias. Vnde cupiditas rectè nominatur deſiderium, vel amor diuitiarum, quod eſt malum. Et per hunc modũ amor mundanus propriè dicitur, quo aliquis mundo innititur tanquam fini: & ſic amor mundanus ſemper eſt malus. Timor autem ex amore naſcitur. Illud enim timet homo amittere, quod amat: vt patet per Auguſt. in libro. 83. quæſtionum. Et ideo timor mundanus eſt, qui procedit ab amore mundano, tanquam à mala radice. Et ꝓpter hoc ipſe timor mundanus ſemper eſt malus. 1. 2. q. 1. a. 3. & ſupra q. 10. ar. 2. Lib. 83. q. 33 to. 4.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quod aliquis poteſt reuereri homines

mines dupliciter. Vno modo inquantum eſt in eis aliquod diuinũ, puta bonum gratiæ, vel virtutis, vel ſaltē naturalis Dei imaginis: & hoc modo vituperantur, qui homines nō reuerentur. Alio modo poteſt aliquis homines reuereri, inquantũ Deo contrariantur, & ſic laudantur, qui homines nō reuerentur: ſecundum illud Eccleſ. 48. de Elia, vel de Eliſeo, In diebus ſuis non pertimuit principem.

¶ Ad ſecundũ dicendum, ꝙ poteſtates ſeculares, quando inferunt pœnas ad retrahēdum à peccato, in hoc ſunt Dei miniſtri: ſecundũ illud Rom. 13. Miniſter enim Dei eſt vindex in iram ei, qui malũ agit. Et ſecundum hoc timere poteſtatē ſecularem nō pertinet ad timorem mundanum, ſed ad timorem ſeruilem, vel initialem.

¶ Ad tertium dicendum, ꝙ hoc eſt naturale, quod homo refugiat proprij corporis detrimentum & damna temporaliũ rerum. Sed ꝙ homo propter iſta recedat à iuſtitia, eſt contra rationem naturalē. Vnde Philoſophus dicit in. 3. Ethic. Quòd quædã ſunt, ſcilicet, peccatorum opera, ad quæ nullo timore aliquis debet cogi: quia peius eſt huiuſmodi peccata cōmittere, quã pœnas quaſcunq; pati. *Lib. 3. Eth. c. 1. ante med. to. 5.*

SVMMA TEXTVS.

Conclusio eſt affirmatiua, & probatur. Amor mũdanus ſemper eſt malus, ſed timor mundanus ſemper oritur ex amore mũdano: ergo timor mundanus ſemper eſt malus. Cōſequētia eſt nota, & maior patet: nam actus humani ex fine ſpecificantur, & denominantur, finis autē amoris mundani ſemper eſt malus: cũ is dicatur amor mundanus propriè, quo quis nititur mundo tãquàm fini. Minor verò probatur ex D. Auguſtino, qui lib. 83. quæſtionum queſt. 33. dicit, timorem mundanum oriri ex amore mundano, tanquam à mala radice.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Dubium de amore mundano.

Circa iſtũ articulum eſt aduertendum, quòd cum timor mũdanus, de quo in præſenti eſt ſermo, ſemper oriatur ex amore mundano, tanquã à mala radice, vt ex D. Auguſtino docet D. Th. in præſenti idcircò ad explicandum quid ſit timor mũdanus operæpretiũ erit, vt prius explicemus, quidnam ſit amor mũdanus. ¶ Ad quam difficultatem Adrianus quodlib. 7. artic. 2. reſpondet, ꝙ amor mundanus nihil aliud eſt, quã amor creaturæ nimis intēſus. Quã ſuã ſententiã probat. Primò, Amor creaturæ vitioſus mortaliter appellatur à doctoribus mundanus: ſed amor creaturæ nimis intenſus eſt vitioſus mortaliter, vt conſtat ex D. Hieronymo lib. 1. contra Iouinianum, & refertur. 32. quæſt. 4. ca. Origo. vbi dicit eum eſſe adulterum, qui propriã vxorem ardenter amat: ergo amor creaturæ nimis intenſus eſt amor mundanus. ¶ Secundò, Vnuſquiſq; tenetur eſſe animo paratus ad abijciendum omnia pro Chriſto, ſi opus fuerit, iuxta illud Lucæ. 14. qui non renunciauerit omnibus, quæ poſsidet non poteſt meus eſſe diſcipulus: ſed qui amore nimis intenſo proſequitur creaturas, is non videtur eſſe animo paratus ad abijciendum omnia pro Chriſto, ergo talis peccat mortaliter, atque ex conſequenti eius amor eſt mundanus. *Sētentia Adriani.* *1. Argum.* *2. Argum.*

¶ Pro explicatione huius difficultatis aduertendum eſt primò, quòd propriè loquendo non dicitur quis amare, niſi eam rem, quam tãquam finem quærit. Ex quo fit, vt quamuis ille, qui ægrotat velit & ſanitatem, & potionem, qua ſanitatem eſt comparaturus, non tamē dicitur propriè loquēdo amare potionē, ſed illã eligere, & amat ſanitatem, ad quam tanquam ad finem potionem ordinat. Duplex autem eſt amor, vnus, quo ferimur in Deum tãquam in finem: alter quo ferimur in creaturam etiam tanquam in finem. Primus eſt honeſtus & bonus, poſterior verò turpis ac malus. *1. Notabile.*

¶ Secundò eſt aduertendum, ꝙ nullus amor malus & inhoneſtus dicitur mundanus, niſi ſit peccatum mortale, iuxta illud. 1. Ioan. c. 6. Nolite diligere mũdum, nec ea quæ ſunt in mũdo, ſi quis diligit mundum nō eſt charitas patris in eo. & Iacob. 4. Qui voluerit amicus eſſe huius ſeculi inimicus Dei conſtituitur. Ex quo infertur primò, ꝙ amor creaturæ, ſi moderatus fuerit, & rationi ac legi Dei conſentaneus, non poterit appellari mundanus: tum, quia non eſt peccatum, tum etiam, quia cum per eum non quæratur creatura, vt finis, potius electio, *2. Notabile.*

quam amor erit dicendus. Infero ſecundò, ꝙ amor creaturæ leuiter immoderatus, & parum metas rationis excedens non erit dicendus mundanus. Et ratio eſt, quia nõ eſt peccatũ mortale, ſed veniale. De hac re eſt videndus D. Auguſt. li. 21. de Ciuitat. c. 26.

1. Concluſio. ¶ His conſtitutis ſit prima concluſio, Amor creaturæ propriè loquendo non eſt dicendus mundanus propter ſolam intenſionem, quanuis illa ſit maxima. Hæc concluſio eſt cõtra Adrian. & probatur primò, Amor creaturæ intenſus per ſe loquendo non eſt malus: ergo amor creaturæ propriè loquendo propter intenſionem non poteſt dici mundanus. Conſequentia patet ex poſitis fundamentis, & antecedens probatur. Intenſio non variat ſpeciẽ actus, nec eum facit de bono malum: ſi enim remiſſus amor creaturæ non eſt peccatũ, nec intenſus erit peccatum propter ſolam intẽſionem; ergo amor creaturę intenſus per ſe loquendo nõ eſt malus. Secũdò, Timor mortis, aut cuiuſcunq; incommodi tẽporalis licet magnam habeat intenſionẽ non eſt malus, aut mundanus, niſi quando ex eo violatur diuinum præceptum: ergo pari ratione amor cuiuſcunque creaturæ etſi ſit valde intenſus nõ tamẽ erit malus, aut mundanus, niſi quando propter eum frangitur diuina lex iuxta doctrinam D. Auguſt. libr. 14. de Ciuitate. ca. 28. vbi dicit, ꝙ amor ſui creſcens vſq; ad contemptũ Dei, hoc eſt, vſq; ad diuini præcepti trãſgreſſionem, ædificat ciuitatẽ Babylonis. Dixi in cõcluſione, per ſe loquendo, nam per accidens ratione periculi peccandi mortaliter, & trãſgrediendi diuinum præceptum, cui periculo homo aliquando ſe exponit nimis intenſe creaturã diligendo, accidere poteſt, vt amor intenſus creaturæ ſit mundanus. Et ratio eſt, quia tunc talis amor eſt peccatum mortale, & in eo amatur creatura, vt finis, ſiquidem præponitur Deo. Et ſi quis quærat, quando amor intenſus creaturæ ratione periculi debeat iudicari mundanus, reſpõdeo ꝙ tunc iudicabitur mũdanus, quãdo quis experimento didicit ſe pluries tranſgreſſum fuiſſe pręcepta Dei ob nimis intenſum amorem, quo aliquam creaturã proſequitur. Nec ſatis erit ad hoc, vt talis amor, vt mundanus damnetur, ꝙ ſemel aut bis, propter eum quis peccauerit mortaliter, nam actus morales non ex ijs, quæ rarò, ſed ex ijs, quę frequenter, & vt in plurimum contingunt debent iudicari.

2. Concluſio. ¶ Secunda concluſio, Amor mundanus eſt ille, quo creatura amatur tanquam vltimus finis: tunc autem amatur tanquã vltimus finis, qñ pręfertur Deo ac legi diuinæ. Hæc concluſio eſt D. Tho. in hoc articulo, & probatur primò, quia hic ſolus amor eſt peccatũ mortale, & extinguit diuinam charitatem. Secundò, Quia hic ſolus amor eſt, qui iuxta ſententiam D. Aug. paulò ſuperius adductã ædificat ciuitatem Babylonis. Et quia omnis amor creaturæ, ex quo, vel in re ipſa, vel in animi præparatione ſequitur violatio diuinæ legis, verſatur circa creaturam tanquam circa vltimum finem, omnis talis erit dicendus amor mundanus.

¶ Sed contra iſtam concluſionem ſunt validiſſima argumenta. *1. Argum. contra 2. cõcluſionem.* Primum eſt, Quando aliquis propter amici vitam tuendã violat præceptum Dei, ità tamen ꝙ ſit animo diſpoſitus pro fide Chriſti nõ ſolum amici vitam, ſed etiam propriam negligere, tunc talis amat amicum amore mundano: non tamen illum diligit pluſquam Deum, ergo poteſt eſſe amor mundanus abſq; eo, quod creatura ametur tanquã vltimus finis. ¶ Secundò, *2. Argum.* Si quis ſeruũ à patre in vincula coniectum à vinculis eripiat quoniã illum diligit, quanuis voluntatẽ patris trãſgrediatur non tamẽ diligit ſeruum pluſquã patrem, quinpotiùs, ſi de patris vita ageretur eam anteferret vitæ, & libertati ſerui; ergo pari ratione, quanuis aliquis præferat vitã amici præcepto diuino, non idcircò diligit amicũ pluſquam Deum, atq; ex conſequenti poteſt eſſe amor mundanus abſq; eo, ꝙ creatura ametur tanquam vltimus finis.

Sententia Adriani. ¶ Propter hæc argumenta, Adri. quodli. 7. art. 3. tenet non eſſe neceſſarium, vt qui diuinam legem tranſgreditur, habeat ſemper creaturam pro vltimo fine, & eam diligat pluſquã Deũ. Quam etiã opinionem Magiſt. Vega lib. 9. in concilium Trident. c. 32. iudicat eſſe probabilem.

1. Dictum. ¶ Cæterum contraria ſententia eſt procul dubiò vera. Quam vt explicemus & ſimul ad argumenta in contrarium facta reſpondeam[illegible]dicò primò certum eſſe, ꝙ nullus amans creaturam amore mundano diligit Deũ ſuper omnia. Quod ità eſſe probatur aperto teſtimonio Chriſti: Ioann. c. 14. dicentis, Si quis diligit me ſermonem meum ſeruabit, & qui non diligit me ſermones meos non ſeruat. &c. & 1. Ioan. c. 2. Qui dicit ſe noſſe Deum, & mandata eius non cuſtodit mendax eſt, &c. c. 4. qui ſeruat mandata eius in illo manet, & ipſe in eo. Et ratio

eſt ma

eſt manifeſta: nã diligere Deum ſuper omnia eſt voluntatẽ eius cunctis rebus præferre, ſed ille, qui creaturam aliquam amore mundano diligit præfert illam diuinæ voluntati, ſiquidem ipſius cauſa diuina tranſgreditur præcepta, ergo non diligit Deum ſuper omnia. Ex quo etiam infertur, quod qui diligit creaturam amore mundano, nec etiam habet Deum pro vltimo fine. De ratione enim vltimi finis eſt, ꝙ ſuper oĩa diligatur, cũ finis ſit, cuius gratia cætera fiunt.

2. *Dictum.* ℭ Dico ſecũdò etiam certum eſſe, quòd quamuis aliquando contingat, quod creaturam, quam amamus amore mundano, diligimus pluſquã Deum, & habemus illam pro fine vltimo, vt eſt videre in auaro, qui diuitias pro Deo colit iuxta illud Pauli ad Epheſ. 5. Auaritia eſt Idolorum ſeruitus: & in guloſo, qui cibos pro Deo habet, iuxta illud ad Philipp. 3. Quorum Deus venter eſt, non tamen eſt neceſſarium, quod qui creaturam aliquam amat amore mũdano, diligat illam pluſquam Deum, & habeat eam ipſam ꝓ vltimo fine. Hoc dictũ quantum ad iſtam ſecundã partem probant duo argumenta à nobis facta contra ſecundam concluſionem: & fortaſsis hoc eſt, quod voluit dicere Adri. loco citato, & quod Vega exiſtimauit eſſe probabile.

3. *Dictum.* ℭ Dico tertiò, quod ſemper is, qui amore mundano creaturam amat, habet ſe ipſum pro vltimo fine, ſeq; pluſquam Deum diligit. Probatur, Talis ſe ipſum pluris facit, quam Deũ, qui enim in quibuſdam rebus Deo placere vult, in alijs autem eligit placere creaturæ, proculdubiò ſuũ iudicium, & voluntatẽ habet ꝓ ſumma regula: ergo ſemper is, qui amore mundano creaturam amat habet ſe ipſum ꝓ vltimo fine. Et hoc eſt quod voluit docere D. Aug. libro. 14. de Ciuitate. quando dixit, quod amor ſui vſq; ad contemptum Dei ędificat ciuitatem Babylonis. Ex dictis facilè poterimus colligere, quisnam timor debeat appellari mundanus. Nam ſi is eſt ità nuncupandus, qui oritur ex mundano amore, & amor mundanus eſt ille, quo creatura diligitur, vt finis, & præfertur Deo: manifeſtè ſequitur, quod ille timor proculdubiò dicetur mundanus, quo homo timens ſeparari à creatura, quã diligit inordinatè, eligit diuinum tranſgredi præceptum: quod quia ſemper eſt malum, fit, vt timor mundanus ſemper ſit malus, vt docet D. Tho. in hoc articulo.

Ad. 1. arg. ℭ Ad primum argumentũ Adri. reſpondetur negando minorẽ. Et ad probationem ex D. Hierony. dico primo, ꝙ D. Hieronym ea dixit per hyperbolen in laudem virginitatis: quã ſic extollit eo in loco, vt ferè matrimonio ſit iniurius: qui modus loquendi familiaris eſt omnibus qui oratorio modo loquuntur. Vel ſecũdò reſponderi, verba D. Hierony. eſſe intelligenda nõ de omnibus, qui vxores ſuas nimis ardẽter amant, ſed de illis tãtum, qui eas diuinis mandatis præferũt. Bene enim poteſt contingere, vt quis vxorẽ nimis ardenter amet, & tamen ſit in charitate, vt docet D. Aug. libro. 21. de Ciuitat. c. 26. vbi dicit, Si quis Chriſtianus diligit meretricẽ, eiq; adhærens vnum corpus efficitur, iam in fundamento nõ habet Chriſtũ. Si quis autem diligit vxorẽ ſuam, ſi ſecundũ Chriſtum, quis ei dubitet in fundamento eſſe Chriſtum? Si verò ſecundum hoc ſeculum, ſi carnaliter, ſi in morbo concupiſcentiarũ, ſicut & gentes quæ ignorãt Deum, etiam hoc ſecundum veniam cõcedit Apoſtolus, imò per Apoſtolum Chriſtus. Poteſt ergo & iſte in fundamento habere Chriſtũ. Hæc Auguſtinus: Quib⁹ verbis aperte docet quod nõ ſemper ardens, & intenſus amor vxoris extinguit charitatẽ, qua in Chriſto radicamur, atque fũdamur.

ℭ Ad ſecundum reſpondetur, quòd amor intenſus creaturæ, per ſe loquendo non impedit, quominus homo habeat animi promptitudinem ad abijciendum omnia creata pro Chriſto, bene tamẽ per accidens; & tunc ſolum erit amor mundanus. *Ad. 2. arg.*

ARTICVLVS IIII.

ℭ *Vtrùm timor ſeruilis ſit bonus.*

AD QVARTVM ſic proceditur. Videtur quòd timor ſeruilis non ſit bonus. Quia cuius vſus eſt malus, ipſũ quoq; malũ eſt. Sed vſus timoris ſeruilis eſt malus: quia ſicut glo. dicit Rom. 8. qui timore aliquid facit, etſi bonũ ſit quod facit, nõ tamen bene facit. Ergo timor ſeruilis non eſt bonus. *3. d. 34. q. 2. 4. 2. q. 1. cor. & q. 2. Et. Ro. 8. le. 3.* *Eſt Auguſt. Enchiridij. c. 121. to. 3.*

2 ¶ Præterea. Illud quod ex radice peccati oritur, non eſt bonum. Sed timor ſeruilis oritur ex radice peccati: quia ſuper illud Iob. 3. Quare non in vulua mortuus ſum? dicit Gregor. Cũ ex peccato præſentis pœna metuitur, *Lib. 4. Mor. c. 28. circa princ.*

tur,& amiſſa Dei facies non amatur, timor ex tumore eſt, non ex humilitate. Ergo timor ſeruilis eſt malus.

3 ¶ Præterea, Sicut amori charitatis opponitur amor mercenarius, ita timori caſto videtur opponi timor ſeruilis. Sed amor mercenarius ſemper eſt malus. Ergo & timor ſeruilis.

¶ SED CONTRA, Nullum malum eſt à Spiritu ſancto. Sed timor ſeruilis eſt à Spiritu ſancto: quia ſuper illud Rom. 8. Nõ accepiſtis Spiritum ſeruitutis. &c. dicit gloſ. Vnus ſpiritus eſt qui facit duos timores, ſcilicet, ſeruilem & caſtum. Ergo timor ſeruilis non eſt malus.

Glo. ordinaria ibid.

¶ RESPONDEO dicendum, ꝙ timor ſeruilis ex parte ſeruilitatis habet, ꝙ ſit mal'. Seruitus enim libertati opponitur. Vnde cum liber ſit qui cauſa ſui eſt, vt dicitur in. 1. Metaphy. ſeruus eſt qui non cauſa ſui operatur, ſed quaſi ab extrinſeco motus. Quicunq; autem ex amore aliquid facit, quaſi ex ſeipſo operatur, quia ex propria inclinatione mouetur ad operandum. Et ideo contra rationem ſeruilitatis eſt, ꝙ aliquis ex amore operetur, ſic ergo timor ſeruilis, inquantũ ſeruilis eſt, charitati cõtrariatur. Si ergo ſeruilitas eſſet de ratione timoris ſeruilis, oporteret ꝙ timor ſeruilis ſimpliciter eſſet malus. Sicut adulteriũ ſimpliciter eſt malum: quia id, ex quo eſt, contrariatur charitati, & pertinet ad adulterij ſpeciem. Sed prædicta ſeruilitas non pertinet ad ſpeciem timoris ſeruilis, ſicut nec informitas ad ſpeciem fidei informis. Species eñ moralis habitus, vel actus ex obiecto accipitur. Obiectum autem timoris ſeruilis eſt pœna, cui accidit, quod bonum, cui contrariatur pœna, ametur tanquam finis vltimus: & per conſequens pœna timeatur tanquã principale malũ, quod cõtingit in non habente charitatem. Vel, ꝙ ordinetur in Deum, ſicut in finem: & per conſequens pœna non timeatur tanquam principale malum, quod cõtingit in habente charitatẽ. Non enim tollitur ſpecies habitus per hoc, ꝙ eius obiectum, vel finis ordinatur ad vlteriorem finem. Et ideo timor ſeruilis ſecundum ſuam ſubſtantiam bonus eſt, ſed ſeruilitas eius eſt mala.

Lib. 1. Met. c.2.to.3.

Io.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, ꝙ verbum illud Aug. intelligendum eſt de eo, qui facit aliquid timore ſeruili, inquantum eſt ſeruilis, vt, ſcilicet, nõ amet iuſtitiam, ſed ſolum pœnam timeat.

¶ Ad ſecundum dicendum, ꝙ timor ſeruilis ſecundũ ſuam ſubſtantiam nõ oritur ex tumore, ſed eius ſeruilitas ex tumore naſcitur, inquantũ ſcilicet homo affectum ſuum non vult ſubijcere iugo iuſtitiæ per amorem.

¶ Ad tertium dicẽdum, ꝙ amor mercenarius dicitur, qui Deum diligit propter bona tẽporalia: quod ſecundum ſe charitati contrariatur, & ideo amor mercenarius ſemper eſt malus. Sed timor ſeruilis ſecundum ſuam ſubſtantiam non importat, niſi timorem pœnæ, ſiue timeatur vt principale malũ, ſiue non timeatur vt principale malũ.

SVMMA TEXTVS.

SVppoſito, ꝙ timor ſeruilis poteſt dupliciter cõſiderari, vno modo quantum ad ſubſtantiam, quæ eſt eſſe timorem pœnæ abſolutè, alio modo quantũ ad ſeruitutem, quæ eſt non operari, niſi ratione pœnæ, ponit D. Th. duas cõcluſiones. Prima concluſio, Timor ſeruilis quantum ad ſeruitutem eſt malus. Probatur, Timor ſeruilis quantum ad ſeruitutem opponitur libertati chriſtianę, atq; ex conſequenti charitati, quę facit homines liberos: ergo eſt malus. Conſequentia nota eſt, & antecedẽs probatur. Liber eſt qui cauſa ſui eſt, vt dicit Ariſtote. 1. Metaph. c. 2. ſed ſeruus, vt ſic, non operatur ex ſe ipſo, ſed ab extrinſeco motus: ergo timor ſeruilis, vt ſic, opponitur libertati Chriſtianæ. ¶ Secunda cõcluſio, Timor ſeruilis quantum ad ſubſtantiam eſt bonus. Probatur, Seruilitas non eſt de ratione timoris ſeruilis, ſed accidit ei ſicut informitas accidit fidei informi, ſed metus ſeruilis tantum ex

parte

parte ſeruilitatis eſt mal*, ergo ſecundũ ſuã ſubſtantiam eſt bonus. Conſequẽtia cum minori eſt nota, & maior ꝓbatur. Obiectũ timoris ſeruilis eſt pœna, cui ſane accidit quod timeatur tanquã principale malum, ſicut accidit bono cui contrariatur pœna, quod ametur tanquam vltimus finis, ergo ſeruilitas nõ eſt de ratione timoris ſeruilis. Et confirmatur, Timor ſeruilis compatitur ſecum charitatẽ, ſancti enim timebant mortem atq; tormenta, ergo ſecundũ ſuam ſubſtantiam non eſt malus.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Dubium. Circa iſtum articulum eſt difficultas, Vtrùm abſolutè ſit dicẽdum, quod timor ſeruilis eſt malus. De qua re fuit ſentẽtia *Error Luthe.* Lutheri in ſermone, quem de pœnitentia edidit dicentis, timorem ſeruilem abſolute eſſe malũ, & grauiſsimum peccatum: vnde deteſtatur concionatores qui propter timorem inferni nituntur homines ad pœnitentiam inducere: & dicit, ꝙ hac ratione efficiunt illos peiores. Quam ſuam ſententiam probat primo ex illo Paul. ad Rom. 8. Non accepiſtis ſpiritũ ſeruitutis iterum in timore. Sed ratione ſic argumentor. Homo *1. Argum.* peccator licet ſecundũ ſuam ſubſtantiam ſit bonus, tamen ſimpliciter ratione peccati dicitur malus, ergo pari ratione timor ſeruilis quamuis ſecundum ſuam ſubſtantiam ſit bonus, dicitur ſimpliciter malus, pro- *2. Argum.* pter adiunctã ſeruitutem. ℭ Secundò, Obiectum timoris ſeruilis non eſt pœna abſolute, ſed pœna, vt ſummum malum: ſed timere pœnam, vt ſummũ malum eſt turpe, & inhoneſtũ, qui enim ſic eam timet certe amat bonum contrariũ pœnę, vt ſummum bonum: ergo timor ſeruilis ſimpliciter eſt malus.

Sententia catholica. ℭ Contrariam tamẽ ſententiam tenent communiter omnes doctores, vt eſt videre apud Roffenſem art. 6. cõtra Lutherum, & apud Alphonſum à Caſtro lib. 14. de hæreſibus verbo timor.

Nota vt explicatur difficultas. ℭ Sed nos ad explicationem huius difficultatis aduertimus, quòd timor dupliciter poteſt dici ſeruilis: vno modo ex parte ſubiecti: alio modo ex parte obiecti. Seruilis ex parte ſubiecti eſt quando homo extra charitatem exiſtens timet pœnam, vt mala eſt, ſed non in ratione ſummi mali, timor autem ſeruilis ex parte obiecti eſt quando homo timet pœnam, vt ſummum malum: & dicitur tunc ſeruilis ex parte obiecti quia in iſto caſu ſeruilitas ingreditur ipſam rationem obiecti.

ℭ Hoc ſuppoſito, ſit prima concluſio, *1. Concluſio.* Timor, qui eſt ſeruilis ex parte obiecti ſimpliciter eſt malus, & peccatum mortale. Probatur, Formale obiectum huius timoris quod eſt pœna in ratione ſummi mali directe aduerſatur charitati, quæ ſolam culpam fugit, vt ſummum malum, ergo timor, qui eſt ſeruilis ex parte obiecti ſimpliciter eſt malus, & peccatum mortale. Ex quo inferTur, quòd timor pœnarum inferni non ſemper eſt ab Spiritu ſancto. Nam cum aliquãdo ſit peccatum, ſcilicet, quando pœnæ inferni timentur, vt ſummum malum, & Spiritus ſanctus non inclinet ad peccatum, manifeſtè ſequitur, quod timor pœnarum inferni non ſemper eſt ab Spiritu ſancto, ſed eſt aliquando à Diabolo ſuggerente: & tũc timor ille ex parte obiecti nihil differt à triſtitia, quam damnati habent propter pœnas, quas patiuntur. Cæterum quia in damnatis obiectum eſt præſens, in viatoribus autem ſic timentibus obiectum eſt abſens, idcircò actus damnatorũ appellatur triſtitia & actus beatorum appellatur timor.

ℭ Secunda cõcluſio. Timor, qui tãtum *2. Concluſio.* eſt ſeruilis ex parte ſubiecti, ſimpliciter, & abſolute eſt bonus. Probatur. Obiectum huius timoris, ſcilicet, malum pœnę, eſt bonum ſimpliciter: ergo & ipſe timor ſimpliciter erit bonus. Secundò, quia informitas non eſt de ratione fidei, idcircò fides licet ſit informis dicitur ſimpliciter, & abſolute bona, ſed ſeruilitas non eſt de ratione huius timoris, qui tantum dicitur ſeruilis ex parte ſubiecti, ergo talis timor ſimpliciter, & abſolute dicetur bonus. Tertiò, Eleemoſyna, quam facit peccator nullam malam circunſtantiam ei apponens, dicitur bona ſimpliciter quamuis ipſe operans ſit malus: ergo pari ratione dicendũ erit de timore ſeruili ex parte ſubiecti, quod eſt bonus quamuis ipſe operãs ſit in peccato. Et de illo timore ſeruili ex parte ſubiecti loquuntur ſancti atq; concilia, quando diffiniunt illum eſſe bonũ: quod eſt de fide tenendum, vt conſtat ex determinatione facta à Leone X. cõtra quoſdam articulos Lutheri, & ex conc. Trid. ſeſ. 6. canone. 8. vbi dicitur: Si quis dixerit Gehennæ metum, per quem ad miſericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abſtinemus peccatum eſſe, aut peccatores peiores facere, anathema ſit. Et in c. 6. eiuſdem. ſeſ. etiam dicitur,

quod [illegible] timore [illegible] cutiú tu. [illegible] probari teſtimonio [illegible] ſcripturæ. Nam Pſ. 118. dicitur: Con[illegible] timore tuo [illegible] eas. & Pſal. [illegible]. Initium ſapientię timor Domini. Quę verba [illegible] doctore [illegible] timore [illegible] ex alijs, & ſeruili eſt oppoſitus. Item Pſal. 2. Seruite Deo in timore. & Matt. [illegible] & Mar. [illegible] &. [illegible]. Chriſtus Saluator nitebatur homines adducere ad pœnitentiam ex timore Gehennæ quod nulla ratione [illegible], niſi talis timor eſſet bonus.

Ad. 1. argu. ❡ Ad argumentum ex Paulo ad Ro. 8. reſpondetur ex illo loco non colligi, quod timor ſeruilis ſit malus ſecundum ſubſtantiam, quin potius colligitur oppoſitum. Nã cum Apoſtolus dicat illum datum fuiſſe à Deo patribus antiquis, nec Deus malum [illegible] operari, manifeſte ſequitur, qđ erat bonus, non tamen [illegible] perfectus, ſicut charitas, quæ in noua lege data fuit fidelibus, vt maxima [illegible] ratione ac ſuauitate operarentur. ❡ Ad primam rationẽ reſpondetur conceſſo antecedenti, negando conſequentiam. Et ratio diſ[illegible] eſt. Nam cum peccator ſimpliciter ſit [illegible] ab vltimo fine, eo ipſo, ꝙ eſt peccator, fit vt ſimpliciter, & abſolute appelletur malus. At vero timor ſeruilis poteſt ordinari in vltimum finem,

Ad. 2. argu. & ſic abſolute eſt bonus. ❡ Ad ſecundum reſpondetur, quod probat timorẽ ſeruilem ex obiecto eſſe malum, quod nos libenter concedimus in ſecunda cõcluſione, nec ex hoc licet inferre timorem ſeruilem ex ſubiecto eſſe malum, cum obiectum illius nõ ſit pœna, vt [illegible] malum, ſed vt malum [illegible] vt [illegible] explicauimus.

2. Dubium. ❡ Secundũ dubium circa iſtũ articulum eſt, Vtrum qui ex timore ſeruili abſtinet à peccato, vel adimplet aliquod præceptum in tali abſtinentia, vel adimpletione præcepti peccet. Ad quam difficultatem, vt reſpon-

Sentẽtia Adriani. deat Adr. quodl. 4. q. 2. aduertit timorem ſeruile dupliciter poſſe eſſe cauſam alicuius operationis. Vno modo [illegible] genere cau ſæ [illegible] excitando, ſcilicet, ad operandum id, quod niſi a[illegible] timore motus nõ operaretur: [illegible] opus iſto modo ex timore factum [illegible] quod eſt bonus. Secundo modo [illegible] ratio [illegible] propter quem illa operatio [illegible] & de [illegible] operatione dicit, ꝙ eſt mala [illegible] etiam [illegible] tenere Greg. Ar[illegible] in 2. d. [illegible]

1. Argum. Et probatur primo, ex D. Aug. [illegible] Enchiridio c. [illegible] 1. & adducitur à D. Th. [illegible] ſenn in ſolutione ad primũ dicit, quod [illegible] ex timore pœnæ aliquid facit, aliter facit, quam debet facere, & etiam ſi bonum ſit, quod facit, non tamen bene facit.

2. Argu. ❡ Secundo ex Ariſt. qui 3. Ethi. ponens quinq; modos apparentis fortitudinis, dicit ꝙ ſecundus eſt eorum, qui metu pœnę ſubeunt pericula: ergo ex ſententia Ariſt. opus ex metu ſeruili factum non eſt verè bonũ, ſed apparens bonũ.

3. Argu. ❡ Tertio, ratione ſic argumentor, Qui fugit culpã propter pœnã magis odit pœnã, quã culpã, ergo ille actus eſt malus.

Sententia [illegible] ❡ His tamen non obſtantibus dico ꝙ actus timoris ſeruilis, quo quis metu fugit culpam, vel adimplet præceptũ, eſt bonus etiam ſi ordinetur ad vitanda pœnam tanquam ad finem, dummodo id non fiat tanquam ad finem vltimũ. Probatur. Timor ſeruilis eſt bonus, vt diximus dubio præcedenti: ergo eius actus eſt bonus. id enim, cuius vſus eſt malus, neceſſario debet eſſe malum: ſed actus, quo quis fugit culpam propter pœnam eſt actus timoris ſeruilis: ergo eſt bonus. Secundò, Iſte actus nõ habet aliquã circunſtantiam malã, cum ſit de obiecto ſibi cõueniẽti, ſcilicet, de malo pœnæ & præterea facit adimplere præceptũ, qđ de ſe eſt bonũ: ergo nõ habet vnde vicietur, atq; ex cõſequenti eſt bonus. Tertio. Si ex aliqua parte eſſet malus, maximè ex eo qđ ordinatur ad pœnam tãquam ad finem, vt dicunt autores contrariæ opinionis: ſed hęc ratio nihil valet, ergo. Probo minorem, Nam non eſt incõueniens quod ea, quę ſunt præſtantiſſima, & optima ordinentur ad acquiſitionem eorum, quæ ſunt minus perfecta tanquam ad finem, vt patet de incarnatione Verbi, & de alijs, quæ Deus fecit, & ordinauit ad noſtram ſalutẽ iuxta illud. Qui propter nos homines. &c. & tamen incarnatio Chriſti præſtantior erat quam redemptio totius generis humani, ergo pari ratione [illegible] culpæ, & adimpletio præcepti poterũt licitè ordinari ad vitandã pœnam tanquam ad finem. Dixi notanter, dummodo [illegible] fiat tanquam ad finem vltimum. Nam [illegible] bonum [illegible] tanquam vltimum finem, quod [illegible] fieri non poteſt, vt diximus.

Ad. 1. argu. ❡ Ad primũ argumentum ex D. Aug. reſpondetur primo, cum D. Th. [illegible] primũ, quod verba [illegible] de eo, qui [illegible] ſeruili, [illegible] eſt, [illegible] quod

quod [illegible] nec [illegible], ſed [illegible] pœn[illegible] [illegible] t[illegible] quod D. Au g[illegible] ex timore aliquid ſa- [illegible] ere, facit, [illegible] quia [illegible] quia nõ facit illud [illegible] æquum erat, v[illegible] fieret.

Ad [illegible] *arg.* [illegible] reſpondetur, q licet [illegible] pericula nõ ſit actus veræ [illegible] ex hoc ſequi[illegible] [illegible].

Ad. 3. arg. ℭ Ad tertiũ reſpõdetur, ne- [illegible] q[illegible] culpã propter pœnam [illegible] p[illegible] quam culp[illegible], [illegible] tet propter pœnam tanquam pro- p[illegible] vltim[illegible] [illegible]em.

ℭ In [illegible]. Sed cõtrà, dicit D. Tho. timorem ſeru[illegible] eſſe ab Spiritu ſancto, idq; probat teſtimonio Gloſſæ ſuper [illegible] ad R[illegible]. N[illegible] ac[illegible] ſpiritum ſeruitu- ti[illegible] &c. dicentis, V[illegible] ſpiritus e[illegible], qui facit duo[illegible] res, ſcilicet, ſeruilem & caſtũ. Cir

Dubium. ca quod eſt difficultas vtrum ad hoc, vt ti- meamus Deum tanquam [illegible], & p[illegible] [illegible] timore [illegible] opus ſit aliquo auxilio v[illegible] d[illegible] Spiri[illegible] ſancti, vel potius id poſſi [illegible] viribus naturæ. Ad cu-

Pro explica- tione not. ius explicationem eſt aduertendum, quod pœn[illegible] omnes poſſunt timere, ſint in duplici differentia. Quædam enim ſunt naturales, quæ tales dicuntur, tum quia na turaliter cognoſcuntur, tũ etiam quia natu raliter contingunt: vt mors, exiliũ, infirmi- tas, &c. Aliæ ſunt ſupernaturales: & ſunt il- læ, quas ſine ſpeciali lumine fidei, & diuina reuelatione cognoſcere non poſſumus, vt pœna purgatorij, pœna inferni. &c.

1. Concluſio. ℭ Hoc ſuppoſito ſit prima cõcluſio. Ad hoc, vt [illegible] amus pœnas naturales, non eſt opus aliquo auxilio ſupernaturali. Proba- tur. Homo ex natura ſua fugit iſta mala, er go ſine aliquo au[illegible] o ſp[illegible] poteſt illa ti mere. Secũdo. Infi[illegible] e[illegible] eque bene timẽt, ac fugi[illegible] pœnas naturales, ac fideles: ergo ad [illegible] ciendum ſufficiũt vires naturæ. Con ſequentia eſt nota, & antecedens patet ex- perie[illegible]a.

2. Concluſio. ℭ Secũda cõcluſio. Suppoſita diuina re- uelatione, qua pœnæ ſupernaturales mani feſtantur, bene poteſt homo ſine aliquo alio auxilio ex parte volũtatis eas leuiter metue re, ac fugere. Probatur primo, Nam volũtas naturaliter refugit id, quod intellectus tan- quã malũ ap[illegible] re[illegible]dit. Item ſuppoſita diui na reuelatione, qua bona ſupernaturalia ma [illegible]latur, bene poteſt homo viribus natu- ræ tendere in illa, motu quodam leui & im perfecto voluntatis ea amando: ergo à for- tiori poterit pœnas ſupernaturales per fidẽ cognitas metu quodam leui atq; imperfe- cto timere, & fugere.

ℭ Tertia cõcluſio. Ad hoc, vt timeamus *3. Concluſio.* pœnas ſupernaturales per fidẽ propoſitas, firmiter, & ſicut oportet, opus e[illegible] parte volũtatis aliquo auxilio vel dono Spiritus ſancti ſupernaturali. Probatur. Sicut ſe ha- bet ſpes ad bonum ſupernaturale, ita ſe habet timor ad malum ſupernaturale: ſed ſuppoſita fide ex parte [illegible] eſt neceſſa- rium auxiliũ ſpeciale ex parte voluntatis ad ſperãdum, ſicut oportet, bonum ſupernatura- lia: ergo idem dicẽdum eſt de timore reſpe ctu malorũ ſupernaturaliũ. Itẽ, Sicut ſe ha bet intellectus ad verum ſupernaturale, ità ſe habet voluntas ad bonũ ſupernaturale: ſed intellectus nullum verum ſupernatura le poteſt cognoſcere, ſine auxilio ſpeciali: ergo nec volũtas poterit tẽdere in aliquod bonum ſupernaturale ſine eodem auxilio. Tertio, Sancti petunt à Deo inſtãter, vt ſibi concedat timorem malorum ſupernatura- lium: ſignum ergo eſt, quod ad illũ haben- dum indigemus auxilio ſpeciali. Ex dictis *Corollarium* infertur, quod timor ſeruilis ea parte, qua reſpicit mala ſupernaturalia eſt nobis ab Spiritu ſancto, vt D. Tho. dicit in argumẽ- to, Sed contra.

ARTICVLVS. V.

ℭ *Vtrùm timor ſeruilis ſit idem in ſubſtantia cum timore filiali.*

AD QVINTVM ſic procedi *3. d. 34. q. 2.* tur. Videtur quòd timor ſerui- *artic. 3. q. 1.* lis ſit idem in ſubſtantia cum timore *Et Roma, 8.* filiali. Ita enim videtur ſe habere ti- *lect. 3.* mor filialis ad ſeruilem, ſicut fides for mata ad informẽ, quorum vnum eſt cum peccato mortali, aliud verò non. Sed eadem ſecundum ſubſtãtiam eſt fides formata & informis, ergo & idẽ eſt ſecundum ſubſtantiam timor ſerui lis, & filialis.

2 ¶ Præterea, Habitus diuerſificantur ſecundum obiecta. Sed idem eſt obie- ctum timoris ſeruilis & filialis: quia vtroque timore timetur Deus. Ergo idem eſt ſecundum ſuam ſubſtantiam

timor ſeruilis, & timor filialis.

3 ¶ Præterea, Sicut homo ſperat frui Deo, & etiã ab eo beneficia obtinere, ita etiã timet ſeparari à Deo, & pœnas ab eo pati. Sed eadẽ eſt ſpes, qua ſperamus frui Deo, & qua ſperamus beneficia obtinere ab eo, vt dictũ* eſt. *Q. 17. art. 2.* ergo etiã idẽ eſt timor filialis, quo timemus ſeparationem à Deo, & timor ſeruilis, quo timemus ab eo puniri.

Tracta. 9. in Can. Ioa. circa med. tomo. 9. ¶ SED CONTRA eſt, quod Aug. ſuper primam Can. Ioan. dicit* duos eſſe timores, vnum ſeruilem, & alium filialem, vel caſtum.

¶ RESPONDEO dicendum, quod proprium obiectum timoris eſt malum: & quia actus & habitus diſtinguuntur ſecundum obiecta, vt ex ſupradictis* patet, *1. 2. q. 54. art. 2.* neceſſe eſt, quod ſecundum diuerſitatem malorum, & timores ſpecie differãt. Differt aũt ſpecie malũ pœnę, qđ refugit timor ſeruilis, & malũ culpæ, quod refugit timor filialis, vt ex ſupradictis* patet. *Arti. 3 huius quæſt.* Vnde manifeſtum eſt, quod timor ſeruilis & filialis non ſunt idem, ſecundum ſubſtantiam, ſed differunt ſpecie.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quod fides formata & informis non differunt ſecundum obiectum. Vtraque enim fides, & credit Deo, & credit Deum: ſed differunt ſolum per aliquod extrinſecum, ſcilicet, ſecundum pręſentiã, & abſentiam charitatis: & ideo nõ differũt, ſecundũ ſubſtantiã, & ideo nõ eſt ſimilis ratio.

¶ Ad ſecundum dicendũ, quòd timor ſeruilis, & timor filialis, nõ habent eandem habitudinem ad Deum. Nam timor ſeruilis reſpicit Deum, ſicut principium inflictiuũ pœnarum. Timor autem filialis reſpicit Deum, nõ ſicut principium actiuum culpæ, ſed potius ſicut terminum, à quo refugit ſeparari per culpam. Et ideo ex hoc obiecto, quod eſt Deus, non conſequitur identitas ſpeciei: quia etiam motus naturales, ſecundũ habitudinẽ ad aliquem terminum ſpecie diuerſificãtur. Non enim idem eſt motus ſpecie, qui eſt ab albedine, & qui eſt ad albedinem.

¶ Ad tertium dicendum, quòd ſpes reſpicit Deum, ſicut principium, tam reſpectu fruitionis diuinæ, quam reſpectu cuiuſcunq; alterius beneficij. Non autem eſt ſic de timore. Et ideo non eſt ſimilis ratio.

SVMMA TEXTVS.

CONcluſio eſt negatiua, & probatur. Habitus diſtinguũtur ſpecie penes obiecta formalia, ſed formalia obiecta timoris ſeruilis, & timoris filialis ſunt diſtincta ſpecie: ergo & ipſi habitus diſtinguuntur ſpecie. Conſequentia cum maiori eſt nota, & minor probatur: quia obiectũ timoris ſeruilis eſt pœna, & obiectum timoris filialis eſt culpa. Et confirmatur ex D. Auguſ. qui ſuper primam Canonicam Ioan. tract. 9. dicit, duos eſſe timores, vnum ſeruilem & alterum filialem, vel caſtum.

EXPLICATIO ARTICVLI.

CIrca iſtum articulum eſt aduertendũ, *Malum culpæ dupliciter conſideratur.* q malum culpæ dupliciter poteſt cõſiderari: vno modo in quantũ eſt contrariũ rectę rationi, alio modo in quãtum ſeparat nos à Deo. Et quidẽ ſecũdum primã conſiderationem vnaquęq; virtus fugit ac timet peccatum ſibi cõtrarium: quia vnaquæq; ſicut inclinat ad actum proprium, ita etiam inclinat ad fugiendum cõtrarium illius, vt eſt videre in liberalitate, quæ ſicut inclinat ad actũ liberalitatis, itã etiã refugit actum auaritiæ. Ex quo fit vt ad timendum peccatum, quatenus aduerſatur rectæ rationi, nõ ſit opus ponere donũ timoris: ſed ad id ſufficiunt reliquæ virtutes. Ponitur autem ad fugiẽdum peccatum, quatenus ſeparat nos à Deo. Et ideò quando D. Tho. in hoc articulo dicit, quod timor filialis habet culpã pro obiecto, eſt intelligẽdus de culpa, non quatenus eſt contraria rectæ rationi, ſed quatenus ſeparat nos à Deo.

¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco, vtrùm *Dubium.* timere culpam propter pœnam pertineat ad timorem filialem, vel potius ad ſeruilẽ. Verbi gratia, Timet aliquis [illegible] propter infernum, vel ſuſpendium, dubium eſt vtrùm iſte timor ſit filialis, vel potius ſeruilis? Et quidem quod ſit filialis [illegible] *Ratio dubitandi.* nam habet culpã pro obiecto [illegible] Deus

Idem.

Tho.in hoc artic.affirmat, timor filialis eſt
qui habet culpam pro obiecto. Sed in con-
trarium eſt, ꝙ iſta culpa non timetur quate
nus eſt contra Deum, ſed quatenus habet
pœnam annexam, & debet puniri, quod
nõ ad timorẽ filialẽ, ſed ad ſeruilẽ pertinet.

Sententia autoris.

¶ Ego tamẽ ad explicationem difficulta-
tis, dico primò, ꝙ qui timet culpã propter
pœnam nulla alia circunſtantia tali timori
appoſita, habet timorem ſeruilem, & non
filialem. Probatur. Actus, & habitus diſtin
guũtur penes obiecta formalia, ſed in caſu
poſito ratio formalis timoris eſt pœna: er-
go pertinet ad timorem ſeruilem & non ad
filialem. Et per hæc patet ſolutio ad argu-
mentum in contrarium factum. ¶ Dico ſe
cundo, ꝙ qui timet culpam, ſimul propter
pœnam & propter ipſam culpam, habet ti
morem initialem ex filiali, & ſeruili com-
poſitum. Hoc dictum patet manifeſtè ex
ipſis terminis.

Aliud dubium. *Argumentum.*

¶ Eſt aliud dubium, vtrùm timor ſerui-
lis, quem diximus eſſe bonum, ſit habitus,
vel actus? Et quidẽ, quod non ſit habitus,
probatur: quia ſi eſſet habitus, vel eſſet vir-
tus, vel donũ Spiritus ſancti: ſed neutrum
horum poteſt dici, ergo. Probo minorem.
Et primo ꝙ non ſit virtus, quia virtus ſecũ
dum Ariſtotelem eſt diſpoſitio perfecti ad
optimum: & certum eſt quod timor ſerui-
lis quãdam continet imperfectionẽ, vt do-
cet D.Auguſtinus, lib. 83. quæſtionum. q.
36. Quod verò non ſit donum Spiritus ſan
cti probatur ex D.Tho.arti. 9. huius quæ-
ſtionis, vbi hoc expreſſe docet.

Concluſio.

¶ Hoc tamen non obſtante dico, quod ti
mor ſeruilis, quem bonũ eſſe diximus, non
eſt actus ſed habitus. Et probatur. ex Diuo
Tho. qui in. 3.d.34.q.2.ar.2. dicit, ꝙ habitu
timoris ſeruilis poteſt aliquis male vti. Et
in artic.10. huius quæſt. etiam dicit quòd ti
mor ſeruilis creſcẽte charitate minuitur ma
ximè quantũ ad actũ: quibus verbis aper-
tè innuit poſſe nos loqui de timore ſeruili
quantum ad habitũ & quantum ad actum.

Ad argumentum.

¶ Et ad argumentum in contrarium factũ,
reſpõdetur, ꝙ habitus timoris ſeruilis, nec
eſt donum Spiritus ſancti, nec virtus pro-
priè dicta, ſed quidam bonus habitus, im-
perfectus tamen: ſicut de cõtinentia loquũ
tur philoſophi morales. De hac re vidẽdus
eſt D.Tho. 2.2.q.155.art.1. & Ariſt. libr.7.
Ethic.

ARTICVLVS. VI.

¶ *Vtrùm timor ſeruilis maneat cum charitate.*

AD SEXTVM ſic proceditur. *3. diſt. 34. q. 2. art. 3. q. 1. corp.*
Videtur, quòd timor ſeruilis nõ *Et Veri. q. 3. 14. art. 7. ad ſecundum.*
remaneat cum charitate, dicit enim
Augu.* ſuper. 1. Can. Ioan. quòd cum *Tract. 9. in Cano. Ioann. inter princi-piũ & medium. to. 9.*
cœperit charitas habitare, pellitur ti-
mor, qui ei præparauit locum.

2 ¶ Præterea, Charitas Dei diffundi-
tur in cordibus noſtris per Spiritũ ſan-
ctum, qui datus eſt nobis, vt dicitur
Rom. 5. Sed vbi Spiritus Domini, ibi
libertas: vt dicitur. 2. ad Corint. 3. Cũ
ergo libertas excludat ſeruitutem, vi-
detur quòd timor ſeruilis expellatur
charitate adueniente.

3 ¶ Præterea, Timor ſeruilis ex amo-
re ſui cauſatur, inquantum pœna dimi
nuit proprium bonum. Sed amor Dei
expellit amorẽ ſui: facit enim contem
nere ſeipſum, vt patet per authorita-
tẽ Auguſ. 14. de ciuit. Dei, quod amor *Li. 14. ca. vltim. in princ. to. 5.*
Dei vſq; ad contemptũ ſui facit ciuita
tem Dei. Ergo videtur quod veniẽte
charitate timor ſeruilis tollatur.

¶ SED CONTRA eſt, quod ti-
mor ſeruilis eſt donum Spiritus ſan-
cti, vt ſuprà dictum * eſt. Sed dona Spi *Arti. 4. huius quæſt.*
ritus ſancti non tolluntur adueniente
charitate, per quam Spiritus ſanctus in
nobis habitat. Ergo adueniente chari-
tate non tollitur timor ſeruilis.

¶ RESPONDEO dicẽdũ, quod
timor ſeruilis ex amore ſui cauſatur:
quia eſt timor pœnę, qui eſt detrimen
tum proprij boni. Vnde hoc modo ti-
mor pœnæ poteſt ſtare cũ charitate,
ſicut & amor ſui. Eiuſdem enim ratio
nis eſt, quòd homo cupiat bonũ ſuũ,
& quod timeat eò priuari. Amor au-
tem ſui tripliciter ſe poteſt habere ad
charitatem. Vno enim modo contra-
riatur charitati, ſecũdum quod aliquis
in amore proprij boni finem cõſtituit.
Alio vero modo in charitate includi-
tur, ſecundum quod homo ſe propter
Deum, & in Deo diligit. Tertio mo-
do à charitate quidẽ diſtinguitur, ſed
charitati non contrariatur, puta cũ ali
quis diligit ſeipſum ſecundũ rationem

pro-

tione ad tertium. Secũdò eſt aduertendum ex Caietano in præſenti, ꝙ cum timor ſeruilis tantum habeat pro obiecto malũ pœnæ, ſecũdum quod eſt priuatiuũ boni proprij, & malũ ſeparationis à Deo poſsit cõſiderari, & inquantum eſt contrarium bono proprio (eſſe enim cum Deo eſt bonum noſtrum proprium) & in quantum eſt quid pertinens ad Deum nullo habito reſpectu ad nos ipſos, fit, vt tale malum ſeparationis à Deo timeri poſsit, & per timorem ſeruilem, & per timorẽ filialem. Diuerſimodè tamen: nam per timorem ſeruilem timetur inquantum eſt cõtrarium bono noſtro, & per timorem filialẽ quatenus eſt quid pertinens ad Deum. Et hoc eſt, quod voluit dicere D. Tho. in hoc articulo quando dixit, quod timere ſeparationem à Deo pertinet ad amorem caſtum. De hac re videndus eſt Caietanus in præſenti.

ARTICVLVS VII.

¶ *Vtrùm timor ſit initium ſapientiæ.*

q.45.art.6. ad tertium. AD SEPTIMVM ſic proceditur. Videtur quod timor nõ ſit initium ſapientiæ. Initium enim eſt aliquid rei. Sed timor non eſt aliquid ſapientiæ: quia timor eſt in vi appetitiua, ſapientia autem eſt in vi intellectiua. Ergo videtur ꝙ timor non ſit initium ſapientiæ.

2 ¶Præterea, Nihil eſt principium ſui ipſius. Sed timor Dei ipſe eſt ſapientia: vt dicitur Iob. 28. Ergo videtur ꝙ timor Dei non ſit initium ſapientiæ.

3 Præterea, Principio non eſt aliquid prius. Sed fides præcedit timorẽm: ergo videtur, ꝙ timor non ſit initium ſapientiæ.

¶SED CONTRA eſt, quòd dicitur in Pſalm. 110. Initium ſapientiæ, timor Domini.

¶RESPONDEO dicendum, ꝙ initium ſapiẽtiæ poteſt aliquid dici dupliciter. Vno modo, quia eſt initium ipſius ſapientiæ, quantũ ad eius eſſentiam. Alio modo, quãtum ad eius effectũ. Sicut initium artis ſecũdum eius ẽſſentiã ſunt principia, ex quibus procẽdit ars: initiũ autem artis ſecũdũ eius ẽffectũ eſt, vnde incipit ars operari. Sicut ſi dicamus, ꝙ principiũ artis ædificatiuæ eſt fundamẽtũ, quia ibi incipit ædificator operari. Cum autẽ ſapiẽtia ſit cognitio diuinorũ, vt infrà *dicetur: *q.45.ar.1.* aliter conſideratur à nobis, & aliter à Philoſophis. Quia enim vita noſtra ad diuinã fruitione ordinatur, & dirigitur ſecũdum quandam participationẽ diuinæ naturæ, quæ eſt per gratiã, ſapientia ſecũdum nos non ſolũ conſideratur, vt eſt cognoſcitiua Dei, ſicut apud Philoſophos, ſed etiã vt eſt directiua humanæ vitæ, quæ nõ ſolũ dirigitur ſecũdum rationes humanas, ſed etiam ſecundum rationes diuinas vt patet per Aug. *12. de Trinit. *Lib.12. cap. 14. tom.3.* Sic ergo initiũ ſapiẽtiæ, ſecũdum eius eſſentiã ſunt prima principia ſapiẽtię, quę ſunt articuli fidei: & ſecũdum hoc fides dicitur ſapientiæ initiũ. Sed quantum ad effectum initium ſapientię eſt, vnde ſapientia incipit operari, & hoc modo timor eſt initium ſapientiæ. Aliter tamen timor ſeruilis, & aliter timor filialis. Timor enim ſeruilis eſt, ſicut principium extrà diſponens ad ſapientiã, inquãtum aliquis timore pœnæ diſcedit à peccato, & habilitatur per hoc ad ſapientiæ effectum: ſecũdum illud Eccleſ. 1. Timor Dñi expellit peccatum. Timor autem caſtus, vel filialis eſt initium ſapientiæ, ſicut primus ſapientiæ effectus. Cum enim ad ſapientiam pertineat, quòd humana vita reguletur, ſecũdum rationes diuinas, hinc oportet ſumere principiũ, vt homo Deum reuereatur, & ſe ei ſubijciat. Sic enim conſequenter in omnibus, ſecundum Deum regulabitur.

¶AD PRIMVM ergo dicẽdum, quod ratio illa oſtendit, quod timor non eſt principium ſapientiæ, quantum ad eſſentiam ſapientiæ.

¶Ad ſecundum dicendum, quod timor Dei comparatur ad totam vitam humanam per ſapientiam Dei regulatam, ſicut radix ad arborem. Vnde dicitur Eccleſ. 1. Radix ſapientiæ eſt ti-
mere

mere Dominũ. Rami enim illius longæui. Et ideo ſicut radix virtute dicitur eſſe tota arbor, ita timor dicitur eſſe ſapientia.

¶ Ad tertium dicendum, quòd ſicut dictum * eſt, alio modo fides eſt principium ſapiẽtiæ, & alio modo timor. Vnde dicitur Eccleſ. 25. Timor Dei initium dilectionis eſt. Initium autem fidei agglutinandum eſt ei. *In corp. arti.*

SVMMA TEXTVS.

SVppoſito, quòd dupliciter poteſt dici aliquid initium ſapientiæ, vno modo quantũ ad eius eſſentiam, alio modo quantum ad eius effectum, ponit D. Thom. tres concluſiones. ℂ Prima concluſio. Timor non eſt initium ſapientiæ quãtum ad eius eſſentiam, ſed fides. Probatur. Sapientia pertinet ad vim cognoſcitiuam, timor autem pertinet ad vim appetitiuam: ergo timor non poteſt eſſe initium ſapiẽtiæ quantum ad eius eſſentiam. Secũdò, Ea dicũtur principia alicuius artis quãtum ad eius eſſentiam, ex quibus velut ex principijs ipſa ars procedit: ſed tales ſunt articuli fidei reſpectu ſapientiæ diuinæ: ergo quantum ad eſſentiam articuli fidei, atq; fides ſunt initium ſapientiæ. ℂ Secunda concluſio. Timor eſt initium ſapiẽtiæ quantum ad eius effectum. Probatur. Noſtra ſapientia, quæ non ſolum eſt cognoſcitiua Dei, ſicut ſapientia philoſophorum, ſed etiam directiua humanorum actuũ in vltimum finem, & hoc non ſolum ſecũdum rationes humanas, ſed etiam ſecundum rationes diuinas, vt docet D. Aug. lib. 12. de Trinitate. c. 14. hæc inquam ſapientia incipit operari à timore dirigendo nos in vitam æternam, ergo timor eſt initium ſapientiæ quãtum ad eius effectum. Antecedẽs eſt manifeſtum, & conſequentia probatur: nam id dicitur initium alicuius artis quantum ad eius effectum à quo ars incipit operari, iuxta quem modum fundamentum dicitur initium artis domificatiuæ. ℂ Tertia cõcluſio. Timor ſeruilis aliter eſt initium ſapientiæ, quantũ ad eius effectum, & aliter timor filialis. Nã timor ſeruilis eſt initium effectus ſapientię quaſi diſponens ad ipſum, in quantum, ſcilicet, ex timore pœnæ homo inducitur ad abijciendum peccatum: at verò timor filialis dicitur initium effectus ſapientiæ, quia eſt primus effectus illius conſiſtens in hoc, quod eſt, hominem ſe Deo ſubijcere, & illum revereri, vt ſic in omnibus vita eius reguletur ſecundum rationes æternas in ordine ad diuinam fruitionem. Et quoniam in hoc primo effectu virtute continetur tota vita Chriſtiana, per ſapientiam regulata, ſicut integra arbor continetur in radice: idcircò iſte effectus, qui eccleſiaſtici. 1. dicitur radix ſapientiæ apud Iob. cap. 22. appellatur etiam ipſa ſapientia.

ARTICVLVS. VIII.

ℂ *Vtrùm timor initialis differat ſecundum ſubſtantiam à timore filiali.*

AD OCTAVVM ſic proceditur. Videtur ꝙ timor initialis differat, ſecundum ſubſtãtiam à timore filiali. Timor enim filialis ex dilectione cauſatur. Sed timor initialis eſt principium dilectionis, ſecundum illud Eccleſ. 25. Timor Domini initiũ dilectionis eſt. Ergo timor initialis eſt alius à filiali. *2. d. 34. q. 2. artic. 3. q. 7. Et Roma. 8. lect. 3. col. 2.*

2 ¶ Præterea, Timor initialis timet pœnam, quæ eſt obiectum ſeruilis timoris: & ſic videtur, ꝙ timor initialis ſit idem cum ſeruili. Sed timor ſeruilis eſt alius à filiali, ergo etiam timor initialis eſt alius, ſecundum ſubſtantiam à filiali.

3 ¶ Præterea, Medium differt eadem ratione ab vtroq; extremorum. Sed timor initialis eſt medium inter timorem ſeruilem, & timorem filialem: ergo differt, & à filiali, & à ſeruili.

¶ SED CONTRA eſt, quòd perfectũ, & imperfectum non diuerſificant ſubſtantiam rei. Sed timor initialis, & filialis differunt ſecũdum perfectionem, & imperfectionem charitatis, vt patet per Augu. * ſuper primã Can. Ioan. Ergo timor initialis nõ differt, ſecundum ſubſtantiam à filiali. *Tractat. 9. in Cano. Ioann. Paulo ante med. et deinceps tom. 9.*

¶ RESPONDEO dicendũ, quòd timor initialis dicitur ex eo, ꝙ eſt initium. Sed cum timor ſeruilis, & timor filialis ſint aliquo modo initium ſapientiæ, vterque poteſt aliquo modo

modo initialis dici. Sed ſic non accipitur initialis, ſecundum quod diſtinguitur à timore ſeruili, & filiali: ſed accipitur ſecundum quod competit ſtatui incipientium, in quibus inchoatur quidã timor per inchoationem charitatis. Non tamẽ ineſt eis timor filialis perfectè: quia nõdum peruenerunt ad perfectionẽ charitatis. Et ideo timor initialis hoc modo ſe habet ad filialẽ, ſicut charitas imperfecta ad perfectã. Charitas autem perfecta, & imperfecta non differunt, ſecũdum eſſentiam, ſed ſolum ſecundum ſtatum. Et ideo dicendum eſt, ꝙ etiam timor initialis, prout hic ſumitur, non differt ſecundum eſſentiam à timore filiali.

¶ AD PRIMVM ergo dicendũ, quòd timor, qui eſt initium dilectionis, eſt timor ſeruilis, qui introducit charitatem: ſicut ſeta introducit linũ, vt Aug.* dicit, vel ſi hoc referatur ad timorem initialem, dicitur eſſe dilectionis initium nõ abſolutè, ſed quantum ad ſtatum charitatis perfectæ.

Tracta.9. in Can. Io. inter prin. & mediũ to.9.

¶ Ad ſecundũ dicendum, quod timor initialis non timet pœnam, ſicut proprium obiectum, ſed inquantum habet aliquid de timore ſeruili adiunctũ, qui ſecundũ ſubſtantiam manet quidẽ cum charitate ſeruilitate remota. Sed actus eius manet quidem cum charitate imperfecta in eo, qui nõ ſolum mouetur ad benè agendum ex amore iuſtitiæ, ſed etiam ex timore pœnæ. Sed iſte actus ceſſat in eo, qui habet charitatem perfectam, quæ foras mittit timorem habentem pœnam, vt dicitur primæ Ioan.4.

¶ Ad tertium dicendum, quod timor initialis eſt mediũ inter timorem ſeruilem & finalẽ, non ſicut inter ea, quæ ſunt vnius generis, ſed ſicut imperfectum eſt medium inter ens perfectũ, & non ens, vt dicitur in ſecundo* Metaphyſ. Quod tamen eſt idem ſecundum ſubſtantiam, cum ente perfecto. Differt autem totaliter à non ente.

Lib.2. Meta. text.7. &10.3.

SVMMA TEXTVS.

CONcluſio, Timor initialis non differt ſecundum ſubſtãtiam à timore filiali, ſed ſecũdum perfectum, & imperfectum. Probatur. Is dicitur in præſenti timor initialis, qui cõuenit ſtatui incipientium, in quibus inchoatur timor per inchoationẽ charitatis, ſed in his timor nõ differt ſecũdũ ſubſtãtiam à timore filiali, ſed ſicut minus perfectũ à magis perfecto, quo etiã modo charitas incipientiũ differt à charitate perfectorũ, vt autor eſt D. Aug. tract.9. ſuper primã canonicã Ioan. ergo timor initialis non differt ſecũdum ſubſtãtiam à timore filiali.

EXPLICATIO ARTICVLI.

COntra cõcluſionẽ huius artic. eſt argumẽtum. Timor initialis, & timor filialis differunt ex parte obiecti formalis: ergò diſtinguuntur ſpecie. Conſequentia eſt nota, & antecedens probatur. Obiectum timoris filialis eſt ſola culpa: obiectum autem timoris initialis, eſt ſimul culpa atq; pœna; ergo habent diſtincta obiecta. Et confirmatur ex D. Tho. qui art.2. huius quæſtionis, dixit timorẽ initialem eſſe mixtum ex ſeruili, & initiali. Propter hoc argum. Durandus in.3. d.34. q.5. dicit quod timor initialis ſpecie differt à timore filiali: quam etiã ſentẽtiam multi alij exiſtimant probabilẽ.

Argumentum contra cõcluſionem.

Sentẽtia Durandi.

℄ Nihilominus tamen dico eſſe longè probabilius, quod timor initialis, & filialis non differunt ſpecie: quod & tenet Caietanus in hoc articulo: & probatur. Nõ eſt ponẽda pluralitas ſine neceſsitate: ſed omnia, quæ dicũtur de timore initiali, & filiali ſaluari poſſunt ſine aliqua diſtinctione ſpecifica inter iſtos timores: ergo. ℄ Et ad Argumentum Durãdi reſpondetur quod timor initialis ſecũdum ſe non fugit pœnam, nec habet eam pro obiecto, ſed ſolam culpam, quãuis ratione timoris ſeruilis adiũcti propter imperfectionẽ ſubiecti fugiat etiã pœnã. Itaq; qui habet timorẽ initialẽ ſimul tẽpore habet in volũtate duos actus, vnũ quo fugit culpam, qui eſt ſecũdum eſſentiam timor caſtus & filialis: alterũ, quo fugit pœnã: & hic eſt ſecundũ ſubſtãtiam timor ſeruilis, ex cuius cõſortio ille alter actus eſt imperfectus. Nec hoc eſt inconueniens: quia, vt diximus ſupra. quæſt.18. art.1. bene poſſunt eſſe in eadem potentia, ſiue cognoſcitiua ſiue appetitiua duo actus diſtincti ad vnum ordinati. Ex dictis infertur, quod timor initialis ex ſe non dicit niſi actum circa ſolam culpam, & ratione timoris

Timor initialis & filialis non differũt ſpecie.

Ad argum.

ſeruilis

ſeruilis adiuncti dicit actum circa culpam, & pœnam ſimul. Et ſic eſt explicandus D. Tho. quando dixit ſupra, artic. 2. timorem filialem verſari circa culpam & pœnam. Videte de hac re Caietanũ in hoc articulo.

ARTICVLVS. IX.

¶ Vtrùm timor ſit donum Spiritus ſancti.

3. diſtin. 34. q. 2. art. 1 q. 3. & arti. 2. q. 1. Et Ro. 8. lect. 3.

AD NONVM ſic proceditur. Videtur ꝙ timor nõ ſit donum Spiritus ſancti. Nullum enim donum Spiritus ſancti opponitur virtuti, quæ etiam eſt à Spiritu ſancto: alioquin Spiritus ſanctus eſſet ſibi contrarius. Sed timor opponitur ſpei, quæ eſt virtus. Ergo timor non eſt donum Spiritus ſancti.

2 ¶ Præterea, Virtutis theologicæ proprium eſt, quòd Deum habeat pro obiecto: ſed timor habet Deum pro obiecto, inquantum Deus timetur: ergo timor non eſt donum, ſed virtus theologica.

3 ¶ Præterea, Timor ex amore conſequitur, ſed amor ponitur quædam virtus theologica. Ergo etiam timor eſt virtus theologica, quaſi ad idem pertinens.

Lib. 2. Mor. c. 36. parum ante med.

4 ¶ Præterea, Greg. dicit* ſecũdo Moralium, ꝙ timor datur contra ſuperbiam. Sed ſuperbiæ opponitur virtus humilitatis. Ergo etiam timor ſub virtute comprehenditur.

Lib. 2. Mor. cap. 36.

5 ¶ Præterea, Dona ſunt perfectiora virtutibus: dãtur enim in adiutorium virtutum, vt Greg. dicit* ſecundo Moralium. Sed ſpes eſt perfectior timore: quia ſpes reſpicit bonum, timor malum. Cum ergo ſpes ſit virtus, non debet dici, ꝙ timor ſit donum.

¶ SED CONTRA eſt, quòd Iſai. 11. timor Domini enumeratur inter ſeptem dona Spiritus ſancti.

Ar. 2. huius quæſt. Cap. 18. declinando ad finem. to. 7.

¶ RESPONDEO dicendũ, quòd multiplex eſt timor, vt ſuprà dictum* eſt. Timor autem humanus, vt dicit Auguſtinus in libro de Gratia* & liber. arbit. non eſt donum Dei, hoc enim timore Petrus negauit Chriſtum, ſed ille timor, de quo dictum* eſt, Illum timete, qui poteſt animam & corpus mittere in gehennam. *Matth. 10.* Similiter etiam timor ſeruilis non eſt numerandus inter ſeptẽ dona Spiritus ſancti, licet ſit à Spiritu ſancto: quia vt Auguſtinus dicit in libr.* de Natura & gratia, poteſt habere annexam voluntatem peccandi, Dona autẽ Spiritus ſancti non poſſunt eſſe cum voluntate peccati: quia non ſunt ſine charitate, vt dictum* eſt. *Cap. 57. ante med. to. 7. 1. 2. q. 68. arti. 5.* Vnde relinquitur ꝙ timor Dei, qui numeratur inter ſeptem dona Spiritus ſancti, eſt timor filialis, ſiue caſtus. Dictum eſt enim* ſuprà ꝙ dona Spiritus ſancti ſunt quædam habituales perfectiones potentiarum animæ; quibus redduntur bene mobiles à Spiritu ſancto: ſicut virtutibus moralibus potentiæ appetitiuæ redduntur bene mobiles à ratione. *1. 2. q. 68. artic. 1. & 2.* Ad hoc autem, ꝙ aliquid ſit bene mobile ab aliquo mouẽte, primo requiritur, vt ſit ei ſubiectum, non repugnans: quia ex repugnantia mobilis ad mouens impeditur motus. Hoc autem facit timor filialis, vel caſtus, inquantum per ipſum Deum reueremur, & refugimus nos ipſi ſubducere. Et ideo timor filialis, quaſi primũ locum tenet, aſcendendo, inter dona Spiritus ſancti: vltimum autem deſcẽdendo: ſicut Auguſtinus dicit* in libr. de ſermone Domini in monte. *Lib. 1. ca. 9. ante med. to. mo. 4.*

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, ꝙ timor filialis non contrariatur virtuti ſpei. Non enim per timorem filialem timemus, ne nobis deficiat, quod ſperamus obtinere per auxilium diuinum. Sed timemus ab hoc auxilio nos ſubtrahere. Et ideo timor filialis, & ſpes ſibi inuicem cohærent: & ſe inuicem perficiunt.

¶ Ad ſecundum dicendum, quod proprium, & principale obiectum timoris eſt malũ quod quis refugit. Et per hunc modum Deus non poteſt eſſe obiectum timoris, ſicut ſuprà dictum* eſt. *Arti. 1 huius quæſt.* Eſt autem per hunc modũ obie-

ctum

ctum ſpei, & aliarum virtutum theologicarum: quia per virtutem ſpei, nõ ſolũ innititur diuino auxilio ad adipiſcendum quæcunque alia bona, ſed principaliter ad adipiſcendum ipſum Deum, tãquam principale bonum. Et idem patet in alijs virtutibus theologicis.

¶Ad tertium dicẽdum, quòd ex hoc, quòd amor eſt principium timoris nõ ſequitur, quòd timor Dei non ſit habitus diſtinctus à charitate, quæ eſt amor Dei: quia amor eſt principium omnium affectionum, & tamen in diuerſis habitibus perficimur circa diuerſas affectiones in Deo. Et ideo amor magis habet rationem virtutis, quàm timor: quia amor reſpicit bonum, ad quod principaliter virtus ordinatur, ſecundũ propriam rationem,

1.2.q.55.artic.3.

vt ex ſupradictis* patet. Et propter hoc etiam ſpes ponitur virtus. Timor autem principaliter reſpicit malum, cuius fugam importat. Vnde eſt aliquid minus virtute theologica.

¶Ad quartũ dicẽdum, ꝙ ſicut dicitur Eccleſ. 10. Initium ſuperbiæ hominis apoſtatare à Deo: hoc eſt, nolle ſubdi Deo, quod opponitur timori filiali, qui Deum reueretur. Et ſic timor excludit principium ſuperbiæ, propter quod datur, ſcilicet, cõtra ſuperbiam. Nec tamen ſequitur, ꝙ ſit idem cum virtute humilitatis, ſed ꝙ ſit principiũ eius. Dona enim Spiritus ſancti ſunt principia virtutum intellectualium &

1.2.q.68.artic.5.&.8.

moralium, vt ſuprà dictũ* eſt. Sed virtutes theologicæ ſunt principia donorum, vt ſuprà habitum* eſt, vnde patet reſponſio ad quintum.

1.2.q.68.artic.4.ad.3.

3.diſt.34.q.2.art.3.q.3.& Pſal.18.

SVMMA TEXTVS.

SVPPOSITA diſtinctione de multiplici timore, ſcilicet, mũdano, ſeruili, initiali, & filiali reſpondet D. Tho. ad diſficultatem per quatuor propoſitiones. ℭ Prima concluſio. Timor mundanus nõ eſt donum Spiritus ſancti. Probatur. Timor mundanus ſemper eſt malus: ex eo enim, vt dicit D. Auguſtinus, Petrus negauit Chriſtum, ergo non eſt donum Spiritus ſancti. ℭ Secunda concluſio. Timor ſeruilis, quanuis ſit ab Spiritu ſancto, non tamen eſt donum Spiritus ſancti. Probatur. Dona Spiritus ſancti non poſſunt eſſe ſine charitate, vt D. Th. 1.2.q.68.ar.1.&.2. docet, ſed timor ſeruilis poteſt eſſe ſine charitate: poteſt enim habere annexam voluntatem peccandi, vt dicit D. Auguſtinus in lib. de natura & gratia. capit. 57. ergo timor ſeruilis, quanuis ſit ab Spiritu ſancto, non tamen eſt donũ Spiritus ſancti. ℭ Tertia concluſio. Timor filialis, ſiue caſtus, eſt donum Spiritus ſancti. Probatur. Dona Spiritus ſancti ſunt quædam habituales perfectiones potentiarum animæ, quibus ipſæ potentiæ reddũtur bonæ mobiles ab Spiritu ſancto, ſicut potẽtiæ appetitiuæ per virtutes morales redduntur bene mobiles à ratione, ſed timor filialis eſt huiuſmodi, ergo timor filialis eſt donũ Spiritus ſancti. Conſequentia cum maiori eſt nota, & minor probatur. Per donum timoris habitualiter voluntati inhærens ipſa voluntas Deum reueretur, & illi ſe ſubijcit, refugitque ab eo ſeparari: ergo per illud volũtas efficitur bene mobilis à Spiritu ſancto: atque ex conſequenti, eſt donum illius.

ℭ Quarta cõcluſio. Timor filialis habet primum locũ inter dona Spiritus ſancti, aſcendendo, vltimum verò deſcendendo. Hanc concluſionem probat D. Tho. teſtimonio D. Auguſt. qui hoc apertè fatetur lib. 2. de ſermone Domini in monte. q. 7.

EXPLICATIO ARTICVLI.

CIrca ſecundam concluſionem huius arti. meminiſſe oportet eorum, quæ diximus art. 4. huius quæſtionis: vbi oſtẽdimus timorem ſeruilem, qui verſatur circa mala ſupernaturalia eſſe in nobis ex ſpeciali Dei auxilio. Quod & diffinitum eſſe videtur in Concilio Tridentino, Seſsione. 3. cap. 4. vbi dicitur eam attritionem, quæ ex timore gehennæ concipitur, eſſe in nobis ex Dei impulſu, hoc eſt ſine noſtris meritis inſpiratã. Et in Concilio Arauſicano, Canone. 4. 6. & 7. etiam dicitur, quod ea, quibus ad vitam æternam ordinamur (quorum vnum eſt timor) ſunt in nobis non à natura, ſed ab Spiritu ſancto. ℭ Sed eſt aduertendum, quod dupliciter aliquid poteſt dici donum Spiri- *Dupliciter aliquid dici*

tur donũ Spiritus ſancti. tus ſancti. Vno modo largè, quomodo appellatur donum Spiritus ſancti quicquid efficitur ab illo: & hac ratione opera meritoria, & opera ſupernaturalia, quæ gratiã præcedunt, & etiam timor pœnarum inferni vel purgatorij ſunt dona Spiritus ſancti. Alio modo ſtrictè, pro vno ex illis ſeptem quæ enumerat Eſaias capit. 7. quibus mens noſtra redditur prompta ad ſequendũ Spiritus ſancti motionem in actibus heroicis, & ſupernaturalibus. Quãdo ergo D. Tho. in hoc articulo, negat de timore ſeruili, qđ eſt donum Spiritus ſancti, & id affirmat de timore filiali, intelligendus eſt loqui de dono ſtrictè accepto.

Dubium. ¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco, vtrum timor initialis ſit donum Spiritus ſancti loquendo de dono proprio, & ſtricto ſermone. Et pro parte negatiua eſt argumentum.

Argumentum pro parte negatiua. Timor initialis includit in ſe timorem ſeruilem, ſed timor ſeruilis nõ eſt donum Spiritus ſancti, vt diximus, ergo nec timor initialis.

Sententia auctoris. ¶ Hoc tamen non obſtante dico, quòd timor initialis eſt donum Spiritus ſancti ſub eſſe tamen imperfecto. Hanc ſententiã tenent Ricardus de media Villa in. 3. diſtin. 34. q. 2. aric. 2. & probatur. Timor initialis non differt à timore filiali, niſi ſecundum ſimilitudinem, qua imperfecta charitas differt à perfecta, ſed timor filialis eſt donum Spiritus ſancti, vt D. Tho. dicit in hoc articulo: & omnes doctores fatẽtur, ergo timor initialis etiam erit donum Spiritus ſancti ſub eſſe tamen imperfecto. Confirmatur. Timore initiali cohibet ſe homo à peccato principaliter propter vitandam diuinã offenſam, & minus principaliter, & ſecundario propter vitãdam pœnam æternã, ideoque initialis dicitur, quia eſt initium filialis timoris per charitatem inchoatam, ergo eſt donum Spiritus ſancti.

Ad argum. ¶ Ad argumentum in contrarium factũ reſpondetur quòd, vt diximus articulo præcedenti, timor initialis non dicitur includere in ſe timorem ſeruilem, quia reſpiciat pœnam tanquam obiectum ſimul cũ culpa, ſolùm enim reſpicit culpam ex ſe, & ratione timoris ſeruilis adiuncti propter imperfectionem ſubiecti reſpicit pœnam. Ex quo fit, vt nõ differat ſpecie à timore filiali, & quod ſit donum Spiritus ſancti quamuis timor ſeruilis hoc non habeat.

Notà, ¶ In ſolutione ad. 2. argum. dicit D. Tho. quòd timor nõ eſt virtus Theologica, quia cum de ratione virtutis Theologicæ ſit, ꝙ habeat Deũ pro obiecto principali quod, & Deus non poſsit eſſe obiectum quod, timoris, cum non ſit ipſum malum quod timetur, fit vt timor non poſsit eſſe virtus Theologica, quod eſt maximè notandum. Et pro hoc eſt videndum quod nos diximus ſupra art. 1. huius quæſtionis. ¶ In ſolutione ad. 3. etiam dicit, quod timor eſt aliquid minus virtute Theologica. Et ratio eſt, quia virtus Theologica verſatur circa bonum idque diuinum. At verò timor verſatur circa malum, quod fugit, quod etiam eſt valdè notandum pro intelligentia differentiæ, quæ verſatur inter timorem, & reliquas virtutes.

ARTICVLVS X.

¶ Vtrum creſcente charitate, diminuatur timor.

AD DECIMVM ſic proceditur. Videtur quòd creſcẽte charitate, diminuatur timor, Dicit enim Auguſtinus * ſuper primam Cano. Ioan. Quantum charitas creſcit, tantum timor decreſcit. *Tract. 9. inter principium & med. to. 9.*

2 ¶ Præterea. Creſcente ſpe, diminuitur timor. Sed creſcente charitate, creſcit ſpes, vt ſupra * habitum eſt. Ergo creſcente charitate, diminuitur timor. *q. 17. ar. 8.*

3 ¶ Præterea, Amor importat vnionem, timor autem ſeparationem. Sed creſcente vnione, diminuitur ſeparatio. Ergo creſcente amore charitatis diminuitur timor.

¶ SED CONTRA eſt, quod dicit Auguſtinus * in libro. 83. Quæſt. quòd Dei timor, non ſolum inchoat, ſed etiam perficit ſapientiam, id eſt, quæ ſummè diligit Deũ & proximum tanquam ſeipſum. *Quæſt. 36. in fine illius to. 4.*

¶ RESPONDEO dicendũ, quòd duplex eſt timor Dei, ſicut dictum * eſt: vnus quidem filialis, quo quis timet offenſam patris, vel ſeparationẽ ab ipſo: alius autem ſeruilis, quo quis timet pœnam. Timor autem filialis neceſſe eſt, quòd creſcat, creſcente cha- *Ar. 4. huius quæſt.*

charitate, ſicut effectus creſcit creſcente cauſa. Quanto enim aliquis magis diligit aliquem, tãto magis timet eum offendere, & ab eo ſeparari. Sed timor ſeruilis, quantum ad ſeruilitatẽm, totaliter tollitur charitate aduenientẽ: remanet tamen, ſecundum ſubſtantiam timor pœnæ, vt dictum * eſt. Et iſte timor diminuitur charitate: maximè quantum ad actum, quia quanto aliquis magis diligit Deum, tanto minus timet pœnam. Primò quidem, quia minus attendit ad proprium bonum, cui contrariatur pœna. Secundo, quia firmius inhærens magis confidit de prĕmio: & per conſequens minus timet de pœna.

Ar. 6. huius quæſt.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd Aug. loquitur de timore pœnę.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd timor pœnæ eſt, qui diminuitur creſcẽte ſpe, Sed ea creſcente creſcit timor filialis: quia quanto aliquis certius expectat alicuius boni conſecutionem per auxilium alterius, tanto magis veretur eũ offendere, vel ab eo ſeparari.

¶ Ad tertium dicendum, quòd timor filialis nõ importat ſeparationem, ſed magis ſubiectionem ad ipſum. Separationem autẽ refugit à ſubiectione ipſius. Sed quodammodo ſeparationẽ importat per hoc, quòd non prĕſumit ſe ei adæquare, ſed ei ſe ſubijcit. Quæ etiam ſeparatio inuenitur in charitate, inquantum diligit Deum ſupra ſe, & ſupra omnia. Vnde amor charitatis augmentatus reuerentiam timoris nõ minuit, ſed auget.

SVMMA TEXTVS.

SVppoſita diſtinctione de duplici timore ſeruili atque filiali, reſpondet D. Th. per tres propoſitiones. ℂ Prima eſt: Timor filialis creſcente charitate nõ minuitur, ſed potius creſcit. Probatur, creſcente cauſa creſcit effectus, ſed timor filialis eſt effectus charitatis: quanto enim aliquis plus Deum amat, tantò plus timet eum offendere, & ab eo ſeparari, quia illũ amat: ergo timor filialis creſcente charitate non minuitur, ſed augetur. ℂ Secunda concluſio. Timor ſeruilis quantum ad ſeruilitatem adueniente charitate penitus tollitur. Probatur. Timor ſeruilis quantum ad ſeruilitatem eſt contrarius charitati, vt conſtat ex ſuperioribus, ergo ipſa adueniente totaliter tollitur. ℂ Tertia concluſio. Timor ſeruilis quantum ad ſubſtantiam creſcente charitate minuitur, maxime quantum ad actum. Probatur. Quanto aliquis plus diligit Deum tanto minus timet pœnam, tum quia minus attẽdit ad proprium bonum, cui contrariatur pœna, tum etiam, quia firmius inhærens Deo magis confidit de præmio conſequendo: ergo timor ſeruilis quantum ad ſubſtãtiam creſcente charitate minuitur, & maxime quãtum ad actum.

EXPLICATIO ARTICVLI.

CIrca primam concluſionem huius articuli eſt difficultas, vtrùm verum ſit, quòd timor filialis creſcente charitate non minuitur, ſed augetur. Et pro parte negatiua argumentor in hunc modum: Creſcente charitate decreſcit obiectum timoris filialis: ergo etiam decreſcit ipſe timor. Conſequentia eſt nota, & antecedens probatur. Obiectum timoris filialis eſt offenſa Dei, non vtcunque ſed vt malum poſsibile imminẽs: ſed quãto quis habet maiorem charitatem, tãto minus eſt illi poſsibile Deum offendere: ergo creſcente charitate decreſcit obiectum timoris filialis. ℂ Et cõfirmatur. In patria non eſt timor, quia ſeparatio à Deo eſt ibi omnino impoſsibilis: ſed creſcẽte charitate iſta ſeparatio à Deo fit minus poſsibilis: ergo creſcente charitate minuitur timor filialis. Propter hæc argumenta. Duran. in. 3. diſt. 34. quæſt. 6. dicit, quòd ſicut timor ſeruilis minuitur creſcente charitate, ità etiam minuitur timor filialis. Sed oppoſitum tenet D. Thom. in hoc articulo quem communiter ſequuntur doctores.

Dubium.

Argum. pro parte negatiua.

ℂ Ad cuius explicationem eſt aduertendum primo, quòd inter cætera, quæ reſpicit timor duo ſunt potiſsima. Primum eſt ipſum malum arduum, quod timet. ℂ Secundum, quod immineat, vel ſit poſsibile. Quæ duo ità ſe habẽt, quod in aliquib⁹ cõueniunt, & in aliquibus differunt. Conueniunt quidem in hoc, quod vtrumque eſt neceſſarium ad obiectum timoris, & etiam in

1. Notabile.

in

in eo, quod cæteris paribus quoduis eorum augmentum auget timorem. Nam cæteris paribus, quod eſt magis malum eſt magis timendum, & ſimiliter cæteris paribus, quod eſt magis poſsibile eſt magis timendum. Sed differunt in hoc, quod latitudo mali ſimpliciter eſt menſura timoris, ità, vt quantò malum eſt maius tantò timor illius erit ſimpliciter maior, at verò latitudo poſsibilitatis tantum eſt menſura timoris ſecũdum quid. Quod ita eſſe cõſtat ex eo, quod quantumuis facillimè euenturum aliquod paruum malum exiſtimemus, minus tamen illud timemus, quàm aliud malum magnum, quod poſsibile imminet, quanuis non ità facile euenturum cognoſcamus. Vt verbi gratia, mercator, qui habet maximas diuitias in aliqua naui, magis timet periculum illius, quanuis ſit minus poſsibile, & habeat nauim propè portum, quàm ille, cuius nauis minus onuſta eſt in medio mari: plus enim facit ad augmentum timoris latitudo mali imminentis, quàm maior, vel minor poſsibilitas eiuſdem.

2. Notabile. ¶ Secundo eſt aduertendum, quod attinet ad præſens inſtitutum, idem eſt quod aliquod malum ſit maius, & quod exiſtimetur maius, ad hoc, vt magis vel minus augeat timorem. Ex quo fit, vt eiuſdem rationis ſit eſſe maius malum, & appretiari, vt maius, ad hoc, vt magis timeatur: ſicut & idem eſt, quod aliquid ſit maius bonum, & quod appretietur, vt maius, ad hoc, vt magis ametur, vt docet Ariſt. 2. Phyſic.

3. Notabile. ¶ Tertio eſt aduertendum, quòd charitas quantò magis augetur tanto magis diligit Deum, & ex conſequenti tanto magis æſtimat vniri Deo, & tanto maius malum reputat ſeparari à Deo.

Concluſio. ¶ His conſtitutis dico ad difficultatem propoſitam, quod cum timor per ſe, & ſimpliciter augeatur ad augmẽtum mali, quod timetur, & creſcente charitate æſtimetur, maius malum ſeparari à Deo, hinc eſt quod creſcente charitate ſimpliciter creſcit actus timoris filialis, quo timetur offenſa Dei, & ſeparatio ab illo: & in hoc fundatur ſententia D. Thom. ¶ Vnde ad argumentum Duran. reſpondetur negando maiorem. Et ad probationem dico, quod licet obiectum timoris filialis diminuatur creſcente charitate ex parte poſsibilitatis, augetur tamen ex parte æſtimationis maioris mali, vt dictum eſt. Et quia augmentum conuenit illi ſimpliciter, diminutio autem ſecundum quid, idcircò augmentatio præponderat diminutioni. ¶ Ad confirmationem reſpondetur, quicquid ſit de antecedenti, negando conſequentiam. Et ratio eſt, nam in patria non ſolum minuitur obiectum timoris ex parte poſsibilitatis, ſed etiam ex parte mali, quod timetur. Nam cum non apprehendatur, vt poſsibile ſeparari à Deo, fit, vt hoc non exiſtimetur malum nec timeatur.

Ad argum. (margin beside "tia D. Thom.")

Ad confirmationem.

Arg. contra 3. concluſio. nẽ D. Thom. ¶ Contra tertiam concluſionem, in qua D. Thom. dicit, quod timor ſeruilis quantum ad ſubſtantiam creſcente charitate minuitur, eſt argumentum. Timor ſeruilis, quantum ad ſubſtantiam eſt bonus, vt ſupra diximus contra Lutherum, ſed intenſio facit bonum actum, meliorem, ergo charitas non tollit intenſionem timoris pœnę, alias charitas adeſſet in detrimentum noſtrum: & ex conſequenti timor non minuitur quantum ad intenſionem adueniente charitate. ¶ Ad hoc argumentum, vt reſpondeamus, eſt aduertendum eſſe maximam latitudinem & differentiam in bonis actibus: nam quidam ſunt perfecti, vt vouere virginitatem, vel monachatum: alij autem imperfecti, licet ſint boni, vt ducere vxorem. Quo ſuppoſito dico, quod charitas dum perficit actum perfectum, nonnũquam minuit, imò aliquando totaliter tollit actum imperfectum, licet ſit bonus: nec hoc dicitur cedere in malum noſtrum, ſed potiùs in maximum bonum. Quod etiam contingit in timore ſeruili: qui cum ſit imperfectus adueniẽte charitate minuitur, & aliquando totaliter auſertur, licet ſit bonus in maius bonum noſtrum. Et per hoc patet ſolutio ad argumentum. Vel ſecundo reſpondetur, negando minorem: non enim ſemper maior intenſio facit actum meliorem, vt eſt videre in multis exemplis. Nam laudabile eſt velle cœnare hodie quod eſt dies dominica, & tamen non eſſet laudabile maxima intenſione velle cœnare: & ſimiliter ſeruare diuitias eſt bonũ, at verò nimia ſolicitudine illas ſeruare eſt vituperabile. Quo circa nihil concludit argumentum.

Nota pro ſolutione argumenti.

Ad argumẽtum.

ARTICVLVS. XI.

¶ *Vtrum timor remaneat in patria.*

AD VNDECIMVM ſic proceditur. Videtur quòd timor non remaneat

1.2.q.63. art.6. Et.3. diſt.34.q.1.art.3. Et.diſt.35.q.2.ar.2.q.3.& art.4.q.3. Ar.2.&.5 huius q. & 1.2.q.42. art.1.

maneat in patria. Dicitur enim Prouerb.1. Abundantia perfruetur, timore malorum ſublato. Quod intelligitur de homine iam ſapientia perfruente in beatitudine æterna. Sed omnis timor eſt alicuius mali: quia malum eſt obiectũ timoris. vt ſuprà dictum • eſt. ergo nullus timor erit in patria.

2 ¶ Præterea, Homines in patria erunt Deo conformes: ſecundum illud.1. Ioan.3. Cum apparuerit, ſimiles ei erimus. Sed Deus nihil timet. Ergo homines in patria non habebunt aliquem timorem.

3 ¶ Præterea. Spes eſt perfectior, quàm timor: quia ſpes eſt reſpectu boni, timor reſpectu mali. ſed ſpes non erit in patria, ergo nec timor erit in patria.

¶ SED CONTRA eſt, quòd dicitur in Pſalm.18. Timor Domini ſanctus permanet in ſeculum.

¶ RESPONDEO dicendũ, quòd timor ſeruilis, ſiue timor pœnæ nullo modo erit in patria. Excluditur enim talis timor per ſecuritatẽ æternæ beatitudinis, quæ eſt de ipſius beatitudinis ratione, ſicut ſuprà dictum • eſt. Timor autẽ filialis, ſicut augetur augmentata charitate, ita charitate perfecta perficietur. Vnde non habebit in patria eundem actum omnino, quem habet modo. Ad cuius euidẽtiam ſciẽdum eſt, quòd proprium obiectum timoris eſt malum poſsibile, ſicut proprium obiectum ſpei eſt bonum poſsibile. Et cum motus timoris ſit, quaſi fugæ, importat timor fugam mali ardui poſsibilis. Parua enim mala timorem nõ inducunt. Sicut autem bonum vniuſcuiuſque eſt, vt in ſuo ordine cõſiſtat: ita malum vniuſcuiuſque eſt, vt ſuum ordinẽ deſerat. Ordo autem creaturæ rationalis eſt, vt ſit ſub Deo, & ſupra cæteras creaturas. Vnde ſicut malum creaturæ rationalis eſt, vt ſubdat ſe creaturæ inferiori per amorem: ita etiam malum eius eſt, ſi non Deo ſe ſubijciat, ſed in ipſum præſumptuoſè inſiliat, vel contemnat. Hoc autem malum creaturæ rationali, ſecundum ſuam naturam conſideratæ poſsibile eſt, propter naturalem liberi arbitrij flexibilitatem. Sed in beatis fit nõ poſſibile per gloriæ perfectionem. Fuga ergo huius mali, quod eſt Deo nõ ſubijci, vt poſsibilis naturæ, impoſsibilis autem beatitudini, erit in patria. In via autem eſt fuga huius mali, vt omnino poſsibilis. Et ideo Greg. • dicit.17. Moral. exponens illud Iob.26. Columnæ cœli cõtremiſcũt & pauent ad nutum eius. Ipſæ, inquit, virtutes cœleſtium, quæ hunc ſine ceſſatione conſpiciũt, in ipſa contemplatione contremiſcũt. Sed idem tremor, ne eis pœnalis ſit, non timoris eſt, ſed admirationis: quia ſcilicet admirantur Deum, vt ſupra ſe exiſtentem, & eis incõprehenſibilem. Auguſtinus etiam.14. de Ciuitate • Dei, hoc modo ponit timorem in patria, quamuis hoc ſub dubio derelinquat. Timor, inquit, ille caſtus permanens in ſeculum ſeculi, ſi erit in futuro ſeculo, non erit timor exterrens à malo, quod accidere poteſt: ſed tenens in bono, quod amitti non poteſt. Vbi enim boni adepti amor immutabilis eſt profecto, ſi dici poteſt, mali cauẽdi timor ſecurus eſt. Timoris quippe caſti nomine ea voluntas ſignificata eſt, qua nos neceſſe erit nolle peccare: & non ſolicitudine infirmitatis, ne forte peccemus, ſed tranquillitate charitatis cauere peccatum. Aut ſi nullius omnino generis timor ibi eſſe poterit, ita fortaſſe timor in ſeculũ ſeculi dictus eſt permanẽs: quia id permanebit quo timor ipſe perducit.

q.18 art.3. & 1.2.q.5 art.4.

Li.17.Mor. cap.15. circa prin.

Lib.14.cap. 19. inter med. & finem.to.5

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd in authoritate prædicta excluditur à beatis timor ſolicitudinẽ habens, de malo præcauens: non autem timor ſecurus: vt Auguſtinus • dicit.

Lib.14.de ciui. Dei. c. 9.a med.to.5

¶ Ad ſecundũ dicendum, quòd ſicut dicit Dionyſ.9. cap. de diui. • no. Eadem

Ca.9.a med. illius.

dem & ſimilia ſunt Deo, & diſsimilia. Hæc quidem ſecundũ contingentem non imitabilis imitationem, id eſt, in quantum ſecũdum ſuum poſſe imitantur Deum, qui non eſt perfecte imitabilis. Hæc autem ſecũdum quòd hic cauſata minus habent à cauſa infinitis menſuris, & incomparabilibus deficientia. Vnde non oportet, quòd ſi Deo non conuenit timor: quia non habet ſuperiorem, cui ſubijciatur; quòd propter hoc non conueniat beatis, quorum beatitudo conſiſtit in perfecta ſubiectione ad Deum.

¶ Ad tertium dicendum, quòd ſpes importat quendam defectum, ſcilicet fruitionem beatitudinis, quæ tollitur per eius præſentiam. Sed timor importat defectum naturalem creaturæ, ſecundum quòd in infinitum diſtat à Deo. Quod etiam in patria remanebit: & ideo timor non euacuabitur totaliter.

SVMMA TEXTVS.

PRima concluſio, Timor ſeruilis, ſiue timor pœnæ nullo modo erit in patria. Probatur. De ratione beatitudinis eſt ſecuritas illius nunquam amittendæ, vt docet D. Tho. 1.2. quæſtio. 5. art. 4. ergo in patria, vbi homines ſunt beati nullus timor pœnę poterit eſſe. ¶ Secunda concluſio. Timor filialis erit perfectiſsimus in patria. Probatur. Hic timor augetur augmentata charitate, ſed charitas erit in patria perfectiſsima, ergo & timor filialis. ¶ Tertia concluſio. Actus, quem timor filialis habet in patria alius eſt ab actu, quem habet in via. Probatur. Variato obiecto neceſſe eſt, vt actus varietur, ſed obiectum timoris filialis variatur in patria ab eo, quod erat in via, ergo etiam ipſe actus variatur. Conſequentia cũ maiori eſt nota, & minor probatur. Non ſubijci Deo, in quo conſiſtit culpa apprehenditur à ſanctis in via, vt malum arduum poſsibile omnino propter flexibilitatem noſtri arbitrij, in patria verò apprehenditur, vt poſsibile naturæ humanæ, quæ de ſe eſt peccabilis, impoſsibile autem naturæ glorificatæ, quæ propter gloriæ perfectionem facta eſt impeccabilis: ergo obiectum timoris filialis in patria variatur ab eo, quod erat in via. ¶ Quarta concluſio. Timor filialis in patria non eſt pœnalis, ſed eſt quaſi timor reuerentiæ, quo beati Deũ reuerentur, & admirantur. Probatur teſtimonio D. Auguſtini qui lib. 14. de ciuitate cap. 16. dicit, quòd nomine caſti timoris permanentis in patria ſignificatur voluntas perpetuo reuerendi Deum, & nũquam deficiendi ab illo, &c.

EXPLICATIO ARTICVLI.

PRima concluſio huius articuli eſt de fide tenenda, & probatur ſufficienter ex illo. 1. Ioan. 4. Timor non eſt in charitate perfecta, perfecta charitas foras mittit timorem. Certum eſt autem, quod in patria charitas erit perfectiſsima. ¶ Sed circa ſecundam concluſionem eſt difficultas, vtrùm timor filialis maneat in patria. Et pro parte negatiua argumentor ſic. *Dubium.* Ita eſt de ratione timoris filialis quòd reſpiciat culpam, ſicut eſt de ratione timoris ſeruilis, quòd reſpiciat pœnam: ſed timor ſeruilis non manet in patria, quia non imminet periculum pœnæ, ergo nec etiam manebit timor filialis, quia non imminet periculum culpæ. *Argumentũ pro parte negatiua.*

¶ Et confirmatur. In patria non eſt magis poſsibilis culpa, quam pœna, ergo ſi vnus timor non manet, neque alter manebit. *Cõfirmatio.*

¶ Propter hæc argumenta nonnulli exiſtimant, quòd timor filialis non manet in patria. *Sententia au[ct]oris.* Sed meo iudicio contrarium erit de fide tenendum. Et probatur ex illo pſal. 18. Timor Domini ſanctus permanet in ſeculum ſeculi: quem locum D. Auguſtinus de timore filiali interpretatur. Et Iob cap. 26. etiam dicitur: Columnæ Cæli contremiſcunt, & pauent ad nutum eius. Super quę verba dicit Diuus Gregorius lib. 17. Moralium cap. 15. Ipſę virtutes cœleſtium, quæ hunc ſine ceſſatione conſpiciunt, in ipſa contemplatione contremiſcunt. Et ratio eſt manifeſta: nam certum eſt de fide, quod in Chriſto, qui ab inſtanti ſuæ conceptionis fuit comprehenſor, fuit ſpiritus timoris iuxta illud Eſaiæ cap. 11. Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet, & requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ, & intellectus, ſpiritus conſilij, & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ, & pietatis, & replebit eum ſpiritus timoris Domini, &c. Quæ verba ad literam

eſſe

eſſe de Chriſto intelligenda vnanimi conſenſu fatentur omnes ſancti. Sed eadem ratio eſt de Chriſto, & de alijs beatis, ergo beati habent timorem filialem. Et confirmatur ex Diuo Bernardo, qui epiſtola 190 inter cæteros errores Petri Abailardi hunc etiam commemorat, quod dixerit, in Chriſto non fuiſſe timorem filialem. De hac re eſt videndus Caſtro lib. 14. de hæreſi. verbo. timor Dei, hæreſ. 2.

Ad argum. ℭSed vt ad argumenta in contrarium facta reſpondeamus, aduertendum eſt ex Magiſt. in. 3. diſtinctio. 34. quòd timor filialis habet plures actus, quorum primus eſt timere culpam. Secundus timere ſeparationem a Deo. Tertius revereri ipſum Deum. Et ad hoc, vt timor dicatur manere in patria, & quantum ad habitum, & quantum ad actum, non eſt opus, vt omnes illos tres actus in patria exerceat, ſed ſatis erit, quòd habeat aliquem. Vnde cum beati in patria habeant vltimum actum timoris filialis, qui eſt omnium perfectiſsimus, abſolutè erit dicendum, quod retineant timorem filialem. Argumenta autem ſolum probant eos non habere timorem quantum ad duos priores actus: quod nos libenter concedimus. De hac re videndus eſt Ricardus de Media villa in. 3. diſtinctione. 34. quæſtio. 2. artic. 4.

ARTICVLVS. XII.

ℭVtrùm paupertas ſpiritus ſit beatitudo reſpondens dono timoris.

Infrà quæſt. 121. art. 2. co. & 3. diſ. 34. q. 1. art. 4. & 6. cor. Art. 7. huius. q.

AD DVODECIMVM ſic proceditur. Videtur quòd paupertas ſpiritus nō ſit beatitudo reſpondens dono timoris. Timor enim eſt initium ſpiritualis vitæ, vt ex dictis* patet. Sed paupertas pertinet ad perfectionem vitæ ſpiritualis, ſecũdũ illud Matth. 19. Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus. Ergo paupertas ſpiritus non reſpondet dono timoris.

2 ¶Præterea, In Pſal. 118. dicitur, Confige timore tuo carnes meas. Ex quo videtur, quòd ad timorem pertineat carnem reprimere. Sed ad repreſsionem carnis maximè videtur pertinere beatitudo luctus. Ergo beatitudo luctus magis reſpondet dono timoris, quàm beatitudo paupertatis.

3 ¶Præterea, Donum timoris reſpondet virtuti ſpei, ſicut dictum* eſt. Sed ſpei maximè videtur reſpondere beatitudo vltima, quæ eſt, Beati pacifici: quoniam filij Dei vocabuntur: quia vt dicitur Roman. 5. Gloriamur in ſpe gloriæ filiorũ Dei: ergo beatitudo illa magis reſpondet dono timoris, quàm paupertas ſpiritus. *Ar. 9. ad. 1.*

4 ¶Præterea, Suprà dictum* eſt, quòd beatitudinibus reſpondent fructus: ſed nihil in fructibus inuenitur reſpōdere dono timoris. Ergo etiam, neque in beatitudinibus aliquid ei reſpondet. *1. 2. q. 70. art. 3.*

¶SED CONTRA eſt, quòd Auguſtinus dicit* in lib. de ſermone Domini in monte, Timor Dei congruit humilibus: de quibus dicitur, Beati pauperes ſpiritu. *Lib. 1. ca. 9. ante med. to. 4.*

¶RESPONDEO dicẽdum, quòd timori propriè reſpondet paupertas ſpiritus. Cum enim ad timorem filialem pertineat Deo reuerentiam exhibere, & ei ſubditum eſſe, id quod ex huiuſmodi ſubiectione conſequitur, pertinet ad donum timoris. Ex hoc autem, quòd aliquis Deo ſe ſubijcit, deſinit quærere in ſeipſo, vel in aliquo alio magnificari, niſi in Deo. Hoc enim repugnaret perfectæ ſubiectioni ad Deum. Vnde dicitur in Pſal. 19. Hi in curribus, & hi in equis: nos autem in nomine Dei noſtri inuocabimus. Et ideo ex hoc, quòd aliquis perfectè timet Deum, conſequens eſt, quòd non quærat magnificari in ſeipſo per ſuperbiam: neque etiam quærat magnificari in exterioribus bonis, ſcilicet honoribus & diuitijs: quorum vtrunque pertinet ad paupertatem ſpiritus, ſecundum quòd paupertas ſpiritus intelligi poteſt, vel exinanitio inflati, &

Lib. 1. ca. 2. à medio, & c. 9. paulo à prin. to. 4. ſuperbi ſpiritus, vt Auguſtinus* exponit: vel etiam abiectio temporalium rerum, quæ fit ſpiritu, id eſt, propria voluntate per inſtinctum Spiritusſancti, vt *Ambro. & Hierony.* exponũt. *Amb. lib. 5 in Luc. in cap. de beatitudinibus. to. 9.*

Hierony. in Math. circa prin. c. 5. to. 9.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quod cum beatitudo ſit actus virtutis perfectæ, omnes beatitudines ad perfectionem ſpiritualis vitæ pertinent. In qua quidem perfectione principiũ eſſe videtur, vt tendens ad perfectam ſpiritualium bonorum participationem terrena bona cõtemnat, ſicut timor primum locum habet in donis. Non autem conſiſtit perfectio in ipſa temporalium bonorum deſertione, ſed hæc eſt via ad perfectionem. Timor autem filialis, cui reſpondet beatitudo paupertatis, etiam eſt cum perfectione ſapientiæ: vt ſuprà dictũ eſt. *Art. 7. & 10. huius q.*

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd directius opponitur ſubiectioni ad Deũ, quam facit timor filialis, indebita magnificatio hominis: vel in ſeipſo, vel in alijs rebus, quàm delectatio extranea: quæ tamen opponitur timori ex conſequenti, quia qui Deum reueretur, & ei ſubditur, non delectatur, in alijs à Deo. Sed tamen delectatio non pertinet ad rationem ardui, quam reſpicit timor, ſicut magnificatio. Et ideo directè beatitudo paupertatis reſpondet timori, beatitudo autem luctus ex conſequenti.

¶ Ad tertium dicendum, quòd ſpes importat motum ex habitudine ad terminum, ad quem tenditur. Sed timor importat magis motum ſecundum habitudinem receſſus à termino, à quo. Et ideo vltima beatitudo, quæ eſt ſpiritualis perfectionis terminus, congruè reſpondet ſpei per modum obiecti vltimi. Sed prima beatitudo, quæ eſt per receſſum à rebus exterioribus impedientibus diuinã ſubiectionem, congruè reſpondet timori.

¶ Ad quartum dicendum, quòd in fructibus, illa quæ pertinent ad moderatum vſum, vel abſtinentiam à rebus temporalibus. videntur dono timoris conuenire, ſicut modeſtia, continentia, & caſtitas.

SVMMA TEXTVS.

Concluſio eſt affirmatiua, & probatur, Paupertas Spiritus, ſecũdum Diuum Auguſtinum, conſiſtit in humilitate, vel exinanitione ſuperbi, & inflati animi: & ſecũdum Diuum Ambroſium, & Diuum Hieronymum in abiectione rerum temporalium, quæ fit ſpiritu, hoc eſt, propria voluntate: ſed hæc correſpondet dono timoris, ergo paupertas ſpiritus eſt beatitudo reſpondens dono timoris. Conſequentia cum maiori eſt nota, & minor probatur: quia donum timoris facit, vt homo ſe Deo pleniſsime ſubijciat, & ex conſequenti, quod in nulla re præter Deum quærat magnificari, ſed per humilitatem ſeipſum contemnat, cunctaque bona extenora voluntarie abijciat.

QVAESTIO VIGESIMA, De deſperatione, in quatuor articulos diuiſa.

DEINDE conſiderandum eſt de vitijs oppoſitis. Et primo de deſperatione, ſecundo de præſumptione. ¶ Circa primũ quęruntur quatuor.

¶ Primo, vtrum deſperatio ſit peccatum.

¶ Secundo, vtrum poſsit eſſe ſine infidelitate.

¶ Tertio, vtrũ ſit maximũ peccatorũ.

¶ Quarto, vtrum oriatur ex accidia.

ARTICVLVS I.

¶ *Vtrum deſperatio ſit peccatum.*

AD PRIMVM ſic proceditur. Videtur quòd deſperatio non ſit pecca-

peccatũ. Omne em̃ peccatũ habet cõuerſionẽ ad cõmutabile bonũ, cũ auerſione ab incõmutabili bono: vt per Auguſt. patet * in. 1. lib. de lib. arbit. Sed deſperatio non habet cõuerſionẽ ad cõmutabile bonũ. Ergo non eſt peccatũ,

Lib. 1. cap. vltimo circa med. & lib. 2. cap. 19. to. 1.

2 ¶Præterea, Illud quod oritur ex bona radice, non videtur eſſe peccatum: quia nõ poteſt arbor bona fructus malos facere, vt dicitur Matt. 7. Sed deſperatio videtur procedere ex bona radice, ſcilicet, ex timore Dei, vel ex horrore magnitudinis propriorum peccatorũ. Ergo deſperatio nõ eſt peccatum.

3 ¶Præterea, Si deſperatio eſſet peccatum, etiam damnatis eſſet peccatum, ꝙ deſperant. Sed hoc non imputatur eis ad culpam, ſed magis ad damnationem. Ergo neque viatoribus imputatur ad culpam. Et ita deſperatio non eſt peccatum.

¶SED contra, Illud, per quod homines in peccata inducũtur, videtur eſſe non ſolum peccatum, ſed principium peccatorum. Sed deſperatio eſt huiuſmodi. Dicit enim Apoſtolus de quibuſdam ad Epheſ. 4. Qui deſperantes ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ in operationem omnis immunditiæ, & auaritiæ. Ergo deſperatio non ſolum eſt peccatum, ſed aliorum peccatorum principium.

¶RESPONDEO dicendum, ꝙ ſecundum Philoſophum in. 6. Ethico. * Illud quod eſt in intellectu, affirmatio vel negatio, eſt in appetitu proſecutio & fuga, & quod eſt in intellectu verũ vel falſum, eſt in appetitu bonũ & malum. Et ideo omnis motus appetitiuus conformiter ſe habens intellectui vero, eſt ſecundum ſe bonus. Omnis autem motus appetitiuus conformiter ſe habens intellectui falſo, eſt ſecundũ ſe malus & peccatum. Circa Deum verò, vera exiſtimatio intellectus eſt, ꝙ ex ipſo prouenit hominum ſalus, & venia peccatoribus datur, ſecundum illud Ezech. 18. Nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur, & viuat. Falſa autẽ opinio eſt, quòd peccatori pœnitenti veniam deneget, vel ꝙ peccatores ad ſe non conuertat per gratiam iuſtificãtem. Et ideo ſicut motus ſpei, qui conformiter ſe habet ad exiſtimationem veram, eſt laudabilis, & virtuoſus: ita oppoſitus motus deſperationis, qui ſe habet cõformiter exiſtimationi falſæ de Deo, eſt vitioſus & peccatũ.

Lib. 6. Ethi. cap. 2. to. 2.

¶AD PRIMVM ergo dicendum, ꝙ in quolibet peccato mortali eſt quodammodo auerſio à bono incommutabili, & conuerſio ad bonum cõmutabile. Sed aliter & aliter. Nam principaliter conſiſtunt in auerſione à bono incommutabili, peccata, quæ opponũtur virtutibus Theologicis, vt odium Dei & deſperatio & infidelitas: quia virtutes Theologicæ habent Deum pro obiecto. Ex conſequenti autẽ important conuerſionem ad bonum cõmutabile, inquantum anima deſerens Deum, conſequẽter neceſſe eſt, quòd ad alia conuertatur. Peccata verò alia principaliter conſiſtunt in conuerſione ad commutabile bonum. Ex conſequenti verò in auerſione ab incommutabili bono. Non enim qui fornicatur, intendit à Deo recedere, ſed carnali delectatione frui: ex quo ſequitur, ꝙ à Deo recedat.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd ex radice virtutis poteſt aliquid procedere dupliciter. Vno modo directè ex parte ipſius virtutis, ſicut actus procedit ex habitu. Et hoc modo ex virtuoſa radice non poteſt aliquod peccatum procedere. Hoc enim ſenſu Aug. dicit * in lib. de lib. arbit. quod virtute nemo male vtitur. Alio modo procedit aliquid ex virtute indirectè, ſiue occaſionaliter. Et ſic nihil prohibet aliquod peccatũ ex aliqua virtute procedere. Sic enim interdum aliqui de virtutibus ſuperbiunt, ſecundum illud Auguſt. * Superbia bonis operibus inſidiatur, vt pereant. Et hoc modo ex

Lib. 2. ca. 18 & 19. to. 1.

timore Dei, vel ex horrore propriorum peccatorum contingit deſperatio, in quantum his bonis aliquis male vtitur, occaſionem ab eis accipiens deſperandi.

¶ Ad tertium dicẽdum, quòd damnati non ſunt in ſtatu ſperandi propter impoſsibilitatem reditus ad beatitudinem. Et ideo quòd non ſperant, non imputatur eis ad culpam, ſed eſt pars damnationis ipſorum. Sicut etiam in ſtatu viæ, ſi quis deſperaret de eo, quod non eſt natus adipiſci, vel quod non eſt debitum adipiſci, non eſſet peccatum: puta ſi medicus deſperet de curatione alicuius infirmi, vel ſi aliquis deſperet ſe fortè diuitias adepturum.

SVMMA TEXTVS.

CONCLVSIO eſt affir- affirmatiua. Et probatur. Omnis motus appetitus conformis intellectui falſo, eſt ſecundum ſe malus, & peccatum: ſed deſperatio eſt motus appetitus conformis intellectui falſo: ergo deſperatio eſt ſecundum ſe peccatum. Conſequentia eſt nota, & maior patet ex Ariſtot. lib. 6. Ethico. cap. 2. dicente, quòd id, quod eſt in intellectu affirmatio & negatio, eſt in appetitu proſequutio, & fuga: & quod eſt in intellectu verum vel falſum, eſt in appetitu bonum, & malum: minor verò probatur. Deus non vult mortem peccatoris, ſed magis, vt conuertatur & viuat: ergo falſa opinio eſt de illo, quod peccatori pœnitenti veniam deneget, vel quod peccatorem ad ſe non conuertat: ſed huic opinioni conformis eſt deſperationis motus, ergo eſt peccatum.

EXPLICATIO ARTICVLI.

CIrca iſtum articulum eſt aduertẽdum; quod iſta maxima Diui Thomæ, qua dicit, quod omnis actus appetitus conformis vero iudicio eſt bonus, &c. eſt intelligenda non de iudicio in vniuerſali, ſed de iudicio in particulari: vniuerſale enim ſecundum Ariſtotelem 3. de anima, text. 58. non mouet appetitum, niſi mediante particulari, vt optime docet Diuus Tho. artic. ſequenti. Ex quo fit, vt loquendo de iudicio in vniuerſali prædicta maxima patiatur quam plurimas inſtantias, vt eſt videre in multis exemplis. Nam actus appetitus, verbi gratia, fornicandi, eſt conformis huic iudicio vniuerſali vero, Omnis fornicatio eſt delectabilis, & tamen eſt malus: & ſimiliter actus appetitus erogandi eleemoſynam diuiti exiſtimato pauperi eſt bonus, & tamen eſt conformis iudicio falſo. Eſt ergo illa maxima intelligenda non de iudicio in vniuerſali, ſed de iudicio in particulari. Nec ſecundum iſtam expoſitionem aliquam patitur inſtãtiam, ſed ſemper actus bonus appetitus ſequitur iudicium particulare verum, & actus malus ſequitur iudicium particulare falſum, vt eſt videre in exemplis aſsignatis. Nam actus ille appetitus fornicandi eſt malus, quia eſt conformis huic iudicio particulari falſo, Hic & nunc eſt committenda fornicatio: & ille actus appetitus erogandi eleemoſynam diuiti exiſtimato pauperi eſt bonus, quia conformis huic iudicio particulari vero, huic exiſtimato pauperi eſt danda eleemoſyna. Vel poſſumus ſecundo dicere in vniuerſum, quod omnis actus bonus eſt conformis iudicio vero, quia eſt conformis legi ità iudicanti: nec eſt neceſſarium, quòd illud iudicium inſit in intellectu illius, qui operatur, ſed ſatis eſt quod ſit in intellectu legiſlatoris; melior tamen eſt prima interpretatio.

Nota valde.

¶ In ſolutione ad primum dicit Diuus Thomas quòd peccata oppoſita virtutibus Theologicis principaliter cõſiſtunt in auerſione à Deo: in quo videtur ſibi ipſi contrarius. Nam. 1. 2. quæſtio. 7. art. 6. & quæſtio. 72. artic. 1. apertè fatetur, quòd omnia peccata diſtinguuntur ſpecie per obiecta, hoc eſt, per conuerſionem ad obiectum: quod etiam nos verum eſſe diximus ſupra quæſtio. 6. art. 2. ¶ Sed ſi hoc recte inſpiciatur vtrumque erit verum, & quòd peccata omnia ſortiuntur ſpeciem à conuerſione ad obiectum, & quod peccata oppoſita virtutibus Theologicis principaliter conſiſtunt in auerſione, quam directè & per ſe reſpiciunt.

Dubium circa ſolutionẽ ad. 1. arg.

Quod vt intelligatur aduertendum eſt primo, hoc eſſe certum, quòd omne peccatum ſiue ſit contrarium virtuti Theologicæ, ſiue virtuti morali, conſtituitur in ſpecie per conuerſionem ad obiectum, vt nos diximus

1. Notabile.

diximus ſupra loco citato. Et ratio eſt, nam cum per idem res conſtituatur in ſpecie, per quod ſpecie diſtinguitur ab alijs, & certum ſit, quod vnumquodque peccatum diſtinguitur ſpecie ab alijs per conuerſionem, quam habet ad obiectum, manifeſte ſequitur, quod omnia peccata per conuerſionem, quam habent ad obiecta, conſtituantur in ſpecie.

2. Notabile. ¶ Secundo eſt aduertendum, quod auerſio dupliciter poteſt conſiderari. Vno modo vt eſt quædam ratio, & forma communis omnibus peccatis, per omnia enim peccata mortalia auertimur a Deo. Alio modo, vt eſt aliquid pertinens ad obiectum ſpecificum peccati, in illis, ſcilicet, peccatis quæ opponuntur virtutibus Theologicis, qualia ſunt infidelitas, odium Dei, & deſperatio: in his enim auerſio reperitur, vt pertinens ad obiectum ſpecificum peccati, vt ſtatim dicemus.

3. Notabile. ¶ Pro quo eſt aduertendum tertio, quod eſt latiſsimum diſcrimen inter peccata oppoſita virtutibus Theologicis, & peccata, quæ opponuntur alijs virtutibus. Nam in peccatis oppoſitis virtutibus Theologicis, conuerſio ipſi peccato eſſentialis eſt ad bonum incõmutabile, ſcilicet, Deum, quem habent pro obiecto: at vero in alijs peccatis conuerſio eſt ad bonum commutabile, quod habent pro proprio obiecto. Quod, vt intelligatur, eſt aduertendum, quod in odio Dei, verbi gratia, quod opponitur charitati, tria poſſumus conſiderare. Primum eſt cõuerſio ad proprium obiectum, ſcilicet, Deum, qui odio habetur. Alterum eſt auerſio formalis iſtius actus à lege diuina, quæ etiam inuenitur in illo, ſicut inuenitur in quolibet alio peccato. Tertium eſt conuerſio concomitans ad bonum commutabile, putà ſe ipſum, qui peccat nimis amando. Et ſimiliter in alijs peccatis oppoſitis alijs virtutibus, verbi gratia, in homicidio poſſumus conſiderare alia tria. Primum eſt cõuerſio ad proprium obiectum, à quo ſpeciem accipit. Alterum eſt auerſio formalis à lege diuina, quæ ad talem conuerſionem ſequitur. Tertiũ eſt conuerſio ad bonum commutabile. Sed differunt iſta peccata in hoc, quòd illa, quæ opponuntur virtutibus Theologicis, obiectum principale, à quo ſpeciem ſumunt, eſt bonum incommutabile: in alijs autem eſt bonum commutabile. Ex quo fit, vt qui peccat contra virtutes Theologicas directe atque formaliter velit auertere ſe à Deo: quia hoc eſt obiectum, ad quod eius voluntas fertur, & ſic auerſio reperitur in tali peccato, vt pertinens ad obiectum illius, quod in alijs peccatis non contingit. Et hoc eſt, quod voluit dicere D. Tho. in præſenti, quando affirmat, quod peccata contraria virtutibus Theologicis principaliter cõſiſtunt in auerſione à bono incommutabili: alia verò principaliter conſiſtunt in conuerſione ad commutabile bonum. Videte Caietanũ in præſenti, qui ſubobſcure loquitur.

ARTICVLVS II.

¶ Vtrùm deſperatio ſine infidelitate eſſe poſsit.

AD SECVNDVM ſic proceditur. Videtur quòd deſperatio ſine infidelitate eſſe non poſsit. Certitudo enim ſpei à fide deriuatur. Sed manente cauſa non tollitur effectus. Ergo non poteſt aliquis certitudinem ſpei amittere deſperando, niſi fide ſublata. *2. diſt. 41. ad. 3. art. 1.*

2 ¶ Præterea, Præferre culpam propriam bonitati, vel miſericordiæ diuinæ, eſt negare infinitatem diuinæ miſericordiæ, vel bonitatis: quod eſt infidelitatis. Sed qui deſperat, culpam ſuã præfert miſericordiæ, vel bonitati diuinæ, ſecundum illud Geneſ. 4. Maior eſt iniquitas mea, quàm vt veniam merear. Ergo quicunque deſperat, eſt infidelis.

3 ¶ Præterea, Quicunque incidit in hæreſim damnatam, eſt infidelis. Sed deſperans videtur incidere in hæreſim damnatam, ſcilicet Nouatianorũ, qui dicunt peccata non remitti poſt baptiſmum. Ergo videtur, quòd quicunque deſperat, ſit infidelis.

¶ SED CONTRA eſt, quòd remoto poſteriori nõ remouetur prius. Sed ſpes eſt poſterior fide, vt ſuprà dictum eſt. Ergo remota ſpe, poteſt remanere fides. Non ergo quicunque deſperat, eſt infidelis. *Q. 17. art. 7.*

RE-

¶RESPONDEO dicendum, quòd infidelitas pertinet ad intellectum, deſperatio autem ad vim appetitiuam. Intellectus autem vniuerſalium eſt: ſed vis appetitiua mouetur circa particulares res. Eſt enim motus appetitiuus ab anima ad res, quæ in ſeipſis particulares ſunt. Contingit autem aliquem habentem rectam exiſtimationem in vniuerſali circa motum appetitiuum, non recte ſe habere, corrupta eius æſtimatione in particulari: quia neceſſe eſt quod ab æſtimatione in vniuerſali ad appetitum rei particularis perueniatur mediante æſtimatione particulari, vt dicitur in tertio * de Anima. Sicut ex propoſitione vniuerſali non infertur concluſio particularis, niſi aſſumendo particularem. Et inde eſt, quòd aliquis habens rectam fidem in vniuerſali, deficit in motu appetitiuo circa particulare, corrupta particulari eius æſtimatione per habitum, vel per paſsionem. Sicut ille, qui fornicatur eligendo fornicationem, vt bonum ſibi vt nunc, habet corruptam æſtimationem in particulari, cum tamen retineat vniuerſalem æſtimationem veram ſecundum fidem, ſcilicet, quòd fornicatio ſit mortale peccatum. Et ſimiliter aliquis retinendo in vniuerſali veram æſtimationem fidei, quòd ſcilicet eſt remiſsio peccatorum in Eccleſia, poteſt tamen pati motum deſperationis, ꝙ ſcilicet ſibi in tali ſtatu exiſtenti non ſit ſperandum de venia, corrupta æſtimatione eius circa particulare. Et per hunc modum poteſt eſſe deſperatio ſine infidelitate, ſicut & alia peccata mortalia.

Li.3. de ani mat ex. 53. to. 2.

¶AD PRIMVM ergo dicendum, quòd effectus tollitur non ſolũ ſublata cauſa prima, ſed etiã ſublata cauſa ſecunda. Vnde motus ſpei auferri poteſt non ſolum ſublata vniuerſali æſtimatione fidei, quæ eſt ſicut cauſa prima certitudinis ſpei, ſed etiam ſublata æſtimatione particulari, quę eſt ſicut ſecunda cauſa.

¶Ad ſecundum dicendum, quòd ſi quis in vniuerſali æſtimaret miſericordiam Dei non eſſe infinitam, eſſet infidelis. Hoc autem non exiſtimat deſperans: ſed quòd ſibi in ſtatu illo propter aliquam particularem diſpoſitionem, non ſit de diuina miſericordia ſperandum.

¶Et ſimiliter dicendum eſt ad tertium, quòd Nouatiani in vniuerſali negant remiſsionem peccatorum fieri in Eccleſia.

SVMMA TEXTVS.

Concluſio. Deſperatio poteſt eſſe ſine infidelitate, ſicut quæcunque alia peccata mortalia. Et probatur, ſuppoſito prius ex ſuperioribus, quòd infideli as pertinet ad intellectum, deſperatio verò ad voluntatem, & quod intellectus eſt vniuerſaliũ, appetitus autem mouetur circa res particulares, hac ratione, Poteſt accidere, vt quis habens rectam æſtimationem in vniuerſali, non rectè ſe habeat circa motum appetitus, eò quòd habet in particulari corruptam æſtimationem, mediante qua ab æſtimatione vniuerſali ad appetitum rei particularis peruenitur. Vt, verbi gratia, homo retinens hoc iudicium verum in vniuerſali, Fornicatio eſt peccatum mortale; poteſt eligere fornicationem, quia habet corruptum iudicium in particulari, ſcilicet, hic & nunc conueniens eſt mihi fornicari: ergo pari ratione manente hoc vero iudicio, fidei in vniuerſali, remiſsio peccatorum eſt in Eccleſia, poterit homo pati motum deſperationis, quia habet corruptam æſtimationem in particulari, qua iudicat hic & nunc non eſſe conueniens ſperare: & ex conſequenti poteſt reperiri deſperatio ſine infidelitate.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Circa iſtũ articulum eſt difficultas, quid nam ſit deſperatio, & in quo actu conſiſtat? Quod eſt quærere, vtrum ſit actus intellectus, vel potius ſit actus voluntatis. Nã cũ ad deſperationẽ duo actus poſsint cõ- *Dubium.*

currere

curre͏re,vnus intellectus dicentis,ego nõ ſal
uabor,alter voluntatis,qui eſt,nolo ſaluari,
dubium eſt in quonam iſtorũ propriè con
ſiſtat deſperatio? Et quidem quod conſiſtat
in ſolo illo iudicio intellectus,probatur. Si
quis iudicet ſe nunquam beatitudinem cõ
ſequuturum etiam ſi deſideret , & cupiat
beatitudinem, non poterit illã ſperare:er-
go deſperatio nihil aliud eſt,quam illud iu
dicium. ¶ In contrarium tamẽ eſt, quia de-
ſperatio & ſpes opponuntur,ſed ſpes eſt in
voluntate:ergo & deſperatio.

Sentẽtia Almaini.

¶ Ad hanc difficultatem Almai.in Mo-
ralibus tract.2.cap.3.& in.3.diſt in.26.dicit,
quod deſperatio propriè conſiſtit in actu
intellectus,quo quis liberè iudicat ſe nun-
quam conſequuturum beatitudinem , aut
peccatorum veniam. Et ponit notanter (li-
bere) ad ſignificandum,quòd ſi Deus ſe ſo-
lo cauſaret in intellectu alicuius hoc iudi-
cium,non ſaluabor , illud nec eſſet pecca-
tum,nec deſperatio: quia nullus peccat in
eo,quod vitare non poteſt. Sed eſt aduerten
dum,quod quando Almainus dicit , quòd
deſperatio propriè conſiſtit in actu intelle-
ctus,non negat,quòd etiam poſsit inueniri
in actu voluntatis . Quin potiùs affirmat,
quòd deſperatio poteſt contingere dupli-
citer, vno modo ex defectu iudicij requiſi-
ti ad ſpem:vt cùm quis iudicat ſe ſalutem
non conſequuturum, alio modo ex parte
voluntatis,vt , cùm quis non vult ſalutem
conſequi. Sed quod dicit,eſt,quod ad hoc,
vt quis habeat perfectam deſperationem,
non eſt opus actu volũtatis,ſed poteſt exi-
ſtere in ſolo actu intellectus,ad modũ ex-
plicatum. Et probat ſuam ſententiam hoc
argumento. Spes quamuis ſit actus volun-
tatis tendentis in beatitudinem , prærequi-
rit tamen neceſſario iudicium intellectus
iudicantis illam eſſe poſsibilem , ergo per
hoc ſolum, quòd in intellectu deficiat illud
iudicium prærequiſitum deficit ſpes : at-
que ex conſequenti poterit eſſe deſperatio
abſque eo quod in voluntate ſit aliquis
actus. Contrariam tamen ſententiam tenet
D.Th.in hoc articulo, quem communiter
ſequuntur omnes Theologi.

Dupliciter poteſt contingere ꝙ aliquis non habeat ſpem.

¶ Ad cuius explicationem eſt aduerten-
dum,dupliciter poſſe contingere,quòd ali-
quis non habeat ſpem,vno modo poſitiuè
habendo actum contrarium,alio modo pri
uatiue non habendo actum ſpei. Quod ad
huc poteſt contingere dupliciter,vno mo-
do per ſimplicem omiſsionem illius actus
ſine poſitione alterius,qui ex natura ſua re
pugnet cum ſpe,alio modo per omiſsionẽ
actus ſpei,& poſitionem alterius,qui ex na
tura ſua repugnet cum ſpe.

1. Concluſio.

¶ Hoc ſuppoſito ſit prima cõcluſio, Qui
non habet actum ſpei priuatiue primo mo
do,ſcilicet , per ſimplicem omiſsionem a-
ctus ſpei ſine poſitione alterius,qui ex na-
tura ſua repugnat cum ſpe , ſi id faciat eo
tempore,quo ex præcepto tenetur ſpera-
re,peccat quidem contra præceptum ſpei,
ſed tale peccatum non eſt deſperatio , nec
corrumpit habitum ſpei. Verbi gratia,cur-
rit modo præceptum de ſpe elicienda , &
ego,quamuis bene iudicans de Deo, & de
mea ſalute,tamẽ alijs rebus intentus omit-
to adimplere id præceptum:dico in conclu
ſione,quod pecco contra præceptum ſpei,
ſed non peccatum deſperationis : nec pro-
priè operor contra habitum ſpei . Et qui-
dem,quòd peccem contra præceptum ſpei,
eſt res manifeſta:quòd autem non peccem
peccatum deſperationis probatur. Deſpe-
ratio opponitur contrariè actui ſpei,ſed in
caſu poſito nullus eſt actus , qui contrariè
opponatur actui ſpei , ſed tantum pecco
per puram omiſsionem actus debiti ineſſe,
ergo non eſt peccatum deſperationis. Itẽ, ſi
tempore quo currit præceptum de elicien-
do actu fidei,quis alijs rebus intentus , &
nullum habens actum contrarium illum
non eliciat, peccabit contra præceptum de
fide habenda,& tamen non dicitur infide-
lis poſitiuè,ergo pari ratione qui tempore,
quo currit præceptum de eliciendo actu
ſpei alijs rebus intentus, & nullum habens
actum contrarium,illum non eliciat,pecca
bit contra præceptum ſpei,non tamen pec
catum deſperationis . Et ex hoc infertur,
quòd peccatum illud non corrumpet ha-
bitum ſpei, cùm huiuſmodi habitus tan-
tum corrumpantur per actus contrarios.

2. Concluſio.

¶ Secunda concluſio , Qui non habet
ſpem priuatiuè ſecundo modo, ſcilicet,per
omiſsionem actus ſpei , & poſitionem
alterius , qui ex natura ſua repugnat cum
ſpe , vt cùm, verbi gratia, quis nullum mo-
tum, nec fugæ nec perſequutionis habens
in voluntate circa beatitudinem , ſecũdum
intellectum iudicat ſe nunquam illã conſe
quuturum,talis peccat peccato deſperatio-
nis priuatiuè,quę deſperatio priuatiuè ſum
pta poteſt eſſe ſine eo, quod in volunta-
te ſit aliquis actus . Probatur , quia tale iu-
dicium ex natura repugnat cũ ſpe . Et hoc
pro-

probant argumenta facta pro ſententia Almaini.

3. *Concluſio.* ¶Tertia concluſio. Qui nõ habet ſpẽ poſitiuẽ, hoc eſt, habet actum contrarium cũ ſpe, talis proprie deſperat: & illa deſperatio eſt perfecta, & grauiſsimum peccatum: formaliterque conſiſtit in illo actu voluntatis, quo quis non vult ſaluari. Hæc concluſio probatur ex D. Thom. qui. 1. 2. quæſt. 23. artic. 2. & quæſt. 40. articu. 4. dicit, quòd actus ſpei & deſperationis contrariãtur per contrarietatem, quæ attenditur penes acceſſum, & diſceſſum ab aliquo termino, qualis eſt inter generationem & corruptionẽ. Itaque ſpes dicit acceſſum quendam volũtatis ad bonum arduum poſsibile, quod eſt illius obiectum, & deſperatio dicit receſsũ eiuſdem voluntatis ab eodem obiecto, per hoc, quòd eius conſequutio reputatur impoſsibilis. Ex quo ſequitur, quòd ſicut ad actum ſpei requiritur actus voluntatis, quo ad obiectum amatum accedamus, ita etiã ad actum deſperationis requiritur actus eiuſdem voluntatis, quo ab eodem obiecto amato recedamus. Et dixi notanter, ab eodem obiecto amato: nam de eo, quod ſub deſiderio noſtro nõ cadit, nec ſpem, nec deſperationem habere poſſumus. Et de hac deſperatione contrariẽ oppoſita ſpei, quæ eſt verẽ & propriẽ deſperatio, loquitur D. Thom. in hoc articulo quando dicit, illam poſſe eſſe ſine infidelitate. Cuius ratio eſt, quia cùm ad actum ſpei duo iudicia cõcurrant, vnum vniuerſale, quod eſt de fide, alterum particulare, quod non eſt de fide, & per deſperationem poſsit corrumpi iudiciũ particulare manente iudicio vniuerſali integro, fit, vt deſperatio ſine infidelitate eſſe poſsit.

Dubium. ¶Sed circa hoc eſt difficultas, Vtrùm verum ſit, quòd deſperatio propriẽ dicta poſsit eſſe ſine infidelitate, quod eſt quærere, Vtrùm, omnis, qui deſperat, ſit hæreticus.

Argum. pro parte affirmatiua. Et pro parte affirmatiua eſt argumentum. Non ſolum eſt hæreſis iudicare in vniuerſali beatitudinem viatoribus non eſſe poſsibilem, ſed etiam eſt hæreſis in particulari iudicare, quòd mihi, aut alteri beatitudo non eſt poſsibilis, ſed quicunque deſperat habet hoc iudicium particulare, ergo quicunque deſperat eſt hæreticus. Conſequentia eſt nota, & minor conceditur à D. Tho. in hoc articulo, maior autem probatur. Nã bene ſequitur, Viatori eſt poſsibilis beatitudo, ego ſum viator, ergo mihi eſt poſsibilis beatitudo. Conſequentia patet, maior eſt de fide, & minor eſt euidens, ergo cõcluſio erit de fide: atque ex conſequẽti hæc particularis, mihi eſt poſsibilis beatitudo, erit de fide. Ex quo fit, vt qui habuerit iudicium contrarium illius ſit hæreticus. ¶Et confirmatur: nam qui haberet illud iudicium damnaretur, vt hæreticus, ergo eſt hæreſis.

¶Hoc tamen non obſtante dico, quod concluſio D. Thom. eſt certiſsima, quam & ratio ipſius ſufficienter probat. ¶Vnde ad argumentum reſpondetur primo, negãdo, *Ad argum.* quòd ad hoc, vt aliquis deſperet ſit neceſſarium quod, vel in vniuerſali, vel in particulari iudicet ſibi beatitudinem non eſſe poſſibilem, ſed ſatis eſt, quod nolit illam conſequi, quem actum ſine aliquo aliorum habere poteſt. Nam ſi quisità ardenter, atque perditẽ amaret res huius ſeculi, vt nolit cũ earum iactura conſequi beatitudinem, is procul dubio poſſet illam negligere, atque ex conſequẽti non ſperare, quamuis eã ſibi poſsibilem iudicaret. Cæterùm, quia D. Thom. in hoc articulo concedere videtur, quòd qui iudicat in particulari beatitudinem non eſſe ſibi poſsibilem, non eſt hæreticus: idcircò aliter ad argumentum reſpondetur, notando, dupliciter poſſe contingere, quòd quis iudicet beatitudinem non eſſe poſsibilem. Vno modo, quia infideliter, & male ſentit de Dei miſericordia, & de promiſsione veniẹ facta peccatoribus pœnitentibus: & qui habet hoc iudicium, & propter iſtam cauſam deſperat, procul dubio eſt hæreticus, & errat in fide. Alio modo poteſt accidere, vt ità iudicet, non quia male ſentit de miſericordia Dei, vel de promiſsione peccatoribus facta, ſed quia videt ſe non ſolum multis peccatis implicatum, ſed etiam natura, & conſuetudine vehemẽter affectum, erga illa, & erga honeſta non ſolum ægrum, ſed etiam abhorrentem ab omni ſtudio virtutis: & qui hanc ſuam miſeriam & difficultatem ad pœnitentiam cognoſcens iudicaret ſibi beatitudinem eſſe moraliter impoſsibilem, non eſſet hæreticus. Et hoc eſt quod voluit dicere D. Th. Vel tertio reſpondetur & magis ad mentem ipſius, quòd hoc iudicium particulare, verbi gratia, fornicatio hic & nunc nõ eſt mala, põt dupliciter haberi, vno modo ſpeculatiue, alio modo practicẽ, ſi habeatur ſpeculatiue, hoc eſt, ſine ordine ad opus, eſt hæreticũ, ſi aũt habeatur practicẽ, hoc eſt, p ordi-

ordinē ad opus, nō eſt hæreticū, ſed æquiualet huic, hic & nunc eſt mihi conueniens fornicatio. Et idem dicendum eſt de illo iudicio particulari, hic & nunc non eſt mihi poſsibilis beatitudo, vel non eſt mihi parata miſericordia Dei. Nam ſi habetur ſpeculatiuè eſt hæreticum, ſi autem habeatur practicè non eſt hæreticū, ſed æquiualet huic, hic & nunc non eſt mihi conueniens ſperare. Et ſic non eſt neceſſe, vt qui deſperat ſit infidelis, nec eſt maior ratio de deſperatione, quam de omnibus alijs peccatis mortalibus, in quib⁹ ſemper eſt neceſſariū, quòd præcedat aliquod iudicium particulare practicum falſum, quod ſi conſideretur ſpeculatiuè, erit hęreticum, admodum iam explicatum.

ARTICVLVS. III.

Vtrum deſperatio ſit maximum peccatorum.

AD TERTIVM ſic proceditur. Videtur quòd deſperatio non ſit maximum peccatorum. Poteſt enim eſſe deſperatio abſque infidelitate: ſicut dictum* eſt. Sed infidelitas eſt maximum peccatorum, quia ſubruit fundamentum ſpiritualis ædificij. Ergo deſperatio non eſt maximum peccatorum.

Ar. præ. & q. 10. art. 3. & q. 14. artic. 3.

2 ¶ Præterea, Maiori bono maius malum opponitur, vt patet per Philoſophū in octauo* Ethi. Sed charitas eſt maior ſpe, vt dicitur primæ Cor. 13. Ergo odium eſt maius peccatū quàm deſperatio.

Lib. 8. c. 10. circa princ. to. 5.

3 ¶ Præterea, In peccato deſperationis eſt ſolū inordinata auerſio à Deo. Sed in alijs peccatis eſt nō ſolum auerſio inordinata à Deo, ſed etiam inordinata conuerſio. ergo peccatum deſperationis non eſt grauius, ſed minus alijs.

¶SED CONTRA, Peccatum inſanabile videtur eſſe grauiſsimum. ſecundum illud Iere. 30. Inſanabilis fractura tua, peſsima plaga tua. Sed peccatū deſperationis eſt inſanabile, ſecūdū illud Iere. 15. Plaga mea deſperabilis renuit curari. Ergo deſperatio eſt grauiſsimum peccatum.

¶RESPONDEO dicēdum, quòd peccata quæ opponuntur virtutibus theologicis, ſunt ſecundum ſuum genus grauiora peccatis alijs. Cum enim virtutes theologicæ habeant Deum pro obiecto, peccata eis oppoſita important directe & principaliter auerſionem à Deo. In quolibet autem peccato mortali principalis ratio mali & grauitas eſt ex hoc, quòd auertit ſe à Deo. Si enim poſſet eſſe conuerſio ad bonum commutabile ſine auerſione à Deo, quamuis eſſet inordinata, non eſſet peccatum mortale. Et ideo illud quòd primo, & per ſe habet auerſionem à Deo, eſt grauiſsimum peccatū inter peccata mortalia. Virtutibus autem theologicis opponuntur infidelitas, deſperatio, & odium Dei: inter quæ odiū & infidelitas, ſi deſperationi comparentur, inuenientur ſecundum ſe quidem, id eſt, ſecundum rationem propriæ ſpeciei grauiora. Infidelitas enim prouenit ex hoc, quòd homo ipſam Dei veritatem nō credit. Odium verò Dei prouenit ex hoc, quòd voluntas hominis ipſi diuinæ bonitati contrariatur. Deſperatio autem ex hoc, quòd homo non ſperat ſe bonitatem Dei participare. Ex quo patet quòd infidelitas & odiū Dei ſunt contra Deum, ſecundum quod in ſe eſt: deſperatio autē, ſecundum quod eius bonum participatur à nobis. Vnde maius peccatum eſt, ſecundum ſe loquendo, non credere Dei veritatē: vel audire Deum, quàm non ſperare conſequi gloriam ab ipſo. Sed ſi comparet deſperatio ad alia duo peccata ex parte noſtra, ſic deſperatio eſt periculoſior: quia per ſpem reuocamur à malis, & inducimur ad bona proſequēda. Et ideo ſublata ſpe irrefrenatè homines labuntur in vitia, & à bonis laboribus retrahūtur. Vnde ſuper illud Prouerbio. 24. Si deſperaueris lapſus in die anguſtiæ, minuetur fortitudo tua,

Glo. ordinaria ibidem. tua, dicit * gloſ. Nihil eſt execrabilius deſperatione: quam qui habet, & in generalibus huius vitæ laboribus, & quod peius eſt, in fidei certamine conſtantiam perdit. Et Iſid. * dicit in lib. *Lib. 1. c. 14. circa prin.* de Summo bono. Perpetrare flagitiũ aliquod mors animę eſt: ſed deſperare eſt deſcendere in infernum.

¶ Et per hoc patet reſponſio ad obiecta.

SVMMA TEXTVS.

PRima cõcluſio Peccata oppoſita virtutibus Theologicis ex genere ſuo ſunt cæteris mortalibus grauiora. Probatur. In peccato mortali principalis ratio mali eſt auerſio à Deo, ſed hæc principaliter inuenitur in peccatis oppoſitis virtutibus Theologicis, quæ habet Deum pro obiecto, à quo directè auertunt, ergo peccata oppoſita virtutibus Theologicis ſunt grauiora. Conſequẽtia cum minori eſt nota, & maior probatur. Nam ſi poſſet eſſe conuerſio ad bonum cõmutabile ſine auerſione à Deo, quanuis eſſet inordinata, nõ eſſet peccatum mortale: ergo in peccato mortali principalis ratio mali eſt auerſio à Deo. ℭ Secunda concluſio. Infidelitas, & odium Dei ex genere ſuo ſunt grauiora peccata, quã deſperatio. Probatur. Infidelitas, & odium Dei ſunt cõtra Deum ſecundum quod eſt in ſe, per infidelitatem enim ipſa Dei veritas non creditur, & per odium Dei volũtas hominis diuinæ bonitati contrariatur: at verò deſperatio nõ eſt contra Deum, ſecundum quod eſt in ſe, ſed contra Deum ſecundum quod eius bonitas participatur à nobis: conſiſtit enim in hoc, quòd homo non ſperat ſe diuinam bonitatem participaturum, ergo infidelitas & odium Dei ex genere ſunt grauiora peccata, quàm deſperatio. ℭ Tertia concluſio. Reſpectu noſtri deſperatio periculoſius peccatum eſt, quàm infidelitas, vel odium Dei. Probatur, quia difficilius medetur illi, cum per ſpem reuocemur à malis, & inducamur ad bona proſequenda. Vnde Prouerbiorũ cap. 24. dicitur, Si deſperaueris lapſus in die anguſtiæ, minuetur fortitudo tua, &c.

EXPLICATIO ARTICVLI.

IN hoc articulo dicit D. Tho. quòd ſi poſſet eſſe conuerſio ad bonum commutabile ſine auerſione à Deo quanuis eſſet inordinata non eſſet peccatum mortale. Circa quod eſt difficultas, Vtrùm verũ ſit. *Dubium.* Et pro parte negatiua argumẽtor in hunc modũ. *1. Argum.* Secluſa quacunque auerſione à Deo, peierare, vel furari eſt contra rectam hominis rationem, ergo ſecluſa quacunque auerſione à Deo hæc ſunt peccata mortalia. ℭ Secundo, Furtum, vel adulterium conſtituitur in *2. Argum.* eſſe furti, vel adulterij, & in ſpecie peccati mortalis per conuerſionem ad bonum cõmutabile: ergo adhuc secluſa per intellectũ auerſione à Deo iſta erunt peccata mortalia. ℭ Tertio, Si non poſſet intelligi pecca- *3. Argum.* tum mortale ſine auerſione à Deo ſequeretur, quod qui ignoraret inuincibiliter Deũ, & legem ipſius non poſſet peccare mortaliter: conſequens autem eſt abſurdum, quia certum eſt, quòd poſſet efficere plura contra rationem naturalem, quæ eſſent peccata mortalia: ergo & illud, ex quo ſequitur. Probo ſequelam: nam ille talis non poſſet auerti à Deo ſaltim culpabiliter.

ℭ Pro intelligẽtia huius difficultatis ſup- *1. Notabile.* ponendum eſt primo tanquam certum ex D. Thom. ſupra. q. 10. art. 6. ad. 1. quòd peccatũ ponitur in duplici genere mali, ſcilicet, in genere mali ſimpliciter, & in genere mali moralis: & quod in genere mali ſimpliciter, conſtituitur formaliter per priuationem rectitudinis debitæ ineſſe, at verò in genere mali moralis conſtituitur, per ordinem poſitiuum ad obiectum difforme rationi, quod nos latè explicauimus ſupra. q. 6. art. 2.

ℭ Secundo eſt ſupponendum, quòd ra- *2. Notabile.* tio formalis mali moralis, eſt prior atq; fundamentum rationis formalis mali ſimpliciter. Ex eo enim quod actus, verbi gratia, iniuſtitiæ fertur in obiectum contrariũ rationi, ſequitur quòd careat rectitudine ſibi debita in eſſe, quæ carentia atque priuatio eſt ratio formalis mali ſimpliciter, vt optime explicat D. Thom. 1. par. q. 48. ar. 1. ad 2. & 3. contra gentes. cap. 9. Vbi dicit, quòd ſicut in naturalibus non inuenitur priuatio alicuius formæ ſubſtantialis, niſi adiuncta alteri formæ ſubſtãtiali, vt priuatio animæ eſt adiuncta formæ cadaueris, ita etiam priuatio, quæ eſt conſtitutiua mali ſimpliciter, non inuenitur, niſi adiuncta malo morali, quod eſt quid bonum atque poſitiuũ.

ℭ Tertio eſt ſupponendum ex Caiet. 1. *3. Notabile.* 2. q. 71. ar. 6. quòd, cùm peccatum, vt ſtatim dicebam, ſit malum morale, & malum ſimplici-

pliciter, ſi loquamur de illo, vt eſt malum morale, magis erit de ratione illius deordinatio poſitiua, quàm priuatio rectitudinis debitæ ineſſe. Tamen ſi loquamur de illo, vt eſt malum ſimpliciter, magis erit de ratione illius deordinatio priuatiua, ſeù auerſio quàm cõuerſio ad obiectũ difforme rationi. Et ſi quis quęrat quænam illarũ deordinationũ abſolutè & ſine aliqua diſtinctione ſit magis de ratione peccati, reſpõdet Caietanus, quòd cõuerſio ad obiectũ abſolutè loquendo eſt magis de ratione peccati, quàm auerſio, propter duas rationes. Prima, Quia conuerſio eſt magis voluntaria, quàm auerſio. Eſt enim conuerſio per ſe, & directè volita: at verò auerſio ſolũ eſt volita indirectè & ex cõſequenti. Secunda, Quia ratio ſpecifica, quæ conſtituit actum moralem in certa ſpecie mali moralis ſumitur a conuerſione, & non ab auerſione.

1. *Concluſio.* ¶ His poſitis ſit prima cõcluſio, Secluſa per intellectum quacũq; auerſione à Deo, adhuc furtum & adulterium, & alia opera, quæ habent ordinẽ ad obiectum difforme rationi, habent rationem culpæ, atq; peccati. Hæc cõcluſio ſequitur manifeſte ex poſitis fundamẽtis. Et probatur aperta ratione: nam omnia illa opera habet omnia requiſita ad conſtituendum malum morale.

2. *Concluſio.* ¶ Secunda concluſio, Furtum & adulterium, & alia mala moralia habẽt quòd ſint peccata mortalia ab auerſione, quam includunt. Itaq; hæc, quanuis secluſa per intellectum auerſione à Deo poſsint habere rationem culpæ, propter conuerſionem ad obiectum difforme rationi, non tamẽ poſſunt habere rationẽ culpæ mortalis ſine eadem auerſione. Ex quo ſequitur, quòd de ratione peccati mortalis, vt ſic, magis eſt auerſio quàm conuerſio. Et hoc eſt, quod voluit dicere D. Tho. in hoc articulo, quando dixit, quòd ſi poſſet eſſe conuerſio ad bonum commutabile ſine auerſione à Deo, quanuis eſſet inordinata, non eſſet peccatũ mortale. Et ratio huius cõcluſionis eſt, quia præcipuũ, quod inuenitur in ratione naturali eſt, quòd ſit cõformis legi diuinæ, a qua deriuatur, & cuius participatio exiſtit. Ex quo fit, quòd, ſi tollatur per intellectũ huiuſmodi conformitas, vt neceſſariò tollẽda eſt eo ipſo, quod præſcindimus auerſionem à conuerſione præcedente, nullo modo ratio naturalis poterit obligare ad mortale.

Ad. 1. arg. ¶ Vnde ad primũ argumentum reſpondetur, conceſſo antecedenti, negando conſequentiam. Et eodem modo reſpondetur ad *Ad. 2.* ſecundum. Quia quãuis ordo ad obiectum difforme rationi, ſecluſa quacunque auerſione a Deo, ſit ſufficiens ad coſtituendum furtum, & adulterium, & alia huiuſmodi in ſpecie peccati mortalis, non tamẽ eſt ſufficiens ad conſtituendũ illa in ratione peccati mortalis, ſed hoc habẽt omnia peccata ab auerſione, quã includunt. ¶ Ad tertium *Ad. 3. argu.* reſpondetur primò, nõ eſſe admittendum, quòd aliquis per aliquod tẽpus poſsit ignorare Deum eſſe, Quia cum huius rei cognitio ſit maximè neceſſaria ad vitã rectè inſtituendam, ad diuinã prouidentiam ſpectat quod vbiq; ſint doctores, qui doceant eſſe Deum, vel ſuperiorem aliquem, ad quem pertineat bonos præmio afficere, & malos punire. Vel ſecundò reſpondetur conceſſo antecedenti negando conſequentiam. Et ratio eſt: quia cum lex diuina ſit inſita cordibus noſtris, nullus poterit ignorare legẽ, quanuis ignoret legiſlatorem.

ARTICVLVS IIII.

¶ *Vtrùm deſperatio ex accidia oriatur.*

AD QVARTVM ſic proceditur. Videtur quod deſperatio ex accidia non oriatur. Idem enim nõ procedit ex diuerſis cauſis. Deſperatio autem futuri ſeculi procedit ex luxuria: vt dicit Greg. 31. Mor.* nõ ergo *Li. 31. c. 31. à medio.* procedit ex accidia.

2 ¶ Præterea, ſicut ſpei opponitur deſperatio ita gaudio ſpirituali opponitur accidia. Sed gaudiũ ſpirituale procedit ex ſpe: ſecundum illud Ro. 12. Spe gaudentes. Ergo accidia procedit ex deſperatione, & non econuerſo.

3 ¶ Præterea, Contrariorum contrariæ ſunt cauſæ. Sed ſpes, cui opponitur deſperatio videtur procedere ex conſideratione diuinorũ beneficiorum, & maximè ex conſideratione incarnationis. Dicit enim Aug.* 13. de Trinit. *Li. 13. c. 10. circa princ. to. 3.* Nihil tam neceſſarium fuit ad erigendum ſpem noſtram, quàm vt demonſtraretur nobis quantum nos Deus diligeret. Quid verò huius rei iſto indicio manifeſtius, quàm quòd Dei filius naturæ noſtræ dignatus eſt inire conſortium

ſoriium? Ergo deſperatio magis procedit ex negligentia huius conſiderationis, quæ eſt ex accidia.

¶ SED CONTRA eſt, quòd 31. Moral. Greg.* deſperationem enumerat inter ea quę procedũt ex accidia.

Lib.31.c.31. à medio.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd ſicut ſupradictũ* eſt, obiectum ſpei eſt bonum arduum poſsibile adipiſci vel per ſe, vel per alium. Dupliciter poteſt ergo in aliquo ſpes deficere de beatitudine obtinenda. Vno modo quia nõ reputat eam vt bonũ arduum, alio modo, quia non reputat eã vt poſſibilem adipiſci vel per ſe, vel per aliũ. Ad hoc autem, quòd bona ſpiritualia non ſapiãt nobis quaſi bona, vel nõ videantur nobis quaſi magna bona, præcipue perducimur per hoc, quod affectus noſter eſt inſtãs amori delectationum corporaliũ, inter quas præcipue ſunt delectationes venereæ. Nã ex affectu harum delectationum cõtingit, quod homo faſtidit bona ſpiritualia, & non ſperat ea quaſi quædam bona ardua. Et ſecundũ hoc deſperatio cauſatur ex luxuria. Ad hoc autem quòd aliquod bonum arduum non æſtimet vt poſsibile ſibi adipiſci per ſe, vel per aliũ, perducitur ex nimia dilectione: quæ quando in affectu hominis dominatur, videtur ei quòd nunquam poſſit ad aliquod bonum releuari. Et quia accidia eſt triſtitia quædam deiectiua ſpiritus, ideo per hunc modum deſperatio ex accidia generatur. Hoc autem eſt proprium obiectum ſpei, ſcilicet, quòd ſit poſsibile. Nam bonum & arduum etiã ad alias paſsiones pertinẽt, Vnde ſpecialius oritur ex accidia. Poteſt tamen oriri ex luxuria, ratione iam* dicta.

q.17.c.1.et 1.2.q.40.a.1.& 2.

In corp. ar.

¶ Vnde patet reſpõſio ad primum.

¶ AD SECVNDVM dicendum, quòd ſicut Philoſophus dicit in. 2. Rheto. ſicut ſpes facit delectationẽ, ita etiam homines in delectationibus exiſtentes efficiuntur maioris ſpei. Et per hunc etiam modũ homines in triſtitijs exiſtentes facilius in deſperationem incidunt, ſecundum illud. 2. ad Cor. 2. Ne maiori triſtitia abſorbeatur qui eiuſmodi eſt. Sed tamen quia ſpei obiectum eſt bonum in quod naturaliter tendit appetitus, non autem diſcedit ab eo naturaliter, ſed ſolũ propter aliquod impedimentum ſuperueniẽs: ideo directius quidẽ ex ſpe oritur gaudium, deſperatio autem ecõuerſo ex triſtitia.

¶ Ad tertium dicendũ, quòd ipſa negligentia conſiderandi diuina beneficia ex accidia prouenit. Homo enim affectus aliqua paſsione præcipue illa cogitat, quæ ad illã pertinẽt paſsionẽ. Vnde homo in triſtitijs cõſtitutus, nõ de facili aliqua magna & iocunda cogitat, ſed ſolum triſtia, niſi per magnũ conatum ſe auertat à triſtibus.

SVMMA TEXTVS.

ANtequam D. Tho. reſpondeat ad hanc difficultatem præmittit duo. Primum eſt, quòd obiectum ſpei eſt bonũ arduum poſsibile adipiſci, vel per ſe, vel per alium, vt ex ſupra dictis patet. Secundum, quòd ſpes dupliciter poteſt deficere in aliquo à beatitudine obtinenda, vno modo, quia nõ reputat eam, vt bonum arduũ, alio modo, quia non reputat eam, vt poſsibilem adipiſci, vel per ſe, vel per alium. Quibus ſuppoſitis ponit tres concluſiones. ¶ Prima concluſio, Deſperatio oritur ex luxuria ea parte, qua luxuria facit vt obiectum ſpei non appareat nobis arduum, ac difficile. Probatur. Ex eo, quod affect⁹ noſter eſt addictus amori delectationũ corporaliũ, inter quas delectationes venereæ obtinẽt primum locum, prouenit, quòd bona ſpiritualia non ſapiant nobis, quaſi bona, vel non videantur nobis, quaſi magna bona, ergo luxuria cauſat deſperationem ex parte, qua facit, vt obiectum ſpei nõ appareat nobis arduũ ac difficile. ¶ Secunda cõcluſio, Deſperatio oritur ex accidia, ea parte, qua accidia facit, vt obiectum ſpei non appareat nobis poſſibile adipiſci, vel per nos, vel per alium. Probatur. Accidia eſt quædã triſtitia deiectiua ſpiritus, ſed ex animi deiectione prouenit,

uenit, vt quis nõ exiſtimet aliquod bonũ arduũ eſſe ſibi poſsibile, vel per ſe, vel per aliũ, ergo deſperatio oritur ex accidia, ea parte, qua accidia facit vt obiectũ ſpei nõ appareat nobis poſsibile adipiſci, vel per nos, vel per aliũ. ¶ Tertia cõcluſio, Quanuis deſperatio poſsit oriri ex luxuria, & ex accidia, ſpecialius tamẽ oritur ex accidia. Probatur, Accidia eſt cauſa deſperationis in quantum facit, vt obiectũ ſpei non appareat nobis poſsibile, & luxuria cauſat eandẽ deſperationem in quantũ facit, vt obiectũ ſpei non appareat nobis arduum ac difficile, ſed proprium obiectum ſpei eſt, quòd ſit poſsibile, & quod ſit bonũ arduũ ac difficile, pertinet etiã ad alias paſſiones, ergo accidia ſpecialius cauſat deſperationem, quam luxuria.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Dubium. Circa iſtũ articulũ eſt difficultas vtrũ verũ ſit, quòd deſperatio oriatur ex luxuria, & ex accidia. Et pro parte negatiua argumentor ſic. *Argumẽtũ.* Nam ſi hoc eſſet verũ ſequeretur, ꝙ quicũque peccaret peccato luxuriæ, vel accidiæ, peccaret duplex peccatũ, vnũ luxuriç, vel accidiç, & alterũ de ſperacionis. conſequens aũt eſt abſurdũ, & cõtra cõmunem ſenſum eccleſię, ergo. Probo ſequelam. Nã, ſi deſperatio oriretur ex luxuria, vel ex accidia, quicunque committeret peccatum luxuriæ, vel accidiæ, exponeret ſe periculo cõmittẽdi peccatum deſperationis, & certum eſt, quòd quicunq; exponit ſe periculo cõmittendi aliquod peccatum peccat in ſpecie talis peccati.

Dictum. ¶ Ad explicationẽ huius difficultatis dico primo, certũ eſſe, quòd ſi aliquis videret quòd propter peccaũ luxuriæ, vel accidiæ exponeret ſe periculo committẽdi peccatum deſperationis, talis teneretur ex præcepto ſpei fugere fornicationẽ & peccaret nouo peccato id non faciens. Et ratio eſt manifeſta: nã vnuſquiſq; tenetur vitare manifeſtũ & euidẽs periculũ peccãdi mortaliter: etſi id non facit peccat peccato, cuius periculo ſe exponit. Sed eſt aduertendũ, quòd nõ ſatis eſt ad hoc, quodcunq; periculum, ſed requiritur, quod ſit probabiliſsimum, ſed requiritur, quod ſit probabiliſsimum, & tale quod moraliter loquendo, euidens iudicetur.

2. Dictum. ¶ Dico ſecundo, quòd peccatũ deſperationis nõ ita oritur ex luxuria, vel accidia, vt habeãt inter ſeſe neceſſariã connexionẽ iſta peccata: nec hoc voluit dicere D. Tho. in hoc articulo. Sed quod dicit eſt, quòd deſperatio oritur ex illis, quia aliquando ita cõtingit, vt qui addictus eſt delectationibus carnalibus nõ iudice bona ardua ac difficilia ea, penes quæ ſpes verſatur: & qui habet accidiam ex animi deiectione nõ iudicat illa poſsibilia ſibi, vel per ſe, vel per alium: ex quo prouenit vt non ſperet. Et per hoc patet ſolutio ad argumentum.

¶ In probatione tertiæ cõcluſionis dicit D. Tho. quòd poſsibile eſt proprium obiectum ſpei, bonum autem arduum ac difficile etiã pertinet ad alias paſsiones: *Argum.* Quod videtur falſum: nam poſsibile etiã pertinet ad alias paſsiones, cum timor, & audacia non ſint, niſi reſpectu poſsibiliũ. ¶ Sed ad hoc reſpondetur breuiter, quòd quando D. Tho. dicit poſsibile eſſe proprium obiectũ ſpei, non loquitur de poſsibili abſolute, ſed de poſsibili, vt determinat bonum arduum, quod cõſtat eſſe proprium obiectũ ſpei, vt, ad quod, & deſperationis, vt, à quo: cum tamen bonum arduũ abſolutè ad plures alias paſsiones pertineat.

QVAESTIO VIGESIMA prima, De præſumptione, in quatuor articulos diuiſa.

DEINDE conſiderandum eſt de pręſumptione.

¶ Et circa hoc quęruntur quatuor.

¶ Primo, quid ſit obiectũ pręſumptionis, cui innititur.

¶ Secuudo, vtrum ſit peccatum.

¶ Tertio, cui opponatur.

¶ Quarto, ex quo vitio oriatur.

ARTICVLVS I.

¶ Vtrùm præſuptio innitatur Deo, an propriæ virtuti.

AD PRIMVM ſic proceditur, Videtur quòd pręſumptio, quę

 eſt

eſt peccatum Spiritum ſanctum, nō iunatur Deo, ſed propriæ virtuti, Quanto enim minor eſt virtus, tāto magis peccat qui ei nimis innititur. Sed minor eſt virtus humana, quam diuina ergo grauius peccat qui præſumit de virtute humana, quàm qui præſumit de virtute diuina. Sed peccatū in Spiritum ſanctum eſt grauiſſimum. Ergo præſumptio, quæ ponitur ſpecies peccati in Spiritum ſanctum, inhæret virtuti humanæ magis quam diuinæ.

2 ¶ Præterea, Ex peccato in Spiritū ſanctum aliqua peccata oriūtur. Peccatum enim in Spiritum ſanctū dicitur malitia ex qua quis peccat. Sed magis videntur alia peccata oriri ex præſumptione, qua homo prǽſumit de ſeipſo, quā ex præſumptione qua homo præſumit de Deo: quia amor ſui eſt principium peccandi, vt patet per Aug. 14. de Ciui. Dei. Ergo videtur quod præſumptio, quæ eſt peccatum in Spiritum ſanctum, maxime innitatur virtuti humanæ.

Lib. 14. c. vlt. in prin. tom. 5.

3 ¶ Præterea peccatum prouenit ex cōuerſione in ordinata ad bonum cōmutabile. Sed præſumptio eſt quoddam peccatum. Ergo magis cōtingit ex conuerſione ad virtutem humanam, quæ eſt bonum commutabile, quam ex cōuerſione ad virtutem diuinam, quæ eſt bonum in commutabile.

¶ SED CONTRA eſt ꝙ ſicut ex deſperatione aliquis cōtemnit diuinam miſericordiam, cui ſpes innititur: ita ex præſumptione contemnit diuinā iuſtitiam, quæ peccatores punit, Sed ſicut miſericordia eſt in Deo ita etiam & iuſtitia eſt ipſo. Ergo ſicut deſperatio eſt per auerſionem à Deo, ita prǽſumptio eſt per inordinatam conuerſionem ad ipſum.

¶ RESPONDEO dicendū, quòd prǽſumptio videtur importare quandam immoderantiam ſpei. Spei autem obiectum eſt bonū arduum poſſibile. Poſſibile autem eſt aliquid homini dupliciter. Vno modo per propriam virtutem: alio modo non niſi per virtutem diuinam. Circa vtranq; autem ſpem per immoderantiā poteſt eſſe prǽſumptio. Nam circa ſpē, per quam aliquis de propria virtute confidit, attenditur præſumptio ex hoc ꝙ aliquis tendit in aliquod bonūm vt ſibi poſſibile, quod ſuā facultatem excedit, ſecundum quòd dicitur Iudith. 6. Præſumētes de ſe humilias. Et talis prǽſūptio opponitur virtuti magnanimitatis, quę mediū tenet in huiuſmodi ſpe. Circa ſpem autem, qua aliquis inhǽret diuinę potentiæ poteſt per immoderantiam eſſe prǽſumptio in hoc, quòd aliquis tendit in aliquod bonū, vt poſſibile per virtutem, & miſericordiam diuinam, quod poſſibile nō eſt. Sicut cū aliquis ſperat ſe veniā obtinere ſine pœnitētia, vel gloriam ſine meritis. Hęc autem prę ſumptio eſt propriè ſpecies peccati in Spiritū ſanctū, qa ſcilicet per huiuſmodi prǽſumptionem tollitur vel cōtemnitur adiutorium Spiritus ſancti, per quòd homo reuocatur à peccato.

¶ AD PRIMVM ergo dicendū, quòd ſicut ſupra dictum * eſt, peccatum quod eſt contra Deum, ſecundum ſuum genus eſt grauis cęteris peccatis. Vnde prę ſumptio, qua qs inordinate innititur Deo, graui' peccatū eſt quàm præſumptio, qua quis innititur proprię virtuti. Quod enim aliquis innitatur diuinę virtuti ad conſequendū id, quod Deo non cōuenit, hoc eſt diminuere diuinam virtutem. Pater autem quòd grauius peccat qui diminuit diuinan virtutē, quàm qui propriam virtutem ſuper extollit.

q. 20. ar. 3. 1. 2. q. 73. art. 3.

¶ Ad ſecundum dicēdum, quod ipſa prǽſumptio, qua qs in ordinate prę ſumit de Deo, amorem ſui includit,

quo

quo quis proprium bonū inordinatè deſiderat. Quod enim multum deſideramus, æſtimamus nobis de facili per alios poſſe prouenire etiam ſi non poſsint.

¶ Ad tertium dicendum, quod præſumptio de diuina miſericordia, habet conuerſionem ad bonum commutabile, in quantum procedit ex deſiderio inordinato proprij boni: & auerſionē à bono incommutabili, inquantum attribuit diuinæ virtuti, quod ei non conuenit. Per hoc enim auertitur homo à virtute diuina.

SVMMA TEXTVS.

SVppoſito, quòd præſumptio importat quādam immoderantiam ſpei, cuius obiectum eſt bonum arduum poſsibile, & quod dupliciter poteſt dici aliquid poſsibile, vno modo per propriam virtutem, alio modo per virtutem diuinam: ex quo fit, vt circa vtrunque per immoderantiam poſsit eſſe præſumpio, reſpondet D. Thom. per duas propoſitiones. ℂ Prima concluſio. Præſumptio, quæ dicit immoderantiam ſpei, per quam aliquis de propria virtute confidit circa obiectum, quod propriam facultatem excedit, propriè opponitur virtuti magnanimitatis. Probatur, nam ad magnanimitatem pertinet ponere medium in illa ſpe, quæ innititur propriæ virtuti. ℂ Secunda concluſio. Præſumptio, per quam aliquis innititur diuinæ potentiæ, vt conſequatur bonum, quod etiam diuina virtute non eſt poſsibile, vt cum ſperat aliquis ſe veniam peccatorum conſequuturum ſine pœnitentia, vel gloriam ſine meritis, propriè opponitur virtuti ſpei, & eſt peccatum in Spiritum ſanctum.

EXPLICATIO ARTICVLI.

1. Notabile. PRo intelligentia huius materiæ eſt aduertendum primò, quòd, cū obiectum ſpei ſit bonum arduum poſsibile, & dupliciter poſsit contingere, quod aliquid ſit nobis poſsibile, vno modo per propriam virtutem, alio modo per virtutem diuinam, fit, vt præſumptio, quæ exceſſum dicit in ſpe, dupliciter etiam poſsit contingere, ſcilicet, vel nimium confidendo propriæ virtuti, vel nimium confidendo diuinæ virtuti.

2. Notabile. ℂ Secundò eſt aduertendum, quòd quia obiectum ſpei virtutis theologicæ eſt beatitudo æterna, quæ non per proprias vires, ſed per virtutem diuinam eſt nobis poſsibilis, fit, vt ſpes, quæ eſt virtus theologica propriè loquendo tantum tendat in beatitudinem innitendo in diuino auxilio. Ex quo ſequitur, quòd dupliciter aliquis poſsit deficere ab hac ſpe, ſcilicet, vel quia non confidit in diuino auxilio, & miſericordia, quod pertinet ad deſperationem: vel quia innititur, & confidit in diuino auxilio præter ordinem à Deo poſitum, hoc eſt, præter id, quod Deus de ſua gratia, & de venia peccatorum promiſit, quod pertinet ad præſumptionem. Eſt autem ſtatutum, & ordinatum à Deo, quod dabit veniam atque gratiam pœnitentibus, & bene operātibus, vnde ſperare, aut veniam ſine pœnitentia, vel gloriam ſine meritis, erit præſumptio oppoſita ſpei virtuti theologicæ per exceſſum.

Dubium. ℂ Sed dubitabit aliquis hoc loco, vtrùm ſperare beatitudinem non ex gratia Dei, ſed ex propria virtute, ſit præſumptio.

Reſponſio. ℂ Ad quod breuiter reſpondetur, quòd eſt præſumptio, ſed non illa, quæ opponitur ſpei virtuti theologicæ. Et ratio eſt, quia ſpes virtus theologica innititur Dei auxilio, ex quo fit, vt ſit neceſſe, quòd vitium, quod illi opponitur per exceſſum conſiſtat in eo, quòd quis innitatur inordinatè, & plus nimio in virtute diuina, quod fit quando aliquis præter ordinem poſitum à Deo innititur Dei auxilio. Iſta autē præſumptio propriè opponitur virtuti magnanimitatis, vt dicit D. Thom. in prima concluſione, cuius officium eſt cōſtituere medium in ſpe paſsione, & efficere, vt de noſtra virtute nec plus nimio diffidamus, quod pertinet ad puſillanimitatem: nec etiam plus iuſto confidamus, quod pertinet ad præſumptionem.

Corollarium. ℂ Ex dictis infertur, quod præſumptio, quæ opponitur virtuti theologicæ, de qua in præſenti diſputamus, eſt inniti in diuina gratia inordinatè, nimium ſperando beatitudinem ex gratia Dei, ſed ſine meritis & pœnitentia.

1. Argum. ℂ Sed contra hoc eſt argumentum. Præſumptio, quæ opponitur ſpei virtuti theologicæ eſt ſpecies peccati in Spiritum ſanctum, vt docet D. Thom. in hoc articulo,

& ſuprà quæſt. 14. artic. 2. ſed præſumptio illius, qui ſperat beatitudinem ex gratia Dei & ſine meritis, non eſt peccatũ in Spiritum ſanctum; ergo non opponitur ſpei virtuti theologicæ. Conſequentia cum maiori eſt nota, & minor probatur. Quia ad peccatum in Spiritum ſanctum pertinet contemnere adiutorium Spiritus ſancti, vt dicit D. Thom. loco citato, ſed ille, qui ſperat beatitudinem ex gratia, & ſine meritis, non contemnit adiutorium Spiritus ſancti, ſed potiùs valdè magnificè ſentit de illo, ergo non peccat in Spiritum ſanctum.

2. *Argum.* ¶ Secudò, Vitia, quę opponũtur virtutib⁹ theologicis peiora ſunt, quam, quæ opponuntur virtutibus moralibus, cæteris paribus, vt ſæpe diximus, ſed præſumere innitendo propriæ virtuti, quod diximus opponi magnanimitati, multo peius eſt, quàm præſumere innitendo virtuti diuinæ, ergo iſto modo præſumere non opponitur virtuti theologicæ.

Ad. 1. arg. ¶ Ad primum reſpondetur conceſſa maiori, negando minorem. Et ad probationem dico, quòd qui ſperat à diuina miſericordia veniam peccatorum, atque gloriam ſine pœnitentia, & merito, proculdubiò contemnit auxilium Spiritus ſancti, & diuinas inſpirationes, quibus homo ad bene operandum adiuuari ſolet, & quibus excitatur à peccato: & propter iſtam rationem pręſumptio ponitur ſpecies peccati in Spiritum ſanctum. Vel ſecundò reſpondetur, quòd qui præſumit ſine merito, & pœnitentia abiicit timorẽ diuinæ iuſtitiæ, quod eſt donum Spiritus ſancti, retrahens hominem à peccato. & idcircò iſto modo ſperare eſt peccatum in Spiritum ſanctum.

Ad. 2. argu. ¶ Ad ſecundum reſpondetur cum D. Thom. in ſolutione ad quintum, quòd multò grauior eſt illa præſumptio, quę innititur inordinate diuinæ virtuti ꝗ illa quę innititur ꝓprię. Et ratio eſt, quia ſperare à Deo ea, quę Deo non conueniunt, eſt diminuere eius virtutem, & male de illa ſentire. Certum eſt autem, quod eſt maius peccatum, minus bene de Deo ſentire, quàm tribuere nobis magis quàm ad nos pertinet. Sed adhuc contra hoc eſt argumentum, quod facit Caietanus in præſenti. Nón inconuenit Deo quòd conferat gloriam ſine merito: ergo illo modo ſperare non minuit virtutem diuinãm. Conſequentia eſt nota, & antecedens probatur. Primò, quia Chriſto Domino fuit collata gloria ſine merito. Secundò, quia magis arguit diuinam potentiam conferre gloriam ſine meritis, quam cum meritis. Reſpondetur tamen ſuppoſito, quòd diuina virtus poteſt dupliciter conſiderari, vno modo abſolutè, alio modo ordinatè, quòd quamuis abſolutè loquendo non inconueniat Deo ità facere, nec diuinæ illius potentiæ, vt rectè probat argumentum, inconuenit tamen illi, ſuppoſito ordine diuinæ legis, quo ſtatuit ſe nobis non daturum gratiam, aut gloriã, niſi pœnitentibus. & bene operantibus. Et nos loquimur in præſenti de diuina virtute, non abſolutè, ſed ſuppoſito ordine. Maximè, quòd cùm maius ſit facere iſta duo, ſcilicet, date gloriam homini, & dare illi auxilium ad bene operandum, vt gloriam conſequatur, quàm alterum horum facere, vt docet Caietanus in pręſenti: manifeſtè ſequitur, quòd qui ſperat gloriam ſine meritis detrahit aliquid à diuina virtute, & ipſam diminuit.

Dubium. ¶ Aliud dubium eſt, Vtrùm quotieſcunque aliquis ſperat beatitudinem ſit neceſſarium animo concipere ſe ſperare illam ex gratia, & meritis, ne peccet peccato præſumptionis. Ad quod breuiter reſpõdetur, *Reſponſio.* quòd abſolutè ſperare beatitudinem non eſt præſumptio, ſed ſpes: ſemper enim in illa voluntate intelligitur conditio, ſi rectè vixerimus, niſi contrarium exprimatur.

ARTICVLVS. II.

¶ *Vtrùm præſumptio ſit peccatum.*

AD SECVNDVM ſic proceditur. Videtur quòd præſumptio non ſit peccatũ. Nullum enim peccatum eſt ratio quòd homo exaudiatur à Deo. Sed per pręſumptionem aliqui exaudiuntur à Deo. Dicitur enim Iudith. 9. Exaudi me miſeram deprecantem, & de tua miſericordia præſumentem. Ergo præſumptio de diuina miſericordia non eſt peccatum.

2 ¶ Præterea, præſumptio importat ſuperexceſſum ſpei, ſed in ſpe, quæ habetur de Deo, non poteſt eſſe ſuperexceſſus, cum eius potentia & miſericordia ſint infinita. Ergo videtur ꝙ præſumptio non ſit peccatum.

3 ¶ Præterea, Id quod eſt peccatum, *Li. 2. ſent. d. 22. §. E.* non excuſat à peccato. Sed pręſumptio excuſat à peccato. Dicit enim Magiſt.

giſt.22. diſt.2.li. ſentent. quòd Adam minus peccauit, quia ſub ſpe veniæ peccauit, quod videtur ad præſumptionem pertinere. Ergo præſumptio non eſt peccatum.

¶ SED CONTRA eſt, quòd ponitur ſpecies peccati in Spiritum ſanctum.

¶ RESPONDEO dicendum, *Q.præc.a.1.* quòd ſicut ſupra dictum*eſt, circa deſperationē, omnis motus appetitiuus, qui conformiter ſe habet ad intellectum falſum, ſecundum ſe malus eſt & peccatum. Præſumptio autem eſt motus appetitiuus, quia importat quādam ſpem inordinatam, habet autem ſe conformiter intellectui falſo, ſicut & deſperatio. Sicut enim falſum eſt, quòd Deus pœnitentibus non indulgeat, vel quòd peccantes ad pœnitentiam non conuertat: ita falſum eſt, ꝙ in peccato perſeuerantibus veniam concedat, & à bono ceſſantibus opere, gloriam largiatur: cui exiſtimationi conformiter ſe habet præſumptionis motus. Et ideo præſumptio eſt peccatum. Minus tamen quàm deſperatio: quoniam magis proprium eſt Deo miſereri & parcere, quàm punire, propter eius infinitam bonitatem. Iſtud enim ſecundum ſe Deo conuenit, hoc autem ſecundum noſtra peccata.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quod præſumere ponitur aliquando pro ſperare: quia ipſa ſpes recta, quæ habetur de Deo, præſumptio videtur, ſi menſuretur ſecundum conditionem humanam: non autem eſt præſumptio, ſi attendatur immenſitas diuinæ bonitatis.

¶ Ad ſecundum dicendum, quod prę ſumptio nō importat ſuperexceſſum ſpei ex hoc, quod aliquis nimis ſperar de Deo, ſed ex hoc, quod ſperat de Deo aliquid quod Deo non conuenit. Quod etiā eſt minus ſperare de Deo: *Ar. præced. ad.1.* quia hoc eſt eius virtutē quodāmodo diminuere, vt dictum*eſt.

¶ Ad tertium dicendum, quòd peccare cum propoſito perſeuerandi in peccato ſub ſpe veniæ, ad præſumptionē pertinet. Et hoc non diminuit, ſed auget peccatum. Peccare autem ſub ſpe veniæ, quandoque percipiendæ cum propoſito abſtinendi à peccato, & pœnitendi de peccato, hoc non eſt præſumptionis, ſed hoc peccatum diminuit: quia per hoc videtur habere voluntatem minus firmatam ad peccandum.

SVMMA TEXTVS.

PRima'concluſio. Pra ſumptio eſt peccatum. Probatur. Omnis motus appetitus conformis iudicio falſo eſt peccatum, ſed talis eſt præſumptio, ergo, Probo minorem. Nam, ſicut eſt falſum quòd Deus pœnitentibus nō indulget, cui iudicio eſt conformis motus deſperationis, ità etiam eſt falſum, quòd Deus in peccato perſeuerantibus cōfert gratiam, cui iudicio eſt conformis præſumptio, ergo ſicut deſperatio eſt peccatum, ità & præſumptio. ¶ Secunda concluſio. Minus peccatum eſt præſumptio, quàm deſperatio. Probatur: quia magis proprium Dei eſt miſereri, quam punire: cum primum conueniat Deo ſecundum ſe, & ſecundum, ſecundum noſtra peccata.

EXPLICATIO ARTICVLI.

CIrca iſtum articulum eſt difficultas; Vtrùm pręſumptio, de qua loquimur poſsit eſſe ſine infidelitate. Et pro parte negatiua eſt argumentum. Præſumere eſt ſperare gloriam ſine meritis, ſed nullus poteſt habere huiuſmodi actum quin priùs iudicet ſe poſſe conſequi gloriam ſine meritis, aliàs illam nō præſumeret, quod iudicium eſt hæreticum, ergo ſemper præſumptio oppoſita virtuti theologicæ habet admixtam infidelitatem.

¶ Pro explicatione huius difficultatis *1. Nota.* eſt aduertendum primò, quòd præſumptio eſt actus voluntatis in gloriam inordinatè tendens. Dupliciter autem poteſt contingere, quò:lvoluntas tendat inordinatè in gloriam. Vno modo per iſtum actum, ſcilicet, volo gloriam ſine meritis, ita, vt totum hoc, quod eſt gloria ſine meritis ſit obiectum explicitum talis volitionis. Alio modo per iſtum actum, volo gloriam, & ſimul

cum hoc non habere voluntatem pœnitendi, aut exeundi à peccato, quod eſt virtualiter ſperare gloriam ſine meritis.

2. Notabile. ¶ Secundò eſt aduertendum, quòd in vtroque actu iſtorum committitur peccatum præſumptionis, diuerſimodè tamen. Nam in priori ſi volitio eſt abſoluta ſemper præſupponitur iudicium erroneum in intellectu, ſcilicet, quòd gloria ſine meritis eſt poſsibilis, ſiue id iudicetur in vniuerſali, ſiue in particulari: ſine tali enim iudicio nullus poſſet velle abſolutè conſequi gloriam ſine meritis, cum voluntas abſoluta non ſit impoſsibilium. At verò poſterior volitio non præſupponit iudicium erroneum ex parte intellectus, ſed naſcitur illa, partim ex inconſideratione eorum, quę fides docet in vniuerſum, & partim ex ſuperbia & nimio amore ſui, & ex affectu, quem quis habet ad peccãdũ. Et quod hoc ita ſit, probatur. Nã cùm ad hoc, vt aliquis velit beatitudinem, ſatis ſit, quòd iudicet illam eſſe bonum poſsibile, & ad hoc, vt nolit recedere à peccato, ſatis ſit quod iudicet hic, & nunc eſſe conueniens ſibi manere in peccato, quorum neutrum iudicium eſt hæreticum, aut infidele, manifeſtè ſequitur, ꝙ ad hoc, vt ſimul velit habere beatitudinem, & non habere voluntatem recedendi à peccato, nõ erit opus, vt in intellectu præcedat aliquod iudicium hæreticum, ſed ſatis erit, quod præcedat, vel inconſideratio eorum, quæ fides docet, ſcilicet, quod gloria debet dari ex meritis, vel ſuperbia & inclinatio ad peccãdũ. Ex quib' manifeſtè colligitur quodquamuis aliqua præſumptio habeat admiſtam infidelitatem, illa, ſcilicet, quæ inordinatè tẽdit in gloriã per iſtum actum voluntatis, Volo beatitudinẽ ſine meritis: non tamen omnis præſumptio neceſſariò debet illam includere, ſed poterit dari cum ſola inconſideratione eorũ, quæ ſunt fidei, & cum ſuperbia, & nimio amore ſui, quæ ſunt regularia principia eius præſumptionis, quæ in hominibus frequentiùs inuenitur. Et per hoc patet ſolutio ad argumentum factum.

ARTICVLVS III.

¶ *Vtrùm præſumptio magis opponatur timori, quàm ſpei.*

AD TERTIVM ſic ꝓceditur. Videtur quòd præſumptio magis opponatur timori, quàm ſpei. Inordinatio enim timoris opponitur recto timori. Sed præſumptio videtur ad inordinationem timoris pertinere. Dicitur enim Sap. 17. Semper præſumit ſæua perturbata cõſcientia. Et ibidem dicitur, quòd timor eſt prȩſumptionis adiutoriũ. Ergo præſumptio opponitur timori magis quàm ſpei.

2 ¶ Præterea, Contraria ſunt quæ maximè diſtant. Sed præſumptio magis diſtat à timore, quã à ſpe: quia præſumptio importat motum ad rem, ſicut & ſpes: timor aũt motũ à re. Ergo prȩſumptio magis cõtrariatur timori, q̃ ſpei.

3 ¶ Præterea, Prȩſumptio totaliter excludit timorem, nõ autem totaliter excludit ſpẽ, ſed ſolum certitudinẽ ſpei. Cum ergo oppoſita ſint quæ ſe interimunt, videtur quòd præſumptio magis opponatur timori, quàm ſpei.

¶ SED CONTRA eſt, quòd duo inuicẽ oppoſita vitia contrariãtur vni virtuti, ſicut timiditas & audacia fortitudini. Sed peccatum præſumptionis cõtrariatur peccato deſperationis: qđ directè opponitur ſpei. Ergo videtur quod etiã præſumptio directiùs ſpei opponatur.

¶ RESPONDEO dicendũ, quod ſicut Aug.[a] dicit in. 4. cõtra Iulianum, Omnibus virtutibus nõ ſolũ ſunt vitia manifeſta diſcretione contraria, ſicut prudentiæ temeritas: verum & vicina quodammodo, non veritate, ſed quadam ſpecie fallente ſimilia, ſicut prudẽtiæ aſtutia. Et hoc etiã Philoſophus dicit in. 2. Ethic. Quod virtus maiorẽ cõuenientiam videtur habere cũ vno oppoſitorum vitiorũ quàm cum alio: ſicut temperantia cum inſenſibilitate, & fortitudo cũ audacia. Præſumptio ergo manifeſtã oppoſitionem videtur habere ad timorẽ, præcipuè ſeruilem, qui reſpicit pœnã ex Dei iuſtitia ꝓuenientem, cuius præſumptio remiſsionem ſperat. Sed ſecundũ falſam ſimilitudinem magis contrariatur ſpei, quia importat quãdam inordinatã ſpem de Deo.

Li. 4. cap. 3. paulo ante med. to. 7.

Li. 2. Ethic. c. 8 to. 5.

Deo. Et quia directius aliqua opponũtur,quæ ſunt vnius generis, quàm quę ſunt generum diuerſorum (nam contraria ſunt in eodem genere) ideo directius præſumptio opponitur ſpei quã timori. Vtrũq; enim reſpicit idem obiectum, cui innititur, ſed ſpes ordinate, præſumptio inordinatè.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quod ſicut ſpes abuſiue dicitur de malo, proprie aũt de bono: ita etiã præſumptio. Et ſecundũ hũc modũ inordinatio timoris præſumptio dicitur.

¶ Ad ſecundum dicendum, quod contraria ſunt quæ maxime diſtant in eodem genere. Præſumptio autem & ſpes important motum eiuſdem generis, qui poteſt eſſe vel ordinatus, vel inordinatus. Et ideo præſumptio directius contrariatur ſpei, quàm timori. Nam ſpei contrariatur ratione propriæ differentiæ, ſicut inordinatum ordinato. Timori autem contrariatur ratione differentiæ ſui generis, ſcilicet motus ſpei.

¶ Ad tertium dicendũ, quòd præſumptio contrariatur timori contrarietate generis: virtuti autem ſpei contrarietate differentiæ. Ideo præſumptio totaliter excludit timorem etiam ſecũdum genus. Spem autem non excludit niſi ratione differentiæ, excludendo eius ordinationem.

ARTICVLVS. IIII.

¶ *Vtrùm præſumptio cauſetur ex inani gloria.*

Inf. q. 132. a. 5. & 6. Et mal. q. 9. a. 3. AD QVARTVM ſic proceditur. Videtur quod præſumptio non cauſetur ex inani gloria. Præſumptio enĩ maxime videtur inniti diuinę miſericordiæ. Miſericordia aũt reſpicit miſeriã, quæ opponit̃ gloriæ. Ergo præſumptio nõ oritur ex inani gloria.

2 ¶ Præterea, Præſumptio opponitur deſperationi. Sed deſperatio oritur ex triſtitia, vt dictũ* eſt. Cũ ergo oppoſitorũ oppoſitæ ſint cauſæ, videt̃ qđ oriatur ex delectatiõe. Et ita videtur quod oriatur ex vitijs carnalibus, quorum delectationes ſunt vehementiores. (1. 2. q. 37. a. 2.)

3 ¶ Præterea, Vitiũ præſumptionis cõſiſtit in hoc, quod aliquis tendit in aliquod bonum, quod non eſt poſsibile, quaſi poſsibile. Sed quod aliquis æſtimet poſsibile quod eſt impoſsibile, prouenit ex ignorantia. Ergo præſumptio magis prouenit ex ignorantia, quàm inani gloria.

¶ SED CONTRA eſt ꝙ Greg* dicit. 31. Moralium, quod præſumptio nouitatum eſt filia inanis gloriæ. Li. 31. Mor. c. 31. à med.

¶ RESPONDEO dicẽdum, quod ſicut ſupra dictum* eſt, duplex eſt præſumptio. Vna quidẽ quæ innititur propriæ virtuti, attẽtans ſcilicet aliquid vt ſibi poſsibile, quod propriam virtutẽ excedit. Et talis præſumptio manifeſtè ex inani gloria ꝓcedit. Ex hoc enĩ ꝙ aliquis multũ deſiderat gloriam, ſequitur ꝙ attẽtet ad gloriã quandam ſuper vires ſuas: & huiuſmodi præcipuè ſunt noua: quæ maiorẽ admirationem habent. Et ideo ſignãter* Gre. præſumptionẽ nouitatũ poſuit filiã inanis gloriæ. Alia vero eſt præſumptio, quæ innititur inordinatè diuinæ miſericordiæ, vel potentiæ, per quam ſperat ſe obtinere gloriam ſine meritis, vel veniam ſine pœnitentia. Et talis præſumptio videtur oriri directè ex ſuperbia, ac ſi ipſe tanti ſe æſtimet, ꝙ etiam eum peccantem Deus non puniat, vel à gloria excludat. (Ar. 1 huius quæſt.; Li. 31. Mor. c. 31. à med.)

¶ Et per hoc patet reſpõſio ad obiecta.

QVAESTIO VIGESIMA SECUNDA, De præceptis pertinentibus ad ſpem & timorem, in duos articulos diuiſa.

DEINDE conſiderandum eſt de præceptis pertinentibus ad ſpẽ & timorem. ¶ Et circa hoc quęrunt̃ duo

¶ Primo, de præceptis pertinentibus ad ſpem.

¶ Secundo, de præceptis pertinentibus ad timorem:

ARTICVLVS. I.

Vtrùm de ſpe debeat dari aliquod præceptum.

Inf. ar. 2. cor. AD PRIMVM ſic proceditur. Videtur quòd nullum pręceptū ſit dādum pertinens ad virtutem ſpei. Quod enim ſufficienter poteſt fieri per vnum, non oportet quòd per aliquid aliud inducatur. Sed ad ſperandum bonum ſufficienter homo inducitur ex ipſa naturali inclinatione. Ergo non oportet quòd ad hoc inducatur homo per legis præceptum.

2 ¶ Præterea, Cum præcepta dentur de actibus virtutum, principalia præcepta etiam debent dari de actibus principalium virtutum. Sed inter omnes virtutes principaliores ſunt tres virtutes theologicæ, ſcilicet ſpes, fides, & charitas. Cum ergo principalia legis præcepta ſint præcepta decalogi, ad quæ omnia alia reducuntur, vt ſuprà habitum * eſt: videtur quòd ſi de ſpe daretur aliquod præceptum, quod deberet inter præcepta decalogi contineri. Non autem ibi continetur, ergo videtur quod nullum præceptum in lege debeat dari de actu ſpei. *1. 2. q. 110. art. 3.*

3 ¶ Præterea, Eiuſdem rationis eſt pręcipere actum virtutis, & prohibere actum vitij oppoſiti. Sed nō inuenitur aliquod præceptum datum, per quod prohibeatur deſperatio, quæ eſt oppoſita ſpei. Ergo videtur quod nec de ſpe conueniat aliquod præceptum dari.

¶ SED CONTRA eſt, quòd Augu.* dicit ſuper illud Ioannis decimoquinto. Hoc eſt præceptū meum vt diligatis inuicem. De fide nobis quàm multa mādata ſunt, quàm multa de ſpe? Ergo de ſpe conuenit aliqua pręcepta dari. *Tract. 83. inter med. & fin. tom. 9.*

¶ RESPONDEO dicendum, quod pręceptorum, quę in ſacra Scriptura inueniuntur, quędam ſunt de ſubſtantia legis, quędā vero ſunt pręambula ad legē. Pręambula quidem ſunt ad legem illa, quibus non exiſtentibus lex locum habere non poteſt. Huiuſmodi autem ſunt pręcepta de actu fidei, & de actu ſpei. Quia per actum fidei mens hominis inclinatur, vt recognoſcat actorem legis talem, cui ſe ſubdere debeat. Per ſpem verò pręmij homo inducitur ad obſeruantiam pręceptorum. Pręcepta vero de ſubſtantia legis ſunt, quę homini iam ſubiecto, & ad obediēdum parato imponuntur, pertinētia ad rectitudinem vitæ. Et ideo huiuſmodi præcepta ſtatim in ipſa legiſlatione proponuntur per modum præceptorum. Spei vero & fidei præcepta non erant proponenda per modum præceptorum, quia niſi homo iam crederet & ſperaret, fruſtra ei lex proponeretur. Sed ſicut pręceptum fidei proponendum fuit per modum denuntiationis & commemorationis, vt ſupra * dictum eſt: ita etiam præceptum ſpei in prima legiſlatione proponendum fuit per modum promiſsionis. Quod enim obedientibus præmia promittit, ex hoc ipſo incitat ad ſpem. Vnde omnia promiſſa, quæ in lege continentur, ſunt ſpei excitatiua. Sed quia lege iam impoſita, pertinet ad ſapientes viros, vt non ſolum inducant homines ad obſeruantiam præceptorum, ſed etiam multo magis ad conſeruandum legis fundamentum: ideo poſt primam legiſlationem in ſacra Scriptura multipliciter inducuntur homines ad ſperandum, etiam per modū admonitionis vel præcepti, & non ſolum per modum promiſsionis, ſicut in lege, ſicut patet in Pſal. 61. Sperate in eo oēs congregationes populi: & in multis alijs Scripturæ locis. *q. 16. arti. 1.*

¶ AD PRIMVM ergo dicēdum, quòd natura ſufficienter inclinat ad ſperandum bonum naturæ humanæ proportionatum: ſed ad ſperandum ſupernaturale bonū oportuit hominē

inducì

induci autoritate legis diuinæ, partim quidem promiſsis, partim autem admonitionibus vel præceptis. Et tamen ad ea etiã, ad quæ naturalis ratio inclinat, ſicut ſunt actus virtutum moralium, neceſſarium fuit præcepta legis diuinæ dari propter maiorem firmitatem. Et præcipuè quia naturalis ratio hominis obtenebrata erat per cõcupiſcentias peccati.

¶ Ad ſecũdum dicendum, quod præcepta legis decalogi pertinent ad primam legiſlationem. Et ideo inter præcepta decalogi non fuit dandum præceptum aliquod de ſpe, ſed ſufficit per aliquas promiſsiones poſitas inducere ad ſpem, vt patet in primo & quarto præcepto.

¶ Ad tertium dicẽdum, quod in illis, ad quorum obſeruantiam homo tenetur ex ratione debiti, ſufficit præceptum affirmatiuum dari de eo quod faciendum eſt: in quibus prohibitiones eorum, quæ ſunt vitanda, intelliguntur. Sicut datur præceptum de honoratione parentum. Non autem prohibetur quòd parentes dehonorentur, niſi per hoc quòd de non honorantibus pœna adhibetur in lege. Et quia debitum eſt ad humanam ſalutem, vt ſperet homo de Deo, fuit ad hoc homo inducendus aliquo prædictorum modorũ quaſi affirmatiuè, in quo intelligeretur prohibitio oppoſiti.

SVMMA TEXTVS.

PRima concluſio, In prima legiſlatione fuit præceptum fidei, & ſpei, non tanquam pertinens ad legis ſubſtantiam, ſed tanquam præambulum ad legem. Probatur. Id dicitur præambulum ad legem, ſine quo lex locum habere non poteſt, ſed talia ſunt præcepta de actibus fidei & ſpei, ergo in prima legiſlatione illa fuerunt impoſita tanquam præambulum ad legem. Conſequentia cum maiori eſt nota, & minor probatur. Per actum fidei mẽs hominis recognoſcit legiſlatorem, & per ſpem præmij inducitur ad obſeruantiam præceptorum, ſine quibus lex locum non haberet: ergo præcepta de actibus fidei, & ſpei pertinẽt ad præambulum legis. ❡ Secunda concluſio, In prima legiſlatione conueniens fuit, vt præceptum de ſpe imponeretur per modum promiſsionis. Probatur. Conueniens fuit, vt illi, quibus lex imponebatur, ſpe præmij inducerentur ad eius obſeruantiam: ergo conueniens fuit, vt præceptum de ſpe imponeretur per modum promiſsionis: vnde omnia promiſſa, quæ in lege continentur ſunt veluti ſpei excitatiua. ❡ Tertia concluſio. Poſt primam legiſlationem præceptum de ſpe fuit impoſitum in ſacra ſcriptura, non ſolùm per modum promiſsionis, ſed etiam per modum præcepti: vt patet ex illo Pſalm. 62. Sperate in eo omnis congregatio populi. Fuitque hoc conuenienter factum, quia ſapientis eſt hominis iam ſubiectos inducere ad legis obſeruantiam pluribus modis, ſcilicet, interdum promittendo, & interdum præcipiendo.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Nota. 1. CIrca iſtum articulum eſt aduertẽdum primo, quòd eſt certũ de fide eſſe præceptum obligans nos ad ſperandum. Nam Pſalm. 4. dicitur: Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ, & ſperate in Domino. & ad Rom. 8. Spe ſalui facti ſumus, &c. Et ſapientiæ. 1. Spiritus ſanctus obiurgat peccatores, eò quod non ſperauerunt mercedem iuſtitiæ, quod nullo modo faceret, niſi eſſet præceptum de ſpe habenda. De hac re eſt videndus D. Auguſt. tract. 83. ſuper Ioan. & concil. Trident. ſeſſ. 6. canone. 3. vbi dicitur, quòd ſperare eſt homini neceſſarium, vt ei iuſtificationis gratia conferatur.

Nota. 2. ❡ Secundò eſt aduertendum, quòd cum præceptum de ſpe habenda ſit affirmatiuum, vt cõſtat ex eius forma, quamuis obliget ſemper, non obligabit pro ſemper: ſed ſolum pro articulo neceſsitatis. Hoc enim eſt diſcriminis inter præceptum affirmatiuum, & negatiuum, quòd negatiuum obligat ſemper, & pro ſemper, affirmatiuum verò, non pro ſemper, ſed tantum pro articulo neceſsitatis.

Dubium. ❡ Vnde poterit eſſe dubitatio, quis nam ſit articulus neceſsitatis, in quo eſt neceſſarium actu ſperare. *1. Dictum.* Ad cuius explicationem dico primo, certum eſſe, quòd ex vi huius

præcepti

præcepti tenentur homines ſemper, & in quocunque tempore non habere actũ contrarium ſpei, vt contingit in omnibus alijs præceptis affirmatiuis, quibus ex conſequenti prohibentur actus contrarij: vt præcepto charitatis prohibetur odium Dei, & præcepto fidei actus infidelitatis. Vnde dicunt Theologi, quòd in omni præcepto affirmatiuo includitur negatiuum de actu cõtrario.
2. *Dictum.* ¶ Dico ſecundo, quòd præceptum ſpei ſecundum D. Thom. obligat in primo inſtanti vſus rationis. Ita, quòd cùm primũ homo peruenit ad vſum rationis tenetur actu ſperare, & niſi id faciat peccabit mortaliter. Et ratio huius eſt, quia in primo inſtanti vſus rationis tenetur homo ſe cõuertere in Deum, vt docet D. Tho. 1.2. quæſt. 89, artic. 6. in qua conuerſione includitur actus ſpei, & ſic etiã in illo inſtanti tenetur
3. *Dictum.* actu ſperare. ¶ Dico tertio, quòd etiam obligat hoc præceptum eo tempore, quo obligat præceptum de orando, & de agẽda pœnitentia. Et ratio eſt, quia ſine ſpe, nec oratio nec pœnitentia eſſe poteſt, cùm oratio ſit interpres ſpei, & ſpes fundamẽtum pœnitentiæ. Scio nonnullos tanquam probabile affirmare, quòd poſtquam quis habuit primum actum ſpei, non tenetur ampliùs illum iterare, ſed ſat erit non habere actum contrarium. Cæterũ, meo iudicio, hæc opinio eſt apertè falſa. Et ſic dico, quòd tenetur homo actu ſperare quotieſcunque obligatur ad aliquid faciẽdum, quod ſine actu ſpei commodè fieri non poteſt. Et ſimiliter quando occurrunt graues tentationes ſpei, vt ſuprà diximus de fide. Poſſunt etiã occurrere plures alij caſus, ſiue articuli, de quibus certas præſcribere regulas eſt omnino impoſsibile, & ideò illi prudentis arbitrio relinquuntur.

Dubium. ¶ Eſt aliud dubium, vtrum ſit aliquis caſus, in quo homo viator abſoluatur à præcepto ſpei. Et particulariter quærimus de illo, cui eſt facta reuelatio à Deo de ſua damnatione, vtrùm talis teneatur habere actũ ſpei, vel potius poſsit deſperare ſine aliquo peccato. In qua difficultate vnum præſupponitur, & alterum quæritur. Quod præſuppoſitum eſt, quòd Deus poteſt alicui ſuam dãnationem reuelare: & quod quæritur eſt, vtrùm facta tali reuelatione, ille homo teneatur adimplere præceptum ſpei.
1. *Notabile.* Sed quoniam id præſuppoſitũ non ab omnibus conceditur, idcirco operæpretiũ erit, vt illud prius examinemus. Ad cuius explicationem eſt aduertendum, quòd reuelatio eſt duplex. Vna exterior: qualis eſt illa, qua Deus, vel per Angelum, vel per prophetam, voce exteriori prędicit aliquid futurum: vt cum Chriſtus dixit Petro, Ter me negabis. Altera eſt interior: qualis eſt illa, quæ per interiorem animi illuſtrationẽ fit: vt cum Deus ſuo ſupernaturali lumine infuſo, imprimit in hominis mente ſine voce exteriori notitiã alicuius rei futuræ, qua ratione prophetis fuerunt à Deo reuelata multa.

¶ Secundo eſt aduertendum, quòd diuina reuelatio, ſiue interior, ſiue exterior, adhuc eſt duplex, vna abſoluta, altera conditionata, quæ alio nomine appellatur comminatoria: & eſt illa in qua vel tacitè, vel expreſſe ſubintelligitur aliqua conditio: cuiuſmodi inueniuntur quam plurimæ reuelationes in ſacra ſcriptura, vt eſt videre apud Eſaiam cap. 38. vbi dicitur Ezechiæ, Morieris & nõ viues. & Ione. 3. dicitur Niniuitis, Adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubertetur, & tamen has reuelationes conditionatas eſſe, rei comprobauit euentus. 2. *Notabile.*

¶ Tertio eſt aduertendum, quòd aliud eſt loqui in præſenti de potentia Dei abſoluta, & aliud de potentia ordinaria. 3. *Notabile.* ¶ His ſuppoſitis de difficultate propoſita fuerũt quam plurimæ opiniones. Nam Altiſsiodorenſis. 3. par. tract. 5. cap. 6. dicit fieri non poſſe, etiam de potẽtia Dei abſoluta, quòd *Sentẽtia Altiſsiodorẽſ.* alicui viatori manente viatore fiat abſoluta reuelatio à Deo de ſua condemnatione. Quam etiam ſententiam tenet D. Bonauẽtura in. 1. diſtin. 38. quæſtio. 1. Et ratio ho- *Argumentum.* rum autorum eſt, quia talis homo nec poſſet ſperare, nec conſequi beatitudinẽ, quod rationi viatoris repugnat. ¶ Cæterum D. Thom. de veritate. quæſt. 23. artic. 8. ad ſecundum argumentum dicit, quòd de potẽtia abſoluta bene poteſt fieri talis reuelatio, non tamen de potẽtia ordinaria. Quam ſententiã tenẽt cõmuniter omnes Theologi, in. 1. diſt. 38. Gregorius Ariminen. loco citato dubius eſt de hac re.

¶ Sed ad explicationem difficultatis ſit prima concluſio. De potentia ordinaria poteſt Deus reuelare viatoribus ſuam condẽnationem reuelatione conditionata, ſiue comminatoria. 1. *Concluſio.* Probatur, quia hæc reuelatio non repugnat legi & ordinationi diuinæ. Et ſic forſan eſt intelligenda illa reuelatio facta à Chriſto phariſæis Ioan. cap. 8. Et in peccato veſtro moriemini.

¶ Secunda

2. Conclu. ¶ Secunda concluſio, Abſoluta reuelatione non poteſt Deus de potẽtia ordinaria reuelare alicui ſuam cõdemnationem, ſiue talis reuelatio ſit interior, ſiue exterior Probatur: quia hæc reuelatio repugnat legi diuinæ qa Deus ſtatuit, vt oẽs ſperarẽt beatitudinem & præterea, quia ex illa ſequerentur quam plurima inconuenientia cõtra legem á Deo poſitam. Nam primò, ille homo induceretur in deſperationẽ. Secundò, fieri negligens in obſeruatione mandatorum & cultus iuſtitiæ. Tertiò, incitaretur ad peccandum: quæ omnia diuinæ ordinationi ſunt contraria.

3. Conclu. ¶ Tertia concluſio, Si alicui fiat reuelatio exterior de ſua condemnatione, etiam ſi nulla apponatur cõditio, tenetur credere talem reuelationem eſſe conditionalẽ, & comminatoriam. Hanc concluſionem ponit D. Tho. in. 3. d. 38. quæſt. vnica. articulo. 4. & de veritate. q. 23. arti. 8. ſequiturq́; manifeſtè ex ſuppoſitis cõcluſionibus.

4. Conclu. ¶ Quarta cõcluſio, Deus reuelatione interiori, & abſoluta poteſt de potentia ſua abſoluta alicui reuelare ſuã damnationẽ. Probatur primo, quia hoc nullam implicat contradictionẽ. Secundò, quia ꝙ Ioãnes, verbigratia, damnetur eſt quædã veritas à Deo, certo cognita, ergo poterit illã cuicunq; voluerit reuelare de potẽtia ſua abſoluta, ſicut & reuelauit alias veritates ſupernaturales. Tertio, quia non magis repugnat ſtatui viatorum certa, & abſoluta reuelatio de ſua damnatione, quã de æterna ſalute, ſed Deus de facto aliquibus reuelauit ſuã prædeſtinationẽ, ſcilicet, beatiſsimæ Virgini Mariæ, & beatiſsimis Apoſtolis Petro, & Paulo, quorũ ſolennitas hodierna die in tota Eccleſia celebratur, ergo etiam poterit reuelare æternam damnationem.

Quæſtio principalis. ¶ Sed nunc reſtat reſpondendũ ad principalẽ quæſtionẽ qua querebamus, vtrũ ille, cui facta fuiſſet reuelatio de ſua dãnatione teneretur ſperare, vel potius poſſet omnem ſpẽ abijcere. In qua difficultate ſolũ loquimur de reuelatione abſoluta, & interiori, qua fit, vt homo ex euidentia luminis reuelãtis cogatur ad aſſentiendũ quod damnabitur: nã de alijs reuelationibus certũ eſt, & in dubitatum, quod poterit & tenebitur ſperare.

Sententia aliquorum. ¶ Ad hãc difficultatem nonnulli reſpõdet cũ illa diſtinctione de ſenſu cõpoſito, & de ſenſu diuiſo, dicẽtes, quod ille, cui facta fuit reuelatio de damnatione, in ſenſu diuiſo poterit & tenebitur ſperare: non tamen in ſenſu cõpoſito, hoc eſt, ſtante reuelatione. Sed quoniam nos ſupponimus iã factã fuiſſe reuelationem certam, & infallibilem, quę mutari nõ poſsit, manifeſte ſequitur, ꝙ huiuſmodi loquutio ſemper facit ſenſum cõpoſitũ. ¶ Quocirca Magiſter Victoria aliter reſpõdebat ad difficultatẽ dicens, ꝙ ille homo in tali caſu ſimpliciter & abſolute poteſt, & tenetur ſperare. Quam ſuã ſententiam probat aliquibus argumẽtis. Sentẽtia Victoria.

Ad. 1. arg. Primò ſic, Ille homo poteſt efficere, vt nunquã ſibi facta fuerit reuelatio de ſua dãnatione, ergo poteſt, & tenetur ſperare. Conſequentia eſt nota, & antecedens probatur, quia bene valet hæc conſequentia: Petrus non condemnabitur, ergo nõ fuit illi facta reuelatio à Deo de ſua condẽnatione: ſed Petrus poteſt facere, vt antecedens ſit verũ poteſt enim ſaluari, nec diuina reuelatio tollit, ab eo liberũ arbitriũ, quo poſsit adimplere diuina mãdata: ergo & conſequens: atq; ex conſequẽti poterit efficere, vt ſibi non facta fuerit reuelatio de ſua dãnatione. ¶ Secũdò, Si Petrus in caſu poſito nõ tenetur ſperare, ſequeretur quòd nec etiam teneretur ſeruare alia prę cepta, & ex conſequenti, quod ea violans non peccaret, cõſequens autem eſt abſurdũ, ergo, Probo ſequelam. Nam ſi nõ poteſt ſperaret vitam ęternam, nec etiam poteſt velle efficaciter illam conſequi, atq; ex cõſequenti, nec ponere media neceſſaria, ad illius conſequutionẽ, quorũ præcipuum eſt obſeruantia mandatorum. Ad. 2. arg.

Sententia autoris. ¶ His tamen non obſtantibus dico, cõtrariam ſententiã eſſe probabiliorem, ſcilicet, qđ in caſu poſito ille homo nõ poſſet nec teneretur ſperare. Ad cuiꝰ explicationem ſit prima cõcluſio. Ille homo, cui facta fuerit abſoluta, & interior reuelatio de ſua dãnatione, & idcirco habet hoc iudiciũ in mẽte impreſſum, ſcilicet, ego dãnabor, nõ põt ſperare. Probatur. Deeſt illi obiectum ſpei, ergo nõ poteſt ſperare. Probo antecedens. Obiectum ſpei eſt bonum arduum poſsibile, ſed ille non apprehẽdit beatitudinẽ, vt poſsibilem ſibi, certo enim iudicat ſe fore damnãdum, ergo non habet abiectum ſpei. Et confirmatur ex D. Tho. qui ſupra. q. 18. ar. 3. dicit, damnatos non poſſe habere ſpem, quia nõ apprehendũt beatitudinem, vt bonum ſibi poſsi- 1. Conclu.

poſsibile. Sed eadem eſt ratio de eo, cui fa-
cta fuerit reuelatio certa de ſua damnatio
ne, ergo. Secundo, ſpes eſt certa expecta-
tio futuræ beatitudinis, ſed ille homo nõ
poteſt habere certitudinem de ſua beatitu
dine, ſed potius de oppoſito, ergo nec illã
ſperare.

2. Conclu. ¶ Secũda concluſio. Ille homo in caſu
poſito non teneretur ſperare beatitudinẽ.
Probatur, non poteſt ſperare, ergo non te-
netur ſperare. Probo conſequẽtiam, quia
nemo obligatur ad impoſsibile.

Tertia concluſio. Homo, cui facta fue
3. Conclu. rit reuelatio de ſua damnatione non cogi
tur deſperare. Probatur, Stãte illa reuela-
tione, atq; iudicio poteſt pro ſua liberta-
te ſuſpendere omnẽ actum voluntatis cir-
ca beatitudinem, ergo non cogitur deſpe
rare. Fateor tamen, quòd cum non deſpe-
rare contemnẽdo diuinam bonitatem in
caſu poſito eſſet valde difficile, indigeret
ad id particulari Dei auxilio.

4. Conclu. ¶ Quarta cõcluſio. Homo, cui facta fue
rit reuelatio de ſua damnatione, ſecluſo
odio Dei, & contẽptu diuinæ miſericor-
diæ, poſſet licite habere hũc actũ volun-
tatis, ſcilicet, nolo beatitudinem, quia
Deus non vult mihi dare eam. Hæc con-
cluſio eſt contra aliquos Thomiſtas. Sed
probatur primo, Omnis actus voluntatis
conformis iudicio vero rationis eſt bon⁹
ſed illa nolitio eſſet actus volũtatis cõfor
mis huic iudicio vero rationis, ſcilicet,
ego dãnabor, quia Deus id vult, ergo eſt
bonus. Secũdo, Quanuis ego tenear velle
proximis meis beatitudinẽ tamẽ ſi mihi
reueletur in particulari, quod petrus, ver-
bi gratia condẽnabitur licet mihi nolle
beatitudinẽ illi, vt faciũt beati reſpectu il
lorũ, quos ſciunt eſſe præſcitos, ergo pari
ratione dicendũ erit in propoſito. Et con
firmatur ex D. Augu. li. 12. de ciuitate. c.
24. aſſerẽte, quod eccleſia certo cognoſ-
ceret qui nã ex viuẽtibus ſunt præſciti, nõ
magis oraret pro illis quã pro diabolo, er
go nec vellet illis beatitudinẽ magis quã
Diabolo, atq; ex conſequenti idem eſſet
licitũ facere cuicunq; ſuppoſita reuelatio
Obiectio. ne de ſua dãnatione. ¶ Et ſiquis obijciat,
Deſperatio eſt intrinſece mala, ſed illa no
litio beatitudinis eſt deſperatio, ergo, re-
ſpondetur dupliciter poſſe contingere, ꝙ
aliquis nolit ſibi beatitudinem. Vno mo
Solutio. do, quia cõtemnit Dei miſericordiã, qua
hominibus recte viuentibus beatitudinẽ,
& promiſit, & paratus eſt dare: & hoc mo-
do nolle ſibi beatitudinem eſt intrinſece
malũ, & oppoſitum virtuti ſupernaturali,
ſpei. Alio modo, non quia contẽnit diui-
nam miſericordiam, ſed quia credit Deũ
eſſe veraciſsimum, & ſcit illum ſibi reue-
laſſe, quod eſt damnandus: & hoc modo
nolle beatitudinem ſibi nec opponitur
ſpei virtuti Theologicę, nec eſt intrinſe-
ce malum: ſed poteſt licite fieri.

¶ Ad primũ argumentum pro opinio- Ad. 1. arg.
ne Victoriæ reſpõdetur primo, quicquid
ſit de antecedenti, negando cõſequentiã.
Et ratio eſt, quia licet poſsit facere Petr⁹
quod nunquã facta fuerit illi talis reuela-
tio, tamẽ certò & euidenter ſcit ſe nũquã
id factum, quia cognoſcit euidenter illud
eſſe a Deo ſibi reuelatum abſolutè. Et cũ
habeat hoc iudiciũ licet cognoſcat ſe op
poſitum poſſe facere, tamẽ de ſe bene ſpe-
rare non poterit, ſicut nec ægrotus poſſet
ſperare ſuam ſanitatem, etiã ſi ſciret eſſe
poſitum in ſua poteſtate, vt cõualeſceret,
ſi tamen certò, & euidenter ſciret ſe nun-
quam vſurum illa poteſtate. Vel ſecũdo
reſpõdetur negando antecedens. Et ad
probationẽ dico ꝙ ſuppoſita diuina reue
latione, qua reuelauit Petro ſe fore dam-
nandum, Petrus non poteſt facere, vt nõ
damnetur, ſed infallibiliter damnabitur.
Nec ex hoc licet inferre, ꝙ non habeat li
berum arbitrium, quia neceſsitas ſuppoſi
tionis nõ tollit liberalitatem arbitrij, ſed
tantũ neceſsitas ſimpliciter, vt late oſten-
dunt doctores in materia de libero arbi-
trio. ¶ Ad ſecundũ reſpondetur, conceſſo Ad. 2. arg.
antecedenti negando cõſequentiã. Nã li-
cet ſit verũ, ꝙ Petrus in tali caſu nõ tene-
tur ad obſeruantiã mandatorum, in quan
tum ſunt media ordinata ad ſalutem, tene
tur tamen illa ſeruare ad vitandam nouã
culpam, & maiorem pœnam.

ARTICVLVS. II.

*¶ Vtrum de timore fuerit dandum aliquod præ-
ceptum.*

AD SECVNDVM ſic procedi-
tur. Videtur quòd de timore
nõ fuerit dandũ aliquod præceptum
in lege: Timorẽ enim Dei eſt de his,
quæ ſunt pręambula ad legem, cum
ſit initium ſapiẽtię. Sed ea, quę ſunt
pręambula ad legem, non cadunt
ſub

ſub præceptis legis. Ergo de timore nõ eſt dandũ aliquod præceptũ legis.

2 ¶ Præterea, Poſita cauſa, ponitur effectus. Sed amor eſt cauſa timoris: omnis enim timor ex aliquo amore procedit, vt dicit Aug.* in li. 83. quæſt. Ergo ſuppoſito præcepto de amore, ſuperfluum fuiſſet præcipere timorẽ.

q. 33. habetur verbis æquipollentibus. to. 4.

3 ¶ Præterea, Timori aliquo modo opponitur præſumptio. Sed nulla prohibitio inuenitur in lege de præſumptione data: ergo videtur quod nec de timore aliquod præceptum dari debuerit.

¶SED CONTRA eſt, quòd dicitur Deut. 10. Et nunc Iſrael, quid Dominus Deus tuus petit à te, niſi vt timeas Dominum Deum tuum? Sed illud à nobis requirit, quod nobis præcipit obſeruandum. Ergo ſub præcepto cadit, quòd aliquis timeat Deum.

¶RESPONDEO dicendũ, quod duplex eſt timor, ſcilicet ſeruilis & filialis. Sicut autem aliquis inducitur ad obſeruantiam præceptorum legis per ſpem præmiorum, ita etiam inducitur ad legis obſeruantiam per timorem pœnarum, qui eſt timor ſeruilis. Et ſicut * patet ſecundum prædicta, in ipſa legiſlatione non fuit præceptum dandum de actu ſpei, ſed ad hoc fuerunt homines inducendi per promiſſa, ita nec de timore qui reſpicit pœnam fuit præceptum dandum per præcepti modum, ſed ad hoc fuerunt homines inducendi per comminationem pœnarum: quod fuit factum & in ipſis præceptis decalogi, & poſtmodum conſequenter in ſecũdarijs legis præceptis. Sed ſicut ſapientes & prophetæ conſequenter intendẽtes homines ſtabilire in obſeruantia legis, documenta tradiderunt de ſpe per modum admonitionis, vel præcepti, ita etiam de timore. Sed timor filialis, qui reuerentiam exhibet Deo, eſt quaſi quoddam genus ad dilectionem Dei, & principiũ quoddam omnium eorũ, quæ in Dei obſeruantur reuerentia. Et ideo de timore filiali dantur præcepta in lege, ſicut & de dilectione: quia vtrũque eſt præambulum ad exteriores actus, qui præcipiuntur in lege, ad quos pertinent præcepta decalogi. Et ideo in authoritate legis inducta requiritur ab homine timor, & vt ambulet in via Dei, colẽdo ipſum, & vt diligat ipſum.

Arti. præce.

¶AD PRIMVM ergo dicendum, quòd timor filialis eſt quoddam præambulum ad legem, non ſicut extrinſecum aliquid, ſed ſicut principium legis: ſicut etiam dilectio. Et ideo de vtroque dantur præcepta, quæ ſunt quaſi quædam principia communia totius legis.

¶ Ad ſecundum dicendum, quod ex amore ſequitur timor filialis, ſicut etiã & alia bona opera, quæ ex charitate fiunt. Et ideo ſicut poſt præceptũ charitatis dantur præcepta de alijs actibus virtutum: ita etiam ſimul dantur præcepta de timore & amore charitatis. Sicut etiam in ſcientijs demonſtratiuis non ſufficit ponere principia prima, niſi etiam ponantur concluſiones, quæ ex his ſequuntur vel proxime, vel remote.

¶ Ad tertium dicendum, quod inductio ad timorem ſufficit ad excludendam præſumptionem: ſicut etiam inductio ad ſpem ſufficit ad excludendam deſperationem, vt dictum * eſt.

Arti. præce. ad. 3.

SVMMA TEXTVS.

SVppoſito, quod timor eſt duplex, vnus ſeruilis, alter filialis, ponit D. Tho. quatuor concluſiones. ℭ Prima concluſio, Sicut à principio non fuit dandum præceptũ de ſpe, ita nec præceptum de timore. Probatur, quia ſicut ſpes præmij eſt præambulum ad legem ſuſcipiendam, ità etiam timor. ℭ Secunda concluſio, In prima legiſlatione non fuit datum præceptum de timore ſeruili per modum præcepti, ſed per modum cõminationis ſicut diximus de ſpe, quòd fuit datum præceptum per modum promiſsionis. Probatur: quia ſicut fuit conueniẽs, ꝙ illi, quibus lex imponebatur, in-

ducerentur ad obſeruãtiam mandatorum per ſpem præmij, ità etiam quod deterrerentur à trãſgreſsione timore pœnæ. ¶ Tertia concluſio, Poſt primam legiſlationem conueniens fuit, vt imponeretur hominibus præceptum de timore ſeruili per modum præcepti, ſicut de ſpe dictum eſt. ¶ Quarta concluſio. De timore filiali dari debuerunt præcepta in ipſa legiſlatione, ſicut de charitate. Probatur, Quia vtrumque eſt præambulum ad exteriores actus præceptos in lege. Vnde Deuteron. ca. 10. dicitur, Quid Dominus Deus tuus petit à te, niſi, vt timeas Dominum Deum tuum, & ambules in vijs eius, & diligas eum ac ſeruias Domino Deo tuo in toto corde, & cuſtodias mandata eius?

EXPLICATIO ARTICVLI.

CIrca iſtum articulum eſt aduertendũ, ꝙ timor filialis appellatur à D. Tho. quaſi genus ad dilectionem Dei, non quia abſolute ſit genus ad illam, ſed quia eſt ſuperior ad dilectionem Dei, & ad principiũ eorum, quæ in Dei reuerentia obſeruãtur. Complectitur enim timor filialis, & dilectionem Dei, vnde oritur reuerentia, & ſubiectionẽ ad Deum, vnde inchoatur obſeruantia eorum, quæ ad Dei reuerentiam pertinẽt: & propterea non genus, ſed quaſi genus fuit appellatum. Et hæc de tota materia de ſpe dicta ſufficiant.

QVAESTIO VIGESIMA tertia, De Charitate ſecundum ſe, in octo articulos diuiſa.

CONSEQVENTER conſiderandũ eſt de charitate. Et primo, de ipſa charitate: Secundo, de dono ſapientiæ ei correſpondente.

¶ Circa primum, conſideranda ſunt quinque.

Primo, de ipſa charitate: ſecundo de obiecto charitatis: tertio, de actibus eius: quarto, de vitijs oppoſitis: quinto, de præceptis ad hoc pertinentibus.

¶ Circa primum eſt duplex conſideratio. Prima, quidem de ipſa charitate ſecundum ſe: ſecunda de charitate per comparationem ad ſubiectum.

¶ Circa primum quærũtur octo.

¶ Primo, vtrum charitas ſit amicitia.
¶ Secundo, vtrum ſit aliquid creatum in anima.
¶ Tertio, vtrum ſit virtus.
¶ Quarto, vtrum ſit virtus ſpecialis.
¶ Quinto, vtrum ſit vna virtus.
¶ Sexto, vtrum ſit maxima virtutum.
¶ Septimo, vtrum ſine ea poſsit eſſe aliqua vera virtus.
¶ Octauo, vtrum ſit forma virtutum.

ARTICVLVS. I.

¶ *Vtrùm charitas ſit amicitia.*

AD PRIMVM ſic proceditur. Videtur ꝙ charitas non ſit amicitia. Nihil enim eſt ita proprium amicitiæ, ſicut conuiuere amico, vt dicit* Philoſophus in. 8. Ethic. Sed charitas eſt hominis ad Deum & ad angelos: quorum non eſt cum hominibus cõuerſatio, vt dicitur Dan. 2. ergo charitas non eſt amicitia.

2. diſ. 27. q. 2. arti. 1. & virt. q. ... ar. 5. ad. ... & q. 2. artic. 2. ad. 8.

Libr. 8. ca. 5. ante med. to mo. 5.

2 ¶ Prętere a, Amicitia nõ eſt ſine redamatione, vt dicitur in. 8. *Ethi. Sed charitas habetur etiam ad inimicos, ſecũdum illud Matth. 5. Diligite inimicos veſtros. Ergo charitas nõ eſt amicitia.

Lib. 8. Ethic. c. 3. tom. 5.

3 ¶ Præterea, Amicitiæ tres ſunt ſpecies ſecundum Philoſophũ in. 8. Ethicorũ, *ſcilicet amicitia delectabilis, vtilis, & honeſta. Sed charitas nõ eſt amicitia vtilis, aut delectabilis, dicit* enim Hierem. in epiſtola ad Paulinum, quę ponitur in principio Bibliæ, illa eſt vera neceſsitudo, & Chriſti glutino copulata, quam non vtilitas rei familiaris, non præſentia tantum corporum, non ſubdola & palpans adulatio: ſed

Lib. 8. Ethi. c. 3. tom. 5.

In princ. Biblie & habetur to. 4.

Dei

Dei timor & diuinarum Scripturarum ſtudia conciliant. Similiter etiam non eſt amicitia honeſti, quia charitate diligimus etiam peccatores. Amicitia verò honeſti non eſt niſi ad virtuoſos, vt dicitur in. 8. Eth. ergo charitas non eſt amicitia.

Lib. 8. Ethi. cap. 3. à med. tom. 4.

¶SED CONTRA eſt, quòd Io. 15. dicitur, Iam nō dicam vos ſeruos, ſed amicos meos. Sed hoc non dicebatur eis niſi ratione charitatis. Ergo charitas eſt amicitia.

Lib. 8. c. 2. 3. & 11. to. 5.

¶RESPONDEO dicendū, quod ſecundum Philoſophum in. 8. Eth. Non quilibet amor habet rationem amicitiæ, ſed amor, qui eſt cum beneuolentia, quando ſcilicet ſic amamus aliquem, vt ei bonum velimus. Si autem rebus amatis non bonū velimus, ſed ipſum earum bonum nobis velimus, ſicut dicimur amare vinum, aut equum, aut aliquid huiuſmodi, non eſt amor amicitiæ, ſed cuiuſdam concupiſcentiæ. Ridiculum enim eſt dicere, quòd aliquis habet amicitiam ad vinum vel ad equum. Sed nec beneuolentia ſufficit ad rationem amicitiæ: ſed requiritur quædam mutua amatio quia amicus eſt amico amicus. Talis autem mutua beneuolentia fundatur ſuper aliquam cōmunicationē. Cum ergo ſit aliqua communicatio hominis ad Deum, ſecundum quod nobis ſuam beatitudinem communicat, ſuper hanc communicationem oportet aliquam amicitiam fundari. De qua quidem communicatione dicitur. 1. ad Cor. 1. Fidelis Deus per quem vocati eſtis in ſocietatem filij eius. Amor autem ſuper hanc cōmunicationem fundatus, eſt charitas. Vnde manifeſtum eſt, quòd charitas amicitia quædam eſt hominis ad Deum.

¶AD PRIMVM ergo dicendum, ꝙ duplex eſt hominis vita. Vna quidē exterior ſecundum naturam ſenſibilē & corporalem, & ſecundum hanc vitam non eſt nobis cōmunicatio vel cōuerſatio cum Deo & angelis. Alia autem eſt vita hominis ſpiritualis ſecundum mentem: & ſecundum hanc vitam eſt nobis conuerſatio & cum Deo & angelis. In præſenti quidem ſtatu imperfectè. Vnde dicitur Phi. 3. Noſtra conuerſatio in cælis eſt. Sed iſta conuerſatio perficietur in patria, quando ſerui eius ſeruient Deo, & videbūt faciem eius: vt dicitur Apoca. vlt. Et ideo hic eſt charitas imperfecta, ſed perficietur in patria.

¶Ad ſecundum dicendum, quòd amicitia ſe extendit ad aliquem dupliciter. Vno modo reſpectu ſuiipſius: & ſic amicitia nūquam eſt niſi ad amicū. Alio modo ſe extendit ad aliquem reſpectu alterius perſonæ: ſicut ſi aliquis habet amicitiam ad aliquem hominē, ratione cuius diligit omnes ad illū hominē ptinētes, ſiue filios, ſiue ſeruos, ſiue qualitercūq; ei attinentes, & tanta poteſt eſſe dilectio amici, quòd propter amicum amētur ij, qui ad ipſum pertinent, etiam ſi nos offendant vel odiant. Et hoc modo amicitia charitatis ſe extendit etiam ad inimicos quos diligimus ex charitate in ordine ad Deum: ad quem principaliter habetur amicitia charitatis.

¶Ad tertium dicendum, quòd amicitia honeſti non habetur niſi ad virtuoſum, ſicut ad principalem perſonam. Sed eius intuitu diliguntur ad Deum attinentes, etiam ſi non ſint virtuoſi. Et hoc modo charitas, quæ maxime eſt amicitia honeſti, ſe extendit ad peccatores, quos ex charitate diligimus propter Deum.

SVMMA TEXTVS.

CONCLVSIO eſt, Charitas eſt quædam amicitia hominis ad Deum. Probatur. Amicitia eſt beneuolētia inter duos fundata in communicatione aliquorum bonorum, ſed talis eſt amor, qui exiſtit inter Deum, & homines, ergo eſt amicitia. Con-

ſequentia eſt nota,& maior patet ex Ariſt. 8.Ethic.cap.3.dicente, quod non quicunq; amor eſt amicitia, ſed ille tantum, qui eſt cum mutua beneuolentia fundata ſupra aliquam communicationem: amicus enim amico eſt amicus. Minor verò probatur, quia inter Deum & homines eſt mutua beneuolentia fundata in communicatione beatitudinis.

EXPLICATIO ARTICULI.

1. Notabile. DE hac materia diſputant Doctores in 3.à diſt.27.vſq; ad.32.incluſiuè.Ad cuius explicationem vt à nomine ipſo exordiamur, aduertendum eſt primo, quòd de origine huius vocis,charitas, & de eius legitima orthographia multa diſputant grammatici, quibuſdam dicentibus vocem eſſe Græcam, & quòd debet ſcribi cum,h,alijs verò quod eſt nomen Latinum,& quòd debet ſcribi ſine aſpiratione. Cæterum quia vſus probatiſsimorum hominũ eſt, quod cum,h,ſcribatur,quando accipitur pro dilectione, idcircò omiſsis alijs varijs deductionibus tanquam impertinentibus,& de quibus diſputare indignũ videtur viro Theologo, illam in præſenti cũ aſpiratione ſcribemus, certi de vocis ſignificatione,de deductione autem,dubij & ambigui.

2. Notabile. ¶Secundo eſt aduertendum, quòd hoc nomen charitas variè accipitur in ſacris literis.Nam primò accipitur pro amore mutuo, quo ſe homines naturaliter proſequũtur,hoc eſt,pro humana amicitia, & familiaritate, vt patet ex illo.2. Machab. cap. 14.Alcimus videns charitatem illorum, ſcilicet,Nicanoris,& Iudæ Machabæi, &c.Secundo accipitur pro amore quocũq; etiam turpi, vt patet ex illo Iudith. cap.9 Percuties ex labijs charitatis meæ, hoc eſt, ex labijs indicantibus blandum amorem. Tertio,accipitur pro conuiuio pauperibus exhibito. Vnde in epiſtola Iudę,vbi nos legibus, hi ſunt in epulis ſuis, &c. Græcus codex habet, in charitatibus ſuis.Sic exponit OEcumenius illum locũ, & dicit has epulas eſſe illa conuiuia,de quibus Paulus agit primæ ad Corint. cap.11. quòd & adnotauit Eraſmus ſuper illum locum, & ſuper epiſtolam Iudę, adducitque Tertullianum in Apolog.cap.39. dicẽtem, cœnam noſtrã vocari, Agapi, hoc eſt charitatem,à Græcis, eo quòd eſt effectus charitatis. In qua etiã ſignificatione ruſtici conuiuia in memoria defunctorum exhibita charitates appellare conſueuerunt. Quarto,accipitur charitas pro amore ſupernaturali,& diuino,quo homines Deum proſequuntur. In qua ſignificatione dixit Paulus.1.ad Corinth.13. Maior autem horum eſt charitas. Et de charitate iſto quarto modo accepta omnibus alijs acceptionibus prætermiſsis agit D.Tho.in præſenti,& dicit,quod eſt amicitia.

¶Circa quod eſt difficultas, vtrum verũ ſit,quod charitas propriè loquendo, ſit amicitia.Et pro parte negatiua argumentor in hunc modum. Amicitia propriè dicta eſt inter æquales, vt docet Ariſto. lib.8.Ethic. cap.7. & lib.9. cap. 8. Et hinc eſt illud,Nec in vna ſede morantur Maieſtas & amor, & quod dicitur Eccleſiaſt.cap.3.Pondus ſuper ſe tollit, qui honeſtiori ſe cõmunicat. Vnde D. Hieronymus ſuper.7.cap.Michçæ, affirmat ex Theophraſtro, & Cicerone, quod amicitia pares facit aut accipit.Sed inter Deum, & homines non eſt æqualitas, ſed ſumma inçqualitas: ergo nec amicitia ꝓpriè dicta. ¶Et cõfirmatur ex Ariſt.qui. 8.Ethi.cap.11.dicit,quòd ad ſeruũ in quantum ſeruum non eſt amicitia. Certum eſt autem, quòd homo per comparationem ad Deum eſt ſeruus, iuxta illud Lucæ. 17. Cum feceritis hæc omnia dicite, ſerui inutiles ſumus.Et rurſus idem Ariſto.lib.2. magnorum Moralium cap.11.affirmat, quòd nec cum Dijs, nec cum rebus inanimatis, cum quibus conuiuere non poſſumus, poſſumus habere amicitiã. ¶Secundò, Amicitia eſt amor non latens, vt docet Ariſtot. 9. Ethic.cap.5. ſed vtrũ habeamus amorem erga Deum, & vtrum ipſe diligat nos eſt nos latens, vt conſtat ex Eccleſiaſt.9.vbi dicitur, Nemo ſcit vtrum odio vel amore dignus ſit, ergo inter Deum,& homines non eſt propriè amicitia. ¶Tertiò, Amicitia eſt amor,quo volumus bonum amico,propter ſeipſum, ſed Deus non vult nobis bonum propter nos ipſos, ſed propter ſe, iuxta illud Prouerbio: 16. Omnia propter ſemetipſum operatus eſt altiſsimus, & ad Roma. 9. Vt oſtenderet diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparauit in gloriã: ergo quamuis nos amemus Deum propter ſe ipſum, adhuc inter illum, & nos non erit amicitia propriè dicta. ¶Quartò, Amicitia eſt ad paucos, vt docet Ariſtot.9.Ethi.cap. 10.Vbi dicit, quod quamuis erga multos poſsimus eſſe beneuoli, & placidi, amici tamen non poſſumus eſſe, niſi paucis. Cui etiam

Dubium. *1. Argum.* *Cõfirmatio.* *2. Argum.* *3. Argum.* *4. Argum.*

etiam conſonat illud Eccleſiaſt.6. Multi pacifici ſint tibi, conſiliarius autem vnus de mille, ſed amor Dei eſt erga multos, & ſimiliter charitas in nobis exiſtens eſt ad omnes homines, ergo charitas proprie loquendo non eſt amicitia.

Nota pro explicatiōe difficultatis. ¶ Pro explicatione difficultatis aduertendum eſt, quod, vt conſtat ex Ariſto.8. Ethico.cap.2. amici ſunt illi, qui habent mutuam beneuolentiam, & non ſunt latentes, & hoc vel propter bonum honeſtum, vel vtile, vel delectabile. Ex quo teſtimonio colligunt doctores ad perfectam amicitiam quatuor conditiones eſſe neceſſarias. Prima eſt, quod ſit amor cum quadam beneuolentia, hoc eſt, quòd velimus amico bonum, & amemus illum propter ſe: defectu cuius amor concupiſcentiæ non dicitur amicitia. Et ratio eſt, quia per amorem concupiſcentiæ volumus nobis id, quod amamus. Ex quo fit, vt Ariſtot. loco citato dicat, quod nec rerum materialium, nec irrationalium poſſumus eſſe amici. Secunda conditio eſt, quod iſte amor ſit mutuus. Vnde quamuis ego ardentiſsimè diligam aliquem, ſi tamen ille non mutuò amat me, talis amor non dicitur amicitia, eſt enim amicitia terminus connotatiuus, qui ſupponit pro amore exiſtente in aliquo & connotat redamationem in alio extremo. Tertia conditio eſt, quòd iſte amor non lateat, quam explicat Ariſto.8. Ethico. cap.5.9.&.10. Vnde quantumcunque aliqui ſint viri ſanctiſsimi, ſi tamen inter ſeſe non colloquuntur, non poterunt dici amici. Et propterea tranſijt in prouerbium, vt dicit Ariſto. loco citato, quòd, ſilentium diſſoluit amicitias, & è contrario tempore & conſuetudine augentur, & ſtabiliuntur. Quarta conditio, quòd iſte amor mutuus ſit propter aliquod bonum, vel honeſtum, vel vtile, vel delectabile. Sed eſt aduertendum eſſe latiſsimum diſcrimen inter iſta bona. Nam bona vtilia, vel delectabilia non ſunt perpetua, nec ſtabilia, ex quo fit, vt amicitiæ, quæ ſupra illa fundantur, nec ſint perfectæ nec perſeuerent: ſublato enim fundamento neceſſe eſt, vt amicitia auferatur, at verò bonum honeſtum eſt perpetuum, atque perfectum, virtus enim ſemper viget, & perſeuerat, & ſic amicitia quæ fundatur ſupra illud eſt perpetua, atque firma.

Concluſio. ¶ Hoc ſuppoſito ſit concluſio, Charitas propriè atque perfectè habet rationem amicitiæ. Et quidem, quòd charitas ſit amicitia poteſt probari pluribus teſtimonijs ſacræ ſcripturæ, in quibus iuſti atque ſancti amici Dei dicuntur. Iudicum cap.8. dicitur de Abraham, quod tentatus, & per multas tribulationes probatus amicus Dei inuentus eſt. Et Sapientiæ.7. inter alias proprietates diuinæ Sapientiæ hæc vna connumeratur, quòd conſtituit amicos Dei. & Ioan.15. Vos amici mei eſtis, &c. Sed quod charitas habeat propriè atque perfectè rationem amicitiæ, id probo. Primo ex regula D. Auguſtini ab omnibus catholicis recepta, *Regula D. Auguſtini.* quæ dicit, quod quotieſcunq; verba ſacræ ſcripturæ poſſunt ſine abſurditate intelligi in ſenſu proprio, non ſunt detorquenda ad tropos & metaphoras: ſed nulla abſurditas ſequitur ex eo, quòd ponatur vera, & propria amicitia inter Deum, & homines, ergo dicendum eſt, quòd charitas propriè atque perfectè eſt amicitia. Et probatur minor: nam in propria & formali ratione amicitiæ non importatur aliqua imperfectio, propter quam Deo repugnet. Secundo, Charitati, quæ eſt inter Deum & hominem conueniunt omnes conditiones neceſſariò requiſitæ ad veram, & perfectam amicitiam, ergo verè atq; perfectè eſt amicitia. Conſequentia eſt nota, & antecedens probatur diſcurrendo per omnes conditiōnes ab Ariſtot. aſsignatas ad veram amicitiam. Quarum prima eſt, quòd ſit amor cum quadam beneuolentia, hoc eſt, quod velimus amico bonum. Duplicia autem ſunt bona, quæ per charitatem volumus Deo, in quibus & reliqua continentur. Prima ſunt illa, quæ ſunt intra ipſum Deum, vt quod ſit ſapiens, iuſtus, &c. & de his per charitatem gratulamur, & lætamur, quod ſint in ipſo. Alia bona ſunt extra ipſum, vt quòd ab omnibus cognoſcatur, adoretur, & colatur: & hæc etiam volumus Deo per charitatem: vnde quotidie clamamus, Sanctificetur nomen tuum, fiat voluntas tua. Et magnopere torquentur Sancti dum vident alios diuina præcepta tranſgredientes, vt conſtat ex illo pſalm.118. Vidi præuaricantes, & tabeſcebam, quia eloquia tua non cuſtodierunt. Et Hieremi.9. Quis dabit me in ſolitudine diuerſorium viatorum, & derelinquam populum meum, & recedam ab eis, quia omnes adulteri ſunt & cætus præuaricatorum. Et.3. Regum.19. Zelo zelatus ſum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum

filij Iſrael. Cum ergo hæc duo genera bonorum velimus Deo per charitatem, manifeſtè ſequitur, quòd charitas eſt amor cum quadam beneuolentia, quæ eſt prima conditio requiſita ad veram & perfectam amicitiam. Secunda conditio eſt, quod iſte amor ſit mutuus, & quod hæc etiam inueniatur in charitate. Probatur manifeſtè ex illo prouer. 8. Ego diligentes me diligo. Et, vt magis intelligeremus vim amoris, quem Deus habet erga illos, qui ſe diligunt, eum exprimit in ſacris literis per nomina illarum rerum, ex quibus inter homines maiores amicitiæ oriri ſolent. Nimirum nomine conuiuarum Lucæ. 22. dum dicit, Ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi pater meus regnum, vt edatis & bibatis ſuper mēſam meam in regno meo. Et nomine conciuium, & domeſticorum ad Epheſ. 2. Iam non eſtis hoſpites, & aduenæ, ſed eſtis ciues ſanctorum & domeſtici Dei, &c. Et nomine ſponſi, ac ſponſæ, Apocalypſ. 12. Et nomine patris atque filij Ioan. 1. dicens, Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. Tertia conditio amicitiæ eſt, quòd ſit amor non latens, & quod hæc ſimiliter conueniat charitati, probatur. Nam primo ex parte Dei omnia ſunt nuda, & aperta oculis eius, vt dicit Apoſtolus ad Hebræ. 4. & ex parte noſtra quāuis non poſsimus certo cognoſcere quod ſumus in charitate, poſſumus tamen illud nobis probabilibus coniecturis perſuadere, ipſe enim Spiritus ſanctus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quòd ſumus filij Dei ad Roma. 8. De quarta autem conditione, ſcilicet, quòd amor ſit propter aliquod bonum, nihil eſt dicendum. Nam certum eſt quod charitas fundatur ſupra bono honeſtiſsimo: & ſic conueniunt illi propriſsimè omnes conditiones neceſſario requiſitæ ad veram, & perfectam amicitiam. Præterea inter Deum, & homines ſeruantur omnes leges veræ amicitiæ. Quarum prima eſt, ꝙ vtriuſque ſit idem velle & nolle. Secunda, quòd amicorum omnia ſint communia. Tertia, quòd amicus ità transferat per amorem cor ſuum in amicum, vt habeat illum tanquam alterum ſe, iuxta vetus prouerbium, Amicus alter ego dimidium animę meæ, vna anima in duobus corporibus, vt affirmat D. Auguſtinus lib. 7. Confeſ. cap. 6. ergo inter Deum & homines eſt verè & propriè amicitia. Conſequentia eſt nota & antecedens probatur. Et primo, quòd inter Deum, & iuſtos ſit maxima conſonantia voluntatum ex Eſai. c. 62. vbi de Eccleſia, atque ſanctis dicit, Non vocaberis vltra derelicta, & terra tua non vocabitur amplius deſolata, ſed vocaberis voluntas mea in ea, &c. Ex quo fit, vt omnes quotidie orēt: Fiat voluntas tua. Sunt etiam inter Deum, & homines omnia communia. Nam ſancti omnia ſua tribuunt Deo, & Deus communicat illis nō ſolùm bona gratiæ, ſed etiam ſe ipſum: & denique ita in illos transfert cor ſuum, vt habeat eos tanquam alterum ſe. Prouerb. cap. 8. dicebat Sapientia diuina, Deliciæ meæ eſſe cum filijs hominum. & Geneſ. 18. Nunquid celare potero Abraham quæ geſturus ſum. & Ioan. 15. Iam nō dicam vos ſeruos, ſed amicos: quia omnia quę audiui à patre nota feci vobis. Quę omnia teſtimonia apertè demonſtrant ſummā familiaritatem, quæ inter Deum, & iuſtos reperitur.

¶ Ad primum argumentum vt reſpondeamus eſt aduertendum ex Ariſto. 8. Ethico. cap. 11. quòd eſt quædam ſpecies amicitiæ conſiſtens in excellentia, qualis eſt illa, quæ inuenitur inter patrem & filium, virum & vxorem, principem & ſubditum: de cuius ratione non eſt æqualitas ſimpliciter, ſed æqualitas proportionis, quæ inuenitur quando pater præſtat filio, quæ patris ſunt, & filius patri quæ ſunt filij habita comparatione rationum vtriuſque & ſic de alijs. Cum ergo amicitia, quæ eſt inter Deum & homines, non ſit ex communibus amicitijs, ſed ex illis, quæ in excellentia conſiſtunt, fit, vt ad illius rationem non ſit neceſſaria æqualitas ſimpliciter: ſed erit ſatis æqualitas proportionis, hoc eſt, quod Deus conferat hominibus bona ſua, & homines exhibeant Deo quantum poſſunt honorem, reuerentiam, & ſubiectionem. Et ob hanc cauſam D. Tho. in concluſione non dixit abſolutè, quòd charitas eſt amicitia hominis ad Deum, ſed quòd eſt quædam amicitia, hoc eſt, amicitia non vulgaris, & communis, ſed eximia, & excellens. Quæ, vt Caietanus in hoc articulo dicit, conuenientiſsime explicatur nominibus patris & filij: tum quia his vocibus ſignificatur conſortium naturæ, & inæqualitas ſimpliciter: tum etiam, quia exprimitur æqualitas proportionis inuenta in illa amicitia, quæ conſiſtit in excellentia. Vnde D. Ioannes volens eam nobis commendare prima ſua canonica cap. 3. dicit, Ad. 1. arg.

Videte

Videte qualem charitatem dederit nobis Deus, vt filij Dei nominemur & ſimus: & D. Petrus prima ſua cano. cap. 2. Magna & pretioſa nobis promiſſa donauit vt per hæc efficiamur diuinæ conſortes naturæ. ¶ Ad primam confirmationẽ reſpondetur, quod Ariſt. eo loco loquitur de amicitia communi, & non de illa, quæ conſiſtit in excellentia. Ad ſecundam confirmationem dico, ꝙ cùm Ariſto. non cognouerit vocationẽ noſtram in conſortium diuinæ naturæ, & in vitam ſpiritualem, cuius principiũ eſt charitas, per quam cõuerſatio noſtra quandiu peregrinamur à Domino eſt in cælis imperfectè, & quando videbimus eum ſicuti eſt, erit perfectè: non eſt mirum quòd negaret nos poſſe habere amicitiam cum Dijs.

Ad confirmationem.

Ad. 2. arg. ¶ Ad ſecundum argumentum reſpõdetur, quòd iuſti probabilibus coniecturis cognoſcere poſſunt ſe eſſe Dei amicos, & ꝙ amantur à Deo, quod ſatis eſt ad hoc, vt amicitia ſit non latens. Et ſi hoc non ſufficeret nec etiam inter homines poſſet eſſe vera amicitia, cum nullus cognoſcat euidenter vtrum diligatur ab amico, ſed id habet ex cõiecturis.

Ad. 3. arg. ¶ Ad tertium reſpondetur, quod, vt autor eſt Ariſt. loco citato, in amicitijs, quę cõſiſtunt in excellentia, non ſunt paria ex vtraque parte poſcenda. Nam pater, verbi gratia, poteſt exigere obedientiã à filio, & filius non poteſt exigere obedientiam à patre: bene tamen quod in ſe exerceat ea, quę patris ſunt. Cum ergo amicitia, quę eſt inter Deum, & homines conſiſtat in excellentia, non erunt ex vtraque parte paria poſcenda: ſed Deus poterit poſtulare à nobis, vt diligamus ipſum propter ſe, & nos non poſſumus petere ab eo, vt diligat nos ꝓpter nos, ſed propter ſe. Et ratio eſt, quia cum amor amicitiæ ſit ordinatiſſimus, & ordo poſtulet, vt ſolus vltimus finis ametur propter ſe, & reliqua propter ipſum, fit, vt nos debeamus amare Deum propter ſe, ipſe autem nos, non propter nos, ſed propter ſe, tã quam propter vltimum finem. Et ſicut eſſet amor inordinatus ille, quo nos amaremus Deum propter nos, ità etiam eſſet amor inordinatus ille, quo Deus amaret nos non propter ſe. Ex quo fit, vt quanuis Deus velit nobis bona tanquam amicis & amet nos amore amicitiæ, illa tamẽ bona ordinat in ſe ipſum tanquam in vltimum finẽ.

Ad. 4. arg. ¶ Ad quartum reſpondetur primo, quod ſi naturam ſolam ſequamur verum eſt, quod amicitia non poteſt eſſe, niſi ad paucos, vt latè docet Plato in lib. de amicitia multorum. Natura enim, quæ fragilis eſt, nec multis placere, nec multos diligere poteſt. Cæterum id, quod per naturam eſt impoſſibile, per gratiam Dei fit poſſibile. Et ſic charitas, quæ eſt quædam amicitia diuina, plures reſpicit: imo tanto eſt ardentior quanto ad plures ſe diffundit, iuxta illud Paul. 1. ad Corin. 9. Omnibus omnia factus ſum: quo verbo ſuæ charitatis excellentiam expreſſit. Vel ſecundo reſpondetur quòd quemadmodum in amicitia humana vnus eſt amicus, qui propter ſe diligitur, & propter ipſum diliguntur multa ad ipſum pertinentia, ſic etiam charitas Deum diligit propter ſe, & reliqua ad eum pertinentia diligit propter ipſum Deum.

Argum. ¶ Contra id, quod dicit D. Tho. in hoc articulo, ſcilicet, quòd charitas fundatur ſupra communicationem beatitudinis, eſt argumentum. Nam ſi hoc eſſet verum ſequeretur quòd charitas non eſſet amor amicitiæ, ſed concupiſcentiæ, conſequens autem eſt abſurdum ergo. Probo ſequelam: nam ſi charitas fundatur ſupra communicationẽ beatitudinis, ergo charitate non diligimus Deum, niſi quia eſt nobis communicaturus beatitudinem: quod pertinet ad amorem concupiſcentiæ.

Nota primò pro ſolutione. ¶ Ad hoc argumentum vt reſpõdeamus eſt aduertendum primo, quòd omnis amicitia fundatur ſupra communicationem alicuius boni. Verbi gratia, amor ciuium fundatur ſupra communicationem eiuſdem ciuitatis, & amicitia conſanguineorum ſupra communicationem in eadem ſtirpe, & ſic de alijs, vt eſt videre apud Ariſt. 8. Ethico. cap. 9.

Nota. 2. ¶ Secundo eſt aduertendum, quòd bona nobis communia cum Deo ſunt in duplici differentia. Quædam enim ſunt naturalia vt eſſe, viuere, intelligere, &c. & amor, qui ſupra horum bonorum communicationẽ fundatur, appellatur naturalis, ſicut & ipſa bona. Alia bona ſunt ſupernaturalia, vt beatitudo, & gratia, quæ eſt pignus beatitudinis in hac vita, & amor, qui ſupra horum bonorum cõmunicationem fundatur, eſt ſupernaturalis, appellaturq; charitas. Ex quo ſequitur, hoc eſſe diſcriminis inter amorem naturalem, & charitatem, ꝙ amor naturalis fundatur ſupra communicationẽ bonorum naturalium, charitas verò ſupra communicationem bonorum ſupernaturalium.

Nota.3. ¶Tertio eſt aduertendum, quòd iſta duo, ſcilicet, eſſe fundamentum amicitiæ, & eſſe finem propter quem res amantur, ſunt inter ſeſe valde diſtincta. Quod ità eſſe conſtat, nam cõmunicatio ciuitatis, ac ſtirpis, eſt fundamentum amicitiæ conciuium & conſanguineorum, & tamen nec communicatio ciuitatis, nec communicatio ſtirpis eſt finis, propter quem, aut conciues, aut conſanguinei amantur, ſed ſinguli amantur propter ſe ipſos. *Ad argum.* ¶His ſuppoſitis ad argumentum facile reſpondemus, negando ſequelam. Et ad probationem dico, quòd, quamuis amor charitatis fundatur ſupra communicationem beatitudinis, non tamen diligit Deum propter ipſam beatitudinem, tanquam propter finem, ſed diligit eum propter ſeipſum; ſicut & conſanguineus diligit conſanguineum propter ſe ipſum, & non propter communicationem in ſtirpe tanquam propter finem: quamuis communicatio in ſtirpe ſit fundamentum, ſupra quod fundatur amicitia conſanguineorum. Solent etiam adducere nonnulli ad probandum, quòd charitas eſt amor cõcupiſcentiæ, & non amicitiæ, illud pſalm. 118. Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas in æternum propter retributionem: & quod dicit Paulus de Moyſe. Reſpiciebat in remunerationem. Sed hæc teſtimonia nihil obſtant. Nam, quamuis ſancti minùs principaliter operentur propter præmium, quod ſperabant, ſcilicet, beatitudinem, præcipuè tamen operantur propter gloriam Dei, quem tanquam finem diligunt. Vnde quamuis non eſſent illud præmium accepturi, adhuc tamen operarentur, vt dicitur in Concil. Trident. ſeſsio.6.cap.11.

Circa ſolutionem ad. 2. nota. ¶Circa ſolutionem ad ſecundum eſt aduertendum, quòd vt ex illa conſtat, charitas propriè loquendo non eſt amicitia ad homines, ſed ad Deum, diliguntur tamen homines propter Deum per charitatem, ſicut & ſerui & filij alicuius diliguntur ab amico per eandem amicitiam, qua ipſum diligit. Et propterea Origenes in præfatione ſuper Cantica dicit, quòd quemadmodum hoc nomen, Deus, dicitur propriè de Deo, & abuſiue de Angelis, & hominibus excellentibus, falſo autem de Dijs Gentium: ità etiam hoc nomen charitas propriè dicitur de amore Dei, abuſiue de amore hominum, falſò autem de amore diuitiarum.

ARTICVLVS. II.

¶ *Vtrum charitas ſit aliquid creatum in anima.*

AD SECVNDVM ſic proceditur. Videtur quòd charitas non ſit aliquid creatum in anima. Dicit enim Auguſt. in. 8. de Trinitate. Qui proximum diligit, conſequens eſt, vt ipſam dilectionem diligat. Deus autem dilectio eſt: conſequens eſt ergo vt præcipue Deum diligat. Et in decimo quinto. de Trinita. dicit. Ita dictum eſt, Deus charitas eſt: ſicut dictum eſt, Deus ſpiritus eſt. Ergo charitas non eſt aliquid creatũ in anima, ſed eſt ipſe Deus. *1.d.17.q.1. ar.1. & ar. 4.q.4.co. Et.3.d.27. q.2.ar.4.q. 4.co. Et Ver. q.1.art.11. cor.2.& q. 2.ar.1.co.12 Lib.8.c.8.à med.to.3. Li.15.c.17. paulo à pri. tomo.3.*

2 ¶Præterea, Deus eſt ſpiritualiter vita animæ, ſicut anima vita corporis, ſecundũ illud Deu. 30. Ipſe eſt vita tua. Sed anima viuificat corpus per ſe ipſam. ergo Deus viuificat animã per ſe ipſum. Viuificat autẽ eam per charitatem ſecundum illud. primo. Iohan. 3. Nos ſcimus quoniam tranſlati ſumus de morte ad vitam: quoniam diligimus fratres. Ergo Deus eſt ipſa charitas.

3 ¶Præterea, Nihil creatum eſt infinitæ virtutis, ſed magis omnis creatura eſt vanitas. Charitas autem non eſt vanitas, ſed magis vanitati repugnat, & eſt infinitæ virtutis, quia animam hominis ad bonum infinitum perducit. Ergo charitas non eſt aliquid creatum in anima. *Lib.3.c.10. in me.to.3.*

¶SED CONTRA eſt quod Aug. dicit in tertio de doctrina Chriſtiana. Charitatem voco motũ animi ad fruẽdum Deo propter ipſum. Sed motus animi eſt aliquid creatum in anima. Ergo & charitas eſt aliquid creatum in anima. *Lib.1.ſent. d.17.*

¶RESPONDEO dicẽdum, quod Magiſter perſcrutatur hanc quæſtionem in. 17. diſ. primi lib. ſent. & ponit, quòd charitas non eſt aliquid creatum in

in anima, ſed eſt ipſe Spiritus ſanctus
mentem inhabitans. Nec eſt ſua inten
tio, quòd iſte motus dilectionis, quo
Deũ diligimus, ſit ipſe Spiritusſanctus.
Sed quòd iſte motus dilectionis eſt à
Spirituſancto, non mediante aliquo
habitu, ſicut à Spirituſancto ſunt alij
actus virtuoſi mediantibus habitibus
aliarum virtutum, puta fidei, aut ſpei,
aut alicuius alterius virtutis: Et hoc dĩ
cebat propter excellẽtiam charitatis.
Sed ſi quis rectè conſideret, hoc ma-
gis redundat in charitatis detrimen-
tum. Non enim motus charitatis ita
procedit à Spirituſancto mouente hu
manam mẽtem, quod humana mens
ſit mota tantũ & nullo modo ſit prin-
cipium huius motus, ſicut cũ aliquod
corpus mouetur ab aliquo exteriori
mouente. Hoc enim eſt contra ratio-
nẽ volũtarij, cuius oportet principiũ
1.2.q.6.a.1 in ipſo eſſe, ſicut ſupra dictũ eſt. Vn-
de ſequeretur ꝙ diligere non eſſet vo
luntarium, quòd implicat contradi-
ctionem: cum amor de ſui ratione im
portet quòd ſit actus voluntatis. Simi
liter etiam nõ poteſt dici, quòd ſic mo
ueat Spiritusſanctus voluntatem ad
actum diligendi, ſicut mouetur inſtru
mentũ, quod etſi ſit principium actus,
non tamen eſt in ipſo agere, vel non
agere. Sic enim tolleretur ratio volun
tarij, & excluderetur ratio meriti: cũ
1.2. q.114. tamen ſupra habitum ſit, quòd dile-
ctio charitatis eſt radix merendi. Sed
oportet quòd ſic voluntas moueatur
[illegible] à Spirituſancto ad diligendum, quòd
etiam ipſa ſit efficiens hunc actum.
Nullus autem actus perfectè produci
tur ab aliqua potentia actiua, niſi ſit ei
connaturalis per aliquam formam,
quæ ſit principium actionis. Vnde
Deus, qui omnia mouet ad debitos fi-
nes ſingulis rebus indidit formas, per
quas inclinantur ad fines ſibi præſtitu-
tos à Deo, & ſecundum hoc diſponit
omnia ſuauiter, Vt dicitur Sap. 8. Ma-
nifeſtum eſt autẽ, quòd actus charita-
tis excedit naturam potentiæ volunta
tis. Niſi ergo aliqua forma ſuperad-
deretur naturali potentiæ, per quam
inclinaretur ad dilectionis actũ: eſſet
actus iſte imperfectior actibus natura
libus, & actibus aliarum virtutum, nec
eſſet facilis & delectabilis. Quod pa-
tet eſſe falſum: quia nulla virtus habet
tantam inclinationẽ ad ſuum actum ſi
cut charitas, nec aliqua ita delectabili-
ter operat. Vnde maximè neceſſe eſt,
quòd ad actum charitatis in nobis exi-
ſtat aliqua habitualis forma ſuperad-
dita potẽtiæ naturali, inclinans ipſam
ad charitatis actum, & faciens eam
prompte & delectabiliter operari.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum,
quòd ipſa eſſentia diuina charitas eſt,
ſicut & ſapientia eſt, & bonitas eſt. Vn
de ſicut dicimur boni bonitate, quæ
eſt Deus, & ſapientes ſapientia, quæ eſt
Deus (quia bonitas qua formaliter bo-
ni ſumus eſt participatio quædam di-
uinæ bonitatis & ſapientia qua forma
liter ſapientes ſumus, eſt participatio
quædã diuinæ ſapientiæ) ita etiã chari
tas, qua formaliter diligimus proxi-
mum, eſt quædam participatio diui-
næ charitatis. Hic enim modus lo-
quendi cõſuetus eſt apud Platonicos,
quorum doctrinis imbutus fuit Aug.
Quod quidã nõ aduertẽtes, ex verbis
eius ſumpſerunt occaſionem errandi.

¶ Ad ſecundũ dicendum, quòd Deus
eſt vita effectiuè, & animæ per charita
tem, & corporis per animam: Sed for-
maliter charitas eſt vita animæ, ſicut
& anima corporis. Vnde per hoc po-
teſt concludi, ꝙ ſicut anima immedia
tè vnitur corpori, ita charitas animæ.

¶ Ad tertiũ dicẽdũ, ꝙ charitas opera-
tur formaliter. Efficacia autẽ formæ
eſt ſecũdũ virtutẽ agẽtis, quod induxit
formam. Et ideo patet quòd charitas
nõ eſt infinita, ſed ꝙ facit effectũ infini
tũ, dũ cõiungit aĩam Deo, iuſtificãdo
ipſam: & hoc demõſtrat infinitatẽ vir
tutis diuinæ, quæ eſt charitatis actor.

SVMMA TEXTVS.

Diuus Thomas in hoc articulo duo facit. Primum eſt, ponere ſententiam Magiſtri, & illam explicare ſecundum, conſtituere propriam concluſionem. Et quantum ad primum dicit, quòd Magiſter ſententiarum in primo, diſtinctio. 17. tenuit charitatem non eſſe aliquid creatum in anima, ſed ipſummet Spiritum ſanctum peculiariter adiuuantem voluntatem ad producendum actum dilectionis. Itaque affirmat, quòd quamuis Spiritus ſanctus medijs habitibus fidei, & ſpei concurrat ad eliciendos actus ſpirituales credendi, & ſperandi, non tamen mediante aliquo habitu creato, ſed immediatè per ſeipſum excitat voluntatem ad diligendum Deum: & hoc propter excellentiam charitatis. Dicit tamen D. Thom. quòd, ſi hoc rectè intelligatur, magis redundat in detrimentum, quam in honorem charitatis. Primo, quia ſequeretur actus charitatis non eſſe liberos. Secundo, quia ſequeretur, eos non eſſe meritorios: quorum quodlibet eſt aperte falſum. Sequela probatur. Nam vno è duobus modis poteſt intelligi, quòd actus charitatis immediate producatur ab Spiritu ſancto. Vno modo, ità vt Spiritus ſanctus ſit totalis cauſa illius, ipſa voluntate merè paſſiue ſe habente: alio modo, ità vt voluntas concurrat non tanquam cauſa principalis, ſed tanquam cauſa mere inſtrumentalis: quodcunq; autē horū dicatur, ſequitur actus voluntatis non eſſe voluntarios, nec meritorios. Et quidem, quòd non ſint voluntarij, ſi fiant à ſolo Spiritu ſancto, ipſa voluntate merè paſſiuè ſe habente, eſt res manifeſta: nam voluntarium eſt, quod fit à principio intrinſeco, & Spiritus ſanctus non poteſt eſſe principium intrinſecum reſpectu voluntatis. Quod autem nec etiam ſint voluntarij, ſi voluntas ſe habet vt inſtrumentum, probatur: nam quanuis inſtrumentum ſit cauſa actus, non tamen eſt in eius poteſtate agere, vel non agere, quod requiritur ad rationem voluntarij & meriti. Quo circa ponit D. Thom. hanc concluſionem. Maximè neceſſarium eſt, quòd ad actum charitatis in nobis exiſtat aliqua habitualis forma ſuperaddita potentiæ naturali, inclinans ipſam ad charitatis actum, & faciens eam prompte, & delectabiliter operari. Probatur. Nullus actus perfectè producitur ab actiua potentia, niſi factus ſit ei connaturalis per aliquam formam, quæ ſit principium agendi, vt patet inductiue in omnibus, & in hoc conſiſtit ſuauis rerum diſpoſitio, ſed dilectio ſupernaturalis Dei eſt connaturalis voluntati eam elicienti, & non ſecundum naturam ipſius voluntatis, quoniam ſuperat eam, ergo per formam ipſi voluntati inhærentem, quæ ſit principium diligendi. Hæc autem forma eſt habitus charitatis, qui per Spiritum ſanctum diffunditur in cordibus noſtris, ergo, &c.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Circa opinionem Magiſtri poſitam à D. Thom. in hoc articulo eſt aduertendum primo, quòd aliqui, prout refert Marſ. in 1. quæſtio. 10. art. 1. interpretantur ipſum de actu dilectionis, ità vt ſenſerit, quòd actus dilectionis, quo diligimus Deum, & proximos, ſit ipſemet Spiritus ſanctus, & non aliquid creatum in animae ad modum quo nõnulli dixerunt de Deo, quod vniebatur mentibus beatorum, non ſolũ in ratione ſpeciei, ſed in ratione actualis intellectionis. Cæterum hæc ſententia, præterquam quòd eſt apertè falſa, & impoſsibilis, eſt etiam contra mentem Magiſtri, vt conſtat ex verbis ipſius, qui tantum conſtituit diſcrimen inter fidem, & ſpem ex vna parte, & charitatem ex alia, penès hoc quod Spiritus ſanctus non immediatè per ſeipſum, ſed mediantibus virtutibus ſuperadditis mouet ad actum credendi, & ſperandi: ad actum vero diligendi non per habitum virtutis ſuperadditum, ſed immediatè per ſeipſum mouet. Quibus verbis, vt conſtat, nulla ſit mentio de actu, ſed de habitu: & de eo loquitur D. Thom. in hoc articulo. *1. Notabile.*

¶ Secundo eſt aduertendum, quòd quanuis hæc ſentētia Magiſtri, ſic explicata, fortaſsis potuerit ſuo tempore citra fidei periculum defenſari, nunc tamen noſtro tempore non ſolum tanquam falſa, ſed etiam tanquam periculoſa, & errori proxima eſt reijcienda. Et quidem, quòd ſit falſa, probatur primo. Nam, cùm actus reliquarum virtutum theologalium ac moralium ſunt ab Spiritu ſancto medijs virtutibus ſuperadditis, vt ipſe Magiſter, & communis conſenſus Theologorum tenet, non videtur rationabile, quòd id de charitate negetur. Secundo, quia alias ſequeretur, non eſſe *2. Notabile.*

eſſe tres virtutes theologales, ſed duas tantum, ſcilicet, Fidem, & ſpem, conſequens autem eſt abſurdum, & contra D.Paulũ.1 ad Corinth.cap.13.dicentem, Nunc autem manent tria hæc, fides, ſpes, charitas, ergo. Probo ſequelam. Nam ſi charitas non eſt habitus creatus, nec etiam erit virtus, cum de ratione virtutis ſit, quòd ſit habitus. Itẽ ſequeretur, quòd actus diligendi Deum eſſet imperfectus. Probo ſequelam. Quia actus procedens à potentia nõ perfecta per habitum imperfectus eſt in comparatione ad illos, qui ab eadem potentia per habitũ perfecta producuntur. Deniq; hoc ipſum probatur ratione D.Thom.in hoc articulo, quę eſt efficaciſsima. Sed, ꝙ hac noſtra tem peſtate ſit periculoſum negare charitatem eſſe habitum ſuperadditum voluntati, probatur primo, ex concil. Viennenſi, & refer tur Clementina vnica. de ſumma Trinitate & fide cath. vbi acceptatur tanquam probabilior, & dictis ſanctorum atq; doctorũ conformior, & magis conſona illa opinio, quæ conſtituit habitus infuſos fidei, ſpei, & charitatis, & virtutum moraliũ, quibus me dijs Spiritus ſanctus excitat nos ad actus ſu pernaturales. Et in concil. Tridẽt. ſeſ.6.can. 11. etiam dicitur, ꝙ charitas Dei diffunditur in cordibus noſtris, & illis inhæret. Quæ verba, niſi de habitu charitatis, nõ poſſunt cõmode explicari. Et rurſus c. 7. dicitur in iuſtificatione cũ remiſsione peccatorũ hæc omnia ſimul infuſa accipit homo per Ieſum Chriſtum, cui inſeritur, fidem ſpem & charitatem. Vbi eſt ponderandum, ꝙ eodẽ modo loquitur concilium de tribus virtutibus theologicis, quaſi ſignificans omnes illas eſſe habitus creatos in hominibus exiſtentes. Qui modus loquendi etiam conſonat ſacræ ſcripturæ. Nam ad Roma. 5. dicit Paulus: Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum.

obiectio. ¶Sed dicet aliquis hoc loco, quòd ex hoc ſequi videtur nõ ſolum, ꝙ eſt periculoſum negare charitatem eſſe habitum ſuperadditum voluntati, ſed etiam, quòd eſt de fide illum eſſe ponendum: maxime cum in cõcil. Trident. ſeſsio.6.cano.11. hæc verba habeantur, Si quis dixerit hominem iuſtificari ſola remiſsione peccatorum ſecluſa gratia, & charitate, quæ in cordibus hominũ per Spiritum ſanctum infunditur, & illis inhæret, anathema ſit. Propter hoc argumẽ

Sententia Vegæ. tũ Vega exponens illa verba concilij, dicit eſſe de fide, ꝙ ſunt ponendi habitus infuſi.

Cæterum meo iudicio hoc non eſt de fide. Et ad explicationem concilij Tridentini, eſt aduertendum primo, quòd homo, *Sententia autoris.* ſicut quando actualiter peccat cõuertit voluntatem ſuam inordinate ad bonum com mutabile, & auertit ſe à Deo: ità etiam poſt quam prætenjt actus peccati anima, atque voluntas illius hominis manet tanquã habitu conuerſa ad bonum commutabile, & auerſa à bono diuino, hoc eſt, manet prauè & inordinatè affecta: à qua prauitate, & de ordinatione denominatur homo formaliter peccator, poſtquam præterit actus peccati. ¶Secundo eſt aduertendum, dupliciter poſſe intelligi, quòd Deus remittat peccatum hominibus, & illos iuſtificet. Vno modo immutando & conuertendo illorum animos à prauitate in qua erant, & reuocan do illos ad rectitudinem, quæ iuſtitia appellatur interior, & inhærens. Alio modo nulla mutatione facta in peccatoris animo, ſed manente ipſius voluntate peruerſa, & inordinata, ſicut antea erat, veniam delicti illi concedendo, & prauitatem illam non imputando ad pœnam, quæ iuſtitia appel latur exterior, & imputatiua. ¶Tertio eſt aduertendum, quòd illa interior renouatio, & immutatio, qua peccator ex prauo fit rectus, dupliciter poteſt fieri: vno modo per infuſionem alicuius qualitatis atque habitus permanentis: alio modo ſine infuſione alicuius qualitatis permanentis, per ſolam motionem actualem diuini auxilij, quæ ſua efficacia inſinuãs ſe in hominis animũ, illum à prauitate ad rectitudinem cõuertit. His ſuppoſitis dico Lutheranos affirmaſſe, quòd homo iuſtificatur non per aliquam interiorem animi immutationem, ſed per ſolam extrinſecam non imputationẽ peccatorum. Contra quos Concilium locis citatis definit ꝙ Deus quãdo iuſtificat peccatores, non ſolum illis concedit veniam peccati, ſed etiam interius illorum animos renouat, atque conuertit, efficiens illos rectos, & iuſtos ex obliquis & peccatoribus, qui antea erant. Vtrum autem Deus hanc interiorem animi renouationem efficiat per aliquam qualitatem permanentẽ, & infuſam, vel potius per motionem actualẽ diuini auxilij, de hoc nihil determinat conciliũ. Vnde in initio capitis.7. dicit, Hanc diſpoſitionem ſeu præparationem iuſtificatio ipſa conſequitur, quæ non eſt ſola peccatorum remiſsio, ſed & ſanctificatio, & renouatio interioris hominis, &c. Et ſic conſtat

non eſſe de fide, quòd habitus infuſi ſunt ponendi. Magiſter ſententiarum loco citato nititur probare ſuam opinionem dictis, & teſtimonijs Diui Auguſtini. Sed procul dubio Diuus Auguſtinus tenet ſententiam catholicam, & veram, quam nos defendimus. Nam in lib. de ſpiritu & litera cap. 32. dicit, Vnde eſt dilectio, niſi vnde fides, ideſt, ab Spiritu ſancto. Non enim eſſet, niſi diffunderetur in nobis per Spiritum ſanctum. Charitas autem dicta eſt diffundi in cordibus noſtris, non qua nos diligit, ſed qua nos fecit dilectores ſuos. Hęc Auguſtinus. Et in lib. de moribus Eccleſiæ cap. 11. tractans illud ad Roma. 8. Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti, inquit, Charitas eſt virtus, & rectiſſima affectio animæ noſtræ, quæ nos coniungit Deo, & qua Deum diligimus. *Nota.* Sed eſt aduertendum, quòd quoniam D. Auguſtinus erat doctrinis Platonicorum imbutus, idcircò modum, quo illi loquebantur ſequens, & ſenſum Chriſtianum retinens, aliquando dixit nos eſſe bonos bonitate diuina, ſapientes ſapientia diuina, & dilectores Dei charitate diuina. Sed ſolum voluit dicere, vt hic explicat D. Thom. ad ſecundum, quòd ſumus boni, ſapientes, ac dilectores, bonitate, ſapientia, & charitate creata, quę diuinæ appellatur: quoniam eſt quædam participatio bonitatis, ſapientiæ, & charitatis in Deo exiſtentis. De hac re videndus eſt D. Thom. in diſputatis quæſtione vnica de charitate. art. 1. ad. 5.

Dubium circà concluſionem D. Tho. ¶ Circa concluſionem huius articuli eſt difficultas, vtrùm habitus charitatis ſit neceſſarius ad ſimpliciter diligẽdum Deum, vel tantum ad meliùs, & faciliùs diligendum. Ad eius explicationem eſt aduertendum, quòd in præſentia non quærimus, vtrùm per ſolas vires naturæ poſſimus diligere Deum ſuper omnia, vt eſt finis ſupernaturalis. De hoc enim ſtatim dicemus, cùm de habitu charitatis fuerit determinatum. Sed quod quærimus eſt, vtrùm ſine habitu infuſo poſſit homo cum Dei auxilio ſpeciali diligere Deum ſuper omnia, inquantum eſt finis ſupernaturalis. Nec etiam eſt quæſtio de potentia Dei ordinaria. Nam ſecundum hanc certum eſt, vt conſtat ex modo dictis, quòd non mouet Deus voluntatem ad actum charitatis ſine medio habitu, vt ſic ſuauiter operetur: maximè cum non fiet, quòd quis eliciat actum charitatis quin ſit iuſtus, & habeat habitum gratiæ, & charitatis. Sed eſt intelligenda quæſtio de potentia Dei abſoluta, ita, vt ſit ſenſus, vtrùm habitus charitatis ità ſit neceſſarius ad diligendum Deum ſuper omnia, vt de potentia Dei abſoluta non poſſit voluntas elicere talem actum ſine illo. ¶ Et quidem de hac quæſtione ità explicata eſt ſententia quorundam aſſerentium, ità eſſe impoſſibile, vt voluntas eliciat actum charitatis ſine habitu, vt implicet contradictionem, nec poſſit id fieri etiam de potentia Dei abſoluta. *Sententia quorundam.* Et hanc opinionem ego quadam die, dum præeſſem in Salmanticenſi Gymnaſio cuidam publicæ diſputationi, tanquam probabilem defendi. Et probari poteſt his argumentis. *1. Argum.* Primo, implicat contradictionem, quòd quis non viuus operetur vitaliter, ſed voluntas ſine habitu charitatis nõ viuit ſupernaturaliter, ergo per nullam potentiam poteſt producere actus ſupernaturales. ¶ Et confirmatur. *Cõfirmatio.* Implicat contradictionem, quòd quis videat ſine potentia viſiua, ergo & quòd voluntas diligat Deum ſupernaturaliter, ſine potentia ſupernaturali. Tunc vltrà, ſed potentia ſupernaturalis conſtituitur in eſſe ſupernaturali per habitum, voluntas enim de ſe non eſt potentia ſupernaturalis, vt ex concilio Mileuitano, & Arauſicano habetur: ergo implicat contradictionem, quòd voluntas diligat Deum ſuper omnia ſine habitu.

¶ Secundo, implicat contradictionem, quòd ſenſus intelligat, ergo & quòd voluntas non eleuata eliciat actum ſupernaturalem. *2. Argum.* Probo conſequentiam: nam multò magis excedit naturam voluntatis dilectio ſupernaturalis, quam naturam ſenſus actus intelligendi. Et ſi quis dicat, quod iam voluntas eleuatur per auxilium ſpeciale ad diligendum, & ſic non erit opus habitu, contra hoc ſic obijcio. Auxilium diuinum concurrit ad actionem in genere cauſæ efficientis, & non in genere cauſæ formalis: ſed principium eleuans potentiam ad operandum neceſſario debet eſſe formale, ergo auxilium non ſufficit ad hoc: atque ex conſequenti neceſſario erit ponendus habitus, vel aliquid, quod ſe teneat per modum habitus.

¶ Tertio, Si voluntas ſine habitu per ſolum auxilium Dei extrinſece mouentis produceret actum dilectionis ſupernaturalis, ſequeretur, quòd reſpectu talis actus haberet ſe mere inſtrumentaliter, ſicut aqua baptiſmi *3. Argum.*

baptiſmi adproducendam gratiam: ſed hoc
non ſufficit ad hoc, quod voluntas dicatur
diligere, ergo. Probo minorem. Diligere
importat concurſum cauſæ principalis, &
non tantum inſtrumentalis, vnde Deus li-
cèt mediante ligno, vel lapide produceret
entitatem dilectionis, non tamen ideò la-
pis, vel lignum diceretur diligere, quia me-
rè inſtrumentaliter ſe haberet: ergo pari ra-
tione dicendum erit in noſtro propoſito.
Propter hæc argumenta hæc ſententia vi-
detur valde probabilis: cæterum meo iudi-
cio oppoſita eſt probabilior.

1. Notabile. ¶ Ad cuius explicationem eſt aduerten
dum primo, quòd quanuis voluntas ſe ſo-
la ſine aliquo habitu, vel auxilio ſupernatu
rali, non poſsit exercere eos actus, qui ſunt
intrinſecè ſupernaturales, quia excedunt
eius virtutem, habet tamẽ capacitatem na-
turalem adhoc, vt eleuata illos poſsit exer-
cere: ex quo fit, vt quodammodo ſit in po-
tentia ad illos, ſaltim inchoatiue. Et ratio
eſt, quia cum obiecta illorum actuum con-
tineantur intra latitudinem obiecti adequa
ti voluntatis, quod eſt bonum abſolutè, ſeu
bonum in tota ſua latitudine, & quòd vo-
luntas non tendat in illa proueniat ex eo ſo
lùm, quòd ſunt ſupra facultatem naturalẽ
ipſius voluntatis, fit, vt poſtquam fuerit
voluntas eleuata per aliquod auxilium ſu-
pernaturale, & facta proportionata cum ta-
li obiecto, poſsit in illud tendere ſine ali-
quo alio principio formali, quod ſe tenet
ex parte potentiæ.

2. Notabile. ¶ Secundo eſt aduertendum, ꝙ quanuis
ad actum ſupernaturalis dilectionis exercẽ
dum, concurrant ſimul potentia volũtatis,
& habitus ſupernaturalis, aliter tamen &
aliter. Nam habitus concurrit eleuando po-
tentiam, & dando ei virtutem vt operetur,
voluntas verò exercendo operationem. Et
ſic voluntas eſt quæ verè, ac propriè opera-
tur, & elicit actum dilectionis ſupernatu-
ralis, habitus autem ſupernaturalis tantum
eſt ratio agendi. Ex quo fit, vt vitalitas il-
lius operationis non habitui, ſed ipſi poten
tiæ operanti ſit tribuenda. Habitus enim
non præſtat modum vitaliter operandi, ſed
tantum virtutem operatiuam reſpectu ta-
lis obiectu, & modus peruenit ex natura ip-
ſius potentiæ, quæ vitalis eſt.

Sententia au toris. ¶ His ſuppoſitis dico, nullã eſſe implica-
tionem contradictionis, quòd voluntas ſi-
ne habitu ſupernaturali per ſolum auxiliũ
Dei extrinſecè mouentis diligat Deum ſu-
per omnia. Probatur. Ille actus dilectionis
non pendet ex habitu ſupernaturali in ge-
nere cauſæ formalis, ſed in genere cauſæ ef-
ficientis: ſed Deus de potentia ſua abſoluta
poteſt ſupplere quamcunq; cauſalitatem
cauſæ efficientis, ergo & illam. Secundo,
Certum eſt, quòd homo ante iuſtificatio-
nem exercet multas operationes ſupernatu
rales ſolo auxilio ſpeciali Dei mouentis, ſi-
ne aliquo habitu ſupernaturali infuſo, ergo
non implicat contradictionem, quòd vo-
luntas ſine habitu charitatis per diuinum
auxilium diligat Deum ſuper omnia, qua-
tenus eſt finis ſupernaturalis. Sed eſt aduer
tendum, quòd quanuis voluntas cum au-
xilio ſpeciali Dei, ſine habitu ſupernatura-
li poſsit de potentia abſoluta exercere actũ
ſupernaturalem, vt modò dicebam, non ta-
men operabitur ità naturaliter, ac ſuauiter,
ſicut operatur cum habitu. Et quod dixi de
habitu charitatis eſt etiam dicendum de ha
bitu fidei, & ſpei reſpectu ſuorum actuum,
& de habitu luminis gloriæ reſpectu viſio
nis beatificæ.

¶ Et ad primum argumentum reſponde *Ad.1.arg.*
tur conceſſo antecedenti, negando conſe-
quentiam. Et ratio eſt, quia cùm voluntas
per auxilium ſpeciale Dei eleuetur ad ordi
nem ſupernaturalem, & conſtituatur in eſ-
ſe potẽtiæ ſupernaturalis, fit, vt poſsit exer
cere operationes ſupernaturales; & cũ ipſa
ex alia parte ſit potentia viua, habet quod
vitaliter operetur. ¶ Ad ſecundùm reſpon- *Ad.2.arg.*
detur verum eſſe, quòd voluntas non eleua
ta non poteſt exercere actum ſupernatura-
lem. Dico tamen, quòd ad illius eleuatio-
nem non requiritur habitus charitatis, ſed
ſufficit auxilium ſpeciale Dei. Et quandò
obijcitur, Auxilium diuinum concurrit
ad actum in genere cauſæ efficientis, &
non in genere cauſæ formalis, ſed princi-
pium eleuans potentiam neceſſariò debet
eſſe formale, nego minorem. Quin pòtius
dico, quòd quemadmodum ad hoc, vt
voluntas eliciat actum dilectionis natura-
lis, nihil aliud requiritur, quam vis ipſius
potentiæ, & propoſitio obiecti per intel-
lectum ſimul cum concurſu generali Dei;
& ſi ponitur habitus eſt vt promptius &
facilius operetur, ità etiam ad hoc, vt vo-
luntas eliciat actum dilectionis ſuperna-
turalis de potentia Dei abſoluta nihil
aliud requiritur, quã vis ipſius potentiæ, &
propoſitio obiecti per intellectum ſimul
cum auxilio ſpeciali Dei eleuante ipſam
poten-

potentiam. Sicut enim ſe habet concurſus generalis Dei reſpectu operum naturaliũ, ità etiam ſe habet concurſus ſupernaturalis & auxilium ſpeciale Dei reſpectu operum ſupernaturalium. Et ſi ponitur habitus ex parte potentiæ eſt, vt prompte & faciliter operetur, vt dicit D. Tho. in hoc articulo.

Ad. 3. arg. ¶ Ad tertium reſpondetur negando ſequelam. Et ad exemplum adductum de aqua baptiſmi dico, non eſſe eandem rationem de voluntate & de aqua. Nam voluntas ſuppoſito auxilio ſpeciali Dei ipſam eleuante, & adiuuante concurrit ad actionem tanquam agens principale, at vero aqua tanquam agens inſtrumentale.

¶ Suppoſito iam, quod voluntas de potentia Dei abſoluta poteſt habere actum charitatis ſine habitu cum ſolo auxilio ſpeciali Dei, ſupereſt, vt dicamus de neceſsitate ipſius auxilij. *Dubium.* Circa quod eſt difficultas, vtrùm homo per vires naturæ ſecluſo quocunque auxilio ſpeciali Dei poſsit diligere Deum ſuper omnia, & habere actum charitatis? Et procedit quæſtio, non ſolùm de potentia ordinaria ſed etiam de potentia abſoluta.

1. Notabile. ¶ Ad cuius explicationem eſt aduertendum primo, quòd de Deo poſſumus loqui dupliciter, vno modo prout cognoſcitur à nobis per lumẽ naturale intellectus & eſt finis noſter naturalis, alio modo, prout cognoſcitur per fidem & eſt finis noſter ſupernaturalis.

2. Notabile. ¶ Secundo eſt aduertendum, quòd etiam de homine poſſumus loqui dupliciter, vno modo, ſecundum quod erat in ſtatu naturæ integræ, alio modo prout eſt in ſtatu naturæ lapſæ, in quo ex peccato primi parentis duo mala contraxit. Vnum eſt quoddam odium rerum ſupernaturalium, atque cœleſtium: alterum propenſio, & inclinatio in bona ſenſibilia. Itaque homo poſt peccatum & amat bona terrena, & abhorret ſpiritualia. Cuius vtriuſque mali extat exemplum in Adam, qui ante peccatum libenter amabat miſcere colloquia cum Deo, poſt peccatum verò fugiebat diuinos ſermones. Ex quo factum eſt, vt homines in hoc ſtatu ad facinora perpetranda ſimus fortes atque valẽtes, ad opera autem virtutum infirmi, & imbecilles. Vnde rectè dicebat ſapiens ſapientiæ. 9. Cogitationes mortalium timidæ & incertæ, prouidẽtiæ noſtræ: corpus enim quod corrũpitur aggrauat animã & terrena inhabitatio deprimit ſenſum, &c.

3. Notabile. ¶ Tertio eſt aduertendum, quòd diligere Deũ ſuper omnia, ſiue placere velle Deo in omnibus, & per omnia, quod idem eſt, etiã loquendo de dilectione naturali, quamuis ſecundũ rem ſit vnus & ſimplex actus, virtute tamen continet multas ac difficillimas res. Continet enim obſeruantiam, & impletionem præceptorum naturalium, & quòd conſtituamus Deum vltimum finem noſtrarum operationum. Nam quemadmodum non diligit Deum ſuper omnia dilectione ſupernaturali, qui non implet diuina præcepta, & conſtituit ipſum finem ſupernaturalem ſuarum actionum iuxta illud Ioan. 14. Qui mandata mea ſeruat is diligit me &. 1. Ioan. 2. Qui dicit ſe noſſe Deum, & mandata eius non ſeruat mendax eſt, qui autem ſeruat verbum eius in hoc charitas Dei perfecta eſt: ita etiam non diligit Deum ſuper omnia dilectione naturali qui non ſeruat omnia naturę pręcepta, quæ cùm multa ſint, & poſita de rebus, tum quę quotidie frequentiſsime incidunt in vita, tùm etiam difficillimis: manifeſtè ſequitur eſſe difficillimum ea adimplere & diligere Deum ſuper omnia.

¶ His ſuppoſitis ſit prima concluſio. Certum eſt de fide quòd nullus homo, etiam in natura integra conſtitutus, poteſt diligere Deum ſuper omnia, vt eſt obiectum ſupernaturale, niſi eius voluntas eleuetur à Deo per gratiam ſpecialem. *1. Cõcluſi.* Et probatur primo ex Paulo qui ad Rom. 5. loquens de iſta dilectione Dei dicit: Charitas Dei, hoc eſt, dilectio, qua diligimus Deum, diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. &. 1. Ioan. 4. Charitas ex Deo eſt. Et. 1. ad Corinth. 12. cùm enumeraſſet Paulus multa bona ab Spiritu ſancto conceſſa, omnibus illis antepoſuit charitatem, ergo ſine dubio charitas eſt donum Dei, nec haberi poteſt viribus naturæ in aliquo ſtatu. Item hæc veritas diffinita eſt in concilio Mileuitano. cap. 4. & in concil. Arauſ. cap. 25. & in Concil. Trident. ſeſſio. 6. canon. 3. Et ratio eſt manifeſta. Nam cum ſit difficilius diligere Deum ſuper omnia, vt eſt obiectum ſupernaturale, quam aſſentiri rebus fidei, manifeſtè ſequitur, quòd ſi ad aſſentiendum rebus fidei eſt neceſſarium auxilium ſpeciale, vt diximus, multò magis erit neceſſarium ad diligendum Deum ſuper omnia. Nec tantum eſt intelligenda concluſio de potentia ordinaria Dei, ſed etiam de potentia abſoluta. Implicat enim contradictionem, quod potentia natura-

naturalis feratur in obiectum ſupernaturale ſine aliquo principio eleuante, vel per modum habitus, vel per modum actus, vt diximus in dubio præcedenti.

2. Concluſio. ¶ Secunda concluſio. Homo in ſtatu naturæ integræ, & ſimiliter angelus, in puris naturalibus poterant viribus naturæ ſine auxilio gratiæ diligere Deum ſuper omnia, vt eſt autor naturæ, & finis noſter naturalis. Hanc concluſionem ponit D. Tho. 1. 2. quæſt. 109. art. 3. Et probatur. Homo in ſtatu naturæ integræ poterat virtute ſuæ naturæ operari quodcunque bonum ſibi connaturale atque proportionatum, ſed diligere Deum ſuper omnia, vt eſt finis naturalis, eſt homini connaturale, atque proportionatũ, ergo id poterat ſine auxilio ſpeciali, ſolo generali Dei cõcurſu.

Argumentũ cõtra cõcluſionem. ¶ Sed contra iſtam concluſionem eſt argumentum. Si homo in natura integra conſtitutus poſſet ſuis viribus diligere Deum ſuper omnia, vt eſt finis noſter naturalis, ſe queretur quòd etiam poſſet eum diligere, vt eſt finis ſupernaturalis, conſequens autem eſt falſum, & contra primam concluſionem, ergo & illud ex quo ſequitur. Probo ſequelam. Nam non videtur veroſimile, nec probabile, quòd voluntas poſsit diligere Deum ſuper omnia ſine auxilio ſpeciali quando proponitur illi, vt iuſtus, & bonus, & talis, qualis cognoſcitur per naturam, & tamen eadem voluntas non poſſit ſuis viribus diligere eundem Deum ſuper omnia quando proponitur illi non ſolum, vt bonus, & vt iuſtus, ſed etiam, vt trinus, & vnus, & beatificator hominum & Angelorum: ſiquidem in hoc ſecundo caſu ex parte obiecti maior apparet ratio amoris & dilectionis. *Cõfirmatio.* ¶ Et confirmatur. Si ego poſſum diligere Petrum, quia cognoſco illum virum bonum, atque honeſtum, & poſteà cognoſco illum non ſolum eſſe bonum, & honeſtum, ſed etiam mihi valde amicum, & benefactorem, proculdubio faciliùs potero eum diligere. Ergo pari ratione, ſi homo in natura integra conſtitutus poteſt ſuis viribus diligere Deum ſuper omnia, prout cognoſcitur per naturam, multò faciliùs poterit illum diligere, pro vt cognoſcitur per fidem, ſiquidem fides docet de Deo non ſolum ea, quæ ratio naturalis demõſtrat, ſed etiã plures alias perfectiones preſtãtiſsimas atq; amore digniſsimas.

Ad argum. ¶ Ad hoc argumentum reſpondetur negando ſequelam. Et ad probationem dico non eſſe inconueniens, quòd voluntas humana poſsit diligere Deum ſuper omnia, vt cognoſcitur per naturam, & non vt cognoſcitur per fidem. Nam quamuis Deus cognitus per fidem, & vt eſt obiectum beatifi cum contineat plures perfectiones, quam vt cognoſcitur per naturam, quia tamen Deus per fidem cognitus excedit facultatẽ noſtræ voluntatis, fit, vt ſine ſpeciali Dei auxilio illum ſuper omnia diligere nõ poſſimus, quod in Deo naturaliter cognito nõ inuenitur. Itaque dico, quòd quemadmodum ad aſſentiendum articulis fidei vltra ſufficientem propoſitionem eſt neceſſarium ex parte intellectus lumen deſuper infuſum propter exceſſum, quem habent articuli ad captum noſtri intellectus, vt diximus in materia de fide: ità etiam ad diligendum Deum ſuper omnia, vt eſt finis ſupernaturalis eſt neceſſarium ex parte volũtatis ſpeciale Dei auxilium propter exceſſum, quẽ Deus ſic cognitus habet ad captum noſtræ voluntatis. ¶ Ad confirmationem reſpondetur conceſſo antecedenti, negando conſequentiam. *Ad confirmationem.* Nam cum bona, quæ vlteriùs cognoſcuntur de Petro nõ excedant facultatem noſtræ voluntatis, fit, vt non impediant, quo minùs voluntas maiori facilitate in illum feratur. Cęterùm, quia perfectiones, quæ per fidem cognoſcuntur de Deo vltra naturales, excedunt vim atq; efficaciã noſtræ voluntatis, fit, vt ad illum ſuper omnia diligendum ſit neceſſarium ſpeciale auxilium ex parte voluntatis ad modum iam explicatum.

3. Concluſio. ¶ Tertia concluſio. In ſtatu naturæ lapſę nullo modo poteſt homo diligere Deũ ſuper omnia dilectione naturali efficaci, atq; perfecta, ſine auxilio ſpeciali Dei. Hanc cõcluſionem tenet D. Tho. loco citato. Et probatur. In ſtatu naturæ lapſæ non poteſt homo adimplere omnia præcepta legis naturalis, vt probat D. Tho. 1. 2. q. 109. art. 4. ſed iſta dilectio Dei ſuper omnia virtualiter continet in ſeſe omnium præceptorũ adimpletionem: ergo non poteſt haberi viribus naturæ. De hac re eſt videndus D. Thom. locis citatis, ad quos propriè pertinet huius rei diſputatio.

Dubium ex Caietano. ¶ Circa id, quod dicit D. Tho. in corpore articuli, ſcilicet, nulla virtus habet tãtam inclinationem ad ſuum actum ſicut charitas, nec aliqua ità delectabiliter operatur, eſt difficultas ex Caietano in preſenti, vtrũ verum ſit. Et pro parte negatiua argumen- *1. Argum.*

tor

tor. Primo, Delectabiliter operari eſt proprietas conſequens virtutis eſſentiam, vt dicit Ariſto.2. Ethic. cap.3: ergo non ſuſcipit magis & minus: atq; ex conſequenti omnes virtutes æqualiter habent inclinare in ſuos actus, & delectabiliter operari. ¶ Secũdo,

2. Argum. pro parte negatiua. Experientia conſtat, quòd aliqui habentes charitatem patiuntur longè maiorem difficultatem in operando ſtudioſè, quàm illi, qui non habentes charitatem ſe exercuerũt in actibus virtutum moralium acquiſitarũ: ſignum ergo eſt, quòd virtutes morales acquiſitæ magis inclinant in ſuos actus, & faciunt delectabilius operari, quàm charitas.

Cõfirmatio. ¶ Et confirmatur. Paruulus baptizatus cũ primùm peruenit ad vſum rationis nõ operatur facilius, quam, ſi non haberet habitũ charitatis: ergo ipſa charitas non inclinat maximè ad actum.

3. Argum. ¶ Tertio, Si ſententia D.Tho. eſſet vera ſequeretur, quòd poſſet fideles eſſe certi de ſua charitate, cõſequens autem eſt falſum, & cõtra fidem, ergo. Probo ſequelam: nam poſſunt eſſe certi, quòd faciliter, & cum delectatione operantur.

Concluſio. ¶ His tamen non obſtantibus dico ſentẽtiam D. Tho. eſſe veriſsimam. Et probatur. Primo, Proprium virtutis eſt inclinare ad actus, & delectabiliter operari: ſed charitas eſt præſtantiſsima omnium virtutum, ergo præcipuè, & principaliter hoc conuenit illi. Secũdò, Quò aliquis liberius, eò facilius, & delectabilius operatur: ſed charitas operatur magis libere, quàm reliquæ virtutes cũ moueat omnes ad operandum, & ipſa à nemine moueatur, iuxta illud Paul. 1. ad Corint. 13. Charitas patiens eſt, benigna eſt, nõ æmulatur, non agit perperã, &c. ergo. Tertio, Charitas inclinat ad finem vltimum, in quem tendit tanquam in obiectum: ſed inclinatio in finem eſt perfectiſsima, & à qua omnes reliquæ inclinationes denominantur, ergo inclinatio charitatis in proprium actum eſt maior, quam in alijs virtutibus. ¶ Vltimo, Charitas eſſentialiter eſt amor, cui per ſe primo conuenit inclinatio, & delectatio in opere: omnia enim, quæ in aliquid inclinantur, in quantum amant illud, inclinantur in illud: ergo ipſa charitas magis inclinat.

Ad. 1. arg. ¶ Et ad primum argumentum reſpondetur conceſſo antecedenti, negando conſequentiam. Ex eo enim quod proprietas virtutis perfectior inuenitur in charitate, quã in alijs virtutibus, non ſequitur, quod ſuſcipiat magis & minus: ſicut nec ex eo ꝙ natura animalis perfectior inuenitur in homine, quam in equo licet inferre, quòd ſuſcipiat magis & minus. Et ratio eſt: quia hoc non conuenit illi in quantum eſt virtus, ſed in quantum conſtituitur in certa ſpecie per hanc vel illam differentiam magis, vel minus perfectam, vt docet Soto in Logica capite de æquiuocis. Vel ſecundo reſpondetur, quòd quando aliqua res ſuſcipit magis, & minus, non eſt inconueniens, quòd proprietas eius naturam conſequens etiam ſuſcipiat magis & minus. Vnde cum charitas, quæ eſt quædam qualitas poſsit ſuſcipere magis, & minus, non erit mirum, quòd facilitas, & delectatio, quæ ſunt proprietates ex tali natura profluentes, ſimiliter ſuſcipiant magis & minus.

Ad 2. arg. ¶ Ad ſecundum reſpondetur conceſſo antecedenti negando conſequentiam. Nam, quamuis charitas ex ſe magis inclinet ad actum, efficiatque facilius, & maiori cum delectatione operari, quam reliquæ virtutes acquiſitæ, ipſum tamen ſubiectum per accidens hoc eſt ratione maioris reſiſtentiæ ex parte appetitus ſenſitiui, & paſsionum corporalium non ità facilè & delectabiliter operatur per illã, ſicut per habitus acquiſitos. Et ratio eſt: quia, cùm in ipſa acquiſitione virtutum per exercitium actuum fuerint domitæ paſsiones, multò maior reſiſtentia erit in ordine ad virtutes infuſas, quàm in ordine ad virtutes acquiſitas: vt recte docet Caietanus.1.2.quæſt.63.art.3.

Ad confirmationem. ¶ Ad confirmationem ſimiliter reſpondetur conceſſo antecedenti, negando conſequentiam. Et ratio eſt: quia, cùm Deus in infuſione virtutum ſupernaturalium, quibus naturæ defectum ſupplet, operetur ad modum naturæ, fit, vt ille, cui primo infunditur charitas, eadem difficultate operetur, qua operatur ille, qui primo incipit exerceri in materia alicuius virtutis. Prouenitque hęc difficultas in homine baptizato non à charitate, ſed ab appetitu ſenſitiuo effræni, qui ſua efficacia trahit ad ſe voluntatem, & efficit, vt non experiatur in ſe omnem delectationẽ, quam charitas ex ſua natura apta nata eſt cauſare. Minuitur tamen paulatim exercitio operum huiuſmodi difficultas reſpectu charitatis, ſicut & minuitur reſpectu aliarum virtutum: & tunc cæteris paribus charitas maiori inclinatione & delectatione tendet in ſuum actum, quam reliquę virtutes.

Ad. 3. arg. ¶ Ad tertium reſpondetur negando ſequelam. Et ad probationẽ dico, quod

quòd cum illa delectatio non ſolum ex habitu infuſo ſed etiam ex acquiſito, & ex inclinatione naturali poſsit prouenire, non poteſt ex ea deſumini efficax argumētum ad probandum hominem eſſe in gratia, bene tamen coniectura aliqua probabilis, & apparens.

Dubium circa ſolutionē ad.3.arg.

¶In ſolutione ad tertium argumentum dicit D.Tho. quòd charitas non eſt infinita, & efficit effectum infinitum virtute agētis infiniti, qui eam producit. Circa quod eſt difficultas, vtrùm verum ſit. Et pro parte negatiua argumentor in hunc modum.

1. Argum.

Effectus charitatis eſt dilectio Dei, ſed iſte effectus eſt finitus, ergo falſò dicitur quod effectus charitatis eſt infinitus. Et ſi dicatur quòd effectus charitatis dicitur infinitus non ſimpliciter, ſed ſecundum quid, quia habet obiectum infinitum, contra hoc ſic argumentor. Nō ſolum actus charitatis, ſed etiam habitus eſt infinitus ex parte obiecti: ergo ſi de hac infinitate eſt ſermo non ſolum effectus, ſed etiam charitas erit infinita.

2. Argum.

¶Secundo, charitas operatur formaliter, vt dicit D.Tho. in hoc articulo, ſed implicat contradictionem, quod aliquis effectus infinitus procedat ab aliqua cauſa tanquam à principio formali, quin etiam ipſa cauſa ſit infinita: ergo ſi charitas eſt finita eius effectus formalis ſimiliter erit finitus. Conſequentia cum maiori eſt nota, & minor probatur: quia ſemper effectus aſsimilatur formę, quæ eſt principiū actionis. Pręter quā, ꝙ etiam videtur aperta repugnantia ponere effectum infinitum cùm omnis effectus neceſſariò debeat eſſe finitus.

Sententia Caietani.

¶Ad explicationem huius difficultatis dicit múlta Caietanus. Inter quę vnum eſt, quod D.Tho. in præſenti non intendit, ponere aliquā infinitatem in effectu, quę non ſit in ipſa charitate. Sed ſolùm dicit, quòd illa infinitas, quæ reperitur in charitate, & in effectu, non eſt referenda in charitatem, ſed in Deum, à quo charitas tanquam à principio cōnaturali procedit, ad modū, quo efficacia caloris exiſtētis in ferro ad producēdū ignem, non refertur nec in calorem, nec in ferrum calidum, ſed in ignem, à quo talis calor dimanat, & cui eſt connaturalis.

Impugnatur Caietanus.

¶Sed, quoniam hæc expoſitio ex diametro pugnat cum doctrina D.Thom. qui expreſsis verbis in hoc articulo fatetur charitatem eſſe finitam, & efficere effectum infinitum:, idcircò aliter erit reſpondendum ad difficultatem. Pro quo eſt aduertēdum, quòd habitus charitatis tripliciter poteſt cōſiderari. Vno modo, quantum ad actum, quem formaliter tribuit ſubiecto, qui eſt efficere voluntatem dilectiuam Dei in habitu, ſicut effectus formalis caloris eſt efficere ſubiectum calidum. Alio modo quantum ad actū, quem effectiuè producit, qui eſt dilectio. Tertio quantum ad actum, ad quem diſpoſitiue concurrit, qui eſt efficere, vt homines qui ſunt in gratia ſint vnum cum Deo, iuxta illud Paul.1. ad Corint.6. Qui adhæret Deo vnus ſpiritus eſt cū illo.

Habitus charitatis poteſt conſiderari tripliciter.

Hoc ſuppoſito dico, quòd quando D.Tho. affirmat charitatem eſſe finitam, & habere actum infinitum non eſt intelligendus de primo nec de ſecundo effectu, qui non ſunt magis infiniti, quam ipſa charitas: vt rectè probant argumenta facta: ſed loquitur de tertio actu, ad quem charitas diſpoſitiuè cōcurrit, vt ex verbis ipſius colligere licet. Explicans enim effectum infinitum, quem charitas habet dicit, quòd eſt coniungere animam cum Deo iuſtificando illam. Ex quo ſequitur, quòd ſecundum D.Tho. eodem genere cauſalitatis concurrit charitas ad effectum infinitum, quo concurrit ad iuſtificationem, ſcilicet, per modum diſpoſitionis, & non per modum cauſæ efficientis: vt idem D.Tho. explicat in diſpu. quęſtio. vnica. de charitat. art. 1. ad. 1. Et quia diſpoſitio ſortitur effectum non ſecundum entitatem, & perfectionem, quam formaliter intrinſece habet, ſed ſecūdum virtutem agentis à quo procedit, vt eſt videre in naturalibus: calor enim ꝑductus ab equo diſponit ad formam equi, &c. idcircò D.Tho. dicit, ꝙ licet charitas habeat inducere illā coniunctionem cum Deo, quia tamen non habet hoc ex ſe preciſè, ſed ex virtute agentis infiniti à quo progreditur, tanquam à proprio & cōnaturali principio, idcircò producit effectum infinitum.

Obiectio.

¶Et ſi quis quęrat, quæ maior infinitas ſit in illa coniunctione cum Deo, ad quam charitas diſponit, quam in ipſa charitate, vel in actu dilectiōis.

Solutio.

¶Reſpōdeo ꝙ charitas, & actus dilectionis ſolū habēt infinitatē extrinſecā prouenientem ex parte obiecti, quo modo cognitio Dei ſiue naturalis, ſiue ſupernaturalis ſit, poteſt etiam dici infinita. At verò illa coniunctio per gratiam facta, eſt ſimpliciter infinita ex parte termini: cum nihil aliud ſit, quam ipſemet Deus, manens in nobis tanquam inhabitator animæ noſtræ: iuxta illud Ioan.14. Ad eum veniemus, & manſionem

apud

apud eum faciemus.&.1.Ioan.4. Qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo. Mediãte enim gratia, qua iuſtificamur, non ſolùm dantur nobis dona Dei, ſed etiã ipſemet Deus, vt docet D. Auguſtinus lib. 15. de Trinita. cap. 26. & D. Ambroſius lib. 1. de Spiritu ſancto, cap. 4. Idque probat ex illo Pauli ad Roma. 5. Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctũ, qui datus eſt nobis. Et D. Auguſtinus de verbis Domini explicans eundem locum dicit, A quo datur Spiritus ſanctus? Reſpondet. Ab illo, qui dedit dona hominibus. Quæ dona? Spiritum ſanctum. Tale enim donum dat, qualis ipſe eſt. Idem etiam docet tract. 74. Super Ioan. in illa verba: Ego rogabo patrem, & alium Paracletum dabit vobis. Et in quodam ſermone de Pentecoſte. qui incipit, Poſt inſignem. De hac re videndus eſt D.Tho. 1. par. quæſt. 43. art. 3. & 4. contra Gent. cap. 21.

Ad.1.arg. ¶ Ad primum argumentum reſpondetur, quòd procedit de primo, & ſecundo effectu charitatis, & D. Tho. loquitur de tertio. Et ſi quis obijciat, Si hoc eſſet verum, ſe quereretur, quòd etiam fides, & ſpes & reliquę virtutes haberent effectum infinitum: ſiquidem omnes diſponunt ad iuſtificationem, atque adeo ad illam coniunctionem, quæ fit animæ cum Deo, reſpondetur negando ſequelam. Nam, quanuis aliæ virtutes etiam diſponant ad iuſtitiam, ſola tamẽ charitas eſt, quæ vltimatè diſponit & complet aliarum virtutum diſpoſitiones. ¶ Ad ſecundum reſpondetur, certum eſſe ex D. Tho. in. 1. diſt. 17. q. 1. at. 1. quòd effectus infinitus, quem mediãte charitate facit Deus, eſt coniungere hominem cum bono infinito, à quo infinitè diſtabat. Et ad iſtam coniunctionem bene requiritur infinita virtus in Deo coniungente, non tamen in charitatẽ, qua mediante fit illa coniunctio. Si homo per charitatem infinite coniungeretur cum Deo, proculdubio eſſet neceſſaria infinita charitas: cæterum cùm finitè coniungatur, ſufficiens erit finita forma. Et ad argumentũ dico, ꝙ per formaliter operari nihil aliud intelligit D.Tho. quàm eſſe principium, quo mediante Deus coniungit hominem cum Deo: & cum illa coniunctio formaliter ſit finita, non ſequitur quod charitas, qua mediante fit, debeat eſſe infinita. Ad aliud, quo dicitur eſſe implicationem contradictionis, quòd aliquid ſit eſſectum, & quòd ſit infinitum, reſpondetur verum eſſe, ſi loquamur de effectu procedẽte à cauſa, vel in genere cauſæ efficientis, vel in genere cauſæ formalis: non tamen in genere cauſæ materialis, & diſpoſitiuæ. Nam, vt D.Tho. docet. 3. part. q. 2. ar. 7. vnio naturæ humanæ cum natura diuina eſt quid increatum, & quid infinitum, tamen, vt probabilis aſſerit opinio fuit facta mediante gratia tanquam diſpoſitione præcedente in genere cauſæ materialis. Et idem dico de vnione animæ cum Deo, quæ fit per charitatem, tanquam per diſpoſitionem: cùm tamen ipſa vnio ex parte termini ſit quid infinitum.

Ad.2.arg.

¶ In eodem tertio argumento dicit D. Tho. quòd omnis creatura eſt vanitas. Circa quod eſt aduertendũ, quod omnis creatura inquantum fit ex nihilo dicitur vanitas: & ſecundum iſtam conſiderationem etiam charitas poteſt dici vanitas. Cęterùm ſi conſideretur ſecundum quod eſt quædam participatio & ſimilitudo bonitatis diuinæ, eſt præſtantiſsima omnium virtutũ, quæ coniungit nos Deo, &c. *Nota.*

ARTICVLVS III.

¶ *Vtrum charitas ſit virtus.*

AD TERTIVM ſic proceditur. Videtur quòd charitas non ſit virtus. Charitas enim amicitia eſt quædam. Sed amicitia à Philoſophis non ponitur virtus: vt in. 8. lib. Ethic. patet. Neque enim connumeratur inter virtutes morales, neque etiam inter intellectuales. Ergo etiam neque charitas eſt virtus. *3.d.27.q.1. art.2.et in. q.1.ar.5.ad 5.et q.1.a.2.* Li.8. *Eth.c. 1. innuitur in pri. to. 5.*

2 ¶ Præterea, Virtus eſt vltimum potentiæ: vt dicitur in libro * de cœlo & mundo: ſed charitas non eſt vltimum: ſed magis gaudium & pax. Ergo videtur quod charitas non ſit virtus, ſed magis gaudium & pax. *Lib.1.tex. 116.to.2.*

3 ¶ Præterea, Omnis virtus eſt quidam habitus accidentalis: ſed charitas non eſt habitus accidentalis, cum ſit nobilior ipſa anima. Nullum autem accidens eſt nobilius ſubiecto. Ergo charitas non eſt virtus.

¶ SED CONTRA eſt, quod Auguſt. * dicit in libr. de Moribus Eccleſ. *Li.de moribus eccle.c. 11.to.1.*

Charitas

Charitas eſt virtus, quæ (cum noſtra affectio eſt rectiſsima) coniungit nos Deo, qua eum diligimus.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd humani actus bonitatem habent ſecundum quod regulãtur debita regula & menſura. Et ideo humana virtus, quæ eſt principium omnium bonorum actuum hominis, cõſiſtit in attingẽdo regulam humanorũ actuum.
Q. 17. ar. 1. Quæ quidem eſt duplex, vt ſupra* dictum eſt, ſcilicet humana ratio, & ipſe Deus. Vnde ſicut virtus moralis diffinitur per hoc, quod eſt ſecundum re-
Li. 2. cap. 6. ctam rationem, vt patet *in. 2. Ethi. ità etiam attingere Deum cõſtituit ratio-
Qu. 4. ar. 5. & q. 17. a. 1. nem virtutis, ſicut etiã ſupra dictum* eſt, de fide & ſpe. Vnde cum charitas attingat Deũ, quia cõiungit nos Deo,
In argu. ſed contra. vt patet per autoritatem Augu.* inductam: conſequens eſt charitatem eſſe virtutem.

¶ AD PRIMVM ergo dicen-
Li. 8. Ethi. c. 1. in prin. to. 5. dum, quòd Philoſophus in. 8. Eth., nõ negat amicitiam eſſe virtutẽ: ſed dicit, quòd eſt virtus, vel cũ virtute. Poſſet enim dici, qđ eſt virtus moralis circa operationes, quæ ſunt ad aliũ. Sub alia tamen ratione quàm iuſtitia. Nam iuſtitia eſt circa operationes, quę ſunt ad alium ſub ratione debiti legalis. Amicitia autem ſub ratione beneficij cuiuſdam debiti amicabilis & moralis: ſed magis ſub ratione beneficij gratuiti, vt
Li. 8. ca. 13. tom. 5. patet per Philoſophum* in. 8. Eth. Poteſt tamen dici, quòd nõ eſt virtus per ſe ab alijs diſtincta. Non enim habet rationẽ laudabilis & honeſti niſi ex obiecto, ſecundum ſcilicet quòd fundatur ſuper honeſtatem virtutũ. Quod patet ex hoc, quòd non quęlibet amicitia habet rationem laudabilis & honeſti, ſicut patet in amicitia delectabilis &
D. 87. vtilis. Vnde amicitia virtuoſa magis eſt aliquid conſequens ad virtutem, quàm ſit virtus. Nec eſt ſimile de charitate, quæ non fundatur principaliter ſuper virtutem humanam, ſed ſuper bonitatem diuinam.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd eiuſdem virtutis eſt diligere aliquẽ, & gaudere de illo. Nam gaudium amorem conſequitur, vt ſupra habitũ* eſt, cùm de paſsionib* ageretur. *1. 2. q. 25. a. 2.* Et ideo magis ponitur virtus amor, quàm gaudium: quod eſt amoris effectus. *D. 1172.* Vltimũ autem quod ponitur in ratione virtutis, non importat ordinẽ effectus, ſed magis ordinem exceſſus cuiuſdam: ſicut centum libræ excedunt quadraginta.

¶ Ad tertium dicendum, quod omne accidens ſecundum ſuum eſſe eſt inferius ſubſtantia: quia ſubſtantia eſt ens per ſe, accidens autẽ in alio. Sed ſecundum rationẽ ſuæ ſpeciei, accidens quidẽ, quod cauſatur ex principijs ſubiecti, eſt indignius ſubiecto: ſicut effect* cauſa. Accidens autem quod cauſatur ex participatione alicuius ſuperioris naturæ, eſt dignius ſubiecto, inquantũ eſt ſimilitudo ſuperioris naturæ, ſicut lux diaphano. Et hoc modo charitas eſt dignior anima, inquantum eſt participatio quædam Spiritus ſancti.

SVMMA TEXTVS.

CONcluſio eſt affirmatiua. Et probatur. Virtus eſt habitus eliciens actum bonum, hoc eſt attingentẽ regulam humanorum actuum: quę duplex eſt, vna homogenia altera heterogenia: ſed charitas eſt habitus eliciẽs actum bonum attingentem regulã heterogeniam, ſcilicet, Deum, cui per illam coniungimur: ergo charitas eſt virtus.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Dubium. CIrca iſtum articulum eſt difficultas de charitate remiſſa, Vtrùm ſit virtus. Et pro parte negatiua argumẽtor primò. *1. Argum.* Temperantia in gradu remiſſo nõ eſt virtus, ſed inchoatio virtutis, vt docet Ariſto. 7. Ethi. cap. 9. & . 2. magnorum Moralium. ca. 6. Et ratio illius eſt, quia cum temperantia in gradu remiſſo non habeat vim ad compeſcendum omnes inſurgentes paſsiones, nulla ratione fieri poteſt, vt promptè & delectabi-

liter operetur, quod neceſſariũ eſt ad rationem virtutis: ergo pari ratione dicendũ erit de charitate in gradu remiſſo quòd non eſt virtus. ℭ Secundò, Cum vera virtute vitia ſtare non poſſunt: ſed cum charitate in gradu remiſſo poſſunt ſtare habitus vicioſi, vt patet de homine nuper conuerſo, in quo ſimul cum charitate manent habitus vitiorum, quos longo tempore acquiſiuit, ergo.

3. Argum. ℭ Tertiò, De cõtinentia dicit Ariſt. 4. Eth. capit. 13. quòd habet aliquid admixtum de virtute, quatenus ſequitur rectã rationem: non tamen eſt virtus, quia eſt ſimul cum vehementibus paſsionibus ducentibus, & mouentibus voluntatem in contrarium: ergo ſimiliter dicendum erit de charitate remiſſa.

Vltim. argu. ℭ Vltimò, Virtutes ſunt connexæ, ità, vt vna ſine alijs eſſe non poſsit, ſed cum charitate in gradu remiſſo nõ connectuntur omnes virtutes, vt patet in exemplo poſito de homine nuper conuerſo, in quo non ſunt virtutes morales, cum illas ſuis actibus non acquiſierit: ergo.

1. Notabile. ℭ Pro explicatione huius difficultatis eſt aduertendum primò, quòd de virtute poſſumus loqui dupliciter: vno modo, quãtum ad eſſentiam, alio modo quantum ad ſtatũ. Si loquamur quantum ad eſſentiam, ſatis eſt ad rationem virtutis, quòd ſit habitus inclinans ad opera laudabilia & cõſona rectæ rationi. Si autem loquamur quãtum ad ſtatum, vltra hoc erit neceſſarium, quòd habeat multa alia, ſcilicet, debitã intenſionem, firmitatem, & extenſionẽ ad omnem materiam contentam ſub ratione formali ſui obiecti. Ex quo fit, vt de ratione cuiuſcunq; virtutis, quantum ad ſuum ſtatum, ſit, quòd habeat omnes alias connexas, vt docet D. Tho. 1. 2. quæſt. 65. art. 1.

2. Notabile. ℭ Secundò eſt aduertendũ, quòd iuxta communem modum loquẽdi philoſophorum, tantum illę cenſentur veræ & proprię virtutes, quę non ſolum habent eſſentiam, ſed etiam ſtatum virtutis. Et ratio eſt: quia iſtæ ſolæ ſunt, quæ faciunt firmiter, promptè, & delectabiliter operari in quocunque euentu, & circa quamcunq; materiam ſub proprio obiecto contentam; quod ad perfectam virtutem eſt neceſſarium. Ex quo ſequitur, quòd ſi charitas remiſſa non habet hanc firmitatem, quãuis habeat eſſentiam virtutis, nõ dicetur ſimpliciter, & abſolutè virtus.

1. Concluſio. ℭ His ſuppoſitis ſit prima cõcluſio, Charitas quantumcunq; remiſſa, eſt vera virtus quantum ad eſſentiam. Probatur: quia inclinat ad actus bonos, & conſonos rectæ rationi, quod ſatis eſt ad eſſentiam virtutis.

ℭ Secunda cõcluſio, Charitas quantum cunq; minima, eſt verè, & propriè virtus, non ſolum quantum ad eſſentiã, ſed etiam quantum ad ſtatũ. Probatur, Charitas quãtumcunq; minima facit habẽtem bonum, & Dei amicum, & dignum vitæ æternæ, ergo eſt verè & perfectè virtus. ℭ Secundò, Charitas quantumcunq; minima extendit ſe ad totam latitudinẽ ſui obiecti, & adimplet totam legem, poteſtq; reprimere paſſiones quantumcunq; vehementes, & vincere omnes difficultates, vt docet D. Tho. 3. part. quæſt. 62. art. 6. ad. 3. vbi dicit, quòd minima gratia poteſt reſiſtere cuilibet concupiſcentię, & mereri vitam æternam, ergo charitas quantumcunque minima, habet perfectum ſtatum virtutis. Et confirmatur, Charitas ſemper habet connexas omnes alias virtutes, quæ ſimul infunduntur cum illa, vt docet D. Tho. 1. 2. quæſt. 65. artic. 3. ergo ſemper habet perfectum ſtatum virtutis. Ex quo fit, vt in ſcriptura quęcunq; charitas perfecta appelletur, vt patet ex illo. 1. Ioan. 2. Qui ſeruat verbum eius in hoc charitas Dei perfecta eſt. & ca. 4. Si diligamus inuicem Deus in nobis manet, & charitas eius in nobis eſt perfecta. Ex dictis infertur quòd nunquam charitas poteſt eſſe ità remiſſa, vt nõ ſit magis propriè & magis perfectè virtus, quam quęcunque alia moralis. Deus enim, cuius eſt charitatem infũdere, ſemper tribuit illi eam inclinationem, quæ ex ſe ſufficiens eſt ad promptè, & delectabiliter operandum.

Ad. 1. argu. ℭ Ad primum argumentũ reſpondetur conceſſo antecedenti, negando conſequentiam. Et ratio diſcriminis eſt, quia cum temperantia in eſſe remiſſo paſsionibus inſurgentibus, quas non ſufficienter frænat, impediatur, ne ſuam regulam attingat, ſcilicet rationem, caro enim concupiſcit aduerſus ſpiritum, & lex membrorũ, quæ repugnat legi mentis captiuum ducit hominem in legem peccati, fit, vt in eſſe remiſſo non ſit virtus, ſed quædam inchoatio virtutis. At vero charitas nunquam impeditur paſsionib⁹, ne ſuam regulã attingat, ſcilicet, Deũ, ſed quibuſcunque, etiam vehementibus in appetitu exiſtentibus, cõiungit hominem Deo, & eum illi amicum reddit. Et ſic omnis charitas, etiã remiſſa, eſt perfecta virtus.

ℭ Ad

Ad.2.argu. ¶ Ad ſecundum reſpõdetur diſtinguendo maiorẽ. Nam, ſi intelligatur de virtutibus acquiſitis verum eſt, quod cum vera virtute non poſſint ſtare habitus vitioſi, ſecus autem eſt de charitate, & de alijs virtutibus infuſis. Et ratio diſcriminis eſt: quia cum habitus vitioſi ſint ordinis naturalis primò, & per ſe nõ opponuntur, niſi habitibus acquiſitis: charitas autem eſt virtus ordinis ſupernaturalis, & ideò non eſt mirum, quòd cum illa maneant habitus acquiſiti praui: non tamẽ manebunt opera praua, quia illa contrariantur cuicunq; charitati etiam minimæ. *Ad.3.argu.* ¶ Ad tertium reſpondetur conceſſo antecedenti negando conſequentiam. Continentia enim eſt quid imperfectum in genere virtutis, nec ſufficit denominare ſubiectum bonum, & ideò nõ eſt virtus. At verò charitas, etiã ſi ſit remiſſa, & luctetur cum vehemẽtibus paſsionibus, facit ſubiectum bonum, illiſq; omnibus quantum eſt ex ſe reſiſtere valet, vt iam diximus, & ſic eſt perfecta virtus. *Ad vltim. argumen.* ¶ Ad vltimum reſpondetur negando, quod charitas nõ habeat connexas omnes virtutes. Et ad exẽplum de homine nuper cõuerſo dico, quod quamuis non habeat virtutes morales acquiſitas, habet tamen virtutes infuſas: quod ſatis eſt ad hoc, vt omnes dicantur in illo eſſe. De hac re eſt videndus D. Tho. 1.2.q.65.art.3.

Dubium circa ſolutionẽ ad. 1. argu. D. Thom. ¶ Circa ſolutionem ad primum argumentum D. Tho. eſt difficultas, vtrùm amicitia ſit virtus. Ad cuius intelligentiam eſt aduertendum, quòd amicitia poteſt accipi dupliciter. Vno modo pro affabilitate, quæ alio nomine appellatur amicabilitas: de qua diſſerit D. Tho. 2.2. q.114. & Ariſtot. 4. Ethi. capit.9.&.14. Et de hac certum eſt ſecundũ omnes, quod eſt virtus conſiſtens in eo, quod homo decẽter ſe habet in dictis, & factis erga illos, cum quibus conuerſatur: tenetque medium inter adulationem, & auſteritatẽ. Alio modo accipitur pro amicitia morali, & politica, quę cõſiſtit in affectu mutuò ſe amantiũ: & de hac loquimur in præſenti, cùm quærimus, vtrùm amicitia ſit virtus. De qua re ſunt variæ doctorũ ſententiæ. *Sentẽtia Capreoli.* Prima eſt Capreoli in.3. d.27. art.3. dicentis, amicitiam eſſe virtutem, ſed non vnicè cum alijs. Quod eſt dicere, quod non eſt verè, & propriè virtus. Eandem etiam ſententiam videtur tenere D. Tho. in hoc art. & Caietanus in commento. Probarique poteſt his argumentis. *1. Argum.* Primò ſic. Amicitia fundatur in virtutibus, & oritur ex earum inclinatione (loquimur enim in præſenti tantũ de ea amicitia, quæ eſt inter homines probos;) ergo ipſa amicitia non eſt virtus. Probo cõſequentiam: quia alias ſundaretur in ſeipſa. *2. Argum.* ¶ Secundò, Virtus non poteſt auferri ab eo, in quo eſt ipſo inuito, auſertur enim per peccatũ, quod ab inuito committi non poteſt, cum ex natura ſua ſit voluntarium: ſed amicitia poteſt auferri ab eo, in quo eſt ipſo inuito: ergo amicitia non eſt virtus. Conſequentia cũ maiori eſt nota & minor probatur. Amicitia eſt mutuus amor, vt docet Ari. li.8. Mag. Mor. c.2. Sed is, qui mihi hactenus erat amicus, poteſt fieri inimicus cõtra meam voluntatẽ, ergo peribit tunc me renuente amicitia quam erga illum habebam. *3. Argum.* ¶ Tertiò, Officia, quę in amicos conferimus nõ pertinent ad amicitiã, ſed ad alias virtutes: nam, ſi quis, verbi gratia, pro vita amici tuẽda ſuam exponat periculo exercet actum fortitudinis, & non amicitiæ, & ſi facultates ſuas amico tribuit, opus exercet liberalitatis: ergo amicitia nõ eſt virtus, ſed quid conſequens virtutem. *Vltim. argu.* ¶ Vltimò, De ratione amicitiæ eſt habitus exiſtẽs in alio, nempe quòd alter ſit bonus, & ſtudioſus, ſed virtus ex ſua ratione non pendet ab extrinſeco aliquo, ſed ſeipſa eſt contenta: ergo amicitia non eſt virtus. *Cõfirmatio.* ¶ Et confirmatur, Omnis virtus exceſſu atque defectu corrumpitur, eſt enim media inter duo extrema, quorum vnum opponitur ei per exceſſum, & alterũ per defectum: ſed amicitia non corrumpitur per exceſſum, in diligendo enim nullus poteſt eſſe exceſſus, vnde D. Bernardus in lib. de diligendo Deum, dicebat, ꝙ modus diligendi Deum eſt ſine modo diligere: ergo amicitia nõ eſt virtus.

Sententia autoris. ¶ His tamẽ non obſtantibus dico, quòd amicitia ſimpliciter, & abſolute eſt virtus vniuoca cum alijs. Hanc ſententiam tenẽt Enricus de Gand. quodlib. 11. quæſt. 10. Guido Carmelita in ſuis quodlibetis. Buridanus.3. Eth. quæſt.3. Paludanus in.3. diſt. 27. quæſt.1. arti.2. Et quamuis Diuus Tho. in hoc articulo oppoſitum tenere videatur, ſemper tamen vtramque ſententiam probabilem putauit. Imò.8. Ethicor. lectio.1. & multis alijs in locis ex profeſſo defendit amicitiam eſſe virtutem: quod etiam affirmat Seneca libr.1. Epiſtolarum. epiſtola.9. Et D. Aug. in quodã libello de Amicitia. inquit amicitiã collocatam fuiſſe inter virtutes a Philoſophis huius ſeculi. Et probatur.

tur. Omnes Philoſophi, qui de amicitia loquuntur, eam ſummis laudibus efferunt. Nā Cicero in Lælio dicit, Solem de medio tollere videntur qui amicitiam tollunt, qua nihil præſtantius à Dijs immortalibus hominibus datū eſt: & Seneca ad Lucillum; Sapiens vult amicis conuiuere, vt virtutem exerceat, ne tanta virtus pereat: & Saluſt. Cōcordia res paruæ creſcunt, diſcordia maximæ dilabuntur: & Plautus in Cruento, Vbi amici, inquit, ibi opes: & apud Scythas, vt Lucianus ait, ille habebatur ditiſsimus, qui optimos amicos habebat: ergo amicitia eſt virtus. ℭ Secundò, Virtus nihil aliud eſt, quàm habitus electiuus in medio critate conſiſtens, ſecundum quem promptè, & delectabiliter operamur opera ſtudioſa, & difficilia: ſed talis eſt amicitia, de qua loquimur, ergo eſt virtus. Conſequentia cū maiori eſt nota, & minor probatur. Et primò, quod amicitia ſit habitus, eſt res manifeſta. Nam non ſolum dicimur amici, quando actu diligimus, ſed etiam quando ceſſamus à dilectione: & experientia conſtat, quòd exercitio actuū reddimur promptiores & faciliores ad diligendos amicos, quod ſine habitu fieri nō poteſt. Quod aūt ille habitus ſit electiuus, & in mediocritate conſiſtens patet ex communi ſententia omnium philoſophorum, qui honeſtam amicitiam magnopere laudant. Et ſimiliter, ꝙ ſecundum illum promptè, & delectabiliter operemur eſt notiſsimum, cum nihil delectabilius, & maiori cum ſuauitate fiat, quā illud, quod fit ex vera amicitia. Sed, quod hæc virtus verſetur circa difficile probatur, nam nihil eſt magis difficile, quam ſecundum prudentiam amicitiam ſeruare, vbi, quando, & cum quibus oportet, ergo amicitia eſt vera virtus vniuoce cum alijs. ℭ Tertiò, Magis neceſſaria eſt amicitia in Republica, quàm iuſtitia, quoniam ſi homines ſunt amici, non eſt opus iuſtitia, & ſi homines ſunt iuſti opus eſt amicitia. Vnde in Euangelio, vbi maxime commēdatur charitas proximorum, Ioan. 15. Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem, & alio in loco, Hæc mando vobis, vt diligatis inuicē. &c. nulla ſit determinatio iudiciorum in lege autem veteri, vbi non adeo expreſſe habebantur poſita præcepta de dilectione proximorum, multæ fuerunt iudiciorū determinationes: ſed iuſtitia eſt vere, & propriè virtus, ergo & amicitia. ℭ Vltimo, Amicitia eſt media inter duo extrema turpia, quorum vnum eſt indulgētia alterius vitiū, ſeu inimicitia: indulgētia enim opponitur amicitiæ per exceſſum, & odium per defectum, vt autor eſt Ariſto. 2. Ethic. c. 7. ergo amicitia eſt virtus.

ℭ Ad primum argumētum reſpōdetur, nullum eſſe incōueniens, quod vna virtus fundetur in alijs, & ſit quaſi ipſarum germen. Quinpotiùs hæc eſt vna ex eximijs laudibus huius virtutis, quòd eſt quaſi corona, & fructus omniū aliarum: nec requiritur quod fundetur in ſe ipſa, ſed ſatis eſt ꝙ fundetur in alijs virtutibus. ℭ Ad ſecundum reſpondetur, ꝙ ſi is, qui mihi erat amicus efficiatur me inuito inimicus meus, amicitia in me manēs retinet rationem formalem virtutis. nam eſt habitus electiuus in mediocritate cōſiſtens, quamuis deficiat illi materia. Sicut ſi ab eo, qui verè liberalis eſt vi auferantur diuitiæ, ille retinet virtutē liberalitatis, licet deſit eius exercendæ materia. ℭ Ad tertiū reſpondetur, verum eſſe, ꝙ actus illi, de quibus in argumento fit mētio, elicuntur ab alijs virtutibus, vt probat argumentū imperantur tamē ab amicitia, quod ſatis eſt ad hoc, vt amicitia ponatur virtus ab alijs diſtincta. ℭ Ad vltimū reſpōdetur, quod quia quælibet virtus dependet ab obiecto, non quantum ad actualem exiſtentiam ipſius, ſed quantum ad ordinem, quem importat ad illud, & ſecūdum iſtam conſiderationem amicitia pēdet à bonitate alterius, quem habet pro obiecto, inquantum eſt bonus: idcirco ſi bonitas auferatur ab extremo, auſertur & virtus quantum ad illum ordinem, & manet ſecundum rationem formalem virtutis, vt diximus in ſolutione ad ſecundum, de liberalitate, & de amicitia quando in alio extremo non reſpondet redamatio. ℭ Ad confirmationem reſpondetur negando minorem. Et ad probationem dico, quod teſtimonium illud intelligitur de amore diuino, in quo exceſſus eſſe non poteſt, & non de amicitia humana, in qua tam per exceſſum, quàm per defectum peccatum committitur, vt ex dictis conſtat.

Ad. 1. argu.

Ad. 2. argu.

Ad. 3. argu.

Ad vltim. argumen.

Ad confirmationem.

ℭ In ſolutione ad tertium dicit duo D. Thom. Primum eſt, quod anima ſecundum ſuum eſſe eſt nobilior charitate. Secundum, quod charitas in quantum eſt quædam participatio Spiritus ſancti, eſt nobilior anima. Circa quod eſt [illegible], quod nam horum abſolute ſit [illegible] nobilius alio? Caietanus [illegible] dicit, quod

Dubium.

Sententia Caietani.

quod anima ſimpliciter eſt nobilior charitate, quãuis charitas dicatur nobilior anima ſecundum quid. Quam ſententiam tenet D.Tho.in.1.diſt.17.quæſt.1.art.1.ad.6. & art.2.ad.3. Et probatur ex D.Dionyſio.5. capit. de diuinis nominibus. dicente, quòd eſſe eſt nobilius omnibus alijs rebus, quæ conſequuntur ad eſſe: ſed ſic eſt, quod charitas conſequitur ad eſſe animæ, hoc eſt, eſt poſterior illa: ergo anima ſimpliciter eſt perfectior charitate.

Argument.

Sententia autoris.

¶ Hoc tamen nõ obſtante dico eſſe longe probabilius, quod charitas ſimpliciter eſt perfectior anima. Quam ſententiam videtur tenere D.Tho.1.2.quæſt.113.artic.9. ad.2. Nam affirmat, quòd bonum gratiæ vnius, eſt maius, quàm bonum naturæ totius vniuerſi. Et certum eſt ex doctrina D. Auguſtini, quòd in his, quæ mole magna nõ ſunt, idem eſt maius eſſe & melius eſſe: ſi ergo bonũ gratiæ vnius eſt melius, quàm bonum naturæ totius vniuerſi, ſecundum D. Tho. à fortiori charitas dicetur abſolute perfectior anima. Et probatur. Simpliciter eſt melius eſſe Deũ per gratiam, quàm hominem per naturam, vt omnes doctores fatentur: ſed per charitatem ſumus dij per gratiam, hoc eſt, filij Dei adoptiui, & per animam ſumus homines per naturam: ergo charitas ſimpliciter, & abſolute eſt nobilior anima. Itẽ tribus modis, vt notat Caietanus.3.part.quæſt.1.art.1.communicat ſe Deus creaturis. Vno modo ſecundum eſſe naturale tribuendo illis eas perfectiones, quæ neceſſariæ ſunt ad hoc, vt in eſſe naturali perfectę exiſtant. Secundo modo ſupernaturaliter ſecundum eſſe gratiæ, tribuendo creaturis rationalibus eas perfectiones ſupernaturales, quę neceſſariæ ſunt ad hoc, vt ſint participes diuinæ naturę. Et certum eſt, quòd iſte ſecundus modus communicationis eſt longe præſtantior quàm prior, Tertius modus eſt præſtantiſsimus, pertinetque ad vnionem hypoſtaticam, de qua in præſenti non eſt ſermo. Hoc ſuppoſito probo meam concluſionem. Secundus modus communicationis per gratiam, atque gloriam eſt longe prętantior, quàm prior, qui eſt per naturam: ſed charitas eſt id, per quod Deus communicat ſe hominibus per gratiam, & anima rationalis eſt, per quod communicat ſe per naturam: ergo charitas ſimpliciter, & abſolutè loquendo, eſt præſtantior anima. ¶ Et ad teſtimonium Dionyſij reſpondetur primò, quòd loquitur de eſſe naturali reſpectu illarum perfectionum, quæ naturaliter conſequuntur ad eſſe, & non de perfectionibus ſupernaturalibus, quales ſunt gratia atque charitas. Secundò reſpondetur, quòd loquitur ſolum de eſſe naturalis exiſtentię, quod collatum alijs perfectionibus habet ſe reſpectu illarum ſicut actus reſpectu potentiæ, vt docet D.Tho.1.part. quæſt.3.art.4. Eſt enim eſſe vltima actualitas omnis formæ, & ſic reſpectu omnium habet ſe, vt perfectio. Et hæc reſponſio eſt magis ad mentem Dionyſij. Quæ, vt intelligatur aduertendum eſt, quod quæcunque quidditas, vel natura quantumcunque ſecundum rationem quidditatiuam ſit actualis, relata tamen ad eſſe habet rationem potentiæ. Sapientia nanque, & bonitas & gratia. &c. actuatur per hoc, quod dico, eſt, & ſimiliter humanitas. Et propterea dicitur, quod eſſe eſt actualitas omnis formæ, & q eſſe eſt nobilius omnibus alijs rebus, cum hoc tamen ſtat, quod charitas ſit præſtantior anima, vt iam diximus.

Ad argum. Caietani.

ARTICVLVS IIII.

¶ *Vtrùm charitas ſit virtus ſpecialis.*

Inf.q.58.ar.6.& 3.diſt.27.q.2.a.4.q.2.& 3. Et vir. q.2.a.2.cor.& a.5.

AD QVARTVM ſic proceditur. Videtur quòd charitas non ſit virtus ſpecialis. Dicit enim Hieronymus. Vt breuiter omnium virtutum diffinitionem complectar, Virtus eſt charitas, qua diligitur Deus & proximus. Et Auguſtinus dicit in li. de Moribus Eccleſiæ, quòd virtus eſt ordo amoris. Sed nulla virtus ſpecialis ponitur in diffinitione virtutis communis. Ergo charitas non eſt ſpecialis virtus.

Refertur. 3. ſent.d.27.

Et id habet in Epi.29.à me.to.2.

2 ¶ Præterea, Id quod ſe extendit ad opera omnium virtutum, non poteſt eſſe ſpecialis virtus, ſed charitas ſe extendit ad opera omnium virtutum, ſecundum illud primæ ad Corint. 13. Charitas patiens eſt, benigna eſt, &c. extendit etiam ſe ad omnia opera humana: ſecundum illud primæ ad Cor. vltimo. Omnia enim opera veſtra in charitate fiant. ergo charitas non eſt ſpecialis virtus.

Caie.15.to.1

3 ¶ Præterea, Præcepta legis reſpondet actibus virtutum, ſed Auguſtinus in li.* de Perfectione humanę iuſtitiæ, dicit quòd generalis iuſsio eſt, Diliges, & generalis prohibitio, Non concupiſces, ergo charitas eſt generalis virtus.

In reſponſione ratiocinationis. 11. to. 7.

¶ SED CONTRA, Nullum generale connumeratur ſpeciali, ſed charitas cõnumeratur ſpecialibus virtutibus, ſcilicet ſpei & fidei: ſecundum illud. 1. ad Corinth. 13. Nunc autem manent fides, ſpes, charitas, tria hæc. ergo charitas eſt ſpecialis virtus.

¶ RESPONDEO dicendũ, quod actus & habitus ſpecificãtur per obiecta, vt ex ſupradictis * patet. Proprium autem obiectum amoris eſt bonum, vt ſupra * habitum eſt, & ideo vbi eſt ſpecialis ratio boni, ibi eſt ſpecialis ratio amoris. Bonum autem diuinum inquantum eſt beatitudinis obiectum, habet ſpecialem rationem boni, & ideo amor charitatis, qui eſt amor huius boni, eſt ſpecialis amor. Vnde & charitas eſt ſpecialis virtus.

1.2.q. 18.4. 2.7.q.54. a.2. 1.2.q.27. art.1.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd charitas ponitur in diffinitione omnis virtutis, non quia ſit eſſentialiter omnis virtus, ſed quia dependent ab ea aliqualiter omnes virtutes, vt infra * dicetur, ſicut etiam prudentia ponitur in diffinitione virtutum moralium, vt patet * in. 2. &. 6. Ethi.eo quòd virtutes morales dependent à prudentia.

Art.7.&. 8 huius.q. Li.2. Eth c. 6.&. Eth c. vlt. tom. 5.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd virtus vel ars, ad quam pertinet finis vltimus, imperat virtutibus vel artibus, ad quas pertinent alij fines ſecundarij: ſicut militaris imperat equeſtri, vt dicitur * in. 1. Ethic. & ideo quia charitas habet pro obiecto vltimũ finem humanæ vitæ, ſcilicet beatitudinem æternam: ideo extendit ſe ad actus totius humanę vitæ per modum imperij non quaſi immediate eliciens omnes actus virtutum.

Lib.1. Ethic. c.1. ãme. to. 5.

¶ Ad tertium dicendum, quod præceptum de diligendo, dicitur eſſe iuſſio generalis: quia ad hoc reducuntur omnia alia præcepta ſicut ad finem: ſecundum illud primæ ad Timoth. 1. Finis præcepti charitas eſt.

SVMMA TEXTVS.

Concluſio affirmatiua. Et probatur, Vbi eſt ſpecialis ratio boni, ibi eſt ſpecialis ratio amoris: ſed obiectum charitatis habet rationem ſpecialem boni, verſatur enim charitas circa Deum ſecundum quod eſt obiectum beatitudinis: ergo charitas eſt ſpecialis amor, atque ex conſequenti ſpecialis virtus.

EXPLICATIO ARTICVLI.

De concluſione huius articuli nulla eſt difficultas, ſed conceditur ab omnibus. Cæterum in ratione, qua illam probat D.Thom. dicit duo, quæ indigent explicatione. Primum eſt, quod obiectum charitatis habet rationem ſpecialem boni. Secundum, quod charitas verſatur circa Deum, ſecundum quod eſt obiectum beatitudinis. Et quidem quòd primum ſit falſum probatur ex ſecundo hoc modo. Deus ſecundum quod eſt in ſe, & non ſub aliqua ratione ſpeciali, vel ſapientiæ vel iuſtitiæ eſt obiectum beatitudinis: nõ enim vident beati Deum, vt eſt ſapiens, aut iuſtus, ſed vidẽt eum, ſicuti eſt in ſe, vt affirmat Ioan. prima canonica. capit. 3. ex quo ſit, vt ſinguli beati videant omnia, quę ſunt formaliter in Deo: ergo falſum eſt dicere, quòd obiectum charitatis habet ſpecialem rationem boni. ¶ Ad hoc tamen reſpondetur certum eſſe, quod Deus non ſub ratione particulari, vel ſapientiæ, vel iuſtitiæ, eſt obiectum beatitudinis, ſed ſub ratione totali, & vniuerſali ipſius Dei, hoc eſt, inquantum eſt Deus, vt rectè probat argumentum. Appellatur tamen iſta ſpecialis ratio boni, à D.Tho. inquantum per illam diſtinguitur à quacunq; alia particulari, admodum, quo ratio ſimpliciter diſtinguitur à ratione ſecundum quid, vt explicat Caietanus in præſenti. *Argum.* *Solutio.*

¶ Sed circa ſecundum dictum D.Tho. eſt difficultas, Vtrùm verum ſit ꝙ Deus, ſecundum quod eſt obiectum beatitudinis ſit obie- *Dubium.*

1. Argu. pro parte negatiua. ſit obiectum charitatis. Et pro parte negatiua arguitur primò, Deus inquantum obiectum beatificum pertinet ad ſpem, ſpe enim expectamus noſtram beatitudinem, quæ eſt Deus, ergo ſub illa ratione non eſt obiectum charitatis. *2. Argum.* ¶ Secundò, Si Deus inquantum obiectum beatificum eſſet obiectum charitatis, ſequeretur quòd charitas non eſſet amor amicitiæ, ſed concupiſcentiæ, quo Deum nobis amaremus: conſequens autem eſt falſum, ergo. Probo ſequelam: nam amicitia non reſpicit proprium *3. Argum.* bonum aut lucrum. ¶ Tertiò, Deus eſt obiectum charitatis non ſub ratione relatiua, ſed ſub ratione abſoluta, ergo non inquantum obiectum beatificum, ſed inquantum Deus eſt obiectum huius virtutis. Antecedens eſt manifeſtum, quia cum charitas ſit virtus præſtantiſſima, & ratio abſoluti ſit præſtantior, quàm ratio relatiui, manifeſtè ſequitur, quòd Deus non ſub ratione relatiua, ſed ſub ratione abſoluta erit obiectum charitatis. Sed conſequentia probatur. Deus inquantum Deus dicit quid abſolutum, & Deus inquantum obiectum beatificũ dicit reſpectũ ad rem beatificabilem: ergo Deus nõ inquantũ obiectũ beatificũ, ſed inquantũ Deus eſt obiectũ charitatis.

¶ Propter hæc argumenta, Scotus in. 3. *Sentẽtia Sco.* diſt. 27. quæſt. 1. tenet contra Diu. Thom. quòd Deus non inquantum eſt obiectum beatitudinis, ſed inquantum Deus abſolutè, eſt obiectum charitatis: quam ſentẽtiam multi tanquam falſam reprehendunt. Cæterum meo iudicio D. Tho. & Scotus verbis tantum differunt, & in re conueniunt. *Sententia autoris.* Quod, vt explicẽ aduertendum eſt, quòd Deus dupliciter poteſt conſiderari, vno modo, vt cognoſcitur lumine naturæ, alio modo, vt cognoſcitur lumine fidei. Inter quæ hoc eſt diſcriminis, quòd Deus ſecundum priorem conſiderationem non eſt obiectum charitatis, ſed amoris naturalis, quo natura intellectualis fertur in ſuum autorem, & finem naturalem: at verò Deus ſecundum poſteriorem conſiderationem eſt obiectum charitatis. Et quoniam ea, quæ per fidem credimus de Deo videmus in patria per viſionem beatificam, idcircò D. Thom. dicit, quòd Deus inquantum obiectum beatificum eſt obiectum charitatis. Et rurſus, quoniam ea, quæ viſuri ſumus in Deo per viſionẽ beatificam conueniunt illi inquantum eſt Deus, idcircò Scotus dicit, quòd Deus inquantum Deus eſt obiectum charitatis. Et ſic patet, quod quãuis verbis differant re tñ conueniunt. Et ꝙ hoc ita ſit neceſſario dicendum, probatur. Nam quotquot defendunt D. Tho. dicunt, ꝙ quãdo ipſe affirmat, quod Deus inquantum eſt obiectum beatificum eſt obiectum charitatis, ly, inquantum, debet accipi non reduplicatiuè, ſed ſpecificatiuè. Ita vt non intendat dicere, quod formale obiectum charitatis ſit ille reſpectus rationis importatus nomine obiecti beatifici, nec quod charitas fertur in bonum diuinum ea preciſa ratione, quia eſt beatitudo, & perfectio noſtra, quoniam hæc ſunt falſa, vt rectè probant argumenta facta. Sed quod intendit dicere eſt, quod Deus ſecundum eam rationem, qua eſt obiectum beatificum eſt etiam obiectum charitatis. Eſt autem obiectum beatificum inquantum in ſe ipſo eſt ſupremum & infinitum bonum ordinis ſupernaturalis propter ſe diligibile, tanquam vltimus finis, & ſic etiam ſub hac ratione eſt obiectum formale charitatis, nempè ſub ratione ſupremi & infiniti boni abſolutè: quod in re eſt quod affirmabat Scotus. Conuenientior tamen mihi videtur modus loquendi D. Thom. Quod, vt explicem eſt aduertẽdum ex D. Thom. ſupra quæſt. 17. art. 6. ad. 3. & ex Caietano ibidẽ quod Deo *Nota ex Caietano.* conuenit, & eſſe vltimum finem, ac ſummum bonum abſolutè, & eſſe vltimum finem ac ſummum bonum noſtrum: & charitas fertur in vltimum finem, ſeu in ſummum bonum propter ſeipſum, ſpes verò fertur in vltimum finem, ſeu in ſummum bonum, vt noſtrum. Ex quo fit, quod charitas ſit amor amicitiæ, ſpes verò amor concupiſcentiæ: & quod vtraque verſetur circa Deum, vt eſt obiectum beatificũ quanuis diuerſimodè, nam charitas verſatur circa illud, ſecundum quod eſt in ſe, ſpes verò ſecundum quod eſt à nobis participabilis. Et quoniam charitas eſt virtus exiſtens in vi appetitiua, cuius obiectum eſt bonum ſub ratione communi boni, ideo cõuenientius dicitur, quod Deus inquantum obiectum beatificum, id eſt, inquantum eſt ſummum bonum, quam ꝙ Deus in quantum Deus, eſt obiectum charitatis.

ARTICVLVS V.

¶ *Vtrùm Charitas ſit vna virtus.*

AD QVINTVM ſic proceditur. Videtur quòd charitas non ſit vna

ſit vna virtus. Habitus enim diſtinguuntur ſecundum obiecta, ſed duo ſunt obiecta charitatis, ſcilicet Deus & proximus: quæ in infinitum adinuicem diſtant. Ergo charitas, non eſt vna virtus.

2 ¶ Præterea, Diuerſæ rationes obiecti diuerſificant habitum, etiam ſi obiectum ſit realiter idem, vt ex ſuprà

Q.17.ar.6. & 1.2.q. 54.ar.2. dictis* patet. Sed multæ ſunt rationes diligendi Deũ: quia ex ſingulis beneficijs eius perceptis, debitores ſumus dilectionis ipſius. Ergo charitas non eſt vna virtus.

3 ¶ Præterea, Sub charitate includi-

Lib.8.Ethi. c.11.&12. tom.5. tur amicitia ad proximum. Sed Philoſophus* in.8.Ethic. ponit diuerſas ſpecies amicitiæ. Ergo charitas non eſt vna virtus, ſed multiplicatur in diuerſas ſpecies.

¶ SED CONTRA, ſicut obiectum fidei eſt Deus, ità & charitatis. Sed fides eſt vna virtus propter vnitatem diuinæ veritatis, ſecundum illud ad Epheſ. 4. Vna fides. Ergo etiam charitas eſt vna virtus, propter vnitatem diuinæ bonitatis.

¶ RESPONDEO dicen-

Ar.1 huius quæſt. dum, quòd charitas, ſicut dictum* eſt, eſt quædam amicitia hominis ad Deum. Diuerſæ autem amicitiarum ſpecies accipiuntur quidem vno modo ſecundum diuerſitatem finis, & ſecundum hoc dicuntur tres ſpecies amicitiæ, ſcilicet amicitia vtilis, delectabilis, & honeſti. Alio modo ſecundum diuerſitatem communicationum, in quibus amicitiæ fundantur: ſicut alia ſpecies amicitiæ eſt conſanguineorum, & alia conciuium, aut peregrinantium: quarum vna fundatur ſuper communicatione naturali, alia ſuper communicatione ciuili, vel peregrinationis, vt pa-

Lib.8.Ethic. c.11.&12. tom.5. tet per Philoſophum in. 8. Ethicor.* Neutro autem iſtorum modorum charitas poteſt diuidi in plura. Nam charitatis finis eſt vnus, ſcilicet diuina bonitas. Eſt etiam & vna communicatio beatitudinis æternæ, ſuper quam hæc amicitia fundatur. Vnde relinquitur, quòd charitas eſt ſimpliciter vna virtus non diſtincta in plures ſpecies.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quod ratio illa directè procederet, ſi Deus & proximus ex æquo eſſent charitatis obiecta. Hoc autem non eſt verum: ſed Deus eſt principale obiectum charitatis, proximus autẽ ex charitate diligitur propter Deũ.

¶ Ad ſecundum dicendum, quod charitate diligitur Deus propter ſeipſum. Vnde vna ſola ratio diligendi attenditur principaliter à charitate, ſcilicet diuina bonitas, quæ eſt eius ſubſtantia: ſecundum illud Pſalm. 105. Confitemini Domino quoniam bonus. Aliæ autem rationes ad diligendum inducentes, vel debitum dilectionis facientes, ſunt ſecundariæ, & conſequentes ex prima.

¶ Ad tertium dicendum, quod amicitiæ humanæ, de qua Philoſophus loquitur, eſt diuerſus finis & diuerſa communicatio. Quod in charitate locum non habet, vt dictum* eſt. Et ideo In corp. art. non eſt ſimilis ratio.

SVMMA TEXTVS.

CONcluſio eſt affirmatiua. Probatur. Charitatis finis eſt vnus, ſcilicet, diuina bonitas: & item communicatio beatitudinis, ſupra quam fundatur charitas, eſt etiam vna: ergo ipſa charitas eſt vna virtus ſecundum ſpeciem. Probo conſequẽtiam: nam amicitiæ non poſſunt diſtingui ſpecie, niſi, vel penès diuerſos fines, vt amicitia honeſti, vtilis, & delectabilis, vel penès diuerſas communicationes, vt amicitia conſanguineorum, & conciuium.

EXPLICATIO ARTICVLI.

TOta difficultas huius articuli conſiſtit in explicando vtrum debeant poni diuerſæ virtutes charitatis in ordine ad Deũ, & in ordine ad proximos, ita quòd charitas in ordine ad proximos ſit alterius ſpeciei à charitate in ordine ad Deum: nam apparet in vtrique eſſe ſpecialem rationem diligibilitatis, & ſic quòd ſunt diuerſæ charitates. Cæterùm de hoc dicemus infra. q.25. ar.1.

ARTI.

ARTICVLVS. VI.

¶ *Vtrùm charitas ſit excellentiſsima virtutum.*

1.2.q.66.articulo 6. Et inf. q.30.art.4. Et. 3.d.36. arti.4.co. Et 4.cõ.cap.55. ad.13. Et col. 3.lect.3.principio.

AD SEXTVM ſic proceditur. Videtur quod charitas non ſit excellentiſsima virtutum. Altioris enim potentiæ altior eſt virtus, ſicut & altior operatio. Sed intellectus eſt altior voluntate, quia dirigit ipſam. Ergo fides, quæ eſt in intellectu, eſt excellẽtior charitate, quæ eſt in voluntate.

2 ¶ Præterea, Illud, per quod aliud operatur, videtur eo eſſe inferius ſicut miniſter per quem dominus aliquid operatur, eſt inferior domino. Sed fides per charitatem operatur: vt habetur ad Gala. 5. Ergo fides eſt excellentior charitate.

3 ¶ Præterea, Illud, quod ſe habet ex additione ad aliud, videtur eſſe perfectius, Sed ſpes videtur ſe habere ex additione ad charitatem. Nam charitatis obiectum eſt bonum. Spei autem obiectum eſt bonum arduum. Ergo ſpes eſt excellentior charitate.

¶ SED CONTRA eſt, quod dicitur primæ ad Corinth. 13. Maior horum eſt charitas.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd cum bonum in humanis actibus attendatur, ſecundum quod regulantur debita regula, neceſſe eſt quod virtus humana, quæ eſt principium bonorum actuum, conſiſtat in attingendo humanorum actuum regulam: eſt autem duplex regula humanorũ actuũ, vt ſupra dictum* eſt, ſcilicet ratio humana, & Deus. Sed Deus eſt prima regula, à qua etiam humana ratio regulanda eſt. Et ideo virtutes theologicæ, quæ conſiſtunt in attingendo illam regulam primã, eo quod earum obiectũ eſt Deus excellentiores ſunt virtutibus moralibus vel intellectualibus, quæ conſiſtunt in attingendo rationem humanã. Propter quod oportet, quod etiam inter ipſas virtutes theologicas illa ſit potior, quæ magis Deũ attingit. Semper autẽ id quod eſt per ſe, maius eſt eo, quod eſt per aliud. Fides autem & ſpes attingunt quidem Deum, ſecundum quòd ex ipſo prouenit nobis vel cognitio veri, vel adeptio boni. Sed charitas attingit ipſum Deum, vt in ipſo ſiſtat, non vt ex eo aliquid nobis proueniat. Et ideo charitas eſt excellentior fide & ſpe, & per conſequens omnibus alijs virtutibus. Sicut etiam prudẽtia, quæ attingit rationem ſecundum ſe, eſt excellentior, quàm aliæ virtutes morales, quæ attingunt rationem, ſecundum quod ex ea medium conſtituitur in operationibus, vel paſsionibus humanis.

* Arti.3. huius q.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd operatio intellectus completur ſecundum quòd intellectũ eſt in intelligẽte. Et ideo nobilitas operationis intellectualis attenditur ſecundum menſuram intellectus. Operatio autem voluntatis & cuiuſlibet virtutis appetitiuæ, perficitur ex inclinatione appetentis ad rem ſicut ad terminum: ideo dignitas operationis appetitiuæ attenditur ſecundum rem, quæ eſt obiectum operationis. Ea autem, quæ ſunt infra animam nobiliori modo ſunt in anima, quàm in ſeipſis, quia vnumquodque eſt in aliquo per modum eius in quo eſt, vt habetur in lib.* de Cauſis. Quæ vero ſunt ſupra animam, nobiliori modo ſunt in ſeipſis, quàm ſint in anima. Et ideo eorum, quæ ſunt infrà nos, nobilior eſt cognitio, quàm dilectio. Propter quod Philoſophus in.7. Ethic. prætulit virtutes intellectuales moralibus. Sed eorum, quæ ſunt ſupra nos, & præcipuè dilectio Dei, cognitioni præfertur. Et ideo charitas eſt excellentior fide.

* Propoſ. 12. & .20. inter opera Ariſto. to.3.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd fides nõ operatur per dilectionem ſicut per inſtrumentum, vt dominus per ſeruũ, ſed ſicut per formã propriam. Et ideo ratio non ſequitur.

¶ Ad tertium dicendum, quod idem bonum eſt obiectum charitatis & ſpei.

Sed charitas importat vnionem ad illud bonum: ſpes autē diſtantiam quandam ab eo. Et inde eſt quòd charitas non reſpicit illud bonum vt arduum, ſicut ſpes. Quod enim iam vnum eſt, non habet rationem ardui. Et ex hoc apparet. quòd charitas eſt perfectior ſpe.

SVMMA TEXTVS.

PRima concluſio, Virtutes theologicæ ſunt excellentiores virtutibus moralibus. Probatur. Illæ virtutes ſunt excellētiores, quæ altiori principio, & regula regulantur: ſed virtutes theologicæ regulātur altiori regula q̃ morales, regula enim theologicarū eſt Deus, & regula moraliū eſt humana ratio: ergo virtutes theologicales ſunt excellētiores moralibus. ℭ Secūda cōcluſio. Charitas eſt excellentior fide, & ſpe, atq; ex cōſequenti omnibus alijs virtutibus. Probatur. Id, quod eſt per ſe, eſt excellentius eo, quod eſt per aliud: ſed charitas attingit Deum ſecundum ſe, hoc eſt, in quantum eſt bonus: fides vero & ſpes attingunt Deū ſecundum aliud, hoc eſt, in quantum ex ipſo proueniunt nobis cognitio veri, & cōſequutio boni: ergo charitas eſt excellentior fide, & ſpe. Et confirmatur. Prudentia eſt melior alijs virtutibus moralibus, eo quòd ſecundum ſe attingit regulam rationis, aliæ verò non ſecundum ſe, ſed quatenus per prudentiam regulantur: ergo pari ratione dicendum erit de charitate.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Dubium. DE prima cōcluſione huius articuli nulla eſt difficultas: ſed circa ſecundam eſt dubium, vtrum vera ſit. Et pro parte negatiua argumentor primo. *1. Argum.* In vno quoque ædificio fundamentum eſt præcipua pars illius: ſed fides eſt fundamentum ædificij Chriſtiani, iuxta illud Pauli ad Hebræ. 11. Fides eſt ſperandarum ſubſtantia rerum, ergo fides eſt præſtantior charitate. ℭ Secundò, Infidelitas eſt deterius peccatum, quam odium Dei, ergo fides, cui infidelitas opponitur, eſt præſtantior virtus, *2. Argum.* quam charitas, cui opponitur odium Dei. Conſequentia tenet, quia illud eſt melius, cuius oppoſitum eſt peius: & antecedens probatur. Infidelitas euertit penitus omnia ſpiritualia, quod odium Dei non facit: ergo infidelitas eſt maius peccatum. ℭ Tertiò, Actus fortitudinis, ſcilicet, martyrium eſt perfectior actu charitatis, iuxta illud Ioann. 15. Maiorem charitatē nemo habet, quam vt animā ſuam ponat quis pro amicis ſuis. ergo fortitudo eſt præſtantior virtus, quam charitas. *3. Argum.*

Concluſio. ℭ His tamen non obſtantibus eſt concluſio de fide tenenda, quod charitas eſt excellentior virtus, quàm fides, & ſpes, & quàm omnes aliæ virtutes morales. Probatur manifeſtè ex illo. 1. ad Corint. 13. Nunc autem manent tria hæc fides, ſpes, charitas: maior autem horum eſt charitas. & ad Coloſ. 3. Super omnia charitatem habete, quæ eſt vinculū perfectionis. &. 1. ad Corin. 12. Adhuc excellentiorem viam vobis demonſtro, æmulamini chariſmata meliora: & loquebatur de charitate. Item Chriſtus Matthæ. 22. quærenti, quod eſſet maximum mandatum in lege reſpondit. Diliges Dominum Deum tuum. Ex quo conſtat charitatem eſſe præſtantiorem alijs virtutibus. Et ratio eſt manifeſta. Nam inter omnes virtutes illa eſt præcipua, quæ magis nos vnit Deo: ſed inter omnes virtutes illæ, quę ſunt theologales, magis vniunt nos Deo, quem reſpiciunt tanquam obiectum: ergo inter omnes virtutes illæ, quæ ſunt theologales ſunt præſtantiores. Tunc vltra. Inter virtutes theologales charitas vnit nos magis Deo, quàm fides, & ſpes: important enim fides, & ſpes quandam diſtantiam à Deo, cùm fides ſit de non viſis, & ſpes de non habitis, quam charitas non importat, ſed maximè vnit nos cum Deo iuxta illud 1. Ioan. 4. Qui manet in charitate in Deo manet. & Deus in eo, ergo charitas eſt præſtantior omnibus alijs virtutibus.

Ad 1. argu. ℭ Ad primum argumentum vt reſponderemus operæpretium erat, vt longam inſereremus diſputationem de dignitate fidei, atque charitatis, niſi eam ſupra poſuiſſemus quæſt. 4. artic. 7. Quo loco contra Lutheranos oſtēdimus charitatem eſſe præſtantiorem fide: & reſpondimus ad omnia argumenta, quæ pro illorum falſa ſententia fieri poterant. Videte ibi. Et nunc tantum ad argumentum dico, quòd Paulus iuxta diuerſas occaſiones quæ occurrebant diuerſas etiā virtutes cōmēdabat, nūc fidē, nūc ſpem, nunc orationē, nūc eleemoſynā, nunc hoſpitalitatem. &c. Nec ex hoc licet inferre, quòd aut fides, vel oratio,

vel

vel eleemoſyna ſit alijs præſtantior. Vnde cùm neceſsitas poſtularet, vt ad Hebræos ſcribens fidem laudibus extolleret, dixit de ea quòd eſt ſubſtantia rerum ſperandarum. Ex quo non infertur, quòd fides ſit perfectior charitate. Nam, ſi fides eſt fundamentum ædificij Chriſtiani, charitas eſt finis, iuxta illud. Finis præcepti charitas. Et certum eſt, quòd finis eſt nobilior ijs, quæ ſunt ad finem. *Ad.2.argu.* ❡ Ad ſecundum reſpondetur diſtinguendo maiorem. Nam ſi infidelitas, & odium Dei ſecundũ vtriuſq; naturam inter ſe ſe cõferantur, odium Dei ſine dubio eſt deterius, quàm infidelitas, vt tradit Diuus Thom. ſupra quæſt. 20. arti. 3. & infra quæſt. 34. artic. 2. ad. 2. Et ratio eſt, quia culpa conſiſtit in auerſione, & maior auerſio à Deo eſt in odio Dei, quàm in infidelitate: ſicut maior conuerſio eſt in charitate, quàm in fide. Conuerſio enim charitatis eſt ad Deum ſecundum ſe: conuerſio verò fidei eſt ad Deum, vt principium cognoſcendi veritatem: præter quam, quòd etiam infidelitas ideò eſt peccatum, quia cauſatur à voluntate diuinam veritatem contemnente, & illam odio habente. Si autem conſiderentur infidelitas, & odiũ Dei ex parte nocumẽti, quod ex his peccatis homini prouenit, ſic deterior eſt infidelitas, quam odium Dei, quia plus illi nocet, cùm infidelitas extinguat fidem, quæ eſt primũ fundamentum Chriſtiani ædificij, & ex conſequenti tollat ſpem, & charitatem, & reliqua bona ſpiritualia. At verò odium Dei licèt deſtruat charitatem, & alias virtutes & dona, quæ habent neceſſariam connexionem cum charitate, non tamen tollit fidem, nec ſpem. Et quoniam in præſenti præcipuè attendimus ad grauitatem peccati prouenientem ex rei natura, idcircò ſimpliciter dicimus, quòd odium Dei eſt grauius, quam infidelitas. Et per hoc patet ſolutio ad ſecundum argumentum.

❡ In tertio argumento tangitur difficultas de actu martyrij. Circa quem, quãtum attinet ad præſens inſtitutum, duo poſſumus dubitare. *Dubium.* Primum eſt, vtrùm ſuſtinere mortem propter Deum ſit actus elicitus à fortitudine, an verò à virtute theologica, putà fide, vel charitate. Secundum, vtrùm dato, quòd eliciatur à fortitudine ſit præſtantior actus, quam actus charitatis, quæ duo ſuo ordine erunt à nobis explicanda. *1. Argum.* Et quidem quantum ad primum quòd ſuſtinere mortem propter Deũ non ſit actus elicitus à fortitudine, pbatur primò. Actus interior & exterior pertinẽt elicitiuè ad eã dem virtutem, quando verſantur circa eandem materiam, vt patet in ieiunare, & velle ieiunare, quæ pertinent ad eandem virtutem temperantiæ: ſed velle mortem oppetere propter Deũ eſt actus elicitus à charitate diligente Deum ſuper omnia, ergo etiam exterior paſsio propter Deum erit actus elicitus à charitate. ❡ Secundò, Actus, *2. Argum.* qui ſecundum ſubſtantiam ſuperant modum moralis virtutis neceſſario debẽt procedere à virtute theologica: ſed oppetere mortem propter Deum ſummè dilectum ſuperat modum moralis virtutis, maximè illius, quæ exiſtit in appetitu ſenſitiuo, qualis eſt fortitudo: ergo iſte actus non poteſt elici à fortitudine, ſed à virtute theologica. ❡ Tertiò, Suſtinere mortem propter Deũ *3. Argum.* eſt confeſsio ſupernaturalis veritatis: ſed huiuſmodi confeſsio ſecundum ſubſtantiam procedit à fide: ergo non elicitur à fortitudine, ſed à virtute theologica.

❡ In contrarium tamen eſt. *Ratio in contrarium.* Nam ſi fortitudo non eliceret eum actum ſecundum ſubſtantiam, ſequeretur, quòd circa ſuam materiam propriam nullam haberet operationem, conſequens autem eſt falſum: ergo & illud, ex quo ſequitur. Probatur ſequela. Nam propria materia fortitudinis ſunt maxima pericula mortis: ſed ea inueniuntur in caſu poſito, ergo.

❡ Pro explicatione huius difficultatis *Primum notabile.* eſt aduertendum primò, dupliciter poſſe contingere, quòd aliquis actus procedat ab aliqua potentia, vno modo elicitiuè, alio modo imperatiuè. Elicitiuè tunc procedit, quando ſecundum ſuam ſubſtantiam, & in eſſe naturæ producitur ab illa potentia: quod intelligetur tunc eſſe, quãdo actus circa formale obiectum talis potentiæ verſabitur. Vt, verbi gratia, aſſenſus veritatis ſecundum ſubſtantiam, & in eſſe naturæ in quacunque materia ſit dicitur produci ab intellectu, quia ſemper verſatur circa verùm, quod eſt obiectum formale ipſius intellectus: & ſic ab iſta potentia ſemper elicitiuè procedit. Imperatiuè autem dicetur actus procedere ab aliqua potentia, quã do ſecundũ ſubſtantiam producitur ab vna potẽtia, & ab alia dirigitur in ſuum finem. Vt, verbi gratia, ira inferioris appetitus elicitur ab iraſcibili, & imperatur à voluntate qñ dirigitur & ordinatur in aliquẽ finẽ intentũ à volũtate. Et hoc eſt quantũ ad potẽ

tias:

tias: nam in habitibus longè diuerſa eſt ratio. Nam cum habitus non ſint principium actus in eſſe naturę, ſed ſolum in eſſe moris, hoc eſt, ſecundum rationem boni, aut mali, fit, vt tunc tantum dicatur actus elici ab aliquo habitu, quando ab eo habet bonitatē, aut malitiam ſecūdum ſpeciem moralem. Verbi gratia, elargitio eleemoſynæ dicitur produci elicitiue à miſericordia, quia ab ea habet bonitatem in eſſe moris, quamuis in eſſe naturæ non producatur ab ea potentia, in qua miſericordia eſt ſubiectiue. Tunc autem dicetur actus produci ab aliqua virtute imperatiue, quando ſuppoſita bonitate, quam habet ſecundum propriam ſpeciem, dirigitur, & ordinatur ab alia virtute ad ſuū finem. Vt, verbi gratia, ſi quis elargiatur, eleemoſynam pauperi clerico, vt ſeruiat Eccleſiæ, talis actus dicitur elicitus à miſericordia, & imperatus à religione: quia ſuppoſita bonitate, quam ille actus habet, intra ſpeciem miſericordiæ, ordinatur ad finem honeſtum religionis. Et eadem ratio eſt de omnibus alijs vitijs atque virtutibus.

2. *Notabile.* ¶ Secundò eſt aduertendū, inter alia, hoc eſſe diſcriminis inter ſubſtantiam & accidens, quòd in ſubſtantijs fieri non poteſt, vt vnum numero indiuiduum pertineat ad duas ſpecies diſparatas eiuſdem generis. Quia cum indiuiduum ſubſtantiæ habeat eſſe ſimpliciter à forma, ſicut non poteſt habere plures formas ſubſtātiales, ita nec plures ſpecies. Cęterum in accidentibus poteſt inueniri diuerſitas ſpecierum in vno & eodem indiuiduo coniuncta, vt patet in pomo. Et ratio eſt: quia, cùm accidentia tantum dent eſſe accidentarium, quod multiplicari non vetat, ſicut in vno indiuiduo poſſunt inueniri plura accidētia, ita & plures ſpecies accidentales. Et hoc maximè cōtingit in actibus humanis, quorum ſpecies determinantur per rationes formales illorum. Vnde fieri poteſt, quòd vnus numero actus in eſſe naturę, pertineat ad plures ſpecies in eſſe mòris, quarum quælibet habebit ſuam rationem formalem diſtinctam. Vt, verbi gratia, occiſio hominis eſt vnus actus in eſſe naturæ, & tamen ſi ille ſit ſacerdos, vel conſanguineus, vel in loco ſacro, diſtinctos ſpecies inueniemus.

3. *Notabile.* ¶ Tertio eſt aduertendum, quòd fidei confeſsio tripliciter fieri poteſt. Vno modo per verba, aut facta, ità ad ſignificādum inſtituta, vt proximus finis illius confeſsionis ſit manifeſtatio internæ veritatis. Alio modo per verba quidem, & facta ſignificātia, ſed non immediate inſtituta ad manifeſtationem internæ veritatis, ſed ad exhibēdum cultum Deo. Vt, verbi gratia, quando procumbimus ante altare, vel cātamus laudes diuinas. Licet enim his verbis, atque factis veritatem internam manifeſtemus, tamen proximus finis illorum non eſt manifeſtare veritatē, ſed exhibere cultum Deo. Tertio modo fit fidei confeſsio, quando potiùs moriendo, quam loquendo veritatem diuinam manifeſtamus: ita tamen, vt paſſio ordinetur ad manifeſtationem præhabitæ confeſsionis.

¶ His ſuppoſitis ſit prima concluſio. *1. Concluſio.* Quando ſidem confitemur verbis, aut factis ità ad ſignificandum inſtitutis, vt proximus finis illorum ſit, manifeſtare diuinā veritatem, talis actus à ſola fide eſt elicitus. Probatur. Exterior manifeſtatio veritatis ad eandem virtutem propriè pertinet, quæ immediatè inclinat ad aſſenſum illius, ſed ad aſſenſum veritatis diuinæ ſola fides inclinat, ergo exterior manifeſtatio illius ad ſolam fidem ſpectabit, atque ex conſequenti elicietur ab ea. Et confirmatur. Exterior manifeſtatio fidei veritatem habet ab aſſenſu interiori, & propterea omnē ſuam bonitatem in eſſe moris habet à virtute fidei, ergo elicitur ab ea. Antecedens eſt manifeſtum, & conſequentia probatur ex ijs, quæ diximus in primo notabili.

¶ Secunda concluſio, *2. Concluſio.* Quando fidem cōfitemur verbis, aut factis non immediatè inſtitutis ad manifeſtationem veritatis diuinæ, ſed ad exhibendum cultum Deo, qualia ſunt cantare laudes diuinas, offerre ſacrificium, adorare Euchariſtiam. &c. Tales actus ſunt eliciti à religione præſuppoſita fide. Probatur: Nam illi actus habent ſuam bonitatem ſecundum ſpeciem moris à virtute religionis, ergo ab ea eliciuntur. Antecedens eſt manifeſtum, & conſequētia probatur ex eodem primo notabili. Ex quo infertur, quòd oppoſita vitia, vt blaſphemia, idololatria, formaliter non contrariantur fidei, ſed religioni, vt diximus in ſuperioribus. Cæterum quia religio præſupponit fidem, cui coniungitur, ex vitijs oppoſitis religioni poteſt deſumi efficax argumentum ad conuincendam internam infidelitatem.

¶ Tertia concluſio. *3. Concluſio.* Confeſsio fidei, quę fit cum periculo mortis ſimul eſt elicita à fide, & à fortitudine. Sed antequam iſtam conclu-

concluſionem probemus ſupponendum eſt, quod in confeſsione fidei facta cum periculo mortis duplex difficultas inuenitur diuerſorum generum, ac proinde duplici remedio indiget ad tollendam eam difficultatem. Prima difficultas eſt intrinſeca ex parte obiecti, quod excedit facultatem naturalem intellectus, & hanc tollit fides: & ſic directè elicit talem confeſsionem. Secunda difficultas eſt extrinſeca ex parte periculi emergẽtis, cuius metu retardatur homo ne ſuam fidem confiteatur. Et hanc difficultatem directè tollit fortitudo cohibendo timorem, atque ex conſequenti indirectè concurrit ad confeſsionem eliciendam, quatenus remouet prohibẽs. Ex quo fit, vt in ea confeſsione, per ſe loquendo, ſit neceſſaria fides, per accidens autem fortitudo, iuxta id, quod docet Ariſt. 3. Ethic. c. 2. Vbi dicit, quod iuſtitia per ſe eſt neceſſaria homini, fortitudo autem per accidẽs quando occurrit impugnatio. Hoc igitur ſuppoſito probatur concluſio: nam in caſu poſito vtraq; virtus habet ſuam propriam materiam, ergo vtraque elicit illum actum in ſuo gradu. Et confirmatur: nam ille actus habet ſuam bonitatem ab vtraque illa virtute: ergo ab vtraque elicitur.

4. *Concluſio.* ¶ Quarta concluſio. Quando aliquis actu ſuſtinet mortem propter Deum ille actus eſt elicitus à fortitudine, & imperatus à charitate præſuppoſita fide. Quæ concluſio, vt intelligatur aduertendum eſt, quòd cùm Martyri pro confeſsione fidei applicantur tormenta, multa inueniuntur ibi. Primum eſt, perſeuerantia in aſſerta veritate, & hæc elicitur a fide, & à fortitudine. Nam cum continuatio actus pendeat ab eiſdem cauſis, à quibus fuit productus, fit, vt perſeuerantia ad eadem principia pertineat, quæ, vt diximus, fuerunt fides atque fortitudo. Secundum, quod inuenitur, eſt præparatio animi, & exhibitio corporis ad moriendum: & hæc elicitur à fortitudine, quia eſt propria materia illius. Vnde Diu. Hieronymus. quæſt. 5. ad Gelaſium dicit, quòd quia in paſsione Domini opus erat fortitudine ideo dicitur de eo apud Lucam cap. 9. quòd dum complerentur dies eius ipſe faciem ſuam firmauit, vt iret in Hieruſalem. & Ezechiel. 3. Poſui faciem tuam ſicut adamantem. &c. Tertium, quod inuenitur, eſt fides, & hæc præſupponitur ad corporis exhibitionem, cum ratione illius ea pericula ſuit optima. Et ſic conſtat, quod ſuſtinere actu mortem pro confeſsione veritatis eſt actus fortitudinis, præſuppoſita fide. Cum autem hæc omnia vltimate ordinentur ad diuinam gloriam, tunc charitas ſuum exercet officium per modum imperij, & ſic imperatur ille actus à charitate.

¶ Sed contra iſtam concluſionem eſt argumentum. Quando aliquod medium eſt neceſſarium ad conſequutionem alicuius finis, illa virtus, quæ reſpicit finem eſt etiã ſufficiens ad conſtituendum tale medium: ſed ſuſtinere mortem eſt medium neceſſarium ad ſeruandam fidem, ergo ſola fides erit ſufficiens ad illud conſtituendum: atq; ex conſequenti non erit neceſſaria fortitudo, vt ab ea ille actus eliciatur. *1. argum. cõtra. 4. cõclu.* ¶ Et confirmatur. Quælibet virtus ſufficit ad reſiſtendum ſuo contrario: ſed timor mortis in caſu, quo mors eſt neceſſaria ad fidei cõfeſsionem, tantum contrariatur fidei, ergo ſola fides ſufficit ad reſiſtendum illi: atque ex conſequenti non eſt neceſſaria fortitudo. *Confirmatio*

¶ Secundo ſic argumentor. Finis, ad quem ordinatur actus martyrij, non eſt finis charitatis, ſed fidei: ſed virtus, quæ imperat aliquem actũ ordinat illum in ſuum finem: ergo actus martyrij non imperatur à charitate. Conſequentia cum minori eſt nota, & maior probatur. Nam martyrium ordinatur ad teſtificationem, & manifeſtationem diuinæ veritatis iuxta illud: Eritis mihi teſtes in Hieruſalem: ſed talis manifeſtatio ſeu teſtificatio non eſt finis charitatis, ſed fidei, ergo. *2. Argum.* ¶ Tertio, Si ad martyrium eſſet neceſſarius concurſus omnium illarũ virtutum, quas diximus in concluſione, ſequeretur, quod qui in martyrio deficeret peccaret multiplex peccatum, hoc autem videtur abſurdum, ergo. Sequela probatur. Nam committeret actum, qui pluribus virtutibus aduerſatetur, ergo peccaret multiplex peccatum. *3. Argum.*

¶ Ad primũ argumentum reſpondetur diſtinguẽdo maiorem. Nam medium poteſt eſſe multiplex, vnum per ſe ordinatũ ad finem, & eiuſdem generis cum illo, alterum extrinſecum, & alterius generis cũ fine. Hoc ſuppoſito dico, quòd virtus, quæ reſpicit finem ſufficiens eſt ad conſtituendum medium, ſi illud ſit per ſe ordinatum, & eiuſdem generis cum fine, ſecus autem eſt, quando medium eſt extrinſecum, & alterius generis, tunc enim neceſſaria eſt extrinſeca virtus, vt contingit in propoſito. *Ad. 1. argu.* ¶ Ad confirmationem reſpondetur ve- *Ad confirmationem.*

rum

num eſſe, quòd quælibet virtus ſufficit ad reſiſtendum ſuo contrario, diuerſimodè tamen: nam quæ ſunt contraria formaliter excludit per ſeipſam, quæ autem ſunt contraria ab extrinſeco excludit auxilio aliarum virtutum, quibus connectitur. Et ita facit fides in propoſito: nam mediante fortitudine excludit mortis timorē, qui non per ſe, ſed ab extrinſeco opponitur fidei, quando mors eſt neceſſaria ad fidei cōfeſsionem.

Ad.2. arg. ¶ Ad ſecundum reſpondetur negando maiorem. Et ad probationem dico, quòd quanuis actus fortitudinis immediate ordinetur ad ſeruandam fidem, vltimatè tamen ordinatur in finem charitatis: & ſic poteſt eſſe, imo eſt imperatus ab illa. Charitas enim reſpectu omnium virtutum eſt finis, non proximus, ſed vltimus: & ſic omnium virtutum actus imperat, atque dirigit in ſuum finem.

Ad.3. arg. ¶ Ad tertium reſpōdetur negando ſequelam. Et ad probationem dico, quòd quanuis ille actus aduerſetur pluribus virtutibus, quia tamen omnes illæ erant neceſſariæ propter actum fidei, quam confiteri tenebatur, idcircò, per ſe loquendo, tantum peccat contra fidem: ſicut & qui negligit pœnitere tantum peccat contra virtutem pœnitentiæ, quanuis ad illum actum multi aliarum virtutum neceſſario concurrere debeant, &c.

Ad.1. argumentum factum in principio dubij. ¶ Reſtat, vt reſpondeamus ad argumenta facta in principio dubitationis. Ad primum reſpondetur conceſſa maiori, negando minorem, ſcilicet, quòd velle ſuſtinere mortem propter Deum ſumme dilectum, ſit actus elicitus à ſola charitate: ſed etiam eſt elicitus à fortitudine: Nam, cùm in illo actu interiori adhuc ſint duæ difficultates, quarum vna expellitur per charitatem, altera per fortitudinem, neceſſario debemus dicere, quod ab vtraq; virtute elicitur. Prima difficultas conſiſtit in hoc, quòd maximum bonum ex temporalibus, quale eſt vita, exponimus pro diuino, atque adeo propriū amorem, qui naturaliſsimus eſt, ſubmmittim⁹ amori diuino. Et hæc tollitur per charitatē, quæ appreciatiue diligit Deū ſuper omnia: atq; ex coſeq enti quātū ad hoc ille actus elicitur à ſola charitate. Secunda difficultas cōſiſtit in eo, q̄d amor ſenſibilis v ræ e[illegible] maximum timorem mortis futuræ, ratione cuius per redundantiam impeditur actus ſuperioris appetitus. Et hæc tollitur per fortitudinem, cuius eſt firmare contra pericula emergentia: atque ex conſequenti quantum ad hoc interuenit fortitudo ad eliciendum a[illegible] re-mouendo prohibens, vt diximus in tertia concluſione. Et ſic conſtat, quod ad actum interiorem eſt etiam neceſſaria vtraque virtus, & multò magis ad exteriorem. Sed contra hoc eſt argumentum. Nam [illegible].8. dicitur, Fortis eſt, vt mors dilectio, ergo ad repellendum timorem ſola dilectio eſt ſufficiens ſine fortitudine. Reſpondetur, quod quanuis verum ſit, quòd dilectio ſufficiat ad repellendum timorem, tanquam prima & principalis cauſa, adhuc tamen neceſſariū eſt, quòd ad id applicet alia media proxima, & immediata, qualia ſunt virtutes inferiores. Nec contrarium dicitur in illo teſtimonio Canticorum. Cuius ſenſus eſt, quòd, quemadmodum mors aufert omnes motus vitales, ità etiam efficax dilectio rapit ſecum omnes animi affectus.

Ad.2. arg. ¶ Ad ſecundum reſpondetur concedendo verum eſſe, quod actus, qui ſecundum ſubſtantiam excedunt modum moralis virtutis ea ratione, qua illum excedunt debent procedere a virtute theologica: nego tamen, quòd ſuſtinere mortem propter Deum, quantum ad ſubſtantiam actus, excedat modum moralis virtutis. Nam, quanuis virtutes morales ratione ſui nō poſsint attingere per ſuū actū finem, qui eſt Deus, illum tamen attingūt motæ à charitate, cuius proprium eſt non eliciendo, ſed imperando, vt ſupradiximus, actus aliarum virtutum dirigere, & ordinare in vltimum finem. Et ità coutingit in propoſito, quòd actum elicitum a fortitudine, qualis eſt ſuſtinere mortem, ordinat atque dirigit charitas in Deum ſumme dilectū: nec ex hoc ſequitur, quod fortitudo eliciat Dei amorem, vt videtur probare argumentum, ſed tantum quod charitas, cuius propriū eſt talem a[illegible] producere, imperat fortitudini, vt ſecum actum [illegible]ciat propter Deum qui eſt fin[illegible] charitatis. Quod quidem verum eſt, & con[illegible] in omnibus alijs virtutibus.

Ad.3. arg. ¶ Ad tertium argumentum reſpondetur, quod quamuis actualis ſuſtiuentia mortis ſit quædam fidei confeſsio, ſiue potius con[illegible] præcedentis confeſsionis, eſt enim velut quædam ſubſcriptio, & [illegible] red-diti teſtimonij: quia tameu peculiarem habet difficultatem [illegible] eam, quæ inuenitur in fide, ab al a el[illegible] virtute, ſcilicet, à fortitudine, vt diximus in.3. & .4. cōcluſione. Et hæc de prima dubitatione.

¶ Ad

Dubium. ¶ Ad ſecundam, qua quærebamus, dato quod actus martyrij eliciatur à fortitudine, vtrùm ſit præſtantior, quàm actus

1. Dictum. charitatis. ¶ Dico primò certum eſſe, quòd quanuis martyrium, quod eſt actus fortitudinis, ſit præſtantius, quam aliquis actus charitatis, non tamẽ eſt perfectius quocunque actu charitatis. Probatur: nã in Beata Virgine fuerũt aliqui actus charitatis multò perfectiores, quàm martyrium. Ex quo ſequitur abſolutè eſſe concedendum, quòd charitas eſt præſtantior virtus, quàm fortitudo. Nam ad hoc, quòd vna virtus ſimpliciter dicatur perfectior alia, non eſt neceſſarium, quòd omnis actus eius, quæ dicitur præſtare alteri, ſit perfectior omni actu alterius. Iuſtitia enim excellentior virtus eſt, quàm temperantia, & tamen non omnis actus iuſtitiæ eſt perfectior omni actu temperantiæ. Nam ſi quis faciat æqualitatem in re parui momenti, & abſtineat à magna voluptate, ad quam vehementi occaſione incitatur, actus iuſtitiæ, quem exercet, minus perfectus erit, quam actus temperantiæ. Solum ergo requiritur, quod actus perfectiſsimus vnius ſit perfectior actu præſtãtiſsimo alterius: & id ſufficit ad hoc, vt vna virtus dicatur excellentior altera. Cum ergo martyriũ, licèt ſit perfectiſsimus actus, à multis alijs actibus charitatis in perfectione ſuperetur manifeſtè ſequitur, quod charitas erit dicenda præſtantior virtus, quam

2. Dictum. fortitudo. ¶ Dico ſecundò, quòd quanuis nullus eſſet actus charitatis præſtãtior martyrio, adhuc tamen charitas diceretur perfectior virtus, quam fortitudo. Probatur: nam, vt conſtat ex ſupra dictis, præcipua laus martyrij ꝓuenit à fide, & à charitate, & nõ à fortitudine. Fides enim, & charitas tribuunt finem fortitudini, & imperant illi, vt pro tali fine mortem ſubeat: quod ſatis eſt ad hoc, vt fides atq; charitas dicantur fortitudine præſtantiores. Perfectior eſt enim abſolutè, & ex parte obiecti ea virtus, quæ verſatur circa finem, quàm, ea quę verſatur circa media. Et hæc eſt communis ratio ad probandum charitatem eſſe præſtantiorem omnibus alijs virtutibus moralibus. Quocirca dicebat Paulus. 1. ad Corinth. 13. Si tradidero corpus meum ita, vt ardeam charitatem autem non habuero nihil mihi prodeſt.

Nota valde. ¶ In ſolutione ad primum, dicit D. Tho. quòd dilectio rerum, quæ ſunt ſupra naturam, eſt melior, quàm cognitio earum. Et ratio illius eſt: quia cum cognitio terminetur ad rem ſecundum eſſe, quod habet in intellectu, & dilectio terminetur ad rem ſecundum eſſe, quod habet in ſeipſa: intellectus enim trahit res ad ſe, & voluntas fertur in ipſas res, vt habet cõmune axioma philoſophorum: & res ſuperiores anima, vt Deus atque angeli, ſunt præſtantiori modo in ſeipſis, quam in noſtro intellectu, vnumquodque enim recipitur ad modum recipientis, manifeſtè ſequitur, quòd dilectio Dei, & ſubſtantiarum ſeparatarum erit pręſtantior quàm earundem cognitio. Hæc D. Tho. Quæ doctrina vera eſt, ſi cum duplici limitatione accipiatur, vt colligitur ex Caietano in hoc articulo. Prima eſt, ꝙ intelligatur cæteris paribus, hoc eſt, quod vtraque ſit virtus. Nam, ſi cognitio eſt virtus, & dilectio nõ eſt virtus, melior erit ſimpliciter cognitio, quàm dilectio, vt eſt videre in ſapientia, & in dilectione naturali ſubſtantiarum immaterialium. Et item, ꝙ vtraque ſit naturalis, vel ſupernaturalis: Nam, ſi vna eſt ſupernaturalis, qualis eſt fides, altera naturalis, qualis eſt dilectio, quæ per naturam poteſt haberi de Deo, melior erit cognitio, quę eſt virtus theologica, quã dilectio. Secunda limitatio eſt, quòd intelligatur in via: nam in patria alia ratio eſt. Quia ibi, quemadmodum dilectio, ſic etiã cognitio terminatur ad Deum, ſicut eſt in ſe, iuxta illud. 1. Ioan. 3. Cùm apparuerit ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt.

ARTICVLVS. VII.

¶ *Vtrùm ſine charitate poſsit eſſe aliqua vera virtus.*

AD SEPTIVM ſic proceditur. Videtur quòd ſine charitate poſſit eſſe aliqua vera virtus. Virtutis em̃ proprium eſt bonum actum producere. Sed illi qui non habent charitatem, faciũt aliquos bonos actus, puta, dum nudum veſtiunt, famelicum paſcunt, & ſimilia operantur. Ergo ſine charitate poteſt eſſe aliqua vera virtus.

1. 2. q. 65. artic. 2. & 4. Et vir. q. 14 artic. 6. & quodl. 12. ar. 23. fi.

2 ¶ Præterea, charitas non poteſt eſſe ſine fide. Procedit enim ex fide non ficta, vt Apoſtolus dicit primæ ad Timot. 1. Sed in infidelibus põt eſſe vera

castitas

caſtitas, dũ concupiſcentias cohibent, & vera iuſtitia, dũ rectè iudicãt. Ergo vera virtus poteſt eſſe ſine charitate.

2 ¶Præterea, Scientia & ars virtutes *Lib.6.cap.3. & .4.to.5.* quædam ſunt, vt patet *in.6.Ethic. Sed huiuſmodi inueniũtur in hominibus peccatoribus non habentibus charitatem. Ergo vera virtus poteſt eſſe ſine charitate.

¶SED CONTRA eſt, ꝙ Apoſtolus dicit primæ ad Corinth. 13. Si diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodeſt. Sed virtus vera multum prodeſt, ſecundum illud Sap. 8. Sobrietatem & iuſtitiam docet, prudentiam & virtutem: quibus in vita nihil eſt vtilius hominibus. Ergo ſine charitate vera virtus eſſe non poteſt.

¶RESPONDEO dicendum, ꝙ virtus ordinatur ad bonũ, vt ſuprà habitum *eſt. *1.2.q.55.artic.3.* Bonum autem principaliter eſt finis. Nam ea, quæ ſunt ad finẽ, non dicuntur bona, niſi in ordine ad finẽ. Sicut ergo duplex eſt finis, vnus vltimus, & alius proximus, ita etiam eſt duplex bonum. Vnum quidem vltimum, & vniuerſale, & aliud proximum & particulare. Vltimum quidem, & principale bonũ hominis eſt Dei fruitio, ſecũdum illud Pſalm. 72. Mihi adhærere Deo bonum eſt: & ad hoc ordinatur homo per charitatem. Bonum autem ſecundarium, & quaſi particulare hominis poteſt eſſe duplex. Vnum quidẽ, quod eſt verè bonum, vtpote ordinabile, quantum eſt in ſe ad principale bonum, quod eſt vltimus finis. Aliud autem eſt bonum apparens, & non verum, quia abducit à finali bono. Sic ergo patet, quòd virtus vera ſimpliciter eſt illa, quæ ordinat ad principale bonum hominis: ſicut etiam Philoſophus in. 8. Ethic. *dicit, quòd virtus eſt diſpoſitio perfecti ad optimum. *Lib. 8. Ethi. text.17. & 18.to.2.* Et ſic nulla vera virtus poteſt eſſe ſine charitate. Sed ſi accipiatur virtus, ſecundum quod eſt in ordine ad aliquem finem particularẽ, ſic poteſt aliqua virtus dici ſine charitate, inquantum ordinatur ad aliquod particulare bonum. Sed ſi illud particulare bonum non ſit verum bonum, ſed apparens, virtus etiam, quæ eſt in ordine ad hoc bonum, non erit vera virtus, ſed falſa ſimilitudo virtutis. Sicut non eſt vera virtus, auarorum prudentia, qua excogitant diuerſa genera lucellorum, & auarorum iuſtitia, qua grauium damnorum metu contemnunt aliena, & auarorum temperantia, qua luxuriæ, quæ ſumptuoſa eſt, cohibent appetitum: & auarorum fortitudo, qua, vt ait Horatius, Libro. 1 epiſtolarum.

Per mare pauperiem fugiunt, per ſaxa, per ignes

vt Auguſtinus dicit in quarto libro cõtra Iulianum. *Aug. Lib.4. c.3. ante medium to.7.* Si verò illud bonum particulare ſit verum bonum, puta conſeruatio ciuitatis, vel aliquid huiuſmodi, erit quidem vera virtus, ſed imperfecta, niſi referatur ad finale & perfectum bonum. Et ſecundum hoc ſimpliciter vera virtus ſine charitate eſſe non poteſt.

¶AD PRIMVM ergo dicẽdum, quod actus alicuius charitate carentis poteſt eſſe duplex. Vnus quidem ſecũdum hoc, quòd charitate caret, vtpote cũ facit aliquid in ordine ad id, per quod caret charitate. Et talis actus ſemper eſt malus: ſicut Aug. *dicit in quarto contra Iulianum, *Lib.4.ca.3. tom.7.* quòd actus infidelis, inquantum eſt infidelis, ſemper eſt peccatum, etiã ſi nudum operiat: vel quicquid aliud huiuſmodi faciat ordinans ad finem ſuæ infidelitatis. Alius autem poteſt eſſe actus charitate carẽtis: non ſecundum id quod charitate caret, ſed ſecundũ quod habet aliquod aliud donum Dei: vel fidem, vel ſpem, vel etiam naturæ bonum, quod non totum per peccatum tollitur: vt ſuprà dictum *eſt. *Q.10.art.4. & 1.2.q.85.ar.1.& 2.* Et ſecundum hoc

ſine

ſine charitate poteſt quidem eſſe aliquis actus bonus ex ſuo genere, non tamen perfecte bonus: quia deeſt debita ordinatio ad vltimum finem.

¶ AD ſecundũ dicendum, quòd cum finis ſe habeat in agibilibus ſicut principium in ſpeculabilibus: ſicut non poteſt eſſe ſimpliciter vera ſcientia, ſi deſit recta æſtimatio de primo, & indemonſtrabili principio: ita non poteſt eſſe ſimpliciter vera iuſtitia, aut vera caſtitas, ſi deſit ordinatio debita ad finẽ, quæ eſt per charitatem, quantũcunque aliquis ſe rectè circa alia habeat.

¶ Ad tertium dicendum, quòd ſcientia, & ars de ſui ratione important ordinẽ ad aliquod particulare bonum, non autem vltimum finem humanæ vitæ: ſicut virtutes morales, quæ ſimpliciter faciunt hominem bonum, vt ſuprà dictum eſt. Et ideo non eſt ſimilis ratio.

SVMMA TEXTVS.

SVppoſita diſtinctione boni, ad quod virtus ordinatur, nempe, quòd aliud eſt vniuerſale, & vltimũ, quale eſt Deus, aliud particulare, vt diligere parentes, &c. & ꝙ hoc particulare adhuc eſt duplex, vnum, quod ex natura ſua eſt bonum, alterum quod eſt bonum ſecundum apparentiam, ponit D. Tho. tres cõcluſiones. ℭ Prima cõcluſio. Nulla vera & perfecta virtus poteſt eſſe ſine charitate. Probatur. Vera & perfecta virtus eſt illa, quæ ordinat hominem ad ſuum principale bonum, ſcilicet, vltimum finem, qui eſt Dei fruitio, ſed nulla virtus ſine charitate poteſt hominem ordinare ad hunc finem: ergo nulla eſt vera & perfecta virtus ſine charitate. ℭ Secunda concluſio. Vera virtus, ſed imperfecta, bene poteſt eſſe ſine charitate. Probatur. Vera virtus, ſed imperfecta, eſt illa, quæ ordinat hominem ad ſuum minus principale bonum, nõ apparens, ſed verum, quale eſt conſeruatio ciuitatis, & alia huiuſmodi: ſed ſine charitate poteſt eſſe in homine virtus, quæ ad hoc inclinet: ergo ſine charitate poteſt eſſe vera virtus, ſed imperfecta. ℭ Tertia concluſio. Sine charitate poteſt eſſe in homine virtus falſa, & apparens, qualis eſt auarorum prudentia, iuſtitia, temperantia, &c. quæ non ſunt veræ ſed fictæ virtutes. Hanc concluſionem non probat D. Tho. ſed illam, vt notam relinquit.

EXPLICATIO ARTICVLI.

CIrca iſtum articulum eſt aduertendũ, quòd præſens quæſtio non procedit de virtutibus intellectualibus, quas certum eſt non eſſe virtutes ſimpliciter, quia nec ordinantur per ſe ad bonum honeſtum, quod ſolum eſt bonum ſimpliciter, nec præſtant rectum vſum in ordine ad ſuum obiectum, ſed tantum ſunt virtutes ſecundum quid, in quantum, ſcilicet, prẹſtant facultatem rectè vtendi, vt docet D. Tho. 1. 2. quæſt. 56. art. 3. ſed loquimur de virtutibus moralibus tam acquiſitis, quam infuſis, & de virtutibus theologicis, puta fide atque ſpe. Vnde *Difficultas.* ſenſus quæſtionis eſt, vtrùm virtutes morales, quæcunque ſint illæ, ſine charitate poſſint habere veram, & propriam rationem virtutis.

ℭ In qua difficultate, vt certa ab incertis ſeparemus, dico primo certum eſſe, quod *1. Certum.* virtutes morales infuſæ non ſolũ non poſſunt eſſe veræ virtutes ſine charitate, imò nec poſſunt eſſe ſimpliciter ſine illa. Nam hæc eſt differentia inter virtutes morales infuſas, & acquiſitas, quòd acquiſitæ poſſunt manere ſine charitate ſaltim in eſſe habitus & ſecundum ſuas entitates: at verò virtutes morales infuſæ cum intrinſece & eſſentialiter nihil aliud ſint, quàm quædam inſtrumenta connaturalia ipſi charitati, nulla ratione poſſunt manere ſine illa. Sed, ſicut pereũte eſſentia ignis perijt eius naturalis proprietas, ità etiam pereunte charitate pereunt iſtę virtutes. ℭ Et ſi quis obijciat: nam videmus peccatores ieiunare, & dare eleemoſynas, non ſolùm naturali inſtinctu, ſed etiam propter motiua diuina, & ſupernaturalia: ergo operantur ex virtute infuſa, quæ manet ſine charitate: reſpondetur negando conſequentiam. Nam illa motiua ſupernaturalia materialiter tantum ſe habent reſpectu illarum operationum: & ratio formalis operãdi eſt aliquid humanum, quod quale ſit illud latet in particulari. Vnde dico, ꝙ quemadmodũ quando hæreticus credit myſteria ſupernaturalia, & propter motiua ſupernaturalia: illa motiua tantum cõcurrunt materialiter, & non formaliter: & quanuis hæreticus dicat, ſe credere propter diuinam reuelationem, vere tamen nõ cre-

dit, niſi propter ſuam opinionem: ità etiam in noſtro propoſito ille, qui ieiunat, quia eſt præceptum Eccleſiæ, non ieiunat ex affectu vltimi finis formaliter, ſed propter aliquam rem humanam, quæ ibi miſcetur. Et ſic actus ille magis pertinet ad virtutem acquiſitam quàm infuſam.

2. Certum. ¶Secundo, Dico etiam eſſe certum, quòd fides atque ſpes ſine charitate non habent veram rationem virtutis, vt diximus in proprijs locis: nec in hoc articulo ſunt iterum recenſenda. Itaque hæc certa ſunt. *Id in quo difficultas conſiſtit.* Sed dubium eſt, vtrùm virtutes morales acquiſitæ habeant veram, & propriam rationem virtutis ſine charitate. De qua re ſunt variæ doctorum ſententiæ. *Sentẽtia Durandi.* Prima eſt Durandi in.3. diſt.36.q.1. aſſerentis ſine charitate poſſe reperiri veras & proprias virtutes morales, imò quod de facto reperiuntur quam plurimæ in peccatoribus. Quam ſentẽtiam tenent etiam Scotus, atque Gabriel eadem diſtinctione. Et probari poteſt pluribus argumentis. *1. Argum.* Primo ſic. Virtus ſimpliciter nihil aliud eſt, quàm habitus electiuus in mediocritate conſiſtens, prout ſapiens determinauerit, vt docet Ariſt.2. Ethic.cap.6. ſed tota hæc definitio conuenit virtutibus moralibus acquiſitis ſine conſortio charitatis: ergo virtutes morales acquiſitæ ſine conſortio charitatis ſunt virtutes ſimpliciter. *2. Argum.* ¶Secundo. Quando iſtæ virtutes coniungũtur charitati ſunt ſimpliciter virtutes, vt omnes doctores concedunt, ſed ex conſortio charitatis nihil intrinſecum illis accreſcit, charitas enim omnino extrinſece ſe habet ad illas: ergo etiam ante aduentum charitatis erant veræ & ſimpliciter virtutes. *3. Argum.* ¶Tertio, Per huiuſmodi virtutes ordinatur homo perfectè ad finem vltimum ſibi connaturalem, qui eſt viuere ſecundum regulas rationis, per illas enim operatur homo promptè, & delectabiliter in quacunque materia harũ virtutum, & in quocunque euentu opera honeſta, & conſona rectæ rationi: atq; adeò redditur ſimpliciter & perfectè bonus, & ſtudioſus: ergo ſunt ſimpliciter virtutes. Probo conſequentiam. Nam virtus vniuſcuiuſque rei tunc dicitur perfecta, quando perducit illam ad vltimum ſuum ſtatũ bonum, qui conſiſtit in coniunctione ad vltimum finem. *Confirmatio* ¶Et confirmatur. Si Deus nõ ordinaſſet hominem ad finem ſupernaturalem, ſed illum reliquiſſet ſuæ naturæ, illæ eſſent verè, & ſimpliciter virtutes: ergo & modo. Probo conſequentiam: nam per talem ordinationẽ nihil fuit ablatum à natura iſtarũ virtutũ. *Nonum arg.* ¶Vltimò, Si virtutes morales acquiſitæ non eſſent verę virtutes ſine conſortio charitatis, ſequeretur per quodcũque peccatũ mortale auferri, & amitti omnes virtutes acquiſitas: conſequens autẽ eſt falſum, & abſurdum, quia virtutes acquiſitæ ſicut non generantur vnico actu, ſed pluribus, ità etiam nec vnico tantum actu poſſunt deperdi: ergo & illud, ex quo ſequitur. Probo ſequelam: nam per quodcunq; peccatum mortale amittitur charitas.

Sententia D. Tho. ¶In contrarium tamẽ eſt D. Tho. in hoc art. & 1.2.q.65.ar.2. qui dicit virtutes acquiſitas non eſſe ſimpliciter, & perfectè virtutes ſine charitate. Quã etiã ſentẽtiã tenet D. Bonau. in.3.d.36.q.5. & Greg. Ari. in.2.d.28

Sententia Caietani. ¶Nonnulli affirmant, quorũ vnus videtur eſſe Caietanus in hoc articulo quòd hæc quæſtio eſt de nomine. Nam eùm de virtutibus moralibus acquiſitis poſsimus loqui dupliciter, vno modo theologicè, in ordine ad vltimum finem ſupernaturalem, qui eſt frui Deo, alio modo philoſophicè in ordine ad vltimum finem naturalem, qui eſt viuere ſecundum rationem, & certum ſit, quòd virtutes acquiſitæ non ordinant hominem ſine charitate in vltimum finem ſupernaturalem, ordinant tamen illum perfectè in finẽ naturalẽ, quęſtio eſt de nomine, vtrùm propter iſtam perfectam ordinationem, quam habent in finem naturalem ſint dicẽdæ propriè & ſimpliciter virtutes, an verò quia deeſt illis illa ordinatio in vltimum finem ſupernaturalẽ, qui prouenit a charitate, ſint appellandæ virtutes ſecundum quid, & imperfectæ. Et hac ratione conciliant D. Tho. atq; Durandum dicentes, quòd quia D. Tho. loquitur vt Theologus, idcirco dixit virtutes acquiſitas non eſſe ſimpliciter virtutes, at verò Durand. quia loquitur, vt philoſophus, quo etiam modo loquebantur Ariſtot. & alij, idcircò dixit, quod erant propriè & ſimpliciter virtutes.

Sententia autoris. ¶Cæterum meo iudicio iſti autores falluntur, & maior eſt controuerſia, quã de nomine. Quod vt explicem aduertendum eſt *1. Notabile.* primo quòd de perfectione virtutis poſſumus loqui dupliciter, ſcilicet, ex parte finis ſeu obiecti, & ex parte modi operandi. Modus proprius virtutis conſiſtit in hoc, quòd promptè, & delectabiliter operetur in quocunq; euẽtu, & in quacunq; materia. Et de hac perfectione virtutis non loquimur in præſenti: nam ſupponimus, quòd virtutes acquiſitę ſine chari-

charitate poſſunt habere conuenientẽ modum virtutis, & eſſe perfectè radicatas in ſubiecto: ſed loquimur de perfectione, quã ex parte obiecti, & finis habere debẽt. Vnde ſenſus quæſtionis eſt, vtrùm virtutes morales acquiſitæ ſine charitate habeãt debitũ obiectũ, & finem, prout requiritur ad hoc, quòd ſint vere & ſimpliciter virtutes.

2. Notabile. ¶ Secundo eſt aduertendum, ꝙ bonum ſummum hominis nõ eſt aliud, quã Deus, qui illum beatificans complet ac totaliter quietat appetitũ ipſius. Ad hoc autẽ ſummum bonum nõ poteſt homo perfectè ordinari, niſi per hoc, quòd Deum ſuper omnia diligat, habendo illum pro vltimo fine ſumme dilecto. Quam dilectionem Dei ſuper omnia, etiam vt eſt finis noſter naturalis, nec per ſolas vires naturæ, nec per quãcunq; aliam virtutem proprijs duntaxat viribus acquiſitam poteſt habere homo ſine auxilio ſpeciali Dei, vt docet D. Tho. 1. 2. q. 109. art. 3.

3. Notabile. ¶ Tertio eſt aduertendum, quòd vt conſtat ex hoc articulo, apud D. Tho. aliud eſt, ꝙ vna ſit vera virtus, & aliud ꝙ ſit ſimpliciter aut perfectè vera virtus. Nam ad hoc, vt ſit vera virtus ſatis eſt, quod bene diſponat habentem in ordine ad aliquod bonũ particulare, quod ſit verum bonum honeſtũ; vt colere parentes, cõſeruatio ciuitatis, &c. At verò ad hoc, vt ſit ſimpliciter, aut perfectè vera virtus, opus eſt, vt diſponat habentem, non ſolùm in ordine ad verum bonũ particulare, ſed etiam in ordine ad bonum vniuerſale, quale eſt ſummum bonum totaliter complens appetitum hominis. Et ratio eſt. Nam, cùm virtus ſecundum Ariſt. 7. phy. ſit diſpoſitio perfecti ad optimũ, merito ſola illa dicetur virtus ſimpliciter, quę diſponit ad optimum ſimpliciter, quale eſt vltimum bonum.

1. Concluſio. ¶ His conſtitutis ſit prima concluſio. Sine charitate poſſunt dari veræ virtutes, imperfectæ tamen. Hanc concluſionem ponit D. Tho. in hoc articulo, & probatur. Sine charitate poſſunt inueniri in homine habitus bene ipſum diſponentes in ordine ad aliquod bonum particulare, ſed hoc ſatis eſt ad veram virtutem, licet imperfectam, vt diximus in 3. notab. ergo in homine ſine charitate poſſunt dari veræ virtutes imperfectæ. Et confirmatur. In homine per peccatum non fuit penitus extincta natura, nec omnino ſublata inclinatio naturalis ad bonum: ergo poterit ex vi illius acquirere aliquos habitus inclinantes ad verũ, & honeſtum bonum: tales autem appellamus veras virtutes licet imperfectas: ergo poſſunt dari ſine charitate. ¶ Et ſi quis obijciat: Qui habet veras virtutes eſt bonus ſimpliciter, ſed nullus poteſt eſſe bonus ſimpliciter ſine charitate, imò eſt ſimpliciter malus, quia eſt in peccato mortali: ergo nõ poſſunt dari veræ virtutes ſine charitate. *Obiectio.* ¶ Dico, multos ex Thomiſtis propter hoc argumentũ negaſſe in ſtatu naturæ corruptæ dari poſſe veras virtutes ſine charitate, quia non datur mediũ inter hoc, quod eſt habere charitatẽ, & eſſe in peccato mortali. *Reſponſio.* Cæterũ hæc ſententia aperte pugnat cũ D. Tho. qui contrariũ in hoc articulo affirmat, & cum ratione, vt iam probauimus. Quo circa aliter ad argumentum reſpondeo negando maiorem. Nã cũ ad hoc, vt aliquis dicatur bonus ſimpliciter neceſſariũ ſit, quod rectè ſe habeat circa vltimũ finem, qui eſt bonum ſimpliciter, & ad hoc, vt habeat veras virtutes ſatis ſit, quod ſit rectè diſpoſitus in ordine ad aliquod verum bonũ particulare, vt ſtatim dicebã, bene poterit contingere, ꝙ aliquis non ſit bonus ſimpliciter, & tamen habeat veras virtutes. Per hoc enim, ꝙ quis peccat mortaliter, nõ amittit eos habitus ſtudioſos qui prius erant in illo, & inclinabant ad ſtudioſè, fortiter, prõpte, & delectabiliter, operandũ, &c. Nec ex hoc ſequitur in dãnatis manere veras virtutes, quia quam primum quis dãnatur amittit omnem inclinationẽ liberam, quam habebat ad bonum, ſine qua virtus exiſtere non poteſt.

2. Concluſio. ¶ Secunda concluſio. Sine charitate non poſſunt eſſe veræ virtutes ſimpliciter. Probatur. Vera virtus ſimpliciter dicitur illa, quæ ordinat hominẽ ad ſummum bonum ſimpliciter: ſed nulla virtus ſine charitate poteſt ordinare hominem ad ſummũ bonũ ſimpliciter: ergo nulla virtus ſine charitatę poteſt eſſe ſimpliciter vera virtus. Et cõfirmatur ex D. Auguſtino qui lib. 4. cõtra Iulianum. c. 3. ex profeſſo reprehendit eũ, eo quod dixit philoſophos antiquos habuiſſe veras virtutes. Probatq; multis rationibus ſine fide atq; charitate nullam poſſe dari veram & perfectã virtutem. Abſit, inquit, vt vera virtus ſit in illo, qui verè iuſtus nõ eſt, & rurſus in illo qui Chriſtum, Dei virtutẽ atq; ſapientiã non cognoſcit, ſicut nec eſt vera ſapientia ita nec vera virtus. Et lib. de ciuit. cap. 12. & lib. 19. c. 25. contendit probate non eſſe veram virtutẽ in illo, in quo nõ

eſt vera pietas. Et lib. 1. retract. c. 3. ait: Diſplicet mihi quòd dixi non vera pietate præditos philoſophos, virtutis luce fulsiſſe. D. Auguſtinum ſequuntur Lyconienſis, & Beda, & Magiſter ſententiarum. in. 3. d. 23. vbi ex ſententia D. Ambroſij, docet ſine charitate nullam eſſe veram ac perfectam virtutem. De hac re eſt videndus Lactantius Firmianus lib. 2. diuinarum inſtitutionum cap. 15. vbi hoc argumentum latè proſequitur. Et probat, nec Ariſtotelem nec Platonem veram aſsignaſſe rationem virtutis, quamuis multa de illa diſputauerint.

Dubium. ¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco, vtrùm illæ virtutes morales exiſtentes in peccatoribus, ſaltem in ſuo genere, nempe in genere moris & virtutis humanæ præciſa quacunq; conſideratione ſupernaturalium ſint dicẽdę veræ & perfectę virtutes. Et pro parte affirmatiua eſt argumentũ: nam habent omnem perfectionem debitam ſuę naturę.

3. Concluſio. ¶ In hoc tamẽ ſit tertia cõcluſio. Virtutes acquiſitæ exiſtentes in peccatoribus non poſſunt eſſe veræ, & perfectæ virtutes, adhuc in genere moris, & virtutis humanæ. Probatur. Ad hoc, vt aliquid ſit perfectum in genere moris neceſſarium eſt, quod conuenienter ordinetur in ſuum vltimum finem naturalem, ſed per nullam virtutẽ acquiſitam poteſt homo ſine charitate ordinari conuenienter in ſuum vltimum finem naturalẽ: ergo nulla virtus moralis exiſtens in peccatore adhuc in genere moris poteſt eſſe vera, & perfecta virtus. Conſequentia cũ maiori eſt nota, & minor probatur. Ad hoc, vt homo conuenienter ordinetur in ſuum vltimum finem naturalem neceſſarium eſt, ꝙ diligat Deum ſuper omnia inquantum eſt finis noſter naturalis, quæ dilectio ſine charitate haberi non poteſt, vt diximus in ſecundo notabili: ergo per nullam virtutem moralem poteſt homo cõuenienter ordinari in ſuum finem naturalem ſine charitate.

1. Corollariũ ¶ Ex dictis infero primo, ꝙ prima concluſio D. Tho. non ſolum habet verum loquendo Theologicè, vt dicit Caietanus ſed & loquendo philoſophicè, atque ex conſequenti quod quæſtio à nobis propoſita non erat de nomine, ſed de re: ſiquidem, vt diximus adhuc philoſophicè loquẽdo non poſſunt eſſe perfectæ virtutes ſine charitate.

2. Corollariũ ¶ Infero ſecũdo, eſſe valde probabile, quod nec in puris naturalibus poſſet homo perfectas virtutes morales acquirere ſine charitate, bene tamen in ſtatu naturæ integræ. Et ratio eſt, quia, vt cõmuniter docent doctores. 1. 2. q. 109. art. 3. Homo in puris naturalibus nihil ampliùs poteſt, quam in ſtatu naturæ corruptæ.

Infero. 3. ¶ Infero tertio, ꝙ adueniẽte charitate nõ ſolùm fides, & ſpes, ſed etiam reliquæ virtutes acquiſitæ habebunt veram atq; perfectam rationem virtutis. Omnes enim per charitatem ordinãtur in vltimum finem ſupernaturalem, quãuis diuerſo modo hoc illis conueniat. Nam fidei atq; ſpei, cùm ſint habitus ſupernaturales intrinſecè, & per ſe conuenit ordinari in finẽ ſupernaturalẽ. At verò alijs habitibus acquiſitis, quoniã ſunt naturales nõ intrinſecè, & per ſe, ſed extrinſecè, & quaſi per accidens, hoc eſt, ratione charitatis eos ſuo imperio eleuantis, & dirigentis hoc illis conuenit. Sed eſt aduertendum, ꝙ eſt latiſsimum diſcrimẽ inter fidẽ, & ſpem, ex vna parte, & alias virtutes acquiſitas in eſſe remiſſo ex altera. Nam fides, & ſpes per ſolam præſentiam charitatis efficiuntur virtutes ſimpliciter, aliæ vero per ſolam præſentiã charitatis non efficiuntur virtutes ſimpliciter, niſi etiã exercitio actuum in ſubiecto firmẽtur & roborentur. Et ratio eſt: quia cùm fides, & ſpes, nõ habeãt paſsiones contrarias quas neceſſe ſit frænare, ex ſola præſentia charitatis accipiunt perfectam rationẽ virtutis. At verò reliquę virtutes, cùm habeant paſſiones cõtrarias, non ex ſola præſentia charitatis accipiunt perfectam rationem virtutis, ſed etiã ex eo ꝙ prompte, & faciliter, & cũ delectatione operentur, quæ ſine firma radicatione in ſubiecto illis conuenire non poſsũt propter paſsiones in appetitu inſurgentes, quas habitus in eſſe remiſſo exiſtentes perfectè compeſcere non poſſunt.

Ad. 1. arg. ¶ Ad primum argumentũ reſpondetur primo, ꝙ illa definitio datur de virtutibus largo modo ſumptis, prout cõmuniter cognoſcebantur à philoſophis. Vel ſecũdo reſpondetur negando, ꝙ illa conueniat virtutibus moralibus ſine charitate. Nam cũ ſine charitate perfecta electio ſimpliciter eſſe non poſsit: perfectio enim electionis deſumitur in ordine ad finẽ, cui ſubordinatur, & virtutes morales ſine charitate non poſſunt eligere in ordine ad vltimũ finem, & bonũ ſimpliciter, manifeſtè ſequitur, ꝙ nec etiam erunt perfectè habitus electiui, & ſic nec perfectè virtutes.

Ad. 2. arg. ¶ Ad ſecundũ reſpondetur conceſſo antecedenti, negando conſequentiã. Nam quamuis virtutes acquiſitæ ex conſortio charitatis nõ perficiantur per

aliquod

aliquod intrinſecum, & abſolutum illis de nouo inhærens per modum habitus, perficiuntur tamen extrinſece per hoc φ ſi ſubordinantur imperio charitatis diligẽtis, & ordinãtis ipſas in vltimum finem, quod ſatis eſt ad hoc vt dicatur habere perfectum ſtatum virtutis, quem ſine charitate non habebent.

Ad. 3. arg. ❡ Ad tertium reſpondetur negãdo antecedens. Et ad probationẽ dico, φ quanuis homo per virtutes acquiſitas poſsit cõiungi alicui bono honeſto in particulari, nõ tamẽ poteſt cõiungi vltimo fini, qui eſt Deus ſuper omnia diligibilis, & fruibilis, quod neceſſariũ erat ad hoc, vt per virtutes morales ſine charitate diceretur homo ordinari perfectè in finem vltimũ ſibi connaturalẽ, vt ex ſupradictis patet. Et ſi quis obijciat, nam ex hoc ſequi videtur nullum actum virtutis acquiſitæ ſine charitate eſſe bonũ, ſed potius malũ, cum vnicuiq; deſit circunſtantia vltimi finis, quæ ſatis eſt ad vitiãdũ actum, iuxta illud, Bonũ conſurgit ex integra cauſa, malũ autem ex particulari defectu, reſpondetur negando ſequelã. Nam, vt diximus ſupra. q. 10. art. 4. ad hoc, vt actus virtutum moralium ſint boni in eſſe moris ex parte obiecti nihil aliud requiritur, quã quod reſpiciant obiectũ ex natura ſua referibile in vltimũ finem, quod in propoſito contingit.

Ad confirmationem. ❡ Ad confirmationẽ reſpõdetur primo quid quid ſit de antecedenti, negando conſequentiã. Quia, cùm in caſu poſito homo non habeat aliud ſummum bonũ, quam viuere ſecundum rationem, ad quod per virtutes morales perfectè peruenire poſſet non eſt inconueniens, φ illæ habeant perfectam rationẽ virtutis. Vel ſecundo reſpondetur & melius, negando antecedens. Quia, cùm ad hoc, vt aliquid ſit perfectũ in genere moris, neceſſarium ſit, quòd conuenienter ordinetur in ſuum vltimum finẽ, quod ſine dilectione Dei ſuper omnia inuenire non poteſt, & homo in puris naturalibus conſtitutus nõ poſsit diligere Deũ ſuper omnia etiã dilectione naturali, vt in hoc articulo diximus, manifeſte ſequitur, quòd nec etiã poterit habere veras & perfectas virtutes ſine charitate quibus ad talẽ finẽ perfectè ordinetur.

Ad vltimũ argumentũ. ❡ Ad vltimũ reſpondetur cõceſſa maiori, negãdo minorẽ. Et ad probationẽ dico, φ quanuis per vnũ peccatũ mortale amittantur oẽs virtutes acquiſitæ, quantũ ad modum virtutis ſimpliciter, quẽ extrinſece habent à charitate, nõ tamẽ amittũtur quantũ ad habitũ, & ſubſtantiã ipſarum, ſed manent quoadusq; per actus contrarios tales habitus corrumpantur: nec ex hoc aliquod ſequitur inconueniens.

❡ Circa ſolutionẽ ad primũ, & ſecundũ argumentum aduertit Caietanus φ quãuis actibus ex genere bonis, quos faciũt peccatores, & infideles deficiat circũſtãtia debita vltimi finis, non tamen illi actus ſunt cenſendi mali moraliter: quia non eſt neceſſariũ, φ illa circunſtantia illis adſit. Sed de hoc nos iam diximus ſatis. quæſt. 10. art. 4. *Nota.*

ARTICVLVS VIII.

❡ *Vtrum charitas ſit forma virtutum.*

AD OCTAVVM ſic proceditur. Videtur quòd charitas non ſit forma virtutum. Forma enim alicuius rei, vel eſt exemplaris vel eſſentialis. Sed charitas nõ eſt forma exemplaris aliarum virtutum: quia ſic oporteret, quòd aliæ virtutes eſſent eiuſdẽ ſpeciei cum ipſa. Similiter etiam non eſt forma eſſentialis aliarũ virtutum: quia non diſtingueretur ab alijs. Ergo nullo modò eſt forma virtutum. *Supra. q. 4. art. 3. Et. 3. diſt. 23. q. 3. artic. 1. q. 1. Et diſt. 27. q. 2. art. 4. q. 3. Et Veri. q. 14. ar. 4. Et Vir. q. 2. art. 3.*

2 ¶ Præterea, Charitas comparatur ad alias virtutes, vt radix & fundamẽtum, ſecundum illud Epheſ. 3. In charitate radicati & fundati. Radix autem, vel fundamentum non habet rationẽ formæ, ſed magis rationẽ materię: quia eſt prima pars in generatione. Ergo charitas non eſt forma virtutũ.

3 ¶ Præterea, Forma, & finis, & efficiens nõ coincidunt in idem numero, vt patet in ſecundo * Phyſicorum. Sed charitas dicitur finis, & mater virtutũ, Ergo non debet dici forma virtutum. *Li. 2. Phyſ. tex. 70. to. 2*

¶ SED contra eſt, quòd Ambroſius * dicit charitatem eſſe formam virtutũ. *Ex lib. 2. in Lucã, in tit. redargutio malitiæ Iudæorum in fine collig. to. 5. & refertur. 4. ſent. diſt. 14.*

¶ RESPONDEO dicendũ, quòd in moralibus forma actus attenditur principaliter ex parte finis. Cuius ratio eſt, quia principium moraliũ actuum eſt voluntas, cuius obiectum, & quaſi forma eſt finis. Semper autem forma actus conſequitur formam agentis: vnde oportet quòd in moralibus id,

quod dat actui ordinem ad finem, det ei & formam. Manifeſtum eſt autem ſecundum * prædicta, quòd per charitatem ordinantur actus omnium aliarum virtutum ad vltimum finem. Et ſecundum hoc ipſa dat formam actibus omnium aliarum virtutum: & pro tanto dicitur eſſe forma virtutũ. Nam & ipſæ virtutes dicuntur in ordine ad actus formatos.

In præced.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd charitas dicitur eſſe forma aliarum virtutum: non quidem exemplariter, aut eſſentialiter, ſed magis effectiuè, inquantum ſcilicet omnibus formam imponit ſecundum modum * prædictum.

In corp. art.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd charitas comparatur fundamento & radici, inquantum ex ea ſuſtentantur & nutriuntur omnes aliæ virtutes, & non ſecundum rationem, qua fundamentum & radix habent rationem cauſæ materialis.

¶ Ad tertium dicendum, quòd charitas dicitur finis aliarũ virtutum, quia omnes alias virtutes ordinat ad finem ſuũ. Et quia mater eſt, quæ in ſe concipit ex alio, ex hac ratione dicitur mater aliarum virtutum: quia ex appetitu finis vltimi concipit actus aliarum virtutum, imperando ipſos.

SVMMA TEXTVS.

COncluſio D. Tho. eſt affirmatiua. Probatur, In moralibus id dicitur dare formam, quod dat alicui ordinẽ ad finem, forma enim in moralibus principaliter attenditur ex parte finis, qui eſt obiectum voluntatis. Sed charitas dat omnibus virtutibus ordinem in vltimum finem: ergo charitas eſt forma omnium virtutum.

EXPLICATIO ARTICVLI.

CIrca iſtum articulum eſt aduertẽdum, quòd hæretici Lutherani irridẽt diſtinctionẽ virtutum, in formatas, & informes, qua Theologi vtuntur, vt eſt videre apud Caluinum in lib. de inſtitutione religionis cap. 4. & 8. & apud Philippum Melanctõ in locis cõmunibus tit. de fide & operibus, & apud Lutherum in bulla Leonis Papæ art. 10. Cæterũ hic modus loquendi deſumptus eſt ex ſanctis patribus Ambroſ. lib. 2. in Lucam, Auguſtino in lib. de perfectione veræ vitæ, Gregor. homil. 27. in Euangelia, Bernardo ſermo. 2. de reſtitutione, qui omnes vnanimiter dicunt charitatem eſſe formam omnium virtutum, eſtque valde conſonus ſacris literis, in quibus virtus ſuæ charitate exiſtens cenſetur exanimis & emortua. Ezech. 18. dicitur. Si auerterit ſe iuſtus à iuſtitia ſua, & fecerit iniquitatem, omnes iuſtitiæ eius, quas fecerat, non recordabuntur, ſed in iniquitate ſua morietur: & Iacob. cap. 2. Fides ſine operibus mortua eſt. & 1. ad Corint. 13. Si tradidero corpus meum, ità vt ardeam, charitatem autẽ non habuero nihil mihi prodeſt. ❡ Sed eſt aduertẽdũ, quòd charitas non dicitur forma virtutum, eo quòd ipſis inhæreat, ſed eo ꝙ ipſas ſuo imperio in vltimũ finem ordinat, tribuens illis eſſe virtutum perfectarum. Vnde quẽadmodum is, qui proijcit ſagittam imprimit illi impetum, quo fertur in ſcopum, ità etiam charitas ſuo imperio tribuit virtutibus quendam modum operandi propter vltimum finem ſupernaturalem, quo ipſæ virtutes informatæ conſtituũtur in eſſe virtutũ perfectarũ, vt diximus articulo præcedenti. Aliter tamen perficiuntur per charitatem virtutes acquiſitæ, & aliter virtutes infuſæ. Nam virtutes infuſæ perficiuntur à charitate in proprio genere, & per ſe, cùm ex natura ſua ordinentur in finem ſupernaturalem, nec poſsint operari, niſi motæ à charitate, cuius ſunt inſtrumenta connaturalia. At verò virtutes acquiſitæ perficiũtur à charitate, non in proprio genere, ſed in genere excellentiori, ad quod eleuantur per charitatẽ. Ex quo fit, vt poſsint habere proprias operationes etiam ſi à charitate non moueantur.

Nota.

❡ Sed dubitabit aliquis hoc loco vtrũ hoc, quod eſt eſſe formam aliarum virtutũ, ita conueniat charitati, vt non poſsit alteri virtuti conuenire. Et pro parte negatiua argumentor primo. Prudẽtia dicitur forma virtutum moralium, ad quarum eſſentiam pertinet, & intrat earum definitionem eſt enim virtus habitus electiuus in mediocritate cõſiſtens, prout prudens determinauerit: ergo non eſt proprium charitatis eſſe formã aliarum virtutum. ❡ Secundo, Obedientia imperat

Dubium.

1. Argum. pro parte negatiua.

imperat charitati, vt ſuum actum eliciat eo tempore [illegible] in præcepto, obedientia [illegible] præcepta [illegible]pleantur: [illegible] quomodo eſt

3. *Argum.* forma [illegible] virtutis. ¶ Tertio. Charitas informat [illegible] [illegible] [illegible], ergo [illegible] non eſt forma omnium virtutum.

1. *Dictum.* ¶ Ad [illegible] dico [illegible] non certum eſſe, quod prudentia quodammodo eſt forma [illegible] virtutum moralium [illegible] licet, per [illegible] alias in proprio genere, & ſingulas ad proprios fines dirigit, vt docet D. Tho. infra q. 47.

2. *Dictum.* ¶ Dico ſecundo, per accidens bene poſſe contingere, quod vna virtus particularis alias informet, in quantum, ſcilicet, vna poteſt imperare alteri in ordine ad ſuum finem. Vt verbi gratia, religio imperat miſericordiæ, vt det eleemoſynam in Dei cultum, & fortitudo temperantiæ &c.

3. *Dictum.* ¶ Dico tertio, Ita eſt proprium charitatis informare alias virtutes dando eis eſſe virtutis ſimpliciter, vt nulli alteri poſsit conuenire. Probatur, Sola charitas reſpicit finẽ vltimũ vniuerſalẽ, cui fines & obiecta aliarum virtutum ſubordinantur, ergo ad ſolã charitatem pertinet ordinare alias virtutes ad vltimum finem; quod neceſſarium eſt ad hoc, vt ſint virtutes ſimpliciter, vt diximus articulo pręcedenti.

Ad. 1. arg. ¶ Ad primum, argumentum reſpondetur quod, ſi virtutes morales conſiderentur in ſuo genere, habent pro forma prudentiam, cuius eſt illas in medio conſtituere ſecundum regulas rectæ rationis, vt tradunt philoſophi. Tamen ſi conſiderentur, in quantũ ſunt virtutes ſimpliciter, habent pro forma charitatẽ, quæ illarum actus dirigit in vltimum finem, vt iam diximus.

Ad. 2. arg. ¶ Ad ſecũdũ reſpondetur conceſſo antecedenti, negãdo conſequentiam. Nam, quamuis verum ſit, quod obedientia poſsit aliquo modo materialiter imperare charitati, vt ſuum actũ eliciat eo tempore, quo præceptũ obligat, adhuc tamen tunc verius, & proprius dicimus, quòd charitas imperat obedientiæ, quæ ex amore vltimi finis, & eius, cui obedientia præſtatur, debet proficiſci: & ſic ſemper charitas præeminet obedientiæ, &

Ad. 3. arg. eſt forma illius. ¶ Ad tertiũ reſpõdetur negando antecedens. Nam cum fides non conſtituat formale obiectũ charitatis, nec moueat eam in ordine ad illud, ſed ſolùm ſe habeat per modũ applicantis obiectum, nulla ratione poteſt dici forma illius. Pro hac materia videnda ſunt ea, quæ diximus ſupra quæſt. 4. art. 3. & 5.

¶ Vltimo circa iſtum articulum eſt aduertendum, quod, vt conſtat ex D. Tho. in 3. diſt. 27. q. 2. art. 4. quæſtiuncula. 3. ad. 2. charitas recipit eſſe virtuti à gratia, aliter tamen quam aliæ virtutes illud accipiunt à charitate. Nam gratia dat eſſe virtutis charitati non per modum mouentis, & imperantis, ſed tanquam radix, a qua illa procedit, & à qua habet eſſe, & operari meritorie. At vero reliquæ virtutes accipiunt eſſe virtutis à charitate per modum mouentis, vt iam explicauimus. De prudentia infuſa & quomodo ſe habeat ad charitatem non tanquam imperans, ſed tanquam imperata, dicemus art. 1. quæſtionis ſequentis. *Nota.*

QVAESTIO VIGESIMA quarta, de charitatis ſubiecto, in duodecim articulos diuiſa.

DEINDE conſiderãdum eſt de charitate in comparatione ad ſubiectũ. ¶ Et circa hoc quærũtur duodecim.

¶ Primo, vtrum charitas ſit in voluntate, tanquam in ſubiecto.

¶ Secundo, vtrum charitas cauſetur in homine ex actibus præcedentibus, vel ex infuſione diuina.

¶ Tertio, vtrum infundatur ſecũdum capacitatem naturalium.

¶ Quarto, vtrum augeatur in habente ipſam.

¶ Quinto, vtrum augeatur per additionem.

¶ Sexto, vtrum quolibet actu augeatur.

¶ Septimo, vtrũ augeatur in infinitũ.

¶ Octauo, vtrum charitas viæ poſsit eſſe perfecta.

¶ Nono, de diuerſis gradibus charitatis.

¶ Decimo, vtrum charitas poſsit diminui.

¶ Vndecimo, vtrum charitas ſemel habita poſsit amitti.

¶ Duodecimo, vtrum amittatur per vnum actum peccati mortalis.

ARTICVLVS. I.

¶ Vtrum voluntas ſit ſubiectum charitatis.

3.d.27.q.2. art.3. & d. 30.ar.1.cor. Et veri.q.14 ar.5.cor. Et veri.q.1.ar. 5.cor. & ad 5 & 12.

AD PRIMVM ſic proceditur. Videtur, quod voluntas non ſit ſubiectum charitatis. Charitas enim amor quidam eſt. Sed amor ſecundum Philoſophum * eſt in concupiſcibili. Ergo & charitas eſt in concupiſcibili, & non in voluntate.

Ariſt. 2.Topi.ca.3.ante med.to.1.

Q.praeced. art.6.

2 ¶ Præterea, Charitas eſt principaliſſima virtutum: vt ſuprà dictum * eſt. Sed ſubiectum virtutis eſt ratio. Ergo videtur quòd charitas ſit in ratione, & non in voluntate.

3 ¶ Præterea, Charitas ſe extendit ad omnes actus humanos: ſecūdum illud primæ ad Cor. vlt. Omnia veſtra in charitate fiant. Sed principium humanorum actuū eſt liberum arbitrium. Ergo videtur quòd charitas maximè ſit in libero arbitrio, ſicut in ſubiecto, & non in voluntate.

¶ SED CONTRA eſt, quòd obiectum charitatis eſt bonum, quod etiā eſt obiectum voluntatis. ergo charitas eſt in voluntate, ſicut in ſubiecto.

1.p.q.81.ar tic.2.

RESPONDEO dicendum, quòd cū duplex ſit appetitus, ſenſitiuus ſcilicet, & intellectiuus, qui dicitur voluntas, vt in primo * habitum eſt, vtriuſque obiectum eſt bonum: ſed diuerſimodè. Nam obiectum appetitus ſenſitiui eſt bonum per ſenſum apprehenſum. Obiectum verò appetitus intellectiui, vel voluntatis eſt bonū ſub communi ratione boni, prout eſt apprehēſibile ab intellectu. Charitatis autem obiectum non eſt aliquod bonum ſenſibile, ſed bonum diuinum, quod ſolo intellectu cognoſcitur. Et ideo charitatis ſubiectum non eſt appetitus ſenſitiuus, ſed appetitus intellectiuus, id eſt, voluntas.

1.p.q.81.ar tic.2.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd concupiſcibilis eſt pars appetitus ſenſitiui: non autem appetitus intellectiui, vt in * primo oſtenſum eſt: vnde amor qui eſt in concupiſcibili, eſt amor ſenſitiui boni. Ad bonum autem diuinum, quod eſt intelligibile, concupiſcibilis ſe extendere non poteſt, ſed ſola voluntas. Et ideo concupiſcibilis ſubiectum charitatis eſſe non poteſt.

Li.3.de anima.tex.to.2.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd voluntas etiam ſecundm Philoſophum in.3.* de Anima. in ratione eſt, & ideo per hoc, quòd charitas eſt in volūtate, non eſt aliena à ratione. Tamen ratio non eſt regula charitatis, ſicut humanarum virtutum: ſed regulatur à Dei ſapientia, & excedit regulam rationis humanæ: ſecundum illud Epheſ.3. Supereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti. Vnde non eſt in ratione, ſicut in ſubiecto, ſicut prudentia, neq; ſicut in regulante, ſicut iuſtitia, vel temperantia: ſed ſolum per quandam affinitatem voluntatis ad rationem.

1.p.q.83.ar 4.

¶ Ad tertium dicendū, quòd liberum arbitrium nō eſt alia potentia à voluntate, vt in primo dictum * eſt, & tamē charitas non eſt in voluntate, ſecundū rationem liberi arbitrij, cuius actus eſt eligere. Electio enim eſt eorum, quæ ſunt ad finem: voluntas autē eſt ipſius finis: vt dicitur * in tertio Ethicorum. Vnde charitas, cuius obiectum eſt finis vltimus, magis debet dici eſſe in voluntate, quàm in libero arbitrio.

SVMMA TEXTVS.

CONCLVSIO eſt affirmatiua. Et probatur. Subiectum charitatis eſt appetitus (verſatur enim circa bonum) & non appetitus ſenſitiuus, quoniam hic non fertur niſi in bonum particulare, & per ſenſum apprehenſum: ergo eſt appetitus intellectiuus

lectiuus, qualis eſt voluntas, quæ fertur in bonum diuinum.

EXPLICATIO ARTICVLI.

1. Argu. contra rationē D.Tho. RAtio D.Tho. quamuis optima ſit, patitur tamen multas calumnias. Vnde contra illam argumentor primo. Virtutes morales infuſæ ſunt in appetitu ſenſitiuo, & tamen verſantur circa bonum diuinum, cum eliciant ſuas operationes propter Deum: ergo appetitus ſenſitiuus poteſt ferri in bonū diuinum. ¶ *2. Argum.* Secundo. Non eſt opus, vt potentia, in qua habitus ſubiectatur, percipiat obiectum illius habitus, fortitudo enim habet pro obiecto patriæ defenſionem, quam appetitus ſenſitiuus apprehendere non poteſt: ergo licèt appetitus ſenſitiuus non percipiat bonum diuinum, poterit adhuc in illo charitas ſubiectari. ¶ *3. Argum.* Tertio, Appetitus ſenſitiuus aliquando delectatur in domino iuxta illud: Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum: ergo appetitus ſenſitiuus poteſt apprehendere bonum diuinum.

Ad. 1. arg. ¶ Ad primum reſpondetur quod virtutes morales infuſæ verſantur circa Deum, non tanquam circa obiectum, ſed tanquam circa finem, ad quem per charitatem ordinantur. Quādo autem dicitur, quod appetitus ſenſitiuus non fertur in Deum, debet intelligi tanquam in obiectum, quomodo charitas tendit in illum: ſed obiectum virtutum moralium infuſarum ſunt paſsiones, in quibus moderādis verſantur, & cum illæ pertineant ad appetitum ſenſitiuum, fit, vt etiam virtutes morales infuſæ in illo ſubiectentur. Charitas autem eſt in appetitu ſuperiori cuius eſt ferri in bonum diuinum tanquam in obiectum, & reliquas potentias ad exercitium mouere. ¶ *Ad. 2. arg.* Ad ſecundum ſuppoſito, quod obiectū virtutis moralis eſt duplex, vnum proximum alterum remotum reſpondetur quòd virtutes morales ſunt ſubiectiuè in ea potentia, ad quam pertinet obiectum proximum, & non in ea, ad quam ſpectat obiectum remotū. Verbi gratia, obiectum proximum fortitudinis ſunt timores & audaciæ, quibus ipſa modum imponit, & obiectum remotum eſt patriæ defenſio. Dico ergo quod fortitudo eſt in appetitu ſenſitiuo, ad quem ſpectant timores, & audaciæ, & non in voluntate, cuius eſt velle patriam defendere, bonum autem diuinum eſt obiectum proximum charitatis, & ideo charitas debet poni in voluntate, cuius eſt in bonum diuinum ferri. ¶ *Ad. 3. arg.* Ad tertium reſpondetur quod appetitus ſenſitiuus, vel caro dicitur delectari in Deo, non per actum directè tendentem in ipſum Deum, ſed ex quadam redundantia voluntatis affectæ charitate in ipſum. Propter communicationem enim naturalem voluntatis & appetitus ſenſitiui naturaliter redundat affectus voluntatis in ipſum appetitum. Non quòd ipſe appetitus feratur in bonum ſpirituale ſecundum ſe, ſed quia bonum ſpirituale repræſentatur ſibi ab imaginatiua, vel cogitatiua ſub ratione boni ſenſibilis, & voluntas mouet appetitum ex parte principij ad hoc, vt in bonum ita præſentatum feratur. Et ſi quæras, qua ratione fieri poſsit, vt tolerantia laboris, & mortis, quam charitas ſæpe numero imperat, poſſit repræſentari appetitui ſenſitiuo ſub ratione boni ſenſibilis, reſpondeo quòd ratio per fidem eleuata mouet cogitatiuam ad hoc, vt apprehendat quòd mediantibus his laboribus ipſum corpus poſteà eſt perficiendum, & quòd puriſsimas cogitationes & delectationes ſenſuum eſt habiturum. Præter quam, quòd etiam ex vehementia voluntatis tendentis in ipſum Deum per modum delectationis delectantur etiam ſanguis & ſpiritus vitales. Nam hæc corporalia ſubminiſtrant ſpiritualibus: & hæc delectatio eſt lætitia ſpiritualis, quam ſæpenumero appetitus & ipſa caro participant ex rebus ſpiritualibus. Vnde Diuus Bernardus in quadam ſua epiſtola ad fratres de monte Dei dicit: Cum inceperit ſpiritus reformari ad imaginem conditoris Dei, mox etiam reſſorens caro ex voluntate ſua incipiet reformari: nam delectat ſenſum quicquid delectat ſpiritum.

Dubium. ¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco, vtrum ad hoc, vt appetitus ſenſitiuus moueatur motione charitatis, & delectetur eo modo, quo diximus, ſit neceſſarium ponere in illo aliquem habitum, qui ſe habeat velut appēdix habitus charitatis? *Argumentū pro parte affirmatiua.* Et pro parte affirmatiua argumentor ſic. Secundum D. Tho. 2.2. quæſt. 47. art. 3. ad. 3. & 1. p. q. 89. art. 5. & ſecundum Ariſtotelem. 6. Ethi. c. 8. prudētia & ſciētia, quāuis ſint in intellectu tanquam in ſubjecto principali, ſunt tamē in phantaſia, vel cogitatiua, tanquā in ſubiecto ſecundario: ergo pari ratione dicendū

erit de charitate reſpectu voluntatis, & appetitus ſenſitiui.

Sententia auctoris. ¶ Hoc tamen nõ obſtãte dico, nullum talem habitum eſſe ponendum. Et probatur. Appetitus ſenſitiuus non habet motum in obiectum charitatis ſecundum ſe, ſed tantũ per quandam naturalem redũdantiam, inquantum, ſcilicet, naturaliter mouetur ad vehementem motum ipſius voluntatis: ergo non indiget ſpeciali habitu ad talẽ motum. Et confirmatur: nam alias ſequeretur, ꝙ pro ſingulis virtutibus exiſtẽtibus in voluntate eſſent ſimiliter ponendi ſpeciales habitus in appetitu ſenſitiuo. Conſequens autem eſt abſurdum: ergo. Probo ſequela: Nam per quamlibet virtutem voluntatis habet moueri appetitus per redundãtiam. Item habitus ſine neceſsitate non ſunt multiplicandi, ſed ad ponendum illum habitum nulla nos cogit neceſsitas, aut ratio, ergo non eſt ponendus.

Ad argum. in cõtrariũ. ¶ Et ad argumentum in contrarium factum reſpondetur primo, quod quando D. Tho. atque Ariſtot. dicunt prudentiam, vel ſcientiam eſſe in phantaſia, vel cogitatiua tanquam in ſubiecto ſecundario, nolunt ſignificare quod in cogitatiua aut phantaſia eſt habitus prudentiæ, vel ſcientiæ, id enim eſt impoſsibile: ſed quod cogitatiua, vel phantaſia diſponunt aliquo modo ad ſcientiam, vel prudentiam, inquantum, ſcilicet, neceſſe eſt intelligentem phantaſmata ſpeculari. Vel ſecundo reſpondetur quidquid ſit de antecedenti negando cõſequentiam. Nam, quamuis in cogitatiua poneretur habitus prudentiæ, vel ſcientiæ, adhuc ex hoc non ſequitur ponendum eſſe habitum charitatis in appetitu. Et ratio diſcriminis eſt. Nam cogitatiua quodammodo mouet intellectum ad actum prudentiæ, vel ſcientiæ adminiſtrando obiectum, & ideo conueniens eſt, vt ad hoc munus per habitum diſponatur. At verò appetitus ſenſitiuus nullo modo mouet voluntatem ad actum charitatis, ſed potius per quandam redundantiam, quaſi naturaliter mouetur ex affectu charitatis: ex quo fit, vt non indigeat habitu ſuperaddito.

Nota circa cõcluſionem D.Tho. ¶ Circa concluſionem D. Tho. eſt aduertendum, ꝙ quamuis plurimi doctores affirment gratiam, atq; charitatem non diſtingui realiter, ſed ſola ratione, vt eſt videre apud Scotum in.2. d.27.q.1. & apud Durandum in.2.d.26.q.12. qui dicunt vnum, & eundem habitum quatenus reddit nos gratos Deo, appellari gratiam, & quatenus inclinat ad operandum, ſeu diligendum, appellari charitatem, ac ſic ꝙ gratia, & charitas non differunt realiter, ſed ſola ratione: nullus tamen negat charitatem eſſe in voluntate tanquam in ſubiecto. Nam cũ charitas ſit habitus operatiuus, cuius obiectum eſt bonum diuinum, neceſſario debet eſſe in ea potentia operatiua, cuius eſt tendere in bonum. At vero D. Tho. 1.2.q.110.art.3 &.4. non ſolum dicit quod charitas eſt in voluntate tanquam in ſubiecto, ſed etiam, quod diſtinguitur realiter a gratia, cuius ſubiectum eſt eſſentia animæ: quæ ſententia eſt longe probabilior.

¶ Vnde ad illius intelligentiam eſt aduertendum primo, quod, ſicut aliud eſt eſſe rei, & aliud operatio, ita etiam ratio poſtulat, vt alia ſit forma, quę dat eſſe rei, & alia, quę deſeruiat operationi. *Nota pro explicatione ſententia D.Thom.* Et quemadmodum ad eſſe rei ſequitur operari, & illud præſuppponit, & emanat ex illo ita forma, quæ immediate ordinatur ad operandum conſequitur formam, quæ dat eſſe rei, & illam præſupponit, atque ab illa dimanat, & proficiſcitur: vt eſt videre in naturalibus. Nam homo, verbi gratia, a forma ſubſtantiali habet eſſe, & a formis accidentalibus potentiarũ & habituum habet, vt poſsit rectè operari, & formæ illæ accidentales præſupponunt formam ſubſtantialem, & ab illa quadam ratione dimanant. Nam potentiæ atque habitus naturales proficiſcuntur a forma ſubſtantiali per ſimplicem emanationem: habitus autem acquiſiti ſunt a forma ſubſtantiali tanquam a radice & a fundamento.

Nota.2. ¶ Secundo notandum quod homo iuſtus non ſolùm habet facultatem operandi opera ſupernaturalia, ſed etiam habet eſſe ſupernaturale, & diuinum conſentaneum & congruum illis operationibus ſupernaturalibus, quas poteſt exercere: nam qualis eſt operatio tale eſt eſſe, quod ad eam operationem præſupponitur. Vnde Diuus Petrus.2.ſua canoni.cap.1. dicit loquens de iuſtis, Maxima quidẽ, & pretioſa nobis promiſſa donauit, vt efficiamini conſortes diuinæ naturæ. Ex quo fit, vt iuſti appellentur filij Dei: quia ſicut filius participat naturam patris, ita etiam iuſtus, quatenus iuſtus eſt, participat quodammodo eſſe diuinum & ſupernaturale, & ad ſimilitudinem diuinæ naturæ proxime accedit. Ex quo fit, vt iuſti ſint obiectum aptum diuinæ dilectionis.

¶ His

¶His ſuppoſitis dicit D.Tho. quòd gratia atq; charitas diſtinguuntur realiter, & quòd gratia eſt in eſſentia animæ tanquam in ſubiecto, at vero charitas in voluntate. Et quidem quòd diſtinguantur realiter probatur aperte ex poſitis fundamentis. Nam in omnibus principium eſſendi differt realiter a principio operandi, ſicut videmus in naturalibus, quòd forma ſubſtantialis ignis, per quam habet eſſe, realiter diſtinguitur à calore, per quem habet agere: ſed gratia eſt principium eſſendi ſupernaturaliter, facit enim hominem conſortem diuinæ naturæ: charitas autem eſt principium operandi ſupernaturaliter, ſcilicet, diligendi Deum, ergo realiter diſtinguuntur. Et confirmatur. Ad hoc, vt aliquid operetur opera alicuius generis neceſſarium eſt, quòd prius conſtituatur in eſſe illius generis: ergo ad hoc, vt aliquis operetur opera ſupernaturalia per virtutes theologicas neceſſarium eſt, quòd prius conſtituatur in eſſe ſupernaturali, quod fit per gratiam: atque ex conſequenti gratia, quæ dat eſſe ſupernaturale, realiter diſtinguitur a charitate, quæ dat operari. Quod autem gratia ſubiectetur in eſſentia animæ probatur. In illo eſt gratia ſicut in ſubiecto, quod eſt primo gratum Deo, ſicut in illo eſt albedo tanquam in ſubiecto, quod eſt primo album: ſed eſſentia animæ eſt primo grata Deo quam quælibet potentiarum, vt conſtat ex illo Geneſ. cap. 4. Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius. Quibus verbis ſignificatur perſonam quæ reſpicit eſſentiã eſſe primo gratã Deo, quàm operationẽ, ergo. Item habitus, qui eſt in aliqua potentia tanquam in ſubiecto ſolum perficit ſubiectũ in ordine ad actus illius potentiæ, ſed gratia perficit hominẽ in ordine ad actus omnium potentiarum, ergo non eſt in aliqua potentiarum tanquam in ſubiecto, ſed in eo, quod eſt commune omnibus potentijs, quale eſt eſſentia animæ. Scio contra huiuſmodi ſententiam D.Tho. fieri ab Scoto, atque Durando quàm plurima, & efficaciſſima argumẽta: quæ omnia prætermitto quoniam huius rei longa diſputatio non ad iſtum locum ſed ad. 1. 2. q. 110. ar. 3. & 4. proprie pertinet.

Probatur ſententia D. Th.

¶Circa ſolutionem ad ſecundum argumentum eſt aduertendum, quod D. Tho. ibi conſtituit diſcrimen inter virtutes morales ex vna parte, & charitatem ex alia, in hoc, quod virtutes morales regulantur per rationem mediante prudentia: at vero charitas immediate regulatur per diuinam ſapientiã, iuxta illud ad Ephe. 3. Supereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti. Nec poteſt fieri, per ſe loquendo, quod regulatur charitas immediate à prudentia infuſa, cui non ſubeſt, ſed potius ipſa prudentia regulatur à charitate. Et ratio eſt, quia prudẽtia verſatur circa media, charitas autem verſatur circa vltimum finem, & regula appetendi media eſt finis. Nec ſolum eſt hoc verum in charitate, ſed etiam in alijs virtutibus theologicis, quæ cum non conſiſtant in medio reſpectu ſui obiecti proximi, vt dicitur. 1. 2. q. 64. art. 4. nec vllo poſſit eſſe exceſſus, non indigent prudentia, cuius proprium officium eſt terminare medium. Verũ tamen eſt, quod charitas, & aliæ virtutes theologicæ reſpectu obiecti ſecundarij, & circunſtantiarum concernentium exercitium actus conſiſtunt in medio, & ideò quantum ad hoc regulantur per prudentiam infuſam. Cæterum adhuc charitas reſpectu huius dicitur prima regula abſolutè: quia modus regulandi prudentiæ reſpectu ſecundarij obiecti, & exercitij actus ſemper ſumitur in ordine ad primarium obiectum charitatis. Et ſic conſtat, quod charitas eſt prima regula omnium virtutum.

Nota circa ſolutionẽ ad 2. argum.

¶Circa tertium argumentum eſt aduertendum, quòd non intendit D.Tho. in illo negare actum charitatis eſſe liberum, nec quod procedit à libero arbitrio, ſed ſolùm vult, quòd eius actus primarius non eſt electio mediorum, ſed amor, & intentio finis vltimi, quod verum eſt.

Nota circa ſolutionẽ ad 3. argum.

ARTICVLVS II.

¶*Virum charitas cauſetur in nobis ex infuſione.*

AD SECVNDVM ſic proceditur. Videtur quòd charitas nõ cauſetur in nobis ex infuſione. Illud enim quod eſt commune omnibus creaturis, naturaliter hominibus ineſt. Sed ſicut Dion. dicit * in. 4. cap. de diui. no. Omnibus diligibile, & amabile eſt bonum diuinum, quod eſt obiectum charitatis. Ergo charitas ineſt nobis naturaliter, & non ex infuſione.

1. diſt. 17. q. 2. art. 2. & 3. Et 3 cõtra cap. 151. Et epiſ. 4. cap. 3. Et Ro. 8. lec. 5. cap. 4 par. 1. circa medium.

2 ¶ Præterea, Quanto aliquid eſt magis diligibile, tãto facilius diligi poteſt. Sed Deus eſt maximè diligibilis, cum ſit ſumme bonus. Ergo facilius eſt ipſum

ſum diligere, quàm alia. Sed ad alia diligenda non indigemus aliquo habitu infuſo. Ergo nec etiã ad diligedũ Deũ.

3 ¶ Præterea, Apoſtolus dicit prima ad Tim. primo. Finis præcepti eſt charitas de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta. Sed hæc tria pertinent ad actus humanos. Ergo charitas cauſatur in nobis ex actibus præcedentibus, & non ex infuſione.

¶ SED CONTRA eſt, quòd Apoſtolus dicit Rom. 5. Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.

¶ RESPONDEO dicendũ, quòd ſicut dictum * eſt, charitas eſt amicitia quædam hominis ad Deum, fundata ſuper communicationẽ beatitudinis æternæ. Hæc autẽ communicatio nõ eſt ſecundum bona naturalia, ſed ſecũdum dona gratuita: quia, vt dicitur Rom. 6. Gratia Dei, vita æterna. Vnde & ipſa charitas facultatem naturæ excedit. quod autem excedit naturę facultatem, non poteſt eſſe, neq; naturale, neque per potentias naturales acquiſitum: quia effectus naturalis non tranſcendit ſuam cauſam. Vnde charitas non poteſt, neque naturaliter nobis ineſſe, neque per vires naturales eſt acquiſita: ſed per infuſionem Spiritus ſancti, qui eſt amor Patris, & Filij: cuius participatio in nob: eſt ipſa charitas cauſata, ſicut ſuprà * dictum eſt.

Q. praeced. art. 2.

Q. praeced. art. 2.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd Dionyſ. loquitur de dilectione Dei, quæ fundatur ſuper communicationem naturalium bonorum: & ideo naturaliter omnibus ineſt. Sed charitas fundatur ſuper quadam communicatione ſupernaturali. Vnde non eſt ſimilis ratio.

¶ Ad ſecundum dicẽdum, quòd ſicut Deus ſecundũ ſe eſt maximè cognoſcibilis, non tamen à nobis propter defectum noſtræ cognitionis, quæ depẽdet à rebus ſenſibilibus: ita etiã Deus in ſe eſt maximè diligibilis inquãtũ eſt obiectũ beatitudinis. Sed hoc modo nõ eſt maximè diligibilis à nobis, ꝓpter inclinationẽ affectus nr̃i ad viſibilia bona. Vnde patet, ꝙ ad Deũ maxime diligendũ hoc modo, neceſſe eſt ꝙ noſtris cordib' etiã charitas infundatur.

¶ Ad tertium dicendum, quòd cum charitas dicitur in nobis procedere ex corde puro, & conſcientia bona, & fide nõ ficta, hoc referendũ eſt ad actũ charitatis, qui ex pręmiſsis excitatur. Vel etiam hoc dicitur, quia huiuſmodi actus diſponunt hominem ad recipiendum charitatis infuſionem. Et ſimiliter etiam dicendũ eſt de eo, quod Auguſt. * dicit, quòd timor introducit charitatem. Et de hoc quod dicitur in gloſ. Matth. primo. Quòd fides generat ſpem, & ſpes charitatem.

Tract. 9. Cano. Ioan. ante med. to. 9.

Gloſſa interlinearis ibidem.

SVMMA TEXTVS.

Concluſio eſt affirmatiua & probatur. Id, quod excedit facultatem naturæ, nec poteſt eſſe naturale, nec per potentiam naturalem acquiri: naturalis enim effectus non tranſcendit cauſam ſuam: ſed charitas excedit facultatem naturæ, ergo nec eſt naturalis, nec poteſt per potentiam naturalem acquiri: atque ex conſequenti cauſatur in nobis per infuſionem, iuxta illud Pauli ad Roma. 5. Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, &c. Conſequentia cum maiori eſt nota, & minor probatur. Charitas eſt amicitia hominis ad Deum fundata ſuper communicationem beatitudinis, quæ non eſt ſecundum naturalia, ſed ſecundum dona gratuita Dei, iuxta illud ad Roma. 5. Gratia Dei vita æterna: ergo charitas excedit facultatem naturæ.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Concluſio huius articuli eſt de fide tenenda, vt conſtat ex ijs, quæ diximus q. 23. art. 2. Sed ſuppoſito, quòd charitas, & quantũ ad habitum, & quantum ad actum cauſatur in nobis ex infuſione, eſt difficultas, vtrùm ex dilectione Dei, quæ fit ex auxilio ſpeciali ſæpius frequẽtata, poſſit in nobis generari aliqs habitus charitatis acquiſitæ. In qua re nominales partem tenent

Dubium.

Argum. nent affirmatiuã. Et probatur. Amiſſa charitate infuſa per peccatũ, homines ſunt prõptiores ad diligendum Deum quam ſi nũquam habuiſſent charitatẽ infuſam. Signũ ergo eſt, ꝙ ex actib⁹ charitatis, quos habuerunt, quando erant in gratia fuit in illis generatus aliquis habitus acquiſitus.

Concluſio. ¶Hoc tamen non obſtante dico eſſe lõge verius, quod ex huiuſmodi actibus charitatis quantũuis ſæpius iteratis, nullus habitus acquiſitus generatur. Hanc ſententiã tenet D. Tho. 1.2.q.51.art.4.ad.3. & probatur. Iſti actus charitatis procedunt ab habitu charitatis infuſæ, ſed nullus actus procedens ab aliquo habitu, poteſt generare habitum diuerſum ab illo, à quo procedunt, ſed præexiſtentem augẽt, magis atq; intẽdũt: ergo illi actus non poſſunt generare habitũ acquiſitũ. Secundo, Sit ita, quòd illi actus dilectionis generent aliquem habitum acquiſitum, & quæro vtrùm talis habitus acquiſitus ſit eiuſdẽ ſpeciei, vel diuerſæ cum habitu charitatis infuſę. Non poteſt dici, ꝙ ſit eiuſdẽ ſpecies. Primo, quia alioqui duo accidentia ſolo numero differẽtia, eſſent in eodem ſubiecto. Secundo, quia ſi ità eſſet ſuperfluè poneretur charitas infuſa. Nec etiã poteſt dici, ꝙ ille habitus ſit diuerſę ſpeciei. Nam talis habitus inclinaret ad eliciendos actus eiuſdem ſpei cum illis, qui procedunt à charitate infuſa, ſemper enim habitus inclinant ad eliciendos actus ſimiles illis, à quib⁹ ꝓducũtur, & generãtur: atq; ex conſequẽti illa charitas eſſet eiuſdẽ ſpeciei cũ infuſa, qđ eſt contra præſuppoſitũ: ergo.

Ad argum. ¶Ad argumentum reſpondetur concedendo, quod ille, qui habuit charitatem & ſe in illa per aliquod tempus exercuit, poſteà amiſſa charitate eſt promptior ad diligendũ quam qui nunquam habuit charitatem. Sed hæc prõptitudo non eſt in illo ratione alicuius habitus acquiſiti, ſed ex eo ſolùm, ꝙ per exercitium charitatis præteritæ, ſunt remota, & extenuata ea, quæ impediebant charitatem. Et ſic patet, ꝙ habitus charitatis neceſſariò debet infundi à Deo.

2. Dubium. ¶Secundum dubium circa illum articulum eſt, ſuppoſito quòd de potentia ordinaria per vires naturæ non poteſt haberi charitas, vtrùm de potentia abſoluta poſsit dari aliqua creatura, cui ſit hæc virtus ità connaturalis, ſicut riſibilitas eſt cõnaturalis nobis? vel ſaltem, vtrum poſsit dari aliqua creatura, quæ ex natura ſua habeat facultatem

1. Argum. acquirẽdi charitatem? Et pro parte affirmatiua argumentor ſic. Charitas eſt perfectionis finitę, ergo poterit produci creatura tam perfecta in ſua natura, cui ſit illa proportionata. ¶Secundo, Charitas modo de facto eſt connaturalis gratiæ, quæ eſt quoddam accidens: ergo etiam poterit eſſe connaturalis alicui ſubſtantiæ. Probo conſequentiam ex paritate rationis. *2. Argum.*

Sententia autoris. ¶His tamen non obſtantibus dico, eſſe implicationem cõtradictionis, quòd detur aliqua ſubſtantia creata, cui charitas ſit connaturalis, vel quæ poſsit illam ſuis viribus acquirere. Probatur. Charitas, & gratia per ſe, & intrinſece ſunt habitus ſupernaturales: ergo nõ poſſunt eſſe connaturales alicui creaturæ. Probo conſequentiã nam ideò aliqua virtus dicitur ſupernaturalis intrinſecè, & eſſentialiter, quia ex propria ratione habet procedere immediatè ab eo, ꝙ eſt ſupra omnem naturam, nempe, à Deo, qui per ſe, & eſſentialiter excedit omnem creaturam. Secũdo, Charitas eſt immediata, & proxima diſpoſitio ad actum infinitũ, nempe ad coniunctionem animæ cum Deo, vt eſt in ſe ipſo: ergo non poteſt profluere tanquam à connaturali principio, niſi ab agente infinito, quod eſt Deus. Vnde dico, ꝙ quemadmodum lumen illud ſolare habet certum modum eſſendi, ſecundum quem eſt connaturale ipſi ſoli, & profluit ab illo, tanquam à natiuo principio, ità etiam charitas, gratia, lumen gloriæ, & reliqui habitus, qui per ſe, & intrinſece ſunt ſupernaturales, habent ordinem ad Deum tanquam ad proprium, & connaturale principium, ordinanturq; intrinſece ad manifeſtationẽ ipſius, & ad perfectam, & immediatã vnionem animæ cum ipſo, ſecundum ꝙ eſt infinitus. Ex quo fit, vt nulli ſubſtantiæ creatæ poſsint eſſe connaturales, ſicut & lumen ſolare ſecundum modum eſſendi, quem nunc habet, poteſt eſſe connaturale alteri creaturæ, quam ſoli.

¶Ad primum argumentum reſpondetur ꝙ quamuis gratia, & charitas ſint perfectiones finitæ ſecũdum ſuam intrinſecam entitatem, per ſe tamen pertinent ad ordinem entis infiniti, qui eſt Deus, circa quem operantur. Ex quo fit, vt ſecundũ ſuã rationem excedant omnem creaturã poſsibilẽ. *Ad. 1. arg.*

¶Ad ſecundũ reſpondetur conceſſo antecedenti, negando conſequentiã. Nã gratia, atque charitas non ſunt entia, ſed quædã deriuationes, atque participationes diuinæ eſſentiæ: & ſic referuntur immediate in *Ad. 2. arg.*

ipſum

ipſum Deũ. At verò quęcunque ſubſtantia creata, per ſe eſſet ens, & per ſe haberet ſuam naturam, & ſic non poteſt illi eſſe cõnaturale id, quòd eſt proprium Dei.

Nota. ¶ In corpore articuli dicit D. Tho. quòd charitas eſt in nobis per infuſionem Spiritus ſancti, qui eſt amor Patris & Filij. Circa quod eſt aduertendum, quòd charitas non ità dicitur infundi ab Spiritu ſancto, vt nõ ſit à Patre, & Filio, à tota enim Trinitate infunditur, cum ſit opus ad extra, & opera Trinitatis ad extra ſint indiuiſa. Sed dicitur infundi ab Spiritu ſancto per quandam accommodationem, quia procedit per modum amoris, vt eſt videre in D. Auguſt. lib. 15. de Trinita. cap. 17.

Dubium graue. ¶ Sed eſt grauis difficultas, vtrùm charitas ità infundatur à ſolo Deo, vt actus noſtri nullo modo concurrant ad illius infuſionem. Et cum actus noſtri ſint in duplici differentia, quidam enim ſunt naturales, quales ſunt illi, qui viribus naturæ fiũt, alij ſupernaturales facti ex auxilio ſpeciali, & rurſus cùm modus, quo actus noſtri poſsũt intelligi concurrere ad infuſionem gratiæ, ſit multiplex, ſcilicet, vel diſpoſitiuè, vel meritoriè, vel effectiuè, præſens quæſtio poterit habere multiplices ſenſus: omnes tamen reducuntur ad duos. Primus, vtrùm homo operibus à ſe factis viribus naturæ ità concurrat ad infuſionem charitatis, vt vel diſpoſitiuè, vel meritoriè vel efficienter cooperetur ad illam. Secundus, vtrùm homo operibus à ſe factis ex auxilio ſpeciali poſsit, vel diſpoſitiuè vel meritoriè, vel efficienter concurrere ad introductionem habitus charitatis vel gratiæ. ¶ Et

1. Certum. quidem quantum ad difficultatem in primo ſenſu, certũ eſt primo, quòd homo operibus à ſe factis viribus naturæ, non poteſt effectiue concurrere ad introductionẽ gratiæ, vel charitatis. Nam cum illa opera ſint naturalia, & gratia atque charitas ſint formæ ſupernaturales, nulla ratione fieri poteſt, quod illas attingãt, quod neceſſarium

2. Certum. eſt ad effectiuam cooperationem. ¶ Secundo etiam eſt certum, ꝙ illa opera non poſſunt eſſe meritoria, ſaltim de condigno primæ gratiæ, nec gloriæ, vt rectè docet Vega in lib. de iuſtificatione. quæſtio. 6. & ſuper concil. Trident. lib. 8. cap. 4. & Caſtro de hæreſi. verbo. gratia. Hęreſi prima.

Id in quo difficultas conſiſtit. ¶ Sed dubium eſt, vtrùm poſsint eſſe diſpoſitiones ad recipiendam charitatem, vel gratiam. Ad cuius explicationem eſt aduertendum, quòd diſpoſitiones ſunt in triplici differentia. Quædã enim ſunt impropriæ, & quæ vix merentur nomen diſpoſitionis, vt cum aliquis exiſtens in peccato mortali ſolo concurſu generali operatur aliqua opera bona moralia, ea enim dicuntur remotę diſpoſitiones ad gratiam, qua ratione cauẽt peccata. Aliæ diſpoſitiones ſunt in alio extremo, & ſunt illæ, quæ ſunt vltimæ, & ſimul cum ipſa gratia, qualis eſt dilectio Dei ſuper omnia, atque contritio, de qua dicitur Ezechi. 18. In quacunq; hora ingemuerit peccator ampliùs iniquitatem eius non recordabor. Inter has duas extremas diſpoſitiones mediant aliæ, & ſunt illæ, per quas homo paulatim diſponitur ad vltimas. Nõ enim ſtatim infunduntur vltimæ diſpoſitiones, ſed prius præcedunt aliæ vt timor gehẽnę, illuminationes, & inſpirationes, quibus homo commotus per imperfecta deſideria iuſtificationis, paulatim ad ſalutẽ eualitur. De quibus intelligitur illud Eſai. cap. 26. Sicut quæ concepit, dum appropinquauerit ad partum dolens clamat in doloribus ſuis: ſic facti ſumus à facie tua Domine, cõcepimus, & quaſi parturiuimus & peperimus ſpiritum ſalutis. Loquitur enim in hoc loco propheta de dolore, qui non eſt diſpoſitio vltima ad gratiam ſed præparatio ad habendum amorem, qui vltimatè diſponit. Itaque quemadmodum in naturalibus ſunt quædam diſpoſitiones vltimæ, ad quas neceſſariò ſequitur forma, vt verbi gratia, in ꝓductione ignis eſt calor, vt octo ad quem immediate ſequitur forma ignis: & prætereà ſunt aliæ diſpoſitiones non vltimæ, vt minor gradus caloris, & tandem ſunt aliæ magis remotę, vt quòd lignum ſit ſiccũ, vel aridum, quæ impropriè dicũtur diſpoſitiones, quia ſe tenent ex parte ſubiecti, & omnis propria diſpoſitio debet ſe tenere ex parte agẽtis: ità in introductiõe gratiæ ſunt quædam diſpoſitiones vltimę, alię non vltimæ, aliæ remotiſsimæ, ad modum iam explicatum. ¶ Et eſt aduertendum, ꝙ quamuis in infuſione gratiæ maiori ex parte ſemper ſeruetur talis ordo, quod imperfectiores diſpoſitiones pręcedunt perfectiores, vt contingit in naturalibus: tamen aliquando ità ſubito Deus diſponit animam, vt nulla præuia media diſpoſitione ſtatim immittit vltimam. Vt contigit Paulo, qui Acto. 9. ſtatim ac audiuit vocem Chriſti, dixit: Domine quid me vis facere? & Dauidi. qui audito verbo Prophetæ ſecundo

Diſpoſitiones ad gratiam ſunt in triplici differẽtia.

Nota.

Regum

Regum.13.ſubito dixit: Peccaui, & tranſtulit dominus peccatum eius, &c.

Sententia autoris. ¶Hoc ſuppoſito dico, quòd ſi loquamur de diſpoſitionibus primi generis, quæ impropriè dicuntur diſpoſitiones, certum eſt, & ab omnibus conceſſum, quòd homo ſuis viribus ſine auxilio ſpeciali poteſt ſe hoc modo diſponere ad gratiam, quia poteſt ſuis viribus efficere aliqua opera moraliter bona, vt diximus ſupra.q.10.art.4. Cæterũ hæc propriè non dicũtur diſpoſitiones, ſed conditiones naturales ipſius ſubiecti. Nam quemadmodum cum lignum madeſactũ exiccatur, illa ſiccitas non eſt diſpoſitio ad ignem, ſed naturalis conditio ligni, per quam emendatur incommoditas materiæ: omnis enim diſpoſitio ad ignem eſt contraria formæ præexiſtenti, & illa ſiccitas non eſt contraria formæ ligni, ità etiam in noſtro propoſito opera moraliter bona non ſunt propriè diſpoſitiones ad gratiam, nec ordinantur per ſe ad bonum ſupernaturale: ſed ſunt velut quædam conditiones naturales, quibus ipſa natura hominis bene ſe habet. Et ſic conuenienter dicunt philoſophi, quòd diſpoſitiones ſunt eiuſdem ordinis cum forma, quæ introducitur, & tenent ſe ex parte agentis & non ex parte ſubiecti. Nam agens, quod introducit formam eſt quod diſponit ſubiectum, & non ſubiectum diſponit ſe ipſum. Itaque hoc certum eſt.

Dubium. ¶Sed dubium eſt vtrum homo ſuis viribus ſine auxilio ſpeciali ità ſe poſsit diſponere ad gratiam vt conſtituat vltimam, vel proximam diſpoſitionem ad quam infallibiliter ſequatur gratia. De qua re ſunt variæ doctorum ſententiæ. *Prima ſentẽtia Pelagianorum.* Prima eſt Pelagianorum aſſerentium, quòd homo ex viribus naturæ ità ſe poteſt diſponere ad gratiam, vt de condigno & de rigore iuſtitiæ ſit debita ſuis operibus, quæ ſententia probatur. *1. Argum. pro ſententia Pelagianorum.* Primo ex illo Prouerbio. 16. Hominis eſt præparare animam, & Zachar.1. Conuertimini ad me, & ego cõuertar ad vos. & Matthæi.19. Si vis ad vitam ingredi ſerua mandata. Quibus verbis apertè ſignificatur eſſe ſitum in noſtra poteſtate nos diſponere ad gratiam, ergo. *2. Argum.* ¶Secundo, Si homo non ſe poſſet diſponere ad gratiam ſequeretur Deum eſſe acceptatorem perſonarum, conſequens autem eſt falſum, ergo. Probo ſequelam. Nam ſi ex parte noſtra non datur cauſa, propter quam Deus vni confert gratiam, alteri non, totum reduceretur in diuinam voluntatem: ſed id eſt eſſe acceptatorẽ perſonarum, ergo. *Cõfirmatio.* ¶Et confirmatur. Deus dicitur ſtare ad oſtium, & pulſare, ergo aſsignanda eſt cauſa, propter quam vnus conuertatur, & alius nõ, nulla autem poteſt aſſignari, niſi ex parte liberi arbitrij, ergo homo ſuis operibus ſe diſponit ad gratiam.

2. Sententia Scoti. ¶Secunda ſententia eſt Scoti in.2.diſ.28. q.vnica. aſſerentis, quod homo ſine ſpeciali auxilio ità ſe poteſt diſponere ad gratiam, vt conſtituat vltimam diſpoſitionem, ad quam infallibiliter de cõgruo ſequatur gratia. Nam dicit, quòd homo viribus naturæ ſolo concurſu generali poteſt diligere Deũ ſuper omnia, & quòd hæc dilectio eſt ſufficiens diſpoſitio ad hoc, vt de congruo conferatur illi gratia infallibiliter. Idem etiam tenet in.4.diſt.14.q.2. & Duran. in.2. diſt. 28.q.5. & Gabriel eadem d. q. vnica art.3. dub.2. & d.27.q.vnica ar.2. concluſione.4. Idem etiã tenet Enricus de Gãdauo quodlibet.2.q.11. & quodlib.8.q.12. & omnis fere ſchola nominaliũ. Quæ ſentẽtia probari poteſt his argumẽtis. *1. Argum. pro ſententia Scoti.* Primo. Homo ſuis viribus poteſt dolere de peccatis ꝑpter Deũ, ſed hæc dilectio eſt ſufficiens diſpoſitio ad gratiam, ergo homo ſuis viribus poteſt ſe vltimate diſponere ad gratiam infallibiliter habendam. Conſequentia cum minori eſt nota, & maior probatur. Nã homo ſuis viribus poteſt dolere de offenſa facta amico propter ipſum amicum, & Saracenus poteſt dolere de offenſa facta Mahometo propter ipſum Mahometum, ergo ſimiliter poterit Chriſtianus dolere de offenſa facta Deo propter ipſum Deum. *Cõfirmatio.* ¶Et confirmatur. Homo per intellectum poteſt iudicare dolendum eſſe de offenſa facta Deo propter ipſum Deum, ergo poterit id facere.

2. Argum. ¶Secundo, Puer cum primum peruenit ad vſum rationis, ſi proponat ex viribus naturæ ſequi bonum, & fugere malum ſtatim infunditur ei gratia, vt docet Diuus Thomas. 1.2. quæſtio.89. artic.ſexto. ergo ex viribus naturę poteſt ſe homo diſponere ad gratiam. *3. Argum.* ¶Tertio, Homo ſuis viribus poteſt viuere bene moraliter, & facere quod in ſe eſt: ſed qui viuit iſto modo infallibiliter conſequitur gratiam iuxta illud: Facienti quod in ſe eſt Deus non denegat gratiam: ergo homo ſuis viribus poteſt ſe diſponere ad gratiã. *Cõfirmatio.* ¶Et confirmatur. Si quis doleat de peccatis propter infernũ, vel propter ipſorum peccatorũ turpitudinem, eo dolore, qui poteſt haberi per naturam, &

cum

cum hoc ſuſcipiat ſacramentum baptiſmi, vel pœnitentiæ verè iuſtificatur, & tamen omnis diſpoſitio, quā tunc habet eſt ex viribus naturę, ergo homo ſuis viribus poteſt ſe vltimate diſponere ad gratiam.

Tertia ſentētia D. Tho. ¶ Tertia ſententia eſt D. Tho. qui. 1.2. q. 109. art. 6. affirmat, quòd homo viribus naturæ non ſe poteſt diſponere ad gratiā, ità, vt de condigno, aut de congruo illam mereatur. Quæ ſentētia eſt longe probabilior.

1. Concluſio. Vnde ad illius explicationem ſit prima cōcluſio. De fide eſt, quòd homo viribus naturæ non poteſt habere vltimam diſpoſitionem, ad quam ineffabiliter ſequatur gratia, & contrarium dicere eſt Pelagianum. Probatur. Vltima diſpoſitio ad gratiam cōſtat ex actibus ſupernaturalibus fidei, ſpei, charitatis, & pœnitentiæ, vt docet D. Tho. 1.2. quæſtio. 113. ſed iſti non poſſunt haberi per naturam, vt conſtat ex ſuperioribus: ergo nec vltima diſpoſitio. Et confirmatur ex concil. Trident. ſeſſio. 6. can. 3. vbi dicitur: Si quis dixerit ſine præuenienti Spiritus ſancti inſpiratione eiuſque adiutorio hominem credere, diligere, aut ſperare poſſe ſicut oportet, vt ei iuſtificationis gratia conferatur, anathema ſit. Item hoc ipſum probatur, ex ſacris literis Nam Ioan. 6. dicitur: Nemo poteſt venire ad me, niſi pater meus traxerit eum. Et eſt ponderandum, ꝙ non dixit, niſi pater meus duxerit, ſed, niſi pater meus traxerit: vt hac ratione ſignificetur voluntatem noſtram nullo modo prę cedere, nemo enim trahitur, qui prius volebat, ſed trahitur, vt velit. Et. 2. Paralip. cap. 30. Deus dedit cor nouum in Iuda, vt faciāt iuxta præceptum regis. & Ezech. 36. Ego dabo vobis cor nouum, & auferam cor lapideum. Et denique hæc veritas diffinita eſt in concilijs Mileuitano, & Arauſicano, de qua videndus eſt Caſtro de hæreſi. verbo. gratia. hæreſi. prima.

2. Concluſio. ¶ Secunda concluſio. Diſpoſitiones imperfectè antecedentes noſtram iuſtificationem, non poſſunt eſſe in nobis ex viribus naturæ ſine auxilio ſpeciali Dei. Probatur: quia in productione rerum naturalium nō ſolum vltima diſpoſitio eſt ab agente, ſed etiam illæ; quibus ſubiectum paulatim diſponitur ad introductionem formæ, vt eſt videre in productione ignis: ergo ſimiliter in iuſtificatione non ſolùm vltima diſpoſitio eſt à Deo, ſed etiam illę, quibus cor paulatim diſponitur, & emollitur. Item Ioan. 6. dixit Chriſtus: Nemo poteſt venire ad me, niſi pater meus traxerit eū, ſed ire ad Chriſtum nihil aliud eſt, quam paulatim ac ſenſim progredi & tendere ad iuſtitiam, ergo id fieri nō poteſt ſine auxilio ſpeciali Dei. Et confirmatur ex illo Ioan. 15. Sine me nihil poteſtis facere Quæ verba intelligenda eſſe de diſpoſitionibus ad gratiam, & de auxilio ſpeciali Dei docent communiter omnes doctores. Item. 2. ad Corint. cap. 3. dicit Paulus: Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt, & alibi, Nemo poteſt dicere, Dominus Ieſus, niſi in Spiritu ſancto: ſed ſi homo ſuis viribus poſſet ſe diſponere ad gratiam, etiam imperfectè atque remotè, procul dubio multa poſſet facere, ergo. Et confirmatur. Non ſolum vltima diſpoſitio ad gratiam, ſed etiam imperfecta, atque remota continetur in vocatione, quæ eſt primus effectus prædeſtinationis: non enim ſemper vocat nos Deus ſubito ad iuſtitiam, ſed etiam maiori ex parte dum vocat paulatim atque ſenſim diſponit, vt ſupra dicebamus: ſed omnis effectus prædeſtinationis eſt ex auxilio ſpeciali, iuxta illud Pauli ad Roma. 8. Quos prædeſtinauit hos & vocauit, &c. ergo & omnis diſpoſitio ad gratiā, etiā remota eſt ex auxilio ſpeciali. Item hęc cōcluſio eſt expreſſa ſententia D. Auguſtinj multis in locis & præcipue lib. 3. Hipognoſticon. Vbi de vulnere & infirmitate liberi arbitrij ità aſſerit, quòd nec valet incipere, nec perficere ſufficit, niſi præueniatur medicina, id eſt, Chriſti gratia ſanetur. Et idem docet lib. 2. contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. 4. Tādem hæc veritas definita videtur in concil. Arauſicano cano. 4. vbi dicitur: Si quis, vt à peccato purgemur voluntatem noſtram Deum expectare contendit, non autem, vt etiā purgari velimus per Spiritus ſancti inſpirationē, & operationē in nos fieri cōfitetur, reſiſtit ipſi Spiritui ſancto per Salomonē dicenti, Præparatur voluntas à Deo & Apoſtolo ſalubriter prædicanti, Deus eſt qui operatur in nobis, & velle & perficere pro bona volūtate. De hac re videndus eſt Soto lib. 2. de natura, & gratia cap. 3. & Vega in libello de iuſtificatione. q. 10.

¶ Tertia concluſio. Opus moraliter bonum, quod fit ex facultate naturæ, nullo modo poteſt eſſe meritorium de congruo primæ gratiæ. Hæc concluſio eſt cōtra Scotum, & alios qui dicunt homines ex facultate naturę poſſe eſſe ſe ità diſponere ad gratiam, *3. Concluſio.*

tiam, vt de congruo ſibi conferamt infallibiliter. Probatur tamen noſtra ſententia. Primò, quia meritum dicit ordinem ad præmium, mercedem, & debitum, ità, vt qualis fuerit ratio debiti, talis etiam erit ratio meriti: ſed prima gratia iuſtificans nulla ratione poteſt eſſe nobis debita, dicente Paulo ad Rom. 4. Si ex debito, non eſt gratia, &c. c. 11. Si ex operibus iam nõ eſt gratia: ergo neque poteſt eſſe aliqua ratio meriti, etiam de congruo reſpectu illius. Et confirmatur. Ex parte noſtra nulla poteſt eſſe diſpoſitio viribus naturæ ad primã gratiam, vt diximus in prima & ſecũda cõcluſione, ergo nec meritum de congruo. Patet conſequentia: nam meritum quid maius videtur eſſe, quàm diſpoſitio. Item, Omnes Sãcti, atque Concilia abſolutè diſſiniunt primam gratiam non dari nobis ex meritis, vt eſt videre in concilio Arauſicano capit. 5. & in concilio Mileuit. c. 5. & in concil. Trident. ſeſ. 6. Can. etiam. 5. ergo non eſt dicendum, quòd aliquo modo poſſimus illam mereri. De hac re videndus Soto libr. 2. de Natura & Gratia. cap. 4.

Ad. 1. arg. pro ſentẽtia Pelagianorũ ¶ Sed reſtat, vt reſpondeamus ad argumenta in contrarium facta. Et primò ad illa, quæ fecimus pro ſententia Pelagij. Ad primum reſpondetur, quòd ex illis teſtimonijs tantum conuincitur eſſe neceſſarium concurſum noſtræ voluntatis, vt ad gratiam præpararemur. Cæterum talis præparatio eſſe non poteſt ſine auxilio ſpeciali Dei, iuxta illud: Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur, & alibi: Miſericordia eius præueniet me. *Ad. 2. arg.* ¶ Ad ſecundum reſpõdetur negando ſequelam: nam in gratuitis non poteſt eſſe acceptio perſonarum. Si quis autem quærat, quænam ſit cauſa, propter quam vni cõfertur gratia, alteri nõ confertur, ſiquidem ex parte noſtra nulla datur diſpoſitio, non habemus quid reſpondeamus, niſi illud D. Auguſt. Quare hunc trahat, & alium non trahat, noli iudicare, ſi non vis errare: & illud Paul. O altitudo diuitiarum. &c. *Ad confirmationem.* ¶ Ad confirmationem reſpondetur, quòd dicitur Deus ſtare ad oſtium, & pulſare, quoniam ipſe eſt, qui primus mouet voluntatem ad operandum. Et quia etiam vltra hoc eſt neceſſarius concurſus liberi arbitrij dicitur, quod non ingreditur quoadusque nos ipſi conſentiamus. Cæterum nec ipſe conſenſus poteſt eſſe in nobis ſine auxilio ſpeciali iuxta illud: Deus eſt, qui operatur in nobis & velle & perficere pro ſua voluntate.

Ad. 1 argu. pro ſententia Scoti. ¶ Ad primum argumentum pro ſententia Scoti reſpõdetur negando maiorem. Et ad probationem dico, quod quamuis verum ſit, quod homo poſsit dolere de offenſa facta amico propter ipſum amicum, & Saracenus poſsit dolere de offenſa facta Mahometo, ex hoc tamen non ſequitur, quod fidelis poſsit dolere de offenſa facta Deo propter Deum ipſum, ſine auxilio ſpeciali: quoniam homo poſt peccatum magis propenſus, & inclinatus manet ad bona ſenſibilia, quàm ad bona ſpiritualia. Ex quo fit, vt ſenſibilia efficacius moueãt ad ſui appetitionem: & propterea ſumus modo promptiores ad malum quàm ad bonum, vt diximus ſuprà quæſt. 23. artic. 2.

Ad confirmationem. ¶ Ad confirmationem reſpondetur conceſſo antecedenti, negando cõſequentiam: nam volũtas poſt peccatum valde infirma effecta eſt ad diligenda bona ſpiritualia, propter repugnantiam partis ſenſitiuæ. Ex quo fit, vt non poſsit diligere omnia, quæ intellectus poteſt iudicare diligenda.

Ad. 2. argu. ¶ Ad ſecundum reſpondetur verum eſſe, quòd puero proponenti ſequi bonum, & fugere malum cùm primum peruenit ad vſum rationis confertur gratia. Hoc tamen non eſt, quia ſola naturalis diſpoſitio ſufficit ad eam habendam: ſed quia Deus continuo infundit illi ex parte intellectus lumen ſupernaturale fidei, ſine quo impoſsibile eſt placere Deo, & ex parte voluntatis amorem diuinũ, ſine quo nullus iuſtificatur. Et ſic habet diſpoſitionem ſupernaturalem & conuenientem. *Ad. 3. argu.* ¶ Ad tertium reſpondetur negando, quòd homo poſsit viuere bene moraliter diu, & per multum tempus ſine auxilio ſpeciali Dei. Vel ſecundò reſpondetur, quòd etiamſi verum eſſet, quòd poſſet homo viuere bene moraliter ſine auxilio ſpeciali, adhuc tamen ex hoc non ſequitur, quòd Deus infallibiliter illi conferat gratiam. Nam, non facienti quod in ſe eſt ex viribus naturæ, gratia confertur: ſed facienti quod in ſe eſt ex auxilio gratiæ, vt ſupra dicebamus. *Ad confirmationem.* ¶ Ad confirmationem reſpondetur primò, quòd in præſenti tantum loquimur de diſpoſitione neceſſaria ad obtinendam gratiam extra ſacramentum, quæ ſine auxilio ſpeciali haberi non poteſt, vt diximus. Argumentum autẽ currit de diſpoſitione neceſſaria cum ſacramento: vnde nihil obſtat.

Dubium. ¶ Sed quæret aliquis hoc loco, Vtrùm

verum ſit quod quando homo iuſtificatur cum ſacramento ex parte illius ſufficiat ea diſpoſitio, quæ haberi poteſt per naturam ſine auxilio ſpeciali. Nam Sotus libro.2.de Natura & Gratia. cap.3. videtur tenere partem affirmatiuã. *Sententia autoris.* Probabilior tamen mihi videtur oppoſita ſententia, quæ aſſerit, quod etiam cum ſacramento eſt neceſſaria maior diſpoſitio, quàm naturalis ad gratiã obtinendã. Et probatur. Nam ad hoc, vt accedens ad ſacramentum pœnitentiæ, vel baptiſmi, percipiat fructũ illius neceſſarium eſt, quod ſaltim credat, & ſperet, ac velit efficaciter ſacramẽto iuſtificari, ſed iſti actus ſunt ſupernaturales, & qui nõ poſſunt ſine auxilio ſpeciali haberi, ergo. Et confirmatur: nam in concil. Arauſican. cap.5. dicitur, quod ea fides, per quam fideliter accedimus ad quærendum ſacramentum baptiſmi eſt à Deo. Et in conc. Trid. ſeſ.6. cap.6. etiam dicitur, quod omnis diſpoſitio, quæ neceſſaria eſt ad conſequendam iuſtitiam ſimul cum ſacramẽto, eſt à diuino auxilio, id eſt, à gratia adiuuante, & excitante. Et hæc dicta ſufficiãt de difficultate in primo ſenſu.

Grauis difficultas. ¶ Secundus ſenſus quæſtionis erat, Vtrùm homo operibus à ſe factis ex auxilio ſpeciali poſsit, vel diſpoſitiuè, vel meritoriè, vel efficienter concurrere ad introductionem habitus charitatis, vel gratiæ. *1. Certum.* ¶ In qua re, vt certa ab incertis ſeparemus, dico primò certum eſſe, quòd huiuſmodi opera ſunt diſpoſitiones ad gratiam recipiẽdam, vt conſtat ex his, quæ diximus. *2. Certum.* ¶ Dico ſecundo etiam eſſe certum, quòd nulla opera præcedentia iuſtificationem, etiamſi ex auxilio ſpeciali fiant, poſſunt eſſe meritoria de condigno primæ gratiæ, & charitatis. Et ratio eſt, quia cum ad meritum de condigno requiratur condignitas in ipſo opere, & nulla talis poſsit inueniri in opere peccatoris, quantumcunque ex auxilio ſpeciali fiat, manifeſtè ſequitur, quòd non poterit dari meritum de condigno reſpectu primę gratiæ, & charitatis.

Id in quo difficultas conſiſtit. ¶ Sed dubium eſt, Vtrùm ſaltim de congruo poſsit homo mereri primam gratiam operibus factis ex auxilio ſpeciali, & vtrũ talia opera concurrant efficienter ad introductionem habitus gratiæ, vel charitatis. Quæ duo ſuo ordine erunt à me explicanda. Et quidem quantum ad primum dubiũ *Diuerſitas opinionum.* ſunt duæ opiniones extremæ. Vna, quæ aſſerit, nullum eſſe meritum de congruo reſpectu primæ gratiæ: quam tenet Soto lib.1.de Natura & Gratia. cap.4. & in.4.d. 14. quæſt. 2. arti. 2. quem communiter ſequuntur aliqui moderni Thomiſtæ. Altera eſt in alio extremo, quæ dicit dari meritum de congruo reſpectu primæ gratiæ. Tamen, qui iſtam ſententiam tenent ſunt in duas partes diuiſi. Quidam enim dicunt quod opera viribus naturæ facta ſunt meritoria de congruo primæ gratiæ. Ita tenet Durandus in.1.di.27. quæſt. 2. & Scotus, & alij contra quos diſputauimus dùm ageremus de primo ſenſu quæſt. Alij autem dicunt, quòd homo meretur de congruo primam gratiam, non per opera facta ex ſolis viribus naturæ, ſed per ea quæ facit ex auxilio ſpeciali, & gratia prę ueniente. Nam per hoc, quòd homo bene vtitur gratia præueniente non reſiſtendo, ſed ſequendo diuinam motionem, & illi conſentiendo, meretur de congruo, vt à Deo iuſtificetur. Ità tenet D. Bona. in.4. diſt.15. quæſt.5. Enricus quodl. 8. q. 5. Egidius in. 2. d. 27. q.2. artic.3. D. Thom. ibidem art. 4. ad.4. & ſuper epiſtolam ad Hebræos. capit. 6. in illa verba: Nõ eſt iniuſtus Deus. Item Adrian. quodl.7. q.4. Ferrara.3. contra Gent. c.149. Capreolus in.2. d.27. & Vega in libello de Iuſtificatione. q.7. & ſuper conc. Trid. à.c. 8. vſque ad finem.

¶ Ad explicationem tamen difficultatis aduertendum eſt, quòd licet hoc nomen meritum abſolutè importet rationem iuſtitiæ, iuxta illud Pauli, Ei, qui operatur merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum: per hoc tamen, quod illi additur illa particula, de congruo, extrahitur nomen à primęua ſua ſignificatione, & ſignificat opus, cui correſpondet aliquis fructus per modum præmij, non ex debito iuſtitiæ, nec ex lege, & conuentione, ſed ex mera liberalitate præmiantis, ſecundum quandã congruentiam, & decentiam diuinæ largitatis. *Nota pro explicatione difficultatis.* Vnde meritum de congruo poterimus definire, quòd ſit opus, quo poſito decet diuinam liberalitatem, vt ipſum reſpiciat, & adiuuando proſequatur: ad modum quo dicimus, quòd pauper gratus meretur ex congruo diuitis auxilium. Ex quo infertur, meritum de congruo non eſſe dicendum meritum abſolutè, ſed ſecundum quid, vel potiùs quid ſimile merito, vt optimè docet Egidius.

1. Dictum. ¶ Hoc ſuppoſito, dico primò, quòd ſi per meritum de cõgruo intelligamus opus cui debe-

tur debetur præmium ex ipſa perfectione operis, aut ex pacto, & lege diuina, non poteſt concedi, quod viribus naturæ poſsimus mereri primã gratiam: & oppoſitum eſſe erroneum. Nec in aliquo doctore catholico hoc inuenitur, quamuis Soto ita interpretetur Scotum, atque Durandum. Probatur: nã aliàs viribus naturæ mereremur de condigno primam gratiam, quod eſt hæreticum. Patet ſequela. Nam ea ratione dicimus opera iuſtorum eſſe meritoria de condigno vitæ æternæ, quia huiuſmodi meritum fundatur in ipſa operis perfectione, & pacto, & lege diuina. ergo ſi hoc etiã inueniatur in noſtris operibus reſpectu primæ gratiæ, de condigno illam mereremur.

2. *Dictum.* ℭ Dico ſecundo, Dicere quod per opera noſtra ex auxilio ſpeciali facta meretur homo de congruo primam gratiam, ita, vt ſit debita illi ex lege, vt affirmat Vega lib. 8. ſuper conc. Trid. cap. 8. licet nõ ſit ità temerarium, eſt tamen falſiſsimum. Probatur, quia tunc nihil deeſſet ad meritum de condigno. Maximè ſecundum ipſum Vegam, & alios, qui affirmant meritum de condigno tantum importare debitum ortum ex lege, & non ex ipſa operis perfectione, & intrinſeca bonitate.

3. *Dictum.* ℭ Dico tertiò, Non eſt incõueniens concedere, quòd qui rectè operatur ſecundum legem naturalem, & facit quantum poteſt viribus naturæ, meretur de congruo auxilium ſpeciale, quo poſsit ſe ad gratiam præparare. Et multò minus eſt inconueniens, quòd ſuppoſito auxilio Dei, ex vi eius poſſit homo mereri de cõgruo primã gratiam. Probatur. Quia ſecundũ Sanctos, atq; Doctores Eccleſiaſticos, ideò regulariter loquẽdo Deus auxiliatur ijs, qui faciunt quantum poſſunt viribus naturæ, quia hoc congruit, & decet diuinam bonitatem: ſed hoc eſt meritum de congruo, ergo nõ eſt inconueniens concedere ꝙ homo de cõgruo ſuis operibus meretur auxilium diuinum. Et confirmatur. Nam Sancti frequẽter dicunt Deum elargiri gratiam iuſtificantem vnicuique ſecundum merita ſua: ſed hoc non poteſt intelligi de merito de codigno: ergo eſt intelligendum de merito de congruo, atque ex conſequenti non eſt incõueniens hoc concedere.

Obiectio. ℭ Et ſi quis obijciat contra hoc concil. Arauſicanum, atque Sanctos qui dicunt gratiam dari nullis meritis præuenientibus,

Solutio. reſpõdetur, quòd loquuntur de merito ſimpliciter, vt dicit debitum iuſtitiæ: meritum autem de congruo nec eſt meritum ſimpliciter, nec importat debitum.

ℭ Vltimò dico, probabilius eſſe, quòd homo non poteſt mereri primam gratiam, etiam de congruo, nec operibus factis viribus naturæ, nec auxilio gratiæ. Hæc ſententia videtur eſſe D. Tho. 1. 2. quæſt. 114. artic. 5. & 6. vbi dicit, quod qui eſt in gratia alteri mereri poteſt primam gratiam, ſed ſi eſt in peccato nec ſibi nec alteri meretur. *Vltimum dictum.* Vnde clarum eſt, quod tollit meritum de congruo à peccatore. Et probatur. Nam ad hoc, vt aliquod opus ſit meritorium de congruo oportet quod in ipſo aliquo modo ſit dignitas & congruentia ad præmium, ſed nullum opus peccatoris, quantumcunque ſit magnum in naturalibus habet cõgruentiam cum præmio æterno: ergo per illud nullo modo poteſt mereri etiã de congruo primam gratiam, & iuſtificationẽ. De hac re eſt videndus Soto libro. 2. de Natura & Gratia. cap. 4. quo loco quamplurimis alijs rationibus hanc eandem concluſionẽ probat. Nec eſt aliqua lex poſita à Deo de hoc (vt dicit Vega) quę loquatur ſecluſa gratia. Vnde illud Ezech. 18. In quacunque hora ingemuerit peccator, nõ eſt intelligendum de conuerſione, quæ fit viribus naturæ, ſed de ea, quam facit peccator adiutus gratia Dei.

ℭ Secundum dubium eſt, Vtrùm opera facta ex auxilio ſpeciali cõcurrant efficienter ad infuſionẽ habitus charitatis, vel gratiæ? Pro cuius intelligentia eſt primò aduertendum, quod quando peccator adultus iuſtificatur, concurrit ad iuſtificationem per actus proprios diligendo Deum ſuper omnia, & dolendo ſimul de peccatis propter Deum, vt latè docet D. Tho. 1. 2. quæſt. 113. articul. 4. & 5. *2. Dubium.* *1. Notabile.* Quo ſuppoſito, quærimus vtrùm illa dilectio, & dolor ſiue contritio, attingat effectiuè habitus ſupernaturales pœnitentiæ & charitatis, ſicut actus temperantiæ attingit effectiuè habitum temperantię acquiſitę. Et loquimur de his actibus, non vt ſunt partes Sacramẽti pœnitentiæ. Nam vt ſic certum eſt, quòd contritio concurrit efficienter & per modum inſtrumenti ad productionem gratię, & charitatis, ſicut reliqua ſacramenta, vt dicit D. Thom. 3. part. q. 86. art. 6. Sed loquimur de his actibus ſecundum ſe.

2. Notabile. ℭ Secundò eſt aduertendũ, quòd contritio, ſeu dilectio, qua vltimatè diſponimur

ad gratiam , non eſt actus naturalis, ſed ſu-
pernaturalis , procedens à principio ſuper-
naturali. Sed de principio, à quo procedit
ſunt duæ opiniones. Prima eſt, quæ aſſerit,
quòd contritio atque dilectio effectiuè pro
ducuntur ab habitibus pœnitentiæ, & cha-
ritatis infuſis. Et ſecundum iſtam opinio-
nem, quę pluribus placet, neceſſario, & con
ſequenter erit dicendum hos effectus non
attingere efficiẽter ipſos habitus , aliàs cau-
ſæ eſſent ſibi inuicẽ cauſæ ſecundum idem
genus cauſæ , quod eſt cõtra omnem ratio-
nem philoſophiæ. Vnde ſecundum iſtam
opinionẽ nõ procedit, quęſtio à nobis pro
poſita. Secunda opinio eſt, quæ aſſerit ꝙ
illi actus non producuntur effectiuè ab ha
bitibus charitatis, & pœnitentiæ in primo
inſtãti iuſtificationis, ſed ab auxilio ſuper-
naturali mouente voluntatem . Et ſecun-
dum iſtam opinionẽ , quæ probabilior eſt,
1. *Argum.* habet locum noſtra difficultas. ¶ Et pro
parte affirmatiua, ſcilicet, quòd actus chari
tatis ex auxilio diuino procedens concur-
rat effectiuè ad productionem habitus cha
ritatis, argumentor primò, Actus naturales
attingunt effectiuè habitus naturales: ergo
actus ſupernaturalis attingit effectiuè habi
tum ſupernaturalẽ. Probo conſequẽtiam:
nam non ſunt minoris virtutis & efficaciæ
actus ſupernaturales, quã actus naturales.
Cõfirmatio. ¶ Et confirmatur , Illi actus ſunt eiuſdem
ordinis cum ipſis habitibus, illiſq; per om-
nia proportionantur : ergo attingunt ipſos
2. *Argum.* habitus in ſua productione. ¶ Secundò, In
naturalibus agens principale nõ efficit for
mam , niſi mediantibus diſpoſitionibus,
quas inducit, atque adeò ipſæ diſpoſitiones
attingunt effectiuè formam , tanquam in-
ſtrumenta principalis agentis, cuius vicem
gerunt: ergo ſimiliter erit dicendum, quòd
diſpoſitiones ſupernaturales, quas Deus in
ducit per auxilium ſupernaturale attingũt
effectiuè gratiam, & charitatem, tanquam
3. *Argum.* inſtrumẽta Dei. ¶ Tertiò, Hæc ſentẽtia eſt
valdè conſona , non ſolùm naturis rerum,
ſed etiam modo loquendi ſacræ Scripturæ,
& ſanctorum Patrum , qui ſæpe dicunt, ꝙ
homo ſe ſanctificat , & quòd viuificat , vel
iuſtificat animam ſuam , vt patet Ezechiel.
18. &. 1. Ioan. 3. vbi D. Auguſt. idem dicit:
ſed ſanctificare, vel iuſtificare ſe denotat ali
quam efficiẽtiam ex parte ipſius hominis,
ergo opera à ſe facta ex auxilio diuino ef-
fectiuè cõcurrunt ad gratiæ, & charitatis in
Cõfirmatio. fuſionem. ¶ Et confirmatur, Nam propter
talem modum loquendi, quem in Sanctis,
& Concilijs loquentibus de Sacramentis
nouæ legis reperimus, dicimus, quòd Sacra
menta nouæ legis effectiuè cauſant gratiã:
ergo idem dicendũ erit de actibus noſtris.

¶ Propter hæc argumenta hæc ſenten-
tia non eſt omnino imputabilis, ſed oppo-
ſita nihilominùs eſt lõgè probabilior , quã
expreſſè tenet D. Th. in. 1. d. 17. q. 2. art. 3. *Sententia D.*
Et probatur, Habitus charitatis ſecundum *Tho. vera &*
ſe totus ex omni parte eſt ſupernaturalis, *probatur.*
actus autẽ charitatis ex auxilio Dei factus
aliquo modo, hoc eſt, ex parte vnius princi
pij, ſcilicet, potentiæ naturalis, à qua proce
dit, eſt naturalis: ergo non eſt proportiona-
tus ad efficiendum habitum. Secundò, Ha
bitus charitatis non educitur de potentia
naturali voluntatis, ſed de potẽtia obedien-
tiali, quæ ab alio quàm à Deo in actum re-
duci non poteſt: ergo actus noſtri non con-
currunt efficienter ad illius productionem.
Tertiò, De natura habitus eſt determinare
potentiã ad hoc , vt per illum connaturali-
ter operetur, ſed actus , qui fiunt ex ſpeciali
auxilio, non ſunt proportionati ad ſic deter
minandam potentiam: ergo nec ad produ-
cendum effectiuè habitum charitatis. Con
ſequentia cum maiori eſt nota , & minor
probatur . In illis actibus non operatur vo-
luntas connaturaliter mouendo ſeipſam,
ſed potiùs ſupernaturaliter, quaſi mota ab
extrinſeco : ergo ex vi talium actuum, &
ex illo modo operandi non poteſt volun-
tas ſe habituare ad operandum. Confirma-
tur. Nam ſi gratia atque charitas efficienter
producerentur noſtris operibus, non eſſent
habitus totaliter infuſi: conſequens autem
eſt abſurdum , & contra communem mo-
dum loquendi Sanctorum. ergo.

¶ Ad primum argumentum reſponde- *Ad. 1. arg.*
tur conceſſo antecedenti , negando con e-
quentiam . Et ratio diſcriminis eſt . Nam
quanuis actus ſupernaturalis ſit perfectior
& maioris efficaciæ, quàm naturalis, vt po-
te qui attingit nobilius , & excellentius
obiectum , non tamen connaturaliter pro-
cedit à ſubiecto, nec eſt omnino proportio-
natus habitui ſupernaturali : ex quo fit, ꝙ
non poſsit illũ efficienter producere. ¶ Ad *Ad confir-*
confirmationem reſpõdetur negando ante *mationem.*
cedens: nõ enim actus eſt tam ſupernatura-
lis, ſicut habitus infuſus, vt diximus. Pręter
quam quòd etiam ex proprio modo eſſen-
di repugnat illi habitum producere , cum
non progrediatur naturaliter à potentia.

Ad.2. argu. ¶ Ad ſecundum reſpõdetur primò falſum eſſe, & contra veram philoſophiam, quod diſpoſitiones intrinſecę ſubiecto, quod trãſmutatur, cõcurrant efficienter ad productionem formæ, ſecundum quam tranſmutatur, quia tunc idem ſecundum idem eſſet agens, & patiens, quod agentibus naturalibus repugnat. Vel ſecundo reſpondetur quidquid ſit de antecedenti, negando conſequẽtiam. Nam quamuis illud eſſet verum in formis naturalibus, non tamen in formis ſpiritualibus, vt eſt videre in anima rationali, quæ non cauſatur effectiuè à diſpoſitionibus. Cum ergo gratia atque charitas ſint maioris ſpiritualitatis, & ſupernaturalitatis; quàm actus, non eſt mirum, quòd ab illis non effectiuè, ſed diſpoſitiuè tantum producantur. *Ad.3. argu.* ¶ Ad tertium reſpõdetur negando, quod oppoſita ſententia ſit conſona naturis rerum, & modo loquendi ſacræ Scripturæ, & Conciliorum: quæ dicunt gratiam, & charitatem eſſe à ſolo Deo effectiuè, à noſtris autem operibus præparatiuè, & diſpoſitiuè tantum. Et hoc modo ſunt intelligenda illa loca, quibus dicitur, quod homo viuificat, & iuſtificat animam ſuam. *Ad cõfirmationem.* ¶ Ad confirmationem reſpondetur, quod de Sacramentis nouæ legis non ſolum dicitur, quòd ſanctificant nos, ſed etiã, quod cõtinẽt gratiam, & illam cõferunt tãquam inſtrumẽta diuinæ virtutis, vt patet ex cõcilijs Florẽtino & Tridentino ſeſ.6.can.7.& ſeſ.7.quę verba ſine cauſalitate effectiua vera eſſe non poſſunt.

Nota circa ſolutionem ad 1.argum. ¶ In ſolutione ad primũ argumentum D.Thom.ex mente D. Dionyſij cap.4.de Diuinis nominibus, dicit, quod dilectio Dei, quæ fundatur ſuper cõmunicationem bonorum naturaliũ, omnibus hominibus naturaliter ineſt, quod videtur repugnare ijs, quæ ſupra diximus.q.23.art.2. Vbi oſtendimus, quòd homo in ſtatu naturæ lapſæ non poteſt diligere Deum ſuper omnia, etiam dilectione naturali. Hoc tamen non obſtante dico, quod ea, quæ in illo loco diximus procul dubio ſunt vera. Et ad teſtimonium D. Dionyſij nonnulli reſpondẽt quod loquitur non de actu elicito diligendi Deum, ſed de quadam propenſione naturali, qua vnaquæq; res fertur in ſuum vltimum finẽ, qui eſt Deus. Dilectio autem naturalis, quæ pro iſto ſtatu haberi non poteſt ſine auxilio ſpeciali Dei, eſt actus elicitus voluntatis. Cæterum hæc ſolutio, meo iudicio, non eſt ad mentem D. Dionyſij. Nã loquens eo in loco de bonitate diuina, & docens quomodo omnia ad ſe conuertit, dicit: Ipſum bonũ omnia appetunt, ſpiritualia & rationalia ſcienter, ſenſibilia ſenſibiliter, expertia ſenſus ingenito naturæ motu. Quibus verbis apertè ſignificat, quod homines ſcienter illud bonum appetunt, quod niſi de dilectione naturali ab ipſa voluntate elicita intelligi non poteſt. D. Tho. 1.2.q.109.art.3. intelligit eum locum Dionyſij de dilectione naturali Dei, quam homo in ſtatu naturæ integræ habebat, & nõ de dilectione, quam in ſtatu naturæ lapſæ habere poteſt. Sed nec hæc expoſitio videtur eſſe ad mentem D.Dionyſij, qui apertè loquitur de ſtatu naturæ lapſæ. Quo circa aliter ad teſtimonium reſpõdetur dicendo, *Optima interpretatio D.Diony.* quòd D. Dionyſius loquitur de dilectione naturali elicita à voluntate, nõn explicitè, ſed implicitè. Quod vt intelligatur aduertendum eſt ex D. Thom. de Verit.q.22.ar.2.& 1.2.q.1.art.6. quod nulla cauſa ſecunda poteſt influere in ſuum effectum, niſi in quantum recipit virtutem, & influxum primæ cauſæ, ſicut autem influxus cauſæ efficientis eſt efficere, ità etiam influxus cauſæ finalis eſt appeti & deſiderari. Ex quo fit, quòd ſicut ſecundarium agens non agit, niſi per virtutem primi agentis in ipſo exiſtentem, ità etiam finis ſecundarius non appetitur, niſi per virtutẽ finis principalis exiſtentem in illo: hoc eſt, in quantum ille ſecundarius finis ordinatur in vltimum finem & cuius ſimilitudinẽ participat. Cum ergo Deus ſit vltimus finis omnium rerum manifeſtè ſequitur, quòd Deus ſicut ex eo, quod eſt primum efficiens, agit in omni agente particulari: ità etiam ex eo, quod eſt vltimus finis appetitur in omni fine particulari. Et hoc eſt appetere Deum implicitè De qua appetitione, & dilectione loquebatur D. Dionyſius, & non de illa, quam nos ſupra negauimus eſſe in homine, in ſtatu naturæ lapſæ ſine ſpeciali Dei auxilio.

Nota circa ſolutionem ad 2. ¶ In ſolutione ad ſecundũ dicit D.Tho. quòd licet Deus, vt eſt obiectum beatitudinis, ſit ſecundum ſe maximè diligibilis, nõ tamen poteſt à nobis efficaciter diligi propter inclinationem affectus noſtri ad ſenſibilia, & viſibilia, & ideo ad talem dilectionem præſtandam opus eſt charitate. Circa quod eſt aduertendum, quod non ſola ob illã cauſam eſt nobis neceſſaria charitas, alias ſequeretur, quod homo in ſtatu naturæ integræ, in quo nulla erat inordinata inclinatio appetitus ad bona ſenſibilia non indigeret

charitate ad diligendum Deum ſuper omnia, vt eſt obiectum beatitudinis, cuius contrarium diximus ſupra quæſt. 23. artic. 2. Sed potiſsima huius rei ratio eſt, eminentia ſupernaturalis ipſius actus charitatis: ex qua prouenit, quod natura non valeat ipſum Deum diligere ſine charitate. Hanc rationem aſsignat D. Thom. in corpore huius articuli & quæſtione præcedenti, artic. 2. quamuis in ſolutione ad ſecundum eius non meminit.

ARTICVLVS III.

Vtrùm charitas infundatur ſecundum capacitatem naturalium.

1. q. 62. arti. 6. Et. 1. diſ. 17. q. 1. ar. 3 Et. 3. diſt. 31 q. 1. art. 4. AD TERTIVM ſic proceditur. Videtur quod charitas infundatur, ſecundum capacitatem naturaliũ. Dicitur enim Matt. 25. Quod dedit vnicuique ſecundum propriam virtutẽ. Sed charitatem nulla virtus præcedit in homine, niſi naturalis, Q. præc. a. 7. quia ſine charitate nulla eſt virtus, vt* dictum eſt. Ergo ſecundum quantitatem virtutis naturalis infunditur homini charitas à Deo.

2 ¶ Præterea, Omniũ ordinatorum adinuicem ſecundum proportionatur primo: ſicut videmus, quòd in rebus naturalibus forma proportionatur materiæ, & in donis gratuitis gloria proportionatur gratiæ. Sed charitas cum ſit perfectio naturæ comparatur ad capacitatem naturalem: ſicut ſecũdum ad primum. Ergo videtur quod charitas infundatur ſecundum naturalium capacitatem.

3 ¶ Præterea, Homines & angeli ſecundum eandem rationem participant beatitudinem: quia in vtriſque eſt ſimilis beatitudinis ratio, vt habetur Matth. 22, & Luc. 20. ſed in angelis charitas & alia dona gratuita ſunt data ſecũdum capacitatẽ naturalium, Lib. 2. ſent. diſt. 3. §. 5. vt Magiſter dicit * 3. diſtin. ſecundi libri ſententiarum. Ergo idem videtur eſſe in hominibus.

¶ SED CONTRA eſt, quod dicitur Ioan. 3. Spiritus vbi vult ſpirat. Et primæ ad Corinth. 12. Hæc omnia operatur vnus & idem ſpiritus, diuidens ſingulis prout vult. ergo charitas datur, non ſecundum capacitatem naturalium, ſed ſecundum voluntatem ſpiritus ſua dona diſtribuentis.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd vniuſcuiuſque rei quantitas depẽdet à propria cauſa rei: quia vniuerſalior cauſa, effectũ maiorem producit. Charitas, autem cum ſuperexcedat proportionem naturæ humanæ, vt dictum * eſt, nõ dependet ex aliqua Ar. præced. naturali virtute, ſed ex ſola gratia Spiritusſancti eam infundentis. Et ideo quãtitas charitatis non dependet ex cõditione naturæ, vel ex capacitate naturalis virtutis, ſed ſolum ex voluntate Spiritusſancti diſtribuentis ſua dona, prout vult, Vnde & Apoſtolus dicit ad Epheſ. 4. vnicuique noſtrum data eſt gratia, ſecundum menſuram donationis Chriſti.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd illa virtus, ſecundũ quam ſua dona Deus dat vnicuique, eſt diſpoſitio vel præparatio, præcedens ſiue conatus gratiam accipientis. Sed hanc etiam diſpoſitionẽ vel conatũ præuenit Spiritusſanctus mouens mentem hominis vel plus, vel minus, ſecũdum ſuam voluntatem. Vnde & Apoſtolus dicit ad Coloſ. 1. Qui dignos nos fecit in partem ſortis ſanctorum in lumine.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd forma non excedit materiæ proportionem, ſed ſunt eiuſdem generis. Similiter etiam gratia, & gloria ad idem genus referuntur: quia gratia nihil eſt aliud, quàm quædam inchoatio gloriæ in nobis. Sed charitas & natura nõ pertinent ad idem genus. Et ideo non eſt ſimilis ratio.

¶ Ad tertium dicendum, quòd angelus eſt intellectualis naturæ, & ſecundum ſuam conditionem cõpetit ei, vt totaliter

totaliter feratur in omne id, in quod fertur, vt in primo habitum * eſt. (1.p.q.62.artic.6.) Et ideo in ſuperioribus angelis fuit maior conatus, ad bonum in perſeuerātibus, & ad malum in cadētibus. Et ideo ſuperiorum angelorum perſiſtentes facti ſunt meliores, & cadentes facti ſunt peiores alijs. Sed homo eſt naturæ rationalis, cui competit eſſe quandoq; in potentia, & quādoque in actu: & ideo non oportet, quòd feratur totaliter in id, in quod fertur: ſed eius, qui habet meliora naturalia, poteſt eſſe minor conatus, & econuerſo. Et ideo non eſt ſimile.

SVMMA TEXTVS.

COnclusio eſt quòd quantitas charitatis non dependet ex conditione naturæ, vel ex capacitate naturalis virtutis, ſed ſolùm ex voluntate Spiritus ſancti diſtribuētis ſua dona prout vult. Probatur. Quātitas vniuſcuiuſque effectus debet penſari penes quantitatem cauſæ, ſed charitas excedit capacitatē naturalium, & à ſolo Deo infunditur, vt in ſuperioribus dictum eſt, ergo eius quantitas non ex differentia naturalium, ſed ex parte concedentis gratiam penſanda eſt.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Nota. 1. PRo intelligentia huius articuli aduertēdum primò, quod Diuus Thom. in præſenti non intendit negare, quod gratia aut charitas infundatur à Deo maior, vel minor iuſta perfectionem diſpoſitionis liberi arbitrij ex auxilio ſpeciali prouenientis. Certum eſt enim de fide, quod in hominibus adultis maximè cum extra ſacramentum iuſtificantur, quantò quis fuerit melius ad charitatem ſuſcipiendam diſpoſitus, tantò maior charitas illi infundetur, vt docet Diuus Auguſtinus in lib. de gratia & libero arbitrio cap. 1. Vbi explicans illud Ioannis, De plenitudine eius omnes accepimus, dicit, Vnuſquiſq; pro modulo ſuæ diſpoſitionis. Et tract. 74. ſuper Ioann. dicit, illa verba. Non ad menſuram dat Deus ſpiritum, eſſe intelligenda de ſolo Chriſto: nam in alijs mittitur, ſecūdum menſuram donationis Chriſti, & ſecundum vniuſcuiuſq; diſpoſitionem. Idem dicit Diuus Cyprianus, lib. 2. Epiſtolarū, epiſtola. 2. Quod & diffinitum eſt in concilio Tridentino, ſeſſ. 6. cap. 7. Vbi habetur, quòd vnuſquiſque recipit iuſtitiam ſecundum menſuram, quā Spiritus ſanctus partitur ſingulis prout vult, & ſecundum propriam cuiuſque diſpoſitionem & cooperationem. Cæterum, quoniam iſta diſpoſitio, licèt ſit à libero arbitrio aſſentiente gratiæ mouenti, præcipuè tamen eſt à Deo, qui mouet ipſum liberum arbitrium, idcirco Diuus Thom. in hoc articulo abſolutè dicit veram menſuram charitatis, quæ infunditur eſſe diuinam voluntatem, & non capacitatem naturalem.

¶ Secundo eſt aduertendum, quòd præcipuum intentum Diui Thom. in hoc articulo eſt, explicare, qualiter Deus in diſtribuendis bonis gratiæ, & charitatis, & diſpoſitionibus ad ipſam gratiam neceſſarijs, non attendit ad perfectionem naturalem recipientis: ſed id facit pro ſua mera voluntate, & bene placito, quo decreuit huic, vel illi dàre tantam, vel tantam gratiam: & in ordine ad illam dat diſpoſitionem conuenientem. Et ſi aliquando contingat, quòd ille cui maior gratia, & perfectior diſpoſitio confertur habeat naturalia minus perfecta, vt eſt videre in beatiſsima virgine, cui amplior gratia fuit collata quàm ſupremo Angelo, quamuis ſecundum naturam eſſet longè inferior. Et ſimiliter inter homines ſæpe eligit Deus ad maiorem gratiam eos, qui minus præſtant ingenio, & alijs naturalibus dotibus iuxta illud Matthæi. 11. Confiteor tibi Pater domine rex Cæli, & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. Et propterea Diuus Thom. dicit in concluſione quòd quantitas charitatis non dependet ex conditione naturæ, vel ex capacitate naturalis virtutis, ſed ex ſola voluntate Spiritus ſancti diſtribuentis, ſingulis prout vult. Nota. 2.

¶ Sed contra iſtam doctrinam argumentor primo, ex Diuo Thom. in primo. d. 17. quæſt. 1. artic. 5. dicente, quòd qui habet meliora naturalia, cæteris paribus, ex parte conatus recipit maiorem charitatem. Et ratio eſt, quia ſecundum eundem conatum magis diſponitur melior natura, ergo ſecundum Diuum Tho. charitas infunditur iuxta capacitatem naturalium. 1. Argum.

¶ Secundò, Si duobus hominibus datur æqualе auxilium, 2. Argum.

liũ, vnus poterit meliùs diſponi ad gratiã, quàm alius, & tũc illa inęqualitas charitatis nõ poterit refundi in auxiliũ Dei, ergo erit refundẽda in ipſam naturã, & in conatũ naturalem: atq; ex conſequenti quãtitas charitatis erit penſanda ex virtute naturali.

Ad. 1. argu. ¶ Ad primũ argumentũ reſpondetur, notando cum Caiet. in pręſenti ꝙ de cauſa quãtitatis charitatis poſſumus loqui dupliciter, ſcilicet, ſimpliciter, & ex ſuppoſitione. Si loquamur ſimpliciter, ſic cauſa quantitatis charitatis eſt ſola diuina voluntas diuidens ſingulis prout vult. Si autem loquamur ex ſuppoſitione diuinæ volũtatis tanquam æqualiter ſe habentis ad infuſionem gratiæ, ſic cauſa quantitatis eſt conatus, ſeu diſpoſitio proxima. Et quòd cauſa quantitatis ſimpliciter ſit ſola diuina volũtas, probatur à Diuo Thom. in litera, ex eo quòd charitas excedit totam naturæ virtutem, & conſequenter omnem eius conatum & diſpoſitionem. Quòd autem ſuppoſita diuina voluntate tanquam æqualiter ſe habente ad infuſionem charitatis, quantitas eiuſdem charitatis ex parte diſpoſitionis proximæ, ſeu conatus attendatur, non indiget probatione Sed eſt aduertendum, quòd ille conatus, cui commenſurari ex parte recipientis dicitur charitas, non eſt condiſtinctus contra diuinam voluntatem, vt eſt gratiæ cauſa ſimpliciter: ſed ex parte ipſius diuinæ voluntatis ſe tenet, inquãtum homo nõ conatur, nec ſe diſponit ad gratiam, niſi præuentus, ab Spiritu ſancto, cuius eſt mouere mentẽ hominis, vel plus, vel minus ſecundum ſuam voluntatem, vt dicit Diuus Thom. in ſolutione ad primum. Hoc ſuppoſito ad Argumentum reſpõdetur, quod quando Diuus Thom. dicit quantitatem charitatis deſumi ex parte conatus loquitur de quantitate ex ſuppoſitione, nec excludit diuinã volũtatem, quæ ad talem conatũ debet mouere naturã. Sine Dei enim auxilio, & motione, nec conari, neque ſe diſponere poteſt homo ad iuſtitiam, vt diffinitur in concil. Triden. ſeſſ. 6. cap. 5. 6. & 7. Et quia iudicium ſecundum cauſam ſimpliciter eſt altius, eo quòd fit ſecundum cauſam ex ſuppoſitione, idcirco Diuus Tho. in hoc articulo ſeipſo doctior factus (vt dicit Caietanus) quantificat charitatem ex diuina voluntate, quæ eſt illius cauſa ſimpliciter, cum tamen in primo diſtin. 17. illam quantificaſſet ex hominis conatu & diſpoſitione, quæ erat cauſa ex ſuppoſitione.

Ad. 2. arg. ¶ In ſecũdo argumento tãgitur grauiſſima difficultas de efficacia diuini auxilij. Ad cuius perfect[illegible] intelligentiã duo erunt à nobis ſuo ordine explicãda. Primũ eſt vtrũ Deus aliquib⁹ hominibus deneget ea auxilia, quæ ſimpliciter ſunt neceſſaria ad cõſequẽdam ſalutẽ. Secundũ, dato, quod nõ deneget, vtrum fieri poſſit, ꝙ è duobus hominibus æquale auxiliũ habẽtibus vnus conuertatur, alter nõ cõuertatur. Et quidẽ quãtũ ad primã difficultatẽ pro parte affirmatiua argumẽtor primo. Deus reprobis non cõfert auxiliũ efficax, quo à peccato reſurgãt in fine vitæ, ergo eo tẽpore denegat illis auxilia neceſſaria ad ſalutẽ. Antecedẽs eſt manifeſtũ, & cõſequentia probatur: quia illud auxiliũ eſt ſimpliciter neceſſariũ. *Dubium graue.* *1. Argum.*

2. Argum. ¶ Secũdo, Deus non dat reprobis donũ perſeuerãtiæ, cũ non perſeuerent in gratia: ergo nõ dat auxilia neceſſaria. Probo conſequẽtiã: quoniã illud auxiliũ ſimpliciter eſt neceſſariũ ad perſeuerãdum: & qui non perſeuerat nõ cõſequitur vitã æternã.

Cõfirmatio. ¶ Et cõfirmatur ex D. Aug. qui lib. de prædeſtinatione ſanctorũ. c. 5. & lib. de gratia & libero arbitrio. c. 4. & c. 5. dicit nõ ſolũ eſſe neceſſariã gratiã, qua poſsimus credere, ſperare, & diligere: ſed etiam illã, qua actu credum⁹, ſperamus, & diligimus.

3. Argum. ¶ Tertiò, Paruulis diſcedentibus ſine baptiſmo Deus denegat ea auxilia, quæ neceſſaria ſunt ad ſalutẽ: ergo. Probo antecedẽs. Nõ dat illis facultatẽ ſuſcipiẽdi baptiſmũ, qui neceſſarius eſt ſimpliciter ad illorũ ſalutẽ.

4. Argum. ¶ Quartò, Sine fide impoſſibile eſt placere Deo, vt dicitur Abacuc c. 11. ſed multi nõ poſſunt habere fidẽ, ergo Deus denegat aliquibus auxilia ſimpliciter neceſſaria. Cõſequẽtia cũ maiori eſt nota, & minor probatur ex D. Aug. in lib. de natura & gratia. c. 4. dicẽte, iuſte dãnari los, qui nõ poſſunt habere fidẽ, quia nõ audierũt. &c. Quibus verbis apertè fatetur eſſe aliquos, qui nõ poſſunt habere fidẽ. Idẽ docet D. Tho. 2. 2. q. 10. ar. 1. 2. & 3. vbi affirmat dari infidelitatẽ puræ negationis, quæ eſt quã aliquis nõ põt credere, quia nõ audiuit fidẽ. &c.

Vltim. arg. ¶ Tandẽ hoc ipſum probatur pluribus teſtimonijs ſacrę Scripturæ. Nam Ioan. 6. dicit Chriſtus: Nemo poteſt venire ad me, niſi pater meus traxerit eũ: certum eſt autẽ, ꝙ multi non trahũtur à Patre. Vnde D. Aug. de prædeſtinatione ſanctorũ. c. 8. ex illa ſentẽtia: Omnis, qui audit, & didicit à patre venit ad me, concludit, quod qui non veniũt ad filium, quales ſunt reprobi,

non

nõ trahũtur à patre. Et Ioan. 12. dicitur de quibuſdã hominibus Iudæis incredulis, ꝙ nõ poterant credere, quia iterũ dicit Eſaias, Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum, vt nõ videant oculis, nec intelligãt corde, & conuertantur, & ſanem eos. Et ad Hebr. 6. Impoſsibile eſt eos qui illuminati ſunt, iterum reparari ad pœnitẽtiam: ergo ſi illis eſt impoſsibile agere pœnitentiam, ſine dubio dicendum erit, quod Deus denegat pluribus ea auxilia, quæ ſunt ſimpliciter neceſſaria ad ſalutẽ. Et confirmatur ex D. Aug. q ſuper epiſtolã ad Ro. videtur dicere fuiſſe denegatũ auxiliũ Pharaoni, ità, vt poſt indurationẽ nõ potuerit ſe ad Deũ conuertere. Et idẽ videtur dicere D. Iſid. de Sũmo bono. c. 15. & Abulẽſis ſuper Exodũ c. 4. q. 72. & Roffenſis cõtra Lutherũ artic. 36. & Driedo in libro. de Redemptione & Captiuitate generis humani.

Argumẽ. pro parte contraria. ¶ In contrarium tamẽ eſt: nam ſi aliqui homines ità deſtituerentur à Deo, vt denegaretur illis auxilium neceſſarium ad pœnitentiam, ſequeretur, quod Deus illis non imputaret peccatũ impœnitentiæ, quòd impoſsibile eſt ſine tali auxilio vitari.

1. Notabile. ¶ Pro explicatiõe huius difficultatis aduertendũ eſt primò, ꝙ multi ex hæreticis & etiam ex catholicis dixerunt, peccatores poſſe peruenire ad talem ſtatum peccatorum, in quo iam ad iuſtitiam reuocari non poſsint, nec ſit illis amplius ſperandum de ſalute: quanuis ad id aſſirmandum varijs mouebantur medijs, atq; rationibus. Quidam enim dicebãt, quòd hoc proueniebat, quia quædam ſunt peccata, quæ Deus nunquam condonat, nec remittit, quanuis de illis homo agat pœnitentiam, & doleat. In hoc errore fuit quidam hæreticus, de quo refert D. Hieronymus in epiſtola ad Marcellam, quòd dicebat illis veniam non eſſe concedendam, qui poſt baptiſmum, vel ſemel peccauiſſent: & etiam Nouatus aſſerens, quòd illi, qui poſt baptiſmum a fide defecerũt, non poſſunt amplius veniam obtinere, vt refer Euſebius lib. 6. Eccleſiaſticæ hiſtoriæ cap. 33. In eodem etiam errore fuit Armachanus. Qui in lib de Erroribus Armenorum, dicit dari aliquod peccatum irremiſsibile, de quo venia à Deo nõ eſt petenda. Idem etiam dixit D. Aug. quanuis poſteà retractauit ſententiam libr. 1. retractationum. Alij verò exiſtimant, quòd homines peccando poſſunt peruenire ad talem ſtatum peccatorũ, in quo iam ampliùs non poſsint conſequi ſalutem, non quia ſit aliquod peccatũ irremiſsibile, ſed quia in tali ſtatu deſtituuntur à Deo auxilijs neceſſarijs ad dignè pœnitendũ, ita, vt de lege communi nec reſurgere poſſunt a peccato, nec in Deum ſe conuertere. Et inter hos etiam eſt differentia. Nam quidam ponunt certum numerum peccatorum, & determinatum, ad quem homines cum peruenerint deſtituuntur neceſſarijs auxilijs. Alij verò non diffiniunt certum numerum peccatorum, ſed dicunt, ꝙ peccando homines ita Deũ irritant ad iracundiã, vt illos planè deſtituat auxilijs neceſſarijs. Ex his omnibus illi, qui dicunt eſſe aliqua peccata, quæ remitti non poſſunt, etiamſi homo de illis pœnitentiã agat, non pertinent ad noſtram diſputationẽ, in qua tantum de negatione auxilij diſſerimus. Dico tamen, quod illa ſententia eſt heretica in pluribus Concilijs damnata. Conuinciturq; falſitas ſufficienter ex illa firma Dei ꝓmiſsione Ezech. 18. In quacunq; hora ingemuerit peccator amplius iniquitatũ eius nõ recordabor. Alij autem omnes, qui dicunt homines interdũ deſtitui à Deo auxilijs neceſſarijs cũ ad talem ſtatũ, vel numerũ peccatorũ peruenerint, propriè pertinent ad noſtrã quæſtionem.

¶ Secundò eſt aduertẽdum, ꝙ quanuis Deus interdũ aliquibus peccatoribus, dum ſunt in peccato, immittat copioſa auxilia, & illos momẽto temporis cõuertat ad ſe, vt Paulo contigit, & Magdalenæ, tamen, vt in plurimũ, & maxima ex parte in conuerſione procedit ſenſim atq; paulatim, prius reuocando ipſum peccatorem ad ſobriam mentem, & deinde illum paulatim diſponendo, & idoneũ efficiendo ad ſuſcipienda illa auxilia, quibus vltimatè ad gratiã diſponitur. Itaque Deus in conuerſione peccatoris regulariter procedit hoc modo, ꝙ primò incipit à generalibus, & minoribus auxilijs, aptis tamẽ ad producendos ſuos effectus, ſi homo permittat ſe ab illis duci atq; regi. Et huiuſmodi ſunt morbi, & fœlices ſiuè aduerſi rerũ euentus. &c. Quibus auxilijs ſi homo acquieſcit, & incipit ſe arcere à voluntate peccandi, quam anteà habebat, fauet Deus illis conatibus, & ſuppeditat illi maiora auxilia, quibus magis arceat voluntatem illius ab ſtudio peccãdi. Idq; efficit per prædicatorũ voces, per lectiones, & per timores. &c. Quibus auxilijs ſi homo rectè vtitur, & magis ac magis continet ſe à peccatis, & ſibi tot⁹ diſplicet, incipit De⁹ *2. Notabile.* *Qualiter Deus procedat in cõuerſione peccatoris.*

tunc acrius inſtare, & abundātiori auxilio efficere, vt perfectè deteſtetur peccata, & ad Deum ſe cōuertat toto corde & anima. Cæterum ſi ecōuerſo peccator contempſe rit illa priora auxilia gratiæ, & magis gene ralia, Deus etiā quaſi ſubſiſtit, & ſe quodā-modo continet à conferendis vlterioribus auxilijs. Sed illa priora eadē auxilia iterum atque ſæpius repetit atq; multiplicat, paratus ſemper (ſi prioribus auxilijs homo rectè vtatur) maiora conferre. Nam qui infidelis eſt in minimo, id eſt, qui contemnit priora auxilia, & in maximo infidelis cenſebitur.

3. *Notabile.* ¶ Tertiò eſt aduertendum, quod aliud eſt Deum non dare alicui gratiam, ſiuè auxilium neceſſarium, aliud autem illud denegare. Nam non dare conſiſtit in effectu, denegare verò poſitum eſt in propoſito, & voluntate. Vnde Deus non dare dicitur quotieſcunque non dat rem ipſam, quacun que ex cauſa fiat. Dicitur autem denegare quando nec dat nec eſt paratus conferre, quia apud ſe ſtatuit non dare.

1. *Concluſio.* ¶ His poſitis ſit prima concluſio. Quamuis Deus hominibus poſt primum peccatū denegaret auxilia neceſſaria ad ſalutem conſequendam, non eſſet iniuſtus, neque aliquid faceret indignum ſua iuſtitia. Probatur, quia Deus iuſtiſsime poſſet homines poſt primum peccatum interficere, & in inferno æternis ſupplicijs punire: ergo ſi illos diutius viuere permitteret, quamuis auxilia gratiæ illis denegaret, miſericorditer potius, quàm ſeuerè cum illis ageret.

2. *Concluſio.* ¶ Secunda cōcluſio, Multis hominibus nec dat, nec eſt paratus dare illud auxilium copioſum, atque exuberans, quo ſuos ſolet conuertere ſubito, & ſine mora temporis, & dum in ipſo actu peccandi ſunt. Hæc concluſio eſt D. Auguſtini. li. 83. quæſtionum. quæſt. 64. Et probatur, Si Deus re ipſa daret huiuſmodi auxilia copioſa omnibus hominibus proculdubio conuerterentur, & ſalui fierent: ſed multi damnantur, ergo.

3. *Concluſio.* ¶ Tertia concluſio, Nulli reprobo in extremo vitæ dat Deus illud auxilium, quod eſt neceſſarium, vt ille verè pœniteat & ſe vltimatè diſponat ad gratiam: eſt tamē paratus dare, ſi per rectum atq; bonum vſum aliorum auxiliorum antecedentium ſit effectus, aptus, & idoneus ad id auxilium recipiendum. Et quidem quod Deus re ipſa non det huiuſmodi auxilium, probatur. Quia ſi daret non perirent, ſed conuerterentur infallibiliter: at verò condemnatur, ergo. Quod autem paratus ſit dare, ſtatim probabimus in ſequenti concluſione.

¶ Quarta cōcluſio, Nulli homini etiam reprobo, dum viuit, denegat Deus auxilia neceſſaria, & ſufficientia ad ſalutem conſequendam, ſed priora auxilia re ipſa ſemper præſtat, paratus conferre poſteriora, ſi homo prioribus auxilijs rectè fuerit vſus eo modo, quo dictum eſt. Hæc concluſio eſt contra Abulenſem ſuper Deuteronomiū. capit. 2. quæſt. 10. & contra Roffenſem, & Driedonem locis citatis: qui dicūt Deum interdum denegare peccatoribus neceſſaria auxilia, ità vt pœnitere nullo modo poſſint. Probatur tamen noſtra concluſio efficacibus argumentis atque rationibus. Primò Deus, quantum eſt ex parte ſua, vult omnes homines ſaluos fieri: quæ voluntas, vt communiter explicant doctores, cōſiſtit in hoc, quòd omnibus confert neceſſaria & ſufficiētia auxilia ad ſalutē, ergo nullo tempore denegat illa alicui. Secundò, Deus in ſacra Scriptura vocat ad ſe omnes, vniuerſiſq; promittit ſuam gratiā, & amicitiam, ergo nulli denegat auxilia neceſſaria. Conſequentia patet, quia aliàs eſſet vana talis vocatio. Et antecedens probatur, nam Ezechiel. 33. dicitur. Nolo mortem peccatoris, ſed magis, vt conuertatur, & viuat: & Matthæi. 11. Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & Ioan. 1. Illuminat omnem hominem venientē in hunc mūdum: Eſai. 49. Nunquid obliuiſci poteſt mulier infantis ſui, vt non miſereatur filio vteri ſui: & ſi illa oblita fuerit. &c. Tertio, Deus præcipit omnibus peccatoribus, dum ſunt in hac vita, vt ſe cōuertant ad illum, & agāt pœnitentiam, & in bono perſeuerent, contra autem facientes punit: ergo dicendum eſt, quòd donat illis auxilia neceſſaria ad id efficiendum ſaltim ex parte ſua. Patet conſequentia: alioqui præciperet impoſsibile, quod nullo modo eſt dicendum. Quartò, Damnati in inferno non merentur ſuis ma lis operibus noua ſupplicia, quia à Deo ſunt omnino deſtituti, & priuati gratia, & auxilijs ſpecialibus: ergo pari ratione homines ſi in hac vita deſtituerentur auxilijs, nō mererentur noua ſupplicia propter pec cata, quæ committuntur, ergo. Hoc ipſum probatur teſtimonijs Sanctorum. Nam D. Auguſt. in libro de Prædeſtinatione Sanctorum. capite. 13. &. 14. & lib. 2. de Libero arbitrio. capit. 16. id affirmat & D. Chryſoſt.

Chryſoſto. ſimiliter explicans illud Pauli, Iacob dilexit, Eſau autem odio habuit: & D.Hieronym. ſuper illud Pauli, Deus vult omnes homines ſaluos fieri: & Origenes lib.3. Periarchon, dum ageret de libero arbitrio. Et tandem hæc veritas videtur diffinita in cap. Firmiter. de ſumma Trinitat. & Fide catholica. Vbi dicitur, quòd omnibus hominibus in hac vita patet additus ad veram pœnitentiam: quod fieri non poſſet ſi Deus alicui denegaret auxilia neceſſaria. Quod autem priora auxilia ſemper conferat Deus omnibus hominibus excitando illos, atque monendo ad meliorem vitam, patet ex Apocalyp.c.3. Vbi dicitur: Ergo ſemper ſto ad oſtium, & pulſo. Et prouerb. cap.1. & cap.8. dicitur de Sapientia Dei, ꝙ foris prædicat, in plateis dat vocem ſuam, in capite turbarum clamitat, in foribus portarum vrbis profert verba ſua, dicens: Vſq; quo paruuli diligitis infantiã? Quòd verò Deus ſit paratus conferre poſteriora auxilia his, qui priorib⁹ rectè vſi fuerint, patet: nam eo fine atque intentione confert Deus priora auxilia, vt niſi homo reſiſtat tãdem perueniat ad poſteriora.

obiectio. ¶ Sed dicet aliquis: Si Deus nullo tempore denegat hominibus auxilia neceſſaria ad ſalutem, qua ratione dicitur illos derelinquere aut in quo conſiſtit ea derelictio, quę ponitur effectus reprobationis? *ſolutio.* ¶ Ad quod breuiter reſpõdetur, quòd Deus dicitur homines derelinquere, cum propter ſua peccata denegat illis non illa auxilia, quæ neceſſaria ſunt, & ordinaria, & quibus cõuerti poſſunt, ſed illa vberiora, & extraordinaria, quæ ſi conferret ſine dubio conuerterẽtur. Si enim cum Deus aliquem reprobum iacentẽ in peccato vocat, & excitat ad pœnitẽtiam per illa auxilia priora, quæ diximus, paratus cõferre poſteriora, ſi prioribus rectè vtatur, vehementioribus & extra ordinarijs auxilijs pulſaret, vt fecit in Paulo ſine dubio conuerteretur. Non tñ dat hæc auxilia, ſed potius illa priora ſæpe repetit: & cõtinet ſe à cõferendis vltimis auxilijs, & maioribus, quoaduſque prioribus rectè vtatur. Idque facit, quia propter priora peccata habet illũ exoſum, & reprobatum, Et in hoc conſiſtit illa derelictio, quæ eſt effectus reprobationis. Quod ità eſſe facile intelligitur ex illo Matthæi.11. Væ tibi Bethſaida, væ tibi Corozaim, quia ſi in Tyro & Sidone factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in te olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egiſſent. Ex quo conſtat, quòd Deus quanuis ſciebat Tyrios, & Sidonios eſſe conuertendos, ſi vidiſſent ea miracula, quæ viderunt ciues Corozaim, tamen neq; denegauit illis auxilia neceſſaria, & ſufficientia, quibus poſſent conuerti, nec dedit illis hoc auxilium miraculorum, quo ſine dubio conuerterentur, quia erant reprobati à Deo propter ſua peccata: & ideo iuſtè hoc modo derelicti.

¶ Sed reſtat nunc, vt ad argumenta reſpondeamus. *Ad. 1. argu.* Ad primum reſpondetur concedendo, quod Deus reprobis in fine vitæ non dat vltimum auxilium, quo actu conuertantur, non tamẽ illud denegat, quia paratus eſt dare, ſi ipſi prioribus auxilijs, quæ etiam in eodem articulo confert rectè vtantur. *Ad. 2. arg.* ¶ Ad ſecundum ſimiliter reſpondetur cõcedendo, quod nõ dat donum perſeuerantiæ, eſt tamen paratus dare, ſi rectè vtantur gratia, quam tunc habent, & ſic nõ dicitur denegare. Similiter reſpondetur ad D.Aug. concedendo, quòd eſt neceſſarium auxilium gratiæ, quo actu credamus, ſperemus, & amemus, nec illum Deus dat reprobis, nec etiam denegat propter rationem iam dictam, cum ſit paratus conferre. *Ad. 3. arg.* ¶ Ad tertium reſpondetur conceſſo antecedenti, negando conſequentiam. Nam adultis eſt poſitũ præceptum ſe cõuertendi in Deum, & pœnitentiam agendi, & propterea non ſunt illis deneganda auxilia neceſſaria ad id efficiendum. Cæterum paruuli nullum habent præceptum, nec mundari poſſunt à peccato originali, in quo ſunt per propriũ actum, ſed per ſuſceptionem ſacramenti. In qua re Deus ſatis prouidit, cùm baptiſmi ſacramentum, ità ad manus inſtituit quantum patitur ſuauis rerum diſpoſitio. *Ad.4.Arg.* ¶ Ad quartum reſpondetur cõcedendo, ꝙ multi non habent auxilia neceſſaria ad credendum, negatur tamen, ꝙ inde ſequatur Deum denegare huiuſmodi auxilia, quia paratus eſt conferre, ſi communioribus auxilijs rectè vtentes fecerint quod in ſe eſt, & honeſtè vixerint.

¶ Sed contra hoc eſt argumentũ. Nam hinc ſequi videtur, ꝙ illi peccãt non credendo, & quod nõ datur ignorãtia inuincibilis fidei, ſiquidem illorum culpa fit ꝙ careant prædicatore & alijs neceſſarijs ad credendum. Reſpõdetur ꝙ quanuis ignorant fidẽ, quia non rectè viuunt, tamẽ non peccant ignorãdo, quia nõ tenetur quis rectè viuere vel in gratia ſe cõſtituere ad vincẽdã ignorãtiam

tiam

tiam, vt diximus ſupra in materia de infide litate: & explicatur communiter ab omnibus doctoribus in materia de ignorantia.

Ad vltimũ argum. ¶ Ad vltimum reſpondetur, & primò ad argumentum deſumptum ex Ioanne. 6. cap. quod multi dicuntur non trahi a patre, non quia illis deneget auxilia neceſſaria, ſed quia illis non confert ſufficientia auxilia, quæ tamen paratus eſt conferre ſi prioribus rectè vtantur. Et per hoc patet etiam ad D. Auguſ. Ad aliud ex Ioan. 5. 12. reſpondetur, quòd illi dicuntur non poſſe credere, vel in ſenſu compoſito, vel quia illis erat difficillimum credere propter duritiã cordis ſui, & malitiã. Et ſimiliter reſpondetur ad illud ex Paulo ad Heb. 6. quod ponitur impoſsibile pro valde difficili. Ad cõfirmationem ex Augu. reſpondetur quòd multa dicit in illis commentarijs, quæ poſteà retractauit, & ſuam ſententiam verius expreſsit, loco ſupra citato de prædeſtinatione ſanctorum. cap. 13. &. 14.

Dubium. ¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco, & merito, ſi verum eſt quòd Deus nulli homini denegat auxilium neceſſarium & ſufficiẽs ad ſalutem, & ad pœnitentiam, qua ratione in ſacris literis quidam dicuntur excæcati & obdurati, & qualiter differãt huiuſmodi à cęteris peccatoribus, qui damnãtur.

Ratio dubitandi. Et ratio dubitandi eſt. Nam nullus poteſt dici obduratus, niſi, quia eſt deſtitutus gratia Dei corda emolliente: ſed nulli, etiam reprobi, ſunt hac gratia deſtituti, ſi verum eſt, quòd Deus reprobis confert auxilia neceſſaria, & ſufficientia ad ſalutem, ergo.

Sentẽtia Abulenſis. ¶ Ad hanc difficultatem Abulenſis, & alij facile reſpondent dicẽtes, quod illi peccatores, qui peccando peruenerunt in eum ſtatum, quò à Deo deſtituuntur, & denegat illis auxilia neceſſaria, dicũtur obſtinati & obdurati. Sed hæc ſententia iam ſuprà reprobata eſt. Vnde aliter eſt dicendum.

Sentẽtia Vegæ. ¶ Vega lib. 13. ſupra concil. Trid. cap. 12. dicit, quod differentia inter obduratos, & reliquos peccatores, qui in peccato perſeuerãt non eſt ſumenda ex parte defectus diuini auxilij, quaſi Deus minora auxilia conferat induratis, quã reliquis peccatoribus. Quin potius dicit, quod ideo præ alijs dicũtur indurati, quia accipientes à Deo maiora auxilia, & incitamenta ad pœnitentiam, propter ſuam duritiam pœnitere noluerũt. Et hoc ità eſſe probat ex Pharaone, qui obduratus dicitur, & tamen conſtat illum incitatum fuiſſe à Deo maximis auxilijs, & extraordinarijs miraculorũ, quibus emollitus nunquam eſt. Et ſimiliter ciues Corozain dicũtur indurati, cùm tamen maiora auxilia habuerint ad pœnitentiam, quam Tyrij & Sidonij. Hæc ſententia Vegæ mihi non placet. *Impugnatur Vega.* Primò, quia omnes ſancti loquentes de induratione, illam conſtituunt in quadam ſubtractione diuini auxilij. Et præterea, quia Deus in ſacris literis dicitur homines indurare. Eſſet autem abſurdum dicere, quòd illos indurat, quia confert illis maiora auxilia, quam alijs peccatoribus: ergo dicendum eſt potius, quòd illos indurat, quia ſubtrahit auxilia, quæ alijs peccatoribus confert.

Pro explicatione difficultatis nota. 1. ¶ Pro huius dubij explicatione eſt aduertendum primo, quòd ex multa & frequenti cõſuetudine peccandi producitur in humana mente & illi radicatur quædam qualitas, & habitus, quo inclinatur ad amandũ malum. Nam homines peccando ſæpeſæpius veniunt in talem ſtatum, vt peccare atque male agere ſit illis naturale, vel tanquã naturale, & quodammodo determinatur corũ voluntas ad ea, quæ praua ſunt: vnde tunc obdurati, & obſtinati dicuntur. Quia quẽadmodũ ea, quæ dura ſunt, niſi difficulter flecti nequeunt ab ea forma in qua ſunt ità illorum voluntas, quæ quodammodo eſt determinata ad malum, tanto difficilius poteſt verti ad bonum, quanto minùs eſt indifferens ad vtrumque. Quod eleganter inſinuatur apud Hieremiam. c. 13. quando dicitur. Si poteſt AEthiops mutare pellẽ, & pardus varietatem ſuam, ita & vos poteſtis bene facere cum didiceritis malũ. Itaq; induratio, & obſtinatio importat ex parte hominis prauam quandam qualitatem in animo illius infixam, & cõparatam ex multitudine peccatorum. Vnde eſt latiſsimũ diſcrimen inter obſtinatos, & reliquos peccatores. Nam obdurati ſuis peccatis contraxerunt illam animi duritiem, qua reliqui peccatores carent. Sed quoniam in ſacra ſcriptura Deus dicitur aliquorum peccatorum animos indurare, neceſſe erit etiã aſsignare ex parte Dei aliquid, quod pertineat ad obdurationem. Et quia non poteſt dici, quòd Deus efficiat aliquid poſitiue ad indurandos peccatores, neceſſe eſt dicere ꝙ denegat illis aliquid auxilij, quod cæteris cõfert. Quod quidem quale ſit difficile poterit explicari: præſertim cum ſupra dictũ ſit, ꝙ Deus omnibus peccatoribus, & reprobis confert auxilia ſufficientia ad ſalutem.

¶ Vnde

¶ Vnde ad huius rei explicationem eſt aduertendum ſecundo, quòd auxilium ſpeciale Dei eſt duplex. Vnum quod ſemper eſt coniunctum operi ſupernaturali: & ſic dicitur concomitans: & eſt concurſus ſpecialis Dei, quo tanquam prima cauſa ſupernaturalis concurrit ad operandum. Nam, quemadmodum ad opera naturalia cōcurrit Deus concurſu generali, qui ab ipſo ſeparari non poteſt, vnde ipſo poſito ponitur opus, & poſito opere ponitur etiam concurſus, vt ſi Deus concurrit cum Petro ad currendum Petrus currit, & ſi Petrus currit Deus cum illo concurrit ad currendum: ità etiam ad ſupernaturalia concurrit ſpeciali concurſu, quo poſito ponitur opus ſupernaturale. &c. & hoc concurſu carent illi homines, qui actu non conuertuntur ad Deū, & ſunt illud habituri, ſi conuertantur. Et veriſsimè dicitur, quòd qui caret huiuſmodi auxilio ideò caret, quia non vult ſe conuertere: ſicut verè dicitur, quòd qui ſedet caret concurſu generali Dei ad currendum, quia currere non vult. Alterum auxilium ſpeciale eſt, quod præcedit tempore conuerſionem, & vocatur præueniens: Cuius proprium officium eſt incitare & varijs rationibus, & modis inducere hominem ad conuerſionem, de quo auxilio in genere intelligitur illud, Ego ſto ad oſtium, & pulſo. Nam hoc auxilio præueniēte pulſat Deus ad oſtium noſtri cordis: alio autem auxilio concomitante non pulſat, ſed intra pectus operatur.

3. Notabile. ¶ Tertiò eſt aduertendum, quòd hoc auxilium antecedens eſt multiplex, poteſt tamen diuidi in quatuor genera. In primo, ponuntur omnia bona naturæ, ideſt, facultates naturales ad bene operandum, & generalis ratio prouidentiæ: nam hæc bona incitant, & prouocant ad amorem Dei & cognitionem illius. Et ad hoc genus pertinent ornatus, & ordo, & optima diſpoſitio totius vniuerſi, iuxta illud Pſal. Cœli enarrant gloriam Dei. In ſecundo genere ſunt particulares quidam euentus interdum aduerſi, interdum felices, vt morbi. &c. Qui ex diuino conſilio hominibus eueniunt, vt à peccato reſipiſcant. In tertio genere eſt doctrina reuelata, vox æterna prædicatoris, atque etiam miracula, quibus homo exterius incitatur ad amandum Deum. In quarto genere collocantur quidam motus interiores & illuſtrationes quædā, & cogitationes ſanctæ nobis à Deo immiſſæ: quę omnia operatur Deus intra arcana cordis noſtri quodā miro & occulto modo. Et hoc auxilium habet maximam efficaciam ad conuertendum hominem, & eſt multò efficacius, quàm reliqua omnia. Vnde de illo intelligitur illud canticorum. 5. Ad tactum eius commota ſunt viſcera mea. Dictū fuerat priùs in eodem capite, quòd ſponſus ſtabat ante fores, & pulſabat, & vocabat nominatim ſponſam: quæ omnia referuntur, & pertinent ad auxilia externa primi & ſecundi & tertij generis. Nec tamen ipſa his commota eſt, ſed ſolùm cōtactu: quo oſtēditur hoc auxiliū poſterius eſſe multò efficacius, quam illa priora.

1. Concluſio. ¶ His conſtitutis dico primo, quòd ex parte ipſorum hominum, hoc eſt diſcriminis inter obduratos, & alios peccatores, ꝙ obdurati habent quendam prauum habitum inclinantem ad malum comparatum ex multa aſſuetudine peccandi, quem reliqui peccatores non habent, vt patet ex primo fundamento.

2. Concluſio. ¶ Dico ſecundo, quòd ex parte Dei obdurati differunt à reliquis peccatoribus, nō in auxilio cōcomitante, nec in alijs antecedentibus primi aut ſecundi aut tertij generis: ſed tantum in auxilio interno quarti generis. Itaq; dicitur Deus obdurare aliquos, quia illis nō confert ea auxilia interna, quæ alijs non obduratis, quamuis reprobis confert. Probo ſingulas partes huius noſtri dicti. Et primo quòd non differant in auxilio concomitante, quia omnes peccatores, qui actu non conuertuntur, carent eo auxilio, ergo in illo non differunt obdurati ab alijs peccatoribus. Quòd nec etiam differāt in auxilio præueniente primi & ſecundi generis patet, quia illa auxilia omnibus indiſcriminatim conferuntur, vt patet ex illo Matthæi. 5. Pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos. Quòd autem nec etiam differant in auxilio antecedenti tertij generis patet, quia tale auxilium, quamuis interdum denegetur, obſtinatis, interdū illis etiam cōceditur, vt conſtat de Pharaone, qui ſæpius per Moyſen fuit admonitus de diuina voluntate, & in ciuibus Corozain, qui Chriſtum prædicantē audierunt, & eius miracula viderunt, & tamen erant obſtinati. Ex quo ſequitur, quòd tota ratio diſcriminis, quæ eſt inter induratos, & alios peccatores, ſumitur ex interioribus illuſtrationibus, & inſpirationib⁹, quib⁹ obdurati carēt, & ideò illorū animus dicitur durus, & rigidus. At verò cęteri

teri peccatores habent huiuſmodi inſpirationes alij plures, alij pauciores, pro maiori, vel minori qualitate peccatorum, & pro maiori, vel minori aſſuetudine peccandi. Item prætereà hoc ipſum probatur. Nam qui pulſantur à Deo interiùs huiuſmodi inſpirationibus, & illuſtrationibus, quamuis non ſemper pœniteant, tamen ſemper concipiunt animo aliquam diſplicentiam atq; timorẽ, nec ſunt animo quieti, ſed fluctuãt ſemper inter cupiditates & metus. At verò obſtinati & obdurati nihil tale ſentiunt in ſe, aut in ſuo animo, ſed ſecuri & otioſi reſident in peccatis, iuxta illud Prouer. 18. Impius cũ in profundũ malorũ venerit cõtemnit: & Iob. c. 15. Qui bibunt iniquitatẽ ſicut aquam, id eſt, peccant ſumma facilitate, & delectatione: & Ezech. 3. Frons meretricis facta eſt illi, & erubeſcere noluit. Denique illorum ſecuritas in peccato, & animus liber à timore deſcribitur elegantiſsimè Sap. cap. 2. vbi ponuntur omnes cogitationes, & cõſilia eorum: ergo obſtinati differunt à non obſtinatis in eo, quod carent auxilijs quarti generis. Et confirmatur ex D. Gregorio, qui lib. 11. Moralium cap. 5. docet Deũ non pulſare corda hominum obſtinatorũ interiori gratia & auxilio. Et ideò quamuis exteriùs moueantur auxilijs & vocibus nihil proficiũt: affertq; exẽplum de Cain. de quo dicit, quòd diuina voce admoneri potuit, ſed non mutari, quia exigente culpa malitiæ ſuæ iam intus Deus cor dereliquerat. Et propterea huiuſmodi homines obdurati in ſacris literis dicuntur habere cor lapideũ, quia, ſcilicet, non habent aliquas inſpirationes, quibus emolliantur. Et etiam dicuntur cæci & obcæcati, quia carent illuſtrationibus interioribus, quæ in animis aliorum peccatorum emicare ſolent.

3. *Concluſio.* ¶ Dico tertio, quòd etiam ex parte Dei poteſt poni diſcrimen inter obduratos, & reliquos peccatores in eo, quòd, quia alij peccatores habent acceſſus ad gratiam, & aliquando cadunt, & aliquando reſurgunt, ſæpe etiam bene vtuntur prioribus auxilijs, & ſic ſæpe realiter accipiunt poſteriora, & efficaciora auxilia. At verò obſtinati, & obdurati propter habitum peccandi firmum, quem habent, prioribus auxilijs vix, aut nunquam vtuntur. Et ideò Deus illis nunquam confert poſteriora auxilia, & efficaciora. Ex quo ſequitur, quòd eſt valde difficile, imo quodammodo impoſsibile, quòd obſtinati conuertantur. Ex quo fit, vt D. Thom. ſupra quæſt. 14. art. 1. dixerit, quod huiuſmodi homines quaſi miraculoſe ſpiritualiter ſanantur. Et hæc dicta ſint de prima difficultate.

¶ Sed conſtituto iam, quod Deus nulli hominum denegat ea auxilia, quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem, ſupereſt explicare vtrum fieri poſsit, quòd e duobus hominibus æquale auxilium habentibus vnus conuertatur, alter non conuertatur. *Aliud dubiũ* ¶ Ad cuius intelligentiã eſt aduertẽdum, quòd, licet opera, quæ facimus adiuti gratia, nõ ſint partim à gratia, & partim à libero arbitrio, ſed totum quod ſit indiuiſim ſit ab vtroq;: certum eſt tamẽ de fide, quòd liberum arbitriũ ità cooperatur gratiæ, vt poſsit illi reſiſtere. Et ſic illud opus quod totum fit à gratia & totum à libero arbitrio aliquo modo videtur eſſe à libero arbitrio, quo non eſt à gratia. *Nota.* Quod & in concilio Trident. ſeſ. 6. capit. 5. explicatum eſſe videtur. Nam dicitur, quod homines per excitantem, & adiuuãtem gratiam ad conuertendum ſe, & ad ſuam ipſorum iuſtificationem eidem gratiæ libere aſſentiẽdo, & cooperando diſponuntur, ita vt tangente Deo cor hominis per Spiritus ſancti illuminationem, nec homo ipſe nihil omnino agat inſpirationem illam recipiens, quippe qui illam & abijcere poteſt, nec tamen ſine gratia Dei mouere ſe ad iuſtitiam coram illo libera ſua voluntate poſsit. Hæc concilium. Quibus verbis ſignificare videtur, quòd, licet nulla bona operatio, nullus bonus motus, nulla bona voluntas, ad iuſtitiam tendens ſit in nobis à ſolo libero arbitrio, tamen hoc, quod eſt non repugnare, nec reijcere gratiam excitantem, & adiuuantem ad eliciendas bonas voluntates, & operationes eſt à libero arbitrio.

¶ Hoc ſuppoſito nonnulli dicunt fieri poſſe, quòd e duobus hominibus æquale auxilium habentibus vnus conuertatur, ea ſola ratione, quòd vnus libere aſſentiatur, & recipit motionem diuinam, cui alius ſua voluntate reſiſtit. *1. Sententia.* Quæ ſententia videtur eſſe D. Auguſt. Qui lib. 12. de ciuitate cap. 6. dicit: Si duo aliqui æquali affectu in anima, & corpore, & æquali tentatione videãt alicuius corporis pulchritudinem, qua viſa vnus moueatur ad illicitè fruendum, alter in volũtate pudica ſtabilis perſeueret, quid putamus eſſe cauſæ vt in illo fiat, in illo nõ fiat voluntas mala? Et enumeratis atq; etiam exploſis omnibus principijs, ad quæ huiuſmodi effectus reduci poterat, tandem

concludit

concludit dicens: Quid aliud apparet, niſi vnum voluiſſe, alterum noluiſſe à caſtitate deficere? Quibus verbis apertè ſignificat poſſe contingere, quod è duobus æqualiter adiutis vnus conuertatur, alter non conuertatur. Idem affirmat lib. 83. quæſt. q. 68. In cuius rei confirmationem adducit exemplum de inuitatis ad nuptias, quibus æqualiter inuitatis atque vocatis, quibuſdam venientibus alij venire noluerunt. Et libr. de prædeſtinatione & gratia. cap. 6. hoc ipſum proſequitur. Ponitque duos peccatores, ſcilicet, Pharaonē & Nabuchodonoſorē æqualiter admonitos, & vocatos à Deo, quorum vnus ingemuit, & alter fuit induratus. In eadem etiam ſententia videtur eſſe Diuus Gregorius. Qui explicans parabolam de inuitatis ad nuptias, referensque cauſas, propter quas è duobus æqualiter vocatis vnus veniat, alter non veniat, dicit: Nimirum, quia non æqualiter affecti erant. Et probari poteſt hæc ſententia hac ratione.

Argum. pro prima ſentētia.

Deus vniuerſis hominibus confert auxiliū ſufficiens ad ſalutem, vt ſtatim dicebam: ergo ſi fuerit æquale in duobus peccatoribus vnus poterit conuerti, alter non. Probo conſequentiam: nam alias non eſſet ſufficiens.

Confirmatio

¶ Et confirmatur. Si Deo mouente corda duorum hominum æquali auxilio, vnus non poſſet conuerti, altero pereunte, non ſaluaretur ratio liberi arbitrij, quæ conſiſtit in hoc, quòd poſitis omnibus requiſitis ad operandum poſsit operari, & non operari: hoc autem eſt abſurdum, ergo.

2. Sententia vera & tenenda.

¶ Hoc tamen non obſtante dico proculdubiò tenendum eſſe, tanquam verum, & principijs fidei valde conſentaneum, quòd ſi Deus duobus hominibus exiſtentibus in peccato, immittat æquale auxilium, non magis conuertetur vnus, quàm alius, loquendo de auxilijs interioribus, nā de exterioribus, alia eſt ratio. Itaq; ſemper ille qui conuertitur, recipit maiora auxilia, quibus libertate ſui arbitrij etiam ipſe cooperatur. Et quod hoc ità ſit neceſſario dicēdum, probatur. In eo, qui conuertitur, ipſummet cōuerti eſt donum Dei, vt ſacræ literæ teſtantur, quod non inuenitur in eo, qui non conuertitur: ergo maiora auxilia recipit ille, qui cōuertitur, quā ille, qui non conuertitur. Rurſus ille, qui conuertitur neceſſario debet habere auxilium efficax, quo conuertatur, quo ille, qui non conuertitur, ſem per caret: ergo nunquam habent æquale auxilium. Item, ſi è duobus hominibus æquale auxilium interiùs habētibus, vnus conuerteretur, alter non conuerteretur, ſequeretur dari ex parte noſtra cauſam prædeſtinationis, & quod ipſi nos ſecernimus, & non Deus ſecernit nos. Conſequens autem eſt hæreticum & contra ſacras literas. Nam ad Rom. capit. 9. volens Paulus omnem occaſionem gloriandi in negotio prædeſtinationis, & electionis diuinæ, à nobis auferre exemplo Eſau, & Iacob. dicit, Sed & Rebecca ex vno concubitu habens Iſaac patris noſtri, cum nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali (vt ſecundum electionem propoſitum Dei maneret) non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei, quia maior ſeruiet minori, ſicut ſcriptum eſt, Iacob dilexi Eſau autem odio habui. Quem locum Diuus Auguſtinus libr. 2. ad Simplicianum. quæſt. 2. iſto modo explicat. Cum dicit, ex vno concubitu, excludit gloriandi occaſionem, & referendi cauſam prædeſtinationis in propriam complexionem, aut aſtrorum oppoſitionem, vt faciebant Manichæi. Cum autem dicit, Rebecca ex Iſaac, excludit occaſionem gloriandi, & referendi cauſam prædeſtinationis in merita parentum. Et cum dicit, Antequam nati eſſent, vel aliquid boni, aut mali egiſſent, excludit occaſionem gloriandi, & referendi cauſam prædeſtinationis in propria merita, vel præſentia, vel futura, ſiue illa eſſent merita propriè, ſiue ſecundum quid. Et denique excludit quicquid eſt ex parte noſtri liberi arbitrij. Quod ità eſſe, vt intelligeremus, & ſimul videremus in quam cauſam eſſet noſtra prædeſtinatio, & electio diuina referenda adiecit ſtatim, vt ſecundum electionem propoſitum Dei maneret. &c. Quòd autem ſequatur dari cauſam prædeſtinationis ex parte noſtra, ſi ponamus, quod è duobus hominibus æquale auxilium habentibus vnus conuertatur alter non conuertatur, probatur. Nam poſſumus dicere, quod ea non repugnantia præuiſa, fuit cauſa prædeſtinationis, & electionis diuinæ, & quòd ideò Deus hos elegit & non illos, quia præuidit hos ſuæ gratiæ aſſenſum præſtituros, & non illos, quòd repugnat modo loquendi ſacræ ſcripturæ, & ſanctorum. Quocircà dicendum exiſtimo, quod cùm è duobus hominibus æqualiter vocatis vnus conuertitur, alter non cōuertitur, illius vocationis in ſequente eam, eſt aliquis modus, vel aliqua ablatio impedi-

impedimenti, vel quid ſimile nobis occultum è diuina largitate proueniẽs, quod nõ eſt in eo, qui non ſequitur vocationem.

Ad teſtimonia D. Aug. ¶ Et ad teſtimonia D. Aug. atq; Grego. reſpondetur, ꝙ loquũtur de auxilijs, & vocationibus exterioribus, quibus ęqualibus exiſtentibus effectus poſſunt eſſe diſpares pro voluntate, & beneplacito Dei interiùs mouentis.

Ad Argu. ¶ Ad rationem reſpondetur negando, ꝙ Deus omnibus hominibus conferat auxilia ſufficientia ad conuerſionem, ſed illis tãtum, qui actu conuertuntur, eſt tamen paratus omnibus illa conferre ſi rectè vtantur prioribus, & generalibus auxilijs. Et ſic nulli denegat neceſſaria, vt diximus in ſuperioribus. *Ad cõfirmationem variè reſpondetur.* ¶ Ad confirmationem nonnulli reſpondent dicentes, quòd ſtante diuino concurſu, quo Deus mecum concurrit, verbi gratia, ad conuerſionem, ego non ſolùm poſſum conuerti, verùm etiam ſæpe *1. Concluſio.* non cõuertor de facto. Imaginantur enim, quòd quẽadmodum cælum ſemper actualiter mouetur, & illo ſuo motu concurrit cũ omnibus cauſis inferioribus ad proprias cuiuſque actiones: ità tamen vt quamuis cauſæ ſecundæ nihil agant, ipſum tamen cælũ ſemper moueatur, & in ſuo motu & concurſu perſiſtat: ità etiam Deus ſuppeditat ſemper vim, atque motum rebus inferioribus, ſiue naturalem ad effectus naturales, ſiue ſupernaturalem ad effectus ſupernaturales, cum tamen ipſæ res illo motu atque vi ſæpeſæpius non vtantur. Et ſic ad argumentum reſpondent conceſſa maiori, negando minorem. Hæc tamen ſolutio communiter reijcitur ab omnibus doctoribus, & merito. Primò, quia cùm mouere, & moueri ſint correlatiua, & Deum concurrere ad agendum nihil aliud ſit, quàm mouere actualiter cauſam inferiorem ad operandũ, impoſsibile erit, quod ipſe concurrat cum cauſa ſecunda, & quod ea non operetur. Secundo, Deus non concurrit ad actiones rerum inferiorum, vt cauſa partialis, ſed, vt cauſa totalis, atque præcipua: ergo impoſsibile eſt, hæc duo ſimul eſſe vera, ſcilicet, ꝙ Deus concurrat cum Petro, verbi gratia, ad conuerſionem, & quòd ipſe non conuertatur. Patet conſequentia: nam poſita cauſa totali alicuius effectus, & quæ impediri nõ poteſt, neceſſario debet ſequi effectus.

2. Solutio Almaini. ¶ Quocircà Almainus in moralibus. ca. 2. aliter reſpondit. Concedit enim, ꝙ poſito diuino concurſu homo non poteſt nõ operari: negat tamen ex hoc ſequi, quòd neceſſario, & nõ libere operetur. Et qu dicitur in argumento, ꝙ cauſa libera eſt, quæ poſitis omnibus requiſitis ad operãdũ poteſt agere, vel nõ agere dicit ſolũ eſſe intelligẽdum de requiſitis præuijs, & antecedentibus, nõ autem de requiſitis concomitantibus actionem. Vnde cum concurſus ille diuinus, quamuis ſit neceſſarius, non præcedat ſed concomitetur actionem, in eodem enim inſtanti, in quo eſt cõcurſus, eſt etiam & operatio, fit vt non tollat libertatem cauſæ ſecundæ. Hæc ſolutio non placet. Magiſtro Soto lib. 1. de natura & gratia. c. 16. quia cõcedit, quòd ſtante diuino concurſu homo non poteſt non operari: quòd ipſe falſum exiſtimat. Primo quia, cùm diuinus cõcurſus licèt concomitetur actionem, ſit vnicuiq; cauſæ ſecundæ ad actionem requiſitus, imò ex natura ſua prærequiſitus: & De' non ſolum ſit cauſa effectus producti, ſed etiam moueat cauſam ſecundam ad agendum, ſi illo exiſtente non poteſt non operari, falſum erit dicere, quòd homo eſt cauſa libera: ſiquidem poſitis omnibus requiſitis ad agendum non poteſt agere, & non agere. Secundò, quia aliàs ſequeretur, quòd nunquã daretur numerus ſufficiens requiſitorum, quibus poſitis voluntas poſſet agere & non agere, atque ex conſequenti, nec eſſet libera: conſequens autem eſt falſum, ergo. Probo ſequelam. Nam ante diuinum concurſum volũtas non poteſt agere, & poſt illum non poteſt non agere, vt illi conceduut: ergo nunquam datur numerus requiſitorum, quibus poſitis poſsit agere & non agere. ¶ Quocirca ipſe aliter reſpondet dicens, quòd eo ipſo temporis momento, quo Deus mecum concurrit, verbi gratia, ad conuerſionem, ego poſſum non conuerti in ſenſu diuiſo, quia ſic liber maneo, vt renuere poſsim, quamuis in ſenſu compoſito hæc duo inter ſe ſe ſint repugnãtia, ſcilicet, quòd Deus me moueat ad conuerſionem, & ego non conuertar. *3. Solutio Soti.* ¶ Cæterùm hæc ſolutio nunquam mihi ſatis placuit. *Impugnatur Soto.* Nam quamuis diſtinctio de ſenſu compoſito & de ſenſu diuiſo commode poſsit adhiberi multis rebus, huic tamen argumẽto adhibita verbis tantum eludit argumentum, nec ſatisfacit difficultati. Quod iſto modo oſtendo. Cum quęritur vtrùm albus poſsit eſſe niger, rectè dicitur, quod in ſenſu cõpoſito non poteſt, quia eſt impoſsibile, ꝙ aliquis ſit albus ſimul & niger: ſed in ſenſu

ſenſu diuiſo poteſt, quia ille qui eſt albus amiſſa albedine, & loco illius ſuccedente nigredine poteſt eſſe niger. Tamen ſi eſſet aliquod corpus eiuſmodi, cui albedo ita ineſſet, vt per nullam potentiã eam poſſet amittere, tunc ſi quæſtio fieret de illo corpore, vtrum poſſet eſſe nigrum, nec ne, inepte reſponderetur quòd in ſenſu diuiſo poteſt: quia perinde eſſet, ac ſi diceremus, quod tale corpus album amiſſa albedine poteſt accipere nigredinem, & fieri nigrum, quod ex hypoteſi eſt falſum, & impoſsibile. Sed ſic eſt, quòd concurſus diuinus poſtquam ſemel poſitus eſt in diuerſum mutari non poteſt, nec impediri, eſtq; determinatus ad vnam partem contradictionis, ſcilicet, me facturum conuerſionẽ, ergo ſimul eſſe non poteſt, quòd Deus concurrat mecum ad cõuerſionem, & ego non conuertar: cum ipſe concurſus ſit iam poſitus, manifeſte ſequitur quòd non poterimus vti diſtinctione de ſenſu compoſito & de ſenſu diuiſo magis quam cum de corpore, cui inſeparabiliter ineſt albedo, quærimus vtrum poſsit eſſe nigrum necne.

Sentẽtia autoris. ¶ Quapropter hac etiam ſolutione omiſſa, vt ad argumentum reſpondeamus dico primo certũ eſſe, quod Deus ſemper actualiter ſuſtentat vniuerſas res, ſuggeritq; illis vim, qua & ſubſiſtere & mouere ſe poſsint in ſuas operationes tam naturales, quam ſupernaturales. Et quantum ad hoc verum dixit prima opinio. ¶ Dico ſecundo certum eſſe, quòd cõcurſus actualis Dei, quo mecũ concurrit, verbi gratia, ad conuerſionem, & mea conuerſio ſimul ſunt in eodem inſtanti, nec vnum alterum precedit tempore. Ex quo fit, vt ſit impoſsibile quòd iſta propoſitio ſit vera, Deus me mouet ad cõuerſionem, & hæc ſit falſa, Ego cõuertor. Et quãtum ad hoc verum dixit ſecunda opinio.

¶ Dico tertio etiam certum eſſe, quod eo tẽporis momento, quo Deus mecum concurrit ad conuerſionem ego libere conuertor, & poſſum non conuerti. Et quantũ ad hoc verum dixit Soto: quamuis hoc non prouenit ex ſenſu compoſito, & diuiſo, ſed ex eo, quod Deus ita concurrit cum cauſis liberis, & contingentibus, vt nihilominus ipſe liberæ maneant, & contingentes, & non neceſſariæ, nec ad vnum determinatæ. Idem enim dicendum exiſtimo de diuino cõcurſu quod D. Tho. 1. par. q. 19. art. 8. & quæſt. 22. art. 4. & primo contra gentes. cap. 85. de diuina voluntate affirmat. Scilicet, ꝙ quamuis diuina voluntas ſit cauſa efficax rerum futurarum, tamen quædam res eueniunt contingenter, & liberè, nõ quia libere vult illas Deus, vt nonnulli affirmant, ſed quia vult, vt libere & contingenter eueniant. Et hæc eſt, inquit, ſumma efficacia diuinæ voluntatis, quod non ſolum efficit id, quod vult, ſed etiam efficit, vt eueniat eo modo, quo vult. Vult autem Deus, vt quæ fiunt ipſo concurrente cum cauſis liberis fiant liberè, & ita attemperat, & accõmodat vim atque efficaciam diuinæ ſuæ voluntatis ad huiuſmodi cauſas liberas, vt infallibiliter ſe quatur effectus volitus à Deo, & tamen ſequatur ipſis cauſis ſecundis libere & nõ neceſſario concurrentibus cum Deo. Quod vtrunque explicat Sapiens Sapientiæ. 8. quando dicit, Attingit à fine vſque ad finẽ fortiter, & diſponit omnia ſuauiter. Fortiter, inquit, propter efficaciam, & infallibilitatem diuinæ voluntatis: & ſuauiter, propterea quòd nulla vi illata, ſed accommodando ſuam vim atque efficaciam ad naturam cuiuſcumque cauſæ, id quod fieri vult perducit ad exitum. Et hæc dicta ſint de tota iſta difficultate.

¶ In ſolutione ad tertium argumentum dicit D. Tho. quod Angelis fuit collata gratia iuxta capacitatem naturalium. Circa quod eſt difficultas, vtrũ verum ſit. Et pro parte negatiua eſt argumentum. Scriptura dicit Deum dare gratiam & gloriam, tam hominibus, quàm Angelis pro ſuo bene placito, nullo habitu reſpectu ad perfectionem naturalẽ, vt patet ex illo. 1. ad Corint. 12. Hæc omnia operatur vnus atque idem ſpiritus diuidens ſingulis prout vult: & Ioan. 3. Spiritus vbi vult ſpirat, & Iacob. 1. Voluntariè genuit nos verbo veritatis ſuæ, vt ſimus initium aliquod creaturæ eius: & ad Epheſios. 4. Vnicuiq; data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti, ergo Angelis non fuit collata gratia, aut gloria ſecundum quãtitatem ſuorũ naturaliũ. *Dubium de gratia Angelorum.* *Argum. pro parte negatiua.*

Concluſio. ¶ Hoc tamen non obſtãte dico, quòd ſententia D. Tho. eſt veriſsima, ſi intelligatur quòd Deus contulit perfectioribus Angelis maiorem gratiam & gloriam, non quia perfectioribus naturalibus deberetur maior gratia, vel gloria: ſed quia Deus voluit libera voluntate gratiam & gloriam conferre ſecundum diuerſitatem naturæ. Quãuis enim perfectio naturalis non ſit diſpoſitio ad gratiam, nec conatus naturalis præfiniat modum illi, ſed ſicut gratia eſt forma

 ſuper-

ſupernaturalis ita etiam datur creaturæ intellectuali ex mera Dei voluntate, tamen Deus qui gratuita ſua voluntate infundebat Angelis gratiam, ità infundendo voluit habere rationem naturæ illorum, vt perfectiori Angelo maiorem gratiam infuderit. Et hoc eſt quantum ad gratiam, in qua Angeli fuerunt creati. Nam quantum ad gloriam, quemadmodũ homines cum primũ iuſtificantur, ille, qui maiori dilectione ſe conuertit in Deum recipit maiorem gratiam, ità etiam ex Angelis, qui maiori conatu ſe conuerterunt in Deum ex charitate, magis meruerũt, & maiorem gloriam ſunt conſequuti. Eſt autẽ vero ſimile, quod perfectiores Angeli maiori conatu ſe conuerterunt in Deum, quam inferiores, quia nullum habebant impedimentum, quo retardarentur ab operãdo, ſicut homines habẽt, & ſic factum fuit quod gloria fuerit Angelis collata ſecũdum capacitatem naturaliũ.

Dubium. ¶ Si quis autem quærat, quæ nam ſit ratio, propter quam Deus mera ſua voluntate contulerit Angelis gratiam iuxta capacitatem naturalium, & tamen in hominibus eundem ordinem non ſeruauerit, reſpondetur id factũ fuiſſe propter multas rationes.

Solutio. Sed præcipua eſt, quia cum ſinguli Angeli ſecundum ſententiam D. Tho. differãt ſpecie, vt vnus eſsẽtialiter ſit perfectior altero, ratio poſtulare videbatur, vt ordo gratiæ non peruerteret ordinem eſſentialem naturæ, ſed illi ſe accõmodaret. Videbatur enim inconueniens, quòd Angelus, qui eſſentialiter, & ſpecifice erat ſuperior, imperfectiori ſubderetur ſecundum gratiam.

ARTICVLVS IIII.

¶ *Vtrum charitas augeri poſsit.*

1. 2. q. 52. art. 1. & q. 66. art. 1. Et 1. diſt. 17. q. 2. art. 1. Et virt. q. 1. ar. 11. et quodl. 9. art. 13.

AD QVARTVM ſic proceditur, Videtur quòd charitas augeri non poſsit. Nihil enim augetur, niſi quantum. Duplex autẽ eſt quantitas, ſcilicet dimenſiua, & virtualis: quarum prima charitati non conuenit, cũ ſit quædam ſpiritualis perfectio. Virtualis autẽ quantitas attenditur ſecundum obiecta, ſecundum quæ charitas non creſcit: quia minima charitas diligit omnia, quæ ſunt ex charitate diligenda. Ergo charitas non augetur.

2 ¶ Præterea, Id quod eſt in termino, non recipit augmentum. Sed charitas eſt in termino, quaſi maxima virtutũ exiſtens, & ſummus amor optimi boni. Ergo charitas augeri non poteſt.

3 ¶ Præterea, Augmẽtum quidã motus eſt. Ergo quod augetur, mouetur. Quod ergo augetur eſſentialiter mouetur eſſentialiter. Sed non mouetur eſſentialiter, niſi quod corrumpitur, vel generatur. Ergo charitas non poteſt augeri eſsẽtialiter, niſi fortè de nouo generetur vel corrumpatur: quod eſt inconueniens.

¶ SED CONTRA eſt, ꝙ Auguſt. dicit * ſuper Ioan. quòd charitas meretur augeri, vt aucta mereaẽ & perfici. *Tract. 5. in Ioan. declinando aſ. 9.*

¶ RESPONDEO dicendũ, quòd charitas viæ poteſt augeri. Ex hoc enim dicimur eſſe viatores, ꝙ in Deũ tendimus, qui eſt vltimus finis noſtræ beatitudinis. In hac etiam via tãto magis procedimus, quanto Deo magis propinquamus, cui non appropinquatur paſsibus corporis, ſed affectibus mentis. Hanc autem propinquitatẽ facit charitas: quia per ipſam mens Deo vniẽ. Et ideo de ratione charitatis viæ eſt, vt poſsit augeri. Si enim nõ poſſet augeri, iam ceſſaret viæ proceſſus. Et ideo Apoſtolus charitatem viam nominat, dicens primæ ad Corinth. 12. Adhuc excellentiorẽ viam vobis demonſtro.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd charitati non conuenit quantitas dimenſiua, ſed ſolum quantitas virtualis, quæ nõ ſolum attenditur ſecundum numerum obiectorum, vt ſcilicet, plura, vel pauciora diligantur, ſed etiam ſecundum intenſionem actus, vt magis vel minus aliquid diligatur, & hoc modo virtualis quantitas charitatis augetur.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd charitas eſt in ſummo ex parte obiecti, in quãtum, ſcilicet, eius obiectũ eſt ſummum bonũ. Et ex hoc ſequitur, quòd ipſa

ipſa ſit excellẽtior alijs virtutibus. Nõ tamen eſt charitas in ſummo, quantum ad intenſionem actus.

¶ Ad tertium dicendũ, quòd quidam dixerunt charitatem non augeri ſecundum ſuam eſſentiam, ſed ſolum ſecũdum radicationem in ſubiecto, vel ſecũdum feruorem. Sed hi propriam vocem ignorauerunt. Cum enim accidens ſit, eius eſſe eſt ineſſe. Vnde nihil eſt aliud ipſam ſecundũ eſſentiam augeri, quàm eam magis ineſſe ſubiecto: quod eſt magis ea radicari in ſubiecto. Similiter etiam ipſa eſſentialiter eſt virtus ordinata ad actũ: Vnde idẽ eſt ipſam augeri ſecundum eſſentiam, & ipſam habere efficaciam ad producendũ feruentioris dilectionis actum. Augetur ergo eſſẽtialiter, nõ quidẽ ita quod eſſe incipiat, vel eſſe deſinat in ſubiecto, ſicut obiectio illa procedit: ſed ita quòd magis ac magis in ſubiecto eſſe incipiat.

SVMMA TEXTVS.

Concluſio, De ratione charitatis viæ eſt, vt poſsit augeri. Probatur. Ex eo dicimur viatores, quia tendimus in Deum, qui eſt vltimus finis noſtræ beatitudinis, ſed huiuſmodi tendentia non fit paſsibus corporis, ſed affectibus, quibus tanto magis ad Deum accedimus, quanto magis illum diligimus: ergo de ratione charitatis viæ eſt quòd poſsit augeri. Vnde Paulus. 1. ad Corint. 12. ipſam charitatem, viam appellat dicens, adhuc excellentiorem viam vobis demonſtro, &c.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Nota. Circa iſtum articulum eſt aduertẽdum, fuiſſe de hac re duos errores, vnum Begardorum & Beguinarum aſſerentiũ poſſe homines in hac vita ad tantam perfectionem peruenire, vt amplius in virtute proficere nequeant: qui damnatus eſt in cõcilio Vienenſi, & refertur in Clementina. ad noſtrum. de hæreticis. De quo errore eſt videndus Caſtro de hæreſibus verbo. Beatitudo. hereſi. 4. Alter error fuit Iouiniani dicentis, omnes iuſtos in hac vita eſſe æquales in charitate, & meritis, & in futura beatitudine futuros æquales in gloria. In quo etiam errore fuit Lutherus, affirmans, omnes fideles eſſe tam ſanctos, ſicut Beata Virgo. Sed de hoc videndus eſt Soto lib. 2. de natura & gratia. c. 20. & Caſtro vbi ſupra. Et concluſio D. Tho. eſt de fide tenenda: vt pote quæ expreſſe continetur in ſacris literis. Nam ad Epheſ. 4. dicit Paulus, Veritatem facientes in charitate creſcamus in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus: & ad Philip. 1. Hoc oro. vt charitas veſtra magis ac magis abundet in omni ſcientia, & in omni ſenſu. Et in quadam oratione canit Eccleſia: Da nobis Domine fidei, ſpei, & charitatis augmentũ. Quod & diffinitur in concilio Tridẽt. ſeſ. 6. cap. 10.

ARTICVLVS V.

Vtrum charitas augeatur per additionem.

AD QVINTVM ſic proceditur. Videtur ꝙ charitas augeatur per additionẽ. Sicut enim eſt augmentum, ſecundum quantitatem corporalem, ita ſecundum quantitatem virtualem. Sed augmentũ quantitatis corporalis fit per additionẽ. Dicit enim Philoſophus in primo de generatione, quòd augmentum eſt prǽexiſtẽti magnitudini additamẽtũ. Ergo etiam augmentum charitatis, quod eſt ſecũdum virtualem quantitatem, erit per additionem. *1. 2. q. 52. a. 2. Et 1. diſt. 17. q. 1. art. 2. Et virt. q. 1. ar. 11. cor. & ad. 10. et 12.* *Lib. 1. tex. 31. to. 2.*

2 ¶ Præterea, Charitas in anima eſt quoddam ſpirituale lumen, ſecũdum illud primæ Ioã. 2 Qui diligit fratrem ſuũ, in lumine manet. Sed lumen creſcit in aëre per additionem, ſicut in domo lumen creſcit, alia candela ſuperaccenſa. Ergo etiam charitas creſcit in anima per additionem.

3 ¶ Præterea, Augere charitatem, ad Deum pertinet, ſicut & ipſam creare: ſecundum illud. 2. ad Cor. 9. Augebit incremẽta frugum iuſtitiæ veſtræ. Sed Deus primo infundendo charitatem, aliquid facit in anima quod ibi prius non erat. Ergo etiam augendo charitatem, aliquid ibi facit, quod prius nõ

erat. Ergo charitas augetur per additionem.

¶SED CONTRA eſt, quòd charitas eſt forma ſimplex. Simplex autem additum ſimplici nõ facit aliquid maius: vt probatur in. 3. Phyſic. *Ergo charitas non augetur per additionem.

Lib. 3. tex. 59. to. 2.

RESPONDEO dicendum, quòd omnis additio eſt alicuius ad aliquid. Vnde in omni additione oportet ſaltẽ præintelligere diſtinctionem eorum, quorum vnum additur alteri ante ipſam additionem. Si ergo charitas addatur charitati, oportet præſupponi charitatem additam, vt diſtinctam à charitate, cui additur, non quidem ex neceſsitate ſecundum eſſe, ſed ſaltem ſecũdum intellectũ. Poſſet enim Deus etiam quantitatem corporalem augere, addendo aliquam magnitudinem non prius exiſtentem, ſed tunc creatam: quæ quamuis prius non fuerit in rerum natura, habet tamen in ſe, vnde eius diſtinctio intelligi poſsit à quantitate, cui additur. Si ergo charitas addatur charitati, oportet præſupponere ad minus ſecundũ intellectum diſtinctionẽ ynius charitatis ab alia. Diſtinctio autem informis eſt duplex vna quidem ſecundum ſpeciem, alia autẽ ſecũdũ numerũ. Diſtinctio quidem ſecũdum ſpeciem in habitibus eſt ſecundum obiectorũ diuerſitatem. Diſtinctio verò ſecundum numerum eſt ſecundum diuerſitatem ſubiecti. Poteſt ergo contingere, quod aliquis habitus per additionem augeatur dum extenditur ad quædã obiecta, ad quæ prius ſe non extẽdebat. Et ſic augetur ſcientia Geometriæ in eo, qui de nouo incipit ſcire aliqua Geometricalia, quæ prius neſciebat. Hoc autem nõ poteſt dici de charitate: quia etiam minima charitas ſe extendit ad omnia illa, quæ ſunt ex charitate diligenda. Non ergo talis additio in augmẽto charitatis poteſt intelligi præſuppoſita diſtinctione ſecundum ſpeciem charitatis additæ ad eam, cui additur. Relinquitur ergo, quod ſi fiat additio charitatis ad charitatem, quod hoc fiat præſuppoſita diſtinctione ſecundum numerum, quæ eſt ſecũdũ diuerſitatem ſubiectorum: ſicut albedo augetur per hoc ꝙ album additur albo: quamuis hoc augmento non fiat aliquid magis album. Sed hoc in propoſito dici non poteſt: quia ſubiectum charitatis non eſt niſi mens rationalis. Vnde tale charitatis augmentum fieri non poſſet, niſi per hoc, quod vna mens rationalis alteri adderetur: quod eſt impoſsibile, quãuis etiã ſi eſſet poſsibile, tale augmentum faceret maiorem diligẽtem: non autem magis diligentem. Relinquitur ergo, quòd nullo modo charitas augeri poteſt, per additionem charitatis ad charitatem, ſicut quidam ponunt. Sic ergo charitas augetur ſolum per hoc, quòd ſubiectum magis ac magis participat charitatem, id eſt, ſecundum quod magis reducitur in actum illius, ac magis ſubditũ illi. Hic enim eſt augmenti modus proprius cuiuſlibet formæ, quæ intẽditur eo, quòd eſſe huius formæ totaliter conſiſtit in eo, quòd inhæret ſuſceptibili. Et ideo cum magnitudo rei conſequitur eſſe ipſius formæ, formam eſſe maiorem, hoc eſt, eam magis ineſſe ſuſceptibili, non autem aliam formã aduenire. Hoc enim eſſet, ſi forma haberet aliquam quantitatem ex ſeipſa, non per comparationem ad ſubiectum. Sic ergo & charitas augetur per hoc, quòd intenditur in ſubiecto, & hoc eſt ipſam augeri ſecũdũ eſſentiam. Non autem per hoc, quòd charitas addatur charitati.

¶AD PRIMVM ergo dicendum, quòd quantitas corporalis habet aliquid, inquantum eſt quantitas, & aliquid inquantum eſt forma accidentalis. Inquantum eſt quantitas, habet, quòd ſit diſtinguibilis ſecũdum ſitum & ſecundum numerum: & ideo hoc

modo

modo cõſideratur augmentum magnitudinis per additionem, vt patet in animalibus. Inquantum verò eſt forma accidentalis, eſt diſtinguibilis ſolum ſecundum ſubiectũ. Et ſecũdum hoc habet proprium augmentum, ſicut & aliç formç accidentales, per modum intenſionis eius in ſubiecto: ſicut patet in ijs, quæ rarefiunt, vt probatur in. 4. Phyſic. Et ſimiliter ſcientia habet quantitatem, inquantum eſt habitus ex parte obiectorum: & ſic augetur per additionem, inquantũ aliquis plura cognoſcit. Habet etiam quantitatem, inquatum eſt quædam forma accidẽtalis ex eo, quod ineſt ſubiecto: & ſecundum hoc augetur in eo, qui certius eadem ſcibilia cognoſcit nũc, quàm prius. Similiter etiam & charitas habet duplicem quantitatem. Sed ſecundum eam, quæ eſt ex parte obiecti, non augetur, vt dictum *eſt, Vnde relinquitur, quod per ſolam intenſionem augeatur.

In corp. art.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd additio luminis ad lumen poteſt intelligi ſic, quòd intenditur in aëre propter diuerſitatẽ luminarium cauſantium lumen. Sed talis diſtinctio non habet locũ in propoſito: quia nõ eſt niſi vnũ luminare influens lumen charitatis.

¶ Ad tertium dicẽdum, quòd infuſio charitatis importat quandam mutationem ſecundum habere charitatem, & non habere. Et ideo oportet, quòd aliquid adueniat, quod prius non infuit. Sed augmentatio charitatis importat mutationem ſecundum magis & minus habere: & ideo non oportet quòd aliquid inſit, quod prius non infuerit: ſed quod magis inſit quod prius minus inerat. Et hoc eſt quod facit Deus charitatem augendo, ſcilicet quòd magis inſit, & quòd perfectius ſimilitudo Spiritus ſancti participetur in anima.

SVMMA TEXTVS.

ANtequam D. Tho. reſpondeat ad difficultatem præmittit duo. Primũ eſt, quòd omnis additio eſt alicuius ad aliquid. Et ſic ſemper in omni additione oportet præintelligere diſtinctionẽ eorũ, quorum vnũ alteri additur, vel realem, ſi ipſæ res realiter exiſtant antequam vnum alteri addatur, vel ſecundum intentionem, vt ſi rei prçexiſtenti addatur alia non prius exiſtens ſed de nouo creata. Ex quo fit, vt ſemper quod charitas intelligitur addi charitati opus ſit præſupponere, ad minus ſecũdum intellectũ, diſtinctionẽ vnius charitatis ab alia. Secũdum quod ſupponit eſt, quòd diſtinctio in formis poteſt eſſe duplex, vna ſpecifica, altera numerica. Diſtinctio ſpecifica in habitibus ſumitur ex obiecto: numerica autem ſumitur ex parte ſubiecti. His ſuppoſitis reſpondet per tres propoſitiones. ¶ Prima cõcluſio. Charitas nõ poteſt augeri in eodem ſubiecto per extẽſionem ad plura obiecta. Cuius concluſionis ſenſus eſt, quòd quanuis habitus, verbi gratia, philoſophiæ in me exiſtens hodierna die ſe extẽdat ad quatuor propoſitiones, & craſtina die ſe poſsit extendere ad ſex, & ſic quodammodo augeatur ex parte obiecti: tamen habitus charitatis non poteſt iſto modo augeri. Probatur. Minima charitas ſe extendit ad omnia illa, quæ ſunt ex charitate diligenda: ergo nulla ratione charitas poteſt augeri ex parte obiecti. ¶ Secunda concluſio. Charitas non poteſt augeri per additionem charitatis ad charitatem, hoc eſt, per additionẽ gradus ad gradum. Probatur. Duo accidentia ſolo numero differentia nõ poſſunt eſſe in eodem ſubiecto: ſed illi duo gradus charitatis tãtum differunt numero, ergo non poſſunt eſſe in eodẽ ſubiecto. Et ſi quis dicat, quod augeretur charitas tunc, ſicut augetur vnum album per additionem alterius albi, contra hoc argumẽtatur D. Tho. Subiectũ charitatis eſt mens rationalis, cui nihil aliud poteſt addi: ergo charitas non poteſt augeri per hoc, quod vnum ſubiectum alteri addatur. Præterquam quòd etiam huiuſmodi augmentatio non efficeret magis charum; ſed maius charum: ſicut & quando vnum album alteri additur, nõn fit magis album, ſed maius album. ¶ Tertia concluſio. Charitas augetur per hoc, quod magis ac magis intenditur in ſubiecto, magiſq; ab ipſo participatur. Probatur. Eſſe charitatis, ſicut cuiuſcunq; alterius formæ accidentalis conſiſtit in hoc, quod eſt ineſſe ſuo ſuſceptibili: ergo & perfectius eſſe etiam cõſiſtit in hoc, quod eſt magis ineſſe ſuo ſuſceptibili: ſed

hoc eſt charitatẽ magis intendi in ſubiecto & magis ab illo participari: ergo charitas augetur per hoc, quòd magis ac magis intẽditur in ſubiecto, & magis ab illo participatur.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Circa iſtum articulum eſt aduertẽdum, quòd quemadmodum certum eſt ex ſuperioribus, quòd Deus ſe ſolo infundit charitatem, & eam effectiuè auget non educẽdo illã de potentia materiæ: ita etiam certum eſſe debet, quòd illam auget ad modũ, quo reliqui habitus naturales augẽtur. Hoc enim ſuauis rerum diſpoſitiò poſtulare videtur, vt in augendis habitibus ſupernaturalibus Deus eundem ordinem ſeruet, quẽ ſeruat in naturalibus. Maxime, quòd, vt cõmuniter docent autores, de ſupernaturalibus eo modo loquendum eſt, quo loquimur de naturalibus, quando, vel ex ſacra ſcriptura, vel ex diffinitione Eccleſiæ, vel ex doctrina ſanctorum oppoſitum non cõſtitent. Vt igitur intelligamus modũ, quo habitus charitatis in nobis augetur, operæpreciuin erit, vt explicemus qualiter reliqui habitus naturales augeãtur. De qua re tres ſunt præcipuæ opiniones. ¶Prima eſt Burlei, & Godofredi aſſerentium, quod habitus, & reliquæ formæ accidentales (idem enim iudicium eſt de hiꝭ omnibus) augentur per aduentum nouæ formæ intenſioris, corrupta priori minus intenſa. Itaque quando habitus, verbi gratia, tẽperantiæ augetur, alius de nouo perfectior producitur, & præexiſtens minus perfectus corrumpitur; Et idem dicunt contingere in augmentatione caloris, & cuiuſcunque alterius formæ accidentalis. ¶Sed hæc ſententia communiter reiicitur ab omnibus doctoribus, & meritò. Primo, quia ponit corruptionem formæ præexiſtentis, cum tamen nulla aſſignetur cauſa, à qua talis corruptio fiat: omne enim accidens ſecundum bonã philoſophiam debet corrumpi, vel à forma cõtraria, vel ad corruptionem ſubiecti, quorũ neutrum in caſu poſito inuenitur. Secundo quia aliâs ſequeretur per perfectiſsimum actum charitatis, quo habitus augetur, corrumpi præexiſtentem, quod eſt apertè falſum, & contra D. Paulum 1. ad Corint. 13. dicentem: Charitas nunquam excidit. Et idem argumentum poteſt fieri de fide & de quacunque alia virtute.

1. Opinio Burlei.

Impugnatur prima opinio.

2. Sententia Scoti.

¶Secunda ſentẽtia eſt Scoti, & Nominalium aſſerentium intenſionẽ qualitatis fieri per additionem nouæ formæ ad formam præexiſtentem. Quod vt intelligatur ſupponitur, quod in ligno, verbi gratia, & in ſingulis eius partibus eſt naturalis potẽtia, ex qua per actionẽ agentis naturalis poteſt educi ſummus calor, qui ſit, verbi gratia, vt octo. Dicit ergo Scotus, quòd, quemadmodum ignis quando ligno applicatur, vel alicui parti illius, in qua nullus calor actu erat, ſua efficacia educit de potentia talis partis calorem, vt vnum, relictis ſeptem alijs gradibus caloris in potentia eiuſdem partis: ità etiam quando rurſus eidem parti applicatur alius ignis fortior, iſte ſecũdus ignis educit de potentia eiuſdem partis reliquos gradus caloris, qui in illa continebantur incluſi, nec adhuc educti fuerant: & ille calor de nouo eductus, quoniam educitur de eadẽ parte præciſe, & adæquate, de qua primus gradus fuerat eductus, idcircò efficitur vnũ cum præexiſtenti, nec diſtinguitur ab illo. Et ad hunc modum dicit fieri augmentationem, tam in calore, quam in alijs qualitatibus. ¶Cæterum hæc ſententia ſi rectè intelligatur, vera eſſe nõ poteſt. Nã primo eſt cõtra Ariſt. qui. 8. Metaph. tex. 10. docet, ſpecies rerum cõſiſtere in indiuiſibili, & quod ſunt ſicut numeri, quibus ſi additio, vel ſubtractio fiat diſſoluitur ſpecies. Si ergo naturæ, vel eſſentiæ qualitatis præexiſtentis addatur nouus gradus manifeſte ſequitur, quòd qualitas intenſa, & qualitas remiſſa non erunt eiuſdem ſpeciei, quod eſt apertè falſum. Secũdo, Illi duo gradus caloris differunt ſolo numero: ergo non poſſunt eſſe in eodem ſubiecto, ita, vt ex illis vnũ fiat. Probo conſequentiam: nam duo accidẽtia ſolo numero differentia in eodem ſubiecto eſſe non poſſunt. Tertio, Si ſententia Scoti eſſet vera, ſequeretur, quod calidum, vt vnũ poſſet efficere calidum, vt octo: cõſequens autem eſt falſum, & contra communẽ ſententiam philoſophorum aſſerentium, à proportione minoris virtutis nõ fieri actionẽ, ergo. Probo ſequelam. Calidũ, vt quatuor, poteſt fieri magis calidum per additionem vnius gradus caloris, vt affirmat Scotus, ſed calidum, vt vnum, poteſt educere de potentia materiæ vnum gradum caloris: ergo poterit efficere calidum, vt quinque, & ſic deinceps vſque ad ſummum gradum caloris. Et ſi dicatur, quòd calidum, vt vnum, poteſt inducere vnum gradum caloris, ſed nõ in tali ſubiecto, quod habeat perfectiorem calorem,

Impugnatur Scotus.

calorem, contra hoc ſic argumētor. Calidū, vt vnum, poteſt inducere vnum gradū caloris, & calidū, vt quatuor, poteſt illum recipere: ergo non eſt inconueniens, quod calidum, vt vnū, illum gradum producat in calido, vt quatuor. Vltimo. Secundum ſententiam omnium Philoſophorum ex duobus entibus nō poteſt fieri vnū, niſi alterum ſe habeat, vt actus, & alterum, vt potentia: ſed illi duo gradus caloris, vterque ſe habet, vt actus: ergo ex illis non poteſt fieri vnus calor intenſior. Et ſi dicatur, ꝙ illæ duæ qualitates efficiunt vnum per modum continuationis, ſicut è duabus partibus continui fit vnū, contra hoc ſic argumentor. Huiuſmodi augumentatio non poteſt intelligi, niſi quia, vel vni calido alterū additur, vel quia vni formæ caloris additur altera: ſed neutrū horum poteſt dici, ergo. Probo minorem. Et primo, quòd non poſsit intelligi augmētatio caloris per hoc, quod vni calido alterū adiungatur, eſt res manifeſta: nam ſic non efficeretur magis calidum, ſed maius calidū præter quam ꝙ etiam ſequeretur, ꝙ nunquam augeretur calor, quin augeretur ſubiectum, quod eſt aperte falſum. Quod autem nec etiam poſsit augeri calor per hoc, quod vni formæ altera addatur, probatur: nam non apparet, qua ratione ex duabus qualitatibus fiat vna, magis quā e duabus animabus. Et confirmatur ratione D. Tho. in hoc articulo, quæ talis eſt. Additio non poteſt eſſe ſine diſtinctione eorum, quorū vnum additur alteri: ergo ſi vnus gradus caloris additur alteri, oportet quod illi ſint diſtincti, vel ſecundum ſpeciem, vel ſecundū numerum: ſed neutrum horum poteſt dici, ergo. Probo minorem. Et primo, ꝙ nō ſint diſtincti ſecundum ſpeciem eſt res manifeſta. Quòd autē neq; etiā diſtinguātur ſecūdum numerū probatur: quia diſtinctio numerica in accidētibus ſumitur ex ſubiecto: ſed illi duo gradus caloris ſunt in eodē ſubiecto: ergo non diſtinguuntur numero.

3. Sententia D. Tho. ¶ Tertia ſententia eſt D. Tho. in hoc articulo, & 1.2. q. 52. art. 2. & q. vnica de virtutibus in cōmuni art. 11. Qui dicit, ꝙ calor cū intenditur augetur, & fit perfectior nō per additionē alicuius noui caloris, ſed eo ſolū ꝙ magis ac magis inhæret ſubiecto, magiſquè ab illo participatur. Quæ ſententia nō eodem modo explicatur a Thomiſtis. Sed poteſt à nobis hoc modo explicari, ſi imaginemur, ꝙ cū ignis, verbi gratia, applicatur ligno, in quo nullus actu calor eſt, ſua vi atque efficacia producit in illo calorem, quo producto cum illum poſtea auget, & intendit non producit de nouo alium calorē, ſed illum met, quem prius produxerat, magis imprimit ſubiecto, atq; efficit, vt intimius inhæreat. Ex quo fit, vt cū calor intenditur, terminus, ad quem illius motus non ſit nouus aliquis calor producēdus, ſed noua atq; maior inhærentia in ſubiecto: & terminus, à quo eſt illa prior, & vetus inhærentia caloris in ſubiecto. Et ſi quis quærat, quid nam ſit huiuſmodi maior inhærētia in ſubiecto, dico ꝙ nec eſt intimius, nec inſeparabilius inhærere, vt dicebat Durandus. Nam certū eſt, ꝙ calor intimius inhęret aquæ quā ferro, & item difficilius poteſt ſeparari à corde animalis quam à ferro calido: & tamen ferrum candens calidius eſt, quā aqua, aut cor animalis. Sed maior inhærentia conſiſtit in hoc, ꝙ ipſe calor magis ac magis actuet & afficiat ſubiectum, magiſq; ab illo participetur. Hæc ſententia D. Tho. iſto modo explicata eſt veriſsima, & deſumpta ex Ariſt. 4. Phy. tex. 4. Vbi dicit quod ex minus calido fit magis calidum nulla caloris facta additione, per hoc ſolum, ꝙ minus calidū erat in potentia ad maius calidū, & ex eo qđ eſt in potentia tale, fit actu tale. Et quod dicimus de calore eſt etiam intelligendum de quacunque alia qualitate, vel habitu.

¶ Sed contra iſtam ſententiam argumētor primo. Nam ſi ea eſſet vera, ſequeretur, qualitatem non augeri ſecundum ſuā eſſentiam, ſed tantum ſecundum inhærentiam: *1. Argum: contra ſentētiam D. Tho.* conſequens autē eſt contra D. Tho. qui art. 3. huius quæſtio. dicit qualitatem augeri ſecundum eſſentiam, & idem docet quæſtio. vnica de virtutibus in cōmuni art. 11. & in 1. d. 17. q. 2. art. 1. ergo & illud ex quo ſequitur. Probo ſequelam. Nam ſicū ignis applicatur ligno primò producit totum calorē, & poſteà nihil aliud facit, quam intendere calorem productum, manifeſtè ſequitur, quod calor non augebitur eſſentialiter ſed tantum ſecundum inhærentiā. ¶ Secūdo. *2. Argum:* Quando ignis intendit calorem, vel efficit aliquid, vel nihil. Secundū dici non poteſt, quia implicat contradictionē, ꝙ nihil agendo intendat calorem: ergo efficit aliquid, & ex conſequenti producit nouum calorem. ¶ Tertio, Si ſententia D. Thom. eſſet vera *3. Argum:* ſequeretur, ꝙ qualitas intēſa, & qualitas remiſſa ſeparatę a ſubiecto per diuina potentiam eſſent æqualiter perfectæ cum ſolùm differant penes maiorem, vel minorem ra-

dicationem in ſubiecto, quæ differentia in qualitatibus ſeparatis inueniri non poteſt: conſequens autem eſt abſurdum, ergo.

Ad. 1. arg. Ad primum argumentum nonnulli reſpondent concedẽdo, quòd quando calor, verbi gratia, efficitur intentior, atque perfectior, non creſcit ſecundum eſſentiam, ſed tantum ſecundum inhærentiam. Contrariam tamen ſententiam tenet Caietanus in hoc articulo dicens, quòd cum calor intenditur augetur eſſentialiter, & fit maior atq; perfectior ſecundum eſſentiam. Et dicere quod accidentia augentur ſecundum inhærentiã & radicationem, & non ſecundum eſſentiam eſt ignorare propriã vocẽ. Nam cum eſſe accidentis ſit inesse & inhærere ſubiecto, fieri nõ poteſt, vt aliquod accidẽs augeatur, ſecundum radicationem, & inhærentiam, quin etiam augeatur ſecundum eſſentiam: quæ quidem ſententia eſt veriſsima. Vnde ad argumentum reſpondetur negando ſequelam. Et ad probationem dico, quòd quamuis ignis dum applicatur ligno producat totum calorem, non tamen illum producit cum omni ſua perfectione eſſentiali, quam poteſt habere in ordine ad ſubiectum, ſed illam poſtea paulatim producit ſua actione, atque virtute.

Ad. 2. arg. ¶ Ad ſecundũ reſpondetur concedendo, quòd quando ignis intendit calorem efficit aliquid: hoc tamen non eſt producere nouum calorem, ſed efficere, vt calor prius productus magis ac magis inhæreat, ac magis radicetur in ſubiecto vt iam explicauimus.

Ad. 3. arg. ¶ Ad tertium reſpondetur, negando ſequelam. Et ad probationem dico, quòd ex minori aptitudine, quã illæ qualitates haberent ad meliùs perficiẽdum, & informandum ſubiectum, vna diceretur perfectior alia: ſicut & modo ſecundum ſententiam Caietani vna anima ſeparata dicitur ſubſtantialiter perfectior alia, quia habet perfectiorem aptitudinem ad informandum corpus quam alia. Vel ſecũdo reſpondetur & melius, concedendo ſequelam. Et ad minorem dico nullum eſſe inconueniens dicere, quòd illa accidentia ſeparata ſint eiuſdem perfectionis. Nam, cum in accidentibus nulla alia poſsit aſsignari ratio diſcriminis, niſi ex parte ſubiectorum ſit, vt quando conſiderantur à ſubiectis ſeparata vnum non poſsit dici perfectius alio. Et hæc dicta ſint de tota iſta difficultate. De qua qui plura videre deſiderat legat Capreolum in. 1. d. 17. q. 2. & Caietanum in hoc articulo. & 1. 2. quæſt. 52. art. 2. & Soncinam. 8. metaphyſicę. quæſtio. 21.

Dubiũ de veritate primæ concluſionis D. Tho. ¶ Circa primam concluſionem D. Tho. in qua dicit quod charitas non poteſt augẽri ex parte obiecti, eſt difficultas, vtrum vera ſit. Et pro parte negatiua eſt argumentũ. *Argum. pro parte negatiua.* Stat aliquem nunc plures homines diligere ex charitate, quam antea: ergo charitas poteſt creſcere ex parte obiecti. Conſequẽtia eſt nota, & antecedens probatur. Poſsũt de nouo, modo creari plures homines iuſti, qui omnes diligẽtur ex charitate: ergo poſſunt plures modo diligi quam antea. Et cõfirmatur ex D. Tho. Qui articulo præcedẽti ad primum argumentum pro certo ſupponere videtur, ꝙ charitas nõ ſolùm habet latitudinem intenſiuam, ſed etiam extenſiuam in quantum, ſcilicet, poteſt plura, vel pauciora diligere.

Concluſio. ¶ His tamen non obſtantibus dico ſentẽtiam D. Tho. eſſe veriſsimam. Et probatur. Charitas ſub eadem ratione formali diligit omnia à ſe diligibilia, ſcilicet, propter diuinam bonitatem, ergo minima charitas eſt ſufficiens ad diligendum omnia, quæ ſunt ex charitate diligenda, atque ex conſequenti non poteſt creſcere ex parte obiecti. Et ſi quis obijciat. Habitus ſcientificus ſub eadẽ ratione formali tendit in omnes concluſiones, & tamen adhuc D. Tho. in hoc articulo dicit, ꝙ creſcit ex parte obiecti, quando fertur in plures concluſiones: ergo pari ratione dicendum erit de charitate, reſpondetur, cõceſſo antecedenti, negando cõſequẽtiã. Nam in charitate extenſio ad plura obiecta, ſolùm fit per accidens, per variationẽ ſubiectorum, & nõ per variationem ipſius habitus: at verò in ſcientijs extenſio ad plura obiecta, fit per ſe. Et ratio eſt: nam, cùm ſcientia non attingat omnes concluſiones per idem numerò mediũ, ſed per plura (in vnam quanque enim concluſionem fertur per particulare medium) fieri nõ poteſt, vt habitus ſcientificus ſe extendat ad plura obiecta, quin etiam per ſe fiat variatio ex parte habitus: quod in charitate non cõtingit.

Ad argum. ¶ Et per hoc patet ſolutio ad argumentum. Ad confirmationẽ ex D. Tho. reſpondetur quod eo in loco ſolùm tradit doctrinam generalem de duplici latitudine habitus, ſcilicet, intenſiua & extenſiua: nec de charitate dicit in particulari, quòd habeat latitudinem extenſiuam, quin potiùs contrarium colligitur ex contextu.

Nota. Circa ſolutionem ad ſecundũ eſt aduertendum, non intendere D. Tho. aſſerere, ꝙ

in

in aere à diuerſis luminibus illuſtrato ſint diuerſa lumina impermixta (vt perſpectiui exiſtimant) & docet D. Bonauen. in. 1. d. 17. q. vltima) contrarium enim ſecundum veram philoſophiam eſt tenendum, vt docet Durandus in. 2. d. 13. q. 1. & Capreolus in. 1. d. 17. q. 1. ad. 1. & 7. argumentum contra ſecundam concluſionem, & Ferrara. 4. contra gen. cap. 28. Et ratio eſt, quia, vt paulò ante dicebam, nulla ratione fieri poteſt, vt duo accidentia ſolo numero differentia ſint in eodem ſubiecto. Nec etiā concedit D. Tho. quod lumen in aëre augetur per additionē luminis ad lumen: ſed ſolum dicit, ꝙ quamuis hoc in lumine inueniretur non tamē eſſet eadem ratio de charitate, propterea ꝙ illa duo lumina procedunt à diuerſis luminaribus: & tamen charitas tantum procedit ab vno principio, quod eſt Deus.

ARTICVLVS VI.

Vtrum quolibet actu charitatis charitas augeatur.

1. 2. q. 52. art. 3. Et. 1. diſt. 17. q. 2. art. 3.

AD SEXTVM ſic proceditur. Videtur ꝙ quolibet actu charitatis charitas augeatur, Quod enim poteſt id quod maius eſt, poteſt id qđ minus eſt. Sed quilibet actus charitatis poteſt mereri vitam æternā, quæ maius eſt, quàm ſimplex charitatis augmētū: quia vita æterna includit charitatis perfectionē. Ergo multo magis ꝗlibet actus charitatis charitatē auget.

2 ¶ Præterea, Sicut habitus virtutum acquiſitarum generatur ex actibus: ita etiam augmentum charitatis cauſatur per actū charitatis. Sed quilibet actus virtuoſus operatur ad virtutis generationē. Ergo etiam quilibet actus charitatis operatꝰ ad charitatis augmentū.

Ser. in fer. 2. de purif. in fine illius id habet expreſſe. Hoc autē innuit Greger. 3. ho. in Eze chi. à medio.

3 ¶ Præterea, Greg. dicit *, quòd in via Dei ſtare retrocedere eſt. Sed nullus dum mouetur actu charitatis, retrocedit. ergo quicūꝗ mouetur actu charitatis, ꝑcedit in via Dei. Ergo quolibet actu charitatis charitas augetur.

¶ SED CONTRA eſt, quòd effectus non excedit virtutem cauſæ, ſed quandoque aliquis actus charitatis cū aliquo tepore, vel remiſſione committitur. Non ergo perducit ad excellentiorem charitatem, ſed magis diſponit ad minorem.

¶ RESPONDEO dicendū, quòd augmentum ſpirituale charitatis quodāmodo ſimile eſt corporali augmento. Augmentum autem corporale in animalibus, & plantis non eſt motus continuus: ita ſcilicet, quòd ſi aliquid tantum augetur in tanto tempore, neceſſe ſit quòd proportionaliter in qualibet parte illius tēporis aliquid augeatur, ſicut cōtingit in motu locali. Sed per aliquod tempus natura operatur diſponens ad augmentum, & nihil augens actu: & poſtmodum producit in effectum id, ad quod diſpoſuerat, augēndo ipſum animal, vel plantam in actū. Ita etiā nō quolibet actu charitatis charitas augetur: ſed quilibet actus charitatis diſponit ad charitatis augmentū in quātū ex vno actu charitatis homo redditur promptior iterū ad agēdum ſecundum charitatem: & habilitate creſcente, homo prorūpit in actū feruentiorem dilectionis, quouſque conetur ad charitatis perfectū: & tūc charitas augetur in actu.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd quilibet actus charitatis meretur vitam æternam: non quidem ſtatim exhibendam, ſed ſuo tempore. Similiter etiam quilibet actus charitatis meretur charitatis augmentum: non tamen ſtatim augetur, ſed quando aliquis conatur ad huiuſmodi augmētū.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd in generatione virtutis acquiſitæ nō quilibet actus complet generationem virtutis, ſed quilibet operatur ad eam diſponens, & vltimus qui eſt perfectior agens in virtute omnium præcedentium, reducit eam in actum: ſicut etiā eſt in multis guttis cauantibus lapidē.

¶ Ad tertium dicendum, quod in vijs Dei procedit aliquis non ſolum dum in actu charitas eius augetur, ſed etiā dum diſponitur ad eius augmentum.

SVMMA TEXTVS.

AD hanc difficultatem reſpondet D. Tho. per duas concluſiones. Prima concluſio. Quilibet actus charitatis quantumcunq; remiſſus meretur augmentum charitatis, & ad ipſum diſponit. ¶ Secunda concluſio. Charitas non augetur in actu per quemlibet actum, ſed per feruentiorem; & intenſiorem. Probatur vtraque ſimul hac ratione. Augmentum ſpirituale charitatis quodammodo ſimile eſt augmento corporali, ſed in corporalibus ita contingit, quod natura per aliquod tempus operatur diſponens ad augmentum animalis, & nihil actu auget, poſt modum vero producit in effectum illud, ad quod diſpoſuerat augendo ipſum animal: ergo pari ratione dicendum erit de charitate, quòd non quolibet actu augetur, ſed aliquibus, ſcilicet, remiſsionibus diſponitur ad augmentum, & per alios puta feruentiores actu augetur.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Varietas opinionũ de habituum augmento.

IN hac quæſtione mirum eſt quantum inter ſeſe theologi diſcrepẽt. Nam Gabriel in 1. diſt. 17. quæſtio. 4. quem communiter Nominales ſequuntur dicit, quòd quilibet actus charitatis, etiam remiſſus, auget charitatem. Durandus in 1. diſt. 17. quæſtio. 3. de habitibus acquiſitis affirmat, quòd augentur, & generantur quolibet actu etiam remiſſo: de habitibus vero infuſis dicit, quòd ſolùm augentur actibus intenſioribus. Et ratio Durandi eſt, quia, cum habitus infuſi augeantur meritorie, & ille ſolus ſit dignus accipiendis, qui rectè vtitur acceptis, videtur conſonum rationi, quod nõ accipiat perfectiorem habitum qui remiſsè vtitur acceptis. Almainus in 3. diſt. 23. quæſtio. 2. idẽ dicit de charitate, quod Gabriel & Nominales, ſcilicet, quòd augetur, quolibet actu quantumcunque remiſſo. Cæterum; de habitibus acquiſitis, vt de iuſtitia, & de temperantia partim ſequitur ſententiam Durandi, & partim recedit ab illa. Nam dicit, quòd habitus acquiſiti poſſunt generari quocunque actu, non tamen poſſunt augeri, niſi per intenſiores: in quo tenet contra Duran. Sed his omnibus omiſsis vt clarius procedamus difficultatem propoſitam in duas diuidã partes: in prima agemus de habitib⁹ acquiſitis, in ſecũda vero de infuſis.

Nota.

¶ Et pro intelligentia primæ partis aduertendum eſt, quòd in initio cuiuſcunque actionis ſemper id, quod agit & id, quod patitur debent eſſe diſsimilia. Cum enim agens hoc intendat, vt per ſuam actionem paſſum ſibi aſsimilet, quod vt aſſequitur, quieſcit omnis illius actio, atque motus, ſic non poteſt, vt actio initium ſumat, quin paſſum aliquomodo ſit diſsimile ab agẽte. Quod & Ariſt. lib. 2. de anima expreſſe docet dicens: Id, quod patitur eſt diſsimile actiuo, paſſum vero ſimile. Id eſt, id, quod in actione eſt in fieri eſt diſsimile, & quod iam eſt in actu eſt ſimile actiuo. Quod & experientia comprobatur: nam nemo poteſt ſentire calorem extrinſecus allatum, niſi ſit aliquantulum frigidus, nec vice verſa poteſt affici frigore, niſi qui aliquantulum eſt calidus.

¶ Hoc ſic diſtincto ſit prima concluſio. *1. Concluſio.* Non quilibet actus ſufficiens eſt generare habitum acquiſitum. Hæc concluſio eſt cõtra Durand. loco citato, & probatur. Habitus conſtant conſuetudine, ſed nulla potentia aſſueſcit alicui rei per vnum actum: ergo non quilibet actus eſt ſufficiens generare habitum. Item. Habitus eſt quædam qualitas, qua potentia inclinatur ad aliquid prompte & delectabiliter operandum: ſed eſt ridiculum dicere, quòd potentia, quæ nunquam inclinata, & aſſueta erat ad temperatè agendum ad id inclinetur, & efficiatur prompta per vnum actum: ergo neceſſario eſt dicendum, quod non quilibet actus generat habitum.

¶ Secunda concluſio. *2. Concluſio.* Habitus acquiſitus nõ augetur quolibet ſuo actu, ſed intenſiori: itaque dico, quòd ſi quis habeat habitũ iuſtitiæ intenſum, vt tria, & operetur actũ intenſum, vt duo, ille actus non poterit augere habitum. Hæc cõcluſio ſequitur apertè expoſito fundamento. Et probatur. Ille actus, vt duo, non poteſt inclinare voluntatem ad iuſte operandum, niſi, vt duo, ſed ipſa voluntas iam erat inclinata ad hoc per habitum, ergo actus nihil efficit. Et confirmatur. Inter actum & habitum non eſt diſsimilitudo quantum ad illos duos gradus: ergo actus, vt duo nihil poteſt efficere in habitum vt tria. Item, Calidum, vt quatuor non poteſt agere in calidum, vt quinque, vt diximus articulo ſequenti, vt conſtat ex philoſophia: ergo nec actus, vt quatuor, poterit agere in habitum, vt quinque. Probo conſequentiam ex paritate rationis.

¶ Ex dictis infero primo, quòd nec actus re- *1. Corollariũ.*

miſſus

miſſus cõtinuatus per multum tempus, nec multoties repetitus, poterit augere habitũ: ſemper enim manet improportio ex parte actus, cum qua actio ſtare non poteſt. ¶ Infero ſecundo, quod actus intenſiores, & perfectiores augent habitum, non ſecundum ſuam totam latitudinem, ſed ſecundum exceſſum ad habitum. Itaq; ſi quis habet habitum iuſtitię, vt quatuor, & operatur actũ intenſum, vt quinq; ille tantum auget habitum ſecundum gradum, quo habitũ excedit. Et ratio huius eſt: nam, cùm agens nõ agat, niſi in diſſimile, vt diximus, & actus tantum ſit diſſimilis habitui in illo gradu, quo habitum excedit, manifeſtè ſequitur, quòd tantum ſecundum illum gradum poterit habitum augere.

1. Argum. contra ſecundam concluſionem.

¶ Sed contra ſecundam concluſionẽ argumentor. Primo, Luminare minus additũ maiori auget lumen ab illo productum, & minor ignis additus maiori auget calorem: ergo pari ratione actus remiſſus additus intenſiori habitum augebit.

2. Argum.

¶ Secundo, Si ille, qui habet habitum temperantię, vt quinque, & habitum intemperantiæ, vt tria, eliciat actum temperantiæ, vt quatuor, per talem actum corrumpit illos tres gradus intẽperantiæ: ergo producit alios tres de temperantia, atque ex conſequenti actus remiſſus auget habitum intenſiorem. Antecedens eſt manifeſtum: nam à proportione maioris inæqualitatis fit actio, & certũ eſt, quod actus temperantiæ, vt quatuor, eſt intẽſior, quàm habitus intemperantiæ vt duo. Conſequentia verò probatur. Quantum agens corrumpit de vno contrario, tantum producit de alio: non enim aliter corrumpitur frigiditas, quam per introductionem caloris, qui illam formaliter expellit: ergo ſi actus temperantiæ, vt quatuor, corrumpit habitum intemperantiæ, vt tria, ſimul exiſtentẽ cũ habitu tẽperantiæ vt quinque, neceſſario debebit producere alios tres gradus tẽperantiæ, & ſic auget habitũ intenſiorẽ.

Ad. 1. arg.

¶ Ad primum argumentum reſpõdetur primo concesso antecedenti, negando conſequentiam: nõ enim eſt eadem ratio de luminari maiori, & minori ad producendum lumen intenſius, & de actu intenſo, & remiſſo ad augendum habitum. Nam cum illa luminaria poſſint eſſe ſimul, poſſũt quodammodo efficere vnum agens totale perfectius ad producendum lumẽ, & ſimiliter minor ignis additus maiori: at vero actus intenſus & remiſſus nõ poſſunt eſſe ſimul, & ſic nec conſtituere vnam totalem cauſam ad augendum habitũ. Vel ſecundo reſpondetur & meliùs cum magiſtro Victoria in relectione de augmento charitatis. §. 10. negando, ꝙ luminare minus additum maiori augeat lumen ab illo productum, vel ꝙ minor ignis additus maiori augeat calorẽ. Pro quo notanda ſunt tria. Primum eſt, quod magnitudo materiæ auget actiuitatem agẽtis quantum ad extenſionem, hoc eſt, quod ignis bipedalis magis extendit ſuam actionem, quam pedalis, vt conſtat experientia. Secundũ, ꝙ omne agens agit fortius in propinquum quã in diſtans, habent enim omnia agentia finita limitatam ſpherã ſuę actiuitatis. Tertium, ꝙ quodcunque luminare agit vniformiter, hoc eſt, ſi in aëre ſibi propinquo producit lumen, vt octo, in magis diſtãti producet, vt ſex, & ſic deinceps vſq; ad non gradum. Hoc ſuppoſito dico primo ꝙ ſi luminoſo, vt octo, applicetur luminare minus, verbi gratia, vt ſeptem, non poterit augeri lumẽ, vt octo, prius exiſtens, nec etiam lumen, vt ſeptem, productum in alia parte. Et ratio eſt, quia ſemper intentio agẽtis eſt aſsimillare ſibi paſſum. Vnde, cùm lumen, vt octo, & lumen, vt ſeptem, iam prę-exiſtens ſit ſimile ipſi agenti, fit, vt ex illius additione augeri non poſsit. Dico ſecundo ꝙ, cum ex luminari, vt octo, & ex luminari, vt ſeptem, coniunctis fiat maius luminoſum poterit augeri actiuitas illius quãtum ad extenſionẽ, hoc eſt, ſi luminare, vt octo, ad tantam diſtantiam producebat lumen, vt ſex, poſtquam illi fuerit additum luminare, vt ſeptem, poterit ad maiorem diſtantiam eoſdẽ gradus luminis producere propter rationem poſitam in primo fundamẽto. Dico tertio, quòd ſi luminare, vt ſeptem debitè applicetur lumini, vt ſex, alibi producto, augebit illud vſq; ad ſeptimũ gradum: nec eſt alia ratio quantum ad hoc de lumine, quam de alijs accidentibus. Et per hoc patet ad primum argumentũ.

Ad. 2. arg.

¶ Ad ſecundum nonnulli reſpondent negando, ꝙ ſi ille, qui habet habitum temperantiæ, vt quinq; & habitum intemperantię, vt tria, eliciat actum temperantię, vt quatuor, corrumpat illos tres gradus intẽperãtiæ. Et ad probationẽ dicunt, finẽ per ſe agẽtis nõ eſſe aliud corrũpere, ſed facere ſibi ſimile. Et q̃a hoc nõ fit ſine corruptione cõtrarij, idcirco ſecũdariò intẽdit corruptionẽ illius: ceſſante autẽ fine per ſe ceſſat etiã finis ſecũdarius. Et quia qñ actus tẽperãtiæ, vt quatuor applica-

applicatur temperato, vt quinque haben-
ti tres gradus intemperantiæ ceſſat finis
per ſe intentus à tali agente, eſt enim iam
paſſum ſimile illi, ſicut & quando calido,
vt ſex, habenti duos gradus frigiditatis ap-
plicatur calidum, vt tria, idcirco etiam ceſ-
ſat tunc finis ſecundarius, qui eſt corruptio
contrarij: & ſic actus temperantiæ, vt qua-
tuor non corrumpit habitum intemperan-
tiæ, vt tria. ¶ Et ſi quis obijciat, Si ille habi-
tus intemperantiæ, vt tria eſſet in alio ſub-
iecto, in quo non eſſet habitus temperan-
tiæ, vt quinq; actus temperantiæ, vt qua-
tuor, illum corrumperet, quia habitus intē-
perantiæ vt tria eſt minoris reſiſtentiæ, quã
eſt actiuitas actus temperantię, vt quatuor,
ergo ſimiliter ſi ſit in ſubiecto, in quo ſit ha
bitus temperantiæ, vt quinque, poterit etiã
corrumpi. Probo conſequentiam: quia ha-
bitus intemperantiæ, vt tria, ex eo, quòd ſit
in ſubiecto habenti habitum temperantię,
vt quinque, non magis reſiſtit, quã ſi eſſet
ſeparatus, imò deberet minus reſiſtere. Re-
ſpondent conceſſo antecedenti negando cõ
ſequentiam. Et ad probationem dicunt, ꝙ
quia quando habitus intemperantiæ, vt
tria, eſt coniũctus habitui temperantiæ, vt
quinque ſubiectum eſt iam aſsimilatum
actui temperantiæ, vt quatuor, & finis per
ſe intentus ab agente eſt aſsimilare ſibi paſ
ſum, idcirco etiam ceſſat tunc finis ſecunda
rius, qui eſt corruptio habitus contrarij. Cæ
terum, quando habitus intemperantiæ, vt
tria, eſt ſeparatus ab habitu temperantiæ, vt
quinque, ſubiectum non eſt aſsimilatum
actui temperantiæ, vt quatuor: & ideò tũc
ille actus, & producit habitum temperan-
tiæ, & corrumpit contrarium. Hæc ſolutio
eſt ad mentem Gabrielis, qui in. 3. diſt. 23.
quæſt. 1. art. 3. dub. 6. tenet actum non im-
mediate corrumpere habitum contrarium,
ſed mediate, ſcilicet, ad introductionem al-
terius. Cæterum, quia actus, verbi gratia, tē
perantiæ immediate corrumpit habitum
intemperantiæ, & non mediante habitu, vt
colligitur ex Ariſt. 2. Ethi. cap. 1. 2. & 3. dicē
te, quòd virtutes ex contrarijs generantur,
& corrumpuntur, & ex D. Tho. qui. 1. 2. q.
53. artic. 1. dicit illum habitum poſſe per ſe
corrumpi, cui eſt aliquid contrarium, aut
cuiuſq; cauſæ eſt aliquid contrarium, quibus
verbis apertè ſignificat habitum nõ ſolum
per ſe corrumpi à contrario habitu, ſed etiã
ab actibus contrarijs illis actibus, à quibus
fuit genitus, quam ſententiam communiter
ſequuntur theologi. Idcircò, ad ſecundum
argumentum principale aliter reſpondetur
concedendo, quòd in caſu poſito habitus tē
perantiæ, vt quatuor, corrumperet habitũ
intemperantiæ, vt tria, quia actiuitas actus
eſt maior, quã reſiſtentia habitus. Et quan-
do infertur, ergo auget habitum temperan-
tiæ, vt quinque, atque ex conſequēti actus
remiſſus auget habitum intenſum, negatur
conſequentia quia cum actus, vt ſtatim di
cebam immediate & per ſe corrumpat ha-
bitum, bene poteſt fieri, quod illum corrũ
pat, eſtonon augeat proprium habitũ, quia
eſt minùs intenſus. Maximè, quòd actus tē
perantię non ordinatur per ſe tanquam ad
finem ad generandum habitum temperan
tiæ, actus enim non eſt propter habitum tã
quam propter finem, ſed potius èconuerſo
habitus eſt propter actũ, cum actus ſit per-
fectior habitu, vt pote qui nihil habet ad-
mixtum de potentialitate. Et ſic non eſt in-
conueniens, quòd actus tēperantiæ, vt qua-
tuor non augeat habitum temperantiæ, vt
quinque, & tamen corrumpat habitum in-
temperantiæ, vt tria. Et hæc dicta ſint de
augmento habituum acquiſitorum.

¶ Sed reſtat dicere peculiariter de aug-
mento charitatis, vtrùm augeatur quolibet
actu etiam remiſſo, an vero tantum augea-
tur actibus intenſioribus. Et appellamus in
præſenti actum remiſſum charitatis omnē
illum, qui non eſt intenſior habitu, ſiue ſit
æque, ſiue minùs intenſus. Ad cuius dubij
explicationem operæpretium erit, vt priùs
examinemus, an actus charitatis augeãt ha
bitum effectiuè, an vero meritorie. Nam ſi
illud augent effectiuè, ſicut actus aliarũ vir
tutum illas effectiue augent, non erit maior
ratio de charitate, quam de alijs. Si autem
actus charitatis augent habitum non effe-
ctiuè, ſed meritorie, vt communiter dicunt
doctores, tunc maxima exiſtit difficultas
in aſsignanda ratione, propter quam chari-
tas non augeatur ſingulis actibus, etiam re-
miſsis, ſi quidem ſinguli merẽtur eius aug-
mentum. ¶ Et quidem, quòd habitus cha-
ritatis effectiue augeatur noſtris actioni-
bus probatur. Primo. Ex eo diximus articu
lo ſecundo huius quæſtionis habitum cha-
ritatis nõ ꝓduci effectiuè per noſtros actus,
quia actus præcedentes habitum non ſunt
illi connaturales, atq; adeo neq; proportio-
nati ad producendum habitum: ſed hæc ra-
tio non procedit in actibus elicitis à charita
te, illi enim connaturaliter ſunt, & ex
omni

obiectio.

Reſponſio.

Vera ſolutio. 2. Argum.

Dubium de augmento charitatis.

1. Argum.

omni parte ſunt proportionati cum habitu: ergo quanuis dicamus, quòd actus noſtri non concurrunt effectiuè ad infuſionẽ habitus charitatis, non tamen erit negandum, quòd concurrant effectiue ad illius augmentum. *2. Argum.* ¶ Secundo, Iſti actus efficiũt aliquid, & non aliquid nouum, ergo efficiunt augmentũ præcedentis habitus. Conſequentia cum minori eſt nota, & maior probatur. Illi actus ſunt actiones virtutis; ſed per quamcunque actionem aliquid efficitur, ergo illi actus aliquid efficiũt. *3. Argum.* ¶ Tertio, Fides, & ſpes augentur effectiuè operibus à ſe factis, ergo etiam charitas. Conſequentia tenet ex paritate rationis, & antecedens probatur. Homo in peccato mortali exiſtens, ſi diu ſe exerceat in actibus fidei, & ſpei, firmiſsimis, & intenſiſsimis, inueniet ſe promptiorem ad credendum, & ſperandum, & tamen hæc promptitudo non augetur meritorie, peccator enim nihil poteſt à Deo mereri, ergo augetur efficienter. *Cõfirmatio.* ¶ Et confirmatur. Habitus fidei poteſt infundi ſine merito: ergo & augeri. Conſequentia eſt nota, & antecedens probatur. Habitus fidei aliquando infunditur homini in peccato mortali exiſtenti, vt diximus in materia de fide: ergo infunditur ſine merito.

¶ Propter hæc argumenta nonnulli affirmant, quòd quanuis habitus charitatis non ꝑducatur effectiuè per noſtros actus ab illis tamen effectiuè augetur. *Sententia anterior.* Quæ ſentẽtia probabilis eſt, quanuis oppoſitam reputo probabiliorem: tum propter modum loquendi ſanctorum patrum, qui nunquam dicũt nos efficere gratiam, vel charitatem maiorem, ſed quod meremur vtriuſq; augmentum (certum eſt autem, quòd mereri longè diuerſum eſt ab efficere, id enim quod meremur ab alio præſtatur:) tum etiã propter ipſam rei naturam. Nam, vt diximus art. 2. huius quæſtionis, habitus charitatis atque gratiæ qui per ſe loquendo à ſolo Deo immediate dependent, tanquam à cauſa efficienti maioris ſupernaturalitatis ſunt quã actus charitatis, qui intrinſecè dependent à potentia naturali: ex quo fit, vt non ſint proportionati ad tranſmutandum effectiuè ipſum habitum.

Ad. 1. arg. ¶ Et ad primum argumentum reſpondetur, quòd, quanuis actus ſupernaturales cõſequentes habitum infuſum ſint magis cõnaturales, quam illi, qui præcedunt habitũ, nunquam tamen ſunt ità ſupernaturales, ſicut ipſe habitus, & ideo non poſſunt illũ effectiuè attingere. *Ad. 2. arg.* ¶ Ad ſecundum reſpondetur quod illi actus ſunt actiones immanentes, & per actiones immanentes non eſt neceſſarium quòd aliquid producatur diſtinctum ab ipſa actione, vt docet Caietanus. 1. par. q. 27. art. 1. *Ad. 3. arg.* ¶ Ad tertium reſpõdetur negando antecedens. Et ad probationem dico, quod fides & ſpes in peccatore augentur meritorie; ad hunc ſenſum, quòd his, qui bene vtuntur habitibus infuſis, Deus præſtat augmentum, quanuis nullũ interſit meritum gratiæ & charitatis. Charitas verò ſemper augetur meritoriè propriè, quia opera charitatis ſemper ſunt meritoria.

Aliud dubium de actibus remiſsis charitatis. ¶ Suppoſito iam, quòd charitas non augetur efficienter, ſed meritorie noſtris actionibus, dubium conſequens eſt; vtrùm quilibet actus charitatis etiam remiſſus mereatur augmentum habitus & ad ipſum diſponat. Et pro parte negatiua argumentor. *1. Argum.* Primo, Actus remiſsi habituum acquiſitorũ, potius diſponunt ad illorum diminutionẽ, quam ad augmentum, vt D. Tho. 1. 2. q. 52. art. 3. & hic in argumento, ſed contra, apertè affirmat: ergo idem dicendum erit de actibus remiſsis charitatis, & aliarum virtutum infuſarum. Probo conſequentiam: nam de diuinis & ſupernaturalibus philoſophandum eſt per ſimilitudinẽ ad naturalia, quãdo doctrinæ fidei non repugnat. *2. Argum.* ¶ Secũdo, Non eſt dignus nouo beneficio, vel gratiâ qui acceptis beneficijs negligenter vtitur, ſed qui remiſſe operatur ex charitate, negligenter vtitur habitu, quem à Deo accepit: ergo non meretur illius augmentũ. *Cõfirmatio.* Et confirmatur: nã in humanis ità videmus, quod qui negligenter vtitur gratia Principis non creſcit in illa, ſed ſatis bene ſit cum illo, ſi in antiqua conſeruetur. *3. Argum.* ¶ Tertio, Si homo ſingulis actibus etiam remiſsis mereretur augmentum charitatis ſequeretur, quòd qui per multum tempus perſeuerauit in Dei ſeruitio (tepide tamen atque remiſſe operans) intẽſiorem charitatem haberet, quam ille, qui nuper conuerſus fortiſsimè, & ſtrenue ſe exercuit in Dei ſeruitio, licet per breue tempus: conſequens autẽ eſt contra experientiã, & contra cõmunẽ ſenſum doctorũ Eccleſiæ, qui explicantes parabolã vineę Matthæi. 20. dicũt ſæpe contingere, vt operarij, qui nouiſsima hora ſtrenuè, & fortiter laborant, magis mereantur, quam illi, qui ſunt remiſsè operati per totum diem,

diem: ergo & illud ex quo ſequitur. Probo ſequelam. Nam, ſi quilibet actus meretur augmentum charitatis, cum ille, qui per multum tempus remiſſe operatus eſt pœnè innumerabiles actus bonos exercuerit, videtur quaſi impoſsibile, quod ab illo, qui breuiſsimo tẽpore Deo ſeruiunt poſsit exæquari quanto minus ſuperari.

Sententia aliquorum neotericorum. ¶ Propter hæc argumẽta, & ſimilia multi doctores dicunt, quod actus remiſsi charitatis nec merentur augmentum gratiæ, nec charitatis, nec gloriæ. Ita tenet Alexã. Aleſ. lib. 7. ſuæ ſummæ tit. 12. quæſt. 7. & Durandus in 1. diſt. 17. quæſt. 8. quos etiã ſequuntur alij ex recentioribus. Et ſi quis obijciat his doctoribus, ergo aliquis actus charitatis non eſt ſimpliciter, & abſolutè meritorius, reſpondent negando conſequentiam. Nam quamuis remiſsi nõ mereantur nouam gratiam, aut gloriam merentur tamen, vt antiqua eis nouo titulo detur, ad eum ferè modum quo opera Chriſti dicebãtur meritoria, non alicuius noui præmij vltra illud, quod per primum actum meruit, ſed eiuſdem nouo titulo dandi.

¶ Hoc tamen non obſtante dico, quòd quilibet actus charitatis quantumuis remiſſus meretur augmentum gratiæ, charitatis, & gloriæ: ſiue charitas ſtatim actu augeatur ſiue non de quo infra dicemus: & contrarium dicere meo iudicio eſt pluſquam temerarium. Probatur primo ex ſacris literis. Nam ad Rom. 2. dicit Paulus: Reddet Deus vnicuique iuxta opera ſua. Et Matth. 10. dicit Chriſtus: Capilli capitis veſtri omnes numerati ſunt: ac ſi diceret, Minima quæque opera, & cogitationes veſtræ numeratæ ſunt. Et ſubdit ſtatim. Quicunque potũ dederit vni ex minimis iſtis calicem aquæ frigidę, amen dico vobis non perdet mercedem ſuam. Quibus verbis apertè ſignificat Chriſtus, quodcunque opus ex charitate factum quantumuis minimum ſuum præmium habiturum: ergo illud meretur. Nec valet dicere quod habent huiuſmodi opera pro præmio priorem gratiam, atque gloriã: nam illa iam erat debita pro prioribus operibus: & ſi non datur alia de nouo, opera ex charitate facta manerent ſine mercede, quod eſt contra teſtimonia citata. Nec eſt ſimile de Chriſto. Nam Chriſtus ideò non habuit nouum præmium pro actibus ſubſequentibus, quia per primum meruit infinitè, & infinito non poteſt fieri additio: at verò homines poſſent amplius & amplius mereri. ¶ Præterea probatur noſtra ſententia. 1. *Ratio.* Cuicunque peccato quantũuis minimo correſpõdet noua pœna diſtincta ab illa, quæ pro alijs peccatis debebatur iuxta illud Apocalypſ. cap. 18. Quantum ſe glorificauit, tantum date illi tormentorum. & Deuterono. cap. 25. Secundum menſuram peccati erit & plagarum modus: ſed Deus pronior eſt ad miſerendum, quam ad puniendum: ergo etiam cuilibet operi bono quantumuis minimo debet correſpõdere præmium gratiæ, atque gloriæ diſtinctum ab illo, quod pro alijs operibus debebatur. ¶ Et confirmatur: nam alias non eſ- 2. *Ratio.* ſet melioris conditionis ille, qui remiſſè operaretur, quàm ille, qui nihil operatur: conſequens autem eſt abſurdum: ergo. ¶ Item. 3. *Ratio.* Ille, qui elicit actum charitatis, vt quatuor, habens habitum charitatis, vt tria, meretur augmentum gratiæ, charitatis, & gloriæ: ſed non eſſet peioris conditionis ex eo, quod haberet habitum intenſiorem: ergo etiam tunc merebitur. ¶ Item, Ex oppoſita ſenten- 4. *Ratio.* tia retrahuntur homines à bene operando: ergo illa non eſt tenenda. Conſequentia eſt nota, & antecedens probatur. Moraliter loquendo, homines non poſſunt operari feruentiſsime: ergo ſi per actus remiſſos nihil merentur, datur occaſio ceſſandi ab operibus bonis. Et confirmatur. Ex natiuræ fragilitate, opera ab hominibus facta maiori ex parte ſunt remiſſa, ſed eſt valde abſurdum dicere, quòd opera noſtra regulariter loquendo ſunt inania, & ſine nouo fructu vitæ ęternæ: ergo eſt tenendum tanquam certum, & fidei catholicæ valde conſentaneum, quòd homines merentur augmentum gratiæ, charitatis, & gloriæ ſingulis operibus ex charitate factis, quantumcunque remiſsis. Denique hæc veritas diffinita *Vltima ratio* videtur in concil. Trident. ſeſsio. 6. cano. 32. Vbi habetur. Si quis dixerit hominem iuſtificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, & Ieſu Chriſti meritum, cuius viuum membrum eſt, fiunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipſius vitæ æternæ, ſi tamen in gratia diſceſſerit, conſequutionem, atq; etiam gloriæ augmentum, anathema ſit. Quibus verbis, vt videtis, abſolutè dicitur opera iuſtorum eſſe meritoria gratiæ, atque gloriæ: ergo eſt temerarium aliqua opera iuſtorum ex gratia facta ab hac ratione excipere.

¶ Et ad argumenta in contrarium facta. *Ad 1. arg.*
Ad

Ad primum reſpōdetur quòd actus remiſſi dicuntur diſponere ad diminutionem habitus, non per ſe, ſed per accidens, inquantum illis non planè vincuntur tentationes & paſsiones, quibus exiſtentibus habitus tandem perit: loquendo tamen per ſe & ex parte poſitiui, quod in actu remiſſo inuenitur, potius dicendum eſt, quòd diſponit ad augmentum habitus, quam ad diminutionem, vt conſtat ex exemplo à D.Thom. in hoc articulo poſito de augmentatione animalis, & ex alio de guttis ſæpe in lapidem cadentibus, quibus ipſe lapis paulatim diſponitur ad diminutionē. Et ſic debent conciliari diuerſa loca D.Tho. in hac parte, vt *Ad 2. arg.* affirmat Caietanus in præſenti. ❡Ad ſecūdum reſpondetur primo, quòd non eſt eenſendus negligenter vti dono Dei qui ex illo operatur remiſſe, ſed, qui nullo modo operatur. Vel ſecundo reſpondetur, quòd, vbi intercedit ratio iuſtitiæ non ſolùm ſunt remuneranda opera egregia, ſed etiam remiſſa, vnumquodq; ſecundum ſuum valorem. Et certum eſt de fide, quod in merito charitatis intercedit vera ratio iuſtitiæ, vt dicit Paulus in multis locis: & ſic vnūquodque opus ex charitate factū debet præmia- *Ad cōfirmationem.* ri augmento gratiæ & gloriæ. ❡Ad confirmationem reſpondetur, q̄ licet inter homines, qui ſunt parum grati, & liberales ità cōtingat, tamen Deus, qui liberaliſsimus eſt præmiat quæcunque rectè ſacta, etiam ſi ne- *Ad 3. arg.* gligenter & remiſſe fiunt. ❡Ad tertium reſpondetur quòd modo non diſputamus de modo, quo charitas augetur per actus remiſſos: ſed ſolùm dicimus, quod illi merētur augmentum charitatis. Qualiter autem & quo tempore huiuſmodi augmētum dari debeat explicabimus in ſubſequentibus.

Aliud dubium de tempore, in quo datur augmentū charitatis. ❡Vnde eſt tertia difficultas de tempore, in quo debet dari id augmētum charitatis, quod quis meruit per actus remiſſos, vtrū, ſcilicet, detur ſtatim ac illud quis meruit, an verò differatur in aliud tempus. Et eſt aduertendum, quòd non loquimur de augmento charitatis reſpondente actibus intenſioribus: nam de hoc certum eſt apud omnes, quod confertur ſtatim ac quis intenſe operatur: ſed loquimur de augmento reſpō- *1. Sententia D.Tho.* dente merito actuum remiſſorum. De quo ſunt variæ doctorum ſententiæ. Prima eſt eorum, qui dicunt, quòd, quanuis per actus remiſſos mereatur homo augmentum gratiæ, & charitatis, non tamen datur à Deo ſtatim eius augmentum, ſed quando ad illud fuerit conuenienter diſpoſitus: quod tunc eſt, quando habuerit actum feruentiorem ipſo habitu. Et ſi per totam vitam non habuerit homo actum feruentiorem ipſo habitu, dicunt, quòd dabitur illi tale augmentum in fine vitæ. Hanc ſententiam tenet D.Tho. in hoc articulo &.1.2. quæſtio. 114. art.8. & Caietanus ibidem & Sotus in 4. diſt.21. & in.1. diſt.17. Et probatur hæc ſententia. Primo, In naturalibus ita videmus quod non fit agmentum, vel intenſio formæ, niſi ab agente maioris & intenſioris virtutis, quam ſit ipſa forma, actio enim nō fit niſi à proportione maioris inæqualitatis, ergo pari ratione dicendum erit de habitibus ſupernaturalibus, quòd non augentur, niſi per actus intenſiores, & vehementiores. Et ſi quis dicat quòd hoc argumentum procederet, ſi gratia & charitas augerentur effectiue per noſtros actus, quod ſupra diximus eſſe falſum, contra hoc ſic argumentor. Ad ſuauem diſpoſitionem diuinæ ſapientiæ pertinet quòd augeat habitus ſupernaturales, ac ſi effectiue à noſtris actibus augerentur, ſic enim magis ſe accommodat naturis rerum, ſed ſi charitas effectiuè auge retur, noſtris actibus nō augeretur, niſi actibus intenſioribus, ergo ſimiliter erit dicendum modo. ❡Secundo, Experientia cōſtat eos, qui tepidè ſe exercuerūt in actibus charitatis non ſentire ſe promptiores ad tales actus, ſignum ergo eſt quod non ſtatim augetur habitus. *1. Arg. pro prima ſentētia.* *2. Argum.*

2. Sententia Gabrielis et aliorum. ❡Secūda opinio eſt eorū, qui dicūt augmentū charitatis, & gratiæ dari à Deo ſtatim ac illud quis meruit, ſiue per actus intēſos, ſiue remiſſos. Hanc ſententiā tenet Gabriel in.1.d.17.q. 4. & in.2. d.27. & in.4.d. 14.q.3. dub.3. quem cōmuniter ſequuntur Nominales. Et ex Thomiſtis tenet eādem ſapientiſsimus Victoria in relectione de augmento charitatis, & Antonius à Cordoua lib.1. ſui quæſtionarij. q.9. Et probatur. Per quemlibet actū meritorium etiā remiſſum eſt homo ſtatim ordinatus & acceptatus à Deo ad maiorē gloriā: ergo etiam habet ſtatim maiorē gratiā, & charitatem. Probo cōſequentiā. Nam gratia nihil aliud eſt, quam quædā condignitas gloriæ, & ordinatio poſitiua ad illā. ❡Et cōfirmatur. Gloria correſpōdet gratiæ & charitati, ſed ille qui facit plures actus remiſſos habet maiorē gloriā ſibi reſeruatā in cælo, iuxta illud Pauli.1. ad Cor.3. Vnuſquiſq; mercedē accipiet ſecūdū ꝓpriū laborē &.2. ad Cor.5. Oēs nos ma- *1. Argum.* *Cōfirmatio.*

niſeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt recipiatvnuſquiſq; prout geſsit in corpore, ergo etiam habet maiorem gratiam, & charitatem. Nec obſtat dicere, vt multi dicunt quòd hoc argumentum ſolum probat ſtatim augeri gratiam in eſſe gratiæ, & charitatem in eſſe amicitiæ, non tamen, quòd augetur in eſſe qualitatis, & habitus. Nam cũ Deus ſecundum legem communem nemi nem habeat acceptum ad gloriam, niſi per qualitatem inhærentẽ, quæ formaliter dat eſſe gratum, non poteſt fieri quod aliquis ſit magis gratus quin habeat magis de illa qualitate: atque ex conſequenti nec poteſt augeri gratia in eſſe gratiæ, quin augeatur in eſſe qualitatis. Et idem eſt dicendum de

2. *Argum.* charitate. ❡Secundo ſic argumentor. Augmentum gratiæ & charitatis non correſpõdet intenſioni actus, ſed merito quòd in illo reperitur: ergo nec etiã dependet ex maiori intenſione ſed ex merito. Tunc vltra, ſed meritũ eſt ſtatim ac quis exercet opus bonum, etiam ſi ſit remiſſum, ergo & augmentum charitatis & gratiæ.

Cõfirmatio. ❡Et confirmatur. Poteſt cõtingere, quòd actus minus intenſus ſit magis meritorius, vel ratione melioris, & excellentioris obiecti, vel propter alias circunſtantias, vt communiter docent autores, ergo tunc illud magis merebitur, quòd ſibi conferatur ſtatim augmentũ

3. *Argum.* habitus, quàm actus magis intenſus. ❡Tertio, Qui eſt melior coram Deo habet maiorem gratiam, & charitatem, vt ſæpe repetit D. Auguſtinus, & eſt notiſsimum: ſed qui plura habet merita eſt melior apud Deum, quoniam plus diligitur à Deo, & Deus vult illi maiora, & potiora bona: ergo etiam habet maiorem gratiam, & charitatem. Et cõfirmatur: nã alias ſequeretur, quòd qui diu ſe exercuit in actibus remiſsis non eſſet melior, quàm à principio, conſequens eſt abſurdum & contra communem ſenſum Eccleſiæ, ergo.

3. *Sententia Soti.* ❡Tertia opinio eſt media inter duas priores. Et ſuppoſita diſtinctione reali, quæ ex ſententia D. Tho. eſt inter gratiã & charitatem: illa enim eſt in eſſentia animæ & non eſt habitus immediate operatiuus, charitas vero eſt in voluntate & eſt habitus operatiuus, dicit augmẽtum gratiæ cõferri à Deo ſtatim ac quis illud meretur etiam per actũ remiſſum, at vero augmentum charitatis non ſtatim confertur ſed quando aduenit actus intenſior, vel certe quando ex continuatione actus remiſsi vel eius multiplicatione excedit quis ſuum habitum. Hãc ſententiam tenet Soto lib. 2. de natura & gratia cap. 7. quem communiter ſequuntur recentiores Thomiſtę. Et præcipuum fundamentum illius eſt, quia charitas eſt habitus operatiuus & per actus remiſſos non redditur homo promptior ad operandum, at vero gratia non eſt habitus operatiuus ſed eſt quædam acceptatio ad gloriam, ideo in illius augmento non debẽt ſeruari leges aliorum habituum ſed tantum eſt habenda ratio meriti & acceptationis ad gloriam. *Argum.*

Sententia autoris. ❡Mihi ex his ſententijs perdifficile eſt declarare quæ nam illarum ſit verior, maxime cum ſingulæ habeant per ſe & rationes & autores non cõtemnendos. Cæterum vt explicem quid mihi in hac parte ſemper fuit viſum probabilius, ſit prima cõcluſio,

1. *Concluſio.* Nulla ratione poteſt fieri vt gratia augeatur quin etiã augeatur charitas. Probatur. Charitas, & reliquę virtutes infuſæ conſequuntur gratiã tãquã propriæ paſsiones illius, vt docet D. Tho. 1. 2. q. 110. ar. 3. & 3. part. q. 89. art. 1. ſed propria paſsio & eſſentia ſemper debent cõmẽſurari in perfectione ergo nõ ſtat quod gratia augeatur, quin etiã augeatur charitas. Secũdo Gratia & gloria comẽſurantur adinuicẽ, vt oẽs doctores fatentur, ſed gloria non eſt maior quam charitas vt patet ex D. Tho. qu. 1. pat. q. 12. art. 6. dicit qui plus habebit de charitate beatior erit, ergo & gratia commenſuratur charitati. Probo conſequentiam. Nam quæ ſunt ęqualia vni tertio ſunt ęqualia inter ſe. Et confirmatur. Secundum D. Auguſtinum, ille eſt melior qui habet maiorem charitatem, ſed qui eſt magis gratus Deo eſt melior, ſemper enim meliora ſunt Deo gratiora, ergo qui eſt magis gratus Deo habet maiorem charitatem, atque ex conſequenti non ſtat augere gratiam quin augeatũr charitas. Tertio, Charitas eſt amor quo nos diligimus Deũ, & gratia eſt qua Deus diligit nos, ſed quanto magis nos diligimus Deum, tanto magis ipſe diligit nos, & vice verſa: ergo quanto maior fuerit gratia tanto maior erit charitas. Item, Si gratia augeretur nõ aucta charitate ſequeretur quod ille qui eſt beatior habetet minorem charitatem quam ille qui eſt minus beatus, & quod ille qui plus diligit Deum minus perfecte videret Deum quam ille qui plus diligit: hæc autem ſunt abſurda & inconuenientia, ergo. Probo ſequelam: nam ſecundum Sotum & alios poteſt contingere imo de facto ſæpe cõtingit quod

ꝙ charit[illegible] q[illegible] gratia & gloria i[illegible] a h[illegible] P[illegible]trus, verbi gratia, h[illegible] tiam vt decem, [illegible] t[illegible] vt ſex, & quod Paulus [illegible] & [illegible] item vt octo, tunc manifeſtè [illegible] quòd Paulus eſt minus beatus quàm Petrus, & tamen habet maiorem charitatem, ergo ſtat quod aliquis

Arg. contra conclu. minus diligat Deum & quod ſit magis beatus, quod eſt maximum inconueniens.

¶ Sed contra illam concluſionem eſt argumentum, in Chriſto fuit gratia infinita, & tamen charitas illius fuit finita, ergo gra-

Solutio. tia poteſt eſſe maior charitate. ¶ Reſpondetur, quod gratia creata in Chriſto nõ erat infinita ſimpliciter, alioqui gloria illi correſpondens etiam eſſet infinita ſimpliciter, & per conſequẽs viſio beatifica in Chriſto eſſet Dei cõprehenſiua, quod eſt apertè falſum: ſed dicitur gratia Chriſti infinita in ſuo genere, hoc eſt, extenſiuè, quia extẽditur eius meritum ad infinitos homines, ſi illi eſſent poſsibiles. Et ad eundem modum poteſt etiam dici charitas Chriſti infinita in ſuo genere, vt late dicemus articulo ſequenti.

2. Concluſio. ¶ Secunda concluſio, Loquendo de lege ordinaria nõ ſtat augeri gratiam in eſſe gratiæ, quin augeatur in eſſe qualitatis: & ſimiliter dico de charitate, quòd non ſtat augeri in eſſe amicitiæ & charitatis, quin etiam augeatur in eſſe habitus & qualitatis. Hęc concluſio eſt contra communem modum loquendi recentiorum. Et probatur, De lege ordinaria ſunt homines grati formaliter per qualitatem inhærentem, vt habetur in conc. Trid. ſeſ. 6. can. 11. & nos diximus ſupra. q. 23. art. 2. ergo magis grati per qualitatem magis inhærentem, atque adeo magis intenſam atque perfectam. Probo conſequentiam: quia, ſicut ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter, ita magis ad magis. Item eſt valde probabile, quod eſſe gratum eſt effectus formalis intrinſecè & eſſentialiter prouenicns a qualitate inhærente, ſicut eſſe album ab albedine, ergo non poteſt augeri eſſe gratũ in eſſe gratiæ, quin etiam augeatur in eſſe qualitatis, & idẽ dico de charitate.

3. Concluſio. ¶ Tertia cõcluſio, Valde probabile eſt, ꝙ charitas nũquã actu augetur, niſi per actus intẽſiores, & feruentiores. Hæc concluſio probatur argumentis factis pro prima opinione. Et cõfirmatur: nam alias ſequeretur, ꝙ in quodlibet homine iuſto eſſet prope infinita charitas, ſi per multos annos mãſit in gratia: cõſequens autem eſt contra experientiam, nam videmus illos, qui per multum tempus tepide operati ſunt non habere intenſiorem charitatem quam antea: ergo & illud ex quo ſequitur. Probo ſequelam: nam, cum omnia opera iuſti ſint meritoria augmenti gratiæ, & charitatis, ſi cuilibet illorum etiã remiſſo reſpondet ſtatim ſpeciale augmentum manifeſtè ſequitur, ꝙ creſcet charitas in immẽſum, & plus quam rationabiliter credi poteſt.

¶ Sed ex hac opinione D. Tho. conſurgunt quam plurimæ difficultates. Prima

1. Difficultas quæ ſequitur ex ſententia D.Thom.

eſt, an adueniente actu intenſiori charitatis detur ſpirituale augmentum correſpondens actibus remiſsis præcedentibus diſtinctum ab eo, quod ſecundũ ſe datetur actui intenſiori, etiam ſi illi actus remiſsi nõn pręceſsiſſent: an verò tantũ detur augmentum correſpõdens actui intenſiori. Verbi gratia, habet aliquis habitum charitatis, vt decem, per multum tempus operatur, vt octo, quibus actibus, vt dicit D. Thom. non augetur habitus charitatis, ſed meretur illius augmẽtum, conferendum tamẽ quando per actus intenſiores fuerit diſpoſitus: operatur poſtea intenſe, vt duodecim, dubiũ eſt, vtrùm eo tempore, quo intenſius operatur, non ſolùm detur illi augmentum correſpõdens actui intenſiori, ſed etiã illud quod correſpõdebat actibus remiſsis, an verò tantum detur id, quod correſpõdet actui intẽſiori. De qua re variè ſentiunt Doctores. Sed quod mihi videtur magis ad mẽtem D. Tho. eſt, quod tantũ confertur augmẽtum correſpõdens actui intenſiori, ſemper enim dicit, quod charitas augetur per actus feruentiores. Et quando dicit, quòd actus remiſsi merentur augmentum charitatis, eſt intelligẽdus, quòd illud merentur inquantũ diſponunt, & habilitant potentiam ad hoc, vt prorumpat in actũ intenſiorem, & tota vis augendi habitum eſt in actu feruentiori. Itaque quemadmodum de actibus remiſsis habituum acquiſitorum dicit D. Thom. quòd diſponunt ad augmentum conferendum per actum intenſiorem, & tamen totum augmentum talium habituum correſpondet actui intenſiori, & non actibus remiſsis pręcedentibus: ità etiam de charitate philoſophandũ eſt. Ex quo ſequitur, quod ſecundum D. Thom. ſi nunquam quis prorumpat in actũ feruentiorem, nũquam recipiet augmentũ pro actibus remiſsis. Fateor plures ex Thomiſtis aliter interpretari D. Th. dicẽtes, quod in fine vitæ dabitur augmen-

tum, etiam ſi non præceſſerit actus intenſior. Cæterũ, vt dicit Victoria in relectione de augmento charitatis, hoc voluntariè aſſeritur, nec habet fundamentum in dictis D. Thom. quin potiùs optimum colligitur ex verbis illius.

2. Difficultas quæ ſequitur ex ſententia D. Thom. ¶ Secunda difficultas, quæ conſurgit ex ſententia D. Tho. eſt, qualiter fieri poſsit, quòd habitus charitatis, vt decem, eliciat actum charitatis, vt duodecim, quo habitus augeatur: ſiquidem certum eſt, quod nulla forma poteſt agere vltra ſuam virtutem. Ad hanc difficultatẽ nonnulli reſpondent dicentes, quòd actus intenſus, per quem charitas augetur, nõ eſt à charitate remiſſa, ſed à charitate augmenta, & intenſa per illum met actum intenſiorem. Nam quanuis actus ille ſit prior in genere cauſæ diſpoſitiuæ & meritoriæ quantũ ad eius augmẽtum, tamen in genere cauſæ efficientis eſt poſterior ipſa charitate. Itaq; quemadmodum dicimus de cõtritione, quòd eſt prior gratia in genere cauſæ materialis, & diſpoſitiuæ, & tamen in genere cauſæ efficientis ipſa gratia eſt prior: ità etiam eſt dicendum de actu intenſiori charitatis reſpectu habitus minus intenſi, quem ſua virtute auget. Hæc ſolutio eſt valde probabilis. Sed probabilius mihi dicendum videtur, ꝙ, quanuis charitas ſecundũ ſe non poſsit in actum intenſiorem, in virtute tamẽ diuini auxilij, cui innititur poteſt producere actum magis intenſum: ſicut, & habitus acquiſitus remiſſus per maiorẽ conatum potentiæ, producit actum intenſiorem. Et hæc de ſententia D. Thom.

4. Concluſio. ¶ Quarta concluſio, Quanuis ſententia D. Tho. ſit valde probabilis, probabilius tamen mihi videtur, quòd charitas, atque gratia augetur ſtatim per quemcunque actum meritorium. Hæc concluſio probatur argumentis factis pro ſecunda opinione. Et probatur denuò. Qui facit actũ remiſſum charitatis meretur ſtatim augmentum eius, & eſt capax illius: ergo confertur ei ſtatim. Et ſi dicatur, quòd hoc non fit, vt in augmento charitatis ſeruetur proportio inuenta in augmentatione habituũ acquiſitorũ, cõtra hoc ſic argumentor, Hæc proportio non ſeruatur in multis alijs, ergo non eſt inconueniens, quòd nec etiam in hoc ſeruetur. Conſequentia eſt nota, & antecedens probatur. Nam primò, illa proportio deficit in eo, quòd habitus acquiſiti augentur effectiuè per noſtros actus, charitas autem non effectiuè, ſed meritoriè augetur. Itẽ deficit in eo, quòd habitus acquiſiti nõ augentur, niſi per proprios actus ab ipſis elicitos, at verò charitas poteſt augeri per actus aliarũ virtutũ ab ipſa imperatos, quia omnes ſunt meritorij. Si ergo charitas, & habitus acquiſiti nõ proportionantur in modo cauſandi augmentum, non eſt mirũ, quod nec etiam proportionentur in tempore, quo tale augmentum debet cõferri. Item actus remiſſus charitatis, & contritionis eſt ſufficiens diſpoſitio ad recipiendum ſtatim habitum charitatis, & gratiæ in eo, qui illum non habet, ergo ſimiliter erit ſufficiens diſpoſitio ad recipiendum ſtatim augmentum quod non habet. Et confirmatur, Si non dat Deus ſtatim augmentũ, quando dat? Dices quòd quando fuerit actus intenſior. Sed contra hoc ſic argumentor. Poteſt contingere, quòd aliquis per totam vitam nõ eliciat actum feruentiorem: ergo nunquam recipiet augmentũ debitum actui remiſſo. Nam dicere, quòd illud recipiet in fine vitæ, præterquam quòd voluntariè aſſeritur, vt dicit Victoria loco citato, videtur, etiam repugnate D. Petro ſecunda ſua canonica. cap. 3. dicenti, Non tardat Deus promiſsionem ſuam. &c. Maximè, quòd cum Deus ſit liberaliſsimus, & valde pronus ad præmiandum, non videtur rationi conſentaneum, quod differat vſque in finem vitæ id augmentum, quo viuens poteſt quis magis ac magis proficere in virtute. Vltimò, Act⁹ intenſus charitatis ſolùm diſponit ad augmentum ſibi correſpondẽs, perinde ac ſi non præceſsiſſent actus remiſſi, ergo ad præſentiam illius ex vi talis diſpoſitionis, non dabitur augmentum correſpondens actibus remiſsis: atque ex conſequenti dicendum erit quòd ſtatim confertur.

¶ Sed, vt hoc perfectè intelligatur eſt aduertendum primò, quòd actus charitatis in ordine ad eius augmentum poſſunt dupliciter conſiderari: vno modo inquantum ſunt diſpoſitiones connaturales ad illud: ſecundò, inquantum habent rationem meriti reſpectu ipſius. Et quod iſtæ ſint longè diuerſæ patet ex eo, quod vna poteſt reperiri ſine alia. Nam fides, & ſpes informes augentur per ſuos actus: non quia ſunt meritorij talis augmenti (ſine gratia enim nullum poteſt eſſe meritum) ſed quia ſunt diſpoſitiones connaturales ad illud. At verò, actus virtutum acquiſitarum in homine exiſtente in gratia cauſant augmentum gratiæ, non *Actus charitatis dupliciter conſiderantur.*

tiæ, non tanquam diſpoſitiones connaturales, ſed per modum meriti. Et ſic cōſtat, quòd aliud eſt diſponere ad augmentum & aliud illud mereri.

Nota. 2. ¶ Secūdò eſt aduertendum, ꝙ D.Tho. ſolùm conſiderauit actus charitatis primo modo, inquantum ſunt diſpoſitiones connaturales ad augmentū, & propterea dixit, quòd non augent actualiter habitum, niſi ſint intenſiores. Rationem autem meriti, quæ reperitur in illis in ordine ad augmentum, putat regulandam eſſe & modificandam ſecundum regulam naturalem. Itaq;, quemadmodum actus remiſsi habituum acquiſitorum, vel fidei, & ſpei informis, diſponunt ad augmentum habitus, & tamen illum non augent, niſi adueniat actus intenſior: ità etiam actus remiſsi charitatis, quanuis diſponant ad augmentum, & illud mereantur, non tamen augent actu, quoaduſque homo conetur ad augmentum per actum feruentiorem. Cæterum ſecunda opinio, quam nos in hac quarta concluſione defendimus conſiderauit actus charitatis, tam in ratione diſpoſitionis, quam in ratione meriti: & propterea dixit, non eſſe ſpectandam maiorem intenſionem, ſicut ſpectatur in habitibus acquiſitis, qui non augentur meritoriè, ſed efficienter, & diſpoſitiuè per proprios actus, tanquam per cauſas naturales. Ex quo infertur perperam dixiſſe Durandum in. 1. diſtin. 17. quæſt. 8. quòd charitas non augetur per actus remiſſos, benè tamen per actus æque intenſos. Nam ſi augmentum conſideretur in ratione meriti, non ſolùm per actus æquè intenſos, ſed etiam per remiſſos, poterit fieri: ſi autem conſideretur ſecundum rationem diſpoſitionis, & cauſalitatis naturalis, non magis augebitur per actus æquè intenſos, quàm per actus remiſſos, ſed tantum per intenſiores, vt de habitibus acquiſitis dicemus. De hac re videndus eſt Caietanus in præſenti &. 1. 2. quæſt. 53. art. 3.

Ad. 1. argu. pro ſententia D. Thom. ¶ Sed reſtat nunc, vt reſpondeamus ad argumenta facta pro ſententia D. Thom. Ad primum cum ſua confirmatione ex dictis patet ſolutio. *Ad. 2. argu.* ¶ Ad ſecundum de experientia, quod item poſteà in probatione tertiæ concluſionis fuit inculcatum reſpondetur, quod promptitudo, quam præſtant habitus infuſi non ſentitur, quoad vſq; per exercitium actuum paſsiones fuerint moderatæ, vt eſt videre in puero baptizato, cùm primùm peruenit ad vſum rationis, & in homine vitioſo per ſacramenta iuſtificato: qui, vt fides docet, recipit gratiam & alias virtutes infuſas, & tamen, non ſtatim ſentit in ſe promptitudinem, & inclinationem, quam illæ virtutes per ſe loquendo habent, vt docet D. Thom. 3. p. q. 89. art. 1. ad. 3. Et ratio eſt: nam ex reliquijs peccatorum præcedentium & ex prauis inclinationibus, quas ille homo habet retardatur, ne ſequatur inclinationem charitatis, & aliarum virtutum infuſarum, niſi maxima cū difficultate. Et idem contingit in homine, qui tepidè operatur. Nam, quanuis illa opera mereantur augmentum charitatis, & gratiæ, non tamen multum valent ad efficiendum, vt homo experiatur prōptitudinem, & inclinationem ipſius charitatis.

Ad arg. pro 3. ſententia. ¶ Ad aliud quod adducitur in tertia concluſione, ſcilicet, quia ſequeretur, quòd in vnoquoque homine iuſto eſſet prope infinita charitas, reſpondetur negando ſequelam. Nam, quantuis quilibet actus augeat charitatem tamen actus remiſsi non ſunt ità meritorij, vt perueniat homo ad illam immenſitatem, & exceſſum charitatis, qui ſignificatur in argumento.

Aliud dubiū ¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco, vtrùm actus charitatis augeant habitū ſecundum totam latitudinem intenſionis, an verò tantum ſecūdum exceſſum, quem habent ſuper habitum. Verbi gratia, habet quis habitum charitatis, vt decem, & elicit actum intenſum, vt duodecim, dubiū eſt, vtrùm iſte actus augeat habitum ſecundum totam ſuam latitudinē, ità, vt poſt illum maneat habitus perfectus, vt viginti duo, an verò tantum augeat habitum quantum ad illos duos gradus, quibus ipſum excedit.

Nota pro explicatione dubitationis. ¶ Pro intelligentia huius difficultatis eſt aduertendum, quòd in actibus meritorijs poſſumus conſiderare duplicem latitudinem, vnam ſecūdum intenſionem actus, alteram ſecundum rationem meriti, quæ duo inter ſe ſe valde diſtinguūtur. Nam intenſio importat vehementiam conatus, & adhæſionem potentię ad obiectum: at verò ratio meriti dicit ordinē ad præmium, quæ non ſolum penſatur ex vehementia, & adhæſione potentiæ, ſed etiam ex præſtantia ipſius obiecti, & ex difficultate operis, & ex multis alijs circunſtantijs, quæ conducunt ad bonitatem, & laudem ipſius actus, vt docet D. Thom. 1. 2. quæſt. 114. Ex quo fit, vt poſsit cōtingere quod actus magis intenſus ſit minus meritorius, & è contrario.

Vt, verbi gratia, dare ex charitate centum aureos cum parua intenſione, eſt magis meritorium, quàm dare argentum cum maiori intenſione: & ſimiliter dare eleemoſynam ex charitate in ſuſtentationem viri pij, & ſtudioſi magis meritorium eſt, quàm dare eandem eleemoſynam in ſuſtentationem pauperis vulgaris.

Varietas opinionum. ¶ Hoc ſuppoſito, quidam dicunt, quòd charitas augetur ſolùm penes exceſſum actus ſupra habitum in intenſione: quam ſententiam tribuunt D. Thom. qui ſemper loquitur de augmento charitatis per analogiam ad augmentum habituum acquiſitorum. Alij aſſirmant, quòd augetur penes exceſſum actuum ſupra habitum, non in intenſione, ſed in merito. Hanc ſentẽtiam tenet Victoria in relectione de augmento charitatis. Vnde dicit, quòd ſi quis ex charitate habituali habeat merita, vt quatuor, & poſteà habeat actum meritorium, vt quinque, ſiuè ille ſit minus intenſus quàm habitus, ſiuè non, augebit habitum ſecundum illum gradum, quo ipſum excedit. Et idem dicit, ſi habuerit merita, vt quinque, non per vnum actum, ſed per multos. Alij dicunt, quòd charitas augetur ſecundum totam latitudinem actus.

1. Concluſio. ¶ Tamen, vt explicem quid in hac re dicendum ſit conſequenter ad alia, quæ huc vſque diximus, ſit prima concluſio. Augmentum charitatis, & virtutum infuſarum, non tam debet attendi ſecundum proportionem ad intenſionem actus, quàm ſecundum proportionem ad meritum. Probatur, Iſtæ virtutes augentur per noſtros actus, non effectiuè, ſed meritoriè: ergo in illarum augmento non tam debet attendi ad proportionem intẽſionis, quàm meriti. Et confirmatur, Iſtæ virtutes ſunt dona Dei, & illarum augmentum datur iuſtis per modum præmij: ergo melioribus erit dandum maius præmium, hoc eſt, maius augmentum: ſed illi ſunt meliores apud Deum, qui magis merẽtur, ergo pro ratione meriti erit maius augmentum.

2. Concluſio. ¶ Secunda concluſio, Augmentum charitatis nõ commenſuratur intenſioni actus, ita vt ſi actus ſit intenſus, vt quatuor, charitas de nouo augeatur, vt quatuor, in intenſione. Probatur. Poteſt contingere, vt cum maiori intenſione ſit minus meritum, & charitas augetur meritoriè: ergo charitatis augmentum non cõmenſuratur intẽſioni.

3. Concluſio. ¶ Tertia concluſio, Charitas augetur quolibet actu ſecundum totam latitudinem meriti. Volo dicere, quòd ſi actus eſt meritorius, vt quatuor, ſiue ſit intenſior, ſiuè remiſsior, augetur charitas per quatuor gradus de nouo. Probatur. Meritum, & præmium ſunt correlatiua, ergo quantùm fuerit meritum tantùm erit pręmium. Secundò, Quantum eſt meritum vniuſcuiuſque tanta eſt gloria eius ergo & gratia, atque charitas. Probo conſequentiam: nam hæc tria ſemper proportionantur, vt diximus in principio huius articuli. Et confirmatur: nam aliàs multa bona opera manerent ſine præmio: conſequens autem eſt abſurdum, ergo. Probo ſequelam, Multi actus remiſsi ſunt, qui nec in intenſione, nec in merito adæquant, vel excedunt habitum charitatis, ergo, ſi ſolum datur augmentum penes exceſſum omnes illi manebunt fruſtrati ſuo debito præmio.

¶ Qui autem voluerit defendere opinionem D. Thom. quam ſupra diximus eſſe probabilem, neceſſario debet dicere duo. Primum eſt, quòd licet non detur augmentum pro actibus remiſsis in hac vita, dabitur tamen in futura, in qua omnia opera noſtra plene remunerabuntur. Secundum, quòd actus noſtri dupliciter poſſunt cauſare augmentum charitatis, ſcilicet, per modum diſpoſitionis connaturalis, & per modum meriti. Cauſalitas diſpoſitionis in hac vita exercetur per actus intenſiores, quoniam ſecundũ ordinem naturæ illi ſoli ſunt diſpoſitio proportionata ad augendum habitum in eo, in quo ipſum excedunt. Cauſalitas verò meritoria, quę reſpicit meritum non exercetur actualiter in hac vita, ſed in futura: nec oportet in illa expectare actum ferventiorem, vt per illum augeatur charitas, vt nonnulli dicunt: ſed in primo non eſſe hominis & in primo eſſe gloriæ, ante omnem nouum actum datur augmentum correſpondens omnibus meritis huius vitæ, ſiuè intenſis, ſiuè remiſsis. Et ità eſt explicanda ſententia D. Thom. ſi probabilis eſſe debet. Verum eſt, quòd ego non video rationẽ propter quam huiuſmodi augmentum ſit vſque in finem vitæ differendum. Et Victoria loco citato dicit, quod merè gratis aſſeritur, & quod eſt præter intentionem D. Tho. qui multis in locis aſſirmat, actus remiſſos nunquam conſequi augmẽtum, niſi adueniat actus intenſior. Cæterum ne in aliud peius incidamus dicentes, quòd actus remiſsi non ſunt meritorij augmenti

gmenti gratiæ, charitatis, & gloriæ (quod in principio huius articuli tanquam periculoſum, & à fide alienum reiecimus) idcirco hanc expoſitionem tanquam conuenientem adhibuimus. Qui meliorem adinuenerit poterit eam ſequi. Et hæc dicta ſunt de toto iſto articulo.

ARTICVLVS VII.

¶ *Vtrum charitas augeatur in infinitum.*

3.d.17.q.2. ar.4. Et vir. q.1.a.11.ad 17.& q.2. a.2.ad.10. Lib.2.text. 8.& 9.te. 3.

AD SEPTIMVM ſic proceditur. Videtur quòd charitas non augeatur in infinitum. Omnis enim motus eſt ad aliquem finem, & terminum, vt dicitur in. 2°. Metaph. Sed augmẽtum charitatis eſt quidam motus. Ergo tendit ad aliquem finem & terminum. Ergo charitas in infinitum non augetur.

2 ¶ Præterea, Nulla forma excedit capacitatem ſui ſubiecti. Sed capacitas creaturæ rationalis, quę eſt ſubiectum charitatis, eſt finita. Ergo charitas in infinitum augeri non poteſt.

3 ¶ Præterea, Omne finitum per continuum augmentum poteſt pertingere ad quantitatem alterius finiti, quantumcunque maioris, niſi fortè id quod accreſcit per augmentum, ſemper ſit minus & minus: ſicut Philoſophus dicit in. 3. Phyſicorum, quòd ſi vni lineę addatur quod ſubtrahitur ab alia linea, quæ in infinitum diuiditur, additione facta: nunquam pertingeretur ad quandam determinatam quantitatem, quæ eſt compoſita ex duabus lineis diuerſis, ea ſcilicet ex qua additur, & ea, cui additur, quod ex alia ſubtrahitur: quod in propoſito non contingit. Non enim neceſſe eſt, vt ſecundum charitatis augmẽtum, ſit minus, quàm primum: ſed magis probabile eſt, quòd ſit æquale, aut maius. Cum ergo charitas patriæ ſit quiddam finitum: ſi charitas viæ in infinitum augeri poteſt, ſequitur quòd charitas viæ poſsit ſibi adæquare charitatem patriæ: quod eſt inconueniens. Non ergo charitas viæ in infinitum poteſt augeri.

¶ SED CONTRA eſt, quod Apoſtolus dicit ad Phil. 3. Non quod iam acceperim, aut iam perfectus ſim. Sequor autem ſi quomodo comprehendam. Vbi dicit* gloſ. Nemo fidelium, etſi multum profecerit, dicat, ſufficit mihi. Qui enim hoc dicit, de via exit ante finem. Ergo ſemper charitas in via poteſt magis ac magis augeri.

Sumitur ex Augu. Pſal. 69. ſuper illud. Adiutor & protector tom. 8.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd terminus augmento alicuius formæ poteſt præfigi tripliciter. Vno modo ex ratione ipſius formæ, quæ habet terminatam menſuram: ad quam cum peruentum fuerit, non poteſt vltra procedi in forma: ſed ſi vltra proceſſum fuerit, peruenietur ad aliam formam. Sicut patet in pallore, cuius terminos per continuam alterationem aliquis tranſit, vel ad albedinem, vel ad nigredinem perueniens. Alio modo ex parte agentis, cuius virtus non ſe extendit ad vlterius augendum formam in ſubiecto. Tertio ex parte ſubiecti, quòd non eſt capax vlterioris perfectionis. Nullo autem iſtorum modorum imponitur terminus augmento charitatis in ſtatu viæ. Ipſa enim charitas, ſecundum rationem propriæ ſpeciei, terminum augmenti non habet. Eſt enim participatio quædam infinitæ charitatis, quę eſt Spiritusſanctus. Similiter etiam cauſa augẽs charitatem eſt infinitæ virtutis, ſcilicet Deus. Similiter etiam ex parte ſubiecti terminus huic augmento præfigi non poteſt: quia ſemper charitate excreſcente, ſuperexcreſcit habilitas ad vlterius augmentum. Vnde relinquitur quòd charitatis augmento nullus terminus præfigatur in hac vita.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd augmentum charitatis eſt ad aliquem finem: ſed ille finis non eſt in hac vita, ſed in futura.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd capacitas creaturæ rationalis per charitatem augetur: quia per ipſam cor dilatatur, ſecundum illud ſecundæ ad Corinthios. 6. Cor noſtrũ dilatatum eſt. Et ideo adhuc vlterius manet habilitas ad maius augmentum.

¶ Ad tertium dicendum, quòd ratio illa procedit in ijs, quæ habent quãtitatem eiuſdem rationis: non autem in ijs, quæ habent diuerſam rationem quantitatis: ſicut linea quantumcunque creſcat, non attingit quantitatem ſuperficiei. Non eſt autem eadem ratio quantitatis charitatis viæ, quæ ſequitur cognitionem fidei: & charitatis patriæ, quæ ſequitur viſionem apertam. Vnde non ſequitur ratio.

SVMMA TEXTVS.

SVppoſito, quòd augmento alicuius formæ poteſt terminus præfigi tripliciter, vno modo ex parte ipſius formæ, quæ habet determinatam menſuram, ad quam cùm peruenerit non poteſt vltra progredi, alio modo ex parte agentis, cuius virtus non ſe extendit ad vlterius agendum, tertiò, ex parte ſubiecti, quod non eſt capax vlterioris perfectionis, ponit D. Thomas hanc concluſionem. Charitas viæ non habet terminum, ſed poteſt in infinitum creſcere. Probatur. Augmento chatitatis viæ ex nulla parte ponitur terminus, ergo poteſt creſcere in infinitum. Conſequẽtia eſt nota, & antecedens probatur, diſcurrendo per ſingula, à quibus poteſt limitatio prouenire. Nam primò, charitas ex ſe non habet terminum, quoniam eſt quædam participatio infinitæ charitatis: nec etiam ex parte agentis, qui eſt Deus, cuius virtus eſt infinita, nec etiam ex parte ſubiecti, quod charitate creſcente ſemper fit habilius ad maiorem charitatem recipiendam, ergo.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Nota. 1. PRo intelligentia huius articuli eſt aduertendum primò, quod quamuis D. Thom. abſolutè quærat de charitate, vtrum poſſit creſcere in infinitum, reſpondet tamen determinatè de charitate viæ, quòd poteſt, hoc ipſo ſignificans charitatem patriæ, omnino eſſe extra ſtatum creſcendi: quod proculdubio eſt verum, vt patet ex illo Eccleſiaſt. capit. 11. Vbicunque ceciderit lignum ibi erit. &c.

¶ Secundò eſt aduertendum, quod infinitum poteſt accipi dupliciter: vno modo cathegorematicè, pro eo, quod finem non habet, vt Deus: alio modo ſyncathegorematicè pro eo, quod eſt, non tantum quin maius, vel non tot, quin plures: qua ratione dicimus partes cõtinui eſſe infinitas. Quando ergo D. Thom. quærit, vtrùm charitas poſsit augeri in infinitum, non loquitur de infinito primo modo (quod appellatur infinitum ſimpliciter) nam de hoc. 1. part. q. 7. artic. 3. late probauerat, non poſſe dari per diuinam potentiam: ſed loquitur, de infinito ſyncathegorematicè: ità, vt ſit ſenſus, vtrùm charitas ità poſsit creſcere, quod maior dari non poſsit. Nota. 2.

¶ Tertiò eſt aduertendum, adhuc dupliciter poſſe intelligi, quod charitas augeatur in infinitũ ſyncathegorematicè. Vno modo, quia quacunque charitate data in vno ſuppoſito poteſt Deus in alio maiorem producere: in quo ſenſu diſputat D. Thom. hanc quæſtionem. 3. part. quæſt. 7. articul. 9. 10. &. 11. vbi de infinitate gratiæ Chriſti eſt ſermo. Secundo, quia quacunq; charitate data in vno ſuppoſito, adhuc in eodem poteſt eſſe maior: quem ſenſum intendit D. Thom. in præſenti quando dicit, quod charitas viæ non habet terminum, ſed poteſt creſcere in infinitum. Quæ concluſio ità explicata eſt de fide tenenda. Nam de fide eſt, quod quandiù ſumus in hac vita, ità poſſumus in iuſtitia & ſanctitate creſcere, vt nullus poſsit peruenire ad talem, ac tantum gradum perfectionis, vt vlterius non ſit proficere, & oppoſitum eſt hæreſis damnata in concilio Vienenſ. ſub Clemente. V. & habetur in Clementina. ad noſtrum. de hæret. Et confirmatur ex Paulo ad Philipp. 3. dicente: Non quòd iã acceperim, aut perfectus ſim, ſequor autem ſi quo modo comprehendam. Et paulo inferius, Fratres, ego me non arbitror comprehendiſſe, vnum autem, quæ retrò ſunt obliuiſcens, ad ea vero, quæ ſunt priora extendens meipſum ad deſtinatum perſequor brauium ſupernæ vocationis. Quaſi diceret: Quandiù non conſequor brauium ſemper habeo, quo vlterius procedam in via Dei. Nota. 3. Concluſ. D. Tho. eſt de fide.

Dei. Vndegloſſa D. Auguſtini ſuper illum locum dicit: Nemo fidelium, etſi multum proficiat dicat, Sufficit mihi, qui enim hoc dicit de via exit ante finem. Vbi dixiſti, ſufficit mihi, defeciſti. &c. Eodem modo interpretatur hunc locum D. Bernardus lib. 2. de cõſideratione. ad Eugenium. cap. 32. Et hinc eſt illa celebris ſententia, qua communiter ſancti vtũtur, In via Dei non progredi, retrocedere eſt. Item hoc ipſum probatur ex Paulo. 1. ad Corinthios. cap. 13. dicente, Cum venerit quod perfectum eſt, hoc eſt, viſio beatifica, euacuabitur quod ex parte eſt. Et. 2. ad Corinthios. cap. 5. quandiu in corpore ſumus peregrinamur à Domino: per fidem enim ambulamus. &c. Sed ſi quis eò perueniſſet, vt charitas in illo augeri nõ poſſet, iam non ambularet, ergo charitas in hac vita ſemper poteſt augeri. Et in Pſalmo. 83. Beatus, cuius eſt auxilium abs te, aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit: ibunt de virtute in virtutem, & videbitur Deus deorum in Sion. Quibus verbis apertè ſignificatur, poſſe nos de virtute in virtutem progredi quouſque Deum videamus. Et Eccleſiaſtici capit. 18. Ne verearis, vel ſecundum aliam literam, Neceſſes vſq; ad mortẽ iuſtificari. Et Apocaly. c. 22. Qui iuſt⁹ eſt iuſtificetur, adhuc, ideſt, quantũcunq; aliquis fuerit iuſtus debet curare, vt amplius creſcat in iuſtitia. Cui conſonat illud ad Galat. 6. Bonum facientes, non deficiamus. Et denique omnia Scripturæ teſtimonia, quibus probatũ fuit charitatem poſſe augeri, probãt etiam, quòd poteſt ſemper augeri quãdiu ſumus in hac vita. Abſolutè enim loquuntur de charitate viæ. Eſt etiam hæc veritas diffinita in concilio Triden. ſeſſ. 6. capit. 10. Et ratio eſt manifeſta. Nam, ſi viator non poſſet amplius in charitate proficere ſequeretur, quòd nec poſſet mereri nec demereri, & ſic, quòd citra priuilegium ſpeciale eſſet impeccabilis, conſequens autem eſt hæreticum, vt conſtat ex Clementina. ad noſtrum. iam citata, ergo & illud ex quo ſequitur. Eandẽ etiam veritatẽ docuit D. Paulus, non vno tantum ſed multis in locis, quoſdam enim parturire ſe aiebat, donec formaretur Chriſtus in illis: alijs tanquam paruulis in Chriſto lac dabat potum donec capaces fierent ſolidi cibi: & ſapientiam loquebatur inter perfectos, nonnullis incrementa frugum iuſtitiæ, & abundantiã omnium gratiarum nomine Dei pollicetur: alios beatiores eſſe pronunciat, ſi permanſerint, ſecundum eius conſilium: quibuſdam excellẽtiorẽ viã demõſtrat & ad æmulandũ chariſmata meliora inuitat. Et alibi adhoc dicit pręcellẽtiſsima dona a Chriſto donata fuiſſe Eccleſiæ, vt iam nõ ſimus paruuli ſed veritatẽ faciẽtes creſcamus in ipſo. Et aliâs interiorem hominem renouari tradit de die in diẽ, licet is qui foris eſt noſter homo corrũpatur. Et ſępe affirmat Deũ eſſe qui incrementa iuſtitiæ confert, quique perficit, quod in nobis incipit. Pro quibuſdam etiam orat, vt charitas eorum magis ac magis abundet. Et de ſeipſo manifeſtè teſtatur, nondum ſe perfectum eſſe, aut ad eum ſtatum veniſſe in quo non poſſet proficere. Et vt intelligeremus, etiam eum qui tanta gratia ab initio ſuæ conuerſionis præfulſerat, aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuiſſe, addit, Quæ retro ſunt obliuiſcẽs, ád ea vero, quæ ſunt priora extendens meipſum, ad deſtinatum perſequor brabium æternæ vocationis. De hac re eſt videndus Vega lib. 10. in concil. Trid. c. 1. &. 2. ¶ Sed eſt aduertendum, ꝙ quamuis ſit certiſsimũ, quòd homines in hac vita ſemper poſſunt creſcere in charitate, non tamen eſt adeò certum, quòd ille perpetuus, & indeficiens progreſſus debet eſſe ſecundum intenſionem habitus. Poſſet enim quis dicere, quòd habitus charitatis non augetur in infinitum ſecundum ſuam ſubſtantiam, quia ex ſua natura habet terminum augmenti, quamuis merita ex charitate procedentia poſsint creſcere in infinitum, neque habeant terminum, vt videtur dicere Durandus in. 1. diſt. 17. quæſt. 9. Nihilominus tamen magis conſonum eſt catholicæ veritati dicere, quòd ille perpetuus progreſſus eſt ſecundum intenſionem habitus gratiæ, & charitatis, vt D. Thom. in hoc articulo affirmat. *Nota.*

¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco, vtrũ D. Th. ſenſerit, ꝙ charitas abſolutè, & ſecũdum ſe non habet aliquem terminum intenſionis, an verò id tantum affirmetur de charitate ſecundum ſtatum viæ. Quod eſt quærere, vtrùm ex ſententia D. Thom. ità ſit proprium charitatis poſſe augeri, vt ex natura ſua (ſiuè ſit in via, ſiuè ſit in patria) non repugnet illi in infinitum creſcere & intendi: an verò hoc ſolùm conueniat charitati viæ. *Dubium.* ¶ Caietanus in hoc articulo affirmat, quod D. Thom. tantum loquitur de charitate viæ, atque adeò non negare, *Sententia Caietani.*

quod charitas abſolutè, & ſecundum ſe ha
beat terminum, vltra quem progredi non
poſsit. Idque probat ex eo, quod in conclu
ſione tantum facit mentionem charitatis
viæ.

Sententia au toris.

¶ Cæterum, meo iudicio, ſententia D.
Thom. eſt, quod charitas ſecundum ſe, &
abſolute, nullum habet terminum, ſed ſim
pliciter poteſt augeri in infinitum. Et pro-
batur, nam dicit quod charitas ſecundum
rationem propriæ ſpeciei nõ habet augmen
ti terminum, ſicut aliæ formæ naturales:
ergo loquitur de charitate abſolute, & ſe-
cundum ea, quæ ſibi coueniunt ex pro-
pria & ſpecifica ratione, & non de charita-
te pto iſto ſtatu. Caietanus dicit, quod hæc
verba ſunt accipienda negatiue & nõ poſi-
tiue, ſicut, ſi diceremus, quod charitas ſe-
cundum rationem propriæ ſpeciei non ha-
bet coniunctionem cum fide, cuius propo-
ſitionis ſenſus eſſet, non quod charitati re-
pugnet coniungi cum fide, ſed, quod quan
tum eſt ex ſe, non poſtulat neceſſariò eſſe
cum fide. Cæterũ ſiue explicẽtur poſitiue,
ſiue negatiue ſemper verba D. Thom. pro-
bãt intentum, & ſignificant, quod charitas
ex propria ratione non habet certum termi
num, ſiquidem eius ratio ſub quocunque
ſaluatur. Et confirmatur: nam vix intelligi
poteſt, qua tatione charitas viæ poſsit auge
ri in infinitum, ſi ipſa ſecundum ſe habet
certum terminum augmenti.

Ad arg. Caietani.

¶ Et ad argumentum Caietani reſpon-
detur, quòd, quia de facto charitati non cõ-
uenit augeri, niſi dum eſt in via, idcircò
Diuus Thom. dixit, quòd charitas viæ au-
getur in infinitum, nec poſuit illam parti-
culam, viæ, ad ſaluandam infinitatem aug-
menti, ſed ad ſaluandum ipſum augmen-
tum, quòd extra viam eſſe non poteſt, vt
iam diximus. Sed adhuc contra hoc in-
ſtat Caietanus. Nam. 3. part. quæſt. 7. ſæpe
dixit Diuus Thom. gratiam habitualem
Chriſti habuiſſe omnem perfectionem ſi-
bi poſsibilem, & tamen de eadem affir-
mat, quòd erat finita intenſiue, ergo ſen-
tit, quod gratia atque charitas ex propria
ratione habent terminum in augmento.
Reſpondetur tamen, quòd Diuus Thom.
eo in loco ſolùm intendit gratiam habitua
lem Chriſti habuiſſe omnem perfectionẽ
ſibi poſsibilem de lege, & ſecundum ordi-
nem propoſitum à Deo. Cum hoc tamen
ſtat, quòd ipſa gratia adhuc ex natura ſua
poſsit magis ac magis creſcere. Vnde Di-
uus Thomas tertia parte, quæſtione deci-
ma, articulo quarto, ad tertium, dicit, quòd
quanuis viſio beatifica animæ Chriſti fue-
rit ſumma, adhuc tamen abſolutè conſi-
derãdo, potuit eſſe aliquis gradus altior ſu-
blimiorque ſecundum infinitatem diuinæ
potentiæ.

Dubium.

¶ Suppoſito iam, quòd Diuus Thom.
ſentit charitatem ex propria ratione poſſe *1. Argum.*
in infinitum creſcere quantum ad intenſio
nem, eſt difficultas, vtrum hæc ſententia
ſit vera. Et pro parte negatiua argumen-
tor primo. Charitas habet determinatum
terminum, quo ad paruitatem: poteſt enim
dari tam minima charitas, vt minor dari nõ
poſsit: ergo & quoad magnitudinem. Pro
bo conſequentiam: nam eadem ratio eſt
de termino magnitudinis & paruitatis, vt
docet Ariſto. lib. 1. de anima. ¶ Secundo, *2. Argum.*
Charitas eſt quædam forma creata, ergo
finita: & ex conſequenti non poteſt creſce
re in infinitum. Et confirmatur. Omnes
formæ naturales habent determinatum ter
minum augmenti, ergo & charitas. ¶ Ter- *3. Argum.*
tiò, Charitas in ſuo actu dependet à poten-
tia naturali creata: ſed quæcunq; potentia
naturalis eſt finita, ergo & charitas. ¶ Quar *4. Argum.*
tò. Nam alias ſequeretur poſſe Deum crea-
re charitatem infinitam: conſequens au-
tem eſt falſum, ergo & illud, ex quo ſe-
quitur. Probo ſequelam. Quidquid Deus
poteſt ſucceſsiue creare, poteſt producere
ſimul in rebus permanentibus: ſed Deus
per te poteſt augere charitatem in infini-
tum augmentum, atque ex conſequenti
producere infinitam charitatem, ergo.

¶ Et confirmatur. Deus cognoſcit omnes *Confirmatio.*
gradus charitatis à ſe producibiles: ergo vel
ſunt finiti vel infiniti. Si finiti, ergo non
poteſt augeri charitas in infinitũ. Si infini-
ti, ergo poterit producere charitatem actu
infinitam, quòd eſt abſurdum. Probo con-
ſequentiam. Nam cum Deus producat per
intellectum, id poterit producere, quod co
gnoſcit: maxime, cum eius potentia non
ſit minor, quam ſcientia.

¶ Propter hæc argumenta multi affirmãt, *Concluſio.*
quod charitas, atque gratia ità ab intrin-
ſeco habent determinatum & certum ter-
minum, vt repugnet ipſis vltra creſcere,
etiam de potentia Dei abſoluta. Et idem
dicunt de omnibus alijs formis naturali-
bus. Ità tenet Scotus in tertio, diſtinctio-
ne decimaquinta. quæſtione quarta. & Du
randus ibidem, & in primo, diſtinctione
deci-

decimaſeptima, quæſtione nona. & Enricus quodlibeto quinto. quæſtione vigeſimaſecunda, quos ſequitur Caietanus in præſenti, & tertia parte, quæſtione ſeptima articulo nono, quæſtione decima: articulo quarto. Videturque hæc ſententia conformis Magiſtro, qui in tertio, diſtinctione decimatertia, dicit Chriſtum ab inſtanti ſuæ conceptionis habuiſſe tantam gratiam, vt repugnet ei vltra creſcere.

Concluſio. ¶ His tamen non obſtantibus dico ſententiam D. Thom. eſſe veriſſimam, quæ ſufficiēter probatur ratione ab ipſo poſita in hoc articulo. Quæ talis eſt, Charitas non habet vnde limitetur, ergo ex natura ſua poteſt creſcere in infinitum. Conſequentia eſt nota, & antecedens probatur. Charitas non limitatur ex ſe, cùm ſit quædam participatio charitatis diuinæ, quæ in infinitum poteſt creſcere. Nec ex parte principij, quod eſt De⁹, nec etiā ex parte ſubiecti, qḋ creſcente charitate, redditur magis aptum ad recipiendam maiorem charitatem, ergo charitas non habet vnde limitetur, atque ex conſequenti ſimpliciter & abſolutè poteſt creſcere in infinitum. ¶ Sed contra iſtam rationem argumentatur Scotus multipliciter in tertio, diſtinctione decimatertia, quæſtione. 1. & nititur probare ex nulla harum cauſarum ſufficienter conuinci charitatem viæ poſſe in infinitum augeri. Non ex prima, quia ſimiliter calor & quæcunque alia creatura eſt participatio quædam diuini eſſe infiniti, & tamen ex hoc non ſequitur, quòd vel calor, vel quæuis alia creatura poſſit in infinitum augeri: ſed tantum quòd ſecundum aliquem gradum determinatum ipſum eſſe participāt. Neq; ex ſecundo: quia pari ratione probaretur omnes creaturas immediatè à Deo productas poſſe creſcere in infinitū. Neq; etiam ex tertio, quia capacitas ſubiecti ad recipiendum augmentum charitatis eſt naturalis (eſt enim ipſa voluntas nuda) & hęc certum eſt, quod non poteſt augeri magis, quàm ipſa anima ad quam naturaliter conſequitur, ergo ex nulla parte relinquitur infinita, quantum ad augmentum. Hoc tamen non obſtante dico, ꝙ ratio D. Tho. eſt efficaciſſima. Nam quanuis ex nulla illarum ratione per ſe ſumpta ſufficienter concludatur intentum, bene tamen ex omnibus ſimul ſumptis: cum certum ſit, quod nulla forma habeat terminum augmenti, quin proueniat ab aliquo ex illis tribus principijs. Et ad primam inſtantiam Scoti reſpondetur eſſe longe diuerſam rationem de calore & alijs creaturis ex vna parte, & de charitate ex alia. Nam charitas cum formaliter ſit in Deo, & ſic ſecundum ſe ſit formaliter infinita, & ſimiliter ſit formaliter in nobis, tanquam quædam participatio illius infinitæ charitatis, non habet in ſua ratione formali, & ſpecifica aliquid, cuius ratione repugnet illi in infinitum augeri. At verò calor, & reliquæ formæ accidentales non inueniuntur, formaliter in Deo, ſed tantum eminenter, & ſic nihil illorum formaliter eſt infinitum, quin potiùs omnia in ſua intrinſeca ratione formali includunt aliquid, ratione cuius repugnat illis in infinitum augeri. Et eſt aduertendum, quod quando D. Tho. dicit, *Nota.* charitatem ſecundum propriam rationem non habere terminum augmenti, non intendit, quod charitati, ſecundum propriam rationem repugnet habere terminum augmenti, ſed quod propria eius ratio non requirit, quod habeat terminum augmenti, ſicut ratio caloris illud requirit. Aliud eſt enim dicere, quòd animal ſecundum ſuam rationem non eſt rationale, & aliud, quòd ſecundum propriam rationem eſt irrationale: nam primum eſt verum, & ſecundum falſum. Et ſimiliter in propoſito eſt verum quòd charitati ſecundum ſuam rationem non neceſſario præfigitur terminus augmenti, eſt tamen falſum, quòd repugnat illi terminum habere. Ad ſecundam inſtantiam Scoti reſpondetur, quòd Diuus Thomas ſolùm voluit oſtendere, quod ex parte agentis non imponitur terminus augmenti charitatis. Quod item verum eſt de quibuſcunque alijs effectibus immediatè à Deo productis, ſed limitabuntur aliunde. Et propterea dixi, quòd ex nulla illarum rationum per ſe ſumpta conuincetur intentum, ſed ex omnibus ſimul ſumptis. Ad tertiam inſtantiam Scoti reſpondetur, quòd capacitas ſubiecti requiſita ad augmentum charitatis eſt duplex, vna remota, altera propinqua. Remota eſt voluntas, & hæc eſt inuariabilis. Proxima, eſt diſpoſitio, qua voluntas ſupernaturaliter diſponitur ad charitatem, & ad eius augmentum ſuſcipiendum: & de hac dicit Diuus Thomas quod augetur creſcente charitate. Quo enim quis plus charitatis habet, eo propinquior eſt & magis diſpoſitus ad maiorem charitatem recipiendam, &

ſic conſtat quod ratio D. Thom. efficaciſſima manet ad probandum, quòd charitas ex ſua propria ratione habet poſſe in infinitum augeri.

Ad.1.argu. ¶ Ad primum argumentum in contrarium factũ reſpondetur, quidquid ſit de antecedenti negando conſequentiam. Nam certum eſt, quòd ignis habet determinatum terminum, quo ad paruitatem, ità vt minor dari non poſsit, & tamen ſecundum ſententiam Ariſtot. 2. de anima. textu. 41. idem ignis non habet determinatum terminum magnitudinis: quin potiùs de illo dicit quòd in infinitum creſcet, ſi in infinitum applicentur ei combuſtibilia. Et quod adducitur in argumento ex Ariſtot. 1. de Anima, eſt intelligendum de viuentibus, in quibus ſicut datur determinatio, quo ad magnitudinẽ, ità quoad paruitatem. Ratio autem, propter quam viuens dum nutritur non poteſt in infinitum creſcere eſt, quia augetur & nutritur ab intrinſeco, per propriam formam, cuius virtus cum ſit finita non poteſt in infinitum operari. At verò ignis, & reliqua non viuentia augentur ab extrinſeco ex applicatione materiæ, quæ ſi in infinitum adiungatur, nihil obſtat quo minus in infinitum fiat augmentum. ¶ Ad ſecundum reſpondetur, quòd quanuis charitas ſit quædam forma creata, atque ex conſequenti ſecundum ſuam entitatem finita, adhuc tamen cum hoc ſtat, quòd poſsit augeri in infinitum: ſicut ignis, qui finitus & creatus eſt in infinitum augeri, poteſt ſecundum propriam rationem.

Ad.2.arg.

Ad cõfirmationem. ¶ Ad confirmationem reſpondetur, quidquid ſit de antecedenti, negando conſequentiam. Nam, vt ſtatim dicebam reſpondens ad primam inſtantiam Scoti contra rationem Diui Thom. alia ratio eſt de charitate, & alia de formis naturalibus.

Ad.3.argu. ¶ Ad tertium reſpondetur, quòd quanuis quæcunque potentia naturalis ex ſe ſit finita, adiuta tamen auxilio diuino poteſt eleuari ad hoc, vt producat infinitas operationes ſyncategorematicè alias perfectiores alijs.

Ad.4.argu. ¶ Ad quartum argumentum cum ſua confirmatione, quod non magis procedit de charitate, quam de alijs rebus quæ ità à Deo producuntur, vt tamen poſsit producere alias & alias perfectiores, vt reſpondeamus eſt aduertendum, quòd ex infinito ſecundum potentiam, quale eſt diuiſio cõtinui in infinitas partes, poſſumus deuenire in cognitionẽ infiniti in actu. Infinitũ autem ſecundũ diuiſionẽ ſic ſe habet, quod non poteſt diuidi in tot partes, quin in plures ſit diuiſibile. Ex quo ſit, vt nõ detur minima, nec vltima pars cõtinui, ſed quacunq; data poteſt dari minor: & ſimiliter nec datur maxima pars, ſed quacunque data poteſt dari maior. Et cũ Deus cognoſcat res eo modo, quo ſunt, aut poſſunt eſſe, rurſus ſit, ꝙ licet Deus cognoſcat omnes partes continui, non tamen cognoſcit vltimam, nec minimam nec maximam, quia iſtæ nec ſunt nec poſſunt dari. Hoc ſuppoſito, ad quartum argumentum reſpondetur negando ſequelam. Et ad probationem dico, quòd quemadmodum quacunque parte continui ſignata poteſt Deus ſignare aliam minorem, & tamen ex hoc non ſequitur, quòd poſsit ſignare minimam: ità etiam, quacunque charitate data, poteſt Deus dare maiorem, & tamen ex hoc non ſequitur, quod poſſit producere maximam, quia hoc implicat contradictionem. Ad confirmationem reſpondetur concedendo, Deum cognoſcere omnes gradus charitatis à ſe producibiles, & quòd illi ſunt infiniti. Et quando infertur, ergo poterit producere infinitum, nego conſequentiam. Nam cum nullus gradus charitatis poſsit eſſe infinitus, niſi vltimus, & vltimus nec ſit nec poſſit eſſe, cum ſint infiniti, manifeſtè ſequitur, quòd nec Deus cognoſcet illum nec produci poteſt, ſicut nec cognoſcit vltimã partem continui.

Ad cõfirma tionem.

¶ In ſolutione ad tertium argumentum dicit Diuus Thom. quòd quanuis charitas viæ in infinitum creſcat, nunquam perueniet ad quantitatem charitatis patriæ, quoniam huiuſmodi quantitates ſunt diuerſarum rationum: ſicut linea quantumcunq; creſcat non attinget quantitatem ſuperficiei. Circa quod eſt difficultas, vtrum hoc ſit verum. Et pro parte negatiua argumentor primo. In alijs formis, & qualitatibus tantum eſt vna quantitas perfectionis intenſiuæ, quæ attẽditur penes maiorem radicationem in ſubiecto, vt eſt videre in albedine, & dulcedine. &c. ergo fictitium eſt dicere, quòd in charitate eſt duplex quantitas perfectionis diuerſarum rationum. ¶ Secundo, Ex eo quòd charitas viæ, ſequatur cognitionem fidei, & charitas patriæ ſequatur viſionem, non ſequitur huiuſmodi quantitates eſſe diuerſarum, rationum

Dubium circa ſolutionẽ ad. 3. argu. D. Tho.

1. Argum.

2. Argum.

rationum, ſed quòd charitas patriæ eſt perſectior charitate viæ: ſicut neque ex notitia perfecta & imperfecta amici ſequitur diuerſitas amicitiæ, aut quantitatis ſpecificæ illius: ergo falſò dicit D. Thom. quòd quantitates charitatis viæ, & charitatis patriæ ſunt diuerſarum rationum, quia vna ſequitur cognitionem fidei, altera viſionē claram.

3. Argum. ¶ Tertio, Vel quantitas perfectionis charitatis viæ manet cum quantitate perſectionis charitatis patriæ, vel non: ſi manet: ergo charitas patriæ habet duas quãtitates perfectionis ratione ſeu ſpecie diſtinctas, quod intelligi non poteſt: ſi non manet: ergo quantitas perfectionis viæ corrumpitur adueniente altera: quod eſt abſurdum, cum non ſit aliquod agens à quo corrumpatur.

1. Notabile. ¶ Pro intelligentia huius difficultatis eſt aduertendum primo, quòd formæ ſunt in duplici differentia. Quædam enim ſunt naturales, vt albedo, quæ tales dicuntur, quia procedunt ex principijs naturæ. Aliæ ſunt animales, vt viſio, auditio, intelligere, velle. &c. quæ tales dicuntur, quia procedunt à potentia animali. Habitus etiam, qui ſunt principia iſtarum actionum ſimiliter dicuntur formæ animales.

2. Notabile. ¶ Secundo eſt aduertendum, eſſe latiſſimum diſcrimen inter iſtas formas naturales, & animales. Nam formæ naturales, quæ dependent ex principijs verè naturalibus, ſolum habent vnicam perfectionem intenſiuam, quæ attenditur penes maiorem radicationem in ſubiecto. At vero formæ animales habent duplicem quantitatem perfectionis intenſiuæ, vnam ex parte obiecti, alteram ex parte ſubiecti. Vt eſt videre in viſione, quæ poteſt intendi ex parte obiecti inquantum ſit mihi propinquius: ex maiori enim vel minori propinquitate ad obiectum reſultat, quod ipſum magis videatur: & etiam ex parte ſubiecti, inquantum videns per maiorem conatum & attentionem potentiæ fertur in obiectum. Et quod iſtæ quantitates perfectionis ſint diuerſæ rationis patet: nam ſtat vnam augeri abſq; eo, quòd augeatur altera. Vt, verbigratia, augetur viſio ex parte obiecti per hoc, quod ipſum fiat propinquius, etiam ſi potentia aduertat, & conetur eodem modo, & ſimiliter obiecto eodem modo ſe habente poteſt augeri viſio ex maiori attentione potentiæ. Ex his ergo ad diuina aſcendentes dicimus, quòd charitas habet duplicem quantitatem perfectionis intenſiuæ, vnam ex parte obiecti, quæ attenditur penes maiorem propinquitatem ad obiectum charitatis, hoc eſt, penes maiorem participationem charitatis infinitæ, quæ eſt Deus: alteram ex parte ſubiecti, quæ attenditur, penes maiorem conatum & attentionem potentiæ ad obiectum charitatis.

¶ His ſuppoſitis ſit prima concluſio. Loquendo de perſectione charitatis ex parte ſubiecti, nulla charitas viatoris poteſt peruenire ad quantitatem perfectionis charitatis comprehenſoris. Itaque dico, quod ſi attendamus perfectionem intenſiuam charitatis prouenientem ex attentione potentię, nũquam charitas viæ poterit habere æqualitatem cum charitate patriæ. Hanc concluſionem ponit D. Thom. 3. part. quæſtione. 34. artic. 4. vbi dicit, quod, quia charitas viæ deficit à charitate patriæ, ideò viator habet minorem menſuram, quàm beatus. Et idem dicit. 1. part. quæſt. 117. artic. 2. ad. 3. & 1. 2. quæſt. 67. artic. 8. & in 3. diſt. 13. quæſt. 1. art. 2. quæſtiuncula. 2. & in. 3. diſt. 31. quæſt. 2. art. 2. quæſtiuncula. 3. Et probatur. Anima noſtra, dum eſt coniũcta corpori corruptibili, trahitur ab ipſo corpore ad hoc, ne tanto conatu feratur in Deum per charitatem, ſicut fertur anima beati, corpus enim, quod corrumpitur aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem: ex quo ſit, vt anima, quæ in corpore corruptibili videt Deum per ſpeculum, & in ænigmate, nunquam poſſit totaliter ferri in ipſum: bene tamen anima beati, quæ corpore, & curis exuta videt clare Deum per ſuam eſſentiam: ergo ex parte ſubiecti nunquam charitas viæ poteſt peruenire ad charitatem patriæ. *1. Concluſio.*

¶ Secunda concluſio. Loquendo de perſectione charitatis ex parte obiecti, quæ attenditur penes maiorem propinquitatem ad obiectum, charitas viæ, poteſt adæquare charitatem comprehenſoris, & illam ſuperare. Itaque homo viator poteſt tantum creſcere in charitate per opera meritoria, vt adæquet charitatem Angelorum, ſicut de beatiſsima Virgine pie credit Eccleſia, quòd eius charitas ſuperabat, adhuc in hoc ſeculo exiſtens, charitatem Angelorum & Archangelorum. Hãc ſententiam tenet Conradus ſuper. 1. 2. quæſtione. 67. articulo vltimo. & Alfonſ. Tolet. *2. Concluſio.*

let.in.1.diſtinct.1.quæſt.1.artic.1.concl.4. & Caietanus in præſenti. Et probatur. Charitas huius viæ eſt eiuſdem ſpeciei cum charitate patriæ, & quantitas perfectionis ex parte obiecti eſt eiuſdem rationis in omnibus, ſicut longitudo lineæ eſt eiuſdem rationis cum longitudine ſuperficiei: ergo poterit charitas viæ ex parte obiecti adæquare charitatem patriæ.

Ad.1.argu. ¶ Ad primum argumentum reſpondetur, conceſſo antecedenti, negando conſequentiam: nam non eſt eadem ratio de formis naturalibus & animalibus, vt diximus. *Ad.2.arg.* ¶ Ad ſecundum reſpondetur, negando antecedens. Et ad probationem de notitia perfecta & imperfecta amici, dico verum eſſe, quod quando notitia perfecta & imperfecta ſunt eiuſdem ſpeciei, tūc quantitates amicitiæ, quæ ex illis conſequuntur, etiam ſunt eiuſdem rationis. At verò quando notitiæ differunt ſpecie quantitates amicitiæ ſimiliter erunt diſtinctæ ſpecie. Et quia notitia fidei, & viſio beatifica differunt ſpecie, idcircò quantitas charitatis patriæ, & quantitas charitatis viæ, quæ ad illas conſequuntur, ſunt diuerſarum rationum. *Ad.3.argu.* ¶ Ad tertium reſpondetur, quòd illa quantitas charitatis, quæ erat in via manet in patria, augmentata tamen vſque ad terminum, qui quantitati charitatis viæ debet correſpondere: ſicut quantitas paruuli defuncti in ætate puerili manet in reſurrectione, aucta tamen vſque ad illum terminum, quem etat habitura, ſi perueniſſet ad virilem ætatem. Nec eſt inconueniens quòd charitas patriæ ſit quāta duabus quantitatibus diuerſarum rationum: ſicut nec eſt inconueniens, quod ſuperficies quanta ſit ſecundum longitudinem, & ſecundum latitudinem, quæ ſunt diſtinctæ ſpecies. Nam non eſt intelligendum, quòd illæ duæ quantitates charitatis patriæ ſint inter ſe realiter diſtinctæ, ſed quòd ſunt idem realiter charitati: & ex conſequenti inter ſe ſe. Sicut enim in viſione albedinis illa intenſio, quæ prouenit ex maiori propinquitate ad obiectū, & illa, quæ prouenit ex maiori attentione qua viſus fertur in obiectum, non diſtinguuntur realiter à viſione, atque adeò nec inter ſe ſe, ità etiam nec quantitas perfectionis, quæ in charitate ſumitur ex obiecto, & illa, quæ ſumitur ex parte ſubiecti diſtinguuntur realiter ab ipſa charitate, atq; adeo nec inter ſeſe.

¶ Sed contra ſecundam concluſionem à nobis poſitam eſt argumentum. Nam ſi ea eſſet vera, ſequeretur poſſe charitatem alicuius viatoris adæquare imo excedere ſecundum quantitatem ſe tenentem ex parte obiecti charitatem Chriſti, conſequens autem eſt abſurdum, ergo & illud ex quo ſequitur. *Argu. contra.2.concl. poſitam a nobis.*

¶ Propter hoc argumentum Caietanus diſcedit à doctrina à nobis tradita in reſolutione dubij præcedentis, cum tamen ipſe illam poſuerit: nec ad id compellat argumentum. Nam poſſumus facilè reſpondere, dicentes, quòd ſi loquamur de potentia abſoluta Dei, non inconuenit quòd charitas alicuius viatoris poſsit excedere charitatem animæ Chriſti ex parte obiecti, cum ſit finita. Tamen, ſi loquamur de lege ordinaria, nego ſequelam, quia vnicuique dat Deus gratiam proportionatam illi dignitati & gloriæ, ad quam eſt præordinatus. Et quia Chriſtus, inquantum homo fuit præordinatus ad maiorē gloriam, quam omnes creaturæ, idcircò dedit illi Deus tantam gratiam & charitatem, vt ſecundum legem ordinariam nullus ad illam poſsit peruenire. Ità docet Diuus Thomas, ad Epheſ. 1. lectura. 3. & ad Roma. 8. lectura. 5. *Sententia Caietani.*

¶ Cæterum, vt intelligatur modus, quo Caietanus ſatisfacit huic argumento, & etiam illi difficultati, quæ à nobis paulò ante eſt explicata (eſt enim eius ſatisfactio ingenioſa & maximè ad veritatem accedens) eſt aduertendum, quod ſtatus charitatis eſt duplex, vnus naturalis, qui eſt in patria, alter extranaturalis, qui eſt in via. Ratio autem, propter quam Caietanus appellat ſtatum, quē charitas habet in patria, naturalem, eſt, quia de ratione charitatis, eſt, eſſe amicitiam inter Deum & homines, & proprium amicitiæ eſt conuiuere, & delectari quæ propriè inueniuntur in cœlo. Ratio autem, propter quam appellat ſtatum, quem charitas habet in via, extranaturalem, eſt, quia non potitur illis delectationibus, & coniunctione ad Deum, quæ inueniuntur in patria. Vnde Paulus 1. ad Corinth. 12. charitatem pro illo ſtatu viam appellat dicens, Adhuc excellentiorem viam vobis demonſtro. Et ſecundæ ad Corinth. 5. peregrinationem. Quandiu in corpore ſumus peregrinamur a Deo. Et ad Epheſ. 1. Non habemus hic ciuitatem permanentē. &c. Certū eſt aut, quod peregrini aliquid *1. Notabile.*

aliquid habent præternaturalitatis.

2. *Notabile.* ¶ Secundo eſt aduertendum, quòd cum iſti duo ſtatus charitatis habeant diuerſas rationes, conſequens eſt, vt iuxta illos, duplex charitati quantitas correſpondeat, etiam ratione diuerſa. Ad cognoſcendum autem, in quo conſiſtat huiuſmodi diuerſitas rationis inuenta in quantitate charitatis viæ, & patriæ opus eſt, vt ad ſacras literas recurramus, in quibus quicquid de charitate viæ, & eius quantitate cognoſcimus habetur expreſſum. Certum eſt autem, quod in ſacra ſcriptura charitas viæ comparatur pueritiæ, & charitas gloriæ comparatur ſtatui virili, iuxta illud primæ ad Corinth. 13. Cum eſſem paruulus loquebar, vt paruulus, ſapiebam, vt paruulus, cogitabam, vt paruulus: cum autem factus ſum vir euacuaui, quæ ſunt paruuli. Super quem locum D. Thom. lect. 3. dicit, Apoſtolum comparare hunc ſtatum, propter eius imperfectionem, pueritiæ, & futuram gloriam propter perfectionem, ætati virili. & idem dicit Euthimius ibidem. Item prætereà comparat ſcriptura ſtatum viæ luci auroræ, ſtatum verò gloriæ luci meridianæ, dicẽs Prouerb. 4. Semita iuſtorum, quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit vſque ad perfectum diem. Super quem locum Diuus Hieronymus dicit, quòd opera iuſtorum peraguntur luce ſcientiæ, & perducunt ad æternam vitam, quæ eſt dies perfecta. Et idem dicit Gloſſa ibidem. Et D. Greg. homil. 5. ſuper Ezech. & refertur de pœnitentia diſt. 2. capite. non reuertebantur.

1. *Corollariũ Caietani.* ¶ His ſuppoſitis infert quatuor Caietanus. Primum eſt, quòd ratio quantitatis charitatis viæ eſt diuerſa à ratione quantitatis charitatis patriæ, manente eadem natura, & eſſentia charitatis, ſicut & perfectio pueri eſt diſtincta à perfectione viri, manente eadem natura in puero, & in viro: & ſicut perfectio lucis auroræ eſt diſtincta à perfectione lucis meridianæ, manente eadem natura lucis in vtriſque.

2. *Corollariũ.* ¶ Secundo infert, quod charitas viæ manet in patria remota tamen illa imperfectione, quam habet in via, ſicut & natura pueri & lucis auroræ manet in virilitate & in luce meridiana ſublatis tamen imperfectionibus vtriuſque. Et propterea dicebat Paulus. 1. ad Corint. 13. Cum venerit quod perfectum eſt, euacuabitur: quod ex parte eſt, hoc eſt, imperfectum.

3. *Corollariũ* ¶ Tertio infert Caietanus, quòd charitas viæ dum in via eſt, habet ſemper quo creſcat, nec finitur aliquo termino, ſicut & pueritia, & lux matutina, quandiu durant ſemper creſcere poſſunt. Et propterea dixit Diuus Thom. in ſolutione ad primũ, quòd charitas habet terminum, non in via, ſed in patria: ſicut & ſtatus virilis habet terminum non in pueritia, ſed in ætate virili, & lux auroræ habet terminum non in aurora, ſed cum peruentum fuerit ad lucem meridianam. Et eſt aduertendum, quod quemadmodum ſtatus puerilis, & lux auroræ non poſſunt augeri in infinitum ſimpliciter, ſed ſolum ſecũdum quid, hoc eſt, intra latitudinem pueritiæ & lucis auroræ: ita etiam charitas viæ non poteſt augeri in infinitum ſimpliciter, ſed ſecundum quid, hoc eſt intra latitudinem, & terminos charitatis viæ.

4. *Corollariũ* ¶ Quartò infert Caietanus, quòd charitas viæ quantumcunque augeatur, nunquam poterit adæquare charitatem patriæ, ſicut ſtatus puerilis & lux matutina quantumcunque augeantur, ipſis manentibus, nunquam poſſunt pertingere ad perfectionem viri, & lucis meridianæ. Et ſic patet, quod non ſolum abſolutè, & ſimpliciter, ſed nec etiam ſecundum aliquam quantitatem perfectionis, charitas viæ poterit adæquare charitatem patriæ, ſed charitas cuiuſcunque comprehenſoris, etiam minimi eſt maior, quam charitas cuiuſcunque viatoris. Et hoc modo explicat dictum Diui Thom. in ſolutione ad ſecundum, quo dicit, quòd quanuis charitas viæ in infinitum creſcat, nunquam tamen perueniet ad quantitatem charitatis patriæ: quoniam huiuſmodi quantitates ſunt diuerſarum rationum. Eſtque hæc expoſitio Caietani valde conſona Diuo Hieronymo. Qui ſuper illud Matthæi. capit. 11. Qui minor eſt in regno cœlorum maior eſt illo, dicit: Omnis ſanctus, qui iam eſt cum Deo maior eſt quolibet iuſto qui adhuc eſt in prælio. Et idem dicit gloſſa ſuper eundem locum.

Nota. ¶ Sed eſt aduertendum, quòd quando dicimus ſecundum iſtam expoſitionem Caietani, quòd quilibet comprehenſor habet maiorem charitatem, quam quilibet viator, eſt intelligẽdum ſecundum actum: nam ſecundum virtutem benè poſſunt aliqui viatores eſſe perfectiores, quam aliqui ſancti inquantum habent charitatem,

qua

qua merentur vt ſibi poſt hanc vitam conferat maior gloria, quam multis beatis, vt docet Diuus Thom. 1. part. quæſt. 117. artic. 2. ad. 3. Idque explicat optimo exemplo de ſemine platani, quod virtute eſt maius, quam parua aliqua arbor, & tamē actu eſt longe minus. Idem dicit de veritate. q. 9. artic. 1. ad. 14. Et ponit exemplum de pullo equi, qui virtute eſt maior aſino actu maiori. Et ſecundum iſtam expoſitionem Caietani, facilè etiam poſſumus reſpōdere ad argumenta facta in principio dubitationis.

Ad. 1. argu. ¶ Ad primū reſpōdetur cōceſſo antecedenti, negando conſequentiam. Nam cùm charitas ſecundum ſuam naturam ſit qualitas cœleſtis, & ſecundum inchoationem ſit in via, non eſt mirum, quòd habeat duas quātitates intenſiuas diuerſarum rationum: ſicut homo habet pueritiam, & virilitatem.

Ad. 2. arg. ¶ Ad ſecundum reſpondetur, quod etiam notitia amici perfecta, & imperfecta diuerſarum rationum variat ſecundum ſpeciem quantitatem amicitiæ, vt diximus.

Ad. 3. argu. ¶ Ad tertium reſpondetur, quòd quantitas charitatis, quæ erat in via manet in patria ſublata tamen imperfectione, ſicut & in viro remanet perfectio pueritiæ euacuatis illis, quæ erant paruuli, vt dicit Diuus Paulus. Nec hoc eſt remanere duas quantitates perfectionis, ſed vnam tantum conſummatè retinentem alteram, ſecundum id, quod perfectionis habebat. Nec etiam oportet quærere cauſas, & modum corruptionis prioris imperfectionis cum ſcriptum ſit, Cum venerit quod perfectum eſt euacuabitur quod ex parte eſt. Placuit mihi ita latè modum dicēdi Caietani explicare: tum, vt eius commentum, quod ſubobſcurum eſt ſupra iſtū articulum, intelligatur: tum etiam, vt ſententiam, quam quiſquis maluerit ſequi poſsit. Sunt enim ambæ probabiliſsimæ, & ſufficientes ad explicandum qualiter charitas viæ, quamuis in infinitum augeatur nunquam poterit peruenire ad charitatem patriæ: ſiue quia nunquam habebit eam quantitatem perfectionis ex parte ſubiecti, quam habet charitas patriæ, vt diximus in prima concluſione, ſiue, quia eſt impoſsibile, quod perfectio viæ, quæ pueritiæ comparatur ipſa manente perueniat ad perfectionem patriæ, quæ comparatur virilitati, vt dicit Caietanus.

Dubium. ¶ Vltimum dubium ex Caietano circa iſtum articulum eſt, qualiter hæc tria, quæ hucuſque diximus eſſe vera, ſimul cohæreant inter ſe ſe, ſcilicet, Charitas viæ poteſt in infinitū augeri, & ad illius augmentū augetur proportionaliter charitas patriæ, & tū charitas patriæ nequit in infinitum augeri. Conſtat enim, ꝙ quantò maior eſt charitas viæ tāto maior ꝓportionaliter erit charitas patriæ, & ꝙ quanto aliquis exceſsit alium ſecundum charitatem viæ, tanto excedit illum proportionaliter in charitate patriæ: ergo ſi charitas viæ poteſt in infinitū augeri, ſimiliter etiam poterit charitas patriæ.

1. Notabile Caietani. Pro explicatione huius difficultatis aduertit primo Caietanus, quòd de ratione infiniti non debemus loqui ſicut de ſubſtantia, ſed ſicut de accidente, vult dicere, quòd ratio infiniti non eſt per ſe, & abſolute conſideranda, ſed ſecundum conditionem ſubiecti, cui additur. Vnde ſi dicamus, corpus infinitum, denotatur, quòd habet trinam dimenſionem infinitam. Et ſi dicimus ſuperficiem infinitam, denotatur, quòd infinitas conuenit illi ſecundum longitudinem, & latitudinem, & ſi lineā infinitam, ſecundum ſolam longitudinem.

2. Notabile. ¶ Secundò eſt aduertendum, dupliciter poſſe intelligi, quòd aliqua linea augetur in infinitum. Vno modo ſimpliciter, & abſolute: & tunc neceſſe eſt, quòd illud augmentum ità tendat ad infinitum ſimpliciter, vt quacunque linea finita, data poſsit aſsignari maior. Alio modo intra certam latitudinem: vt ſi linea aliqua diuidatur in infinitum per partes proportionales, & quantum tollitur ne illa linea addatur alteri: tunc enim, ſicut diuiſio vnius lineæ procedit in infinitum, ità etiam augmentum alterius: nunquam tamen excedet, nec perueniet ad quantitatem æqualem illis duabus lineis. Et de ratione lineæ, quæ ſic augetur in infinitum non eſt, vt quacunque linea data, quantumuis magna, poſsit dari alia maior: ſed quòd linea, quæ ſic augetur nunquam ſit tanta, quin poſsit eſſe maior: ſicut linea, quæ diuiditur nunquam poteſt eſſe adeò parua, quin poſsit eſſe minor. Hoc poſito vocetur linea, quæ augetur in infinitum abſolutè. A. & quæ infra certam latitudinem, vocetur. B. Si ſit alia linea. C. quæ augeatur proportionaliter ad augmētum lineæ. A. illa etiam tendet ad infinitum ſimpliciter. Tamen ſi detur linea. D. quæ augeatur proportionabiliter ad augmentum lineæ. B. in proportione decupla ſicut linea. B. non tendebat ad infinitum ſimpliciter, nec erat neceſſe, vt quacunque linea

linea quantumuis magna data poſsit dari alia maior: ità nec linea. D. procedit in infinitum ſimpliciter, ſed ad determinatam quantitatem excedētem tamen in proportione decupla lineam. B.

3. Notabile. ¶ Tertiò eſt aduertendum, quòd charitas nō augetur in infinitum ſimpliciter: ità vt quacunq; magna charitate aſsignata poſsit dari alia maior: ſed augetur in infinitum intra latitudinem viæ, ita vt quacunque charitate aſsignata in aliquo viatore adhuc illa poterit eſſe maior. Nec poterit vnquam viator ad tantam charitatem peruenire in via, vt non poſsit habere maiorem, vt ſupra diximus eſſe diffinitum in concilio Vienenſi. Ex quo infertur, quòd quāuis charitas patriæ augeatur proportionaliter ad augmentum charitatis viæ, nūnquā tamen poterit augeri in infinitum ſimpliciter, ſed ſolum vſque ad aliquam quantitatem excedentem in aliqua proportione, verbi gratia, decupla, quantitatem charitatis viæ. Vnde ſi quis per diſcurſum huius viæ peruenit ad charitatem, verbi gratia, vt decem, illi correſpondebit in pātria decuplo maior charitas, puta vt centum. Et ſicut augmentum charitatis viæ non procedebat in infinitū ſimpliciter, ità nec incrementum charitatis in patria. Et per hoc patet ſolutio ad difficultatem propoſitam, in qua tantum loquimur de lege ordinaria: nam de potentia abſoluta Dei, ſicut charitas viæ poteſt augeri in infinitum ſimpliciter, ità etiam charitas patriæ.

Collectio eorū quæ ſunt certa in hoc articulo. ¶ Ex his omnibus, quæ diximus in hoc articulo, & à me poſita ſunt, potius, vt ſatiſfaciam Caietano quàm vt ſatisfaciam neceſsitati, habent enim in ſe plus difficultatis, quàm vtilitatis, hæc erunt tanquam certa habenda. Primum, quòd charitas viæ ità poteſt in infinitum augeri intra terminos viæ, vt nullus ſit viator, qui non poſsit in charitate proficere. Secundum quòd aliqui viatores habent in virtute maiorem, & perfectiorem charitatem, quàm multi beati, vt eſt videre in beatiſsima virgine, atque Apoſtolis, qui habuerunt tātā virtutis charitatem, vt per illam meruerint maiorem beatitudinē, quam multi Angeli. Tertiū, quòd quilibet beatus actu eſt maior, quocunque viatore. Qui enim minor eſt in regno cœlorum maior eſt Ioanne Baptiſta, vt dixit Chriſtus Matthæi. 11. Quem locū licèt D. Auguſt. tract. 13. ſuper Ioann. & Chryſoſt. homil. 38. ſuper Matthæ. & alij exponant de Chriſto Domino, qui erat minor ætate, & opinione multorum, & officio, quod exhibebat: nō enim venit miniſtrari, vt ipſe Chriſtus fatetur, & alibi dicit, In medio diſcipulorum eram nō tanquam recumbens, ſed tanquam miniſtrans, hic inquam minor Ioanne maior erat illo. Nihilominus tamen D. Hieronymus & gloſſa, & reliqui doctores illum locum interpretantur de minimo beatorum, qui abſolutè dicitur maior Ioanne Baptiſta viatore. Quod etiam D. Thom. 1.p.q.117. artic.2. aperte fatetur.

Dubium. ¶ Si quis autem quærat, quid nam ſit illud, in quo iſte exceſſus conſiſtat, dico primo, *1. Dictum.* certum eſſe, quòd beati excedunt viatores in hoc, quod ſunt confirmati in gratia, & impeccabiles, tanquam illi, qui exiſtunt in termino: at vero viatores ſunt in maximo periculo. ¶ Dico ſecundò, quòd *2. Dictum.* beati excedunt alios in actu charitatis, minimus enim beatus perfectiorem actū charitatis habet, quam ſupremus viatorum. Et ratio eſt, quia actus charitatis in beatis conſequitur claram viſionem, & in viatoribus conſequitur cognitionem fidei. Vtrùm autem ſinguli beati excedant omnes viatores in habitu charitatis, varietate opinionum diſputatur à doctoribus. Poteſtque probabiliter defenſari, quòd nullus beatus habet intenſiorem habitum, quàm habuit cum diſceſsit è vita, vt affirmat Almainus in.3. diſt.31. quæſt. vnica, dub.3. Et dicit hanc eſſe ſententiam Enrici de Gandauo. Nec aliam rationem aſsignat, niſi, quia nec ex ſacris literis, nec ex Eccleſiæ diffinitione, nec ex communi ſanctorū doctrina, oppoſitum conuincitur. Eſt tamen hic modus loquendi contrarius D. Tho. qui pluribus in locis affirmat charitatē viæ nunquam poſſe pertingere ad æqualitatem charitatis patriæ: ſicut nec linea ad quantitatem ſuperficiei. Vnde dico, quod charitas cuiuſcunq; comprehenſoris excedit charitatem cuiuſcunque viatoris perfectione ſe tenente ex parte ſubiecti. *Sententia autoris.* Cum hoc tamen ſtat quòd charitas viatoris poſsit excedere charitatē comprehenſoris perfectione ſe tenente ex parte obiecti: ſicut charitas beatiſsimæ virginis Mariæ hac perfectione ſuperabat charitatem ſupremi Angelorum. Eſt hic modus dicendi conformis D. Tho. qui lineæ & ſuperficiei exemplo probat charitatem viæ nō poſſe adæquare charitatem patriæ. Et tamen certum eſt, ꝙ quamuis ſuperficies

excedat

exce la lineam in latit dine, poteſt tamen vinci à linea in longitudine.

ARTICVLVS. VIII.

¶ *Vtrum charitas in hac vita poſſit eſſe perfecta.*

Inf. q. 184. ar. 2. et 3 d. 25. q. 3. art. 4. Et d. 29. q. 1. art. 3. q. 1. & 2. Et veri. q. 10. ar. 10. et. 11. & opuſ. 18. ar. 5. 6. et. 7. AD OCTAVVM ſic proceditur. Videtur, quòd charitas in hac vita non poſsit eſſe perfecta. Maxime enim hæc perfectio in Apoſtolis fuiſſet: ſed in eis non fuit. Dicit enim Apoſtolus ad Phil. 3. Non quod iam comprehenderim, aut perfectus ſim. Ergo charitas in hac vita perfecta eſſe non poteſt.

Q. 36. circa princi. to. 4. 2 ¶ Præterea, Auguſtinus dicit in li. 83. quæſt. quod nutrimẽtum charitatis eſt diminutio cupiditatis, ſed vbi eſt perfectio charitatis, nulla eſt cupiditas. Sed hoc non poteſt eſſe in hac vita, in qua ſine peccato viuere non poſſumus: ſecundum illud primæ Ioann. 1. Si dixerimus quoniam peccatum nõ habemus, ipſi nos ſeducimus. Omne autem peccatum ex aliqua inordinata cupiditate procedit. Ergo in hac vita charitas perfecta eſſe non poteſt.

3 ¶ Præterea, Illud quod iam perfectum eſt, non poteſt vlterius creſcere. Sed charitas in hac vita ſemper poteſt Arti. præce. augeri, vt dictum eſt. ergo charitas in hac vita non poteſt eſſe perfecta.

Tractat. 5. in Cano. to. declinando ad finem tract. tom. 9. ¶ SED CONTRA eſt, quod Aug. dicit ſuper primam Can. Ioan. Charitas cum fuerit roborata perficitur. Cum autem ad perfectionem venerit, dicit: Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto. Sed hoc eſt poſſibile in hac vita, ſicut in Paulo fuit. Ergo charitas in hac vita poteſt eſſe perfecta.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd perfectio charitatis poteſt intelligi dupliciter. Vno modo ex parte diligibilis, alio modo ex parte diligentis. Ex parte quidem diligibilis perfecta eſt charitas, vt diligatur aliquid, quantũ diligibile eſt. Deus autẽ tantũ diligibilis eſt, quantum bonus eſt. Bonitas autem eius eſt infinita: vnde infinitè diligibilis eſt. Nulla autem creatura poteſt eum diligere infinite: cum quælibet virtus creata ſit finita. Vnde per hunc modũ nullius creaturæ charitas poteſt eſſe perfecta, ſed ſolũ charitas Dei, qua ſeipſum diligit. Ex parte vero diligentis, tunc eſt charitas perfecta, quando diligit tantum quantum poteſt. Quod quidem cõtingit triplici ter. Vno modo ſic, quòd totũ cor hominis actualiter ſemper feratur in Deum. Et hæc eſt perfectio charitatis patriæ, quæ non eſt poſsibilis in hac vita, in qua impoſsibile eſt propter humanæ vitæ infirmitatem, ſemper actu cogitare de Deo, & moueri dilectione ad ipſum. Alio modo, vt homo ſtudium ſuum deputet ad vacandum Deo, & rebus diuinis: prætermiſsis alijs, niſi quantum neceſsitas præſentis vitæ requirit. Et iſta eſt perfectio charitatis, quæ eſt poſsibilis in via, non tamen eſt cõmunis omnibus habentibus charitatem. Tertio modo ita, quod habitualiter aliquis totum cor ſuum ponat in Deo: ita, ſcilicet, quod nihil cogitet vel velit, quod diuinæ dilectioni ſit contrarium. Et hæc perfectio eſt communis omnibus charitatem habentibus.

¶ AD PRIMVM ergo dicẽdum, quòd Apoſtolus negat de ſe perfectionem patriæ. Vnde gloſ. ibidem dicit, quod perfectus erat viator, ſed non ipſius itineris perfectione perueniebat. [gloſ. ibidem ex Aug.]

¶ Ad ſecundum dicẽdum, quòd hoc dicitur propter peccata venialia, quæ non contrariantur habitui charitatis, ſed actui, & ita non repugnant perfectioni viæ, ſed perfectioni patriæ.

¶ Ad tertium dicendum, quòd perfectio viæ non eſt perfectio ſimpliciter. & ideo ſemper habet quo creſcat.

SVM-

SVMMA TEXTVS.

SVpposito quod perfectio charitatis poteſt intelligi dupliciter: vno modo ex parte diligibilis, & ſic dicitur perfecta illa charitas, qua diligitur aliquid quantum eſt diligibile, alio modo ex parte diligentis, & ſic dicitur perfecta illa charitas, qua quis diligit quantum poteſt, quod adhuc contingit tripliciter, ponit D. Tho. quatuor concluſiones. ¶ Prima concluſio. Nullius creaturæ charitas poteſt eſſe perfecta perfectione ſe tenente ex parte diligibilis. Probatur. Deus tantum eſt diligibilis quantum eſt bonus, ſed eſt infinite bonus, ergo eſt infinitè diligibilis: ſed nulla creatura poteſt diligere infinite, ergo nulla creatura poteſt diligere Deum quantum eſt diligibilis. ¶ Secunda concluſio. Charitas viæ non poteſt eſſe ita perfecta, vt homo per illam ſemper actu feratur in Deum. Probatur. Impoſſibile eſt, quod homo propter humanæ vitæ infirmitatem ſemper actu cogitet de Deo, & actu dilectionis feratur in Deum: ergo impoſsibile eſt, quod charitas viæ ſit ità perfecta, vt homo per illam ſemper actu diligat Deum. ¶ Tertia concluſio. Charitas viæ in aliquibus hominibus poteſt eſſe ità perfecta, vt per illam deputent omnes ſuas cogitationes ad vacandum Deo, & rebus diuinis, omnibus alijs prętermiſsis quãtum naturæ neceſsitas patitur. ¶ Quarta cõcluſio. Charitas viæ in omnibus hominibus iuſtis eſt ità perfecta, vt nihil in ſe admittat, quod ſit contrarium diuinæ charitati & amicitię. Has duas vltimas concluſiones non probat D. Tho. ſed illas, vt notas relinquit.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Nota. 1. Circa primam concluſionem eſt aduertendum, quod illa videtur repugnare ijs, quæ diximus articulo præcedenti. Nam poſuimus duplicem perfectionem charitatis, vnam, quæ ſe tenet ex parte ſubiecti, & alteram quæ ſe tenet ex parte obiecti. Et in præſenti dicimus, quod charitas nulla ratione poteſt eſſe perfecta ex parte obiecti, nõ tamen repugnat, nam perfectio ex parte obiecti eo in loco fuit appellata illa, quę attenditur penes maiorem participationem obiecti charitatis. At verò hic perfectio charitatis ex parte obiecti dicitur illa, qua obiectum charitatis diligitur quantum eſt diligibile, quæ cuilibet charitati creaturę repugnat, & ſolum conuenit charitati, qua Deus diligit ſeipſum.

¶ Præterea eſt aduertendũ, quod illa triplex perfectio ſe tenens ex parte diligentis, deſumpta eſt ex ſacris literis. Nam de prima dicit Paulus ad Philip. 3. Nõ quòd iam acceperim, aut perfectus ſim. Quę verba de perfectione patriæ intelligit D. Tho. hic ad primum. Et de ſecunda ſubdit ſtatim, Hoc ſentiamus quicunque perfecti ſumus. Et de tertia dicit Chriſtus Matth. 5. Eſtote perfecti, ſicut & pater veſter perfectus eſt. & 1. Ioan. 2. Qui autem ſeruat verbum eius in hoc charitas Dei perfecta eſt, & cap. 4. Si diligimus inuicem Deus in nobis manet, & charitas eius in nobis perfecta eſt. *Nota. 2.*

¶ Sed contra quartam concluſionem eſt argumẽtum. D. Thomas dicit, quòd perfectio charitatis ex parte diligentis cõſiſtit in hoc, quòd quis diligat Deum quantum poteſt, ſed illi, qui nihil aliud faciunt, quam non admittere aliquid, quod ſit cõtrarium diuinæ dilectioni, non diligunt Deũ quantum poſſunt, ergo in illis charitas perfecta non eſt. *Argum. contra quartam concluſione.* ¶ Ad hoc argumentum reſpondetur quod illa propoſitio debet efficere iſtũ ſenſum. Perfectio charitatis ex parte diligẽtis conſiſtit in hoc, quod quis diligat Deum quantum poteſt, vel quantum ſecundum ſuum ſtatum debet. Et certum eſt, quod illi qui nihil admittunt contrarium diuinæ dilectioni, diligunt Deum quantum ſecundũ ſuum ſtatum debent. De materia huius articuli ſunt videndi ſacri interpretes ſuper. 22. caput Matthæi in expoſitione illius pręcepti, diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo: & D. Auguſtinus ſuper. 15. caput Ioannis. *Solutio.*

ARTICVLVS IX

¶ *Vtrum conuenienter diſtinguãtur tres gradus charitatis, incipiens, proficiens, & perfecta.*

AD NONVM ſic proceditur. Videtur quòd inconuenienter diſtinguantur tres gradus charitatis, ſcilicet charitas incipiens, proficiens, & perfecta, Inter principium enim charitatis, & eius vltimam perfectionem, ſunt multi gradus medij. Non ergo vnum ſolum medium debuit poni. *Infr. q. 183. art. 4. Et q. 184. art. 2. & 3. d. 29. art 8. q. 1. Et opuſ. 61. c. 2 Et pſal. 24.*

2 ¶ Præterea, Statim cum charitas incipit eſſe, incipit etiam proficere. Non

ergo debet diſtingui charitas proficiés à charitate incipiente.

3 ¶ Præterea, Quantuncũque aliquis habeat in hoc mundo charitatem perfectam, poteſt etiam eius charitas augeri: vt dictum* eſt. Sed charitatem augeri eſt ipſam proficere. Ergo charitas perfecta nõ debet diſtingui à charitate proficiente. Inconueniẽter ergo prædicti tres gradus charitatis aſsignantur.

Ar. 7 huius quæſt.

¶ SED CONTRA eſt, quod Aug. * dicit ſuper primam Can. Ioã. Charitas cum fuerit nata, nutritur, quod pertinet ad incipientes: cum fuerit nutrita, roboratur, quod pertinet ad proficientes: cum fuerit roborata, perficitur, quod pertinet ad perfectos. Ergo eſt triplex gradus charitatis.

Tract. 5. declinando ad fin. to. 9.

¶ RESPONDEO dicendum, ꝙ ſpirituale augmẽtum charitatis conſiderari poteſt quãtum ad aliquid ſimile corporali hominis augmẽto. Quod quidem quanuis in plurimas partes diſtingui poſſit, habet tamen aliquas determinatas diſtinctiones ſecũdum determinatas actiões, vel ſtudia, ad quæ homo perducitur per augmentum. Sicut infantilis ætas dicitur, antequã habeat vſum rationis, poſtea autẽ diſtinguitur alius ſtatus hominis, quando iã incipit loqui, & ratione vti. Iterum tertius ſtatus eius eſt pubertas, cum iam incipit poſſe generare: & ſic deinde quouſque perueniatur ad perfectum. Ita etiam, & diuerſi gradus charitatis diſtinguuntur ſecundũ diuerſa ſtudia, ad quæ homo perducitur per charitatis augmentum. Nam primo quidem incumbit homini ſtudium principale ad recedendum à peccato, & reſiſtendum concupiſcentijs eius, quę in contrarium charitatis mouent. Et hoc pertinet ad incipientes, in quibus charitas eſt nutrienda vel fouenda, ne corrumpatur. Secũdum autem ſtudium ſuccedit, vt homo principaliter intẽdat ad hoc quòd in bono proficiat. Et hoc ſtudium pertinet ad proficientes, qui ad hoc principaliter intendunt, vt in eis charitas per augmentum roboretur. Tertium autem ſtudium eſt, vt homo ad hoc principaliter intendat, vt Deo inhæreat, & eo fruatur. & hoc pertinet ad perfectos, qui cupiunt diſſolui, & eſſe cum Chriſto. Sicut etiam videmus in motu corporali, quòd primum eſt receſſus à termino. Secundũ autem eſt appropinquatio ad aliũ terminũ. Tertium eſt quies in termino.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd omnis illa determinata diſtinctio, quæ poteſt accipi in augmẽto charitatis, cõprehenditur ſub iſtis tribus, quæ dicta * ſunt: ſicut etiam omnis diuiſio cõtinuorum cõprehenditur ſub tribus his, principio, medio, & fine: vt Philoſophus dicit in. 1. de Cælo.

In corp. art. lib. 1. tex. 2. tom. 3.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd illi, in quibus charitas incipit, quãuis proficiant, principalior tamen cura immínet, vt reſiſtant peccatis, quorum impugnatione inquietantur. Sed poſtea hanc impugnationem minus ſentientes, iam quaſi ſecurius intendunt ad profectum: ex vna tamen parte facières opus, & ex alia parte habentes manum ad gladium. vt dicitur in Eſdra de ædificatoribus Hieruſalem.

¶ Ad tertium dicendum, quòd perfecti etiam in charitate proficiunt. Sed nõ eſt ad hoc principalis eorum cura: ſed iam eorum ſtudium circa hoc maxime verſatur, vt Deo inhæreant. Et quanuis etiam hoc quærant, incipientes & proficientes, tamẽ magis ſentiũt circa alia ſuam ſolicitudinem, incipiẽtes quidẽ de vitatione peccatorũ, proficientes vero de profectu virtutum.

SVMMA TEXTVS.

Concluſio eſt affirmatiua, & probatur in argumẽto, ſed cõtra teſtimonio D. Auguſtini, qui ſuper primam canonicam Ioan. tract. 5. dicit, ꝙ charitas dum fuerit nata nutritur, quod pertinet ad incipientes: cũ fuerit nutrita roboratur, quod pertinet ad pro-

proficientes: cũ fuerit roborata, perficitur, quod pertinet ad perfectos. Et in corpore articuli illam explicat D. Tho. per ſimilitudinem ad augmentum corporale in hominibus inuentum, quod quamuis in plurimas partes diſtingui poſsit habet tamẽ aliquas determinatas diſtinctiones ſecũdum determinatas actiones, vel ſtudia ad quæ homo per augmentũ corporale perducitur. Et eodem modo diuerſi gradus charitatis diſtinguuntur ſecundum diuerſa ſtudia, ad quæ homo peruenit per augmentum charitatis. Nam ſecundum ꝙ illi incumbit reſiſtere peccatis, & concupiſcentijs, quæ cõtra charitatem mouent, eſt charitas incipiens: & ſecũdum ꝙ intendit ad hoc vt in bono proficiat eſt charitas proficiens: & ſecundum ꝙ intendit, vt Deo inhęreat, & illo fruatur, eſt charitas perfecta, qualis inuenitur in illis, qui cupiunt diſſolui & eſſe cum Chriſto.

EXPLICATIO ARTICVLI.

PRo intelligentia huius articuli eſt aduertendum, quod magiſter ſententiarum in.4.diſt. 40. cap.3. ſequutus Iſidorum diſtinguit vitam humanã in ſex ætates, quas D. Thom. eo in loco iſto modo explicat dicens, quòd prima ætas eſt infantium, & durat vſque ad ſeptimum annum. Secunda appellatur pueritia, & durat vſque ad decimum quartum. Tertia adoleſcẽtia, & durat vſque ad vigeſimũ quintũ. Quarta iuuentus, & durat vſque ad quinquageſimum. Quinta ſenectus, & durat vſq, ad ſeptuageſimũ. Sexta eſt ſenium, hoc eſt ætas decrepita, quæ durat vſque ad finem vitæ. Sed quantum attinet ad præſens inſtitutum tantum ſunt tres ætates, ad quas reliquæ reducuntur. Prima ætas eſt infantilis multis periculis ſubiecta, in qua naturæ nihil aliud eſt curæ, quam ſeruare homines à periculis. Et huic correſpondet charitas incipiẽtium, quæ ſimiliter periculis, & tentationibus eſt ſubiecta. De qua loquebatur D. Petrus.1. ſua cano.cap.2. quando dicebat, quaſimodo geniti infantes lac concupiſcite. Ex quo ſequitur, quod incipientes non debent ſtatim egregia opera aggredi, ſed paulatim ꝓcedere in exercitio virtutum, & ille, cuius curæ ſubſunt, debet eos leniter admonere. Secũda ætas eſt adoleſcentia, in qua homo poteſt ſibi ſimilẽ generare: & huic correſpõdet charitas proficientium. Tertia ætas eſt virilis, in qua homo eſt iam perfectus, habetq; integros ſenſus, & huic correſpondet charitas perfecta, quæ facit, vt homines nihil aliud deſiderent, quam Deo adhærere. ¶ Ex dictis infero primo, quod illi, qui adhuc in ſtatu incipientium exiſtentes volũt magna opera capeſſere, & etiã illi, qui eos talia docent, inuertunt ordinem diuinum, & ex conſequenti peccãt. Nam vt dicit D. Gregorius in initio libri paſtoralis, nulla ars doceri permittitur, niſi intenta prius meditatione diſcatur. ¶ Infero ſecundo, ꝙ ſecũdum ordinẽ naturæ nullus in vita ſpirituali debet priùs velle cõſcẽdere ad opera egregia, quam experiatur in ſe iam calcaſſe vitia. Sed debent iſta intelligi cum grano ſalis, ſcilicet, niſi interueniat præceptum ſuperioris: nam tunc virtus obediẽtiæ pręſtabit quod conſcientia metuit, niſi interueniat manifeſtus error. De materia huius articuli eſt videndus D. Tho. opuſculo.60.

1. Corollariũ

2. Corollariũ

ARTICVLVS X

¶ *Vtrum charitas poßit diminui.*

ADDECIMVM ſic proceditur. Videtur, quod charitas poſsit diminui. Contraria enim nata ſunt fieri circa idem. Sed augmentatio & diminutio ſunt contraria. Cum ergo charitas augeatur, vt dictum * eſt ſuprà, videtur etiam quòd poſsit diminui.

1.d.17.q.2. ar.5. Et ma. q.7.art.2.

Ar.4. huius quæſt.

2 ¶ Præterea, Auguſtinus.10. Cõfeſ. ad Deũ loquens dicit, Minus te amat qui tecum aliquid amat. Et in li.83.q. dicit *. quòd nutrimentum charitatis eſt diminutio cupiditatis. Ex quo videtur, quòd etiã econuerſo augmẽtũ cupiditatis ſit diminutio charitatis, ſed cupiditas, qua amatur aliquid aliud, quàm Deus, poteſt in homine creſcere. Ergo charitas poteſt diminui.

Lib.10. cap. 29. à med. to.1.

Q.36. circa princ. to.4.

3 ¶ Præterea, ſicut * Auguſtinus dicit 8. ſuper Gen. ad literam. Nõ ita Deus operatur, hominẽ iuſtũ, iuſtificando eum, vt ſi abſceſſerit, maneat in abſente quod facit. Ex quo poteſt accipi, ꝙ eodem modo Deus operatur in homine, charitatem eius conſeruando, quo operatur primo, ei charitatem inſundendo: ſed in prima charitatis inſuſio

Li.8.ca.12. in prin. to.1.

ne, minus ſe præparanti Deus minorẽ charitatẽ infundit. Ergo etiam in conſeruatione charitatis, minus ſe præparanti minorẽ charitatem conſeruat. Poteſt ergo charitas diminui.

¶SED CONTRA eſt, quòd charitas in ſcriptura igni comparatur, ſecundum illud Cāt. 8. Lampades eius, ſcilicet charitatis: lampades ignis atque flammarum. Sed ignis quamdiu manet, ſemper aſcendit. Ergo charitas quādiu manet, aſcendere poteſt, ſed deſcendere, id eſt, diminui nō poteſt.

¶RESPONDEO dicendū, quòd quantitas charitatis, quam habet in cōparatione ad obiectum proprium, minui non poteſt, ſicut nec augeri: vt ſu-
Ar. 4 ad. 2 pra dictum * eſt. Sed cum augeatur ſecundum quantitatem, quam habet per comparationem ad ſubiectū, hic oportet conſiderare vtrum ex hac parte diminui poſsit. Si autem diminuatur, oportet, quòd vel diminuatur per aliquem actum, vel per ſolam ceſſationem ab actu. Per ceſſationem quidem ab actu diminuuntur virtutes ex actibus acquiſitæ, & quandoq; etiam
1. 2. q. 53. art. 3. corrumpuntur: vt ſupra dictum * eſt. Vnde de amicitia, Philoſophus dicit
Lib. 8. Ethi. c 5. paulo à prin. to. 5. in. 8. Ethi. * quòd multas amicitias inappellatio ſoluit, id eſt, non appellare amicum, vel non colloqui ei. Sed hoc ideo eſt quia conſeruatio vniuſcuiuſq; rei dependet ex ſua cauſa. Cauſa autẽ virtutis acquiſitæ eſt actus humanus. Vnde ceſſantibus humanis actibus virtus acquiſita diminuitur, & tandem totaliter corrumpitur. Sed hoc in charitate locum non habet: quia charitas non cauſatur ab humanis actibus, ſed
Ar. 2. huius quaeſt. ſolum à Deo, vt ſupra dictū * eſt. Vnde relinquitur, quod etiā ceſſante actu propter hoc nec diminuitur nec corrumpitur, ſi deſit peccatum in ipſa ceſſatione. Relinquitur, ergo quòd diminutio charitatis non poſsit cauſari, niſi vel à Deo, vel ab aliquo peccato. A Deo, quidẽ nō cauſat aliquis defectus in nobis, niſi per modum pœnæ, ſecūdum quod ſubtrahit gratiam in pœnā peccati. Vnde nec ei cōpetit diminuere charitatem, niſi per modum pœnę: Pœna autem debetur peccato. Vnde relinquitur, quòd ſi charitas diminuatur, quòd cauſa diminutionis eius ſit peccatum: vel effectiue, vel meritoriè. Neutro autem modo peccatum mortale diminuit charitatem, ſed totaliter corrūpit ipſam, & effectiue, quia omne peccatum mortale cōtrariatur charitati, vt infra * dicetur. Et etiā meritoriè, quia qui peccando mortaliter aliquid contra charitatem agit, dignus eſt vt Deus ei ſubtrahat charitatem. Art. 12. huius quaeſt. Similiter etiam nec per peccatum veniale charitas diminui poteſt neque effectiue, neque meritoriè. Effectiue quidem non: quia ad ipſam charitatẽ non attingit. Charitas enim eſt circa finem vltimum: veniale autem peccatū eſt quædā inordinatio circa ea, quæ ſunt ad finem: nō autem diminuitur amor finis ex hoc, quòd aliquis inordinationem aliquam committit circa ea, quæ ſunt ad finem: ſicut aliquando contingit, quod aliqui infirmi multum amātes ſanitatem, inordinate tamen ſe habent circa diętæ obſeruationem. Sicut etiam in ſpeculatiuis ſcientijs falſæ opiniones circa ea, quæ deducuntur ex principijs, non diminuunt certitudinem principiorum. Similiter etiā veniale peccatum non meretur diminutionem charitatis. Cum enim aliquis delinquit in minori, non meretur detrimentum pati in maiori. Deus enim non plus ſe auertit ab homine quàm homo auertat ſe ab ipſo. Vnde qui inordinatè ſe habet circa ea, quæ ſunt ad finem, non meretur detrimentum pati in charitate, per quam ordinatur ad vltimum finem. Vnde cōſequens eſt, quòd charitas nullo modo diminui poſsit, directè loquendo. Poteſt tamẽ indirectè dici diminutio charitatis diſpoſitio ad corruptionem ipſius, quæ fit

ſit vel per peccata venialia, vel etiam per ceſſationem ab exercitio operum charitatis.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd contraria ſunt circa idem, quando ſubiectũ æqualiter ſe habet ad vtrũque contrariorum. Sed charitas non eodem modo ſe habet ad augmẽtum & diminutionem. Poteſt enim habere cauſam augentem, ſed nõ poteſt habere cauſam minuẽtem: ſicut dictũ * eſt, Vnde ratio non ſequitur.

In corp. art.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd duplex eſt cupiditas. Vna quidem qua finis in creaturis cõſtituitur, & hęc mortificat totaliter charitatem, cum ſit venenum ipſius, vt Aug. * dicit ibidẽ. Et hoc facit, quòd Deus minus ametur, ſcilicet, q̃ debet amari ex charitate, nõ quidem charitatem diminuendo, ſed eam totaliter tollendo. Et ſic intelligẽdum eſt quod dicitur, * Minus te amat qui tecũ aliquid amat. Subditur enim, Quod nõ propter te amat, quod non cõtingit in peccato veniali, ſed ſolum in mortali. Quod enim amatur in peccato veniali propter Deum amatur habitu, etſi non actu. Eſt autem alia cupiditas venialis peccati, quæ ſemper diminuitur per charitatem. Sed tamen talis cupiditas charitatem diminuere non poteſt, ratione * iam dicta.

Li. 83. q. 36. to. 4.

Loco citato in argum.

In corp. art.

¶ Ad tertium dicendum, ꝙ in infuſione charitatis requiritur motus liberi arbitrij, ſicut ſupra dictũ * eſt. Et ideo illud, qđ diminuit intẽſionẽ liberi arbitrij diſpoſitiue operatur ad hoc, ꝙ charitas infundenda ſit minor. Sed ad cõſeruationem charitatis non requiritur motus liberi arbitrij: alioquin non remaneret in dormientibus. Vnde per impedimentum intentionis motus liberi arbitrij, non diminuitur charitas.

Art. 3. ad. 1 & 1. 2. q. 113 art. 3.

SVMMA TEXTVS.

SVppoſito quòd charitas poteſt dupliciter minui, vno modo ex parte obiecti, quod fieret ſi ad pauciora obiecta ſe extenderet vno tempore, quam alio: alio modo ex parte ſubiecti, & hoc vel per ceſſationẽ ab actu, vel per actus contrarios, vel à ſolo Deo, reſpondet D. Thom. ad difficultatem per plures propoſitiones. ℂ Prima cõcluſio. Charitas ex parte obiecti principalis nõ poteſt minui, ſicut nec augeri. Probatur: quia, vt ſupra diximus, minima charitas ſe extendit ad omnia, quæ ſunt ex charitate diligenda. ℂ Secunda concluſio. Virtutes acquiſitę poſſunt diminui per ſolam ceſſationem ab actu. Probatur primo teſtimonio Ariſt. dicentis, ꝙ multas amicitias inappellatio diſſoluit. Et etiam ratione hoc modo, Conſeruatio vniuſcuiuſq; rei pendet ex ſua cauſa, ſed habitus acquiſiti cauſantur ex actibus humanis: ergo etiam pendent ab illis in cõſeruari, atque ex cõſequenti per ſolam ceſſationem ab actu poterunt diminui, atque corrumpi. ℂ Tertia cõcluſio. Charitas & reliquæ virtutes infuſæ non minuuntur per ſolam ceſſationem ab actu. Probatur. Charitas, & reliquæ virtutes infuſę non cauſantur à noſtris actibus, ſed a ſolo Deo producuntur: ergo non pendent à noſtris actibus in cõſeruari ſed à ſolo Deo, atq; ex cõſequẽti per ſolam ceſſationem ab actu non poterunt corrumpi. Relinquitur ergo, quòd diminutio charitatis eſſe non poteſt, niſi vel à Deo ſolo, vel ab aliquo peccato. ℂ Et in hoc ſit quarta concluſio. Charitas non minuitur in nobis à ſolo Deo. Probatur. Deus nõ cauſat in nobis malum, niſi in pœnam; ſed diminutio charitatis eſt aliquod malũ, ergo non ſit in nobis à ſolo Deo. ℂ Quinta concluſio. Peccatum mortale non minuit charitatem, ſed illam totaliter corrumpit effectiue, & demeritoriè. Et quidem quòd peccatum mortale demeritoriè corrumpat charitatem patet: nam ille qui peccat mortaliter, dignus eſt, vt ſibi charitas auferatur. Sed quod etiam illam corrumpat effectiuè probatur. Peccatum mortale contrariatur charitati, ſed vnũ contrarium effectiuè corrumpit aliud: ergo peccatum mortale effectiuè corrumpit charitatem. ℂ Sexta cõcluſio. Peccatum veniale, nec effectiue, nec demeritoriè, diminuit charitatem. Et quidẽ, ꝙ nõ diminuat illam effectiuè eſt res manifeſta: nam peccatũ veniale non attingit charitatem, cum charitas ſit circa finem & peccatum veniale tantum ſit quædam deordinatio circa media. Sed ꝙ nec etiam peccatũ veniale demeritoriè diminuat charitatem, probatur. Qui delinquit in minori nõ me-

retur lædi in maiori : ſed peccans venialiter delinquit in minori inordinate ſe habens circa ea, quæ ſunt ad finem : ergo non meretur pati detrimentum in charitate, qua ordinatur in vltimum finem. ¶ Vltima concluſio. Si diſpoſitio ad corruptionem appelletur diminutio, ſic charitas minuitur per peccata venialia, & per ceſſationẽ ab actu. Ex dictis infertur, quod charitas directè & per ſe non poteſt diminui, bene tamen indirectè in quantum diſpoſitio ad corruptionem diminutio appellatur.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Dubium. Circa primam concluſionem huius articuli eſt difficultas, vtrùm vera ſit. Et *Argumẽtũ.* pro parte negatiua eſt argumẽtum. Art. 7. huius quæſtionis diximus, quòd formæ animales, quales ſunt habitus, habent duplicẽ quantitatẽ, vnam ex obiecto, alterã ex ſubiecto, & ꝙ ſecundum vtramq; augetur charitas, ergo falſò dicitur in prima concluſione quòd charitas nec poteſt augeri, nec diminui ex parte obiecti.

Nota ꝓ explicatione difficultatis. ¶ Pro explicatione huius difficultatis eſt aduertendũ ex D. Tho. 1. 2. q. 52. art. 2. quòd aliqui habitus, vt ſcientia habent duplicem quantitatẽ, vnam extenſiuam, quæ attenditur penes obiecta, ad quæ ſe extendunt, quanto enim plures cõcluſiones per aliquã ſcientiam ſciuntur, tantò illa eſt maior extenſiuè. Altera eſt quantitas intenſiua, quæ attenditur penes maiorem radicationem in ſubiecto. Et hæc in formis animalibus adhuc poteſt dupliciter augeri, ſcilicet, vel ex parte obiecti per maiorem propinquitatem ad ipſum, vel ex parte ſubiecti per maiorem conatum, & attentionem potẽtiæ, vt eſt videre in viſione, quæ poteſt intendi ex parte obiecti, in quantum ſit mihi propinquius, & etiam ex parte ſubiecti inquantum videns per maiorem conatum, & attẽtionem potentiæ fertur in obiectum.

¶ Hoc ſuppoſito dico, ꝙ quãdo D. Tho. in hoc articulo affirmat, ꝙ charitas nec poteſt minui, nec augeri per cõparationem ad obiectũ, loquitur de quantitate extenſiua. Minima enim charitas diligit Deũ, & omnia quæ ſunt ex charitate diligenda, vt diximus art. 5. huius quæſtio. At verò quando nos diximus art. 7. ꝙ charitas poteſt augeri ex parte obiecti, loquebamur de quantitate intenſiua prouenientе ex maiori propinquitate ad obiectum. Et ſic nulla eſt repugnantia in dictis. Hæc reſponſio eſt Caietani in præſenti, & colligitur ex D. Tho. art. 4. huius quæſt. ad primũ argumentum. ¶ Vel ſecundo poſſumus reſpondere, ꝙ prima concluſio D. Tho. adhuc habet verum de quadam quantitate intenſiua, quã attẽditur ex parte obiecti, ſecundum quã charitas, nec poteſt augeri nec minui. Quod vt intelligatur, aduertendum eſt ex eodẽ D. Tho. de malo. q. 7. ar. 2. ꝙ charitas & eſt forma, & eſt virtus: & ſecundum quamcunq; cõſiderationẽ ex his, habet ſuam peculiarẽ quantitatẽ. Quantitas formæ [illegible] vt ſic, per ſe attenditur, vel ex perfectione virtutis agentis, quæ quo perfectior eſt, eò perfectio[illegible] formam inducit, & perfectiu[illegible] red[illegible] effectum in actu: vel ex diſpoſitione ſu[illegible] tali, vel tali: ab eo [illegible] ignem a[illegible] ale fit lignum ſiccũ quam vir[illegible]e. Et [illegible] inquantum eſt forma habet quanti[illegible]tẽ ex parte Dei infundentis: non propter maiorẽ vel minorẽ virtutem Dei, ſed propter [illegible]piẽtiam, & voluntatẽ ipſius, qui di[illegible]ribuit dona ſua ſecundum menſurã donationis Chriſti, iuxta illud Pauli ad Epheſ. 4. V[illegible]cuiq; noſtrum data eſt gratia ſecũdum menſurã donationis Chriſti. Et etiam habet quantitatem ex parte ſubiecti. Quo enim qui[illegible]me lius diſpoſitus eſt ex ſupernaturali auxilio, tantò maior charitas illi infunditur. ¶ [illegible] tamen circa hoc obiter aduertendu[illegible] ꝙ [illegible]ter *Nota.* ſe habent opera noſtra, quibus di[illegible]ponimur ad charitatem ſuſcipiendam reſpectu charitatis, quando primo infund[illegible]r, & aliter quando augetur. Nam reſpectu charitatis, cùm primo infunditur, ſolùm ſunt cauſa diſpoſitoria, & nullo modo meritoria. quia principiũ totius meriti charitas eſt. Reſpectu verò augmẽti charitatis nõ ſolùm ſunt cauſa diſpoſitoria, ſed etiã meritoria, vt diximus ſupra. Et ſecundũ hanc duplicẽ quãtitatẽ certũ eſt, ꝙ charitas poteſt eſſe maior in vno, quã in alio. Alia etiam quantitas intenſiua cõpetit charitati inquantum eſt virtus, quã habet ex obiecto: omnis enim habitus ſpeciem, & quantitatẽ accipit ab obiecto, & tantò perfectior eſt quanto ipſum obiectum fuerit perfectius. Et ſecundũ hãc quantitatem intenſiuam, quã charitas accipit ab obiecto, nõ poteſt eſſe maior in vno quàm in alio. Et ratio eſt, quia illa, quorum ratio conſiſtit in indiuiſibili, nec augeri, nec diminui poſſunt, vt eſt videre in ſpeciebus numeri. Ratio enim ternarij non eſt maior in vno quam in alio: & certum eſt, quod ratio obiecti charitatis conſiſtit in indiuiſibili

li

li, eſt enim obiectũ illius Deus, vt ſummũ bonum, & vltimus finis. Et ideò ſecundum hanc quantitatem, quã charitas accipit ab obiecto, nec augeri nec minui poteſt. Et de hac poteſt intelligi prima cõcluſio D. Tho. Hæc ſolutio colligitur ex eodẽ D. Tho. de malo. q. 7. art. 2. & in hac quæſt. art. 4. ad. 2.

Nota circa ſecundã conclusionem D. Tho.

¶ Circa ſecundam concluſionem eſt aduertendũ, ꝙ vt D. Tho. dicit. 1. 2. q. 53. art. 3. habitus acquiſiti nec diminuuntur, nec corrũpuntur per ſolam ceſſationẽ ab actu per ſe, ſed per accidens, inquantũ, ſcilicet, actuũ exercitio ceſſante, remouẽtur actus qui prohibent cauſas minuentes & corrũpẽtes. Habitus enim acquiſiti per ſe corrũpuntur ab agente contrario, cuius effectus tollitur per actum ab habitu prouenientẽ: & ſic ceſſante tali actu contrariũ agit in habitum, & illum corrũpit aut diminuit, vt eſt videre in habitibus moralibus, & intellectualibus. Cum enim quis non vtitur habitu virtutis ad moderandas paſsiones, proueniunt multę paſsiones, & operationes ex inclinatione appetitus ſenſitiui, vel aliorum, quæ exterius mouent, ex quibus minuitur habitus virtutis, aut vero corrũpitur. Ex quo infertur, ꝙ quando D. Tho. dicit in præſenti ꝙ habitus acquiſiti pendent à ſuis actibus in conſeruari, nõ eſt intelligendus, quod pendent ab illis per ſe eo modo, quo lumen pẽdet à præſentia ſolis, nam cõtrarium docet prima ſecundæ loco citato: ſed quod pẽdẽt ab illis per accidens, inquantum remouent cauſas per ſe corruptionis, & diminutionis.

Nota circa quartam conclusionem D. Tho.

¶ Circa quartam concluſionẽ & eius rationem eſt aduertendũ, quòd Deus dicitur cauſa alicuius mali inquãtũ vult illud. Per ſuam enim volũtatem efficit quicquid efficit, & quia non fertur actu poſitiuo voluntatis in peccatum, qui ſit aut velle, aut nolle peccatũ: ſed tantũ negatiuè ſe habet circa illud. Si enim haberet actũ poſitiuum, qui ſit velle, verè eſſet cauſa peccati: & ſi haberet actum poſitiuũ, qui ſit nolle, nullũ eſſet peccatũ: cuius contrarium conſtat experientia. Sed fertur actu poſitiuo quamcunq; in pœnã, cuius eſt autor. In quo ſenſu dicit Propheta: Non eſt malũ in ciuitate, quod nõ fecerit dominus. Hinc eſt, ꝙ charitas nec diminui, nec corrũpi poteſt à ſolo Deo. Vtrum autẽ Deus velit actu poſitiuo id peccatum, quod homo cõmittit in pœnam præcedentium peccatorũ, qualia inueniuntur multa

Dubium.

in hominibus, vt cõſtat ex Paulo ad Ro. c. 1. dicẽte: Propter quod tradidit illos Deus in reprobũ ſenſum, &c. varietate opinionũ diſputatur à doctoribus.

Sentẽtia Caietani.

Nam Caietanus ſuper lib. 2. Regũ. c. 12 &. 16. dicit, quod quando vnũ peccatũ eſt pœna alterius, Deus eſt cauſa illius, & illud abſolutè vult, non quatenus eſt peccatũ, ſed quatenus eſt pœna. Itaq; ſecundũ Caietanum peccatũ poteſt dupliciter cõſiderari. Vno modo, vt eſt quędam actio contra legẽ Dei, & ſic eſt peccatum, nec volitum à Deo. Alio modo, vt eſt quædã paſsio eius, in quo eſt, qua afficitur moleſtia, & expoliatur multis bonis: & ſecundum iſtam conſiderationẽ poteſt dici, quòd Deus eſt cauſa efficiẽs in reprobis poſteriorum peccatorum, & peccati perſeurãtiæ, & vltimæ impœnitentiæ.

Sententia autoris.

¶ Tamẽ meo iudicio hęc ſententia merito eſt reijcienda, & tenendum tanquam certũ, quòd nullius peccati, etiam ſi in alterius pœnam permittatur, Deus eſt cauſa, quia vix aut nullo modo poteſt explicari qualiter Deus ſit cauſa poſitiua peccati, vt eſt pœna, & non vt eſt culpa, cùm actio peccati, non quia actus naturalis, ſed quia malũ morale deordinatũ, ſit pœna, & hac ratione & non alia cruciet animũ, & illum priuet rectitudine, & alijs bonis. Sed de hoc latius Deo dante alio in loco erit ſermo.

Dubium circa quintã cõclusionem D. Tho.

¶ Circa quintã cõcluſionẽ in qua D. Tho. dicit, ꝙ peccatũ mortale effectiue corrũpit charitatẽ, eſt difficultas, vtrùm vera ſit. Et pro parte negatiua argumẽtor.

1. Argum.

Primo, Charitas nõ producitur efficiẽter noſtris actib⁹, vt diximus art. 2. huius quæſtio. & conſtat ex Paul. ad Ro. 5. dicẽte, Charitas Dei diffuſa eſt in cordib⁹ noſtris per Spiritũ ſanctũ, &c. & ex cõcil. Tridẽ. ſeſ. 6. c. 7. ergo neq; etiã corrũpitur effectiuè nr̃is peccatis. Probo cõſequentiã ex Ariſt. 2. Ethi. c. 1. dicẽte: Ex eiſdẽ, & per eadẽ generatur virtus & corrũpitur. Et intelligitur, ex eiſdẽ nõ numero neq; ſpecie, ſed eiſdẽ genere, diuerſo modo ſe habẽtibus: oẽs enim operationes, quę circa idẽ obiectũ verſantur dicuntur eędem genere.

2. Argum.

¶ Secundo, Peccatũ mortale nõ cõtrariatur charitati, ergo non corrũpit illã effectiuè. Conſequẽtia tenet ex D. Tho. qui in hoc articulo ideò dicit peccatum mortale corrũpere effectiue charitatẽ, quia illi cõtrariatur. Et probo antecedẽs. Primo, Charitas & peccatum nõ ſunt eiuſdem generis, charitas enim ad ordinẽ gratiæ pertinet, peccatũ vero ad ordinẽ naturæ, vt docet Caietanus. 2. par. q. 1. art. 3. vnde ex nobis ſolis peccamus iuxta illud Oſeæ. c. 13. Perditio tua

ex te Iſrael,ergo. ¶ Secundo, Cõtraria pro
priè ſunt quædam extrema cuiuſdam certę
& determinatæ diſtantiæ, & quodammo-
do continuæ,ratione cuius poteſt eſſe mo-
tus ab vno contrario in aliud, vt docet D.
Tho.11.meta.lect.12.&.5.phy.lect.3. vt eſt
videre in albo & nigro: ſed inter charitatẽ
& peccatum non eſt aliqua diſtantia conti-
nua,ergo nõ opponuntur cõtrariè. ¶ Ter-
3. Argum. tio principaliter ſic argumentor. Actus,qui
eſt peccatum, ſolùm quia prohibitus, vt co
medere carnes in die Veneris, ante prohibi
tionem non opponebatur contrarie charita
ti,neq; illam effectiuè corrũpebat, & poſt
prohibitionẽ nihil reale acquiſiuit,ergo ne
que etiã tunc poterit opponi contrariè cha-
Cõfirmatio ritati,aut illam effectiuè corrũpere. ¶ Et cõ
firmatur:quia alias ſequeretur creaturã poſ
ſe concurrere ad annihilationẽ: cõſequens
autẽ eſt falſum, cũ eius ſolũ ſit annihilare,
cuius eſt creare:ergo illud ex quo ſequitur.
Probo ſequelã,Nam, cùm charitas nõ edu-
catur de potentia materiæ, ſi peccatũ illam
corrũperet effectiuè,neceſſario illam anni-
Vltimum ar hilatet. ¶ Vltimo,Deus de potentia ſua ab-
gumentum. ſoluta poteſt conſeruare charitatẽ ſimul cũ
peccato mortali,hoc enim nullam implicat
cõtradictionẽ:ergo nõ opponũtur cõtrariè.
¶ Propter hæc argumẽta multi doctores
1. Notabile. in.1.d.17. & in.2.d.26. inter quos vnus eſt
Durandus.q.10.tenent,ꝙ peccatũ mortale
non effectiuè ſed tantum demeritorie cor-
rumpit charitatem. Sed ſententia D. Tho.
proculdubio eſt vera, quòd etiã affirmat.1.
2.q.113 art.2. Ad cuius explicationẽ eſt ad-
uertendũ primo, quòd peccatũ mortale im
portat duo. Primũ eſt conuerſio poſitiua ad
bonum cõmutabile, & ſecundum iſtam cõ
ſiderationẽ opponitur charitati formaliter
in particulari, ſicut iuſtitiæ opponitur iniu
ſtitia, & temperantiæ intemperantia: dicit
enim charitas poſitiuã cõuerſionẽ ad Deũ,
cui altera poſitiue opponitur. Alterũ quod
importat peccatum mortale, eſt auerſio à
Deo, ſine qua peccatũ in mundo eſſe non
poteſt, omne enim peccatum mortale auer
tit à Deo tam fine ſupernaturali, quam fi-
ne naturali, ſicut omne peccatum neceſſa-
rio eſt contra Deum, & contra rectam ratio
nem, cuius autor eſt Deus: & ſecundũ iſtã
conſiderationem omne peccatum mortale
generaliter repugnat cuicunque charitati
ex parte conuerſionis.
2. Notabile. ¶ Secũdo eſt aduertendũ, dupliciter poſ-
ſe contingere, quod vna qualitas effectiue
corrũpat aliã, vno modo attingendo eſſen-
tiam illius, quo modo calor corrũpit frigus:
alio modo tollẽdo diſpoſitionẽ neceſſario
requiſitã ad conſeruationẽ talis qualitatis.
Vt qui tolleret ab aëre diaphaneitatẽ corrũ
peret lumen aëris effectiue, non illud attin-
gendo, lumini enim nihil eſt contrariũ, ſed
tollẽdo diaphaneitatẽ, quæ neceſſario req-
ritur, ad hoc, vt lumen in aëre conſeruetur.
¶ His ſuppoſitis dico primo, ꝙ peccatũ *1. Dictum.*
mortale verè, ac proprie contrariatur chari-
tati. Probatur. Quæcũq; grauis offenſa pro
prie contrariatur amicitiæ, ſed peccatũ mor
tale eſt grauis offenſa, & charitas eſt amici-
tia: ergo peccatũ mortale proprie cõtraria-
tur charitati. Conſequẽtia cũ minori eſt no
ta, maior probatur. Amicitia formaliter im
portat mutuum amorem beneuolẽtię, ſed
cum tali amore nõ poteſt dari grauis offen-
ſa: ergo quæcunque grauis offenſa proprie
contrariatur amicitiæ.
¶ Dico ſecundo, peccatũ mortale corrum *2. Dictum*
pit charitatẽ effectiue, nõ attingẽdo ipſam
charitatẽ, ſed introducẽdo diſpoſitiones cõ
trarias, & corrũpendo illas, quæ neceſſariæ
ſunt ad hoc, vt charitas conſeruetur. Itaque
quemadmodum, anima rationalis, quan-
uis immediatè creetur à Deo, quia tamẽ in-
troducitur, & cõſeruatur in ſubiecto diſpo-
ſito, idcircò agens, quod corrũpit diſpoſitio
nẽ neceſſario requiſitã ad hoc, vt anima ma
neat in corpore, effectiue dicitur illã expel-
lere, & ſi in tali expulſione anima deſineret
eſſe, verè etiã diceretur illam effectiue corrũ
pere, ita etiã in propoſito quanuis charitas
infundatur à ſolo Deo, quia tamen non in-
funditur, nec cõſeruatur, niſi in ſubiecto di
ſpoſito, & peccatũ mortale tollit diſpoſitio-
nẽ neceſſario requiſitam ad conſeruationẽ
charitatis in tali ſubiecto, idcircò etiã dici-
tur effectiuè expellere charitatẽ. Vel poſſu
mus hoc aliter explicare dicentes, ꝙ corrũ-
pere effectiuè ſtat dupliciter, ſcilicet, phyſi-
cè, quomodo aqua corrũpit ignem: & mo-
raliter, quod cõtingit quando ad poſitionẽ
vnius ſequitur alterius corruptio. Et hoc ſe
cundo modo peccatũ mortale corrumpit
charitatẽ: commiſſa enim graui offenſa in
aliquem ſtatim tollitur amicitia.
¶ Et ad argumentũ primũ reſpõdetur cõ *Ad.1.arg.*
ceſſo antecedenti, negando conſequentiã.
Nam, quãuis actus noſtri nõ ſint cauſa ef-
fectiua charitatis, ſunt tamen cauſa diſpoſi-
tiua introductionis illius: & ex conſequẽti
etiã ſunt cauſa diſpoſitiua expulſionis, qđ
ſatis

ſatis eſt ad hoc, vt dicantur effectiue corrūpere charitatē: plus enim requirit ad hoc vt aliqd dicatur cauſa effectiua alicui' rei, quā ad hoc, vt dicatur cauſa effectiua corruptionis illius. Vel poſſumus ſecundo reſpondere, ꝙ quanuis argumentū fortaſsis probet, quòd actus noſtri nō poſſunt corrūpere effectiue phyſice charitatē, non tamen probant, quòd non corrūpant illam effectiuè moraliter. Sed melior eſt prior ſolutio.

Ad 2. arg. ¶ Ad ſecundum argumentū reſpōdetur negando antecedens. Et ad primā probationē dico, quòd quāuis inter peccatū mortale, & charitatē non ſit ea contrarietas, quæ requiritur ad hoc, vt inter aliqua ſit propriè motus, qualis eſt inter qualitates naturales, eſt tamen vera contrarietas, ad quam, vt docet D. Tho. de malo. q. 7. art. 2. & lib. 2. de cœlo & mundo lect. 10. duo ſufficiunt & requirūtur. Primū eſt, quòd ſint nata fieri circa idē ſubiectū, vel propinquum, vel ſaltim remotū. Secundum, quòd nō poſsint eſſe ſimul, ſed mutuò ſe expellāt, quæ ambo inter charitatē, & peccatum mortale inueniūtur. Ad ſecundam probationē dico, quod quanuis peccatū mortale quantū ad principium, à quo procedit, quod eſt liberum arbitrium, pertineat ad ordinem rerū naturaliū, & ſit à nobis ipſis, tamen quatenus opponitur gratiæ, & charitati ſpectat ad ordinē gratiæ, & ſic quantū ad hoc ſub eodem genere collocātur. Semper enim inter duo oppoſita minus perfectū habet rationem priuationis, & priuatio ad illud genus reducitur, ad quod directè ſpectat affirmatio.

Ad 3. arg. ¶ Ad tertiū principale reſpondetur, conceſſa maiori, negando minorē. Nam quanuis comeſtio carnis conſiderata ſecūdum ſuū eſſe naturale, nō varietur per prohibitionē, ſed eadem actio ſit antè & poſt: conſiderata tamen in genere moris non eſt dubiū, quin per illam prohibitionē acquiſiuit nouam malitiā, atque ex conſequenti nouam etiā efficientiā moralem, qua effectiue corrūpit habitum ſibi contrariū.

Ad confirmationem. ¶ Ad confirmationē Caietanus. 1. 2. q. 113. art. 2. qui putat gratiā & charitatē non creari ſed concreari, quia non producitur per ſe, ſed in ſubiecto, conſequēter negat, ꝙ gratia & charitas annihilantur: ſed dicit, ꝙ deſinunt eſſe per hoc quòd ſubiectū deſinit eſſe ſub tali eſſe. Cæterū quia cōmuniter doctores dicūt quòd gratia atq; charitas creantur, aliter reſpōdendū erit ad argumentū cum Vega lib. 7. ſuper cōcil. Tridēt. c. 13. negādo ſequelā. Nam ex eo, quòd peccatū effectiuè corrumpat charitatē eā ſubtrahendo diſpoſitionē neceſſariā ad eius cōſeruationē, non ſequitur, quòd ſit immediatū inſtrumentū annihilationis: ſed ſolū mediatū. Sicut nec, ſi anima rationalis annihilaretur per ſeparationē à corpore, gladius, qui tolleret conſeruationē illā, diceretur immediatè annihilare animā, ſed ſolum mediate, & idē contingit in propoſito. Vel ſecundo reſpondetur concedendo ſequelā. Et ad minorē dico, quòd nō eſt eadē ratio de creatione & annihilatione. Nā in creatione, cùm nullū ſit ſubiectū, circa quod creatura ſuā exerceat operationē, nulla ratione fieri poteſt, quòd tanquam inſtrumentum phyſicum concurrat ad creationē. At verò in annihilatione eſt aliquod ſubiectum, circa quod creatura aliquid diſpoſitiuè operatur, & ſic, vt inſtrumentum phyſicum poterit ad annihilationem concurrere.

Grauis difficultas. ¶ In vltimo argumēto tangitur grauis difficultas, vtrùm Deus de potētia ſua abſoluta poſsit cōſeruare charitatē, atq; gratiam ſimul cū peccato mortali. De qua re ſunt variæ doctorū ſentētiæ.

1. Sententia. Prima eſt eorū, qui dicunt, ꝙ Deus de potētia ſua abſoluta poteſt ſimul conſeruare gratiā, & peccatū mortale, ſicut & poteſt cōſeruare in eodē ſubiecto ſimul ſummū calorē & ſummū frigus, ſummā albedinē, & ſummā nigredinē. Et dicūt ꝙ tunc nec ſubiectū diceretur gratū, nec ingratū, ſicut nec diceretur calidum nec frigidum, ſed illæ qualitates mutuo impedirent tales denominationes. Et ſecundū iſtā opinionē facile reſpondetur ad argumentū cōceſſo antecedēti, negādo cōſequentiā. Fieri enim pōt per diuinā potētiā, ꝙ cōtraria maneāt in eodē ſubiecto.

2. Sententia vera. ¶ Altera ſentētia eſt in alio extremo, quæ aſſerit nulla ratione fieri poſſe, etiā per diuinā potētiā, ꝙ grā & charitas ſint ſimul cū peccato mortali. Quā tenet Aureolus apud Capreolum in. 1. diſt. 17. q. 5. art. 1. & Grego. Arimi. eadem. d. q. 1. artic. 2. & colligi videtur ex D. Tho. in. 1. d. 17. quæſt. 1. art. 1. & meo iudicio eſt vera.

1. Notabile. ¶ Vnde ad illius explicationē eſt aduertēdū primo, ꝙ peccatū, quod tranſacto actu peccati, reatu tanquā habitu manet in aīa nrā, formaliter loquēdo, nō cōſiſtit in ordinatione ad pœnā, vt falsò opinatur Scotus in. 4. diſt. 16. quæſt. 2. ſed conſiſtit in quadā priuatione ordinis, & rectitudinis debitę inesſe, quæ dicitur macula peccati, & eſt formaliter, qua peccator talis denominatur & fit obiectum inuiſum & ingratum Deo.

2. Notab. ¶Secundo eſt aduertendum, ꝙ gratia, ad quã neceſſario conſequitur charitas, immediate reſpicit, & ponit ordinẽ in ipſis animę partibus, atq; potẽtijs, eas debito modo diſponendo, & ſubijciẽdo alias alijs, ſic, vt ſuprema ratio ſit ſubiecta Deo, & affectus, & cupiditates ſubijciantur rationi. Qui rectus ordo partiũ, & bona conſtitutio animæ eſt tanquam quædã ſalus illius. Nam quemadmodũ corpus tũc dicitur ſanum, & validũ, cum quatuor humores rectũ ordinẽ ſeruãt, & conuenienti modo inter ſeſe ſunt diſpoſiti: ità etiã tũc animus dicitur valens, & integer, & ſanus, cùm partes illius, atq; potentiæ ſunt rectè diſpoſitæ, & ratio ſubditur Deo, & ſenſus rationi in ordine ad finẽ ſupernaturalẽ. Ex his manifeſtè infertur, ꝙ implicat contradictionẽ, ꝙ gratia atq; peccatũ ſint ſimul in eodẽ ſubiecto: ſicut implicat, quod idẽ ſit ordinatũ & non ordinatũ, ſanum & infirmũ. Et ad argumentũ in principio factũ reſpõdetur negãdo antecedens. Sed eſt aduertendũ, ꝙ maior eſt repugnantia in eo, ꝙ gratia, vel charitas ſint ſimul cũ peccato mortali in eodem ſubiecto, quam quòd ſint ſimul ſumma albedo, & ſumma nigredo. Nam iſtę qualitates tantum opponuntur contrariè, & ſunt ex omni parte poſitiuæ: & ſic non implicat, quòd virtute diuina ſimul cõſeruentur quantũ ad ſuas entitates. At vero peccatũ & gratia, nõ ſolùm opponuntur contrarie ſed etiam quodammodo priuatiuè. Et certum eſt implicare contradictionem, quòd ſimul maneant priuatio, & forma, cuius eſt priuatio. Et hæc dicta ſint de quarta concluſione.

Dubium circa ſextam cõcluſionem D. Tho. ¶Circa ſextam cõcluſionẽ eſt difficultas, vtrùm charitas ſemel habita poſsit aliqua ratione per peccata venialia diminui. Et eſt aduertendũ, quòd non loquimur de habitu charitatis acquiſitæ. Nã hic certũ eſt, quòd ſicut acquiritur & augetur noſtris actibus: ita etiam eiſdẽ potent diminui & corrũpi, imò per ſolam ceſſationẽ ab actu, vt de alijs habitibus acquiſitis affirmat D. Tho. in. 2. cõcluſione. Nec etiã loquimur de actu charitatis, ſiue infuſæ ſiue acquiſitæ: quoniã ſimiliter eſt certũ apud omnes, quòd hic etiã poteſt intẽdi atq; remitti. Sed loquimur de habitu charitatis infuſæ: Et eſt ſermo de potentia ordinaria. Nam de potentia abſoluta nullus dubitat, quòd cùm charitas habeat latitudinẽ, & quantitatẽ, ſecundum quã augeatur, poterit etiã de potentia Dei abſoluta ſecũdum eandẽ diminui. Et quidẽ, quòd peccata venialia poſsint eſſe cauſa, quòd minor charitas à principio infundatur, & q̃d ſemel infuſa, aut nõ augeatur, aut minus augeatur: eſt res manifeſta, vt docet D. Tho. hic in ſolutione ad tertium & de malo. q. 7. art. 2. Sed dubiũ eſt de charitate ſemel habita, vtrùm poſsit per peccata venialia diminui. Et pro parte affirmatiua argumentor.

1. Arg. pro parte affirmatiua. Primo. Amicitia humana remittitur, & fit minor per leues offenſas, vt cõſtat experiẽtia: ergo idẽ eſt dicẽdũ de amicitia diuina.

2. Argum. ¶Secũdo, Veniale peccatũ diminuit differẽtiã cõſtitutiuã habitus charitatis: ergo diminuit ipſam charitatẽ. Cõſequẽtia eſt nota & antecedens probatur. Difficulter mobilis, q̃uę eſt differentia cõſtitutiua habitus charitatis, ſicut aliorũ habituum, diminuitur per peccata venialia: non enim manet charitas ità firma in eo, qui cõmiſit multa venialia, ſicut anteà erat: ergo peccatũ veniale diminuit differentiã conſtitutiuã habitus charitatis.

3. Argum. ¶Tertio, Effectus charitatis minores exiſtunt in eo, qui frequentius peccat venialiter, quã in illo, qui minus peccat, ergo charitas diminuitur per peccata venialia. Conſequẽtia eſt nota: nã cauſa ex effectu cognoſcitur: & antecedens probatur. Effectus charitatis ſunt feruor, prõptitudo, facilitas, & firmitas in operãdo, ſed iſta per peccata venialia, aut omnino tolluntur, aut debilitantur, vt cõſtat experientia: ergo. Et

Cõfirmatio. confirmatur ex Ariſt. 2. Ethi. c. 3. dicente, ꝙ ſignum generati habitus eſt voluptas operationis concomitans. Qui enim, inquit, abſtinet à voluptate corporea gaudens, temperans eſt, qui verò, dolens intemperans: ergo pari ratione maior voluptas erit ſignũ intẽſioris habitus, & minor, remiſsioris. Sed ſic eſt, quod ille, qui plura peccata venialia cõmiſit minori cum voluptate exercet opera charitatis: ergo eſt in illo diminuta charitas.

Vltimum argumentum. ¶Vltimo, Actus charitatis diminuitur per peccata venialia: ergo & habitus. Antecedens eſt manifeſtũ, & conſequentia probatur. Operatio cõſequitur formã, ergo ſi actus charitatis eſt remiſsior poſt cõmiſſa venialia, etiam ipſe habitus, quẽ conſequitur, erit remiſsior.

Sentẽtia Altiſsiodorẽſis. ¶Propter hęc argumẽta Altiſsiodorẽſis, lib. 3. ſuæ ſummæ tract. 5. c. 5. q. 1. dicit, ꝙ peccata venialia diminuunt charitatem. Et quãuis in principio videatur loqui de diminutione charitatis quantum ad feruorem, in progreſſu tamen aperte oſtendit ſe loqui de diminutione charitatis quantum ad eius ſubſtantiam. Et quia ſtatim

obijciunt huic ſententiæ, ex ea ſequi, quòd charitas poſsit omnino corrumpi per peccata venialia, nam ſi quis habeat charitatem, vt octo, & committat vnum veniale, ratione cuius remittitur vnus gradus, ſi poſteà alia ſeptem committat eiuſdem grauitatis cum primo, neceſſario corrũpetur totus habitus, idcirco aliqui autores, quibus iſta opinio non diſplicet omnino, inter quos eſt vnus magiſter Victoria, qui in relectione de augmento charitatis, parte ſecunda, illã probabilem exiſtimant, varijs modis illam interpretantur: quibuſdam dicẽtibus, ꝙ ſingula peccata venialia diminuũt aliquid de charitate. Et quando ex hoc infertur, per ſola peccata venialia auferri totaliter charitatem, negant conſequentiam. Nam quando peruentum eſt ad tam minimã charitatem, vt illa per vnum veniale corrumpatur, illud veniale fit mortale non ratione ſui, ſed ratione omiſsionis adiunctæ (tenetur enim homo ſpeciali præcepto conſeruare charitatem) quod omiſsiuè tranſgreditur quãdo cõmittit illud veniale, quod ſufficiens eſt corrumpere charitatẽ. Alij dicunt, ꝙ ſingula peccata venialia diminuũt aliquid de charitate, nunquam tamen peruenitur ad totalem corruptionem illius, quantumuis ipſa peccata venialia multiplicentur: quia corrũpunt illam per partes proportionales, ita ꝙ ſi per primum veniale diminuitur vnus gradus, per ſecũdũ diminuitur medietas, & per tertiam quarta pars & ſic de ſingulis, ex quo fit, vt nũquam totaliter corrumpatur.

Sententia cõmunis. ¶ Contrariam tamen ſententiam, ſcilicet, quod peccata venialia nulla ratiõne poſsũt diminuere charitatem, tenent communiter omnes doctores ſequuti D. Tho. in hoc articulo, & in. 1. d. 17. q. 2. art. 5. Ad cuius explicationem eſt ad aduertendum, ꝙ in habitu charitatis poſſumus conſiderare ipſum habitum, & effectus ab illo procedentes, qui ſunt plures & naſcuntur quodam ordine alij ex alijs. Primus effectus charitatis eſt, reddere hominem formaliter amatorẽ Dei. Secundus, inclinare voluntatem, & reddere eam promptam, atq; facilem ad Deum diligẽdum. Tertius eſt, paulatim corrumpere habitus, & qualitates, quæ contrariantur huic inclinationi. Et tandẽ vltimus crebrò atq; frequenter actu exercere iſtã dilectionem, hoc eſt elicere, atq; imperare frequentiſsimos actus, qui in Deũ referuntur. Quæ aſsiduitas operandi appellatur a theologis feruor charitatis: & conuenienter quidem, quia tunc animus vere tanquam feruet. De qua re eſt videndus D. Tho. in. 4. d. 16. q. 2. & de malo. q. 7. art. 2.

¶ Hoc ſuppoſito ſit prima concluſio. Falſum & abſurdum eſt dicere, ꝙ charitas poſſit diminui per peccata venialia eo vſq;, vt corrumpatur. Probatur primo. Nam abſurdiſsimum eſt dicere, ꝙ verbũ otioſum, verbi gratia, prolatum ab eo, qui habet remiſſam charitatem ſit peccatum mortale, cum tamen tale verbũ in eo homine, qui habet intenſam charitatem ſit veniale. *1. Concluſio.* Maximè, cum certũ ſit, quod cæteris paribus grauius offendit ille, qui habens maiorẽ charitatẽ, & maiora dona Dei, peccat, quàm qui peccat habens minorẽ charitatem. Item, illud verbũ ocioſum ſua natura eſt peccatum veniale, ergo non poteſt fieri mortale. Et ſi dicatur, quod fit mortale ratione circunſtãtię corruptionis charitatis, vel ex omiſsione præcepti de conſeruanda charitate, quod non adimplet, contra hoc ſic argumẽtor. Illa circunſtantia ſemper ignoratur inuincibiliter ab omnibus, ſicut enim nemo ſcit, an habeat habitum charitatis, ita etiam nec poteſt ſcire an habeat habitum charitatis in minima intenſione: ergo nunquam poterit augere peccatum. Et confirmatur. Nam alias ſequeretur, ꝙ vnuſquiſq; teneretur confiteri omnia peccata venialia. Nemo enim ſcit an habeat tam minimam charitatẽ, vt per vnũ veniale totaliter auferatur, atq; ex conſequenti, nec etiam ſcit, an quando cõmittit veniale peccet mortaliter, & cum non ſit maior ratio de vno, quam de alio tenebitur ſingula confiteri, quod eſt contra cõmunem ſenſum Eccleſiæ. Item hęc opinio ſupponit vnũ falſum, ſcilicet, quod tenemur ſpeciali præcepto conſeruare gratiam: ergo ipſa eſt falſa. Antecedens probatur. Nam ſi tale præceptum eſſet, ſequeretur, quod quicunq; fornicatur, committeret duplex peccatũ, vnũ tranſgrediendo præceptum de non fornicando, & alterum omittendo præceptum de conſeruanda gratia, conſequens autem eſt abſurdum: ergo.

¶ Secunda concluſio. Falſum eſt, & voluntariu dicere, ꝙ charitas diminuitur ſingulis peccatis venialibus proportionaliter. *2. Cõcluſio.* Probatur. Peccata poſteriora poſſunt eſſe grauiora, quam priora: ergo, ſi primũ diminuebat vnum gradum charitatis, à fortiori ſecũdum dimuiuet alterũ. Et confirmatur. Secũdum peccatũ potius aggrauatur per primũ, quã primũ per ſecũdũ & ꝓpterea charitas diminuta

minuta

minuta per primum peccatum non magis reſiſtit poſteà, quàm antea, imò multo minus, ergo ſecundum peccatum non poteſt diminuere minus quã primum, ſed magis. Item illæ partes proportionales, quamuis in potentia ſint infinitæ, tamen ſi fiat realis diuiſio finitæ ſunt, ad hunc ſenſum, quod tandem erit perueniendum ad aliquam partẽ ità minimam, vt ſi vlterius diuidatur corrũpatur natura eius rei, quæ diuiditur: omnia enim quæ natura conſtant, habent certam & determinatam quãtitatẽ in paruitate in qua conſeruẽtur: ergo ſi charitas diminuatur per partes proportionales tãdẽ finietur.

3. Concluſio. ¶ Tertia concluſio. Nulla peccata venialia, quantumuis multa ſint, atque grauia diminuunt aliqua ex parte charitatem. Hæc concluſio ſequitur ex ſuperioribus, & probatur. Peccata venialia non diminuunt gratiam: ergo nec charitatem. Cõſequentia patet: nam, vt diximus ſupra art. 6. huius quæſtionis, gratia & charitas ſemper proportionantur: antecedens vero probatur. Peccata venialia non diminuunt gloriam, eſt enim homo acceptus ad gloriam, & ad tantã gloriam ratione meritorum præcedentiũ, quæ per peccata venialia nec diminuuntur, nec mortificantur, vt conſtat: ergo nec etiam diminuunt gratiam. Probo conſequentiã: nã gratia nihil aliud eſt, quam acceptatio ad gloriam. Et confirmatur ex Paulo 1. ad Corint. cap. 3. dicẽte, Si quis ædificat ſupra fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides precioſos, ligna, fœnum, ſtipulam, vniuſcuiuſque opus manifeſtũ erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur, & vniuſcuiuſq; opus quale ſit ignis probabit. Si cuius opus manſerit quod ſupra ædificauit mercedem accipiet: ſi cuius opus arſerit detrimentum patietur, ipſe autem ſaluus erit, ſic tamẽ, quaſi per ignem, &c. Quibus verbis apertè ſignificat Paulus, vt D. Greg. & gloſſa interpretantur, ꝙ, quamuis homo in fide, & charitate manens aliqua cõmittat peccata venialia, quæ per lignum, fœnũ, & ſtipulam ſignificantur, nõ tamen priuabitur gloria ſuis operibus debita, ſed ad illam perueniet, ſic tamen, quaſi per ignem, ſcilicet, purgatorij, probatus. Prætereà probatur concluſio. Quod natum eſt diminuere aliquam formam, illud in ſua ſpecie perfectum, aut aliquoties multiplicatum ſufficiens erit illam totaliter corrumpere, vt eſt videre in calore, qui quia ſufficit diminuere frigiditatem, aliquando poterit eſſe ità perfectus in ſua ſpecie, vt illam totaliter corrumpat, & idem contingit in habitibus acquiſitis: ſed nulla peccata venialia, nec ſimul nec ſeorſum ſumpta ſufficiunt totaliter corrumpere charitatem, vt iam diximus: ergo nec illam diminuere.

¶ Quarta concluſio. Peccata venialia diminuũt quoſdam effectus charitatis. Quod eſt dicere, quod charitas diminuitur per peccata venialia quantum ad feruorem. Probatur. Nam primo certum eſt, ꝙ qui venialiter peccat, eo tempore non exercet opera, quæ poſſint in Deũ referri, & ſic in illa operatione non declaratur feruor charitatis. Itẽ etiam certum eſt, quòd ex huiuſmodi peccatis venialibus crebrò frequentatis generantur in animo operantis prauæ quædam qualitates, quæ inclinant ad ſimilia opera, & repugnant quodammodo inclinationi charitatis, atque ex conſequenti impediunt operationem illius. Et non ſolum hoc, verum etiam ex nimio vſu peccandi venialiter in vna re poterit cõtingere, vt ita afficiatur homo ſtudio & amore erga illam rem, vt eam habeat pro vltimo fine. Et tunc ex peccatis venialibus frequentatis corrumpetur charitas indirectè: ergo peccata venialia diminuunt feruorem charitatis. 4. Concluſio.

¶ Ad primum argumentum reſpondetur conceſſo antecedenti negando conſequentiam. Et ratio diſcriminis eſt. Nam homines facilè irritantur, & non facilè placantur, nec remittunt offenſas ex animo: & præterea interdum leuibus rebus grauiſsime offenduntur, quod non accidit in Deo. Et ideo quamuis peccata venialia puniat, nihil tamen remittit de ſua amicitia, & de amore ſuo erga nos. Maximè ꝙ cognoſcit figmẽtum noſtrum, & difficultatem, quæ eſt in huiuſmodi peccatis venialibus vitandis. Ad. 1. arg.

¶ Ad ſecundum reſpondetur primo negando, ꝙ difficile mobile ſit differentia conſtitutiua habitus. Nam ſic habitus & diſpoſitio differrent ſpecie, nec qualitas, quæ prius fuit diſpoſitio poſſet fieri habitus: cuius contrariũ videtur ſignificare Ariſt. in prædicamento qualitatis, cum habitum & diſpoſitionem ſub vna ſpecie conſtituit. Et hæc eſt opinio Boetij & Alberti Magni, quos ſequitur D. Tho. de malo. quæſt. 7. art. 2. ad. 4. Cæterũ, quia D. Thom. 1. 2. quæſtio. 49. art. 2. ad. 3. apertè fatetur, quod difficile mobile eſt differentia conſtitutiua habitus, & quod per illã diſtinguitur ſpecie à diſpoſitione, aliter erit reſpõdendũ ad argumẽtũ conceſſo ante- Ad. 2. arg.

antecedenti negando conſequentiam. Dupliciter enim poteſt contingere, vt id, quod eſt difficile mobile diminuatur. Vno modo per ſe faciẽdo, vt habitus habeat eſſe minus perfectum minusq; radicatum in ſubiecto: & quod iſto modo diminuit hoc, quod eſt difficile mobile circa aliquem habitũ, proculdubio diminuit ipſum habitũ. Alio modo per accidens, quod contingit quando inducitur diſpoſitio ad contrarium: qua ratione dicimus per ſuſceptionẽ caloris in aqua ipſam formam aquæ reddi minus difficulter ſeparabilem à ſubiecto, nõ quia ipſa forma aquæ diminuatur, illa enim nec augeri nec minui poteſt, ſed quia calor diſponit ad formam ignis, ad cuius generationem ſequitur corruptio formæ aquæ. Et ad hunc modum peccata venialia diminuunt hoc, quod eſt difficile mobile in habitu charitatis, diſponendo, ſcilicet, ad peccatum mortale, per quod penitus corrumpitur, charitas: vnde non ſequitur ꝙ diminuant ipſam charitatem.

Ad 3. arg. ¶ Ad tertium argumentum reſpondetur conceſſo antecedenti, negando conſequentiam. Nam, vt diximus effectus charitatis remittuntur, non tamen ipſa charitas.

Ad cõfirmationem. ¶ Et ad confirmationem ex Ariſt. dico, ꝙ loquitur de habitibus acquiſitis, qui generantur & augentur noſtris actionibus, & illis etiam poſſunt remitti.

Ad vltimũ argum. ¶ Ad vltimũ reſpondetur cum D. Tho. de malo. q. 7. ar. 2 ad. 16. argumentũ, ꝙ actus charitatis dupliciter poteſt diminui. Vno modo quantum ad facultatem agendi, quia, ſcilicet, non poteſt homo tantum agere. Et q̃d ſic diminuit actum proculdubio etiam diminuit habitum, & formam, quæ eſt principium illius. Alio modo quãtũ ad executionẽ. Et quod ſic diminuit actum, non eſt neceſſe, vt diminuat habitum, vt eſt videre in eo, qui cõpedibus ligat alicuius pedes, qui quidẽ impedit greſſus illius, & tamen nõ diminuit virtutem progreſſiuam. Et hoc modo peccata venialia diminuunt actum charitatis: vnde non ſequitur ꝙ ſi diminuunt actũ debeant etiam habitum diminuere.

Nota circa ſolutionem ad primum argum D. Tho. ¶ In ſolutione ad primum argumẽtum dicit D. Tho. ꝙ illa propoſitio Ariſt. Cõtraria ſunt, quę eidẽ ſubiecto viciſſim inſunt, eſt vniuerſaliter vera, quãdo ſubiectũ ęqualiter ſe habet reſpectu vtriuſq; contrarij. Et quia charitas non æqualiter ſe habet reſpectu augmenti & diminutionis, habet enim cauſam augẽtem, & nõ habet cauſam diminuentem, idcirco poteſt augeri, & non neceſſe eſt, vt diminuatur. Eandẽ etiam expoſitionẽ ſequitur de mal. q. 7. ar. 2. ad. 2. Sed de veritate. q. 21 ar. 2. ad 1. aliam expoſitionem ſequitur dicens, ꝙ intelligitur, quãdo vnum contrariorũ nõ ineſt naturaliter ſubiecto, tunc enim alterũ contrariũ ineſſe nequit. Vt, quia calor naturaliter cõuenit igni frigus illi ineſſe non poteſt. Nec eſt intelligendũ, vt dicit Caietanus in pręſenti, de ineſſe in potentia quantũ eſt ex natura cõtrariorum, ſed de ineſſe reducibili ad actũ ſimpliciter, & abſolutè. Neceſſe eſt enim ex definitione contrariorum, quod habeant fieri circa idem, alioqui contraria non erunt. Sed quia, ꝙ alterum contrariorum tali ſubiecto coæuum ſit, aliunde poteſt prouenire: ſcilicet, vel quia ineſt à natura, vel quia non habet cauſam agentem, idcirco ſit, vt cõtraria quantũ ad actum non poſsint aliquãdo eidem ſubiecto ineſſe. Et quia charitas quanuis habeat latitudinem, ſecũdum quã poſſit augeri, atq; diminui, quia tamen eſt donum Dei, quod ab ipſo nec aufertur, nec diminuitur, & ex parte noſtra nulla datur cauſa ſufficiens ad diminutionem, idcircò circa illam non ità poteſt fieri diminutio, vt ſit reducibilis ad actum de potẽtia ordinaria, ſecundum quã in præſenti loquimur. Conuenientior tamen expoſitio mihi videtur, quam aſsignat, idẽ D. Tho. lib. 2. de cœlo. tex. 41. lect. 10. dicens, ꝙ contraria debent aliqualiter ineſſe eidem ſubiecto, vel proximo, vel ſaltim mediato. Et hac ratione materiæ ignis, ſicut ineſt calor poteſt etiã ineſſe frigus, quanuis non poſsit ineſſe igni. Et idem contingit in propoſito, ꝙ augmẽtum & diminutio, quę ſunt contraria nõ inſunt viciſsim charitati, inſunt tamen viciſsim habitui, qui cum ſit genus ad charitatem habet ſe vt materia reſpectu illius.

Nota circa ſolutionem ad ſecũdũ arg. D. Tho. ¶ In ſolutione ad ſecundum argumentũ dicit D. Tho. ꝙ illud, quod amatur in peccato veniali amatur propter Deum non actu ſed habitu. Circa quod eſt aduertẽdũ, aliud eſſe amare aliquid actu propter Deũ, aliud habitu, & aliud virtute. Nam amare actu eſt quãdo actualiter, & explicitè fit aliquid propter Deum, vt qui dat eleemoſynã pauperi, vt Deo placeat. Amare virtute eſt, quã do quis ex relatione præcedenti in Deũ facit opus aliquod pium immemor tũc Dei. Vt quãdo quis ex amore actuali Dei incœpit longam peregrinationem, poſteà verò præter intẽtionẽ diſtractus perficit illã: illa perfectio virtualiter dicitur relata in Deũ, quia

quia procedit ex actuali amore, & relatione. Amare habitu eſt habere habitum charitatis, per quem, quantum eſt ex parte ipſius, poteſt aliquid amari propter Deum, vt quando quis habens charitatem peccat venialiter. Talis enim dicitur amare Deum habitu, quia habet habitum, quo poſſet illud peccatum in Deum ordinare ſi ex ſe eſſet in illum referibile.

ARTICVLVS XI.

Vtrum charitas ſemel habita poßit amitti.

3.d.31.q.1.a.2.et.4.d.14.q.1.a.4.q.1.cor. Et.4.contra c.69. Et Veri.q.2.a.12

AD VNDECIMVM ſic proceditur. Videtur quòd charitas ſemel habita nõ poſsit amitti. Si enim amittitur, non amittitur, niſi propter peccatũ. Sed ille qui habet charitatem non poteſt peccare, Dicitur enim. 1. Ioan. 3. Omnis enim qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit: quia ſemen ipſius in eo manet, & nõ poteſt peccare: quoniam ex Deo natus eſt. Charitatem autem non habent niſi filij Dei. Ipſa enim eſt, quæ diſtinguit inter filios regni, & filios perditionis, vt Auguſt. dicit • in. 15. de Trinita. Ergo ille qui habet charitatem, non poteſt eã amittere.

Li.15.c.18 in prin.to.3

2 ¶ Pręterea, Aug. • dicit in. 8. de Trin. quòd dilectio ſi non eſt vera, dilectio dicenda non eſt: ſed ſicut ipſe dicit • in epiſt. ad Iulianum comitem, Charitas quæ deficere poteſt, nunquam vera fuit: ergo neque charitas fuit. Si ergo charitas ſemel habetur, nunquam amittitur.

Li.8.c.7.in prin.to.3.

3 ¶ Præterea, Greg. dicit • in homil. Pentecoſtes, quòd amor Dei magna operatur ſi eſt, ſi deſinit operari, charitas non eſt, ſed nullus magna operando amittit charitatẽ. Ergo ſi charitas inſit, amitti non poteſt.

Refertur de pœni.d.2.c. Charitas. 3. in ordine. Hom. 30. in Euang. non remotè à prin.

4 ¶ Præterea. Liberum arbitrium nõ inclinatur ad peccatũ, niſi per aliquod motiuum, ad peccandum: ſed charitas excludit omnia motiua ad peccandum, & amorem ſui & cupiditatem: & quidquid aliud huiuſmodi eſt. ergo charitas amitti non poteſt.

¶ SED CONTRA eſt, quod dicitur Apocalyp. 2. Habeo aduerſum te pauca, quòd primam charitatem reliquiſti.

¶ RESPONDEO dicendũ, quòd per charitatẽ Spiritusſanctus in nobis habitat, vt ex ſupra dictis • patet. Tripliciter ergo poſſumus conſiderare charitatem. Vno modo ex parte Spiritusſancti mouentis animam ad diligẽdum Deum. Et ex hac parte charitas impeccabilitatẽ habet ex virtute Spiritusſancti, qui infallibiliter operatur quodcũque voluerit. Vnde impoſsibile eſt hæc duo ſimul eſſe vera, quòd Spiritusſanctus velit aliquem mouere ad actum charitatis, & quod ipſe charitatem amittat peccando. Nam donum perſeuerantiæ computatur inter beneficia Dei, quibus certiſsime liberantur quicunque liberantur, vt Auguſt. dicit • in lib. de Prædeſtinatione ſanctorum. Alio modo poteſt conſiderari charitas ſecũdũ propriam rationem. Et ſic charitas nõ poteſt aliquid, niſi id quod pertinet ad charitatis rationẽ. Vnde charitas nullo modo poteſt peccare, ſicut nec calor poteſt infrigidare: & ſic etiam iniuſtitia non poteſt bonum facere, vt Aug. • dicit in lib. de ſermone Domini in monte. Tertio modo poteſt cõſiderari charitas ex parte ſubiecti, quod eſt vertibile ſecundum arbitrij libertatem. Poteſt autem attendi cõparatio charitatis ad hoc ſubiectũ, & ſecundũ vniuerſalem rationem, qua comparatur forma ad materiam, & ſecundum ſpecialem rationẽ, qua comparatur habitus ad potentiam. Eſt autem de ratione formæ, ꝙ ſit in ſubiecto amiſsibiliter, quando non replet totam potentialitatẽ materiæ: ſicut patet in formis generabilium, & corruptibiliũ, quia materia horum ſic recipit vnã formã, ꝙ remanet in ea potentia ad aliam formam, quaſi non repleta tota materiæ poten-

Q.23.ar.2. & q.24.artic.2.

In lib. de bone perſeuerãtia.14.par lo à princ. to.7.

Lib.2.c.37. to.4.

potentialitate per vnam formam. Et ideo vna forma poteſt amitti per acceptationem alterius. Sed forma corporis cœleſtis, quia replet totã materiæ potentialitatem, ita quod nõ remanet in ea potentia ad aliam formã, inamiſſibiliter ineſt. Sic ergò charitas patriæ, quia replet totam potentialitatem rationalis mentis: inquantum, ſcilicet, omnis actualis motus eius fertur in Deum, inamiſsibiliter habetur. Charitas autem viæ non ſic replet potentialitatem ſui ſubiecti: quia non ſemper actu fertur in Deum. Vnde quando actu in Deum fertur, poteſt aliquid occurrere per quod charitas amittatur. Habitui verò proprium eſt, vt inclinet potentiam ad agendum: quod conuenit habitui, inquantum facit aliquid videri bonum, quod ei conuenit, malum autem, quod ei repugnat. Sicut enim guſtus dijudicat ſapores ſecundum ſuam diſpoſitionem, ita mens hominis dijudicat de aliquo faciendo ſecundũm ſuam habitualem diſpoſitionem. Vnde & Philoſophus dicit *in. 3. Ethic. quod qualis vnuſquiſque eſt, talis finis videtur ei. Ibi ergo charitas inamiſsibiliter habetũ, vbi id quod conuenit charitati, nõ poteſt videri niſi bonũ, ſcilicet in patria, vbi Deus videtur per eſſentiã, quę eſt ipſa eſſentia bonitatis: & ideo charitas patriæ amitti nõ poteſt. Charitas autem viæ, in cuius ſtatu non videtur ipſa eſſentia Dei bonitatis eſſe eſsẽtia, poteſt amitti.

Li.3.cap.5.à med.to.5.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd authoritas illa loquitur ſecundũ poteſtatem Spiritusſancti: cuius conſeruatione à peccato immunes redđũtur, quos ipſe mouet quantum ipſe voluerit.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd charitas, quæ deficere poteſt ex ipſa ratione charitatis, vera charitas non eſt. Hoc enim eſſet ſi hoc in ſuo amore haberet, quod ad tempus amaret, & poſtea amare deſineret: quod non eſſet veræ dilectionis. Sed ſi charitas amittatur ex mobilitate ſubiecti cõtra propoſitum charitatis, quod in ſuo actu includitur, hoc non repugnat veritati charitatis.

¶ Ad tertium dicendum, quòd amor Dei ſemper magna operatur in propoſito: quod pertinet ad rationem charitatis, non tamen ſemper magna operatur in actu, propter conditionem ſubiecti.

¶ Ad quartum dicendum, quòd charitas ſecundum rationem ſui actus excludit omnẽ motiuum ad peccandũ. Sed quandoq; contingit quod charitas actu non agit: & tũc poteſt interuenire aliquod motiuum ad peccãdum: cui ſi conſentiatur, charitas amittitur.

SVMMA TEXTVS.

SVppoſito, quòd charitas poteſt tripliciter conſiderari, primo ex parte Dei mouentis animam ad diligendum, ſecũdo ex parte ipſius charitatis, tertio ex parte ſubiecti, in quo eſt, reſpondet D. Tho. ad difficultatem per quatuor propoſitiones. ℭ Prima concluſio. Ex parte Dei mouentis animam ad diligẽdum charitas eſt omnino inamiſſibilis. Probatur. Spiritus ſanctus infallibiliter operatur, nec ſtat, ꝙ ipſe velit aliquẽ mouere ad actum charitatis, & quod ipſe charitatem amittat pec[illegible]do: ergo charitas ex parte Dei mouentis eſt omnino inamiſsibilis. ℭ Secunda cõcluſio. Charitas ex natura ſua eſt omnino inamiſsibilis. Probatur. Charitas ſecundum propriam rationem ſemper inclinat ad actum bonum, ſicut calor quantum eſt de ſe ſemper habet calefacere, ergo ex natura ſua eſt impeccabilis, atque ex cõſequenti inamiſsibilis. ℭ Tertia concluſio. Ex parte ſubiecti charitas viæ poteſt amitti per peccatum mortale propter flexibilitatẽ liberi arbitrij. ℭ Quarta concluſio. Charitas patriæ nullo modo poteſt amitti. Has duas cõcluſiones ꝓbat ſimul D. Th. per ordinẽ ad naturalia, in quibus videmus ꝙ forma, quæ totaliter implet potentiã materię, & eius capacitatem, eſt omnino inamiſsibilis, vt eſt videre in forma cœli, illa vero, quę non totaliter replet capacitatem materiæ

ex ſe

ex ſe eſt amiſsibilis, vt patet de forma ignis, Sed ſic eſt, quod charitas patriæ aſsimilatur formæ replenti totam capacitatem materię, ipſa enim replet totam capacitatem rationalis mentis, ex quo fit, vt ſemper actu feratur in Deum & charitas viæ aſsimilatur formæ, quæ non replet capacitatem materiæ, ipſa enim non ſic replet capacitatem ſubiecti, vt ſemper actu feratur in Deum, ex quo fit vt quando actu nõ fertur in Deũ poſsit aliquid ocurrere, per quod charitas amittatur: ergo charitas patriæ eſt omnino inamiſsibilis, & charitas viæ eſt amiſsibilis ex parte ſubiecti per peccatũ mortale.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Circa iſtũ articulũ in quo parũ, aut nihil eſt nobis cõtrouerſiæ cũ catholicis, tres difficultates, quibus tota materia de amiſsibilitate gratiæ, & eius recuperatione continetur, eſt in animo diſputare. Prima eſt in vniuerſali, vtrùm charitas ſemel habita poſſit amitti. Secunda, vtrum aliqui iuſti poſſint ad eam charitatis perfectionem peruenire, vt eam amplius amittere non poſsint. Tertia, vtrùm charitas ſemel amiſſa certo recuperetur: nam de his omnibus eſt nobis

1. *Dubium.* maxima concertatio cũ hereticis. ¶ Et quidem de prima difficultate Iouinianus, vt autor eſt D. Hiero. in lib. aduerſus eundem in principio, aſſeruit, quod is, qui verè renatus eſt ex aqua & Spiritu ſancto à diabolo tentari non poteſt, & ſi tentaretur eo ipſo oſtenditur ex ſola aqua fuiſſe renatum. D. Auguſt. in lib. de hæreſ. cap. 82. aliter hunc

Sententia hæreticorum. errorem recenſet dicens Iouinianũ tenuiſſe, quòd homo accepto regenerationis lauacro erat omnino impeccabilis, ſed prorſus in idem recidit. Hunc errorem iandiu ſepultum poſteà ſuſcitauit Lutherus affirmans nulla ratione fieri poſſe, vt qui baptizati ſunt non ſaluentur, quia promiſsio ibi facta non eſt mutabilis, nec charitas ſemel

Argumenta hæreticorũ. habita poteſt amitti. Et probari poteſt hæc ſententia ex capite, charitas, primo, de pœnitentia. d. 2. vbi dicitur quòd charitas, quæ deſeri poteſt nunquam fuit vera. Et in cap. radicata, eadem diſt. etiam dicitur, Radicata eſt charitas ſecuris eſto, nihil mali procedere poteſt, &c. Et in cap. vnctio, eadẽ diſt. Vnctio inuiſibilis eſt Spiritus ſanctus, vnctio inuiſibilis eſt charitas, & in quocunq; fuerit tanquam radix illi erit, quæ ſolis ardore areſcere non poteſt: nutritur enim ardente ſole, non areſcit. Et in cap. charitas. 2. eadem diſt. cum multa dixiſſet D. Proſper in laude charitatis ſubiungit, Sine qua nullus Deo placuit, cũ qua nullus peccare poteſt, nec poterit. Et D. Ambroſ. in cap. ficta, eadem diſt. dicit, Ficta charitas eſt, quæ deficit in aduerſis. Ex quibus omnibus colligi videtur, ꝙ charitas ſemel habita non po-

teſt amitti. ¶ Itẽ hoc ipſum probatur ex ſacris literis. Nam. 1. Ioan. cap. 3. dicitur, Omnis, qui ex Deo natus eſt, non peccat, quoniam ſemen ipſius manet in eo, & peccare non poteſt quia ex Deo natus eſt. Et cap. 5. Omnis, qui ex Deo natus eſt, non peccat, generatio enim cœleſtis conſeruat eum, & malignus non tangit illum, &c. Et. 1. ad Corint. cap. 13. dicit Paul. Charitas nunquam excidit, & ad Roma. 8. Quis nos ſeparabit à charitate Dei, &c. & Pſal. 118. Beati qui ſcrutãtur teſtimonia eius, &c. Et ſubdit ſtatim, Non enim qui operantur iniquitatem in vijs eius ambulauerunt. Et eſt ponderandũ, quòd dicit, non ambulauerunt, & non dicit, non ambulant. ¶ Itẽ ratione ſic argumẽ 3. *Argum.* 2. *Argum.*

ror. Charitas patriæ & charitas vię ſunt eiuſdem ſpei, ſed charitas patriæ eſt omnino inamiſsibilis, ergo & charitas viæ. Probo conſequentiam nam quę ſunt eiuſdem ſpeciei, & habẽt eandem eſſentiam neceſſario etiã debent habere eaſdẽ operationes. ¶ Et con *Cõfirmatio.*

firmatur. Ex eo charitas in patria eſt inamiſsibilis, quia per viſionem beatificam oſtenditur ſumma Dei bonitas ad quam naturaliter ſequitur amor ſeu dilectio: ſed cognitio fidei etiam oſtendit certo & infallibiliter eandem Dei bonitatem, quæ in patria videtur: ergo ad illam naturaliter ſequitur amor, atque ex conſequenti charitas non poteſt amitti.

¶ His tamen nõ obſtantibus ſit cõcluſio *Concluſio de fide.*

de fide tenenda, quod charitas viæ ſemel habita poteſt per peccatum mortale amitti, niſi eam habens ſit cõfirmatus in gratia, vt de Beatiſsima Virgine, & de Apoſtolis credit Eccleſia. Et probatur. Ex ſacris literis cõſtat plæroſque fuiſſe in Dei gratia conſtitutos, qui tamen poſteà illam amiſerunt, ergo gratia ſemel habita poteſt amitti. Conſequentia eſt nota, & antecedens probatur, multipliciter. Nam primo Adam fuit creatus electus à Deo, & poſteà contempto Dei præcepto, vt placeret vxori comedit de fructo ligni vetiti, & amiſit gratiam, & iuſtitiã originalem. Item Saul, qui tẽpore quo fuit electus à Deo, erat ita gratus atque charus illi

illi, vt non eſſet vir melior eo in filijs Iſrael, vt dicitur. 1. Regum cap. 9. poſtea tamen multa atque grauia peccata commiſit, & tandem ſe interfecit, vt conſtat. 1. Regum. c. 16. &. 19. &. 1. Paralipomenon. c. 10. Item Dauid, qui de poſt fœtantes fuit electus in Regem, & à Samuele Propheta ex præcepto Dei vnctus poſteà adulterium, & homicidium commiſit. 2. Regum. capi. 11. Salomon huius filius à Domino prius dilectus, & ab eo vltra omnes homines ſapiētia donatus, poſteà fuit mulieroſus & idololatra. Nec hoc ſolùm contigit in veteri teſtamento, ſed etiam in nouo. Nam pridie quā Dominus Ieſus Chriſtus pateretur cœnante illo cum Apoſtolis ſuis dixit Petro, Qui lotus eſt non indigeret, niſi, vt pedes lauet. & ſubdit ſtatim: Vos mundi eſtis ſed non omnes. His verbis ſignificans omnes Apoſtolos vltra Iudam eſſe in gratia, & tamen illi, qui mundi erant poſtea relicto Magiſtro fugerūt. Et D. Petrus ter Chriſtum negauit, quo peccato gratiam amiſiſſe nullus eſt, qui dubitet. Et Nicolaus Antiochenus Diaconus, qui ab Apoſtolis fuit electus tanquam vir boni teſtimonij, & plenus Spiritu ſancto vt cū Stephano, & alijs quinque viduis miniſtraret, poſtea tamen à multis male audijt, propter illud, quòd Dominus in Apocalyp. cap. 2. ait, ſe odiſſe facta Nicolaitarum, ergo gratia ſemel habita poteſt amitti. Item hoc ipſum probatur ex illo Ezechiel. cap. 18. Cum iuſtus auerterit ſe à iuſtitia ſua & iniquitatē fecerit morietur. Et Chriſtus Dominus Matthæi. 6. docens nos orare præcipit, vt dicamus, Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris, & ne nos inducas in tentationem. Quæ verba, ſi homo, qui plena fide baptizatus eſt non poſſet à Dæmone ſubuerti, vt dicebat Iouinianus nulla ratione baptizatis conuenire poſſent, atque adeò nec toti Eccleſiæ, cuius cōtrarium conſtat ex eius vſu, quæ quotidie orat & dicit, Et ne nos inducas in tentationē. Et D. Paulus. 2. ad Corinth. 11. dicit, Timeo, ne ſicut ſerpens decepit Euam aſtutia ſua, ita corrumpantur ſenſus veſtri à ſimplicitate, quæ eſt in Chriſto, &. 1. ad Corinth. 10. Qui ſibi videtur ſtare videat ne cadat. Et ad Galat. 5. reprehendit eos, quòd à recta via diſceſſerint dicens: Currebatis bene, quis vos impediuit veritati non obedire. Item, ſi charitas ſemel habita non poſsit amitti ſequeretur ſuperfluè à Chriſto fuiſſe inſtitutum Sacramentum pœnitentiæ, ſiquidem baptiſmus ſufficeret ad ſemel conferendam gratiam: nec etiam eſſet cur Chriſtus Petro interrogāti, Quoties peccauerit in me frater meus & dimittam ei, reſponderet, non ſepties ſed ſeptuagies ſepties. &c. hæc aūt ſunt abſurda, ergo. Deniq; hæc veritas diffinita eſt in quodā concil. Africano. & in Latera. ſub Innoc. III. & refertur in. c. Firmiter de ſumma Trinit. & Fide cath. & in conc. Trid. ſeſ. 6. c. 13. &. 14. De qua re videndus eſt Gratianus in capit. vt cognouerūt. de pœnitentia. d. 2. & D. Hieronymus lib. 2. aduerſus Iouinianum. & D. Thom. 4. contra Gent. cap. 70. Præterquam, quòd etiam ſufficeret nobis ad noſtram concluſionem probandam hoc vnum exēplum Diaboli, de quo communiter dicunt Doctores illum in gratia fuiſſe creatum, vt colligitur ex Eſai. capit. 14. Vbi ſub typo Regis Babylonis dicitur de illo, quòd erat Lucifer & fulgentiſsimus in mane ſuæ creationis, & Ezechiel. 28. ſub typo Regis Tyrij, quòd fuit plenus ſapientia perfectus decore. In delicijs Paradiſi Dei fuiſti, omnis lapis precioſus operimentum eius. &c. Et tamen de eodem Lucifero dicit Chriſtus Lucæ. c. 10. Videbam Sathanam ſicut fulgur de Cœlo cadentem. Vnde preclarè dicit D. Hierony. lib. 2. contra Iouinianum, Si altiſsima illa ſublimitas cecidit quis cadere non poſsit? Si in Cœlo ruinæ quantò magis in terra? Si in Angelis ſuis reperit prauitatem, quantò magis hi, qui habitant domos luteas qui terrenum habent fundamentum conſumentur velut à tinea?

¶ Sed reſtat, vt ad argumenta reſpondeamus. Ad primum, quòd cōſtat ex pluribus capitibus deſumptis ex Decreto de pœnitentia diſt. 2. dico cum D. Thom. q. vnica de Charitate artic. 12. ad. 2. 3. &. 4. quòd intelliguntur de charitate quantum ad poteſtatem, ſeù propriam rationem ipſius charitatis, ex hac enim parte vera charitas, nec deficit, nec deficere poteſt, cum tamen poſſit deficere ex parte ſubiecti, quod ex ſe eſt variabile, & mutabile. Vel ſecundò, reſpondetur cum Gratiano de pœnitentia. diſt. 2. cap. vltimo prope finem illius, quòd charitas viatorū, quæ deſeri poteſt cōparatione charitatis diuinæ, aut etiam charitatis, quæ deficere nō poteſt, qualis eſt beatorum, nō dicitur vera charitas, quamuis ſimpliciter, & abſolute ſit vera. Ad. 1. argu.

¶ Ad ſecundum argumētum, quòd conſtat pluribus teſtimonijs ſacræ Scripturæ, Ad. 2. argu.

vt reſpondeamus operęprecium erit, vt ſingula illa loca ſuo ordine expliceinus. Primum teſtimonium eſt D. Ioan. qui prima ſua Canonica cap.3.&.5.dicit, Omnis, qui natus eſt ex Deo non peccat, ſed generatio Dei conſeruat eum.&c. Circa quod eſt primo ſupponendum tanquam certum, quòd D.Ioann.nunquam ſenſit eos, qui charitatem habent non poſſe illam per peccatum amittere. Nam.ca.1.dixerat, Si dixerimus, quòd peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus: & rurſus, Si confiteamur peccata noſtra fidelis & iuſtus eſt Deus, vt remittat nobis peccata noſtra, & iterum, Filioli hæc ſcribo vobis, vt non peccetis. Si autem illi, qui ſunt in gratia nō poſſent amplius peccare fruſtra admoneret eos ne peccarent. Itaq; hoc certum eſt. Sed in explicando vero, & legitimo ſenſu illorum verborum, quæ adducuntur in argumento quamplurimum variāt Doctores inter ſe ſe. Ioannes Hus dicebat, quòd loquitur Apoſtolus de prædeſtinatis, quos vocat natos ex Deo, quia omnia illorum opera quanuis ex obiecto ſint peccata, dicuntur tamen bona opera, quia ipſis prædeſtinatis cedunt in bonum. Sed iſte error condemnatus eſt in conc. Coſtan. ſeſſ. 15. Pelagiani atque Manichæi intelligunt hoc Apoſtoli teſtimoniū de quodam genere peculiari electorum, qui ſecundum illorum ſententiam non poterant peccare, nec venialiter, quos vocat Ioānes natos ex Deo. Sed hæc ſententia etiam eſt hæretica, vt dicemus dubio ſequenti. Diuus Bernar. aliter explicat iſtum locum in ſermone. 1. de ſeptuageſima. dicens, quòd loquitur D. Ioan. de prædeſtinatis, quos dicit non peccare, non quia peccare nō poſſunt, ſed quia in peccato nō perſeuerant vſq; ad finē vitę, ſed generatio Dei, hoc eſt, diuina prædeſtinatio illos conſeruat, & tandem liberat à peccato. Diuus Thomas dicit, & eſt ſententia D. Auguſtini homilia.4. ſuper epiſtolam Ioannis & in libr. de baptiſmo paruulorum cap.8. quòd nati ex Deo, id eſt, iuſtificati mouentur ad operandum ab Spiritu ſancto, quem habent in ſe, & quatenus ab illo mouentur nō faciunt peccatum. Et hoc eſt, quòd D. Ioan. eo in loco ſignificat, vnde ſtatim adiecit, generatio Dei cōſeruat eum, hoc eſt, Spiritus ſanctus mouet illos ſemper ad bonum. D. Auguſtinus in libro. de natura & gratia. paulò poſt principium aliter exponit illa verba Ioan. dicens, Omnis, qui natus eſt ex Deo peccare non pōt, hoc eſt, non debet. Cæterum verior & conuenētior expoſitio eſt illa, quam aſsignat D. Hierony. libr.2. contra Iouin. & in principio primi dialogi aduerſus Pelagianos: cuius verba referuntur à Graciano de pœni tentia diſt.2.cap.ſi enim. & D. Auguſtinus Homil.5. ſuper canonicam Ioan. Qui ſuppoſito, quòd Apoſtolus loquitur de peccato mortali dicunt ſenſum illorū verborum eſſe, quòd qui nati ſunt ex Deo, hoc eſt, qui habent gratiam atq; charitatem, quandiu illam habent non peccant mortaliter, quāuis poſsint peccare venialiter. Ad quē etiam modum exponit D. Hierony. illud Matth.7. Nequit arbor mala bonos fructus facere, hoc eſt, quandiu mala eſt. Pro hac re videndus eſt Tho. VValdin tomo de Sacramentis.cap.124. ¶ Ad aliud ex Paulo.1. ad Corinth.13. reſpondetur cum D.Thom. ſuper illum locum Lucæ.3. & eſt communis expoſitio omnium Doctorum, quòd Apoſtolus eo in loco non loquitur de ceſſatione donorū ſpiritualium per peccatum mortale, ſed per gloriam ſuperuenientem. Et conſtituit diſcrimen inter charitatem ex vna parte, & ſpem & fidē, & prophetiam, & alia dona, quæ includunt imperfectionem ex alia: quod hæc dona ceſſabunt in patria, charitas autem nunquam excidit, ſed eadem, quæ eſt in via manebit in patria cum augmento. Et propterea, Eſaias.c.13. dicebat, Dominus, cuius ignis, hoc eſt, charitas eſt in Sion, id eſt, in Ecleſia militante, & caminus ignis in Hieruſalem, hoc eſt, in pace cæleſtis patriæ. ¶ Ad aliud ex Paulo ad Romanos.8. D.Thom. ibi lectio.7. tres adhibet expoſitiones. Prima eſt, quòd loquitur Apoſtolus de ſe ipſo, per reuelationem enim ſciebat ſe eſſe in gratia & in ea confirmatum. Secunda, quod loquitur de prædeſtinatis, & electis, qui quāuis poſsint excidere à gratia & charitate, finaliter tamē non poſſunt ab illa ſeparari. Tertia expoſitio eſt, quod intelligatur de omnibus iuſtis ſiuē prædiſtinati ſint, ſiue non. Et dicit, quod huiuſmodi homines non poſſunt ſeparari à charitate, quantum eſt ex parte ipſius charitatis, quæ ad hoc ſolùm inclinat, vt Deum diligamus, quanuis ex parte liberi arbitrij, quod flexibile eſt, ſit in nobis ſufficiens principium ad peccandum. Sed vltra has poſſumus alias duas expoſitiones aſsignare. Prima eſt, quòd cū Paul. dicit, Quis ſeparabit nos à charitate Dei? nō negat iuſtos poſſe per ſuam voluntatē à cha-

Ad teſtimonium Ioan.

V. ra loci expoſitio.

Ad teſtimonium Pauli.

Ad aliud ex Paulo.

à ch[illegible] [illegible] armat eſt, n[illegible] illo afferri [illegible] à charitate ſeparare, [illegible] enim nullus l[illegible] [illegible] Secunda expoſitio eſt, vt intelligatur [illegible] de charitate, qua ipſi Deum diligimus, ſed de [illegible] qua Deus diligit nos. Ita, vt intentum Apoſtoli ſit docere, quòd homines iuſti diliguntur à Deo amore adeo firmo atque cōſtanti, vt etiam ſi vniuerſæ res congregentur in vnum non erunt ſufficientes diuinam voluntatem à nobis alienare. Cui expoſitioni ſuffragari videtur id, quod ante præceſſerat. Nam laudauerat Paulus diuinam charitatem erga nos dicens, Si Deus pro nobis quis contra nos? qui proprio filio ſuo non pepercit. &c. Et rurſus, Quis inquit, accuſabit aduerſus electos Dei? Deus, qui iuſtificat, quis erit qui cōdemnet? Chriſtus Ieſus, qui mortuus eſt, imo qui & reſurrexit, qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. Et ſubdit ſtatim, Quis ergo nos ſeparabit à charitate Chriſti. &c. quæ eſt tāquam clauſula collecta ex tota ſuperiori oratiōe. Tanquam ſi diceret, Cum Deus tot modis, atq; rationibus fecerit manifeſtum ſuum amorem erga nos, ſequitur quòd debemus eſſe certi, quod nulla ratione, niſi per nos ſteterit, repellat nos à ſuo amore atq; charitate.

Ad teſtimoniū ex Pſal. 118. ¶ Ad aliud ex Pſal. 118. Fœlix dicit vertendum eſſe, Non enim qui operantur iniquitatē in vijs eius ambulant, quod & Flaminius & Ioānes Cāpenſis & Caietanus ibidē ſequuntur. Sed legēdo cum noſtra vulgata editione dicit Hugo Cardinalis, quòd qui operantur iniquitatem in vijs eius non ambulauerunt, ſcilicet, fructuoſè: & ideo tantundem eſt ac ſi non ambulaſſent. Vel ſecundò reſpondetur, quòd legitimus ſenſus eſt, quod quandiù aliqui operantur iniquitatem non ambulant in vijs eius.

Ad 3. argu. principale. ¶ Ad tertium argumentum principale reſpōdetur, quòd charitas ex ſe eſt incorruptibilis & inamiſsibilis, ſiuè ſit in patria, ſiuè ſit in via, vt docet D. Thom. in hoc articulo, quod & conuincit argumentum factum. Cæterum cum hoc ſtat, quod charitas viæ ex parte ſubiecti ſit corruptibilis, & charitas patriæ ſit incorruptibilis. Nec obſtat quod ſunt eiuſdem ſpeciei: nam in rebus, quæ ſunt eiuſdē ſpeciei ſæpeſæpius contingit, quod vna ſit corruptibilis, & alia incorruptibilis ex parte ſubiecti: vt eſt videre in luce, quæ quatenus e[illegible] in ſole eſt incorruptibilis, & quatenus eſt in aere eſt corruptibilis ex parte ſubiecti, & tamen vtraq; lux eſt eiuſdē ſpeciei. Item ignis, qui hic eſt, & in ſuo loco naturali ſunt eiuſde ſpeciei, & tamen ille eſt corruptibilis, & hic incorruptibilis, quia hic non habet cauſas ſui corruptiuas, ille vero habet eas. Eodem contingit in charitate, quæ de patria eſt incorruptibilis ex parte ſubiecti: tum quia implet totam capacitatem ſubiecti, vt dicit D. Th. in hoc articulo: tum etiam quia non habet cauſas cōtrarias. At vero charitas huius viæ eſt corruptibilis ex parte ſubiecti, ex defectu vtriuſq;. Vel ſecūdo reſpōdetur, quòd charitas viæ & charitas patriæ aliquo modo differunt ſpecie in genere moris, inquantū, ſcilicet, illa eſt libera, & iſta neceſſaria. Vnde non eſt mirum, quòd habeant diuerſas operationes. Ad hunc etiam modum dicūt Theologi ſatis probabiliter, in Chriſto fuiſſe duplicem actum charitatis, qui cum non poſsint eſſe ſolo numero diſtincti, neceſſario debemus affirmare, quòd erāt diſtincti ſpecie in genere moris.

Ad cōfirmationem. ¶ Ad confirmationem reſpondetur conceſſo antecedenti, negando cōſequentiam. Nam viſio beatifica cùm clarè, & euidēter oſtendat ipſam Dei bonitatem neceſſario rapit voluntatem ad illius dilectionem, at vero fides non oſtendit clarè & euidenter omnem rationem bonitatis in Deo exiſtentis, & ideò quanuis habeat ſe, vt diſpoſitio neceſſario requiſita ad dilectionē, non tamen habet ſe tāquam cauſa, ad quā neceſſario conſequatur actus charitatis.

2. Dubium. ¶ Secunda difficultas in hoc articulo explicanda eſt, Vtrum aliqui iuſti poſsint ad eam charitatis perfectionem peruenire, vt eam amplius amittere non poſsint. De qua re Manichæus, vt refert D. Hierony. in epiſtola ad Teſiphontem dicebat, electos ſuos ità carere omni peccato, vt nec ſi vellet peccare poſſent: ad tanta enim virtutum culmina traſcenduntur, vt carnis operibus illudāt.

Sententia hæreticorum. Hic error vt ibidem affirmat D. Hierony. fuit ramuſculus Origenis, qui in illud Pſal. 15. Inſuper, & vſque ad noctem erudierunt me renes mei, aſſerit vnum ſanctum cum ad virtutū venerit ſummitatem, nec in nocte quidem ea pati, quę hominum ſunt, nec cogitatione aliqua viciorū titillari. Ex quibus ſatis cōſtat iſtos ſenſiſſe aliquos poſſe ità perfectos eſſe, vt à charitate decidere nequeāt. Idem etiam tenuerunt Begardi atq; Beguinæ: qui dixerunt poſſe homines ad

eam perfectionẽ deuenire, vt nec in gratia proficere nec peccare poſsint.

Concluſio de fide

¶ Sed contra hos omnes ſit cõcluſio de fide tenenda, quòd nullus homo quantumuis iuſtus in hac vita exiſtens poteſt eſſe, qui ſecluſo priuilegio ſpeciali diuinæ cõfirmationis, non poſsit à gratia, & charitate decidere: itàque oẽs ſunt ſubiecti peccato tam veniali quam mortali. Hanc concluſionem latè probat D. Hieron. loco citato. Primum, ex Paulo ad Roman. 11. dicente: Concluſit Deus omnia ſub peccato, vt omnium miſereretur. Et. c. 3. Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei. Et Eccleſiaſt. 7. Non eſt homo iuſtus ſuper terram, qui faciat bonum, & non peccet. Et. 3. Regu. c. 8. Non eſt homo, qui non peccet. Et Iob. c. 15. Quis gloriabitur caſtum ſe habere cor. &c. Denique hæc veritas diffinita eſt in concil. Mileuit. c. 6. & 7. vbi & cõfirmatur aliquibus ex teſtimonijs citatis: & pręterea illam confirmat cõcilium alijs duobus. Primum eſt Iacobi. c. 3. dicẽtis, In multis offendimus omnes. Aliud Danielis. c. 9. qui dicit, Peccauimus, iniquitatẽ fecimus. &c. Quæ verba dum adducit Concilium, ità habet: Daniel ſanctus, & iuſtus cum in oratione pluraliter diceret: Peccauimus, iniquitatem fecimus, & cętera, quę ibi veraciter, & humiliter confitetur, ne putaretur, quemadmodum quidam ſentiunt, hæc non de ſuis, ſed de populi ſui potiùs dixiſſe peccatis, poſteà dixit: Cum orarem & confiterer peccata mea, & peccata populi mei Domino Deo noſtro. Noluit dicere, peccata noſtra, ſed populi ſui dixit, & ſua: quia futuros iſtos, qui tam malè intelligunt tanquam Propheta prouidit. Hæc Concilium. Idem etiã eſt diffinitum in conci. Trid. ſeſ. 6. c. 12.

3. Dubium.

¶ Tertia difficultas huius articuli eſt, Vtrùm charitas ſemel amiſſa ſit infallibiliter recuperanda. Nã non defuerunt etiam hæretici, qui affirmarent, omnes habentes charitatem eſſe tandem ſaluandos. *Sententia hæreticorum.* Ex quo neceſſario infertur, ſecundum horum ſententiam, quod charitas ſemel habita, quamuis per peccatum mortale amittatur, erit tamen infallibiliter recuperanda: non enim poteſt fieri, vt aliquis ſine charitate ſaluetur. *1. argum.* Et probant ſuam ſententiam. Primò, ex illo Pauli ad Rom. 8. Quos vocauit, hos iuſtificauit, & quos iuſtificauit hos glorificauit. Ex quo loquo ſic colligunt argumentum. Qui ſemel habuerunt charitatem vocati ſunt & iuſtificati: ergo etiã erunt glorificandi. ¶ Secundò, Paulus ad Hebr. 6. loquens de Iudæis, qui ſemel ad Chriſtum cõuerſi poſtea ad Iudaiſmũ reuerſi ſunt, dicit: Confidimus autem de vobis dilectiſsimi meliora, & viciniora ſaluti, tametſi nà loquimur, non enim iniuſtus Deus, vt obliuiſcatur operis veſtri, & dilectionis, quam oſtendiſtis in nomine ipſius. &c. *2. Argum.* Quibus verbis apertè ſignificat eos eſſe ſaluandos, qui aliquando ad Chriſtum conuerſi ſunt, idque dicit pertinere ad diuinam iuſtitiam, ergo charitas ſemel amiſſa iterum erit infallibiliter reſtituenda. Item D. Hieronym. in commentarijs ſuper Eſaiam prope finem dicit: Infideles nũquam fidem Chriſti ſuſcipientes puniendi ſunt: de fidelibus autem ſperandum eſt, quòd illorum ſupplicium erit admixtum charitate, ergo fideles tandem charitatem conſequentur.

Concluſio de fide.

¶ His tamen non obſtantibus ſit concluſio de fide tenenda, ꝙ non eſt neceſſe charitatẽ, & gratiam ſemel amiſſam tandem reſtitui. Et probatur. Nam certum eſt de fide ex ijs, quæ diximus dubio primo, Luciferum, Saulẽ, & Iudam, & multos alios, quos conſtat aliquando habuiſſe gratiam damnatos eſſe. Item Marci. c. vltimo dicit Chriſtus, Non omnis qui dicit Domine, Dñe, intrabit in regnum cœlorum, & tamen qui Chriſtum appellãt Dominum ſunt in gratia, & charitate, iuxta illud, Nemo poteſt dicere Dominus Ieſus, niſi in Spiritu ſancto, & Matth. cap. 20. dicit Chriſtus, Multi ſunt vocati, pauci verò electi, & intelligit ꝑ vocatos non ſolùm eos, qui habent fidem, ſed etiam eos, qui habẽt charitatem. Hanc eãdem concluſionem probat pluribus alijs teſtimonijs ſacræ Scripturæ & Sanctorum Auguſtini atq; Gregorij, Gratianus de pœnitentia. diſt. 2. cap. Amplius.

Ad. 1. arg.

¶ Et ad primum argumentum in contrarium factum reſpondetur, Apoſtolũ eo in loco nõ loqui vniuerſaliter de omnibus, qui vocantur, & iuſtificantur. Sed tantum de prędeſtinatis, qui vocati ſunt, vt conſtat ex ipſo contextu. Dixerat enim, Quos pręſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imagini filij ſui. Et poſteà ſubdit, Quos prædeſtinauit hos & vocauit & quos vocauit hos & iuſtificauit. &c. Certũ eſt autem, ꝙ prædeſtinati etiã ſi ſæpius cadant à gratia tandem tñ ſunt ſuturi fœlices atq; beati. ¶ Ad aliud ex Paulo ad Hebr. 6. D. Tho. reſpondet duo. Primum quod illi, ad quos Apoſtolus loquitur, non deciderunt à gratia, ſed

cum

cum Chriſtū à principio maxima conſtantia eſſent profeſsi poſteà languere cęperunt in officio pietatis, quos Paulus propter hoc reprehendit. Et, vt erigat eos ad priſtinā virtutem proponit ob oculos periculū, in quo ſunt illi, qui ſemel ab accepta gratia receſſerunt. Cæterum, quia in hac exhortatione faciēda vſus fuerat maxima acerbitate orationis, vt ſe aliqua ex parte mitigaret, dicit: Confidimus autem de vobis, dilectiſsimi, meliora. &c. Secundò, reſpondet idem D. Tho. ꝙ Paulus loquitur de hominibus in peccato exiſtentibus, de quibus dicit, iuſtū eſſe, vt Deus illos ad ſe conuertat; non tamen ſimpliciter, ſed ex quadam congruitate, & decētia propter egregia opera, quæ dū erāt in gratia præſtiterunt. ❡ Ad vltimum ex D. Hiero. dico, ipſum non loqui ex propria, ſed ex aliorū ſententia, quod frequentiſsimè facit in commentarijs.

Nota circa 4 conclu. D. Thom. ❡ Circa quartam cōcluſionem D. Tho. eſt aduertendum, fuiſſe errorem Origenis, qui, vt refert D. Augu. in lib. de hæreſibus, & adducitur à Caſtro lib. 3. de hæreſi. verbo. beatitudo. hæreſi. 3. dicebat, quòd nec beatitudo, nec miſeria perpetua futura erat ſed viciſsim beatos futuros miſeros, & miſeros beatos: qđ deſumpſit Origenes ex Philoſophia Platonis. Fuit enim Plato in hac ſententia, vt conſtat ex Cicerone lib. 6. de Republi. & ex Macrobio in illum locum. Cæterum concluſio D. Thom. eſt de fide tenenda. Et probatur ex illo Sapientiæ. c. 3. Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis: viſi ſunt enim oculis inſipientium mori, illi autem ſunt in pace. Et ſapientiæ. 5. Iuſti autem in perpetuum viuūt. &c. Et Lucæ. 1. de regno Chriſti dicitur: Regnabit in domo Iacob in æternū. Certum eſt autem, quòd regnū Chriſti ſunt beati, iuxta illud Apocal. c. 5. vbi beati introducuntur dicentes: Feciſti nos Deo noſtro regnum. Denique hæc veritas eſt quaſi fundamentum totius Chriſtianitatis. De qua videndus eſt D. Th. 1. 2. quæſt. 4. art. 4. & quæſt. 5. art. 4. Vbi quærit, an beatitudo ſit amiſsibilis.

ARTICVLVS XII.

❡ *Vtrum charitas amittatur per vnum actum peccati mortalis.*

3. diſt. 31. q. 1. arti. 2. Et ve. q. 27. arti. 6. & 13.

AD DVODECIMVM ſic proceditur. Videtur quòd charitas non amittatur per vnum actum peccati mortalis. Dicit enim Origenes *in. 1. Periarc. Si autem ſatietas capit aliquem ex his, qui in ſummo perfectoque conſtiterit gradu, nō arbitror quod ad ſubitū quis euacuet, aut decidat: ſed paulatim, ac etiam per partes eum decidere neceſſe eſt. Sed homo decidit, charitatem amittens. Ergo charitas non amittitur per vnum ſolum actum peccati mortalis. *Lib. 1. ca. 3. circa ſi. to. 4*

2 ¶ Pręterea, Leo papa dicit in ſermone* de paſsione, alloquens Petrum, Vidit in te dominus non fidem fictam, non dilectionem auerſam: ſed cōſtantiam fuiſſe turbatā. Abundauit fletus, vbi non defecit affectus, affectus charitatis lauit verba formidinis. Et ex hoc accepit Ber. quòd dicit, in Petro charitatem non fuiſſe extinctam, ſed ſopitam. Sed Petrus negando Chriſtum, peccauit mortaliter. Ergo charitas non amittitur per vnum actum peccati mortalis. *In ſer. 9. de paſsione Do. circa ſi.*

3 ¶ Præterea, charitas eſt fortior quā virtus acquiſita. Sed habitus virtutis acquiſitæ nō tollitur per vnum actum peccati contrarium. Ergo multo minus charitas tollitur per vnum actum peccati mortalis contrarium.

4 ¶ Præterea, Charitas importat dilectionem Dei & proximi. Sed aliquis committens aliquod peccatum mortale, retinet dilectionem Dei, & proximi, vt videtur. Inordinatio enim affectionis circa ea, quæ ſunt ad finem, non tollit amorem finis, vt ſupra dictum* eſt. Ergo poteſt remanere charitas ad Deum: exiſtente peccato mortali per inordinatam affectionem circa aliquod temporale bonum. *Art. 10. huius quæſt.*

5 ¶ Præterea, Virtutis theologicæ obiectum eſt vltimus finis. Sed aliæ virtutes theologicæ, ſcilicet fides & ſpes, non excluduntur per vnū actum peccati mortalis, imò remanent informes. Ergo etiam charitas pōteſt remanere informis, etiam vno peccato

mortali perpetrato.

¶SED CONTRA, Per peccatũ mortale fit homo dignus morte æterna, ſecundum illud Ro. 6. Stipendia peccati, mors. Sed quilibet habens charitatem, habet meritum vitæ æternæ. Dicitur enim Ioann. 14. Si quis diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eũ, & manifeſtabo ei meipſum. In qua quidem manifeſtatione vita æterna conſiſtit, ſecũdum illud Ioan. 17. Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcãt te verũ Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Nullus autem poteſt eſſe ſimul dign⁹ vita æterna & morte æterna. Ergo impoſsibile eſt quod aliquis habeat charitatem cum peccato mortali. Tollitur ergo charitas per vnum actum peccati mortalis.

¶RESPONDEO dicẽdum, quod vnum contrarium per aliud contrarium ſuperueniens tollitur. Quilibet autem actus peccati mortalis contrariatur charitati ſecundum propriam rationem, quæ conſiſtit in hoc quod Deus diligatur ſuper omnia, & quod homo totaliter illi ſe ſubijciat, omnia ſua referendo in ipſum. Eſt ergo de ratione charitatis vt ſic diligat Deum, quod in omnibus velit ſe ei ſubijcere, & pręceptorũ eius regulam in omnibus ſequi. Quicquid enim contrariatur pręceptis eius, manifeſtè cõtrariatur charitati. Vnde de ſe habet, quod charitatem excludere poſsit. Et ſi quidem charitas eſſet habitus acquiſitus ex virtute ſubiecti dependens, non oporteret, quòd ſtatim per vnũ actum contrarium tolleretur. Actus enim non directè contrariatur habitui, ſed actui. Continuatio autem habitus in ſubiecto non requirit continuitatem actus. Vnde ex ſuperueniente contrario actu non ſtatim habitus acquiſitus excluditur. Sed charitas, cum ſit habitus infuſus, dependet ex actione Dei infundẽtis, qui ſic ſe habet in infuſione, & conſeruatione charitatis, ſicut ſol in illuminatione aeris, vt dictum eſt. Et ideo ſicut lumen ſtatim ceſſaret eſſe in aere, per hoc quod aliquod obſtaculũ poneretur illuminationi ſolis: ita etiã charitas ſtatim deficit eſſe in anima ꝑ hoc, quod aliquod obſtaculum ponitur influentiæ charitatis à Deo in animam. Manifeſtum eſt autem quod per quodlibet mortale peccatum, quod diuinis pręceptis contrariatur, ponitur prædictæ infuſioni obſtaculum: quia ex hoc ipſo, quod homo eligendo præfert peccatum diuinæ amicitiæ, quæ requirit, vt Dei volũtatem ſequamur, cõſequens eſt, vt ſtatim per vnum actum peccati mortalis habitus charitatis perdatur. Vnde & Aug. dicit. 8. ſuper Gen. ad literã, Quòd homo Deo ſibi præſente illuminatur, abſente autem continuo tenebratur: à quo non locorum interuallis, ſed voluntatis auerſione diſceditur.

Ar. 10. huius quæſt. argu. 3. innuitur.

Lib. 8. c. 12. in med. cap. to. 3.

¶AD PRIMVM ergo dicendum, quod verbũ Origenis poteſt vno modo ſic intelligi, quod homo, qui eſt in ſtatu perfecto, non ſubito procedit in actum peccati mortalis. Sed ad hoc diſponitur per aliquam negligentiam præcedentem. Vnde & peccata venialia dicuntur eſſe diſpoſitio ad mortale: ſicut ſupra dictum eſt. Sed tamen per vnum actum peccati mortalis ſi eum commiſerit decidit, charitate amiſſa. Sed quia ipſe ſubdit, Si aliquis breuis lapſus acciderit, & cito reſipiſcat, non penitus ruere videtur. Poteſt aliter dici, quòd ipſe intelligit eum penitus euacuari, & decidere qui ſic decidit, vt ex malitia peccet: quod non ſtatim in viro perfecto à principio contingit.

Art. 10. huius q. & 1. 2. q. 88. ar. 3

¶Ad ſecundum dicendum, quod charitas amittitur dupliciter. Vno modo directè per actualem contemptum: & hoc modo Petrus charitatẽ nõ amiſit. Alio modo indirectè, quando committitur aliquod contrarium charitati,

ti, propter aliquam paſsionem concupiſcétiæ, vel timoris. Et hoc modo Petrus contra charitatem faciens charitatem amiſit, ſed eam cito recuperauit

¶ Ad tertium patet reſpõſio ex dictis.

¶ Ad quartum dicendum, quod non quælibet inordinatio affectionis, quæ eſt circa ea, quæ ſunt ad finem, id eſt circa bona creata, cõſtituit peccatum mortale: ſed ſolum quando eſt talis inordinatio, quæ repugnat diuinæ voluntati. Et hæc inordinatio directè contrariatur charitati, vt dictum* eſt.

In cor. ar. 10

¶ Ad quintum dicendum, quod charitas importat vnionem quandam ad Deum, non autem fides neque ſpes. Omne autem peccatum conſiſtit in auerſione à Deo, vt ſupra dictum eſt: ideo omne peccatum mortale contrariatur charitati. Non autem omne peccatum mortale contrariatur fidei vel ſpei: ſed quædam determinata peccata, per quę habitus fidei, vel ſpei tollitur: ſicut & per omne peccatum mortale habitus charitatis tollitur. Vnde patet, ꝙ charitas non poteſt remanere informis, cum ſit vltima forma virtutum ex hoc, quòd reſpicit Deum in ratione finis vltimi, vt dictum * eſt.

Quæſt. 23. ar. 8.

SVMMA TEXTVS.

AD hanc difficultatem reſpondet Diuus Thomas per tres propoſitiones. Prima concluſio. Quodlibet peccatum mortale ex ſe eſt ſufficiens corrumpere charitatem. Probatur. Quodlibet peccatum mortale ex ſe contrariatur charitati, quantum ad propriam rationem illius, quæ conſiſtit in hoc, ꝙ Deus diligatur ſuper omnia, & homo totaliter illi ſe ſubijciat, omnia ſua referendo in ipſum: ergo quodlibet peccatum mortale ex ſe eſt ſufficiens corrumpere charitatem. ℭ Secunda concluſio. Si charitas eſſet habitus acquiſitus non corrumperetur vnico actu peccati mortalis. Probatur. Actus directè non contrariatur habitui, ſed actui: ergo ſi charitas eſſet habitus ex virtute ſubiecti dependens, nulla ratione poſſet vnico actu corrumpi, ſicut nec alij habitus acquiſiti vnico actu corrumpuntur. ℭ Tertia concluſio. Quodlibet peccatum mortale corrumpit charitatem. Probatur. Charitas ità dependet ex Dei infuſione, & conſeruatione, ſicut lumen dependet à ſole, ſed quolibet obſtaculo poſito ante ſolem ſtatim ceſſat illuminatio ſolis in aere: ergo pari ratione quolibet obſtaculo poſito, quod impediat influentiam charitatis à Deo in anima, ceſſabit charitas. Sed ſic eſt, quòd per quodlibet peccatum mortale quòd diuinis præceptis contrariatur, ponitur obſtaculum prædictæ infuſioni: ergo quodlibet peccatum mortale corrumpit charitatem. Et confirmatur ex Diuo Auguſtino, qui ſuper Geneſ. ad literam cap. 12. dicit, Homo, Deo ſibi præſente, illuminatur, abſente autem continuò tenebratur, à quo non locorũ interuallis ſed voluntatis auerſione diſceditur.

EXPLICATIO ARTICVLI.

HAEC tertia concluſio D. Tho. quæ præcipua eſt huius articuli, eſt de fide tenenda. Et probatur ex illo Iacob. 2. Quicunque totam legem ſeruauerit, offendat autem in vno, factus eſt omnium reus. Hoc eſt, ita (licet non æqualiter) erit reus gehennæ, ac ſi totam legem violaſſet. Et. 2. ad Corinth. 11. dicit Paul. Eum, qui indigne ſumit corpus & ſanguinem Domini iudicium ſibi manducare, ac bibere. Et. 1. Ioan. 3. Qui habuerit ſubſtantiam huius ſeculi, & viderit fratrem ſuum neceſsitatem habere, & clauſerit viſcera miſericordiæ ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo? Et Marci vltimo, qui non crediderit condẽnabitur. Quibus omnibus locis ſignificatur per vnum tantum peccatum mortale charitatem amitti. Item Ioan. 14. dicit Chriſtus, Si quis diligit me ſermonem meum ſeruabit, & vos amici mei eſtis, ſi feceritis quæcunque dixi vobis: ſed ille, qui cõmittit vnum peccatum mortale non ſeruat ſermonem Chriſti, nec adimplet omnia illius præcepta: ergo non eſt illius amicus, atque ex cõſequenti non habet charitatem. Item ratione hoc ipſum probatur. Peccatum dicitur mortale, quia per illud homo ſpiritualiter moritur, ſed hoc non poteſt eſſe præſente charitate, quæ eſt vita animæ, ergo quodlibet peccatum mortale corrumpit charitatem. Item per peccatum mortale homo eſt dignus æterna morte, iuxta illud Pauli ad Rom. 6. ſtipendium peccati

mors, per charitatem autem eſt dignus vita æterna, quam diligentibus ſe promittit Chriſtus Ioann. 14. dicens, Qui diligit me diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum: in qua manifeſtatione beatitudo conſiſtit iuxta illud Ioan. 17: Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum: ergo per vnum peccatum mortale amittitur charitas. Et confirmatur: Quocunque peccato mortali auertitur homo à Deo, per charitatem autem vnitur Deo: ſed non poteſt homo ſimul eſſe auerſus à Deo, & vnitus illi: ergo nec habere charitatem cum peccato mortali. Denique hæc veritas diffinita eſt in concil. Trid. ſeſ. 6. cap. 14. & in concil. Florent. De qua re videndus eſt D. Tho. quæſt. vnica de charitate art. 6. & Vega ſuper Concil. Triden. lib. 14. cap. 6.

Dubium. ¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco, vtrum de facto ità contingat, quòd aliquis condẽnetur per vnum peccatum mortale. Ad cu-
1. Dictum. ius explicationem dico primo, temerarium eſſe affirmare, quòd nunquam homo condemnatur propter vnum peccatum mortale, ſine ratione enim, & ſine fũdamẽto id aſſeritur: maxime cũ ſit de fide, quòd multi condemnantur propter ſolum originale, quòd leuius multo eſt quocunq; mortali.

2. Dictum. ¶ Dico ſecundo eſſe veriſimile, quod regulariter loquendo, illi, qui condemnantur ſunt implicati multis peccatis. Decet enim diuinam miſericordiam, vt illi, qui vnicum tantum peccatum mortale commiſit, maxime ſi ex fragilitate proueniat, venia concedatur.

Argum. ¶ In ſolutione ad ſecundum dicit Diuus Thom. quòd tãtum peccatum ex contemptu opponitur directè charitati. Et in ſolutione ad quartum dicit, quod omne mortale ea parte, qua eſt inordinatio directè cõtrariatur charitati, quæ videntur repu-
Solutio. gnare inter ſe ſe. ¶ Sed pro horũ cõcordia eſt aduertendũ, quòd in peccato mortali poſſumus conſiderare duo. Primum eſt, cauſam mouentem ad peccãdum. Secundum, inordinationem inuẽtam in quolibet peccato mortali. Quo ſuppoſito dico, quòd in ſolutione ad ſecundum loquitur D. Tho. de cauſa mouente ad peccatum. Itaque ſolus contemptus mouens ad peccatum directè contrariatur charitati. Et ratio eſt, quia cum amicus ſit alter ego, tanti debeo facere amicum quanti facio meipſum. Certum eſt autem, quòd qui contemnit amicum non tanti facit illum, quanti ſeipſum, & ſic hoc directè eſt contra amicitiam. In ſolutione autem ad quartum loquitur D. Tho. de peccato quantum ad inordinationem. Et ſecundum illam etiam eſt certum, quòd quodlibet mortale ratione inordinationis directè contrariatur charitati. Ordo enim charitatis conſiſtit in hoc, quòd Deus ſuper omnia diligatur, & quod ipſum præferat homo cunctis rebus. In omni autem peccato mortali præfertur creatura creatori, & ſic quodcumque peccatum mortale ex parte inordinationis directè contrariatur charitati.

QVESTIO VIGESIMA quinta de Obiecto charitatis, in duodecim articulos diuiſa.

DEINDE conſiderandum eſt de obiecto charitatis.

¶ Circa quod duo conſiderãda occurrunt. Primo quidem de ijs, quæ ſunt ex charitate diligenda. Secundo, de ordine diligendorum.

¶ Circa primum quæruntur duodecim.

¶ Primo, vtrum ſolus deus ſit ex charitate diligendus, vel etiam proximus.

¶ Secundo, vtrum charitas ſit ex charitate diligenda.

¶ Tertio, vtrum creaturæ irrationales ſint ex charitate diligendæ.

¶ Quarto, vtrum aliquis poſſit ex charitate ſeipſum diligere.

¶ Quinto, vtrum corpus proprium.

¶ Sexto, vtrum peccatores ſint ex charitate diligendi.

¶ Septimo: vtrum peccatores ſeipſos diligant.

¶ Octauo, vtrum inimici ſint ex charitate diligendi.

¶ Nono

¶ Nono, vtrum inimicis ſint eis ſigna amicitiæ exhibenda.

¶ Decimo, vtrum angeli ſint ex charitate diligendi.

¶ Vndecimo, vtrum dæmones.

¶ Duodecimo, de enumeratione diligendorum ex charitate.

ARTICVLVS I.

Vtrùm dilectio charitatis ſiſtat in Deo, an ſe extendat etiam ad proximum.

3.q.188.a.2 c.2. Et Veri. q.1.a.4. AD PRIMVM ſic proceditur. Videtur, quòd dilectio charitatis ſiſtat in Deo, & nō ſe extendat ad proximum. Sicut enim Deo debemus amorem, ita & timorem, ſecundum illud Deut. 10. Et nunc Iſrael quid dominus Deus tuus petit à te, niſi vt timeas, & diligas eum? Sed alius eſt timor, quo timetur homo, qui dicitur timor humanus: & alius timor, quo timetur Deus, qui eſt vel ſeruilis, vel filialis, vt ex ſupra dictis patet. Ergo etiam alius eſt amor charitatis, quo diligitur Deus, & alius eſt amor, quo diligitur proximus.

Lib. 8. c. 8. circa princ. to. 5. 2 ¶ Præterea, Philoſophus dicit in 8. Ethi. quod amari eſt honorari. Sed alius eſt honor, qui debetur Deo, qui eſt honor latriæ: & alius eſt honor, qui debetur creaturæ, qui eſt honor duliæ: Ergo etiam alius eſt amor, quo diligitur Deus, & alius quo diligitur proximus.

Super illud Abrahā genuit Iſaac, gloſ. interlinearis. 3 ¶ Præterea, Spes generat charitatem, vt habetur in gloſ. Matt. 1. Sed ſpes ita habetur de Deo, quòd reprehēduntur ſperantes in homine: ſecundum illud Hiere. 17. Maledictus homo, qui confidit in homine. Ergo charitas ita debetur Deo, quod ad proximum ſe non extendat.

¶ SED CONTRA eſt quod dicitur. 1. Io. 4. Hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum.

RESPONDEO dicendum, quod ſicut ſupra dictum eſt, habitus non diuerſificatur niſi ex hoc, quod variant ſpeciē actus. Omnis enim actus vnius ſpeciei, ad eundem habitum pertinet. 1. 2. q. 54. a. 2. & hic. q. 17. a. 6. ct. q. 19. a. 3. Cum autem ſpecies actus ex obiecto ſumatur ſecundum formalem rationem ipſius, neceſſe eſt quod idem ſpecie ſit actus, qui fertur in rationem obiecti, & qui fertur in obiectum ſub tali ratione, ſicut eadē eſt ſpecie viſio, qua videtur lumen, & qua videtur color, ſecundum luminis rationem. Ratio autem diligendi proximum, Deus eſt. Hoc enim debemus in proximo diligere, vt in Deo ſit. Vnde manifeſtum eſt, quod idem ſpecie actus eſt, quo diligitur Deus, & quo diligitur proximus. Et propter hoc habitus charitatis non ſolū ſe extendit ad dilectionem Dei, ſed etiā ad dilectionem proximi.

¶ AD PRIMVM ergo dicēdum, quod proximus timeri poteſt dupliciter, ſicut & amari. Vno modo propter id quod eſt propriū ſibi, puta cū aliquis timet tyrannum, propter eius crudelitatem: vel cum amat ipſum, propter cupiditatem acquirēdi aliquid ab eo, & talis timor humanus diſtinguitur à timore Dei: & ſimiliter amor. Alio modo timetur homo & amatur propter id quod eſt Dei in ipſo: ſicut cum ſecularis poteſtas timetur, propter miniſterium diuinum, quod habet ad vindictam malefactorum, & amatur propter iuſtitiam. Et talis timor hominis non diſtinguitur à timore dei, ſicut nec amor.

¶ Ad ſecūdū dicēdū, q amor reſpicit bonum in communi: ſed honor reſpicit proprium bonum honorati. Defertur enim alicui in teſtimonium propriæ virtutis. Et ideo amor non diuerſificatur ſpecie, propter diuerſam quātitatem bonitatis diuerſorum: dummodo referantur ad aliquod vnum bonum commune. Sed honor diuerſificatur ſecundum propria bona ſingu-

 lorum.

lorum. Vnde eodem amore charitatis diligimus oēs proximos, inquātum referūtur ad vnum bonum commune, quod eſt Deus, ſed diuerſos honores diuerſis deferimus, ſecūdum propriā virtutem ſingulorū. Et ſimiliter Deo ſingularem honorem latriæ exhibemus, propter eius ſingularē virtutem. ¶ Ad tertium dicendum, quod vituperantur qui ſperant in homine, ſicut in principali authore ſalutis: nō autem qui ſperant in homine ſicut adiuuante miniſterialiter ſub Deo. Et ſimiliter reprehenſibile eſſet, ſi quis proximum diligeret tāquam principalem finem: non autē ſi quis proximū diligat propter Deum, quod pertinet ad charitatem.

SVMMA TEXTVS.

Concluſio D. Thomæ eſt, quòd idem habitus charitatis ſe extendit ad dilectionem Dei, & ad dilectionem proximi. Probatur; Habitus diſtinguuntur per actus: ſed idem actus ſpecie eſt, quo diligitur Deus & proximus: ergo pertinet ad eundem habitum. Conſequentia cum maiori eſt nota, & minor probatur. Idem actus ſpecie eſt, quo potentia tendit in obiectum, & in rationem formalem obiecti, vt idem actus eſt, quo potentia viſiua tendit in colorem, & in lumen, quo mediante vidit colorem: ſed ratio diligendi proximum eſt Deus: ergo idem actus ſpecie eſt, quo diligitur Deus, & proximus.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Dubium. Circa concluſionem huius articuli eſt difficultas, vtrùm vera ſit. Et pro parte
1. Argum. te negatiua argumentor primo. Actus, quo diligimus Deum, eſt ſupernaturalis, & actus, quo diligimus proximum eſt naturalis: ergo pertinent ad diſtinctos habitus ſpecie. Cōſequētia patet, quia naturale & ſupernaturale ſpecie diſtinguuntur, antecedens verò probatur. Et quidem, quòd actus, quo diligimus Deum, ſit ſupernaturalis, eſt res manifeſta: nullus enim pōt illū proprijs viribus exercere, vt diximus in ſuperioribus. Quod autem etiam actus, quo diligimus proximum, ſit naturalis, probatur. Dilectio proximi ſufficienter expletur per præcepta ſecundæ tabulæ, quæ ſunt naturalia: ergo dilectio, quæ in talium præceptorum obſeruatione conſiſtit etiam erit naturalis. ℭ Secūdò, Aſſenſus principio- *2. Argum.*
rum, & aſſenſus concluſionū diſtinguūtur ſpecie, pertinentque ad habitus ſpecie diſtinctos, vt communiter dicunt Philoſophi: aſſenſus enim principiorum pertinet ad intellectum, & aſſenſus concluſionum pertinet ad ſcientiam: ergo & dilectio Dei, & dilectio proximi pertinet ad virtutes ſpecie diſtinctas. Probo conſequentiam. Nam ſic ſe habet finis in operabilibus, ſicut ſe habet principium in ſpeculabilibus, vt docet Ariſtoteles. 2. Phy. cap. vltimo. Et. 7. Ethic. capit. 8. ſed dilectio Dei verſatur circa finem, & dilectio proximi verſatur circa media: ergo pertinent ad diuerſas virtutes. ℭ Tertiò, Si dilectio Dei, & proximi *3. Argum.*
pertinerent ad ad eandem virtutē, maximè propter rationem D. Thomæ, ſcilicet, quia idem actus ſpecie eſt, quo tendimus in obiectum, & in rationem formalem obiecti, ſed hæc ratiò nihil valet, ergo. Probo minorem: nam alias ſequerentur duo grauiſsima incommoda. Primum eſt, quòd viſio albedinis, & viſio nigredinis pertinerent ad eandem ſpeciem, cum ratio formalis videndi, nempe lumen eſſet idem in vtroque colore. Alterum, quòd eodem modo diligeremus amicos, & inimicos, iuſtos & peccatores, cum eadem ratio formalis dilectionis ſit in vtriſque. Hæc autem ſunt abſurda, ergo. ℭ Et confirmatur. Soluere debitū eſt actus *Cōfirmatio.*
immediate elicitus à iuſtitia, licet imperetur à charitate, ergo pari ratione diligere proximum erit actus immediate elicitus ab amicitia humana, quamuis ſit imperatus à charitate: atque ex conſequenti dilectio Dei, & dilectio proximi pertinent ad diuerſas virtutes. ℭ Vltimò, Si eodem actu *Vltimum argum.*
charitatis diligeremus Deum, & proximū ſequeretur, quòd amor proximi non eſſet amor amicitiæ, ſed concupiſcentiæ, conſequens autem eſt abſurdum, ergo. Probo ſequelam. Amor amicitiæ eſt, quo aliquis diligitur propter ſe, vt docet Ariſtoteles. 8. Ethic. cap. 3. ſed ſi proximus diligeretur eodem actu charitatis, quo diligitur Deus, nō diligeretur propter ſe, ſed propter Deū, ergo nō diligeretur amore amicitiæ, ſed cōcupiſcentiæ. Et cōfirmatur. Ad charitatem ptinet referre omnia alia a Deo in honorē & glo

& gloriam ipſius Dei: ergo ſi proximus diligitur ſolùm ex charitate, qua Deum diligimus, eatenus diligeretur, quatenus eſt quid cõferens, & conducens ad gloriã diuinam: ſed talis eſt amor cõcupiſcentię, ergo.

¶ Propter hæc argumẽta multi dicunt, ponendos eſſe diſtinctos habitus, & diſtinctas virtutes reſpectu dilectionis Dei, & proximi: ità quòd charitas infuſa terminetur ad ſolum Deũ, & alia amicitia ſit, qua diligimus proximos. Cæterùm cõtrariam ſententiam tenet D. Thom. in hoc articulo quem cõmuniter ſequuntur omnes Theologi. Ad cuius explicationem eſt aduertendum, quòd in charitate tria poſſumus conſiderari. *Nota pro explicatione difficultatis.* Primum eſt obiectum primarium & principale, ratione cuius cætera alia amãtur ex charitate. quod à D. Tho. in præſenti appellatur ratio formalis charitatis, & eſt Deus ipſe, vt obiectum fœlicitatis, & beatitudinis æternæ, vt docuit D. Tho. ſupra. q. 24. art. 2. ad 2. & 3. argumẽtum. Alterum, quòd in charitate conſideratur, eſt obiectũ ſecũdarium, & minus principale, quod eſt proximus, quẽ propter Deum diligimus. Tertium ſunt bona diuina, quæ ex charitate volumus ipſi Deo per eſſentiã, & nobis per participationem.

1. Concluſio. ¶ Hoc ſuppoſito ſit prima concluſio de fide. Vna virtus charitatis infuſæ eſt, qua diligimus Deum & proximos. Et probatur ex Ioan. prima ſua canonica cap. 4. dicẽte, Qui nõ diligit proximum, quo modo charitas Dei manet in eo. Quaſi ſignificãs eandem charitatem eſſe principium vtriuſque amoris, & quòd implicat diligere Deum & non diligere proximum. Et paulò inferius, Qui non diligit fratrem, quem videt, quo modo diliget Deum, quem nõ videt? Item ratione ſic argumentor. Obiectum principale, & minus principale nõ variant virtutis ſpeciem, vt probat D. Thom. exemplo luminis, & coloris in viſione: ſed Deus eſt obiectum principale, & proximus eſt obiectum minus principale charitatis: ergo eadem virtus eſt ſufficiens ad amandum, & diligendum vtrunque. Et confirmatur. In dilectione proximi non eſt ſpecialis difficultas diſtincta ſpecie à dilectione Dei: ergo reſpectu illius nõ eſt ponenda diſtincta virtus à charitate. Conſequẽtia patet: nam virtutes diſtinguuntur penes difficultates, ad quas vincendas conſtituuntur. Vnde, quia eſt ſpecialis difficultas circa delectationes guſtus, & tactus, ponitur temperantia diſtincta à iuſtitia. Sed probo antecedens. Qui diligit Deum, & ſuperat difficultatem ex hac parte prouenientẽ, maxima cũ facilitate diligit proximũ, quatenus eſt aliquid ad Deũ pertinens; & inquantum dilectió proximi dependet ex dilectione Dei, tum illa continetur: ergo in dilectione proximi non eſt ſpecialis difficultas diſtincta ſpecie ab illa, quæ continetur in dilectione Dei. Sed eſt aduertendum ex D. Tho. ſuper 13. caput epiſtolæ ad Rom. lectio. 2. in illa verba, Qui diligit proximum ſuum legem impleuit, quòd in charitate dicuntur contineri duo præcepta diſtincta, vnum dilectionis Dei, & alterum dilectionis proximi, ſed non ſunt diſtincta ſpecie, ſed appellantur tantum. Quin potiùs dicit, quod in dilectione Dei includitur dilectio proximi tanquam effectus in cauſa: & in dilectione proximi continetur dilectio Dei tanquam cauſa in effectu, iuxta illud 1. Ioannis cap. 3. Qui dicit ſe diligere Deum, & odit fratrem ſuum mẽdax eſt. Et ſubdit ſtatim, qui enim non diligit proximum non diligit Deum. Ex quo fit, vt ſcriptura interdum loquatur de dilectione Dei tanquam de cauſa ſufficienti ad vitam æternam, vt patet ex illo Deut. c. 10. Audi Iſrael quod Dominus petit à te, vt ambules in vijs eius, & diligas ipſum Deum. Interdum autem de dilectione proximi, vt patet ex illo, Qui diligit proximũ totam legem impleuit. Et Ioan. 15. Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem. &c. Semper tamen eſt intelligendum, quod vna dilectio in altera continetur.

¶ Secunda concluſio. Vltra charitatem virtutem theologicam non eſt neceſſarium ponere aliam virtutem moralem infuſam, inclinantem ad dilectionem proximi. Hæc concluſio eſt contra aliquos ex recentioribus, qui imaginantur, quòd in ordine ad proximum poſſumus habere triplicẽ conſiderationem. *2. Concluſio.* Prima eſt, ſi conſideremus illum, quatenus diligitur per virtutes connaturales, & morales: quo modo Philoſophi lumine naturali ducti ſe habebãt in ſuis ciuitatibus. Et ad huiuſmodi dilectionem conſtituunt habitum amicitiæ naturalis, à quo talis actus eliciatur. Altera eſt, ſi conſideremus proximum, quatenus illum diligimus propter motiua ſupernaturalia. Et ad hanc dilectionem conſtituunt quandã virtutẽ moralẽ infuſam, à qua talis actus eliciatur diſtinctè à charitate. Tertia cõſideratio eſt, ſi cõſideremus proximum,

quate-

quatenus illum diligimus propter conſortium diuinæ naturæ, quod fit per gratiam. Et ad huiuſmodi actum eliciendum conſtituunt charitatem virtutem theologicam. Nos tamen dicimus in concluſione, quòd in ordine ad Deum, & in ordine ad proximum ſupernaturaliter diligendum, ſufficit charitas virtus Theologica, nec opus eſt conſtituere aliam virtutem moralem infuſam inclinantem ad proximi dilectionem. Et probatur. Eadem virtute charitatis infuſæ volumus proximis fidem ſupernaturalem, & alia media ſupernaturalia: ergo nõ eſt opus conſtituere aliam virtutem moralem infuſam. Conſequentia eſt nota, & antecedens probatur. Eadem amicitia naturali volumus proximo finẽ naturalem, & media ad conſequutionem illius finis neceſſaria, vt eadem virtute naturali volumus proximo ſanitatem, & omnia media ad ſanitatis conſequutionem neceſſaria: ergo pari ratione eadem virtute ſupernaturali charitatis volumus proximis beatitudinem æternam, & omnia media ſupernaturalia ad talis finis conſequutionem requiſita.

Ad 1. argu. ¶ Et ad primum argumentum reſpondetur negando antecedens. Nam cum dilectio proximi, vt ſupra diximus, includat dilectionem Dei, nulla ratione fieri poteſt, vt ſit dilectio naturalis. Et ad probationem dico, quòd quamuis dilectio proximi ſufficienter expleatur per præcepta ſecundæ tabulæ, quatenus eſt amor naturalis, non tamen quatenus eſt amor ſupernaturalis fundatus in cõmunicatione beatitudinis, quæ eſt obiectum charitatis.

Ad 2. argu. ¶ Ad ſecundum reſpondetur primo, cum Caietano. 1. 2. q. 68. artic. 4. & in hac. 2. 2. quæſt. 17. artic. 6. conceſſo antecedenti, negando cõſequentiam. Et ratio diſcriminis eſt. Nam cum intellectus ſit potentia apprehenſiua in ſua operatione trahit res ad ſe, & eas in ſeipſo recipit: ex quo fit, vt penes diuerſos modos recipiendi res in ſe diuerſi etiam habitus cõſtituantur. Et ſic quatenus aſſentitur primis principijs mediante lumine naturali intellectus ponitur vnus habitus, qui appellatur intellectus, & quatenus aſſentitur concluſionibus mediantibus principijs ponitur alius habitus, qui appellatur ſcientia. At verò voluntas, cum ſit quidam impulſus, & inclinatio in res amatas, & vnaquæque res eadem inclinatione feratur in finem, & in media ad finem ordinata, v.g. graue eadem grauitate fertur in centrum, & in medium, quo tendit in centrum, ſit, vt eadem virtute charitatis feratur in Deum, tanquam in finem, & in proximos tanquã in medium. Vel ſecundo reſpondetur cum D. Thom. quæſt. vnica, de charitate art. 5. ad. 2. quòd proximus non ſolum habet rationẽ medij in ordine ad Deum, ſed etiam intrat ipſum obiectum, ità, vt ſit finis, & obiectum noſtræ beatitudinis, non primarius, ſed ſecundarius, & minus principalis. In quo ſenſu D. Paul. in epiſtola ad Philemonem dicit, Ego te fruor in Domino, &c. Nam licet ſecundũ Theologos fruitio ſolum ſit ipſius Dei, dicim⁹ tamẽ frui creatura, quaten⁹ eſt pars finis ſupernaturalis, & obiecti charitatis. Et ſecundum iſtam doctrinam ad argumentum reſpondetur negando conſequentiam. Nam cum ipſe proximus ſit finis, & obiectum charitatis, vna & eadem virtus ſufficiens erit ad diligendum Deum, & proximum.

Ad 3. argu. ¶ Ad tertiũ argumentum reſpondetur negando ſequelam. Et ad primum inconueniens de viſione albedinis, & nigredinis dico eſſe vtẽdum diſtinctione. Nã illę duæ viſiones poſſunt dupliciter conſiderari. Vno modo quatenus ſunt quædã entia, & qualitates in oculo exiſtentes: & ſecundum iſtam conſiderationẽ differunt ſpecie, ſicut & colores, quos videmus, & quorum ſimilitudines ſunt, ſpecie differunt. Alio modo poſſunt conſiderari, quatenus ſunt viſiones: & ſecundum iſtam rationem ſunt eiuſdem ſpeciei, ſicut, & ratio formalis, in quam tendunt vna eſt. Ex quo ſit, vt ſi eſſet neceſſario ponendus in oculo habitus ad hoc, vt facilè & expedite videret, procul dubio ſufficeret vnus atque idem habitus ad vtramque viſionem. Ad aliud inconueniens de dilectione amicorum, & inimicorum bonorum, & peccatorum, dico, illud non ſequi ex noſtra ſententia. Nam in amicis correſpondet reciprocus, & mutuus amor, qui non eſt in inimicis: & in iuſtis inuenitur quædam bonitas diuina peculiari modo inclinans ad dilectionem, quæ non inuenitur in peccatoribus: & ſic diuerſo modo diligimus amicos & inimicos, iuſtos & peccatores, vt infra dicemus.

Ad confirmationem. ¶ Ad confirmationem, vt reſpondeamus ſupponendum eſt, quòd diuerſa motiua voluntatis tranſeunt in diuerſas rationes formales, & ſic cõſtituunt diuerſos actus, & diuerſos habitus ſpecie. Nã dare alicui pecuniã abſolutè non eſt actus alicuius virtutis. Tñ. ſi cõferatur pecunia alicui indigenti ad ſubleuanda indigẽtiam,

tiam, eſt actus miſericordiæ: & ſi confera-tur, quatenus eſt bonum ipſi recipienti, eſt actus amicitiæ: & ſi cōferatur eadem pecunia cum omnibus circunſtantijs tāquam donum gratuitum, & liberale, eſt actus liberalitatis: & ſi conferatur ſub ratione debiti, eſt actus iuſtitiæ: & ſi conferatur propter Deū, eſt actus charitatis infuſæ. Itaq; idem actus propter diuerſa motiua volūtatis poteſt pertinere ad diuerſas virtutes. Hoc ſuppoſito, dico ad argumentum q illa ſolutio pecuniæ pertinet ad iuſtitiam, à qua elicitur, & imperatur à charitate, a qua mouetur. Tamen dilectio Dei & proximi immediatè elicitur ab ipſa charitate: & ſic ſufficit ad vtrāq; dilectionē vna & eadem virtus.

Dubium. ℭ In vltimo argumento tangitur difficultas, vtrùm amor charitatis, quo proximos diligimus, ſit appellandus amor amicitiæ, vel potius concupiſcentiæ. Et quidem, quod ſit appellandus amor cōcupiſcentiæ, probatur argumento facto cum ſua confirmatione. Sed, quòd ſit amor amicitiæ probatur. Eadem charitas eſt, qua diligimus Deum, & qua diligimus proximos: ſed amor, quo diligimus Deum eſt amor amicitiæ, ergo & quo diligimus proximos.

Nota. 1. ℭ Pro explicatione huius difficultatis ſupponendū eſt primo, quòd amicitia, quæ habetur erga alterum inclinat non ſolum ad diligendum amicum, ſed etiam ea, quæ amicus amat, & quæ aliqua ratione, & modo ſunt vtilia amico. Vt qui, verbi gratia, amat Petrum ex vi illius amoris diligit Petri amicos, & etiam illos, qui ſunt vtiles Petro.

Nota. 2. ℭ Secundò eſt ſupponendum, quod proximus poteſt dupliciter conſiderari. Vno modo, vt eſt aliquid Dei, id eſt, aliquid conducens ad augendam & declarandam gloriam diuinam. Secundo modò, quatenus eſt quædam res, quæ amatur à Deo, & quæ fuit condita ab illo, & multis naturæ dotibus cumulata.

Nota. 3. ℭ Tertiò eſt ſupponēdum, quod omnis amor ſiue amicitiæ, ſiue cōcupiſcentiæ, eſt alicuius boni. Sed quòd aliquid ſit bonum poteſt dupliciter contingere. Scilicet, vel quia eſt vtile alteri: quo modo res familiares dicuntur bonum meū. Vel quia habet in ſe bonitatem abſolutā. Quod adhuc poteſt contingere dupliciter, vno modo quia habet in ſe bonitatē ex ſe, alio modo, quia habet in ſe bonitatem, non ex ſe ſed ab alio participatam & deriuatam. Et cum quis diligit aliquam rem, quæ bona eſt ea ratione, quia eſt vtilis alteri, eſt amor concupiſcentiæ. Cum autem amor eſt eius boni, quod in ſe bonū eſt, eſt amor amicitiæ: quanuis etiam in hoc ſit aliqua differētia. Nam qui amat abſolutè aliquē propter bonū, quod habet in ſe, ſine ordine ad aliud, ſiue illud bonum ſit ex ſe, ſiue participatū, ille amatur principaliter, & eſt primarius amicus. Cæterum qui bonum, quod in ſe habet, habet aliunde participatum, & amatur quatenus eſt bonus ex alterius participatione, & beneficio, talis amatur amore amicitiæ, nō primario, ſed ſecundario.

ℭ His ſuppoſitis dico primo, q charitas inclinat ad diligēdum proximum propter Deū duplici ratione, ſcilicet, quatenus proximus diligitur à Deo, & quatenus eſt vtilis ad gloriam & honorem diuinum. Patet ex poſitis fundamētis. Nam vera amicitia inclinat ad diligendum ea, quæ amicus diligit, & quæ illi ſunt vtilia: imò charitas non ſolum inclinat ad diligēdos proximos, ſed etiam ad diligendum ea, quæ ipſis proximis ſunt vtilia, propter eandem rationem. *1. Dictum.*

ℭ Dico ſecundo, q cùm proximus amatur ex charitate ea ratione, qua eſt vtilis ad illuſtrandum honorem Dei, talis amor eſt concupiſcentiæ. Probatur: quia tunc amatur proximus ſub ratione boni vtilis, quod propriè pertinet ad amorē concupiſcentiæ. *2. Dictum.*

ℭ Dico tertiò, q cùm charitas amat proximum ea ratione, qua eſt aliquid dilectū à Deo, & multis naturæ dotibus cumulatum, talis amor eſt amicitiæ non concupiſcentiæ. Probatur: quia tunc amatur, non ratione boni vtilis, ſed ſub ratione boni, quod in ſe habet, quanuis ſit participatum ab alio. *3. Dictum.*

ℭ Dico vltimo, quòd cùm amatur proximus propter aliquam rationem boni, vel veram, vel apparentem, quam in ſe habet, vel creditur habere ſine ordinatione tamen ad Deum, à quo tale bonum deriuatur, talis amor eſt amicitiæ, ſed non à charitate. Probatur, quia deeſt in illo actu obiectum formale charitatis. Et ad argumētum cuius occaſione hæc dicta ſunt, reſpōdetur, illud probare, quòd proximus non eſt amicus primarius, & principalis, ſed ſecundarius, quòd nos concedimus. Ad confirmationem reſpondetur quòd conuincit, quòd proximus ex charitate, non ſolùm amatur amore amicitiæ, ſed etiam amore concupiſcentiæ, quod nos verum eſſe diximus. *Vltimum dictum.* *Ad vltimū argum.*

ℭSed

Aliud argum. difficile. ¶ Sed vltra hæc eſt aliud argumentum quod [illegible] habere difficultatem ad probandum, quod vltra charitatem eſt ponenda alia virtus amicitiæ infuſæ, qua proximum diligimus. Sicut ſe habet dilectio naturalis reſpectu Dei naturaliter cogniti, & vt eſt finis noſter naturalis: ita ſe habet charitas reſpectu eiuſdem Dei ſupernaturaliter cogniti, & vt eſt finis noſter ſupernaturalis, ſed vltra amorē naturalem, quo Deū diligimus ponitur alius amor, quo proximum diligamus, qui eſt amicitia virtus moralis: ergo & vltra amorem, quo Deum ſupernaturaliter diligimus, ponendus erit alius amor, qui ſit virtus infuſa, quo proximos diligamus.

Ad argum. ¶ Hoc argumentū petit difficultatem, vtrùm charitas naturalis ipſius Dei, vt eſt bonum naturæ ſe extendat ad amandum proximum, ſicut charitas ſupernaturalis. Ad quam difficultatem nos breuiter dicimus, quòd charitas naturalis Dei nulla ratione ſe extendit ad proximos diligendos, ſed vltra illam eſt neceſſaria virtus moralis amicitiæ, quæ proximos reſpiciat, quod in charitate infuſa non inuenitur. Et ratio diſcriminis eſt, nam charitas infuſa verſatur circa vtrumq; obiectum primarium, & ſecundarium, & ſic non eſt opus aliquo alio habitu ſuperaddito, præter charitatem infuſam, ad dilectionem proximi. At verò charitas naturalis tantū verſatur circa Deū, & non ſe extendit ad proximum. Ex quo ſit, vt circa Deum lumine naturali cognitū conſtituatur vna charitas naturalis, quam Theologi religionem, ſiue pietatem appellant, & eſt virtus reſpiciens Deum, vt eſt bonum naturæ, vt eſt in ſe: & in ordine ad proximum conſtituatur alia, quæ ſit vera amicitia naturalis. ¶ Si quis autem quærat, quænam ſit ratio propter quam charitas infuſa verſatur circa vtrunque obiectum, tam primarium quam ſecundarium, & charitas naturalis Dei tantum verſatur circa ipſum Deū, reſpondeo huius rei duas eſſe cauſas. Prima eſt, quia bonitas naturalis creaturæ licèt formaliter ſit in illa, eſt tamē alterius rationis a bonitate naturali Dei. Et ſic eadem charitas naturalis non ſe poteſt extendere ad dilectionem proximi: ſed eſt neceſſario [illegible] alia virtus amicitiæ naturalis. At vero bonitas ſupernaturalis Dei, quæ per virtutem infuſam diligitur eſt eiuſdem rationis, & ordinis cum bonitate proximi, cum hæc ſit quædam participatio diuinæ bonitatis [illegible] & [illegible] eadem bonitas ſecundum [illegible] & [illegible] dem charitas ad vtrā[illegible] dilectionem eſt ſufficiens. Secūda ratio eſt, [illegible] naturalis hominis ad Deū, cum ſit [illegible] inferioris ad ſuperiorem & ſerui ad ſuum dominum, non habet equalitatem, ſupra quā fundetur, nec eſt vera amicitia. At vero amor naturalis, qui eſt inter homines, nec eſt inferioris ordinis, nec ſerui ad dominū, ſed eſt vera amicitia habens æqualitatem, ſupra quam fundetur. Ex quo ſit, vt charitas naturalis Dei non ſe poſsit extēdere ad diligendos proximos, ſed indigemus altera virtute amicitiæ, quæ proximos reſpiciat. Tamen charitas ſupernaturalis eſt vera amicitia inter nos & Deum, fundata in æqualitate, nempe in gratia, quæ æqualitatem facit, iuxta illud. 2. Petri. c. 1. Magna & precioſa nobis promiſſa donauit, vt diuinæ ſimus cōſortes naturæ, quod conſortium ſupernaturale æqualitatē cōſtituit inter nos, & Deū, ex qua vera amicitia reſultat, quæ ſufficiens eſt ad dilectionem Dei & proximi. Et per hoc patet ſolutio ad argumentum.

¶ Sed quoniā ſæpe diximus proximos eſſe diligendos ex charitate, operæprecium eſt, vt explicemus, quis nam ſit proximus cenſendus. Ad cuius explicationem dico primo, quod natura atq; ſanguine omnis homo omni homini eſt proximus. De natura manifeſtum eſt, quia omnes ſunt eiuſdem ſpeciei. Quod de ſanguine etiā patet, quia omnes ab eodem parēte originem ducunt, & præterea in ſacris literis vniuerſi homines fratres appellantur. 2. Reg. c. 5. & 19. Dico ſecundo, quod Chriſtianus Chriſtiano non ſolum natura & ſanguine, ſed etiam multis alijs rationibus eſt proximus [illegible] primo omnes Chriſtiani ſunt membra eiuſdē corporis, vt patet ad [illegible] cap. 1. & 4. Et præterea habent eundem [illegible] non ſolum ſpecie, ſed etiam numero, quo viuificantur, vt docet Paulus ad Roma. 8. & ad Galat. 4. Vnde, vt bene [illegible] D. Auguſt. ſuper Pſalm. 32. quoticunq; Apoſtolus vtitur [illegible] frater ſine additione omnes Chriſtiani comprehenduntur. Vt facit. 1. ad Corint. c. 7. cum dicit. Nō eſt ſubditus frater, aut ſoror [illegible] modi, &c. Et ad Rom. 14. Tu autem, quid iudicas fratrem tuū? Dico tertio, quod [illegible] charitas dicitur incliuare nos ad [illegible] proximi nomine, proximi [illegible] diligēdi ſunt non [illegible] Chriſtiani,

Quis dicatur proximus.

ſtiani: ſed etiã vniuerſi homines. Et probatur ex parabola Lucæ cap. 10. vbi Chriſtus phariſæo quærenti, quis nam eſſet proximus, propoſito illo homine qui incidit in latrones, quem ſui neglexerunt, & Samaritanus curauit, dixit, nos etiã debere ad exẽplũ Samaritani exiſtimare proximos oẽs homines, etiam ſi ſint extranei, nec genere, aut cognatione ad nos pertineant. Hoc idẽ probat D. Auguſt. lib. 1. de doctrina Chriſtiana. c. 30. ex illo Paul. ad Rom. 13. Qui diligit proximũ ſuum legem impleuit. Nam non adulterabis, nõ occides, non furaberis, non falſum teſtimonium dices, non concupiſces, & ſi quod eſt aliud mãdatum in hoc verbo inſtauratur, Diliges proximum tuũ, ſicut teipſum. Ex quo loco ſic colligit argumentum. His præceptis, non occides, non adulterabis, &c. prohibetur, ne quis in aliquem hominem iniuriã faciat, & hæc, vt dicit Paulus continentur in illo mandato, diliges proximum tuum: ergo neceſſe eſt, vt nomine proximi vniuerſi homines intelligantur. Nec etiam eſt hoc alienum à cõſuetudine loquendi ſacræ ſcripturæ, quæ vniuerſos homines proximos appellare conſueuit Pſalm. 14. Non fecit proximo ſuo malũ, & Pſalm. 11. Vana loquuti ſunt vnuſquiſq; ad proximum ſuum.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm charitas ſit ex charitate diligenda.

1. Diſt. 17. q. 1. artic. 5. Et diſ. 28. ar. 1. ad. 5. AD SECVNDVM ſic proceditur. Videtur quòd charitas non ſit ex charitate diligeda. Ea em̃, quæ ſunt ex charitate diligẽda, duobus præceptis charitatis concluduntur, vt patet Matt. 22. Sed ſub neutro charitas cõtinetur: quia nec charitas eſt Deus, nec eſt proximus. Ergo charitas non eſt ex charitate diligenda.

2 ¶ Præterea, Charitas fundatur ſuper communicationem beatitudinis, vt ſupra dictum eſt. Sed charitas non poteſt eſſe particeps beatitudinis. Ergo charitas nõ eſt ex charitate diligenda.

3 ¶ Præterea, Charitas eſt amicitia quædam, vt ſupra dictum* eſt. *Q. 23. art. 1.* Sed nullus poteſt habere amicitiam ad charitatem, vel aliquod accidens, quia huiuſmodi reamare non poſſunt: quod eſt de ratione amicitiæ, vt dicitur in 8. Ethi.* Ergo charitas non eſt ex charitate diligenda. *Lib. 8. ca. 3. tom. 5.*

¶ SED CONTRA eſt, quod Aug. dicit. 8. de tri.* Qui diligit proximum conſequens eſt, vt etiam ipſam dilectionem diligat. Sed proximus diligitur ex charitate. Ergo conſequẽs eſt, vt etiam charitas ex charitate diligatur. *Lib. 8. c. 7. à med. to. 3.*

¶ RESPONDEO, dicendum, quòd charitas amor quidã eſt. Amor autem ex natura potentiæ, cuius eſt actus, habet quod poſſit ſupra ſeipſum reflecti. Quia enim voluntatis obiectum eſt bonum vniuerſale, quicquid ſub ratione boni continetur, poteſt cadere ſub actu volũtatis. Et quia ipſum velle, eſt quoddam bonum, poteſt velle ſe velle: ſicut & intellectus, cuius obiectum eſt verum, intelligit ſe intelligere: quia hoc etiã eſt quoddam verum. Sed amor etiam ex ratione propriæ ſpeciei habet, quod ſupra ſe reflectatur, quia eſt ſpontaneus motus amantis ad amatũ. Vnde ex hoc ipſo, quod amat aliquis, amat ſe amare. Sed charitas non eſt ſimplex amor, ſed habet rationem amicitiæ, vt ſupra dictum * eſt. *Q. 23. art. 1.* Per amicitiam autem amatur aliquid dupliciter. Vno modo ſicut ipſe amicus, ad quem amicitiam habemus, & cui bona volumus. Alio modo ſicut bonum quòd amico volumus. Et hoc modo charitas per charitatem amatur, & nõ primo: quia charitas eſt illud bonum quod optamus omnibus, quos ex charitate diligimus Et eadem ratio eſt de beatitudine & alijs virtutibus.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd Deus & proximus ſunt illi, ad quos amicitiam habemus. Sed in illorum dilectione includitur dilectio charitatis. Diligimus enim proximũ & Deum: inquantum hoc amamus, vt nos, & proximum, & Deum diligamus: quod eſt charitatem habere.

¶ Ad

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd charitas eſt ipſa communicatio ſpiritualis vitæ, per quam ad beatitudinem peruenitur: & ideo amatur ſicut bonum deſideratum omnibus, quos ex charitate diligimus.

¶ Ad tertium dicendum, quod ratio illa procedit ſecūdum quod per amicitiam amantur illi, ad quos amicitiam habemus.

SVMMA TEXTVS.

ANtequam D. Tho. reſpondeat ad hanc difficultatem præmittit duo. Primum eſt, q̃ charitas eſt amor, qui ex natura potētiæ, cuius eſt actus habet, q̃ poſsit ſupra ſeipſum reflecti. Cum enim obiectum voluntatis ſit bonum in communi, cuius ratio inuenitur, non ſolum in alijs rebus, quę per voluntatem amantur, ſed etiam in actu eiuſdem volūtatis, qui bonus eſt, fit, vt voluntas non ſolùm poſsit velle alia à ſe, ſed etiam poteſt velle ſe velle, ſicut & quia obiectum intellectus eſt verum, cuius ratio inuenitur in proprio actu, poteſt non ſolum intelligere alia à ſe, ſed etiam intelligere ſe intelligere. Secundum, quod ſupponit Diuus Tho. eſt, quod charitas non eſt ſimpliciter amor, ſed habet rationē amicitiæ, per quam aliquid amatur dupliciter, vno modo, vt amicus, ad quē amicitiam habemus, alio modo, vt bonum, quod amico volumus, Quibus ſuppoſitis ponit duas concluſiones. ¶ Prima concluſio, Charitas amatur per charitatem, non ſicut amicus, ſed ſicut bonum, quod optamus omnibus, quos ex charitate diligimus. ¶ Secunda concluſio. Eodem modo diligimus beatitudinem, & alias virtutes. Has concluſiones non probat D. Tho. ſed illas, vt notas relinquit ex ſuperioribus.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Dubium. CIrca primam concluſionem, eſt difficultas, vtrum in dilectione proximi ita includatur dilectio charitatis, vt ſemper, quòd proximum diligimus ex charitate debeamus illi velle ipſam charitatem. Et *Argum.* pro parte negatiua argumētor ſic. Qui dat alicui eleemoſynam ex charitate, non propterea vult illi charitatem, ſed ſubſidium: ergo non ſemper in dilectione proximi includitur dilectio charitatis.

¶ Ad explicationem huius difficultatis aduertendum eſt ex Caietano in præſenti, quòd proximus dupliciter poteſt diligi ex charitate, vno modo vt amicus, alio modo vt aliquid Dei: quod nos latius explicauimus articulo præcedenti. Et quidem, ſi diligatur vt amicus, neceſſariò debet diligi ad charitatem, ita, vt in illius dilectione amor etiam charitatis includatur, vt dicit D. Th. in hoc articulo & in ſolutione ad primum. Non enim poteſt fieri quod aliquis, vt amicus diligatur, quin etiam ipſa amicitia diligatur. Si autem diligatur proximus ex charitate, non vt amicus, ſed vt aliquid Dei, tunc non eſt neceſſarium illi charitatem deſiderare, vt probat argumentum factum. Qui enim dat eleemoſynā pauperi ex charitate, vt ſic ſolum reſpicit Deum, vt amicum, & proximū reſpicit, vt rem Dei, quæ tali ſubſidio indiget. Ex quo fit, vt ille act⁹ non dicatur elicitus à charitate, ſed imperatus ab illa, & elicitus vel à miſericordia, vel ab amicitia naturali, qua ipſum proximū proſequitur, vt optime explicat Caietanus, qui videndus eſt in hoc articulo.

ARTICVLVS III.

¶ *Vtrùm creaturæ irrationales ſint ex charitate diligendæ.*

AD TERTIVM ſic proceditur. Videtur quòd etiam creaturę irrationales ſint ex charitate diligendæ. Per charitatem enim maxime conformamur Deo. Sed Deus diligit creaturas irrationales ex charitate. Diligit enim omnia, quæ ſunt, vt habetur Sapien. 11. Et omne quod diligit, ſeipſo diligit, qui eſt charitas: ergo & nos debemus creaturas irrationales ex charitate diligere. *3. Diſt. 28. art. 2. & 5. Et Vir. q. 2. ar. 7. co.*

¶ Præterea, Charitas principaliter fertur in Deum: ad alia autem ſe extēdit, ſecundum quod ad Deum pertinent. Sed ſicut creatura rationalis pertinet ad Deum, inquantum habet ſimilitudinem imaginis: ita etiam creatura irrationalis, inquantum habet ſimilitudinem veſtigij. ergo charitas etiam ſe extendit ad creaturas irrationales.

¶ Præ-

3 ¶ Præterea, Sicut charitatis obiectum eſt Deus, ita & fidei. Sed fides ſe extendit ad creaturas irrationales, inquātū credimus cęlū & terrā eſſe creata à Deo, & piſces & aues eſſe productos ex aquis, & greſsibilia animalia & plantas ex terra, ergo Charitas etiā ſe extendit ad creaturas irrationales.

¶ SED CONTRA eſt, quòd dilectio charitatis ſolùm ſe extendit ad Deum & ad proximum. Sed nomine proximi non poteſt intelligi creatura irrationalis: quia nō cōmunicat cum homine in vita rationali. ergo charitas non ſe extendit ad creaturas irrationales.

q.23.art.1. & art. præced. ¶ RESPONDEO, dicendū quod charitas ſecundum prædicta* eſt amicitia quædā. Per amicitiā autem amatur aliquid dupliciter. Vno quidē modo amicus, ad quem amicitia habetur. Et alio modo bona, quæ amico optantur. Primo ergo modo nulla creatura irrationalis poteſt ex charitate amari. Et hoc triplici ratione. Quarum duæ pertinent communiter ad amicitiam, quæ ad creaturas irrationales haberi non poteſt. Primo quidem quia amicitia ad eum habetur, cui volumus bonum. Sed non proprie poſſumus bonum velle creaturæ irrationali: quia non eſt eius proprie habere bonū, ſed ſolum creaturæ rationalis, quæ eſt domina vtendi bono, quod habet per liberū arbitrium. Et ideo Philoſophus dicit in .2. Phiſic.* quòd huiuſmodi rebus non dicimus aliquid bene, vel male contingere, niſi ſecundum ſimilitudinem. Tex.59. Secundò, quia omnis amicitia fundatur ſuper aliqua cōmunicatione vitæ: nihil enim ita proprium eſt amicitiæ, ſicut bona vita, vt patet per Philoſophum .8. Ethic.* Cap.3.&4. Creaturæ autem irrationales non poſſunt cōmunicationem habere in vita humana, quæ eſt ſecundum rationem. Vnde nulla amicitia poteſt haberi ad creaturas irrationales, niſi forte ſecūdum metaphorā. Tertia ratio eſt propria charitati: quia charitas fundatur ſuper cōmunicatione beatitudinis æternæ: cuius creatura irrationalis capax non eſt. Vnde amicitia charitatis non poteſt haberi ad creaturā irrationalem. Poſſunt tamen ex charitate diligi creaturæ irrationales: ſicut bona, quæ alijs volumus, inquātum, ſcilicet, ex charitate volumus eas conſeruari ad honorem Dei, & vtilitatem hominum. Et ſic etiam ex charitate Deus eas diligit. Vnde patet reſponſio ad primum.

¶ AD SECVNDVM dicendum, quòd ſimilitudo veſtigij non dat capacitatē vitæ æternæ, ſed ſimilitudo imaginis. Vnde non eſt ſimilis ratio.

¶ Ad tertium dicendum, quòd fides ſe poteſt extendere ad omnia quocunque modo vera. Sed amicitia charitatis ſe extendit ad illa ſola, quę nata ſunt habere bonū vitæ æternæ, vnde non eſt ſimile.

SVMMA TEXTVS.

SVppoſito, quod charitas eſt amicitia, per quā aliquid dupliciter amatur, vno modo tanquam amicus, ad quem amicitia habetur, alio modo, vt bonum, quod amico optatur, pònit D. Tho. duas propoſitiones. ¶ Prima concluſio. Creaturæ irrationales nullo modo poſſunt amari, vt amicus, ad quem amicitia habetur. Probatur primo: quia amicitia illi habetur, cui bonum volumus, ſed creaturis irrationalibus non poſſumus propriè velle bonum: ergo nec habere amicitiam ad illas. Conſequentia cū maiori eſt nota, & minor probatur. Creaturæ irrationalis non eſt propriè habere bonum, cum non habeat liberum arbitrium, quo tanquam domina poſsit vti bono: ergo creaturis irrationalibus nō poſſumus proprie velle bonum. Secundo, Omnis amicitia fundatur ſupra aliquam cōmunicationem vitæ, ſed creaturæ irrationales nullā communicationem poſſunt habere cum vita humana, quæ eſt ſecundum rationē: ergo ad creaturas irrationales non poteſt haberi amicitia. Tertio, Charitas fundatur ſupra cōmunicationem beatitudinis æternæ, ſed creaturæ irrationales non ſunt participes beatitudinis

diuis æternæ: ergo nõ poſſunt diligi ex charitate tanquam amici. ¶ Secunda cõcluſio. Creaturæ irrationales poſſunt diligi ex charitate tanquã bona, quæ alijs volumus, hoc eſt, inquantum ex charitate volumus illas conſeruari ad vtilitatem Dei & hominum. Quo etiam modo Deus dicitur diligere inſenſibilia ex charitate. Hanc conclusionem non probat D. Tho. ſed illam, vt notam relinquit ex ſuperioribus.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Circa ſecundam concluſionem eſt difficultas, vtrùm ſit vniuerſaliter verum quod poſſimus creaturas irrationales ex charitate diligere in quantum ſunt hominibus vtiles. Et ratio dubitandi eſt, nam videntur eſſe quamplures creaturæ irrationales, ex quibus nihil vtilitatis poteſt hominibus accidere.

Solutio. ¶ Hoc tamen nõ obſtante dico cõcluſionem D. Tho eſſe vniuerſaliter intelligendam. Tum, quia, vt dicunt naturales nulla creatura eſt adeò veneñoſa, quæ aliqua ex parte homini non poſſit eſſe vtilis. Deus enim & natura nihil agunt fruſtra, ſed operantur propter finem: & certum eſt, quod omnes creaturæ homine inferiores ad illum ordinantur tanquam ad finem. Tum etiam, quia quantuis illi non prodeſſent ad vtilitatem corporalem, proſunt tamẽ ad eruditionem moralem & vitam humanam rectè, & prudenter inſtituendam, iuxta illud Prou. 6. Vade ad formicã, ò piger, & cõſidera vias eius, & diſce ſapientiam, quæ cum non habeat ducem nec præceptorem, nec principẽ parat in æſtate cibũ ſibi, & cõgregat in meſſe quod comedat. Ex quo factum fuit, vt in creatione dixerit Dominus, Vidit Deus cũcta, quæ fecerat, & erãt valde bona: hoc eſt, rectè diſpoſita & ordinata iuxta naturas ſuas in ordine ad finem intentum, qui erat hominis bonum, atque perfectio.

Dubium. 1 ¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco, vtrùm ſit licitũ nocere creaturis irrationalibus, ſine aliqua hominis vtilitate.

Argum. Et pro parte negatiua ſic argumentor. Tenemur diligere illas ex charitate, quatenus ſunt hominibus vtiles, ergo ſine aliqua vtilitate non eſt licitum illis nocere.

Concluſio. Hoc tamen non obſtante, dico eſſe licitum pro libito vti creaturis irrationalibus quantũ eſt ex parte ſua. Et probatur: nam habet homo plenum dominiũ ſupra illas, vt patet ex illo Geneſ. c. 1. Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, vt præſit piſcibus maris, & volatilibus cæli, & beſtijs vniuerſæq; terræ, &c. Et paulò inferius, Ecce dedi vobis oẽm herbam afferentem ſemen ſuper terrã, &c. Dixi quantum eſt ex parte ſua, nam alijs de cauſis bene poteſt fieri, vt ſit peccatũ nocere creaturis irrationalibus, aut illas interficere. Vt verbi gratia, ſi aliquis occidẽdis auibus, aut alijs animalibus intentus omitteret facere ea, quæ iuxta ſuum ſtatum exhibere tenetur: aut ſi occidit ea animãtia, quæ iam in alterius proprium dominium ceſſerunt: tunc enim peccaret, non ratione occiſionis, ſed ratione omiſſionis operis debiti, aut ratione nocumẽti, quod infert dño talis aĩalis.

Ad argum. ¶ Et ad argumentum in contrarium factũ reſpondetur, quod ex eo quod creaturæ irrationales tantum diliguntur ex charitate in ordine ad hominem, infertur, quod quãdo illi non ſunt vtiles propter aliquam inſtantem neceſſitatem, licitum eſt illis vti pro noſtra voluntate.

ARTICVLVS IIII.

¶ Vtrum homo debeat ſeipſum ex charitate diligere.

AD QVARTVM ſic proceditur. Videtur quòd homo non diligat ſeipſum ex charitate. dicit enim Greg. in quadam homilia.* quod charitas minus quã inter duos haberi non poteſt. ergo ad ſeipſum nullus habet charitatem.

1. d. 32. q. 1. ar. 2. adiectum. & 3. diſt. 26. & Pir. q. 2. ar. 7. cor. & ad 10. 11. 12. 13 & 14.

2 ¶ Præterea, Amicitia de ſui ratione importat redamationem & æqualitatem, vt patet in. 8. Ethico.* Quæ quidẽ nõ poſſunt eſſe homini ad ſeipſum. Sed charitas amicitia quædam eſt, vt ſupra dictum eſt. ergo ad ſeipſum aliquis charitatem habere non poteſt.

**Homil. 17 in Euang. Cap. 3. et. 8. q. 23. ar. 1.*

3 ¶ Præterea, Illud quod ad charitatem pertinet, non poteſt eſſe vituperabile: quia charitas non agit perperam, vt dicitur primæ ad Cor. 13. Sed amare ſeipſum eſt vituperabile. Dicitur enim ſecundo ad Timoth. 3. In nouiſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa, & erunt homines amãtes ſeipſos. ergo homo non poteſt ſeipſum diligere ex charitate.

SED

Cap.3.ar.8. ¶ SED CONTRA eſt, quod dicitur Leuit. 19. Diliges amicum tuum ſicut teipſum. Sed amicum ex charitate diligimus, ergo & noſipſos ex charitate debemus diligere.

¶ RESPONDEO, dicẽdũ, quod cum charitas ſit quædam amicitia, ſicut dictum eſt.* dupliciter poſſumus de charitate loqui. q.23.art.1. Vno modo ſub cõmuni ratione amicitiæ: & ſecundum hoc dicendum eſt, quòd amicitia propriè non habetur ad ſeipſum, ſed aliquid maius amicitia: quia amicitia vnionem quandam importat, Dicit enim Dionyſ.* quod amor eſt virtus vnitiua. Cap.4. de diui.nomini. Vnicuique autem ad ſeipſum eſt vnitas, quæ eſt potior vnione ad alium. Vnde ſicut vnitas eſt principiũ vnionis, ita amor, quo quis diligit ſeipſum, eſt forma, & radix amicitiæ. In hoc enim amicitiã habemus ad alios, q̃d ad eos nos habemus, ſicut ad noſipſos. Dicitur enim in.9. Ethi.* quod amicabilia, quę ſunt ad alterũ, veniũt ex his, quæ ſunt ad ſeipſum. Cap.8. Sicut etiã de principijs non habetur ſcientia: ſed aliquid maius, ſcilicet intellectus. Alio modo poſſumus loqui de charitate ſecundum propriam rationem ipſius, prout ſcilicet eſt amicitia hominis ad Deum principaliter, & ex cõſequenti ad ea quæ ſunt Dei. Inter quæ etiam eſt ipſe homo, qui charitatem habet. Et ſic inter cætera, quæ ex charitate diligit quaſi ad Deum pertinentia etiã ſeipſum ex charitate diligit.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quod Greg. loquitur de charitate ſecundum communem amicitiæ rationem. Et ſecundum hoc etiam procedit ſecunda ratio.

¶ Ad tertium dicendum, quod amantes ſeipſos vituperantur, inquantum amant ſe ſecũdum naturã ſenſibilem, cui obtemperant: quòd non eſt verè amare ſeipſum ſecundum naturam rationalem, vt ſibi velint ea bona, quæ pertinent ad perfectionem rationis. Et hoc modo præcipuè ad charitatem pertinet diligere ſeipſum.

SVMMA TEXTVS.

SVpposito ꝙ de charitate poſſumus loqui dupliciter, vno modo ſub ratione cõmuni amicitiæ, alio modo ſecundũ propriã rationem charitatis, quæ eſt eſſe amicitiam hominis ad Deum principaliter, & ex conſequẽti ad ea, quæ ſunt Dei: ponit D. Tho: duas propoſitiones. ¶ Prima concluſio. Loquendo de charitate ſecundum communẽ rationem amicitiæ, homo non diligit ſe ipſum ex charitate. Probatur. Nullus poteſt eſſe amicus ſibi ipſi: ergo nec diligere ſe ex charitate, in quantum charitas dicit cõmunem rationem amicitiæ. Conſequentia eſt nota, & antecedens probatur. Amicitia importat quandam vnionem, quæ neceſſario debet eſſe inter diuerſa, eiuſdem enim ad ſe ipſum non eſt vnio, ſed vnitas, quæ eſt potior vnione. Vnde ſicut vnitas eſt principiũ vnionis, ita etiam amor, quo quis diligit ſeipſum eſt forma, & radix amicitiæ, & in tãtum habemus amicitiã ad alios, in quãtum ad eos nos habemus, ſicut ad nos ipſos. Et propterea dixit Ariſt. 9. Ethi. c. 7. ꝙ amicabilia, quæ ſunt ad alterum veniunt ex his, quæ ſunt ad ſeipſum: ergo nullus poteſt eſſe amicus ſibi ipſi. ¶ Secunda concluſio. Loquendo de charitate ſecundum propria rationem illius, quæ eſt eſſe amicitiam hominis ad Deum principaliter, & minus principaliter ad ea, quæ ſunt Dei, homo diligit ſe ipſum ex charitate. Probatur. Ipſe homo eſt aliquid Dei non quomodocunque ſed amicus: ergo inter alia, quæ ex charitate diligit tanquam ad Deum pertinentia, etiam diligit ſeipſum.

ARTICVLVS V.

¶ *Vtrum homo debeat corpus ſuum ex charitate diligere.*

AD QVINTVM ſic proceditur. Videtur, quod homo non debeat corpus ſuum ex charitate diligere. 3.diſt.28. ar.7. & Verit. q.2. artic.7. cor. ad.14. & 15. Non enim diligimus illum, cui conuiuere nõ volumus. Sed homines charitatem habentes refugiunt corporis conuictũ, ſecundũ illud Ro. 7. Quis me liberabit de corpore mortis huius, & Philip. 1. Deſiderium habens diſſol

ni, & eſſe cum Chriſto. ergo corpus noſtrum non eſt ex charitate diligendum.

2 ¶Præterea, Amicitia charitatis fundatur ſup cōmunicatione diuinę fruitionis: Sed huiuſmodi fruitionis corpus particeps eſſe nō poteſt· ergo corpus non eſt ex charitate diligendum.

3 ¶Præterea, Charitas cum ſit amicitia quędā, ad eos habetur, qui redamare poſſunt: Sed corpus noſtrū nō poteſt nos ex charitate diligere. ergo non eſt ex charitate diligendum.

¶SED CONTRA eſt, quod Aug. in. 1. de doct. Chriſ.* ponit quatuor ex charitate diligēda: inter quæ vnum eſt corpus proprium. *Cap. 25. & 26. to. 3.*

¶ RESPONDEO, dicēdū, quod corpus noſtrum ſecundum duo poteſt conſiderari. Vno modo ſecundū eius naturam. Alio modo ſecundum corruptionē culpæ & pœnæ. Natura autem corporis noſtri nō eſt à malo principio creata, vt Manichæi fabulantur, ſed eſt à Deo. Vnde poſſumus ea vti ad ſeruitium Dei: ſecundū illud Rom. 9. Exhibete membra veſtra arma iuſtitiæ Deo. Et ideo ex dilectione charitatis, qua diligim* Deū, debemus etiam corpus noſtrum diligere. Sed infectionem culpæ, & corruptionem pœnæ in corpore noſtro diligere non debemus, ſed potius ad eius remotionē anhelare deſiderio charitatis.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quod Apoſtolus non refugiebat corporis communionem, quantū ad corporis naturam, imò ſecūdum hoc nolebat ab eo ſpoliari: ſecundum illud. 2 ad Corinth. 5. Nolumus expoliari, ſed ſuperueſtiri. Sed volebat carere infectione concupiſcentiæ, quæ remanet in corpore, & corruptione ipſius, quæ aggrauat animam, ne poſſit Deum videre. Vnde ſignanter dixit, de corpore mortis huius.

¶Ad ſecundum dicendum, quòd corpus noſtrum, quāuis Deo frui nō poſſit, cognoſcendo & amando ipſum: tamē per opera, quę per corpus agimus, ad perfectā Dei fruitionem poſſumus venire. Vnde ex fruitione animæ redūdat quædam beatitudo ad corpus, ſcilicet ſanitatis, & incorruptionis vigor, vt Auguſt. dicit epiſtola ad Dioſc.* Et ideo quia corpus aliquo modo eſt particeps beatitudinis, poteſt dilectione charitatis amari. *Epi. 56. to. 2.*

¶Ad tertium dicendū, quòd redamatio habet locum in amicitia, quę eſt ad alterum: non autem in amicitia, quæ eſt ad ſeipſum, vel ſecundum animā, vel ſecundum corpus.

SVMMA TEXTVS.

SVpposito, ꝙ corpus poteſt dupliciter cōſiderari, vno modo ſecundum rationem ipſius corporis, quæ eſt eſſe creaturam Dei, alio modo ſecūdum corruptionem, quam habet à culpa, ponit D. Tho. duas cōcluſiones. ¶Prima concluſio. Loquendo de corpore ſecundum propriam rationem ipſius, homo debet ex charitate proprium corpus diligere. Probatur. Corpus ſecūdum ſuam naturam eſt aliquid Dei, & eo poteſt homo vti ad gloriam conditoris, iuxta illud Pauli ad Roma. 6 Exhibete membra veſtra arma iuſtitiæ Deo: ergo debet ex charitate diligi ſecundum ſuam naturam. ¶Secunda concluſio. Loquendo de corpore ſecundū corruptionem culpæ, nō debet homo illud ex charitate diligere, ſed magis ad eius remotionem anhelare deſiderio charitatis. Hanc concluſionem non probat D. Tho. ſed illam, vt notam relinquit.

EXPLICATIO ARTICVLI.

CIrca iſtum articulum eſt áduertēdum, primò, quòd corpus noſtrum dupliciter poteſt conſiderari. Vno modo inquantum eſt inſtrumentum, quo vtimur ad agēdam pœnitentiam, & conſequendam fœlicitatem: & ſecundum iſtam rationem amatur amore concupiſcentiæ. Alio modo inquantum erit particeps noſtræ beatitudinis: ex fruitione enim animæ redundabit quædam beatitudo in corpus, quę erit ſanitas, & incorruptionis vigor: & ſecundū iſtā rationem amamus corpus noſtrum amore beneuolentiæ, inquantū illi volumus beati- *Corpus dupliciter pōt conſiderari.*

tu-

titudinem participatam. Corpora autẽ aliorum amamus amore amicitiæ, non tanquã amicum, ſed tanquam partem amici, & ſic ſufficiens erit redamatio ex parte amici, cuius pars eſt corpus ad verã amicitiã. vt docet D. Tho. in ſolutione ad. 3. & Caie. ibidẽ.

ſancti diligunt ſua corpora. ¶ Secundo eſt aduertendum, ex D. Auguſtino li. 1. de doctrina chriſtiana. c. 33. ꝙ ſancti licèt videantur odio habuiſſe ſua corpora, maxima tamen charitate illa proſequebantur, iuxta illud ad Epheſ. 5. Nemo carnẽ ſuam odio habuit, Quod vt intelligatur eſt aduertendũ, ꝙ inter bona corporis duo præcipua, & præſtantiſsima computantur. Primum eſt ſubiectio ipſius ad rationẽ. Nam, vt docet Ariſt. lib. 1. Politicorum. c. 3. & 5. Ethi. c. 1. & lib. 2. Mag. mor. c. 16. ſuprema perfectio corporis eſt obedire rationi, & ſequi ductum illius. Vnde in ſtatu naturæ integræ, in quo corpus erat ſummè perfectũ in omnibus ſubdebatur rationi & mouebatur ad imperium illius. Alterum bonũ corporis eſt, quod ſit inſtrumentũ, quo homines conſequantur beatitudinem, nõ ſolum in anima, ſed in ipſo corpore. Cũ ergo ſancti ſuis orationibus, atque vigilijs hæc duo bona corporibus voluerint, manifeſte ſequitur, quòd maximo amore illa proſequebantur, iuxta id quod dixit Chriſtus Ioan. 12. Qui odit animam ſuam in hoc mundo in vitam æternam cuſtodit eam.

Dubium. ¶ Si quis autem quærat, vtrùm caſtigatio corporis ſit ſemper laudabilis, dico primo, *1. Dictum.* ꝙ ea caſtigatio, quæ ſit ſine animæ vtilitate non eſt laudabilis, ſed peccatũ, quia ad minimum eſt actus ocioſus. *2. Dictum.* ¶ Dico ſecundo, ꝙ ea caſtigatio, qua grauiter nocetur corpus, etiam ſi fiat propter cauſam ſpiritualẽ eſt peccatũ mortale. Vt, verbi gratia, ſi quis faciat ſui corporis mutilationem, aut in victu & ſomno eam ſequatur rationẽ, ex qua mors, vel grauis infirmitas cõſequatur. Probatur: nam vnuſquiſq; præcepto naturali tenetur ſuæ ſaluti atq; vitæ conſulere. ¶ Dico tertio, *3. Dictum.* quòd efficere corpus aliquo detrimento propter finem ſpiritualem, ſcilicet, vt reddatur aptum contemplationi rerum diuinarum, & ne rebellet contra animam, licitum eſt & honeſtum, etiam ſi ex hoc aliquod paruum detrimentum, vel ſalutis diſpendium conſequatur. Probatur ex vſu Eccleſiæ, & ſanctorum, qui vigilijs & caſtigationibus propter hũc finem ſua corpora affecerunt, & ex Paulo. 1. ad Corint. c. 9. dicente: Caſtigo corpus meum & in ſeruitutem redigo, ne cum alijs prædicauerim, ipſe reprobus efficiar. ¶ Ex dictis infertur, ꝙ *Corollariũ.* omnes illæ pœnæ, quę retrahunt à peccato, ſunt diligendæ ex charitate, illę autem, quę impellunt ad peccatum, vel quæ ſunt effectus peccati, ex deſiderio charitatis, ſunt repellendæ, vt dicit D. Tho. in ſecunda cõcluſione, quod & faciebat Paulus dum deprecabatur Deum, vt ſe ab illis liberaret ad Roma. 3. ad Galat. 5. & ad Rom. 7. dicens: Infelix ego homo, quis me liberabit à corpore mortis huius.

ARTICVLVS VI.

¶ *Vtrum peccatores ſint ex charitate diligendi.*

AD SEXTVM ſic ꝓceditur. Videtur quòd peccatores nõ ſint ex charitate diligendi. Dicitur enim in Pſal. 118. Iniquos odio habui. Sed Dauid charitatẽ perfectã habebat. Ergo ex charitate magis ſunt odiendi peccatores, quàm diligendi. *3. d. 28. art. 4. Et vir. q. 2. art. 8. ad 8. & nonũ.*

2 ¶ Præterea, probatio dilectionis exhibitio eſt operis, vt Greg. dicit in homilia Pent. Sed peccatoribus iuſti nõ exhibent opera dilectionis, ſed magis opera, quæ vidẽtur eſſe odij: ſecundũ illud pſal. 100. In matutino interficiebam omnes peccatores terræ. Et Dominus præcepit Exod. 22. Maleficos non patieris viuere. Ergo peccatores non ſunt ex charitate diligendi *Hom. 30. in Euang.*

3 ¶ Præterea, Ad amicitiã ꝑtinet, vt amicis optemus. & velimus bona. Sed ſancti ex charitate optãt peccatoribus mala, ſecundm illud Pſal. Conuertantur peccatores in infernum, Ergo peccatores nõ ſunt ex charitate diligendi.

4 ¶ Præterea, Propriũ eſt amicorum de eiſdem gaudere, & idem velle. Sed charitas non facit velle quòd peccatores volũt: neque facit gaudere de hoc, de quo peccatores gaudent, ſed magis facit contrariũ. Ergo peccatores non ſunt ex charitate diligendi.

5 ¶ Præterea, Propriũ eſt amicorum ſimul cõuiuere, vt dicitur in. 8. Ethic. *Cap. 5.* Sed cum peccatoribus non eſt conuiuendũ: ſecũdũ illud. 2. ad Corinth.

6. Recedite de medio eorũ. Ergo pec catores non ſunt ex charitate diligẽdi.

Cap. 30. to. 3 ¶ SED CONTRA eſt, qđ Auguſt. dicit in. 1. de doc. Chri.* quòd cùm di citur, diliges proximum tuum, mani feſtum eſt omnem hominem proximum eſſe deputandum: Sed peccatores nõ deſinũt eſſe homines: quia peccatum non tollit naturam, Ergo peccatores ſunt ex charitate diligendi.

¶ RESPONDEO dicẽdũ, quòd in peccatoribus duo poſſunt conſiderari, ſcilicet natura & culpa. Secũdum naturam quidem, quam à Deo habẽt, capaces ſunt beatitudinis, ſuper cuius cõmunicatione charitas fundatur. vt q. 23. art. 1. & 5. & in 1ſ4. q. art. 3. ſupra dictum eſt. * Et ideo ſecundum naturam ſuam ſunt ex charitate diligẽdi. Sed culpa eorum Deo cõtrariatur, & eſt beatitudinis impedimẽtũ. Vnde ſecundum culpam, quæ Deo aduerſatur, ſunt odiendi quicunque peccatores, etiã pater & mater & ꝓpinqui: vt habet Luc. 14. Debemus enim in peccatorib' odire, quòd peccatores ſunt, & diligere, quòd homines ſunt beatitudinis capaces. Et hoc eſt eos vere ex charitate diligere propter Deum.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quod iniquos propheta odio habuit, inquantũ iniqui ſunt, habens odio iniquitatem ipſorum: quod eſt ipſorum malum. Et hoc eſt perfectum odiũ, de quo ipſe dicit, Perfecto odio oderam illos. Eiuſdem autẽ rationis eſt odire malum alicuius, & diligere bonũ eius: Vnde etiam illud odium perfectũ ad charitatem pertinet.

¶ Ad ſecundũ dicendũ, ꝙ amicis pec Cap. 3. catoribus, ſicut Philoſophus dicit in. 9 Ethi.* nõ ſunt ſubtrahẽda amicitiæ beneficia, quouſque habeatur ſpes ſanationis eorũ: ſed magis eſt eis auxilium dandum ad recuperationem virtutis, quam ad recuperationem pecuniæ, ſi eam amiſiſſent: quãto virtus eſt magis amicitiæ affinis, quàm pecunia. Sed quando in maximã malitiã incidunt, & inſanabiles fiunt: tũc nõ eſt eis amicitiæ familiaritas exhibenda. Et ideo huiuſmodi peccantes, de quibus magis præſumitur nocumentũ aliorum, quam eorum emendatio, ſecundum legem diuinam, & humanam præcipiuntur occidi. Et tamen hoc facit iudex non ex odio eorum, ſed ex amore charitatis, quo bonum publicum præfertur vitæ ſingularis perſonæ. Et tamen mors per iudicem inflicta peccatori prodeſt ſiue conuertatur ad culpę expiationem, ſiue etiam non conuertat ad culpę terminationẽ: qa per hoc tollitur ei poteſtas amplius peccandi.

¶ Ad tertium dicendum, quòd huiuſmodi increpationes quę in ſacra Scriptura inueniũtur, tripliciter poſſunt intelligi. Vno modo per modũ pronuntiationis, nõ per modũ optationis, vt ſit ſenſus Pſal. Cõuertãtur peccatores in infernũ, id eſt, cõuertẽtur. Alio modo per modũ operationis, vt tamẽ deſideriũ optantis nõ referatur ad pœnã hominum, ſed ad iuſtitiã punientis (ſecundum illud, Lętabitur iuſtus, cum viderit vindictã) quia nec ipſe Deus puniens lætat in perditione impiorũ, vt dicitur Sap. 1. ſed in ſua iuſtitia: quia iuſtus domin', & iuſtitias dilexit. Tertiò, vt deſideriũ referatur ad remotionem culpæ, non ad ipſam pœnã, vt ſcilicet, peccata deſtruãtur, & homines remaneant.

¶ Ad quartũ dicendum, quòd ex charitate diligimus peccatores: non quidẽ vt velimus quę ipſi volunt, vel gaudeamus de ijs, de quibus ipſi gaudent, ſed vt faciamus eos velle quod volumus, & gaudere de eis de quibus gaudemus. Vnde dicitur Hier. 15. Ipſi cõuertentur ad te, & tu non conuerteris ad eos.

¶ Ad quintum dicendum, quòd conuiuere peccatoribus, infirmis quidem eſt vitandum propter periculũ, quod eis imminet, ne ab eis ſubuertãtur. Perfectis autem de quorum corruptione

non

nō timetur, laudabile eſt, quòd cũ pec
catoribus conuerſentur vt eos conuer
tant. Sic enim Dominus cum peccato
ribus manducabat & bibebat, vt dici-
tur Matth. 9. conuictus tamē peccato-
rum, quantum ad cōſortium peccati,
vitandus eſt omnibus. Et ſic dicitur. 1.
ad Cor. 6. Recedite de medio eorum,
& immundum ne tetigeritis, ſcilicet,
ſecundum peccati conſenſum.

SVMMA TEXTVS.

SVppoſito, ꝙ in peccatoribus duo poſſu-
mus conſiderare, ſcilicet, naturā atq; cul
pam, ponit D. Tho. duas propoſitiones.
¶ Prima cōcluſio. Peccatores quantũ ad na
turā ſunt ex charitate diligendi. Probatur.
Peccatores quãtum ad naturā ſunt capaces
beatitudinis, ſuper quā charitas fundatur:
ergo quantum ad naturā ſunt ex charitate
diligendi. ¶ Secunda concluſio. Peccatores
quantum ad culpā non ſunt ex charitate di
ligendi, ſed potius odio habendi. Probatur.
Culpa contrariatur Deo, & eſt impedimē-
tum beatitudinis: ergo peccatores quãtum
ad culpam non ſunt ex charitate diligendi,
ſed potius odio habendi.

EXPLICATIO ARTICVLI.

PRo intelligentia huius articuli eſt aduer
tendum primo, aliud eſſe odire peccato
Nota. 1. rē, & aliud odire peccatũ in peccatore. Nā
odire peccatorē eſt ipſum hominē odio ha-
bere propter peccatum, ita, vt obiectum, ad
quod odium determinatur, ſit ipſe homo,
ratio vero odiendi ſit peccatũ. At verò odi-
re peccatum in peccatore eſt ipſum pecca-
tum abhorrere, & id extinctũ eſſe velle: in
quo actu obiectum odij eſt ipſa culpa: ho-
mo autem in quo culpa eſt non eſt obiectũ
odij, ſed potius amoris.
Nota. 2. ¶ Secundo eſt aduertendum, ꝙ odire ali-
quē formaliter loquēdo, eſt velle illi malũ
ſub ea ratione, qua malum eſt ei. Ex quo in
fero primo, ſemper eſſe licitũ, & honeſtum
odire peccatũ in peccatore. Et ratio eſt: nam
hoc facere nihil aliud eſt, quā cupere, vt pec
cator deſinat eſſe peccator. Infero ſecundo,
ꝙ odire peccatorē formaliter loquendo nũ
quam eſt licitum, quia eſt cupere malũ alte-
ri ſine aliqua ratione boni. Infero tertio, ꝙ
licet optare, vt peccator incidat in morbũ,
& in mortē, nec hoc eſt odire peccatorem
proprie, ſed potius illum amare. Quia deſi-
derare, vt peccator incidat in morbum & in
mortem poteſt fieri propter vtilitatem, &
commodum ipſius peccatoris, ſcilicet, vt
per illa mala, vel conuertatur ad Deum, vel
certe deſinat peccare, & ſic liberetur a ma-
ioribus malis.
¶ Sed quoniā hoc maiorem continet dif- *Dubium.*
ficultatem, ad illius explicationem ſit dubi
tatio, vtrùm liceat homini priuato cupere,
vt tyrannus, vel alius peccator incidat in
mortem, vel in aliquod aliud malum ex tē-
poralibus. Et pro parte negatiua argumen- *1. Argum.*
tor primo. Non licet homini priuato infer-
re mortem peccatori: ergo nec illam ei opta
re. Antecedens eſt manifeſtum ex illo præ
cepto, Non occides, & conſequentia proba
tur: nam in moralibus, quod non licet face-
re non licet optare. ¶ Secundo, Si peccator *2. Argum.*
eſſet conſtitutus in extrema neceſsitate, te-
neremur ex charitate illi ſubuenire porrigē
do panem, ergo non licet illi optare mortē,
nec velle, vt fame, vel alia ratione pereat.
Conſequentia eſt manifeſta, & antecedens
probatur ex illo celebri dicto D. Ambroſ.
in lib. de officijs, & refertur. 86. diſt. cap. pa-
ſce. vbi dicitur: Paſce fame morientē, quiſ-
quis enim paſcendo hominem ſeruare po-
teris, ſi non paueris fame occidiſti. ¶ Et con *Cõfirmatio*
firmatur. Nam non ſunt facienda mala vt
inde eueniant bona: ſed optare mortem ali
cui eſt malum: ergo non eſt faciendum
quacunque ex cauſa.
¶ Propter hæc argumenta multi affir- *Concluſio*
mant, quod homini priuato nunquam li-
cet optare mortem peccatoris. In hoc tamē
ſit concluſio. Licitum eſt homini priuato
cupere, vt peccator incidat in mortem, &
in alias calamitates ſub ratione boni, ſcili-
cet, vel, vt conuertatur ad Deum, vel, vt
deſinat peccare. Hanc concluſionem po-
nit D. Tho. 2. 2, q. 76. art. 1. & videtur colli-
gi ex ſacris literis. Nā ad Galat. 5. dicit Pau-
lus, Vtinam abſcindantur qui vos contur-
bant. Et pſalm. 9. Conuertantur peccatores
in infernum. Et pſalm. 108. Diabolus ſtet à
dextris eius, &c. Quę teſtimonia licèt ab ali
quibus ſanctis in alio ſenſu explicētur, ſen-
ſus tamen illorum eſt quòd propheta po-
ſtulabat iuſtam vindictam contra peccato-
res, & perſequutores legis diuinæ. Et ratio-
ne ſic argumētor. Conſentaneum eſt ratio-
ni, vt peccatores ſi alio modo reſipiſcere no
lunt, per hæc minora liberentur a maiori-
bus malis: ergo hoc optare licitum eſt. Et
confirmatur. Peccata in proximos facta in

tantum ſunt peccata in quantum ſunt illis nociua, & pernicioſa: ſed huiuſmodi deſiderium mortis non nocet proximis peccatoribus, ſed eſt illis ſalutare, & medicinale, ergo licitum eſt illud habere. Item, Obiectũ illius deſiderij eſt bonum: ergo ipſum deſiderium eſt licitum. Conſequẽtia eſt nota, & antecedens probatur: quia ꝙ peccatores & perſequutores trucidentur, & occidãtur, eſt iuſtum, & licitum intra limites iuſtitiæ. Et confirmatur quicunque poteſt illo modo ſibi optare mortem, & alia mala: ergo & alijs. Conſequẽtia tenet, quia, vt docet Ariſto 9. Ethi. c. 8. Amicabilia quæ ſunt ad alterum veniunt ex his, quæ ſunt ad ſeipſum. Antecedens vero probatur. Si homo ſciret mortem eſſe ſibi conuenientem ad vitanda peccata mortalia, vel ad pacem, & tranquillitatem reipublicæ, poſſet ſibi eam optare: imo quicunq; parentes iuſti atq; boni petunt à Deo, vt eorum filij potius moriãtur, quam inuoluantur vitijs, atque peccatis, in quo deſiderio laudantur: ergo id ſibi & alijs deſiderare eſt licitum. Vltimo, Ex ſentẽtia D. Tho. in hoc articulo ad charitatem pertinet velle, vt proximi liberentur à malis, in quibus ſunt, maximè à malo publico: ergo ad eandem charitatem pertinet velle, vt, ſi aliter non poteſt fieri, peccatores in minora mala incidant, vt à maioribus liberentur.

Ad.1.arg. ¶ Et ad primum argumentum reſpondetur conceſſo antecedenti, negando cõſequẽtiam. Et ad probationem dico, quod illa maxima, Quod non licet facere, non licet optare, habet verum ſeruata proportione, ità qđ ſicut non licet occidere ipſos peccatores priuata autoritate, ità etiã nec licet velle illos occidi priuata autoritate: ſed ſicut eſt licitũ quòd publica autoritate occidantur, ita etiã eſt iuſtum deſiderare, vt eadem publica autoritate, ſcilicet, vel diuina, vel iudiciaria interimantur. Vel ſecundo reſpõdetur, quòd ea, quæ à nullo poſſunt licitè fieri à nullo etiam poſſunt licite optari, qualia ſunt peccata: tamen illa, quæ poſſunt ab aliquo licitè fieri, licitè etiam poſſunt optari. Et ita contingit in propoſito, quòd peccatoribus licite poteſt inferri calamitas, atque mors tam à Deo quam à iudice, atque adeo à quacunque priuata perſona poteſt id licitè deſiderari.

Ad.2.arg. ¶ Ad ſecundum reſpondetur conceſſo antecedenti negando conſequentiam. Nam ſubtrahere cibum indigenti eſt illũ perſonaliter occidere, vt dicit D. Ambroſ. in cap. citato, quod nulli priuata autoritate licet facere: tamẽ deſiderare mortem illius non eſt occidere perſonaliter, ſed potius appetere executionem diuinæ iuſtitiæ, quod bonum eſt.

Ad cõfirmationem. ¶ Ad confirmationẽ reſpondetur quòd illa maxima eſt intelligenda de malo ſpirituali, & non de malo tẽporali. Deſiderare autem mortem peccatoris cum alia via mederi non poteſt, non habet rationem mali ſpiritualis, ſed boni iuſti atque honeſti.

Dubium. ¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco, vtrũ teneamur diligere ex charitate præſcitos atq; reprobos, maximè ſi per diuinam reuelationem cõſtiterit de eorũ reprobatione. Et pro parte negatiua ſic argumẽtor. Argumentum. Reprobis, de quorũ damnatione conſtat per diuinam reuelationem, non poſſumus velle beatitudinem, quæ eſt præcipuum obiectũ charitatis: ergo nec tenemur illos diligere ex charitate. Et confirmatur ex illo celebri teſtimonio D. Auguſtini. Si ſcirẽ aliquẽ eſſe reprobũ nõ magis orarẽ ꝓ illo, quã pro dæmone.

1. Conclusio. ¶ In hoc tamen ſit prima cõcluſio. Illi reprobo, de cuius futura damnatione conſtat per diuinã reuelationẽ, verbi gratia, Antichriſto, non tenemur ſperare beatitudinẽ ex ꝑcepto ſpei infuſæ, itaq; ſiue teneamur illum diligere ex charitate, ſiue nõ, de quo dicemus concluſione ſequenti, hoc vnũ eſt certum, ꝙ non tenemur illi beatitudinẽ ſperare. Probatur. Ceſſãte ratione formali ſpei, ceſſat præceptũ de illa habenda, ſed in caſu poſito ceſſat ratio formalis ſpei: ergo etiam ceſſat præceptũ illius. Conſequentia cũ maiori eſt nota, & minor probatur. Obiectum formale ſpei eſt beatitudo futura ex meritis Chriſti, ſed facta illa reuelatione beatitudo non poteſt apprehẽdi, vt futura ex meritis Chriſti, ergo ceſſat ratio formalis ſpei. Et cõfirmatur. Ille homo, qui ſperat beatitudinem Antichriſto neceſſario debet iudicare, vel ꝙ ſcriptura diuina eſt fallibilis, vel ꝙ Deꝰ eſt mutabilis: nõ enim poteſt efficaciter ſperare illũ eſſe ſaluãdum, niſi, vel quia credit quòd illa reuelatio eſt falſa, vel quod Deus eſt mutatus, neutrũ autem eſt dicendum: ergo non tenetur habere actum ſpei. Item, ſi alicui fiat reuelatio à Deo de propria condemnatione abſoluitur à pręcepto ſpei, vt diximus ſupra. q. 22. art. 1. ergo à fortiori etiam abſoluetur ab eodem præcepto ille, cui fuerit facta reuelatio abſoluta de alterius reprobatione. Et hoc eſt quod voluit ſignificare D. Auguſtinus quando dixit. Si ſcirem aliquem eſſe reprobum nõ magis orarem

orarem pro illo, quam pro dæmone. Loquitur enim de oratione efficaci fundata ſupra ſpem firmã beatitudinis cõſequẽdę, de qua dicebat D. Iacob. c. 1. Si quis veſtrũ indiget ſapiẽtia poſtulet à Deo qui dat omnib' affluẽter, & nõ improperat, & dabitur ei. Poſtulet autẽ in fide nihil hæſitans, qui enim hæſitat ſimilis eſt fluctui maris, &c.

2. Concluſio. ¶ Secunda concluſio. Omnes reprobos ſiue occultos, ſiue manifeſtos per diuinã reuelationem tenemur ex charitate diligere. Probatur. Quicunq; reprobi ſiue occulti, ſiue manifeſti tenentur ſeruare omnia præcepta diuina, & alios ex charitate diligere: ergo etiã nos tenemur ex charitate illis bene facere. Conſequẽtia eſt nota, & antecedens probatur. Quia quicunq; reprobi habent abſolutam libertatẽ circa obſeruantiã mandatorum, præſcientia enim diuina ſiue publica, ſiue occulta non imponit neceſsitatẽ, nec tollit libertatẽ arbitrij. Et confirmatur. Deus quibuſcunq; reprobis habet paratiſſimum auxiliũ ſufficiens ad ſalutem, aliâs illis peccata non imputarẽtur. Et ex hac ratione probat D. Thom. 1. part. q. 113. art. 4. Antichriſto futurum Angelum deputatum ad cuſtodiã, ergo quibuſcunq; reprobis tenemur ex charitate, quamplurima bona velle. Et confirmatur. Nam hoc eſt diſcriminis inter exiſtẽtes in inferno ex vna parte, & alios homines ſiue reprobi ſint ſiue prædeſtinati ex alia, quòd exiſtentes in inferno nec ſunt obiectum noſtrę dilectionis, nec ad illos ſe extendit præceptum charitatis, quia habent voluntatẽ confirmatam in malo, & ſecundum legem diuinã ſunt extra ſtatum merendi aut demerendi, nec confert Deus illis auxilia neceſſaria ad bene operandũ. At vero alij homines ſunt in ſtatu merendi, & demerẽdi, cùm ſint viatores, nec denegat illis Deus eam auxilia, quæ neceſſaria ſunt ad ſalutẽ, & ſic etiam ſunt obiectum noſtræ dilectionis, atq; ex cõſequẽti extenditur ad illos pręceptum charitatis. Item, Quicunq; homo præcepto charitatis tenetur diligere proximũ, ſed illi reprobi, de quorũ damnatione conſtat, per reuelationẽ ſunt proximi, vt docet D. Auguſtinus lib. 1. de doctrina Chriſtiana. c. 20. & ad id probandũ adducit exemplum de Samaritano Lucę. c. 10. ergo tenemur illos ex charitate diligere. Et confirmatur. Talibus reprobis exiſtentibus in extrema neceſsitate, ſiue corporali, ſiue ſpirituali tenemur ex charitate ſubuenire, tam dando eleemoſynã quàm correctionem fraternã, ergo præceptũ charitatis ſe extendit ad illos. Conſequentia eſt nota, & antecedens conceditur ab omnibus doctoribus. Vltimo, Deus illis reprobis, quos ſcit infallibiliter eſſe dãnandos confert ſua dona, & interdũ gratiã iuſtificantẽ, vt patet in Iuda, & in Saule, ergo etiã nos ex pręcepto charitatis tenemur pręſtare illis noſtra auxilia, & illos diligere. Quod & videtur eſſe cõforme ſacris literis. Nam 1. Reg. c. 16. Samuel orabat pro Saulẽ, quẽ ſciebat eſſe à Deo reprobatũ. Et Deutero. c. 3. Moyſes orabat pro ingreſſu filiorum Iſrael in terram promiſsionis, cõtra diuinam reuelationẽ. Et Lucæ. c. 22. & Matt. 26. Chriſtus orauit pro perſequentibus ſe, quos tamen ſciebat eſſe reprobatos.

¶ Et ad argumentum in contrarium factum reſpondetur, negando antecedens. Nam cum reprobi, quandiu ſunt in hac vita ſint capaces beatitudinis, & Deus illis conferat auxilia ſufficientia ad eius conſequutionem, bene poſſumus eos ex charitate diligere, & velle eis beatitudinem, quantum eſt ex parte noſtra, & alia bona quibus indigent. ¶ Ad confirmationem ex D. Auguſtino dico, quòd probat noſtram ſecundam concluſionem. Ad argum.

ARTICVLVS VII.

¶ *Vtrum peccatores diligant ſeipſos.*

AD SEPTIMVM ſic proceditur. Videtur, quòd peccatores ſeipſos diligãt. Illud enim quod eſt principium peccati, maxime in peccatoribus inuenitũ. Sed amor ſui eſt principiũ peccati. Dicit enim Auguſt. 14. de ciui. Dei, quod facit ciuitate Babylonis. Ergo peccatores maximè mant ſeipſos.

2 ¶ Præterea, Peccatum non tollit naturam. Sed hoc vnicuiqui cõuenit ex ſua natura, quòd diligat ſeipſum: vnde etiam creaturæ irrationales naturaliter appetunt proprium bonum, puta conſeruetionem ſui eſſe, & alia huiuſmodi. Ergo peccatores diligũt ſeipſos.

3 ¶ Pręterea, Omnib' eſt diligibile bonũ, vt Dion. dicit in. 4. c. de di. no. Sed multi peccatores reputant ſe bonos. ergo multi peccatores ſeipſos diligunt.

¶ SED cõtra eſt, qđ dicitur in Pſal. 10. Qui diligit iniquitatẽ, odit animã ſuã.

¶RESPONDEO, dicendū quod amare ſeipſum vno modo commune eſt omnibus, alio modo proprium eſt bonorum, tertio modo proprium eſt malorū. Quod enim aliquis amet id, quod ſeipſum eſſe æſtimat, hoc cōmune eſt omnibus. Homo autem dicitur eſſe aliquid dupliciter. Vno modo ſecundū ſuā ſubſtātiā, & naturā: & ſecundum hoc omnes æſtimāt bonū cōmune ſe eſſe id quod ſunt, ſcilicet ex anima & corpore compoſitos, & ſic etiā omnes homines boni, & mali diligunt ſeipſos: inquantum diligunt ſui ipſorum cōſeruationem. Alio modo dicitur homo eſſe aliquid ſecundum principalitatē, ſicut princeps ciuitatis dicii eſſe ciuitas. Vnde ꝙ principes faciunt, dicitur ciuitas facere. Sic autem non omnes æſtimant ſe eſſe id quod ſunt, principale enim in homine eſt mens rationalis. Secundarium autem eſt natura ſenſitiua & corporalis: quorum primum Apoſtolus nominat interiorem hominem, ſecundum exteriorem; vt patet ſecundo ad Corinth. 5. Boni autem æſtimant principale in ſeipſis rationalem naturam, ſiue interiorem hominem: vnde ſecundū hoc æſtimāt ſe eſſe ꝙ ſunt. Mali autem æſtimāt principale in ſeipſis naturam ſenſitiuam, & corporalem, ſcilicet exteriorem hominem: vnde non recte cognoſcentes ſeipſos, non vere diligunt ſeipſos, ſed diligūt id quod ſeipſos eſſe reputant. Boni autem vere cognoſcentes ſeipſos, vere ſeipſos diligunt. Et hoc probat Philoſophus in nono Ethico. per quinque, quæ ſunt amicitię propria. Vnuſquiſque enim amicus primò quidem vult ſuū amicum eſſe & viuere, ſecūdò vult ei bona, tertio operatur bona ad ipſum, quarto conuiuit ei delectabiliter, quintò concordat cū ipſo, quaſi cum eodem delectatus, & cōtriſtatus. Et ſecundum hoc boni diligunt ſeipſos, quantum ad interiorem hominem, quia etiam volunt ipſum ſeruari in ſua integritate, & optant ei bona, quæ ſunt bona ſpiritualia, & etiā ad aſſequenda opera intendunt, & delectabiliter ad cor proprium redeunt: quia ibi inueniunt bonas cogitationes in præſenti, & memoriam præteritorum, & ſpem futurorū bonorū, ex quibus delectatio cauſatur. Similiter etiā nō patiuntur in ſeipſis voluntatis diſſēſionē: quia tota anima eorum tēdit in vnum. Ecōtrario autē mali nō volunt cōſeruari in integritate interioris hominis, neq; appetunt eius ſpiritualia bona, neq; ad hoc operantur, neque delectabile eſt eis ſecum cōuiuere, redeundo ad cor: quia inueniunt ibi mala, & præſentia, & præterita, & futura, quæ abhorrent, neque etiam ſibiipſis concordant propter conſcientiam remordete, ſecūdum illud Pſalmi. 46. Arguā te, & ſtatuam contra faciem tuam. Et per eadem probari poteſt, quòd mali amant ſeipſos ſecundum corruptionē exterioris hominis: ſic autem boni nō amant ſeipſos.

¶AD PRIMVM ergo dicendū, ꝙ amor ſui, qui eſt principiū peccari, eſt ille, qui eſt ꝓprius malorū perueniens vſq; ad contēptum Dei; vt ibidē dicitur: quia mali etiam ſic cupiunt exteriora bona, ꝙ ſpiritualia contemnunt.

¶Ad ſecundum dicēdum, quòd naturalis amor, etſi non totaliter tollatur à malis, tamē in eis peruertitur, per modum iam * dictum. *In corp. art.*

¶Ad tertium dicēdum, quòd mali inquātum æſtimanr ſe bonos, ſic aliquid participant de amore ſui. Nec tamen eſt iſta vera ſui dilectio, ſed apparens, quæ etiam non eſt poſsibilis in ijs, qui valde ſunt mali.

SVMMA TEXTVS.

SVppoſito, quod vnuſquiſque amat id quod ſeipſum eſſe exiſtimat, & ꝙ homo dicitur eſſe aliquid dupliciter, vno modo ſecundum naturā, alio modo ſecundum principalitatem, quæ non eodē modo intelligitur ab omnibus, ſed cum in homine principale

pale ſit mens rationis, ſecundáriũ autem na
tura ſenſitiua, quorum primum Apoſtolus
appellat interiorem hominem, & ſecundũ,
exteriorem, boni exiſtimant principale in
ipſis eſſe rationalẽ naturam, mali autẽ exi
ſtimant principale in ipſis eſſe natură ſenſi
tiuam, reſpondet D. Tho. ad difficultatem
per aliquot propoſitiones. ¶ Prima conclu
ſio. Omnes homines ſiue boni, ſiue mali di
ligunt ſe quantũ ad naturã dilectione qua-
dam naturali. Probatur. Omnes ſibi deſide
rãt eſſe, & viuere, & alia bona naturalia: er-
go diligunt ſe quantũ ad naturam dilectio-
ne naturali. ¶ Secunda concluſio. Boni, qui
ſe recte cognoſcunt, verè ſeipſos diligunt.
Probatur ex Ariſt. qui. 9. Ethi. cap. 4. ponit
quinq; veræ amicitiæ propria, quæ omnia
inueniũtur in amore, quo boni ſeipſos pro
ſequuntur. Ea autem, quæ in vera amicitia
inueniuntur ſunt primo, quòd vnuſquiſq;
amicus vult ſuum amicũ eſſe & viuere. Se-
cundo, vult ei bona. Tertio, operatur bona
ad ipſum. Quarto, cõuiuit ei delectabiliter.
Quinto, concordat cum ipſo, quaſi cum eo
dem delectatus & cõtriſtatus. Et quod hæc
omnia inueniantur in amore, quo boni ſe-
ipſos diligunt ſecũdum hominẽ interiorẽ,
probatur. Nam primo, volunt ipſum ſerua
ri in ſua integritate. Secundo, optant ei bo-
na ſpiritualia. Tertio, ad aſſequenda opera
intendũt. Quarto, delectabiliter ad cor pro
prium redeunt, quia ibi inueniũt bonas co-
gitationes, ex quibus delectatio cauſatur.
Et tãdem quinto, non patiuntur in ſeipſis
voluntatis diſſenſionẽ, quia tota anima eo-
rum tendit in vnũ. ¶ Tertia concluſio. Pec-
catores, atq; mali, qui naturã ſenſitiuã prin
cipalẽ in ſe ipſis exiſtimant, non rectè cog-
noſcentes ſeipſos, non vere ſe diligunt. Pro
batur. Peccatores, nec volunt conſeruari in
integritate hominis interioris, nec appetũt
eius ſpiritualia bona, nec ei adoperãtur, nec
delectabile eſt eis ſecum viuere redeũdo ad
cor, quia inueniunt ibi præſentia, & præte
rita, & futura, quæ abhorrẽt, nec etiam ſibi
ipſis concordãt propter conſcientiã remor-
dentem: ergo non verè ſe amant.

EXPLICATIO ARTICVLI.

RESolutio huius articuli eſt quod pecca-
tores, & iuſti: boni, & mali conueniunt
in hoc, quod diligunt in ſe id, quòd exiſti-
mant eſſe principalius. Differunt autem in
hoc, quod boni verè diligunt ſe, quia repu-
tant verè eſſe in ſe principale id, quod eſt
principale, ſcilicet, rationẽ, at verò peccato-
res non verè diligunt ſe, quia reputant in ſe
eſſe principale id, quod non eſt principale,
ſcilicet, ſenſum. De qua re agit Ariſt. 8. Eth.
c. 8. Sed contra hoc eſt argumentũ. Nam ſi *Argum.*
oẽs peccatores reputarent in ſe eſſe princi-
palem partem ſenſitiuam ſequeretur, om-
nes eſſe hæreticos, conſequens autẽ eſt ab-
ſurdũ: ergo. Probo ſequelam. Quia huiuſ-
modi iudicium ſine hæreſi eſſe non poteſt.
Reſpondetur tamẽ, ꝙ iudicium eſt duplex, *Solutio.*
vnum ſpeculatiuum, alterum practicũ: &
error ſimiliter vnus eſt ſpeculatiuus, alter
practicus. Primus conſtituit hæreſim ſecũ-
dus non, vt diximus in materia de hæreſi.
Quo ſuppoſito dico, quòd peccatores cũ iu
dicant partem ſenſitiuã eſſe potiſsimã, id iu
dicãt nõ ſpeculatiuè, ſed practicè: quia, ſci-
licet, dũ operant̃, potius ſequũtur partes ſen
ſuum, quam rationis: & ſic non ſunt hære-
tici, niſi ex alia parte habeant in intellectu
errorem contrarium fidei.

¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco, vtrùm *Dubium.*
peccatores ſimpliciter, & abſolutè ſint dicẽ
di ſeipſos diligere, & pro parte affirmatiua
eſt argumentũ. Nam Ioã. 12. loquens Chri- *1. Argum.*
ſtus de peccatoribus dicit, Qui animã ſuã *pro parte af-*
in hoc mũdo amat perdet eam, &c. Quibus *firmatiua.*
verbis apertè concedit amorẽ in peccatori-
bus. Et D. Paulus. 2. ad Timot. 3. dicit, inſta
bunt tempora periculoſa, & erũt homines
ſeipſos amantes. Quaſi ſignificans pri-
mum periculũ hominum conſiſtere in pro
pria dilectione. Et D. Auguſt. affirmat, ꝙ
amor proprius vſq; ad contemptũ Dei ædi
ficat ciuitatẽ Babylonis. ¶ Item ratione ſic *2. Argum.*
argumentor. Si peccatores non diligerẽt ſe
ſequeretur, quòd ſe odio haberent, conſe-
quens autẽ eſt falſum, nam ſic dũ aliquod
peccatum cõmittunt peccarent duplex pec
catũ, vnum, verbi gratia, fornicando contra
temperantiã, & aliud ſe odio habendo con
tra charitatẽ: ergo & illud ex quo ſequitur.
Probo ſequelam. Nam non eſt dare mediũ
inter amorem & odiũ reſpectu ſui ipſius.

¶ Ad explicationẽ huius difficultatis ſit *1. Concluſio.*
prima concluſio. Loquendo ſecũdũ opinio
nem vulgi peccatores magis diligunt ſeip-
ſos, quam iuſti. Probatur. Cõmunis æſtima
tio hominũ ſolũ fertur in bona ſenſibilia,
ſecundũ quæ potius atq; feruentius diligi-
mus corpus quam animam: ſed peccatores
feruntur in hæc bona ſpretis bonis ſpiritua
libus: ergo peccatores ſecundũ opinionem
vulgi magis diligunt ſeipſos, quam iuſti.

¶ Secunda

2. *Concluſio.* ¶ Secunda concluſio. Iuſti ſimpliciter, & abſolutè diligũt ſeipſos & non peccatores. Hanc concluſionem probat Ariſt. à cap. 4. vſq; ad. 8. quatuor aut quinque rationibus & D. Auguſt. lib. 1. de doctrina Chriſtiana c. 23. & D. Ambroſ. lib. 1. de officijs cap. 9. Ad idq; adducit illud pſalm. 10. Qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam. Sed nunc ratione ſic argumentor. In peccatoribus nõ eſt obiectum dilectionis: ergo non vere ſe diligunt. Conſequentia eſt nota, & antecedens probatur. Obiectum veræ dilectionis ſimpliciter eſt bonum honeſtũ, ſed in peccatoribus ceſſat ratio honeſti, iuxta illud Prou. c. 19. Vbi non eſt ſcientia animæ, nõ eſt bonũ, quib' verbis apertè ſignificat Sapiens, nullum bonum vtile, vel delectabile habere rationem boni deficiẽte ſcientia animæ, quæ eſt charitas, vt explicat D. Ambroſ. loco citato, ergo in peccatoribus non eſt vera dilectio, qua ſeipſos diligant. Item peccatores inferunt ſibi grauiſsima mala, quæ ſibi volunt: ergo ſimpliciter non diligunt ſe, ſed potius ſe odio habent. Conſequentia eſt nota: nam diligere eſt velle bonum, & antecedens probatur. Omnia bona peccatorum licet cauſent & inducant breuem delectationẽ, inferunt tamen duo grauiſsima mala. Primum eſt ꝙ tollunt ſubiectionem corporis ad rationẽ, quod eſt fundamentum omnium malorum. Secũdum ꝙ præparant animam ad perpetua, & æterna ſupplicia, & ad pœnam dãni, & ad pœnam ſenſus, in quorum comparatione nullum bonum eſt iucundum: ergo peccatores ſimpliciter non diligunt ſe. Et eſt in tãtum hoc verum quod non ſolùm quantũ ad interiorem hominem, ſed etiam quantum ad exteriorem iuſti ſunt dicendi magis diligere ſeipſos, quam peccatores, vt ex doctrina D. Auguſtini diximus art. 5. huius quęſt.

Ad. 1. arg. ¶ Et ad argumenta in cõtrarium facta, ad teſtimonia reſpondetur quòd procedũt ſecũdum communem opinionem vulgi. Vnde Chriſtus non dixit abſolutè, Qui amat animam ſuam, ſed, qui amat in hoc mũdo.

Ad. 2. arg. ¶ Ad rationẽ, vt reſpondeamus, eſt aduertendum, ꝙ odium poteſt dupliciter conſiderari. Vno modo, vt eſt conditio conſequens quodcunq; peccatum mortale, quicunq; enim peccat mortaliter contemnit ipſum Deum, atq; odio habet illum. Vnde Hiere. c. 2. in perſona Dei dicit ad peccatorem. Dirupiſti vincula, cõfregiſti iugũ, dixiſti, non ſeruiam, &c. Et ſecundũ iſtam conſiderationem odium eſt circunſtãtia generalis cuiuſcunq; peccati mortalis, nec conſtituit diſtinctam ſpeciem. Alio modo poteſt conſiderari odium formaliter, quod eſt quando aliquis directe intendit agere contra charitatem Dei, & proximi: & ſecundum iſtam rationem eſt peccatum ſpeciale cõſtituens ſpeciem ab alijs diſtinctã neceſſario in confeſsione explicandam. Hoc ſuppoſito ad argumentum dico, ꝙ peccatores dicuntur ſe odio habere, non ſecundo modo, ſed primo inquantum odiũ eſt circunſtantia cõcomitans quodcunque peccatum mortale.

ARTICVLVS VIII.

¶ *Vtrùm ſit de neceſsitate charitatis, vt inimici diligantur.*

AD OCTAVVM ſic proceditur. Videtur quòd nõ ſit de neceſſitate charitatis, vt inimici diligantur. Dicit enim Auguſtin. * in Enchiridio, quòd hoc tam magnum bonum, ſcilicet, diligere inimicos, nõ eſt tantę multitudinis, quantum credimus exaudiri, cũ in oratione dicitur, Dimitte nobis debita noſtra. Sed nulli dimittitur peccatum ſine charitate: quia vt dicitur Prouerb. 10. Vniuerſa delicta operit charitas. ergo non eſt de neceſsitate charitatis diligere inimicos.

3. d. 30. ar. 1. Et Virt. q. 2. art. 8. Et opuſ. 4. c. 8. & opuſ. 180. Et Rom. 12. lect. 3. Enchiridy ca. 73. to. 3.

2 ¶ Præterea, Charitas non tollit naturam. Sed vnaquæque res etiam irrationalis naturaliter odit ſuum contrarium, ſicut ouis lupũ, & aqua ignem: ergo charitas non facit, quòd inimici diligantur.

3 ¶ Præterea, Charitas non agit perperam. Sed hoc videtur eſſe peruerſum ꝙ aliquis diligat inimicos, ſicut & ꝙ aliquis odio habeat amicos. Vnde. 2. Reg. 19. exprobrãdo dicit Ioab ad Dauid, Diligis odientes te, & odio habes diligentes te. ergo charitas non facit, vt inimici diligantur.

¶ SED contra eſt, ꝙ Dominus dicit Matt. 5. Diligite inimicos veſtros.

¶ RESPONDEO dicendũ, quòd dilectio inimicorum tripliciter poteſt conſiderari. Vno modo vt inimici diligãtur, inquãtum ſunt inimici: & hoc

eſt

eſt peruerſum & charitati repugnans, quia hoc eſt diligere malum alterius. Alio modo poteſt accipi dilectio inimicorum, quantum ad naturam, ſcilicet in vniuerſali, & ſic dilectio inimicorũ eſt de neceſsitate charitatis: vt ſcilicet aliquis diligens Deum & proximum, ab illa generalitate dilectionis proximi, inimicos ſuos non excludat. Tertio poteſt conſiderari dilectio inimicorum in ſpeciali: vt ſcilicet aliquis in ſpeciali moueatur motu dilectionis ad inimicum. Et iſtud non eſt de neceſſitate charitatis abſolutè: quia nec etiã moueri motu dilectionis in ſpeciali ad quoſlibet homines ſingulariter eſt de neceſsitate charitatis: quia hoc eſſet impoſsibile. Eſt tamen de neceſsitate charitatis, ſecundum præparationem animi, vt ſcilicet homo habeat animũ paratum ad hoc, quòd in ſingulari inimicum diligeret, ſi neceſsitas occurreret. Sed quòd abſque articulo neceſsitatis homo etiam hoc actu impleat, vt diligat inimicum propter Deum, hoc pertinet ad perfectionem charitatis. Cum enim ex charitate diligatur proximus propter Deum, quanto aliquis magis diligit Deum, tanto etiam magis ad proximum dilectionem oſtendit nulla inimicitia impediente. Sicut ſi aliquis multum diligeret aliquẽ hominem, amore ipſius, filios eius amaret, imò etiam inimicos ſibi. Et ſecundum hunc modũ loquitur * Auguſt. (*Loco citato in arg. 1.*)

¶ Vnde patet reſponſio ad primum.

¶ AD SECVNDVM dicendum, quòd vnaquæque res naturaliter odio habet id, quod eſt ſibi contrarium, inquantum eſt ſibi contrarium. Inimici autẽ ſunt nobis contrarij, inquantum ſunt inimici. Vnde hoc debemus in eis odio habere. Debet enim nobis diſplicere, quòd nobis inimici ſunt. Nõ autem nobis ſunt contrarij, inquantum homines ſunt, & beatitudinis capaces. Et ſecundũ hoc debemus eos diligere.

¶ Ad tertium dicendum, quòd diligere inimicos, inquantum ſunt inimici, eſt vituperabile: & hoc non facit charitas, vt dictum * eſt. (*In corpo. ar.*)

SVMMA TEXTVS.

SVppoſito, ꝙ dilectio inimicorum poteſt tripliciter conſiderari, vno modo inquãtum ſunt inimici, alio modo ſecundum naturam, & hoc adhuc dupliciter, ſcilicet, vel in vniuerſali, vel in particulari, reſpondet D. Tho. per plures propoſitiones. ¶ Prima cõcluſio. Inimici, vt inimici ſunt, non ſunt ex charitate diligendi. Probatur, quia hoc repugnat charitati, & eſſet diligere malum alterius. ¶ Secunda concluſio. Inimici quatenus homines, ſunt diligendi ex charitate generali dilectione, quæ conſiſtit in hoc, vt quis diligens Deum, & proximum ab illa generali dilectione proximi non excludat inimicos. ¶ Tertia cõcluſio. Diligere inimicos ſpeciali motu dilectionis non eſt de neceſsitate charitatis. Probatur: quia nec etiã hoc eſt neceſſarium reſpectu aliorũ hominum, qui non ſunt inimici. ¶ Quarta cõcluſio. De neceſsitate charitatis eſt, ſecundum præparationem animi ità diligere inimicũ in particulari, vt habeamus animum paratũ ad hoc, vt illi in ſingulari benefaciamus, ſi neceſsitas occurrerit. ¶ Quinta cõcluſio. Actu diligere inimicum propter Deum in particulari, abſq; huiuſmodi neceſsitate eſt de perfectione charitatis. Probatur, quia cũ proximus ex charitate diligatur propter Deum, quanto quis magis diligit Deum, tãto magis ad proximum dilectionem oſtendit, nulla inimicitia impediente.

ARTICVLVS IX.

¶ Vtrum ſit de neceſsitate ſalutis, quòd aliquis ſigna & effectus dilectionis inimico exhibeat.

AD NONVM ſic proceditur. Videtur quòd ex neceſsitate charitatis ſit, ꝙ aliquis homo ſigna, vel effectus dilectionis inimico exhibeat. Dicitur enim 1. Ioan. 3. Non diligamus verbo, neque lingua, ſed opere & veritate. Sed opere diligit aliquis, exhibendo ad eum, quem diligit ſigna & effectus dilectionis, ergo de neceſsitate charitatis eſt, vt aliquis huiuſmodi ſigna, (*3. diſt. 30. ar. 1. ad. 1. & ar. 2. & Roma. 12. lec. 2.*)

na, & effectus inimicis exhibeat.

2 ¶ Præterea, Matth. 5. Dominus ſimiliter dicit, Diligite inimicos veſtros & benefacite ijs, qui oderunt vos. Sed diligere inimicos eſt de neceſsitate charitatis. ergo & benefacere inimicis.

3 ¶ Præterea, Charitate amatur, nō ſolum Deus, ſed etiam proximus. Sed *Homil. 30. in Euang. nō multū procul à princi.* Greg. dicit in homi. Pēt. ꝙ amor Dei non poteſt eſſe otioſus: magna enim operatur ſi eſt: Si deſinit operari, non eſt amor. ergo charitas, quæ habetur ad proximum, nō poteſt eſſe ſine operationis effectu, ſed de neceſsitate charitatis eſt, vt omnis proximus diligatur etiā inimicus. Ergo de neceſsitate charitatis eſt, vt etiā ad inimicos ſigna, & effectus dilectionis oſtendamus.

¶ SED CONTRA eſt, ꝙ Matth. 5 ſuper illud, Benefacite his, qui oderūt *Aug. Enchirid. c. 73. id habetur in ſen. to. 3.* vos: dicit Gloſ. quòd benefacere inimicis eſt cumulus perfectionis. Sed id, quod pertinet ad perfectionem charitatis, non eſt de neceſsitate ipſius. Ergo non eſt de neceſsitate charitatis, ꝙ aliquis ſigna, & effectus dilectionis inimicis exhibeat.

¶ RESPONDEO dicendū, quòd effectus, & ſigna charitatis ex interiori dilectione procedunt, & ei proportionantur. Dilectio autem interior ad inimicū, in communi quidem eſt de neceſsitate præcepti abſolutè, in ſpeciali autem eſt non abſolutè, ſed ſecūdum *Ar. præced.* præparationem animi, vt ſuprà dictū eſt, ſic ergo dicendū eſt de effectu & ſigno dilectionis exteriùs exhibendo, ſunt enim quædam ſigna vel beneficia dilectionis, quæ exhibentur proximis in communi, puta cū aliquis orat prò omnibus fidelibus, vel pro toto populo, aut cum aliquod beneficiū impendit aliquis toti cōmunitati. Et talia beneficia, vel dilectionis ſigna, inimicis exhibere eſt de neceſsitate præcepti. Si enim nō exhiberētur inimicis, hoc pertineret ad liuorem vindictæ, cōtra id quod dicitur Leuit. 19. Non quęres vltionem, & non eris memor iniuriæ ciuium tuorum. Alia verò ſunt beneficia vel dilectionis ſigna, quæ quis exhibet particulariter aliquibus perſonis. Et talia beneficia, vel dilectionis ſigna inimicis exhibere nō eſt de neceſſitate ſalutis: niſi ſecundum pręparationem animi, vt, ſcilicet, ſubueniatur eis in articulo neceſsitatis: ſecūdum illud Prouer. 25. Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitit, da illi potum. Sed qđ pręter articulum neceſsitatis huiuſmodi beneficia aliquis inimicis exhibeat, pertinet ad perfectionem charitatis: per quam aliquis, non ſolum cauet vinci à malo, quod neceſsitatis eſt, ſed etiā vult in bono vincere malūm, quod eſt etiam perfectionis: dum, ſcilicet, non ſolum cauet propter iniuriam ſibi illatam detrahi ad odium, ſed etiam propter ſua beneficia intendit inimicum pertrahere ad ſuum amorem.

¶ Et per hoc patet reſpōſio ad obiecta.

SVMMA TEXTVS.

SVppoſito, quod effectus, & ſigna charitatis ex interiori dilectione procedūt, & que proportionantur, ponit D. Tho. in hoc articulo ferè eaſdem concluſiones, quas poſuit in præcedēti. ℂ Prima cōcluſio. Vnuſquiſq; ex pręcepto charitatis tenetur inimicis exhibere ſigna cōmunia, & generalia dilectionis, quæ omnibus exhibentur. Probatur: quia aliud pertineret ad liuorem vindictæ, qui Leuit. 19. prohibetur, dum dicitur, Non quæras vltionem, & non eris memor iniuriæ ciuium tuorum. ℂ Secunda concluſio. Exhibere inimicis ſigna, & effectus particularis dilectionis non eſt de neceſsitate charitatis, niſi ſecundum pręparationē animi. ℂ Tertia concluſio. Quod aliquis particularia ſigna charitatis extra caſum neceſsitatis inimicis exhibeat, pertinet ad pfectionem charitatis, per quam quis non ſolum cauet vinci à malo, quod neceſsitatis eſt, ſed etiam vult in bono vincere malum, quod eſt perfectionis.

EXPLICATIO ARTICVLI.

PRima & præcipua difficultas circa hos duos articulos eſt, vtrum ſit verum, & reale præceptum de dilectione inimicorū.

Et

Argumētū pro parte negatiua.

Et pro parte negatiua ſic argumentor. Si tale præceptum eſſet, vel illud eſſet naturale, vel Moſaicum, vel euangelicū: ſed nihil horum poteſt dici: ergo. Probo minorem. Et primo ꝙ non ſit præceptum naturale: nam ſecundum ius naturæ eſt, ꝙ qui alterum lædit ád ipſo lædatur, vt docet Ariſt. 12. Ethi. cap. 9. & Cicero lib. 1. offi. Nec etiam eſt pręceptum Moſaicum. Nam Leui. c. 19. ſolum dicitur, Diliges amicum tuum: ex quibus verbis ſacerdotes legis colligebāt, inimicos eſſe odio habendos. Cuius etiam occaſione multi hæretici in eum errorem inciderunt, vt affirmarent licitum eſſe odio habere inimicos, vt eſt videre apud Caſtrum de hæreſibus verbo, inimicus. Sed ꝙ nec etiam ſit præceptum euangelicum, probatur. Nam Chriſtus Matth. 5. poſtquam docuit inimicos eſſe diligendos dixit, Benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus vos. Quibus verbis non præceptum, ſed cōſilium continet. Et ſubdit ſtatim: Si diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedē habebitis? Nec minatur pœnā inferni nō diligētibus, ſed ſolum denegat mercedē: quod non faceret, ſi eſſet præceptū ab illo impoſitum de dilectione inimicorum. Et tandem concludit: Eſtote ergo perfecti, ſicut pater veſter cœleſtis perfectus eſt: quaſi ſignificans dilectionem inimicorum ad perfectionem pertinere: ergo non eſt præceptum de diligendis inimicis.

Cōfirmatio.

¶ Et cōfirmatur. Actus ſupremæ perfectionis eſt proprius perfectorum, nec debet eſſe communis omnibus fidelibus, ſed dilectio inimicorum eſt actus maximæ perfectionis euangelicæ, vt conſtat ex verbis Chriſti, ergo eſt peculiaris perfectorum, atque ex conſequenti non eſt præceptum de illo.

¶ His tamen nō obſtantibus ſit concluſio de fide tenenda, ꝙ diligere inimicos non ſolum eſt præceptum diuinū, & euangelicū, ſed etiā Moſaicum, & naturale. Et quidē; ꝙ ſit præceptū diuinum, & Euangelicū docet D. Chryſoſt. ho. 18. ſuper Matth. & D. Auguſt. de ſerm. Domini in monte. q. 1. & 2. & D. Hiero. & gloſſa ſuper. 5. c. Matthęi & probatur ex ipſo textu. Nā paulò antea dixerat Chriſtus: Niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquā ſcribarum & phariſęorū nō intrabitis in regnum cœlorum. Et, vt doceret quænam ſint illa, in quibus iuſtitia noſtra debeat plus abundare, quā iuſtitia ſcribarum, & phariſæorum, inter alia ponit dilectionem inimicorum: ergo dilectio inimicorum eſt neceſſaria atque ex conſequenti eſt in præcepto. Et confirmatur. In eodē loco docens Chriſtus nos debere inimicos diligere, ſubdit cauſam dicens, Vt ſitis filij patris veſtri, &c. Sed huiuſmodi filiatio ſpiritualis non poteſt eſſe, niſi per charitatē: ergo neceſſarium eſt ad habendam charitatē ex præcepto Chriſti diligere inimicos. Itē ex præcepto euangelico, tenemur diligere proximū in ordine ad Deum; ſed nomine proximi intelliguntur quicunq; homines etiam inimici, quoniā omnes ſunt coniuncti nobiſcum in natura, & ſunt capaces diuinæ viſionis: ergo etiā inimicos tenemur diligere ex charitate. Pręterea, Finis pręceptorum ſecundæ tabulæ eſt dilectio proximorum, ſed iure diuino tenemur ſeruare pręcepta ſecundæ tabulæ etiā erga inimicos non occidendo illos, aut illis iniuriam inferēdo: ergo tenemur ex præcepto diuino diligere inimicos. Sed quod huiuſmodi pręceptum etiam fuerit Moſaicū probatur. Nā Exod. c. 23. dicit Dominus. Si occurreris boui inimici tui, aut aſino erranti, reduc ad eum: ſi videris aſinum odientis te iacere ſub onere non pertranſibis, ſed ſubleuabis cum eo. Itē Leuit. c. 19. dicitur. Ne quæras vltionē, nec eris memor iniuriæ ciuium tuorū: quibus verbis apertè pręcipitur dilectio inimicorū. Et Eccleſiaſt. c. 18. Qui vult vindictā inueniet vindictam à Domino. Et Prouer. 25. Si eſurierit inimicus tuus ciba illū, &c. Reſtat tamen probare, ꝙ huiuſmodi præceptū de dilectione inimicorū ſit naturale, quod etiā affirmauimus in cōcluſione. Ad quod ſupponendum eſt, ꝙ ſicut actus exterior naſcitur ab actu interiori, ità lex, quæ præcipit aliquē actum exteriorem, præcipit etiam actum interiorem, ſine quo exterior cōſtare nō poteſt. Hoc ſuppoſito ſic argumētor. Stando in ſola lege naturæ eſt illicitū inferre malum homini inimico: ergo & velle ei malū, atq; ex cōſequenti eſt pręceptū naturale de dilectione inimicorū. Cōſequentia eſt nota, & antecedens probatur. Præcepta ſecundæ tabulæ ſunt naturalia, & illis prohibetur, ne alicui homini etiam inimico inferamus iniuriā: ergo illicitū eſt inferre malum homini inimico. Et confirmatur ex illo Geneſ. c. 4. Quj occiderit Cain ſeptuplū punietur: hoc eſt grauiſsime & pleniſsime. Itē lex naturæ pcipit, vt quę nobis nō volumus alteri nō faciamus, ſed ſtādo in iure naturę nullus vult, vt ſibi iniuria, vel vindicta, vel malū ꝓ malo inferatꝰ: ergo nō poſſumus

ex

ex eadem lege alteri velle malum. Et confirmatur. Contra ius naturæ eſt, quod aliquis ſit iudex in propria cauſa, ſed ſi liceret propria autoritate vindicare iniuriam ab inimicis illatam, homo eſſet iudex in propria cauſa: ergo hoc non eſt licitum. Item, Vindicta inimici non poteſt eſſe licita, niſi ordinata ad bonum commune, ſed quicunque priuata autoritate agit, non reſpicit bonum commune, ſed propriam iniuriam: ergo talis vindicatio eſt illicita ſtando in iure naturæ. Cum ergo odio habere inimicum ſit non ſolum contra legem euangelicam, ſed etiam contra legem Moſaycam, & naturalem, vt iam probauimus, manifeſtè ſequitur eſſe de fide, quod inimici ſunt diligendi ex præcepto charitatis: quod Eccleſia colligit ex illo ad Rom. 9. Non reddentes malũ pro malo, nec maledictum pro maledicto. Vnde in concilio Agathenſi cap. 22. & refertur 90. d. cap. placuit. excommunicantur quicunq; gerentes inimicitias cum proximis, & in concilio Conſtant. damnatur tanquã error dicere non eſſe peccatum non diligere inimicos: & diffinitur eſſe peccatum non diligere inimicos. Et in concilio Carthagi. 4. cap. 93. præcipitur, vt oblationes diſsidẽtium fratrum, nec in ſacrario nec in Gazophylacio reponantur.

Argum. ¶ Sed contra hoc eſt argumentũ. Præceptum de diligendis inimicis eſt proprie pręceptum Christi de nouo impoſitũ in Euãgelio, ergo illud antea non erat nec in lege

Solutio. Moſayca, nec in lege naturæ. ¶ Reſpondetur tamen, quod quanuis hoc præceptum fuerit naturale, & morale in lege naturæ, & modo ſub eadem ratione permaneat in lege Euangelica, vt docet D. Tho. 1. 2. q. 108. art. 2. adhuc tamen dicitur præceptum nouum, & præceptum Chriſti Ioan. 15. multis de cauſis. Primo, quia Chriſtus verbis, & exemplo illud tanquã dignius, & principalius cæteris omnibus in propria perſona docuit. Secundo, quia hoc pręceptum in lege antiqua, & naturali traditum erat in forma amoris concupiſcentiæ. Nam dictũ eſt: Diligis proximum tuũ ſicut te ipſum: quibus verbis amor proximi videtur referri in propriã vtilitatem cum à proprio amore ſumatur regula alios diligendi, quod videtur pertinere ad amorem concupiſcentiæ. At vero in lege euangelica datur ſub forma charitatis, & dicitur, quòd diligamus inimicem, & quod amemus proximum in ordine ad Deum, vel propter Deum, quod nec in lege ſcripta, nec in lege naturæ fuerat auditum. Tertio dicitur nouum hoc præceptum ſecundum expoſitionem ſanctorũ Matth. cap. 5. quia illud iam collapſum, & penitus è memoria extinctum Chriſtus reparauit.

¶ Ad argumentum in principio factum reſpondetur conceſſa maiori negando minorem. Et ad primam probationem de lege naturali dico teſtimonia Ariſt. atque Ciceronis eſſe intelligẽda publica autoritate, non priuata: nam priuata autoritate nunquam licet ſumere vindictam de inimicis noſtris, bene tamen autoritate iudicis. Ad ſecundam probationem de lege Moſayca dico, nullibi in tota lege reperiri, quod ſit licitum odio habere inimicos: quin potius cõtrarium conſtat ex verbis illius, vt diximus in probatione concluſionis. Verum tamen eſt, quod in Leuitico præcipitur dilectio amicorum, & inde Phariſæi ex deprauatione intellectus colligebãt inimicos eſſe odio habendos. Tamen hæc expoſitio tanquam aliena à vero ſenſu ſcripturæ fuit à Chriſto reprehenſa Matthæi cap. 5. Ad tertiam probationem de lege euangelica dico certũ eſſe, quod illud præceptum habetur Matthęi 5. In quo loco aliqua dicuntur, quæ pertinent ad conſilia, & aliqua, quæ pertinẽt ad præcepta. Nam bene facere inimicis, orare pro ipſis, conſilium eſt & perfectio euangelica, dũ fit in particulari & extra neceſsitatem, tamen ſi fiat in caſu neceſsitatis & cũ alijs circunſtantijs omnia pertinent ad præceptum. Quod, vt intelligatur aduertendũ eſt, quòd dilectio inimicorũ poteſt tribus modis cõſiderari. Primo ità, vt terminetur ad inimicum, quatenus inimicus eſt, & ſub hac ratione dilectio eſt peccatum mortale, & contra charitatem: ex qua ſolum eſt diligendum quod ad Deum ordinatur. Et certum eſt, quòd illa dilectio tanquam mala non poteſt ad Deum ordinari cum diligere inimicum, vt ſic, nihil aliud ſit, quam diligere inimicitiam, & offenſam. Secundo modo conſideratur dilectio inimicorum, quatenus terminatur ad naturam, in qua & in identitate finis nobiſcum conueniunt: & ſub hac ratione tenemur inimicos ex charitate diligere, & in communi & in vniuerſali. Itaque, quemadmodũ Deus diligit omnes homines, & vult omnes ſaluos fieri, ità etiam nos ex charitate tenemur omnes diligere, & velle, vt æternam beatitudinem cõſequantur. Et hæc dilectio eſt, quæ directè

Ad argumentum pro parte negatiua.

cadit

cadit ſub præcepto charitatis. Tertiò, poteſt conſiderari dilectio inimicorum in particulari & in indiuiduo, vt quando quis peculiari affectu & motu volũtatis determinatur ad diligẽdum hunc inimicũ in particulari: & hoc regulariter loquendo non cadit ſub præcepto, ſed ſub conſilio.

Dubium. ¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco circa materiam articuli. 9. vtrùm liceat excipere inimicũ à generali dilectione, vel interiori, vel exteriori. Verbi gratia afficit aliquis rempublicam beneficio aliquo communi, dubium eſt, vtrùm ſit licitum à tali generali beneficio excipere inimicos. Et pro parte

1. Argu. pro parte affirmatiua. affirmatiua argumentor ſic. Quod ille homo rempublicã afficiat generali beneficio non eſt debitum illi, ſed gratis id facit: ergo ſi aliquem excipiat, non facit illi iniuriam,

2. Argum. atque ex conſequenti non peccat. ¶ Item, Non tenemur diligere inimicos in particulari, nec eis aliquod beneficium in ſingulari exhibere, niſi in caſu neceſsitatis: ſed in caſu poſito nulla viget neceſsitas: ergo non teneor in particulari diligere inimicos: atq; ex conſequenti licitum erit illos excipere à generali beneficio.

Sententia cõmunis. ¶ In contrarium tamen eſt D. Thom. in hoc articulo, qui affirmat vnumquemque ex charitate teneri ad exhibendum inimicis ſigna communia dilectionis: quem communiter ſequũtur omnes Theologi, vt eſt videre apud Siluestrum in ſumma. verbo. charitas. §. 5. Ex quo infert, quòd ſi aliquis intendat orare pro tota Eccleſia, vel pro aliqua republica non poterit à tali beneficio communi, & generali excipere inimicos, ſine peccato mortali.

Nota pro explicatiõe difficultatis. ¶ Nos tamẽ ad explicationem difficultatis aduertimus, quod beneficia, quæ reipublicæ conferũtur ſunt in duplici differẽtia. Quædam enim ſunt ſimpliciter neceſſaria reipublicæ, alia autem non ſimpliciter neceſſaria, ſed, vt melius ſe habeat. Et quidem, ſi loquamur de beneficijs ſimpliciter neceſſarijs, dubium non eſt, quin ſit peccatum mortale ab illis eos inimicos excipere, qui ſunt pars reipublicæ, quia neceſsitas in tali caſu facit iam beneficiũ debitum. Sed difficultas eſt de beneficijs ſecundi generis, quæ ità conferuntur, vt cõferenti ſit liberũ non conferre, vtrùm ſit licitum à talibus beneficijs inimicos excipere.

1. Conclusio. ¶ In quo ſit prima cõcluſio certa, quòd huiuſmodi exceptio ex accidenti ferè ſemper eſt peccatum mortale. Probatur. Nam, vt in plurimum talis exceptio fit ex rancore, & ex odio, & præterea præbet occaſionem ſcandali.

2. Concluſio. ¶ Secunda cõcluſio. Excipere inimicos à bono communi, quod in alios confertur, non ſolũ ex accidenti, ſed etiã per ſe loquendo, eſt peccatum mortale. Probatur. Velle malum inimico per ſe loquendo eſt peccatum mortale, quia eſt illũ odio habere. ſed excludere inimicũ à beneficio quod in omnes confertur, eſt velle ei malũ, ergo per ſe loquendo eſt peccatũ mortale. Conſequentia cũ maiori eſt nota, & minor probatur. Excludere inimicũ à beneficio, quod in omnes confertur, eſt velle, vt in diſtributione cõmuni bonorũ ſe habeat deterius, quàm cæteri, & quòd illius nulla ratio habeatur: ſed hoc procuidubio eſt ei malũ, ergo eſt velle ei malum. Item ſi iſto modo quis exciperet ſuum amicum eſſet cauſa ſufficiens ad dirimendam amicitiam: ergo ex genere ſuo repugnat amori & charitati quã tenemur erga omnes habere, atq; ex conſequenti per ſe loquendo eſt peccatũ mortale. Prætere, Excludere inimicum ab oratione cõmuni intrinſecè includit odiũ, & ſimultatẽ cum proximo: ergo per ſe loquendo eſt peccatũ mortale, & cõtra charitatẽ. Ex dictis infero primo, falſo aliquos ex Thomiſtis affirmare, quòd illa excluſio inimicorũ eſt peccatum tantum ex accidenti. Infero ſecundò, quod cum ſit per ſe mala nunquam poterit ratione aliqua honeſtari. Infero tertiò, quòd qui talem exceptionẽ fecerit non eſt abſoluendus, quãdiu illam non reuocauerit, quibuſcunque rationibus non obſtantibus.

Ad. 1. argu. ¶ Et ad primũ argumentum in contrarium factum reſpondetur, quòd quamuis illud beneficium ſimpliciter, & abſolute non ſit debitũ, eſt tamẽ debitum ex ſuppoſitione, vt ſeruetur in diſtribuendo ratio & iuſtitia diſtributiua, ad quam pertinet neminem à generali conceſsione excipere. ¶ Ad ſecun-

Ad. 2. argu. dum reſpondetur, quòd illud beneficium non computatur inter ſigna particularia dilectionis, ſed inter communia, quæ ſinguli tenentur omnibus exhibere, ad hoc, vt in eis charitas conſeruetur.

Dubium. ¶ Circa id quod dicit D. Th. in articulo 9. ſcilicet, Nullus tenetur ſigna particularia dilectionis inimicis exhibere, eſt difficultas, vtrùm quis ex præcepto charitatis teneatur inimicum ſalutare, vel reſalutare? Et

Argum. pro parte negatiua eſt argumentum. Non tenemur diligere inimicos particulari dile-

ctione, nec eis particularia ſigna amoris exhibere, niſi in caſu neceſsitatis, ſed ſalutationes & reſalutatiões ſunt ſigna particularia dilectionis, nec aliqua neceſsitas pôt eſſe in ſalutatiõe reddẽda: ergo nõ erit peccatũ illis nõ vti. Propter hoc argumẽtum Caiet. Soto, atq; Victoria affirmant, nullum eſſe peccatũ in non ſalutando, vel nõ reſalutando inimicũ, dummodo citra ſcãdalum fiat: idq; dicunt eſſe de mente D.Th. in hoc art. Cæterũ iſti autores meo iudicio falluntur.

1. Dictum. Quo circa ad explicationẽ difficultatis dico primò, nõ ſalutare inimicũ, hoc eſt, non præuenire ſalutãdo, per ſe loquendo nõ eſt peccatũ, nec ad id tenemur ex charitate niſi per accidens, propter duas cauſas. Prima, ratione ſcandali. Secunda, quando probabiliter ſpero mea ſalutatione effecturum, vt inimicus inimicitiam deponat, tunc enim teneor ſalutare eodẽ præcepto, quo teneor ad correctionẽ fraternam. Et quidem, ꝙ nõ ſalutare ex ſe nõ ſit peccatũ, patet, quia hoc cõputatur inter ſigna particularia dilectionis. Verum tamen eſt, ꝙ tribus hominibus occurrẽtibus non licet ſalutare duos altero relicto, vt dicit Syluest. verbo: charitas. §. 6. Et ratio, eſt quia ſalutatio cõputatur inter beneficia cõmunia iuxta id, quod diximus dubio præcedenti. Et præterea, quia illud opus ex ſe eſt ſignum rãcoris & inimicitiæ.

2. Dictum. ¶ Dico ſecundò, Nõ reſalutare inimicum, hoc eſt, ſalutanti non reſpõdere, moraliter loquendo, eſt peccatum mortale cõtra charitatem, etiã ſi citra ſcandalũ fiat. Probatur, Salutanti non reſpondere ex natura ſua eſt opus iniurioſum, & quod interdum inter amicos diſſoluit amicitiam, ergo ex natura ſua contrariatur charitati. Itẽ, Illa non reſalutatio ex natura ſua, moraliter loquendo, auget odiũ inimici, cauſatq; animi perturbationem, & deſideriũ vindictæ, ergo de ſe eſt peccatum mortale. Dico, ex natura ſua, quia interdũ ex leuitate materię poteſt eſſe veniale. Et hoc eſt intelligendum, quando perſonę ſunt eiuſdẽ conditionis: nam ſi ſint diuerſæ qualitatis fortè nec erit peccatũ veniale non reſalutare.

Obiectio. ¶ Et ſi quis obijciat, ꝙ 4. Reg. c. 4. præcepit Eliſeus Giezi, vt feſtinaret in via, nec ſaluranti ſalutem redderet, & Matth. 10. dixit Chriſtus Apoſtolis, neminẽ per viam ſalutaueritis, omiſsis varijs interpretationibus dico vtroq; in loco eſſe figuratum modũ loquendi, quo declaratur ſumma feſtinatio, quia Apoſtoli vti debebãt in prędicatione Euãgelica. Itaq; eſt Hyperbole familiaris figura ſermonis Græci.

Solutio.

¶ Ad argumentũ in principio factũ ex dictis patet ſolutio. Ad argum.

¶ Eſt aliud dubiũ, vtrùm inimico veniã petenti nõ ſolùm teneamur remittere iniuriam, ſed etiã ſatiſfactionem illius. Et quidẽ ꝙ vtrunq; teneamur remittere patet, nam in oratiõne dominica dicimus: Dimitte nobis debitã noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris, ſed nos petimus à Deo plenam remiſsionem pœnæ & culpę: ergo etiã inimicis tenemur plenè remittere. Itẽ Matth. 18. Seruus ille, qui ſeruo ſuo noluit remittere debitũ à Domino condemnatur, iſtis verbis, Serue nequã, omne debitum remiſi tibi, quoniam rogaſti me, non ne ergo oportuit & te miſereri conſerui tui, ſicut & ego tui miſertus ſum? Quibꝰ verbis apertè ſignificat Chriſtus ſeruũ illum peccaſſe nõ remittendo debitũ pro quo cõſeruus rogauit. Aliud dubium. 1. Argum.

¶ Et ratione ſic argumẽtor. Inimico veniam petenti tenemur aliquid condonare, & remittere, ſed remiſsio culpę nõ pertinet ad nos: ergo debemus illi pœnã remittere. 2. Argum.

¶ Sed ad explicationẽ huius difficultatis aduertẽdum eſt primò, tria poſſe eſſe in nobis erga inimicos noſtros. Primũ eſt ira, hoc eſt, appetitus vindictæ. Secundũ, ſigna exteriora talẽ iram manifeſtãtia. Tertium, ius petendi in exteriori iudicio illatæ iniuriæ ſatiſfactionem. 1. Notabile.

¶ Secundò, eſt aduertendũ, ꝙ, quia vindicta cõſiſtit in inflictione alicuius mali, idcircò fit, vt appetere vindictam nihil aliud ſit, quã cupere, vt inimicus afficiatur aliquo malo, quod, vt docet D. Tho. infrà. q. 108. arti. 1. poteſt dupliciter appeti. Vno modo ſub ratiõe mali, ſcilicet, vt illi male ſit, quod proprie & formaliter pertinet ad odium. Alio modo quatenus illud malum vel illi, qui patitur, vel reipublicę, vel alijs eſt expediens, & ſalutare. 2. Notabile.

¶ His ſuppoſitis ſit prima cõcluſio. Appetere vindictam primo modo, hoc eſt, vt inimico malũ ſit, nec poſt petitã veniã, nec ante eſt licitum. Probatur: quia illud eſt formaliter odio habere, quod eſt contra charitatẽ, qua tenemur vniuerſos homines, etiã inimicos, diligere. 1. Concluſio.

¶ Secũda cõcluſio, Signa exteriora, quæ iuxta communem hominũ ſenſum teſtantur odium internũ, nec poſt petitam veniã, nec ante eſt licitum inimicis oſtẽdere. Hæc concluſio probatur eadem ratione, qua & ſuperior, quia vti huiuſmodi ſignis eſt formaliter 2. Concluſio.

maliter odio habere.

3.Concluſio. ¶ Tertia concluſio, Poſt petitã veniam omnia ſigna animi offenſi relinquenda ſunt, & vſurpanda ea, quæ teſtantur recõciliationẽ animi. Probatur ex illo Matthæi. cap.18. vbi Chriſtus præcipit, vt inimicis à nobis veniã petentibus ex corde offenſam remittamus. Quę autem & qualia ſunt iſta ſigna, non poteſt vno modo diffiniri, ſed habita ratione circunſtantiarum relinquẽda erunt iudicio viri prudẽtis. Et hoc vnũ erit certum, ꝙ plura amoris ſigna debemus exhibere cum reconciliamur amicis, & conſanguineis, quàm cum alijs.

4.Concluſio. ¶ Quarta cõcluſio, Iudices, & parentes, & qui alio modo præſunt alijs, cũ ſibi ſubditis veniam petentibus remittunt offenſam, poſſunt adhuc præſeferre aliquod ſignum animi nondũ placati. Probatur: quia illud ſignum eſt tanquam pœna, qua poſſunt afficere ſibi ſubditos, propter culpam cõmiſſam: & certum eſt, ꝙ huiuſmodi homines qui habẽt imperium in alios, habent ius puniendi ſubditos, etiam poſt petitam veniam. Et cõfirmatur exemplo Dauidis: de quo dicitur.2.Reg.c.14. ꝙ, poſtquam filium ſuum Abſalonem in gratiam recepit, noluit illum videre.

Vltima concluſio. ¶ Vltima concluſio, Nemo tenetur inimico veniam petenti remittere ſatisfactionem iniuriæ. Hanc cõcluſionem tenet gloſ. in.c. ſi quis contriſtatus.90.d. & in.c. & qui emendat.45.d. & Syluester verbo charitas. §.6. Eſtq; communis opinio omniũ Theologorum. Et probatur. Aduerſus amicũ poſſum agere in iudicio, & repetere ab illo res meas: ergo à fortiori idem potero facere cõtra inimicum quantumuis reconciliatum. Secundò, Deus, ad cuius imitationem debemus iniurias remittere, remiſſa culpa pœnã exigit, vel in hoc mundo, vel in purgatorio: ergo pari ratione nos remiſſa iniuria poterimus illius ſatisfactionẽ exigere. Ex quo infertur, ꝙ, ſi aliquis dimiſſo odio petat debitam ſatisfactionem, ſecundum legem nullam culpam cõmittit, nec poterit ei ob iſtam cauſam abſolutio denegari ſine culpa mortali ipſius cõfeſſoris, cuiuſcunq; generis ſit iniuria, nec licebit contra illum in cõcionibus agere, quãuis erit valde laudabile, talẽ offenſum deprecari, vt ſimul odiũ & actionem, quam apud iudicem habet de- *Nota valde.* ponat. Et eſt valde aduertendũ, ꝙ inter opera, & perſonam operãtem eſt maxima propinquitas, atq; cõiũctio. Ex quo fit, vt ſæpe ſæpius quis intelligat ſe odio proſequi vitia, & tamen quod præcipue odio habet, eſt ipſe operãs. Et ſic eſt valde periculoſum nõ remittere ſimul odium, & ſatisfactionem.

¶ Ad primũ teſtimonium ex oratione *Ad.1.argu.* dominica reſpondetur, ꝙ potius probat noſtram concluſionem, ſiquidem videmus, ꝙ Deus remiſſa culpa pœnã exigit. Ad aliud ex Matth.c.18. reſpõdetur, ꝙ ille homo nõ increpatur ex eo, ꝙ non remiſit debitum, ſed quia nõ fuit miſertus cõſerui illius, nec habuit patientiã, & dilationem erga illum, ſicut Dominus ſui miſertus fuerat. Vnde in increpatione non dicit Chriſtus, Serue nequã nonne oportuit te remittere debitum, ſed, Nonne oportuit & te miſereri conſerui tui. &c. ¶ Ad rationem, vt reſpondeamus *Ad.2.arg.* eſt aduertendum, ꝙ in culpa duo poſſunt cõſiderari. Vnum eſt prauitas, & deordinatio animi: & hanc ſolus Deus poteſt delere per gratiæ infuſionẽ. Alterum eſt violatio amicitię: culpa enim formaliter eſt inimicitia. Et quia qui me læſit nõ ſolum violauit amicitiam diuinam, ſed etiam amicitiam meam, idcircò, quantum ad hoc, culpa non ſolum remittitur à Deo, ſed etiam à me. Et hoc fit cum depono animum iratum, & cõdono veniam petenti. Remitto etiã iuſtam querelam, & indignationem, quam anteà poteram habere: ſi quidem poſt veniam cõceſſam, nec iuſtè poſſum queri de illata iniuria, nec ſpeciem præmeferre indignati animi, vt diximus.

¶ Aliud dubium eſt, Vtrùm liceat opta- *Aliud dubium.* te mortem, vel alia mala inimicis propter priuatam vtilitatem. Verbi gratia, eſt mihi inimicus extra ciuitatem valde potẽs, & de quo probabiliter poſſum timere, quòd ſi veniat interficiet me, vel alia iniuria afficiet, dubium eſt, vtrum liceat optare mortẽ huiuſmodi homini, vel aliud damnũ temporale. Ad cuius explicationem eſt aduertendum, quòd huiuſmodi inimici ſunt in duplici differentia. Quidã enim ſunt æque potentes, & à quibus homo, licèt aliquo labore, optimè ſe poteſt defendere. Alij autẽ ſunt potentiores, & à quibus manifeſtum, vel probabile periculum imminet. ¶ Quo *1.Dictum.* ſuppoſito dico primò, quòd primi generis inimicis, nec mortẽ, nec aliud malum licet optare niſi fortè id fiat in bonũ ipſius, vel reipublicæ, vt paulò ante dicebamus. Probatur. Totum malum, quod licet mihi, aut facere, aut optare inimico propter propriã vtilitatem, eſt per modum defenſæ, ſed in

caſu poſito nec mors, nec aliud damnũ tem porale eſt neceſſariũ ad meam defenſionẽ, vt ſupponimus: ergo nõ licet illud optare.

2. dictum. ¶ Dico ſecundò, quòd inimicis ſecundi generis licet optare vel amiſsionem bonorum temporalium, vel mortẽ, ſi id mihi neceſſarium eſt ad meam defenſionem. Probatur: quia vnicuiq; licet ſe ipſum defendere meliori via, qua poteſt. Et idem dicendum eſt de eo, qui vult accipere iniuſtè bona alterius, nec ipſe habet modum, quo ab ipſo ſe defendat. Vt ſi, verbi gratia, ſit aliquis princeps, qui cum aliquo non ità potẽti coram iudice contendat de poſſeſsione alicuius patrimonij, & ipſe princeps habeat, & iudicẽ, & miniſtros ità propitios, & ad nutũ obtemperantes, vt alter probabiliter timeat, quòd iniuſtè condemnabitur, tunc licitum erit ei & mortem & alia mala optare, quæ neceſſaria fuerint ad ſuam defenſionem.

Aliud dub. ¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco, vtrùm *Argum.* liceat in tali caſu aduerſarium occidere? Et pro parte affirmatiua eſt argumentum. Latroni inuadenti, & volenti accipere bona mea licitum eſt mortẽ inferre in meam defenſionem, vt omnes Doctores fatẽtur: ſed in caſu poſito aduerſarius vult à me auferre iniuſtè omnẽ meam ſubſtantiam, nec alia via poſſum me ab illo defendere niſi mortem inferẽdo, ergo licitum erit illum interſicere. Propter hoc argumentum nõnulli dicunt hoc eſſe in vtranq; partem diſputabile. Cæterum meo iudicio pars negatiua erit *Sententia autoris.* tanquã vera amplectẽda. Et probatur. Primò, quia aliàs ſequerentur quamplurima homicidia in republica, cum caſus ſit valdè *Ad argum.* contingens. Secundò, quia daretur occaſio ad hominum interſectionẽ. Et ad argumentum in contrarium reſpondetur, conceſſo antecedenti, negando conſequentiã. Nam latro actu infert vim, & vim vi repellere licet. At verò ille, qui fraudibus agit aduerſus aliquem non infert vim, licet fraudes inferat, & ſic non licet vi illas propulſare.

Vltimũ dub. ¶ Vltimũ dubium circa iſtũ articulum eſt, Vtrùm liceat præuenire inimicum volentem me interficere? Verbi gratia, eſt Petrus, de quo eſt mihi valde probabile, quòd me vult interficere, & ꝙ interficiet me craſtina die, quia eſt longe potẽtior, nec ab illo poſſum aliqua ratione liberari, nũc autem inuenio illum ſolum ſine armis, vel ſine famulis, vel dormientem, dubium eſt, vtrùm liceat mihi illũ interſicere. Hæc difficultas latius diſputatur in materia de homicidio.

Nunc autem quantum attinet ad præſens *Solutio.* inſtitutum dico, quòd non licet præuenire inimicum, nec illũ interſicere. Et ratio eſt, quia tunc ego eſſem aggreſſor, cum ille nullam inferat vim. Et præterea, quia ſi hoc liceret eſſet præbere anſam homicidijs: præter quam ꝙ etiam ſunt duodecim horæ in die, vt dicebat Chriſtus, & qui hodie vult me interficere, forte craſtina die mutabit ſententiã. Circa iſtam materiã eſt videndus D. Greg. lib. 22. Mora. c. 10. &. 11. Et ſi quando dicit, quòd non licet optare ſiuè imprecari mala inimicis, de quibus in dubijs præcedentibus ſumus loquuti, eſt intelligendus ſub ratione mali: nam propter propriã defenſionem, vel in bonum ipſius inimici, vel reipublicæ, bene poſſumus illud deſiderare, vt eo in loco pluribus verbis oſtendit. Sunt etiam de hoc videndi Magiſt. in. 3. d. 30. & ibidem Doctores ſcholaſtici, & potiſſimè Scotus, qui dicit fere omnia, quæ huc uſque diximus. De hac materia eſt etiã legendus Gabr. loco citato. q. vnica. & ſuper. Cano. lectione. 76.

ARTICVLVS X.

¶ *Vtrùm debeamus Angelos ex charitate diligere.*

AD DECIMVM ſic proceditur. Videtur, ꝙ Angelos ex charitate nõ debeamus diligere. Vt enim *Quæſtio. 3. d. 28. a. 3. & virt. q. 2. art. 7. cor. & ad. 7. & 8.* Auguſtinus dicit* in li. de Doctr. Chriſtiana. Gemina eſt dilectio charitatis, ſcilicet, Dei, & proximi. Sed dilectio *Li. 1. ca. 26. in prin. to. 3.* Angelorum non continetur ſub dilectione Dei, cum ſint ſubſtãtiæ creatæ: nec etiam videtur contineri ſub dilectione proximi, cũ non communicẽt nobiſcum in ſpecie. Ergo Angeli non ſunt ex charitate diligendi.

2 ¶ Præterea, Magis cõueniunt nobiſcũ bruta animalia, quàm Angeli. Nã nos & bruta animalia ſumus in eodem genere propinquo. Sed ad bruta animalia nõ habemus charitatẽ, vt ſupra* dictum eſt. ergo etiã nec ad Angelos. *Ar. 3. huius quæſt.*

3 ¶ Præterea, Nihil eſt ita propriũ amicorum, ſicut cõuiuere, vt dicitur in. 8. Ethic.* Sed Angeli non cõuiuunt nobiſcum, nec etiã eos videre poſſumus, ergo ad eos charitatis amicitiam habere non *Li. 8. c. 5. a+ te med. tō.*

renon

re non valemus.

¶ SED CONTRA eſt, quod Aug. dicit* in primo de doctri. Chriſt. Iam verò ſi, vel cui præbendũ à nobis eſt, vel à quo nobis præbendum eſt officium miſericordiæ, rectè proximus dicitur: manifeſtum eſt præcepto, quo iubemur diligere proximũ, etiam ſanctos Angelos cõtineri: à quibus multa nobis miſericordiæ impẽdũtur officia.

Lib. 1. c. 30. poſt med. to. 3.

¶ RESPONDEO dicendum, ꝙ amicitia charitatis, ſicut ſuprà* dictum eſt, fundatur ſuper communicatione beatitudinis æternæ, in cuius participatione communicant cum angelis homines. Dicitur enim Matt. 22. ꝙ in reſurrectione erũt homines, ſicut Angeli in cælo. Et ideo manifeſtũ eſt, ꝙ amicitia charitatis etiam ad angelos ſe extendit.

Q. 23. ar. 2.

¶ AD PRIMVM ergo dicẽdum, ꝙ proximus, non ſolum dicitur communicatione ſpeciei, ſed etiã communicatione beneficiorum pertinẽtium ad vitam æternam, ſuper qua communicatione amicitia charitatis fundatur.

¶ Ad ſecundũ dicendum, ꝙ bruta animalia cõueniunt nobiſcum in genere propinquo ratione naturæ ſenſitiuæ, ſecundum quam nõ ſumus participes æternæ beatitudinis, ſed ſecundũ mentem rationalem, in qua cõmunicamus cum Angelis.

¶ Ad tertium dicẽdum, ꝙ angeli non conuiuunt nobis exteriori conuerſatione, quæ nobis eſt, ſecundũ ſenſitiuã naturam. Cõuiuimus tamen Angelis, ſecundum mentẽ, imperfectè quidem in hac vita: perfectè autem in patria, ſicut & ſupra dictum* eſt.

Q. 23. art. 2.

SVMMA TEXTVS.

Concluſio eſt affirmatiua. Probatur, Charitas fundatur in cõmunicatione beatitudinis, ſed in illa cõueniunt Angeli, & homines, ergo Angeli ſunt ex charitate diligendi. Et probatur ex illo Matt. 22. Homines in reſurrectione erunt ſicut Angeli Dei. Circa iſtum articulum, videndus eſt D. Aug lib. 1. de doctrina Chriſtiana. c. 30. vbi hanc quæſtionem latè diſputat.

ARTICVLVS XI.

¶ Vtrùm debeamus dæmones ex charitate diligere.

AD VNDECIMVM ſic proceditur. Videtur quòd dæmones ex charitate debeamus diligere, Angeli enim ſunt nobis proximi, inquantum communicamus cum eis in rationali mente. Sed etiam dæmones ſic nobiſcum cõmunicant, quia data naturalia in eis manent integra, ſcilicet eſſe, viuere, & intelligere: vt dicit Diony.* in. 4. c. de diuin. no. ergo debemus dæmones ex charitate diligere.

3. d. 28. a. 5. & d. 31. q. 2. ar. 3. q. 2. & Rom. 13. lec. 2. fi.

Cap. 4. par. 4. parum à medio.

2 ¶ Præterea, Dæmones differũt à beatis Angelis differentia peccati: ſicut & peccatores homines à iuſtis. Sed iuſti homines ex charitate diligunt peccatores, ergo etiam ex charitate debent diligere dæmones.

3 ¶ Præterea, Illi, à quibus beneficia nobis impẽdunt, debẽt à nobis ex charitate diligi, tãquam proximi: ſicut patet ex authoritate Aug. ſuprà* inducta. Sed dæmones nobis in multis ſunt vtiles, dum nos tentando, nobis coronas fabricant: ſicut* Aug. dicit. 11. de Ciui. Dei. Ergo dæmones ſunt ex charitate diligendi.

Ar. praeced. arg ſed contra Aug. li. 11. c. 17. to. 5.

¶ SED CONTRA eſt, quòd dicitur Iſa. 28. Delebitur fœdus veſtrũ cum morte, & pactũ veſtrum cum inferno non ſtabit. Sed perfectio pacis & fœderis eſt per charitatem. Ergo ad dæmones, qui ſunt inferni incolæ & mortis procuratores, charitatem habere non debemus.

¶ RESPONDEO. dicendum, ꝙ ſicut ſuprà * dictũ eſt, in peccatoribus ex charitate debemus diligere naturã, peccatum odire. In nomine autem dæmonis ſignificatur natura peccato deformata, & ideo dæmones ex charita-

Ar. 6.

te non ſunt diligendi. Et ſi non fiat vis in nomine, & quæſtio referatur ad illos ſpiritus, qui dæmones dicuntur. vtrùm ſint ex charitate diligendi: reſpondendum eſt*ſecundum præmiſſa, quod aliquid ex charitate diligitur dupliciter. Vno modo ſicut ad quē amicitia habetur, & ſic ad illos ſpiritus charitatis amicitiā habere non poſſumus. Pertinet enim ad rationem amicitiæ, vt amicis noſtris bonū velimus. Illud autem bonum vitę ęternę, quod reſpicit charitas, ſpiritibus illis à Deo ęternaliter damnatis ex charitate velle nō poſſumus. Hoc enim repugnaret charitati Dei, per quam eius iuſtitiam approbamus. Alio modo diligitur aliquid, ſicut quod volumus permanere vt bonū alterius: per quem modū ex charitate diligimus irratiōales creaturas, inquantum volumus eas permanere ad gloriam Dei, & vtilitatem hominum: vt ſupra*dictum eſt. Et per hunc modum, & naturam dęmonum etiam ex charitate diligere poſſumus: inquantum ſcilicet volumus illos ſpiritus in ſuis naturalibus cōſeruari ad gloriam Dei.

Ar.2.& 3. huius q.

Ar.3 huius quæſt.

¶AD PRIMVM ergo dicendum quòd mens Angelorum non habet impoſsibilitatem ad ęternam beatitudinē habēdam, ſicut habet mēs dæmonū: & ideo amicitiā charitatis, quæ fundatur ſuper communicatione vitæ ęternæ magis, quàm ſuper communicatione naturæ, habetur ad Angelos, non autem ad dęmones.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd homines peccatores in hac vita habent poſsibilitatem perueniendi ad beatitudinem æternam: quod nō habent illi, qui ſunt in inferno damnati, de quibus quantum ad hoc eſt eadem ratio, ſicut & de dæmonibus.

¶ Ad tertium dicēdum, quòd vtilitas, quę nobis ex dęmonibus prouenit, nō eſt ex eorum intentione, ſed ex ordinatione diuinæ prouidentię. Et ideo ex hoc nō inducimur ad habendū amicitiam eorum, ſed ad hoc, ꝙ ſimus Deo amici, qui eorum peruerſam intētionem conuertit in noſtram vtilitatem.

SVMMA TEXTVS.

SVppoſito, ꝙ Dæmones poſſunt conſiderari quātum ad culpam, & quantum ad naturam, ponit D. Tho. duas concluſiones. ¶ Prima concluſio. Dæmones, vt Dæmones, non ſunt ex charitate diligendi. Probatur. Dæmon, vt Dæmon, dicit naturam culpa deformatam: ergo, vt ſic non eſt ex charitate diligēdus. Probo cōſequentiam. Nam Dęmon, vt talis nō poteſt diligi quin culpa diligatur: & certū eſt, quòd charitas non inclinat ad diligendam culpam, cui ad uerſatur. ¶ Secunda concluſio. Dæmones inquātum ſunt quidā ſpiritus à Deo creati ſunt diligendi ex charitate non tanquam illi ad quos amicitia habetur, ſed tanquam aliquid Dei, quo modo diligūtur creaturæ irrationales. Probat D. Th. ſingulas partes huius concluſionis. Et primò, quòd Dæmones non ſunt diligendi ex charitate tanquā illi, ad quos amicitia habeatur, hoc modo. Amicitia fundatur ſupra aliquā vitæ communicationem, ſed cōmunicatio beatitudinis, ſupra quā amicitia charitatis fundatur, non eſt poſsibilis dæmonibus, ergo dæmones non ſunt diligendi ex charitate tanquā illi, ad quos amicitia habetur. Sed quòd ſint diligendi tanquam quædam res Dei probatur, quia volumus illos permanere ad gloriam Dei.

EXPLICATIO ARTICVLI.

CIrca iſtum articulum eſt aduertēdum, idem eſſe intelligendum de alijs damnatis quod dicimus de Dæmonibus, vt docet D. Tho. in ſolutione ad ſecundū. Si quis autem quærat, vtrùm ſit licitū dolere de eo, quod aliquis condemnetur, reſpondeo id licitū eſſe: quia nihil aliud eſt quàm dolere, quòd homo fuerit nequam, non tamen eſt licitū dolere de eo quod dānatus puniatur: quia hoc eſt repugnare diuinę ordinationi.

ARTICVLVS XII.

Vtrùm conuenienter enumerentur quatuor ex charitate diligenda, ſcilicet, Deus, proximus, corpus noſtrum, & noſipſi.

AD DVODECIMVM ſic proceditur. Videtur quòd incōuenienter 3. Diſt. 28. q. 7. & Ver. q. 2. art. 7.

ter enumerétur quatuor ex charitate diligenda, ſcilicet Deus proximus, corpus noſtrum, & noſipſi. Vt enim Auguſtinus * dicit ſuper Ioan. Qui nō diligit Deum, nec ſeipſum diligit. In Dei ergo dilectione includitur dilectio ſui ipſius. Non ergo eſt alia dilectio ſuipſius, & alia dilectio Dei.

Tractat. 87. no remotè à fine to. 9.

2 ¶ Præterea, Pars nō debet diuidi cōtra totum. Sed corpus noſtrū eſt quædā pars noſtri. Non ergo debet diuidi, quaſi aliud diligibile corpus noſtrum à nobis ipſis.

3 ¶ Præterea, ſicut nos habemus corpus, ita etiā & ꝓximus. Sicut ergo dilectio, qua quis diligit proximum, diſtinguitur à dilectione, qua quis diligit ſeipſum: ita dilectio, qua quis diligit corpus proximi debet diſtingui à dilectione, qua quis diligit corpus ſuum. Non ergo cōuenienter diſtinguuntur quatuor ex charitate diligenda.

¶ SED CONTRA eſt *, quod * Aug. dicit in 1. de doct. Chri. Quatuor ſunt diligenda: vnum quod ſupra nos eſt, ſcilicet, Deus: alterū, quod nos ſumus, tertium quod iuxta nos eſt, ſcilicet proximus: quartum, quod infra nos eſt, ſcilicet, proprium corpus.

Lib. 1. ca. 23. in princ. & c. 26. to. 3.

¶ RESPONDEO dicendum, ꝙ ſicut * dictum eſt, amicitia charitatis ſuper communicatione beatitudinis fundatur, in qua quidem communicatione, vnum quidem eſt, quod conſideratur, vt principium influens beatitudinem, ſcilicet Deus. Aliud eſt beatitudinem directè participans, ſcilicet homo & Angelus. Tertium autem eſt id, ad quod per quādam redūdantiam beatitudo deriuatur, ſcilicet, corpus humanum. Id quidem quod eſt beatitudinem influens, eſt ea ratione diligibile, quia eſt beatitudinis cauſa. Id autē quod eſt beatitudinem participans pōteſt eſſe duplici ratione diligibile, vel quia eſt vnum nobiſcum, vel quia eſt nobis cōnſociatum in beatitudinis participatione, & ſecundū hoc ſumuntur duo ex charitate diligibilia, prout, ſcilicet, homo diligit & ſeipſum, & proximum.

q. 23. arti. 1. & 5. & 9. hac. art. 3. et 6. & 10.

¶ AD PRIMVM ergo dicēdum, quod diuerſa habitudo diligētis ad diuerſa diligibilia facit diuerſam rationē diligibilitatis: & ſecūdum hoc, quia eſt alia habitudo hominis diligētis ad Deū, & ad ſeipſum: propter hoc ponūtur duo diligibilia, cū dilectio vnius ſit cauſa dilectionis alterius. Vnde ea remota, alia remouetur.

¶ Ad ſecundū dicendum, quod ſubiectū charitatis eſt mens rationalis, quæ poteſt eſſe beatitudinis capax, ad quā corpus directè non attingit, ſed ſolum per quandam redundantiam. Et ideo homo, ſecundū rationalem mentem, quæ eſt principalis in homine, alio modo ſe diligit, ſecundum charitatem, & alio modo corpus proprium.

¶ Ad tertium dicēdum, quod homo diligit proximū, & ſecūdum animam, & ſecūdum corpus, ratione cuiuſdam conſociationis in beatitudine. Et ideo ex parte proximi eſt vna tantum ratio dilectionis. Vnde corpus proximi nō ponitur ſpeciale diligibile.

SVMMA TEXTVS.

Concluſio eſt affirmatiua. Probatur. Charitas fundatur ſupra communicationē beatitudinis, ſed reſpectu huius beatitudinis vnum conſideratur, vt principium influens beatitudinem, vt Deus, alterum, vt beatitudinem directè participans, & hoc dupliciter, quia aut eſt vnum nobiſcum, & ſic ſumus nos ipſi. Vel nobiſcum aſſociatus, & ſic ſunt proximi. Tertium eſt id ad quod per quandam redundantiam beatitudo deriuatur, vt corpus humanum: ergo cōuenienter ponuntur hæc quatuor ex charitate diligenda, Deus, proximus, nos ipſi, & corpus.

EXPLICATIO ARTICVLI.

IN ſolutione ad primum argumentum dicit D. Thom. quòd diuerſa habitudo diligibilitatis ad diuerſa diligibilia, facit diuerſam rationem diligibilitatis. Et quia eſt alia habitudo hominis diligentis ad Deum, & ad ſeipſum, ideò ponūtur

Dubium. duo ex charitate diligi. Circa quod eſt difficultas, vtrum verū ſit. Et pro parte negatiua eſt argumētum. *Argum. pro parte negatiua.* Charitas eſt vna virtus in ſpecie, vt ſupra diximus, quia ſub vna ratione formali ſe extendit ad omnia, quæ ex charitate diligūtur: ergo falſum eſt dicere, quod in Deo & in homine eſt diuerſa ratio diligibilitatis.

Sententia autoris. ¶ Hoc tamen non obſtante dico, nullā eſſe repugnantiā inter ea, quæ à nobis in ſuperioribus dicta ſunt ex mente D. Tho. & ea, quæ in hoc loco dicuntur. Nam in illa vna ratione formali obiecti charitatis, ſub qua diliguntur quæcunq; ex charitate diliguntur, inuenitur etiam diuerſa ratio diligibilitatis ſecundum diuerſam habitudinē diligibilium ex charitate ad ipſam vnā rationem formalē: nec hoc eſt particulare in charitate, ſed etiā inuenitur, in quibuſcūq; alijs, quæ ſunt ad vnum, vel ab vno. Vt eſt videre in ſanitate, quæ eſt obiectū formale medicinæ ſub cuius ratione tractātur quæcunq; ad medicinam pertinent, & tamen diuerſa habitudo eſt ſanorum ad ipſam ſanitatem. Siquidem dieta comparatur ad ſanitatem tanquam conſeruatiua illius, purga tanquam factiua, vrina tanquam ſignū, homo tanquam ſuſceptiuus. Et idem contingit in propoſito, ꝙ ad obiectum formale charitatis, quod eſt Deus, aliter ſe habet participans illum in ſeipſo, vt ſic, & aliter diligens participationem in alio, & aliter diffuſio eius vſque ad corpus, ex quo fit, vt conſtituant diuerſas rationes diligibilitatis ſecundum diuerſam habitudinem ad obiectum formale charitatis. Et hoc eſt quod dicit D. Thom. in hoc articulo.

QVAESTIO VIGESIMA SEXTA, de Ordine charitatis. In tredecim articulos diuiſa.

DEINDE conſiderandum eſt de Ordine charitatis. ¶ Et circa hoc quæruntur tredicim.

¶ Primo, vtrum ſit aliquis ordo in charitate.

¶ Secundo, vtrum homo debeat Deū diligere, plus quàm proximum.

¶ Tertio, vtrum plus quàm ſeipſum.

¶ Quarto, vtrum ſe pluſquam proximum.

¶ Quinto, vtrum homo debeat plus diligere proximum, quàm corpus proprium.

¶ Sexto, vtrum vnum proximū plus quàm alterum.

¶ Septimo, vtrum plus proximum meliorem, vel ſibi magis coniunctum.

¶ Octauo, vtrum plus coniunctum ſibi, ſecundum carnis affinitatem, vel ſecundum alias neceſsitudines.

¶ Nono, vtrum ex charitate plus debeat diligere filium, quàm patrem.

¶ Decimo, vtrum plus debeat diligere matrem, quàm patrem.

¶ Vndecimo, vtrum plus vxorem, quàm patrem vel matrem.

¶ Duodecimo, vtrum magis benefactorem, quàm beneficiatum.

¶ Decimotertio, vtrum ordo charitatis maneat in patria.

ARTICVLVS I.

¶ Vtrùm in charitate ſit ordo.

AD PRIMVM ſic proceditur. Videtur, quod in charitate non ſit aliquis ordo. Charitas enim eſt quædam virtus. Sed in alijs virtutibus non aſsignatur aliquis ordo. Ergo neq; in charitate aliquis ordo aſsignari debet. *3. diſt. 29. & 1. & virt. q. 2. art. 9.*

2 ¶ Præterea. Sicut fidei obiectum eſt prima veritas, ita charitatis obiectum eſt ſumma bonitas. Sed in fide non ponitur aliquis ordo, ſed omnia æqualiter creduntur. Ergo nec in charitate debet poni aliquis ordo.

3 ¶ Præterea, Charitas in voluntate eſt. Ordinare autem non eſt voluntatis, ſed rationis. Ergo ordo non debet attribui charitati.

¶ SED CONTRA eſt quod dicitur Cantico. 2. Introduxit me Rex in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem.

¶ RE-

¶RESPONDEO dicendum, ꝙ ſicut* Philoſophus dicit in. 5. Metaph. Prius & poſterius dicitur, ſecundum relationem ad aliquod principium. Ordo autem includit in ſe aliquem modum prioris & poſterioris. Vnde oportet, quòd vbicunque eſt aliquod principium, ſit etiam aliquis ordo. Dictum* autem eſt ſuprà, quòd dilectio charitatis tendit in Deum ſicut in principium beatitudinis, in cuius cõmunicatione amicitia charitatis fundatur: & ideo oportet quod in his, quæ ex charitate diliguntur, attẽdatur aliquis ordo, ſecundum relationem ad primũ principiũ huius dilectionis, quod eſt Deus.

Li.5.tex.16. poſt med. t. 3.

Q. præced. a. 12. & q. 23 art. 1.

¶AD PRIMVM ergò dicendum quòd charitas tendit in vltimum finem ſub ratione finis vltimi, quod non conuenit alicui alij virtuti, vt ſupra* dictum eſt. Finis autem habet rationem principij in appetibilibus, & in agendis, vt ex ſuprà dictis* patet. Et ideo charitas maximè importat comparationem ad primum principium. Et ideo in ea maximè conſideratur ordo, ſecundum relationem ad primum principium.

Q.23.a.7.

Q.23.art.7. ad.2. & a. 1. 2.q.1.a.1.

¶Ad ſecundum dicendum, quod fides pertinet ad vim cognoſcitiuam, cuius operatio eſt ſecundum quod res cognitę ſunt in cognoſcente. Charitas autem eſt in vi affectiua: cuius operatio conſiſtit in hoc, ꝙ anima tendit in ipſas res. Ordo autẽ principalius inuenitur in ipſis rebus, & ex eis deriuatur ad cognitionem noſtrã. Et ideo ordo magis appropriatur charitati, quàm fidei: licet etiam in fide ſit aliquis ordo, ſecundum quod eſt principaliter de Deo: ſecundario autem de alijs, quę referuntur ad Deum.

¶Ad tertium dicendũ, quod ordo pertinet ad rationem, ſicut ad ordinãtem, ſed ad vim appetitiuam pertinet, ſicut ad ordinatam. Et hoc modo ordo in charitate ponitur.

SVMMA TEXTVS.

COnclusio eſt affirmatiua, & probatur. Vbicunq; eſt aliquod principium, ibi eſt aliquis ordo, ſed in charitate eſt principium, tẽdit enim dilectio charitatis in Deũ tanquam in principium: ergo in charitate eſt aliquis ordo. Conſequẽtia cum minori eſt nota, & maior probatur. Vbicunq; eſt prius & poſterius, ibi eſt aliquis ordo, ſed vbicũq; eſt principiũ ibi eſt prius & poſterius, dicuntur enim, vt docet Ariſt. 5. Meta. prius & poſterius, ſecundũ relationem ad aliquod principium: ergo vbicũq; eſt principium eſt ordo.

EXPLICATIO ARTICVLI.

COnclusio huius articuli eſt de fide tenenda, quam ponit D. Diony. c. 4. de diuinis nominib⁹. & probatur ex illo Mat. c. 22. vbi Chriſtus Legiſperito interrogãti, quod eſſet maximum & primũ mandatum in lege dixit, Diliges Dominũ Deum tuũ ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mẽte tua, hoc eſt maximũ & primum mandatum. Secũdum autẽ ſimile eſt huic, Diliges proximũ tuũ ſicut teipſum. Supra quæ verba oẽs Sancti nemine diſcrepante fundant ordinem in charitate ſeruandum, ſiquidẽ vbi eſt primum & ſecundũ, quod etiam ſit ordo, eſt neceſſe. Et Cant. c. 2. etiã dicitur, Introduxit me Rex in cellam vinariam, & ordinauit in me charitatẽ. Et ratio eſt manifeſta. Nam virtus charitatis habet ſecum annexam prudentiã, ſed prudentiæ eſt ordinate actus omnium virtutum: ergo etiam ordinat actus charitatis, atq; ex conſequẽti in charitate inuenitur aliquis ordo. Et cõfirmatur, Obiectum charitatis eſt bonum, ergo quantò aliquid fuerit magis bonum, tantò magis erit ex charitate diligendum, & ſic in charitate eſt ordo. Itẽ, Deus eſt vniuerſale principiũ, & bonum omniũ creaturarum: ergo omnia ſunt diligenda in ordine ad Deũ, atq; ex conſequẽti quantò aliquid fuerit propinquius Deo, tantò magis erit ex charitate diligẽdum. Probo conſequentiam ex D. Tho. qui. 2. 2. q. 1. art. 2. ex eo, quod omnia credibilia habent ordinem ad Deũ, qui eſt prima veritas, colligit, ꝙ tãtò magis aliquid eſt credendũ, quantò magis accedit ad primam veritatem.

¶Sed dubitabit aliquis hoc loco, vtrũ hic prius, & poſterius quod inuenitur in charitate ſit intelligẽdũ de prioritate tẽporis, vel tãtum de prioritate perfectionis. Quod eſt quærere, *Dubium.* *Argum.*

quærere, vtrùm charitas prius tempore feratur in Deum, quàm in proximum, an verò tãtum feratur in Deum prius perfectione. Et quidem quòd non ſit intelligendum de prioritate tẽporis colligi videtur ex D.Th. articulo ſequenti. in ſolutione ad primum, vbi dicit, quòd proximus prius nobis occurrit diligendus, quàm Deus, quia prius occurrit cognitioni. Idem etiam docet.1.2. q.68.art.8. Et confirmatur ex ſua prima canonica. Ioan.c.4. vbi dicitur, Qui non diligit fratrem, quem videt, Deum quem non videt quo modo poterit diligere.

Nota. ¶ Sed ad explicationem difficultatis eſt aduertendum, quòd homo ex duplici principio inclinatur ad diligendum Deum & proximum. Vnum eſt natura, & dilectio, quæ ex tali principio oritur dicitur naturalis. Alterum eſt charitas ſupernaturalis, & dilectio, quę ex tali principio oritur dicitur etiã ſupernaturalis. *1. Dictum.* ¶ Quo ſuppoſito dico primò, quòd dilectione naturali prius tempore diligimus proximum, quàm Deum. Et ratio eſt, quia hæc dilectio ſequitur cognitionem naturalem, & ſecundum hanc cognitionem prius obijcitur nobis proximus, quàm Deus. Et hoc voluerunt ſignificare D.Ioan. & D.Th. locis citatis. *2. Dictum.* ¶ Dico ſecundò, quòd dilectione ſupernaturali ortum habente ex charitate Deus diligitur prius proximo, non ſolum perfectione, ſed tempore. Probatur, Charitas inclinat ad diligẽdum proximum propter Deum: ergo primò, non ſolum perfectione, ſed tempore inclinat ad diligendum Deum. Probo conſequentiam: nam dilectio finis prior eſt dilectione mediorum. Item, Iſta dilectio ſupernaturalis habet ortum à cognitione ſupernaturali, ſed fides prius docet Deũ eſſe principium totius beatitudinis, quã, quòd homines ſunt illius beatitudinis capaces: ergo dilectio ſupernaturalis, quæ oritur ex charitate, prius tempore fertur in Deum, quàm in proximum.

Dubium. ¶ Circa illã propoſitionẽ, in qua D.Th. dicit; ꝙ ordo includit in ſe aliquem modũ prioris & poſterioris, eſt difficultas, vtrùm vera ſit. Et pro parte negatiua eſt argumentũ. In perſonis diuinis eſt ordo, ſecundum quem vna perſona procedit ab alia, & tamen in illis non eſt inuenire prius nec poſterius, vt docet Athanaſius in ſymbolo: ergo ordo non ſemper includit in ſe aliquem modum prioris & poſterioris. Ad hoc argumentum reſpondetur primò, ꝙ in præſenti tantũ eſt ſermo de ordine inuento in creaturis, vel in Deo in ordine ad creaturas: in quibus quidem ſemper quod inuenitur ordo, eſt inuenire rationem prioris & poſterioris. De diuinis autẽ perſonis alia eſt ratio, maximè quòd, vt communiter docent Theologi nomina, quæ de Deo, & creaturis dicũtur, ſunt analoga, & debent cõuenire Deo ſemotis imperfectionibus, vt eſt videre in hoc nomine, ſcientia, quæ dicitur de ſcientia diuina & noſtra ſecundum analogiam. Et ſic quãuis dictum de nobis importet in ſua ratione, quòd ſit qualitas quædam dependens à ſubiecto, dictum tamen de Deo excludit iſtam imperfectionẽ, & ſupponit pro cognitione infinita, & ſubſtantiali. Et idẽ dicendũ eſt de ordine, qui dictus de creaturis includit imperfectionẽ prioris, & poſterioris, & tũ dictus de Deo excludit iſtam imperfectionem, & ſolũ ſignificat originẽ qua vna perſona ꝓcedat ab alia. Et D.Th. in pręſenti tantum loquitur de ordine, ſecũdum quod inuenitur in creaturis, puta in charitate: vnde nihil obſtat argumentum. Vel ſecũdò reſpõdetur, ꝙ hæc propoſitio, In diuinis perſonis eſt ordo, eſt neganda abſolutè, ſicut illam negat D.Tho. in.1.d.20. q.1. Et ratio eſt: quia ordo ſimpliciter, & abſolutè loquendo, importat prioritatem & poſterioritatem, vel in loco, vel in tẽpore, vel in dignitate, quorum nullum poteſt inueniri inter diuinas perſonas: ſed erit concedenda, vel prædicãda cum limitatione: vt ſi dicamus, quòd in diuinis eſt ordo originis. Et cum eadem limitatione etiam poſſumus cõcedere, quòd inter diuinas perſonas eſt prioritas, & poſterioritas originis. Et ſic ſemper erit verũ dicere, quòd ordo importat & includit in ſe aliquem modum prioris, & poſterioris.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Deus ſit magis diligendus, quã proximus.

AD SECVDVM ſic proceditur. Videtur quòd Deus non ſit magis diligendus, quàm proximus. Dicitur enim primæ Ioann.4. Qui non diligit fratrem ſuũ quem videt, Deũ, quem non videt, quomodo poteſt diligere? Ex quo videtur, quòd illud ſit magis diligibile, quod eſt magis viſibile. Nam & viſio eſt principium amoris, vt dicitur in.9. Ethi. Sed Deus eſt minus

3.diſt.9. ar. 3. cor. & ad 5. & diſt.4. 2.art.7.cor. & ad.7.& 8.

Lib.9. Ethi. c. vlti. to. 3.

minus viſibilis quàm proximus. Ergo etiã eſt minus ex charitate diligibilis.

2 ¶ Præterea, Similitudo eſt cauſa dilectionis, ſecundum illud Eccleſ. 13. Omne animal diligit ſimile ſibi. Sed maior eſt ſimilitudo hominis ad proximum ſuum, quàm ad Deum. Ergo homo ex charitate magis diligit proximum, quàm Deum.

3 ¶ Præterea, Illud quod in proximo charitas diligit, Deus eſt: vt patet per* Auguſtinum in. 1. de Doct. Chriſt. Sed Deus nõ eſt maior in ſeipſo, quàm in proximo. Ergo non eſt magis diligẽdus in ſeipſo, quàm in proximo. Ergo nõ debet magis diligi Deus, quàm proximus.

Lib. 1. exca. 22. & 27. elicitur to. 3.

¶ SED CONTRA, Illud magis eſt diligendum, propter quod aliqua odio ſunt habenda. Sed proximi ſunt odio habendi propter Deum, ſi ſcilicet à Deo abducunt, ſecundum illud Luc. 14. Si quis venit ad me, & nõ odit patrem, & matrẽ, & vxorem, & filios, & fratres, & ſorores, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Ergo Deus eſt magis ex charitate diligendus, quàm proximus.

¶ RESPONDEO dicendũ, quod vnaquæque amicitia reſpicit principaliter id, in quo principaliter inuenitur illud bonum, ſuper cuius communicatione fundatur. Sicut amicitia politica principalius reſpicit principem ciuitatis, à quo totum bonũ ciuitatis dependet: vnde & ei maximè debetur fides, & obediẽtia à ciuibus. Amicitia autem charitatis fundatur ſuper communicatione beatitudinis, quę cõſiſtit in Deo eſſentialiter, ſicut in primo principio, à quo deriuatur in oẽs, qui ſunt beatitudinis capaces. Et ideo principaliter maximè Deus eſt ex charitate diligẽdus. Ipſe enim diligitur, ſicut beatitudinis cauſa: proximus autem, ſicut beatitudinem ab eo ſimul nobiſcũ participans.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quod dupliciter eſt aliquid cauſa dilectionis. Vno modo ſicut id, qđ eſt ratio diligẽdi. Et hoc modo bonũ eſt cauſa diligendi, quia vnũquodq; diligitur, inquãtũ habet rationẽ boni. Alio modo, quia eſt via quædã ad acquirendũ dilectionẽ. Et hoc modo viſio eſt cauſa dilectionis non quidem ita, quod ea ratione ſit aliquid diligibile, quia eſt viſibile: ſed quia per viſionẽ perducimur ad dilectionem. Ergò non oportet, quod illud, quod eſt magis viſibile, ſit magis diligibile, ſed quod prius occurrat nobis ad diligendum. Et hoc modo argumentatur Apoſtolus. Proximus enim, quia eſt nobis viſibilis, primo occurrit nobis diligẽdus. Ex ijs enim, quæ nouit animus, diſcit ignota amare, vt Gregor.* dicit in quadam homilia. Vnde ſi aliquis proximũ non diligit, argui poteſt, quod nec Deum diligit: non propter hoc, quod proximus ſit magis diligẽdus, ſed quia prius diligẽdus occurit. Deus autem eſt magis diligibilis ꝓpter maiorẽ bonitatẽ.

Homili. 11. Euange. in princip.

¶ Ad ſecundum dicẽdum, quod ſimilitudo, quam habemus ad Deum, eſt prior, & cauſa ſimilitudinis, quam habemus ad proximum. Ex hoc enim, quòd participamus à Deo, id quod ab ipſo etiã proximus habet, ſimiles proximo efficimur. Et ideo ratione ſimilitudinis magis debemus Deum, quàm proximum diligere.

¶ Ad tertium dicendum, quòd Deus ſecundum ſubſtantiam cõſideratus in quocũque ſit, æqualis eſt: quia non minuitur per hoc, quòd eſt in aliquo. Sed tamen non æqualiter habet proximus bonitatẽ Dei, ſicut habet ipſam Deus. Nam Deus habet ipſam eſſentialiter, proximus autem participatiuè.

SVMMA TEXTVS.

Concluſio eſt affirmatiua & probatur. Vnaquęq; amicitia principaliter reſpicit id, in quo principaliter inuenitur id bonum, in cuius cõmunicatione amicitia fundatur: vt, verbi gratia, amicitia politica principaliter

cipaliter reſpicit principem, à quo totũ bonum ciuitatis dependet. Sed bonum in cuius cõmunicatione fundatur amicitia charitatis principaliter inuenitur in Deo quam in proximo, ergo Deus magis eſt diligendus ex charitate, quam proximus. Conſequentia cum maiori eſt nota, & minor probatur. Bonum, in cuius communicatione charitas fundatur, eſt beatitudo: ſed hæc inuenitur in Deo eſſentialiter tãquam in primo principio, à quo in omnes, qui ſunt eiuſdem beatitudinis capaces deriuatur, ergo bonũ, ſupra quod amicitia ſundatur, principaliter inuenitur in Deo, quã in proximo.

EXPLICATIO ARTICVLI.

CIrca titulum huius articuli eſt aduertẽdũ, ꝙ præſens quæſtio põt habere triplicẽ ſenſum. *Nota.1.* Primus eſt, vtrum ſit rationi cõſentaneũ, quòd Deus magis diligatur, q̃ proximus: & hic ſenſus non intenditur hic à D. Th. ſed illius pars affirmatiua præſupponitur tanquam vera & extra cõtrouerſiã poſita. Secũdus ſenſus eſt, vtrum ſit in præcepto, quòd Deus magis diligatur, quã proximus: & nec etiam hic ſenſus eſt intentus à D. Thom. in præſenti, ſed de illo diſputat infra. q. 44. ar. 5. & 6. Tertius ſenſus, & proprius huius articuli eſt, vtrũ charitas ex propria ratione magis inclinet ad dilectionem Dei, quam ad dilectionem proximi.

Nota.2. ¶ Secundò eſt aduertendum, tripliciter poſſe cõtingere, quòd vna res plus alia diligatur, ſcilicet, obiectiuè, appreciatiuè, & inteſiuè. Obiectiuè eſt, quãdo maius bonũ amatur vni quã alteri: quo modo magis diligo regem, quam Petrum. Appreciatiuè eſt, quãdo maiori pretio æſtimo vnam rem quam aliam: quo modo poſſum plus diligere Petrum, quam regem, quamuis maius bonum velim regi quã Petro: & ſecundum iſtã rationem certũ eſt quòd peccatores diligũt magis bona tẽporalia, quã Deũ. Intenſiuè eſt, quãdo maiori conatu & affectu voluntatis amatur vna res quã alia: quo modo matres ſolent plus diligere filios, q̃ Deum aut ſanctos: & hæc volũtas appellatur à doctoribus affectiua, quia importat maiorem affectum atque paſsionem.

Dubium. ¶ Eſt ergo difficultas, vtrum charitas ex ſua natura inclinet magis ad diligendum Deũ, quã proximos omnibus his modis. In qua re, vt certa ab incertis ſeparemus, *1. Dictum.* dico primo, certũ eſſe, ꝙ Deus eſt dignus, vt magis à nobis ametur omnibus prædictis modis. Ita tenet D. Aug. lib. 1. de doctrina Chriſtiana. c. 20. & D. Chryſoſt. lib. 2. de prouidentia, & Grego. homil. 8. in Eccleſiaſtem. Et probatur. Deus eſt dignus, vt velimus illi bonũ, quod habet, quod eſt maius omnibus: ergo eſt dignus, vt præ alijs ametur, & diligatur obiectiuè. Item, Deus præſtat omnibus alijs rebus, & amore quo nos diligit ſuperat oẽs amores: ergo eſt dignus, quod eius amicitiam præferamus alijs amicitijs, atq; ex conſequẽti quod ametur à nobis appretiatiuè plus, quam omnes aliæ res. Item Deus habet maiorẽ bonitatem, quàm oẽs creaturæ, & bonitas eſt, quæ inflammat voluntatem ad ſui dilectionẽ, & præterea confert nobis maiora beneficia, quibus amor intendi conſueuit, & tandem amat nos intenſius, quam quæcũq; alia res: ergo Deus eſt dignus, vt à nobis intenſius diligatur. Et ſic patet certum eſſe, ꝙ Deus eſt dignus, ꝙ à nobis plus omnibus diligatur, ſiue obiectiuè, ſiue appretiatiuè, ſiue intenſiuè. ¶ Di- *2. Dictum.* co ſecundò, etiam eſſe certum, quod charitas ex natura ſua inclinat ad diligendum Deum magis quam proximum omnibus prædictis modis. Et probatur. Virtus perfectiſsima, perfectiſsimo modo inclinat ad ſuos actus, ſed perfectiſsimus modus charitatis eſt, quòd Deũ omnibus modis illis diligamus plus, quam proximum: ergo charitas ad hoc inclinat. Item habitus volũtatis, quantum eſt ex ſe promptiorem reddit volũtatem in ſuum obiectũ principale, quam in minus principale, ſed habitus charitatis principaliter tendit in Deum quam in proximum, ergo magis inclinat omnibus modis ad diligendum Deũ quam proximum. Cõfirmatur. Charitas inclinat ad amandũ proximũ propter Deum: ergo magis inclinat ad diligendũ Deũ. Itaq; hæc certa ſunt.

¶ Sed dubiũ eſt, vtrum poſsit dari aliqua actualis dilectio proximi procedens à charitate, quę ſit intẽſior dilectione actuali Dei. *Id in quo difficultas conſiſtit.* Et ratio dubitãdi eſt, quia cũ intenſio actus *Argumen-* non ſolum proueniat ab inclinatione habitus, ſed etiã à maiori conatu potentiæ, videtur poſſe accidere, vt quãdo actu diligimus proximum ex charitate, magis conetur voluntas, quam cum actu diligimus Deum.

¶ Sed ad explicationem huius difficultatis eſt aduertẽdum, quod Deus & proximus poſſunt diligi ex charitate, vel ſimul, vnico eodem actu, vel diuerſis temporibus ſeparatim. *Nota pro explicatiõe difficultatis.* Et item dilectio proximi eſt duplex, vna quæ eſt actus elicitus ab ipſa charitate

ritate immediate, altera quę elicitur ab amicitia naturali, & imperatur vel imperari poteſt à charitate. Inter quas dilectiones hoc eſt diſcriminis, ꝙ prior dilectio ſemper eſt meritoria. Secunda verò interdũ poteſt eſſe meritoria, ſcilicet, quando imperatur à charitate, interdum verò minimè. Item in priori dilectione proximus obijcitur amãdus ſolùm ſub ea ratione, qua ad Deum pertinet, & habet diuinum aliquid in ſe. In ſecũda autẽ dilectione ratio ſormalis & obiectiua amoris eſt aliquod motiuũ naturale.

1. Concluſio. ¶ Quo ſuppoſito ſit prima concluſio. Quãdo diligimus Deũ & proximum vno & eodẽ actu charitatis ſimul, ille actus magis fertur in Deum, quam in proximũ. Probatur. Fertur in vtrumq;, & in proximum propter Deum, ergo magis fertur in Deũ.

2. Concluſio. ¶ Secunda concluſio. Etiam ſi diuerſis actibus, & diuerſis temporibus, diligantur Deus, & proximus, ſi tamen proximus diligitur ex ſola charitate, à qua talis dilectio elicitur, ſemper in tali caſu Deus diligitur intenſius, quã proximus. Probatur. Quando proximus diligitur actu elicito à charitate, tunc tota ratio diligendi proximum eſt ipſe Deus: ergo ſi diligo proximum, verbi gratia, vt quinq;, neceſſe eſt, vt prius habuerim actum dilectionis erga Deum intenſum, vt quinq;, aut eo plus. Probo conſequẽtiam. Nam dato oppoſito, quòd nunquam Deum, vt quinq; dilexerim, tunc ſequitur quòd nõ diligo proximum præciſe propter Deum, & ꝙ magis diligo proximum, quam Deum, quod eſt abſurdum. Item ſic argumentor. Ille actus, quo diligo proximũ habet pro obiecto formali Deũ, qui in omni actu elicito à charitate eſt ratio diligendi: ergo quanta intenſione ille actus fertur in proximum, tanta, aut maiori fertur in Deum.

3. Concluſio. ¶ Tertia concluſio. Poteſt contingere, ꝙ dilectio proximi, quæ non elicitur à charitate, ſed imperatur ab illa ſit intenſior, quã dilectio Dei. Probatur manifeſtè: quia in huiuſmodi dilectione ipſe Deus non eſt ratio diligendi, ſed aliquod motiuum naturale, quod poteſt eſſe ità gratum voluntati, quod inducat illam ad maiorem intenſionem, quam motiuum ſupernaturale.

Ad argum. ¶ Et ad argumẽtum adductũ pro ratione dubitãdi reſpõdetur quòd quãdo voluntas amat Deum & proximum ex ſola charitate ſupernaturali, ità vt vtraque dilectio ſit actus elicitus à charitate, non poteſt magis conari ad diligẽdum proximum, quam ad diligendum Deum. Et ratio eſt, quia ſicut voluntas non poteſt diligere, niſi illa, quæ dictat intellectus eſſe diligenda: ità etiam cùm actu diligit, nõ poteſt conari, niſi quãtum intellectus practicus docet eſſe conandum. Cum autem proximus diligitur ex ſola charitate, nulla eſt ratio, quare intellectus dictet voluntati magis eſſe conãdum, quam cum diligitur Deus, cum tota ratio diligẽdi proximũ in illo caſu ſit ipſe Deus.

¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco, vtrũ ex præcepto charitatis teneamur diligere Deũ pluſquã proximũ, tam obiectiuè, quam appreciatiuè, quã intẽſiuè? Et quidẽ, quòd obiectiuè, & appreciatiuè, teneamur Deum plus diligere, quam omnes creaturas eſt res manifeſta. Et probatur ex illo Lucæ. c. 14. Qui venit ad me, & nõ odit patrem, & matrem, filios, & agros adhuc & animã ſuam, non poteſt eſſe meus diſcipulus. Quæ verba intelligenda eſſe de amore obiectiuo, & appreciatiuo Dei communiter docent doctores. Et dilectio conſiſtit in hoc, quod ſi opus fuerit illa omnia relinquere, ne tranſgrediamur aliquod præceptũ diuinum, tenemur illud facere. Sed tota quæſtio conſiſtit in hoc, vtrum ex vi præcepti charitatis teneamur plus diligere Deum intenſiuè, quam proximũ, vel quancũq; aliam rem? *Dubium.*

¶ In qua difficultate Scotus in. 3. d. 27. q. vnica, & Durand. in. 3. d. 29. q. 2. videntur tenere partem affirmatiuam, dicentes eſſe peccatum intenſius diligere aliquam creaturam, quam Deum. *Sentẽtia Scoti & Durandi.* Et probatur ex illo Deuteron. c. 6. & Matth. 20. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua. &c. *1. Argum.* Quibus verbis præcipi videtur, vt Deum intenſius diligamus, quã proximos, & alias creaturas. ¶ Item charitas inclinat ad diligẽdum Deum, intenſius quam nos: *2. Argum.* quia cum iſte habitus ſit infuſus à Deo neceſſario eius inclinatio debet eſſe optima: ergo cõſonum eſt rationi, vt intenſius diligamus Deũ, quam nos aut proximos, atq; ex conſequenti id non facere erit diſſonum rationi, & ſic peccatum.

Concluſio. ¶ His tamen non obſtãtibus ſit cõcluſio, ꝙ nõ tenemur ex aliquo præcepto intẽſius diligere Deum, quam creaturam. Ita tenet Gabri. in. 3. d. 27. q. 1. concl. 7. & 9. & d. 29. q. vnica. & Almai. eadem diſt. quos communiter ſequũtur recentiores Theologi. Et probatur. 1. Nam, ſi eſſet præceptum de diligendo Deum intẽſius, quã creaturam ſequeretur,

quereretur, neminem poſſe eſſe certum, vtrũ adimpleuerit hoc præceptum nec ne? conſequens autem eſt abſurdum, nam ſic Deus præciperet nobis ea, de quibus certi eſſe nõ poſſemus, quod nullo modo eſt dicẽdum, ergo & illud, ex quo ſequitur. Probo ſequelam: quia nullus poteſt etiam probabiliter ſcire ſui actus intenſionẽ, nec ſi diligit duas res poteſt cognoſcere, vtram illarum intenſius amet. Item, nõ tenemur diligere Deũ aliquo certo gradu intenſionis: ergo quæcũq; intenſio ſufficit, vt ſatisfaciamus pręcepto. Et cõfirmatur. Præcepta, quæ dãtur populo rudi oportet, ꝙ ſint clara, & aperta: ſed huiuſmodi intẽſiones vix intelligũtur à philoſophis, ergo non cadunt ſub præcepto. Præterea, Contritio, quę eſt neceſſaria ad iuſtificationem, & eſt dolor omniũ maximus, non requirit aliquam certam intenſionẽ, ſed licet ſit remiſsior alijs doloribus, ſi tamen ſit propter Deũ, & deteſtetur peccatum ſupra omne deteſtabile, talis erit vera & legitima contritio: ergo pari ratione dicendum erit de dilectione, ꝙ ſatisfacit præcepto illa, quæ diligit Deum ſuper omne diligibile, quamuis ſit remiſſa. Vltimo. Nulla alia præcepta diuina, etiam circa virtutes infuſas obligant ad certum, & determinatũ conatum, aut intenſionem actus: ergo nec charitas. Conſequentia tenet ex paritate rationis, & antecedens probatur. Qui crederet articulos fidei etiam remiſſe, adimpleret præceptum fidei: & ſimiliter, qui ſperaret beatitudinẽ, adimpleret præceptum ſpei: ergo alia præcepta diuina non obligant ad certam intenſionem actus, atq; ex conſequenti præceptũ charitatis ſufficienter adimplebitur cũ illa dilectione remiſſa. Ex dictis infertur, quòd nullum peccatum eſt in eo, quod quis intẽſius diligat proximum, aut aliam rem, quam Deum, dummodo illa dilectio ex alia parte non ſit contra diuinum præceptum. Itaq; quantumuis vxor diligat virum intenſius, quam Deum, aut mater filium, non erit peccatũ mortale, niſi per illum amorem tranſgrediatur aliquod præceptum diuinũ, aut exponat ſe periculo peccandi mortaliter, qui enim amat periculum peribit in illo, vt dicitur Eccleſ. c. 3. Et quia, moraliter loquendo, qui tanta intẽſione diligit creaturàm eſt in periculo, vt Deum offendat, idcircò conſulendi ſunt fideles, ne tanta intenſione ament.

¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco, vtrum poſsimus abſolutè concedere, ꝙ licet diligere creaturã magis quam Deum. Et ratio dubitandi eſt: nam cum liceat nobis intenſius diligere creaturam, vt diximus, videtur, ꝙ ratione intenſionis poterimus cõcedere, ꝙ licet plus diligere creaturam, quam Deum. Reſpõdetur tamen id nulla ratione eſſe cõcedẽdum. Quia diligere vnum pluſquam aliud abſolute eſt diligere plus appreciatiuè: & cum teneamur Deum plus diligere appreciatiuè, quam creaturam, manifeſtè ſequitur, nulla ratione abſolutè eſſe concedendum, quod licet plus diligere proximum, quam Deum.

¶ Ad argumentum in principio factum ex Deuteronomio, & ex Matthæo, vt reſpondeamus eſt aduertendum, quod præceptum illud de dilectione dupliciter poteſt conſiderari. Vno modo quantum ad intentum ipſius præcipientis: quod eſt efficere, vt homines perfectiſsimè, & vnione totali coniungantur cum Deo: & hoc pro iſto ſtatu adimpleri non poteſt: quia nullus in hac vita totaliter & ſine aliqua diſtractione ad Deum aduertere poteſt. Alio modo poteſt conſiderari quantum ad ſubſtãtiam & modum, quo in hac noſtra fragilitate obſeruari debet: & quantum ad hoc adimpletur à nobis in hac vita imperfectè tamen. Vnde quando dicitur in verbis Euangelij, quod debemus Deum diligere ex toto corde, nõ eſt intelligendum ex totò corde actualiter, hoc eſt, ita vt ſemper amemus ipſum Deũ ſine aliqua interpolatiõe, & omni conatu, quoniam hoc eſt impoſsibile. Sed ex toto corde habitualiter, hoc eſt, ita vt nec actualiter, nec in præparatione animi admittamus aliquid cõtrarium legi diuinæ. Et hoc eſt diligere Deũ ex toto corde, quod in hac vita pręcipitur fidelibus. Vel, vt clariùs procedamus, poſſumus dicere, quod in illo præcepto includuntur duo, vnum negatiuum, & eſt quod nihil diligatur æquè, vt Deus. Nam cum Deus ſit vltimus finis noſtræ dilectionis, & repugnet eſſe duos vltimos fines, iuxta illud Matth. 6. Nemo poteſt duobus dijs ſeruire, manifeſtè ſequitur, ꝙ nullus poterit diligere, vel proximũ, vel aliam rẽ æque, vt Deum. Alterum quod includitur, eſt poſitiuũ: & eſt ita diligere Deum vt ipſe ſit ratio diligendi alia, & ad que omnia referuntur. Hæc enim eſt ratio vltimi finis, vt eius gratia cætera fiant: & hoc modo adimpletur illud pręceptum in hac vita. Ad 1. arg.

¶ Ad ſecundum argumentum reſpõdetur conceſſo antecedenti cum prima cõſequentia. Ad 2. arg.

tia. Et quando ex illo infertur, ergo non diligere Deum intenſius, quam proximum eſt diſſonum rationi, & ſic peccatum, nego conſequentiam. Multa enim ſunt conſona rationi, quorum contraria non ſunt diſſona. Vt ducere vitam cœlibē, vel conſeruare virginitatem eſt conſonum rationi, & tamen matrimonium cōtrahere non eſt diſſonum nec peccatum, & ita contingit in propoſito.

ARTICVLVS III.

Vtrùm homo debeat ex charitate plus Deum diligere, quàm ſeipſum.

Infra q. 44. art. 8. & 3. diſt. 29. articulo. 3. Et virt. q. 2. art. 4. ad. 2. & art. 9. ad 7. & quo. 1. arti. 9. cor. Lib. 9. Ethi. c. 8. non multum à princ. to. 5.

AD TERTIVM ſic proceditur. Videtur quòd homo nō debeat ex charitate plus Deum diligere, quàm ſeipſum. Dicit enim Philoſophus *in nono Ethi. quod amicabilia, quæ ſunt ad alterum, veniunt ex amicabilibus, quæ ſunt ad ſeipſum. Sed cauſa eſt potior effectū. ergo maior eſt amicitia hominis ad ſeipſum, quàm ad quemcunque alium, ergo magis ſe debet diligere, quàm Deum.

2 ¶ Præterea. Vnumquodq; diligitur inquantum eſt proprium bonum: ſed in quod eſt ratio diligendi, magis diligitur, quàm id, quod propter hanc rationem diligitur: ſicut principia quæ ſunt ratio cognoſcendi, magis cognoſcuntur. ergo homo diligit magis ſeipſum quàm quodcunque aliquod bonum dilectum. Non ergo magis diligit Deum, quàm ſeipſum.

3 ¶ Præterea, Quantum aliquis diligit Deum, tantum diligit frui eo. Sed quantum aliquis diligit frui Deo, tantum diligit ſeipſum: quia hoc eſt ſummum bonum, quod aliquis ſibi velle poteſt. ergo homo non plus debet ex charitate Deū diligere, quàm ſeipſum.

¶ SED CONTRA eſt, quod Aug. *dicit in. 1. de Doct. Chriſt. Si teipſum non propter te debes diligere, ſed propter ipſum, vbi dilectionis tuæ rectiſſimus finis eſt, non ſuccenſeat aliquis alius homo, ſi & ipſum propter Deū diligas. Sed propter quod vnumquodque, illud magis. ergo magis debet homo diligere Deum, quàm ſeipſum.

Lib. 1. c. 22. in med. to. 3.

¶ RESPONDEO dicendū, quòd à Deo duplex bonum accipere poſſumus, ſcilicet bonū naturæ, & bonum gratiæ. Super communicatione autem bonorum naturaliū nobiſ à Deo facta, fundatur amor naturalis, quo non ſolum homo in ſuę integritate naturæ ſuper omnia diligit Deū, & plus quàm ſeipſum, ſed etiā quælibet creatura ſuo modo, id eſt, vel intellectuali, vel rationali, vel animali, vel ſaltem naturali amore: ſicut lapides & alia quæ cognitione carent: quià vnaquęq; pars naturaliter plus amat commune bonum totius, quàm particulare bonum proprium. Quod manifeſtatur ex opere. Quælibet enim pars habet inclinationem principalem ad actionem communē vtilitati totius, Apparet etiam hoc in politicis virtutibus, ſecundum quas ciues pro bono cōi, & diſpendia propriarum rerum & perſonarum interdum ſuſtinent. Vnde multò magis hoc verificatur in amicitia charitatis, quę fundatur ſuper cōmunicationem donorum gratiæ. Et ideo ex charitate magis debet homo diligere Deum, qui eſt bonum commune omnium, quàm ſeipſum: quia beatitudo eſt in Deo, ſicut in communi & fontali principio omnium, qui beatitudinem participare poſſunt.

¶ AD PRIMVM ergo dicēdum quod Philoſophus loquitur de amicabilibus, quæ ſunt ad alterum, in quo bonum quod eſt obiectum amicitiæ, inuenitur ſecundum aliquem particularem modum, non autem de amicabilibus, quę ſunt ad alterum, in quo bonum prædictum inuenitur ſecundum rationem totius.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd bonum totius diligit quidem pars, ſecundum quod eſt ſibi conueniens, non autem

autem ita quod bonum totius ad ſe referat, ſed potius ita quòd ſeipſam refert in bonum totius

¶ Ad tertium dicendum, quòd hoc, quòd aliquis velit fui Deo, pertinet ad amorem, quo Deus amatur amore concupiſcẽtiæ. Magis autem amamus Deum amore amicitiæ, quàm amore concupiſcentiæ: quia maius eſt in ſe bonum Dei, quàm participare poſſumus fruendo ipſo. Et ideo ſimpliciter homo magis diligit Deum ex charitate, quàm ſeipſum.

SVMMA TEXTVS.

SVppoſito, ꝙ dilectio eſt duplex, vna naturalis, quæ fundatur in bono naturali, altera ſupernaturalis, quæ fundatur in bonis ſupernaturalibus, reſpondet D. Thom. ad propoſitam difficultatem per duas concluſiones. ℭ Prima concluſio. Homo dilectione naturali plus diligit Deum, quam ſeipſum. Et probatur. Homo habet ſe ad Deum, ſicut pars ad totum: ſed pars totum diligit naturaliter, plusquã ſe, vt eſt videre in virtutibus ciuilibus, ſecũdum quas ciues pro bono communi diſpendia propriarum rerum, & perſonarum interdum ſubeunt: ergo homo dilectione naturali plus diligit Deum, quam ſeipſum. ℭ Secunda concluſio. Homo dilectione ſupernaturali, quę eſt dilectio charitatis, plus debet diligere Deũ, quam ſeipſum. Probatur. Deus habet ſe, vt bonum commune ſupernaturale in ordine ad hominem: ergo homo ex charitate plus debet diligere illud bonũ, quam ſeipſum. Conſequentia eſt nota, & antecedens probatur. Beatitudo, quæ eſt bonum commune ſupernaturale, eſt in Deo tanquam in cõmuni & fontali principio omnium, qui beatitudinẽ poſſunt participare: ergo Deus eſt commune bonum ſupernaturale omnium hominum.

EXPLICATIO ARTICVLI.

SEcunda concluſio huius articuli eſt de fide tenenda. Et probatur ex illo Lucæ 14. Qui venit ad me, & nõ odit patrem, & matrem, adhuc & animam ſuam nõ poteſt meus eſſe diſcipulus. Et Luc. 9. Si quis vult venire poſt me abneget ſemetipſum, & ſequatur me. Et eſt intelligendum hoc de dilectione obiectiua, & appretiatiua, non autem de dilectione intenſiua. Nam ſi non te 3.
nemur particulari præcepto diligere Deũ intenſius, quàm proximum, vt diximus articulo præcedenti, à fortiori nec etiam tenebimur diligere illũ intenſius, quã nos, cum omnis ratio & mẽſura dilectionis proximi a propria dilectione ſit ſumenda, iuxta illud, & proximum tuum ſicut teipſum.

Dubiũ de concl. D.Th.

ℭ Cæterũ de prima concluſione D. Th. eſt grauis difficultas, vtrum homo naturaliter inclinetur ad diligendum Deum, plus quam ſeipſum. Quam difficultatem diſputant doctores in. 3. diſt. 27. & 29. & D. Tho. hic, &. 1. par. quæſt. 60. art. 5. diſſerens de dilectione naturali Angelorum. Suntque de illa diuerſæ opiniones.

Opinio Bonauent. & aliorum.

Nam D. Bonauentura in. 3. diſt. 27. &. 29. dicit, quòd natura intellectualis dilectione naturali magis diligit ſe intenſiuè, & appretiatiuè, quã Deũ, hoc eſt, maiori intẽſione actus, & ita vt præferat & pluris faciat ſeipſam, quam Deum. Idem etiam affirmat Gabriel. eadem diſt. quæſt. vltima. Ex quo fit, vt notabili. 3. dicat, dilectionem charitatis aliquando eſſe conformem dilectioni naturali, tunc, ſcilicet, quando homo ex charitate plus diligit bonum ſpirituale proprium, ꝙ bonum proximi: & aliquando eſſe contrariam illi, vt cum homo ex charitate plus diligit Deum, quam ſeipſum, & pro conſeruando amore diuino, & præceptis illius contemnit propriam vitam: quã dilectione naturali plus diligit. Idem tenet Scotus in. 3. diſtin. 27. q. vnica. arti. 3.

1. Argum.

Et probari poteſt hæc ſentẽtia pluribus argumentis. Primo ſic, Si homo naturali dilectione plus diligeret Deum, quam ſeipſum ſequeretur, quòd viribus naturæ poſſet Deum diligere ſuper omnia. Conſequens autem eſt abſurdum, & Pelagianum, ergo. Probo ſequelam: Nam nihil eſt facilius, quam ſequi inclinationem naturæ.

2. Argum.

ℭ Secundo, Homo naturaliter inclinatur ad malum, & ad id quod eſt contra rationem, ergo naturaliter non inclinatur ad amandum Deum, pluſquam ſe. Conſequẽtia tenet, quia Deum ſic diligere eſt valde bonum, & honeſtum, antecedens verò probatur multipliciter. Primo ex illo Geneſ. cap. 3. Proni ſunt ſenſus hominis ad malũ, ab adoleſcentia ſua. Secundò, quia homo naturaliter inclinatur ad aliquas actiones, & nõ ad honeſtas, quia alias illæ nõ eſſent difficiles, nec opus eſſet virtutibus ad hoc,

vt illas

vt illas homo poſſet operari: cùm ex ſententia Ariſt. virtus verſetur circa difficile: ergo inclinatur ad actiones malas.

3. Argum. ¶ Tertio, Experientia docet, quòd cum aliquis mortem oppetit propter Deum id faciat natura repugnante vehementer: ergo nõ inclinatur naturaliter ad diligendum Deum pluſquã ſe. Probo conſequentiam: quia ſi natura inclinaret nõ eſſet tanta repugnantia.

4. Argum. ¶ Quarto argumentatur Scotus contra rationem D. Tho. hoc modo. Pars nõ ſe exponit periculo pro ſalute totius: ergo non habet inclinationem naturalem ad diligendum totum pluſquam ſe. Conſequentia eſt nota, & antecedens probatur. Quia ſi in aliquo caſu pars ſe exponeret periculo, maximè cum manus recipit in ſe vulnus, ne illud inferatur toti corpori, ſed tunc manus non ſe exponit, ſed exponitur à toto: ergo.

5. Argum. ¶ Quinto, Etiam ſi concedamus, quòd pars naturaliter diligit totum plus quàm ſe, adhuc ex hoc non ſequitur, quòd homo naturaliter diligit Deum plus quàm ſe: ergo illa ratio nihil valet. Conſequentia eſt nota, & antecedens probatur. Quia ſi pars naturaliter diligit totum pluſquàm ſe, ideſt, propter naturalem vnitatem, quæ eſt inter totum & partem, & quia pars eſt aliquid totius, ſed nec homo, nec Angelus, nec alia creatura eſt aliquid Dei tanquam pars, nec eſt naturalis vnitas inter illa, ergo.

Sentẽtia Durandi. ¶ Durandus in. 3. d. 29. q. 2. quanuis teneat cum D. Tho. quòd homo, & Angelus naturaliter diligunt Deum pluſquam ſe, dicit tamen, quod cum ciuis exponit ſe periculo pro bono reipublicæ non plus diligit bonum publicum, quàm proprium, cuius contrarium affirmat D. Tho. in hoc articulo.

Argumentũ Durandi. Et ratio eſt, quia id non facit, quia plus diligit bonum commune, ſed quia plus diligit in ſe bonum virtutis, quàm vitã propriam, ſicut ille, qui oppetit mortem pro amico. Eſt enim opus inſignis virtutis mortem oppetere pro bono publico, ſicut & oppetere illam pro amico: & hoc vult ciuis in ſe pluſquam quoduis aliud, quando exponit ſe periculo mortis pro republica.

1. Notabile. ¶ Ad explicationem huius difficultatis eſt aduertendum primo, quòd quia homo conſtat duplici natura, vna ſenſitiua, altera rationali, fit, vt habeat duplicem appetitũ vnum ſenſitiuum, qui fertur in bonum ſenſuum, & cõmuni nomine appellatur appetitus ſenſitiuus: alterũ rationalẽ, & appellatur voluntas, tã in homine q̃ in Angelo.

¶ Secundo eſt aduertendum, q quantũ attinet ad præſens inſtitutum, vnum poteſt eſſe alterius multipliciter. *2. Notabile.* Primo, quia eſt pars integralis, aut ſubſtantialis illius. Secũdo, quia procedit ab illo, tãquam à cauſa & principio, & continetur ſub illius dominio. Tertio, quia bonum vnius ordinatur, & refertur ad bonum alterius, vel tuendum, vel amplificandum vel illuſtrandũ. Et hoc adhuc poteſt contingere dupliciter, vel ex cõditione naturæ, quia, ſcilicet, naturaliter eſt conditum & ordinatum in bonũ alterius, vel ex electione & voluntate hominum, quomodo in republica bona ciuium ordinantur, & referuntur ad illam tuendam, & amplificandam.

¶ Tertio eſt notandum, quòd vnaquæq; res naturaliter diligit bonum ſuum, & quò magis aliquid eſt ſuum bonum, eo magis diligit illud. *3. Notabile.* Bonum autem vniuſcuiuſque rei eſt, quod eſt conueniens & conſentaneũ ſuæ naturæ. Natura autem partis quatenus pars eſt atque etiam natura eius, quod eſt conditum alterius gratia, eſt ſeruire bono illius: & quanto melius id facit tantò melius reſpondet ſuæ naturæ. Ex quo fit, vt bonum naturale, & maximè conueniens iſtarum rerum, de quibus loquimur, ſit bonum illarum rerum, vel quarum ſunt partes, vel ad quas amplificandas à natura ſunt ordinatæ. Et in huiuſmodi boni cõſeruatione & amplificatione naturalis & præcipua iſtarum rerum perfectio cõſiſtit, & hanc præcipue, & maximè appetunt.

1. Concluſio. ¶ His poſitis ſit prima concluſio fundamentalis. Omnis natura, & omnis inclinatio naturalis eſt ad bonum. Hęc propoſitio eſt D. Tho. in. 3 diſt. 29. q. vnica. art. 3. & 1. par. q. 6. art. 5. q. 63. art. 4. Et probatur. Finis & bonum ſunt idem, ſed omne agens agit propter finem: ergo & propter bonum, atque ex conſequenti tendit in illud. Et confirmatur. Omnis creatura eſt bona; vt potè procedens à bono principio, ſcilicet, Deo, ergo habet bonam inclinationem. Secundo, Inclinationes naturales tribuuntur generanti ſecundum Ariſt. 8. Phyſi. ſed Deus nullam rem poteſt inclinare ad malum: ergo nulla inclinatio eſt mala.

2. Concluſio. ¶ Secunda concluſio. Pars rationalis in homine, & intellectiua in Angelo ſemper inclinat naturaliter in bonum honeſtum & conſonum rationi. Probatur, Omnis potentia naturaliter fertur in ſuum obiectum, ſed obiectum appetitus intellectiui eſt bonum

num honeſtũ: ergo naturaliter fertur in illud. Et confirmatur. Ratio naturalis dictat, virtutem & honeſtatem eſſe ſectandam, & turpitudinẽ ſugiendam, ſed appetitus intellectiuus, qui eſt voluntas naturaliter inclinat ad ſequendum dictamen rationis: ergo. Tandem hoc idem probatur. Quia ſi voluntas inclinaret ad malum, ſequeretur ꝙ Deus inclinaret ad malum, conſequens autem eſt falſum, & contra D. Iacobum, qui in ſua canonica dicit, Deus intentator malorum eſt, hoc eſt neminem inducit ad malum, ergo. Et confirmatur ex Paulo ad Ro. 7. dicente: Condelector legi Dei ſecũdum hominem interiorem, hoc eſt, ſecundũ partem rationalem.

3. Concluſio. ¶ Tertia concluſio. Pars ſenſitiua in homine naturaliter inclinat in bonum ſenſibile, quod interdum eſt contrarium bono rationis. Probatur. Bonum ſenſibile eſt obiectum appetitus ſenſitiui, ſicut bonũ rationis eſt obiectum appetitus intellectiui, ſiue voluntatis: ergo ſicut voluntas naturaliter inclinat in bonum honeſtum, ità etiam appetitus ſenſitiuus inclinat in bonum ſenſibile. Ex hac cõcluſione infertur, quod quãuis appetitus ſenſitiuus formaliter non inclinet in id, quod eſt contra rationem, materialiter tamen inclinat in illud ea, ſcilicet, ratione, qua inclinat naturaliter in ſuum obiectum, quod interdum eſt contra rationẽ.

4. Concluſio. ¶ Quarta concluſio. Omnis appetitus tã intellectiuus, quam ſenſitiuus, & denique omnis creatura magis inclinatur ad amandum dilectione naturali bonum diuinum, quam proprium, atque ex cõſequenti tam homo, quam Angelus diligit naturaliter Deum pluſquam ſeipſum. Probatur. Vnaquęq; res, quo magis aliquid eſt ſuum bonum, eo magis diligit illud, ſed bonum diuinum eſt magis bonum hominis, & Angeli quam proprium ſingulorum: ergo naturaliter magis diligũt, & intenſiuè, & appreciatiuè bonum diuinum, quam proprium. Item, Appetitus rationalis naturaliter inclinatur in bonum honeſtum, vt diximus in ſecunda concluſione: ſed ratio dictat, atque iudicat eſſe bonum honeſtum obtemperare diuinæ voluntati, & contrarium eſſe malum culpæ, ergo ad id naturaliter inclinatur. Tertio, Si homo, vel Angelus non inclinarentur magis ad amandum Deum, quã ſeipſos, ſequeretur Deum fuiſſe autorem culpę, conſequens autem eſt falſum, ergo. Probo ſequelam. Diligere ſe pluſquam Deum eſt culpa, quia eſt contra præceptũ charitatis: ergo ſi hoc eſt naturale homini tribuetur autori naturæ. Probo conſequentiam. Nam motus ſimpliciter naturales tribuuntur autori naturæ, vt docet Ariſtot. 8. Phyſi. tex. 30. Ex quo etiam infert D. Tho. 1. par. in materia de Angelis, quòd primus actus Angeli nõ potuit eſſe peccatum, quia talis actio procederet ex inclinatione naturali, & ſic tribueretur autori naturæ. Præterea Sapientię. 8. dicit Salomon de Deo, quòd attingit à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter. Supra quæ verba dicũt autores, quòd Deus propterea dicitur diſponere omnia ſuauiter, quia vnicuique creaturæ dedit inclinationem ſuæ naturę conuenientem & fini, ad quem ordinabatur. Vt verbi gratia, quia finis ignis erat aſcendere ſurſum dedit illi leuitatem, quæ ad id inclinaret, & ſic de alijs. Sed ſic eſt, quòd Deus ſtatim poſt conditionẽ hominis erat illi præcepturus, vt diligeret Deum, pluſquam ſeipſum, vt ad ſuum finẽ perueniret, ergo non eſt veroſimile, quod dederit ei inclinationem huic mandato repugnantem, atque ex conſequenti homo naturaliter non inclinatur ad diligendum ſe pluſquam Deum. Et confirmatur. Gratia non deſtruit naturam, vt communiter dicũt Theologi, ſed illam perficit, ſed ſi homo naturaliter inclinaretur ad diligendum ſeipſum, pluſquam Deum, gratia deſtrueret naturam illius, ſiquidẽ præceptũ charitatis quod pertinet ad gratiam, eſſet contra inclinationem naturalem hominis: ergo. De hac re videndus eſt Victoria in relectione de homicidio. & Capreol. in. 3. d. 23. q. 1.

¶ Sed reſtat, vt reſpondeamus ad argumenta. Ad primum nonnulli reſpondent concedentes, ꝙ homo pro iſto ſtatu naturæ lapſæ poteſt diligere Deũ ſuper omnia viribus naturę, non vt eſt obiectum ſupernaturale, ſed vt eſt obiectum naturale. Et ad id probandum adducunt D. Tho. qui in. 3. d. 27. q. 2. ar. 2. ad. 4. & 2. 2. q. 24. art. 2. ad. 1. id videtur affirmare. Sed oppoſitũ proculdubio eſt verũ, vt docet D. Tho. 1. 2. q. 109. art. 3. & nos diximus ſupra. Vnde ad argumentũ reſpondetur negando ſequelam. Et ad probationem dico, quòd quanuis homo naturaliter inclinetur ad diligẽdum Deum pluſquam ſe, ex corruptione tamen peccati tot aliæ inclinationes contrariæ fuerunt in illo ortæ, & tanta allata impedimenta, vt inclinatio illa naturalis non poſsit exire in Ad. 1. arg.

actum

Ad 2. arg. actum, ſine auxilio gratiæ. ¶ Ad ſecũdum reſpondetur negando antecedens. Et ad primam probationem Geneſis dico primo, ꝙ ſcriptura eo in loco loquitur non de natura hominis in communi, ſed de hominibus illius ſeculi, in quibus vitia, atque peccata adeò creuerunt, vt in tam infinita hominũ multitudine ſolus Noẽ fuerit inuentus iuſtus. Et propterea dicitur, quod omnis ſenſus, & cogitatio hominum erat intenta ad malum. Vel ſecundo reſpondetur quòd illud eſt intelligendum de inclinatione partis ſenſitiuæ, quæ prona ad malum dicitur, quia fertur in id, quod interdum eſt contra bonum rationis. In quo etiam ſenſu dicit Paulus ad Rom. 7. Non quòd volo bonum hoc ago, ſed quod odi malum illud facio. Et ad Galat. 5. Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem. Ad ſecundam probationem dico, quòd quãuis homo naturaliter inclinetur ad actiones honeſtas, adhuc tamen ſunt difficiles, propter repugnãtiam partis ſenſitiuæ, vt diximus.

Ad 3. arg. ¶ Ad tertium reſpondetur concedendo, verum eſſe, quòd cum aliquis oppetit mortẽ pro Deo, id facit egrè, & maxima cum difficultate: ex hoc tamen non licet inferre ꝙ non inclinatur magis ad diligendum Deũ, quam ſeipſum. Nam illa difficultas nõ naſcitur ex defectu inclinationis. Sed, quia, cùm homo ſimul naturaliter inclinetur ad diligendum Deum, & ad conſeruandũ vitam, & hæc inclinatio, vt pote poſterior ſit vehementior, fit vt maxima cum difficultate ſequatur priorem, & maiorem inclinationem. Habemusq; de hoc apertiſsimũ exẽplum in eo, qui metu mortis proijcit merces in mare, qui quidem quanuis magis inclinetur ad diligendam vitam quam merces, quia tamen etiam naturaliter inclinatur ad diligendas opes id facit maxima cum difficultate.

Ad 4. arg. ¶ Ad quartum ex Scoto contra rationem D. Tho. reſpondetur, ꝙ ſiue pars exponat ſe periculo pro toto, ſiue exponatur ab illo, ſemper tamen eſt dicendum, quod id facit non repugnanter, ſed naturaliter inclinata ad obediendum, quod ſatis eſt ad hoc, vt verè dicatur plus diligere totum, quam ſe.

Ad vltimũ argumentũ. ¶ Ad vltimum reſpondetur, ꝙ pars non inclinatur ad exponendum ſe pro toto, quia habet identitatem cum illo, ſed quia naturaliter eſt ꝓpter illud, & vnaquęq; res, quę naturaliter ordinatur ad aliã, plus diligit bonum ipſius, quam bonũ proprium, vt diximus in tertio notabili, & hoc etiam inuenitur in Angelis.

Ad argumẽtum pro ſententia Durãd. ¶ Ad rationẽ, qua Durandus probat exẽplum adductũ à D. Tho. de ciue, qui ſe exponit periculo mortis pro bono publico, nihil valere, dico primo, quòd ipſa ratio Durandi conuincit verum eſſe quod D. Tho. affirmat. Nam ſi ciuis oppetit mortem pro bono publico, propter bonum virtutis politicæ, quam magis amat in ſe, quam propriã vitam, manifeſtè ſequitur, quòd ſecundum virtutem politicã magis inclinatur ad amãdum bonum publicum, quam proprium, quod D. Tho. intendebat. Vel ſecundo reſpondetur, ꝙ quãuis ciuis moriẽdo pro bono publico magis diligat ſe ſecũdũ virtutẽ, quam bonũ publicũ, non tamen diligit magis propriã vitã, quã bonũ publicũ, quod ſatis eſt ad hoc, vt verè dicamus ipſum plus diligere bonum rei publicę, quam proprium.

1. Argum. ¶ Sed vltra hæc ſunt alia duo argumẽta quæ videntur habere difficultatem. Primũ eſt. Dæmones odio habent Deum, ergo nõ ſunt determinati naturaliter ad diligẽdum illum, plus quam ſe. Antecedens eſt manifeſtum, & conſequentia probatur: quia ſi ad hoc naturaliter determinarentur non poſſent elicere actum contrarium.

2. Argum. ¶ Secundo, Amicabilia, quæ ſunt ad alterum, ſunt ex amicabilibus, quę ſunt ad ſe, vt docet Ariſt. multis in locis, ergo tam Angelus; quã homo ideò diligunt Deum, quia diligunt ſe, atque ex conſequenti naturaliter magis diligunt ſe, quam Deum.

Ad 1. arg. ¶ Ad primum argumentũ reſpondetur, ꝙ Deus poteſt dupliciter conſiderari. Vno modo, vt eſt finis, & bonum totius vniuerſi: & hac ratione nulla creatura poteſt illum odio habere: quia cum omnes ſint naturaliter & eſſentialiter pars vniuerſi, etiã dæmones, neceſſariũ eſt, ꝙ naturaliter magis appetant bonum illius, quam bonũ propriũ, vt diximus. Alio modo poteſt Deus conſiderari ſecũdum quod producit aliquos effectus particulares in creaturis: & hac ratione bene poteſt odio haberi ab illis, qui apprehendunt illos effectus tanquam ſibi noxios, & diſconuenientes, vt contingit in dæmonibus, qui propter pœnas inflictas odio habent Deum, quanuis naturaliter inclinẽtur, vt partes vniuerſi ad diligendum illum plusquam ſe.

Ad 2. arg. ¶ Ad ſecundum reſpondetur primo, illud non cõuincere, quòd homo & Angelus magis diligunt ſe, quam Deum ſed quòd diligunt ſe prius, & quod illorum dilectio præſupponitur ad dilectionẽ Dei,

 quod

quod quidem eſt verum. Nam ſi Angelus & homo non diligunt ſe naturaliter nõ eſt cur dicamus illos diligere Deum, qui eſt ipſorum bonum. Vel ſecundo reſpondetur conceſſo antecedenti, negando conſequentiam. Et ratio eſt, quia eo ipſo, quòd Angelus, aut homo diligit Deum plus quàm ſe, diligit ſeipſum optimo modo, quo poteſt diligi, ſi quidem, vt diximus, Deus eſt naturale bonum vniuſcuiuſq; rei.

ARTICVLVS IIII.

¶ Vtrum homo ex charitate magis debeat diligere ſeipſum, quàm proximum.

3. d. 29. art. 5. Et. 4. diſt. 38. q. 2. art. 4. q. 1. cor. Et quodl. 8. ar. 8. cor. ſi. Ar. 1. et. 2. bonus. q. & q. 25. art. 1. & 12.

AD QVARTVM ſic pceditur. Videtur quòd homo ex charitate non magis debeat diligere ſeipſum, quàm proximũ. Principale enim obiectũ charitatis eſt Deus, vt ſuprà * dictum eſt. Sed quãdoque homo habet proximum magis Deo coniunctum, quàm ſit ipſe. Ergo magis debet aliquis talem diligere, quàm ſeipſum.

2 ¶ Præterea, Detrimentum ipſius, quẽ magis diligimus, magis vitamus. Sed homo ex charitate ſuſtinet detrimentum pro proximo: ſecundũ illud Prouerb. 12. Qui negligit damnum propter amicum, iuſtus eſt. Ergo homo debet ex charitate magis alium diligere, quàm ſeipſum.

3 ¶ Præterea. 1. ad Cor. 13. dicitur ꝙ charitas non quærit quæ ſua ſunt. Sed illud maximè amamus, cuius bonum maximè quærimus. Ergo per charitatem aliquis non amat ſeipſum magis, quàm proximum.

¶ SED CONTRA eſt, quòd dicitur Leuit. 19. & Matt. 22. Diliges proximum tuum ſicut teipſum. Ex quo videtur, quòd dilectio hominis ad ſeipſum eſt ſicut exemplar dilectionis, quę habetur ad alterum. Sed exemplar potius eſt, quàm exemplatum. Ergo homo ex charitate magis debet diligere ſeipſum, quàm proximum.

¶ RESPONDEO dicendũ, quòd in homine duo ſunt, ſcilicet natura ſpiritualis & natura corporalis. Per hoc autem homo dicitur diligere ſeipſum, quòd diligit ſe ſecundum naturam ſpiritualem, vt ſuprà dictum * eſt. Et ſecundum hoc debet homo magis ſe diligere poſt Deum, quàm quẽcunque alium. Et hoc patet ex ipſa ratione diligendi. Nam ſicut ſuprà * dictum eſt, Deus diligitur vt principium boni, ſuper quo fundatur dilectio charitatis. Homo autem ſeipſum diligit ex charitate ſecundum rationem, qua eſt particeps prædicti boni. Proximus autem diligitur, ſecundum rationem ſocietatis in ipſo bono: Conſociatio autẽ eſt ratio dilectionis, ſecundum quandam vnionem in ordine ad Deum. Vnde ſicut vnitas potior eſt, quàm vnio, ita ꝙ homo ipſe participet bonum diuinum, eſt potior ratio diligendi, quàm quòd alius aſſocietur ſibi in hac participatione. Et ideo homo ex charitate debet magis ſeipſum diligere, quàm proximum. Et huius ſignum eſt, quòd homo non debet ſubire aliquod malum peccati, quod cõtrariatur participationi beatitudinis, vt proximum liberet à peccato.

q. 25. art. 7.
q. 25. art. 1. & 12.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd dilectio charitatis non ſolum habet quantitatẽ ex parte obiecti, quod eſt Deus, ſed ex parte diligentis, qui eſt ipſe homo charitatem habens: ſicut & quantitas cuiuſlibet actionis dependet quodãmodo ex ipſo ſubiecto. Et ideo licet proximus melior, ſit Deo propinquior, quia tamen nõ eſt ita propinquus charitatem habẽti, ſicut ipſe ſibi, non ſequitur quòd magis debeat proximum, quàm ſeipſum diligere.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd detrimenta corporalia debet homo ſuſtinere propter amicum, & in hoc ipſo ſeipſum magis diligit, ſecundum ſpiritualem mentem, quia hoc pertinet ad perfectionem virtutis, quæ eſt bonum mentis. Sed in ſpiritualibus non debet

homo

homo pati detrimentum peccãdo, vt proximum liberet à peccato, ſicut dictum * eſt.

In corpo. art.

¶ Ad tertium dicendum, quòd ſicut Auguſt. dicit * in regula, cum dicitur, Charitas non quærit quæ ſua ſunt, ſic intelligitur quòd communia proprijs anteponit. Semper autem commune bonum eſt magis amabile vnicuique, quàm proprium bonum. Sicut etiam ipſi parti eſt magis amabile bonum totius, quàm bonum partiale ſuijpſius, vt dictum * eſt.

In regula. 3. & habetur to. 1.

Ar. praced.

SVMMA TEXTVS.

SVppoſito, quòd in homine ſunt duo, ſcilicet, natura ſpiritualis, & natura corporalis, & ꝙ homo dicitur diligere ſeipſum quando diligit ſecũdum naturam ſpiritualem, reſpondet D. Tho. ad hanc difficultatẽ vnica concluſione, quæ talis eſt. Homo debet ex charitate ſe diligere poſt Deum plus quam quemcũq; alium. Probatur. Homo participat per ſeipſum immediate id bonũ, in cuius communicatione charitas fundatur, per proximum autem illud participat per quãdam appropriationem, in quãtum ſibi aſſociatur in beatitudine, ergo homo ex charitate plus tenetur diligere ſeipſum, quam proximum. Et confirmatur. Homo non debet ſubire aliquod malum peccati, quod contrariatur participationi propriæ beatitudinis, vt proximum liberet à peccato: ergo magis tenetur ſe ex charitate diligere quam proximum.

EXPLICATIO ARTICVLI.

1. Præſuppoſitum.

DE hac quæſtione, quæ grauiſsima eſt in materia de charitate, diſputãt doctores in. 3. d. 29. Ad cuius explicationem ſupponendum eſt primo, quod in præſenti nõ agimus de dilectione intenſiua & graduali, ſed de dilectione appreciatiua. Itaque quęrimus, vtrum homo ex charitate debeat ſeipſum pluris facere, quam proximum.

2. Præſuppoſitum.

¶ Secundo eſt ſupponendum quòd genera bonorum, ſecundum quæ vnum poteſt magis diligi, quam aliud, ſunt in triplici differentia. Quædam enim ſunt bona ſpiritualia, vt gratia, charitas, virtutes, beatitudo æterna, &c. Alia ſunt bona naturalia, vt vita, integritas membrorum, bona valetudo, &c. Alia verò ſunt bona temporalia, vt pecunia, fama, honor, &c. De quibus omnibus in hoc articulo erit dicendum.

¶ Tertio eſt ſupponẽdũ, ꝙ bona noſtra tripliciter poſſunt cõparari cum bonis proximorum, ſcilicet, vel comparando ſpiritualia ſpiritualibus, vel temporalia temporalibus, vel ſpiritualia temporalibus. Ex quo fit, vt propoſita difficultas triplicem contineat quæſtionẽ. Prima eſt, vtrum teneatur vnuſquiſq; amare magis ſuum bonum ſpirituale, quam bonũ ſpirituale proximorũ. Secunda quæſtio eſt, vtrum teneatur quis bonum ſpirituale aliquorum anteferre ſuis bonis temporalibus, atq; etiam propriæ vitæ. Tertia quæſtio eſt, vtrum teneamur bona temporalia propria anteferre bonis temporalibus proximorũ, vel potius poſsimus negligere bona noſtra temporalia cauſa alterius commodi. De quibus ſuo ordine erit dicendum.

3. Præſuppoſitum.

¶ Et quidem quãtum ad primam quæſtionem, in qua bona ſpiritualia noſtra cũ bonis ſpiritualibus aliorum cõparantur certum eſt, & extra controuerſiam poſitũ, ꝙ debemus anteferre bonum noſtrũ ſpirituale bono ſpirituali alterius priuatæ perſonę, ſed quod habet difficultatem eſt, vtrũ propter bonũ ſpirituale cõmune totius reipublicę teneatur quis, aut poſſit negligere proprium bonum ſpirituale. Verbi gratia, ſi alicui degenti apud infideles eſſet probabile, ꝙ illi ſua prædicatione, & doctrina eſsẽt ad fidem conuertendi, & ſimul etiam eſſet ſibi probabile, quod ſi diu apud tales infideles maneret in peccatum aliquod ſit caſurus, dubium eſt, vtrũ in tali caſu teneatur ille, aut poſſit ſuum periculum ſpirituale negligere propter ſalutem proximorũ. De qua re inter Thomiſtas eſt varietas opinionũ. Nam Capreolus in. 3. d. 27. q. 1. ad argumenta Durandi contra tertiam concluſionem, partem tenet affirmatiuã, dicens quod vnuſquiſq; tenetur bonum ſpirituale cõmune anteferre bono ſpirituali proprio. Cui etiam ſentẽtiæ fauere videtur D. Tho. in hoc articulo in ſolutione ad tertium, nam reſpõdens illi teſtimonio Pauli. 1. ad Cor. 3. Charitas non quærit quę ſua ſunt, dicit, ꝙ charitas ex ſententia D. Auguſtini ideo dicitur non quærere quę ſua ſunt, quia cõmunia proprijs anteponit: ſemper enim bonum cõmune eſt magis amabile vnicuiq;, quam proprium. Idem etiã dicit quæſtio. vnica. de charitate art. 11. ad. 6. Et probari poteſt hæc ſententia aliquibus argumentis. Primo ſic, Multi vi-

1. Dubium.

Sententia Capreoli.

1. Argum.

ri ſancti antepoſuerunt bonū ſpirituale cōmune reipublicæ bono ſpirituali proprio, & propter hoc laudē meruerunt apud Deū & homines, ergo id licitum eſt facere. Conſequentia eſt nota, & antecedens probatur multipliciter ex ſcriptura. Nam Exod. c. 32 dixit Moyſes ad Deum: Aut dimitte populo noxam hanc, aut dele me de libro vitæ: quibus verbis apertè ſignificat ſe præferre bonum ſpirituale populi, bono ſpirituali proprio. Itē Paulus ad Roma. 9. loquens de ſe, & de amore, quo eos proſequebatur, inquit. Optabā anathema eſſe pro fratribus meis. Et Michæas c. 2. Vtinam non eſſem vir habens ſpiritum, & mendacium potius loquerer. Super quem locum dicit D. Hieronymus. Vtinam de ſenſu meo loquutus fuiſſem, & inter pſeudoprophetas computatus ego ſolus periiſſem. Quaſi ſignificans ſenſum Prophetæ fuiſſe anteponere propriæ ſaluti bonum ſpirituale totius populi.

2. Argum. ¶ Item ſecundo ſic argumentor. Homo eſt pars reipublicæ in bonis ſpiritualibus ſicut in bonis temporalibus, ſed in bonis temporalibus tenetur vnuſquiſq; anteferre bonū reipublicæ proprio bono, ergo & in ſpiritualibus. Conſequentia cum minori eſt nota, & maior probatur ex Paulo ad Epheſ. 4 dicente, ducta ſimilitudine à corpore humano, quòd omnes ſumus membra vnius, & eiuſdē corporis myſtici ſpiritualis. Et pſal. 118. dicebat propheta: Particeps ego ſum omnium timentium te.

3. Argum. ¶ Tertio argumentor. Secundum ordinem charitatis maius bonum diuinum præferendum eſt minori bono diuino, ſed maius bonum diuinum eſt ſalus ſpiritualis totius reipublicæ, quā hominis priuati, In multitudine enim populi dignitas regis, vt dicitur Prouerb. 14. ergo debemus ex charitate præferre ſalutem reipublicæ noſtræ priuatę ſaluti. Cōſequentia cū minori eſt nota, & maior probatur, ſeu potius declaratur. Si vnus eſſet paratus peierare, & alter mentiri iocoſe, ego potius teneor impedire periurium quā mēdacium, quia eſt contra maius bonum diuinum: ergo ſecundum ordinem charitatis maius bonum eſt præferendum minori.

Sententia D. Tho. ¶ Contrariam tamen ſententiam tenent D. Tho. & Caieta. in hoc articulo, quā communiter ſequuntur Theologi. Vnde ad illius explicationem ſit prima concluſio. Nemo tenetur, nec debet pro ſalute ſpirituali totius mundi velle carere gratia & amicitia Dei, aut aliquod peccatum cōmittere. Probatur. Contra inclinationem charitatis eſt, quod quis velit, aut optet pro bono ſpirituali aliorum eſſe extra amicitiā Dei, ergo charitas non obligat ad hoc. 1. Concluſio. Patet conſequentia: nam charitas non poteſt obligare ad id, quod eſt contra inclinationem illius. Antecedens verò probatur. Charitas formaliter eſt amicitia inter Deum & homines, ſed implicat contradictionem, quod amicitia inclinet ad id quod eſt cōtra amicitiam: ergo cōtra inclinationē charitatis eſt, quod quis velit carere amicitia Dei. Itē, ſi quis ex charitate teneretur velle incidere pro aliorum ſalute in culpam, ſequeretur quòd illa voluntas eſſet bona, & licita: ſed implicat contradictionem, quod aliquid ſit peccatū, & quòd ſit licitè volitum ab homine, ergo cōtraria ſententia ſe ipſam deſtruit. Tertio, Vnuſquiſq; tenetur diligere Deum ſuper omnia ex charitate, ſed velle ſibi gratiā & charitatem præ alijs eſt diligere Deum ſuper omnia: ergo vnus quiſq; tenetur id velle. Conſequētia cum maiori eſt nota, & minor probatur, quia ſine gratia & charitate nullus poteſt diligere Deum ſuper omnia. Deniq; hæc veritas colligitur expreſſe ex ſacris literis. Nam Matthæi. cap. 16. dicitur, Quid prodeſt homini, ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentū patiatur? Et rurſus, Quam cōmutationem dabit homo pro anima ſua? Quaſi dicat, nulla. De hac re videndus eſt D. Tho. ſuper caput nonum epiſtolæ ad Roma. lect. 1. & D. Auguſtinus lib. 1. de doctrina Chriſtiana à cap. 22. vſque ad. 30.

¶ Secunda cōcluſio. Probabile eſt, quòd pro ſalute ſpirituali cōmuni alicuius reipublicæ, poteſt quis, & debet ad certum tēpus velle pati aliquam iacturam (citra culpam tamē) in bonis ſpiritualibus. 2. Concluſio. Itaq; ſi aliquis concionator ex eo, quod vacat cōcionibus, & curat aliorum ſaluti experitur ſe eſſe minus feruidum in oratione, quam cum vacabat vitæ omnino contemplatiuæ, ille poterit, & debet (ſi intelligit ſuā doctrinam eſſe neceſſariam) pati huiuſmodi iacturam deuotionis propter cōmunem aliorū ſalutē. Hanc concluſionē probant argumenta in principio facta. Et probatur præterea ex Paulo ad Philip. c. 1. dicente, Coarctor autē è duobus deſiderium habens diſſolui, & eſſe cum Chriſto multò magis melius, permanere autem in carne neceſſariū propter vos, &c. Quo in loco iuxta cōmunē expoſitionē ſanctorū propoſitis ſibi duobus bonis,

vno

vno ꝓprio, qđ erat cōſequutio gloriæ, altero alieno, & cōmuni reipublicæ, qđ ex vita illius reſultabat, dicit, quod quanuis primū erat ſibi cōuenientius, & multò gratius, eligit tamen ſecundum, vt cōmuni ſaluti conſulat. Ad quem etiā modū dicebat B. Martinus, Domine, ſi adhuc populo tuo ſum neceſſarius, non recuſo laborem. Sed quoniam argumenta à nobis facta videntur aliqua ex parte aduerſari primæ concluſioni operæpreciū erit, vt ad illa reſpondeamus.

Ad. 1. arg. ¶ Ad primū reſpondetur diſtinguendo antecedens. Nam ſi intelligatur, de iactura bonorum ſpiritualium ad tempus citra culpam facta, vera eſt illa propoſitio. Si autem intelligatur de iactura bonorum ſpiritualium, cui adiūctum eſt peccatum, nego antecedens. Et ad primam probationem ex Exod. c. 32. dico, ꝙ locus ille variè exponitur à doctoribus. Nam D. Chryſoſt. lib. 1. de compūctione cordis, dicit, ꝙ Moyſes in rei veritate optauit perpetuò ſeparari à viſione beatifica propter bonum populi Iſraelitici, & idem affirmat de D. Paulo propter bonum Iudæorum. Idq; fecit ad magnificandam Pauli charitatem, quem eo in loco D. Chryſ. præfert omnibus alijs ſanctis. Quinpotius in. 1. homil. de laudibus Pauli propè finem, conferens Apoſtolum cum Moyſe poſtquam retulit multa, & egregia Moyſis facta, illud tanquam maximum ſubiūxit, quod dixit: Aut dimitte populo noxā hāc, aut dele me de libro vitæ. Et etiā in hoc præfert illi Apoſtolū dicēs, quod Moyſes optauit perire cum alijs, at vero Paulus deſiderabat perire Iudæis ſaluatis, quod erat multo maioris charitatis ſignum. Idem etiā videtur ſentire D. Bernardus ſermo. 12. ſuper Cantica. Sed quoniam hæc expoſitio aduerſatur noſtræ primæ concluſioni aliter reſpondendum erit cum D. Auguſtino lib. quæſtionum ſuper Exodum. q. 147. quòd Moyſes non optauit perpetuò ſeparari à Deo, ſed ſecurus de ſua ſalute, ſciebat enim nō eſſe deleudum de libro vitæ, petijt, vt ſi cūt ipſe non erat delendus, ità etiam nec populus deleretur. Eandem etiam expoſitionē ſequitur ſuper pſalm. 105. in illa verba, Niſi Moyſes electus eius ſtetiſſet, &c. Caietanus ſuper illum locum Exodi etiam adhibet expoſitionem, & forſan magis literę affinem, dicens, ꝙ Moyſes nō loquebatur de libro ſpirituali diuinæ prędeſtinationis, ſed de libro principatus, in quo principes, potiſsimum illius populi, erant ſcripti. Itaque ſenſus verborū eſt, Aut dimitte populo noxam hanc, aut dele me, ideſt, fac, vt nō ſim dux populi huius. Nicolaus de Lyra aliter intepretatur verba Moyſi dicens, quod loquebatur ſecūdū partem inferiorem, & inclinationem naturalē, ſicut & quādo Chriſtus Lucæ. 22. dixit: Pater, ſi vis trāſeat à me calix iſte, cum tamen ſecundum portionē ſuperiorē nulla ratione pateretur à Deo ſeparari. Et quęlibet iſtarum expoſitionū eſt ſufficiens ad ſoluendum argumentū. ¶ Ad aliud ex Paulo ad Roma 9. reſpondetur cū D. Tho. q. ſequenti art. vltimo ad primū argumētum, ꝙ loquitur de ſeparatione ad tēpus, non autē de ſeparatione perpetua. Vel ſecundo reſpōdetur ꝙ anathema inter alia ſignificat eos qui pro ſalute reipublicæ deuouēt vitam ſuā & corpora, vnde id quod dicit Paulus idem valet, ac ſi diceret, ꝙ pro ſalute ſpirituali aliorū optabat mori & vitā & corpus tradere exitio pro fratribus ſuis. Caietanus ſuper illū locū interpretatur verba Pauli de tēpore, quo erat in Iudaiſmo, in quo optabat eſſe anathema, hoc eſt ſeparatus à Chriſto potius quā ſeparari à Iudaiſmo. ¶ Ad aliud ex Michęa reſpondetur cū D. Hieronymo ꝙ loquitur de malo temporali, ſcilicet, de captiuitate & morte populi Iſraelitici, quæ licet viro ſtudioſo optare pro totius reipublicæ ſalute, vt infra dicemus. Vel ſecundo reſpondetur, ꝙ Michæas optabat non eſſe tā veridicus in pronūciandis malis vēturis. Quaſi diceret, vtinā adulator eſſe poſsē, & loqui vobis & prædicere quæ eſſent auditui ſuauia.

Ad. 2. arg. principale. ¶ Ad ſecundum argumentum principale reſpondetur quidquid ſit de antecedenti negando conſequentiam. Et ratio eſt, quia cum bona temporalia poſsint periculo exponi ſine culpa illius, qui tale damnum patitur fit, vt quotieſcūq; opus fuerit illa pro bono reipublicæ tradere, teneatur homo illorum iacturam facere. At verò bona ſpiritualia gratiæ, & charitatis nō poſſunt amitti ſine propria culpa: & implicat contradictionem, ꝙ quis teneatur culpam cōmittere pro bono alterius. ¶ Ad tertium reſpōdetur ꝙ illa maior propoſitio, ſcilicet, ſecundum ordinem charitatis maius bonum diuinum præferendū eſt minori, debet intelligi adhibitis medijs licitis, & honeſtis. Nā de medijs illicitis dicit Paulus ad Ro. 3. Non ſunt facienda mala, vt inde veniant bona. Et hæc dicta ſint de prima quæſtione. Ad. 3. arg.

2. Dubium. ¶ Secunda quęſtio à nobis explicāda eſt, vtrùm

vtrum teneatur quis exponere ſe periculo

1. *Notabile.* mortis pro ſalute ſpirituali aliorũ. Ad cuius explicationẽ eſt aduertẽdum primo, aliud eſſe teneri hominẽ ad prouidendũ alicui, & aliud eſſe obligatũ ad opem ferendã. Nam prouidere importat quandã generalẽ curã omniũ cõmodorũ ſpectantiũ ad eũ, cui prouidetur: at verò ferre opẽ ſolũ importat auxiliũ particulare in certo & determinato periculo. Ex quo fit, vt ille, qui tenetur prouidere alteri, ſiue ille alter ſit in periculo, ſiue non, tenetur curare & efficere omnia, quæ ad illius vtilitatem fuerint neceſſaria. At vero ille, qui tenetur opem ferre ſolùm obligatur pro tempore neceſsitatis.

2. *Notabile.* ¶Secundo eſt aduertendũ, ꝙ ordo charitatis cum anteponit vnã rem alteri, ſcilicet, maiorẽ minori, nõ ſemper obligat adhoc, vt teneatur prius prouidere, & curã agere eius rei quã anteponit: ſed obligat duntaxat ad hoc, vt ſi ille duæ res exiſtant in æquali periculo, & ego non poſsim ſubuenire vtriq; in tali caſu præferã maiorem minori. Poterit tamen contingere, vt aliquando ex illis duabus rebus maiori, ſcilicet, & minori, potius ego debeam prouidere minori, quam maiori, vel quia minoris cura mihi ex officio incumbit, vel quia maior non eſt in æquali neceſsitate cum minori.

3. *Notabile.* ¶Tertio eſt aduertendũ, ꝙ periculũ, & neceſsitas ſpiritualis non ſemper debet determinari vno & eodẽ modo, ſed diuerſimode per reſpectũ ad auxiliũ, quod eſt præſtãdũ. Nam, ſi ego, verbi gratia, ſolo verbo, & monitione mea poſſum ſaluare proximũ, tunc quælibet neceſsitas ex peccato perueniens eſt habenda pro idonea, & ſufficiente ad inducendam obligationem: ſi autẽ ad procurãdã alicuius ſpiritualẽ ſalutẽ neceſſariũ eſt ex parte mea aliquid amplius & difficili' monitione, tũc nõ quęlibet neceſsitas peccati habẽda erit pro idonea & ſufficiẽti, ſed illa dũtaxat, quę eſt extrema neceſsitas.

1. *Conclusio.* ¶His ſuppoſitis ſit prima concluſio. Homo priuatus non tenetur inquirere neceſsitatẽ aliorũ, vt illis opẽ ferat, tenetur tamẽ inquirere illa, quæ ſibi, & corpori ſuo fuerint vtilia & neceſſaria. Prima pars cõcluſionis probatur: quia talis inquiſitio alienarum neceſsitatum ſolum pertinet ad eos, qui aliorum curam gerunt. Similiter etiam probatur ſecunda ex eo, quòd vnicuiq; à natura eſt demandata curatuendi ſe.

2. *Conclusio.* ¶Secunda concluſio. Homo priuatus tenetur ſubuenire proximo, quãcũq; neceſsitatem ſpiritualem patienti, ſi ſolo verbo, & admonitione ſine aliqua alia graui iactura poteſt id facere. Hæc concluſio probatur, quia vnuſquiſq; tenetur ad correctionem fraternam, vt infrà dicemus.

¶Tertia concluſio. Si proximus laboret 3. *Conclusio.* neceſsitate ſpirituali extrema (quantum rei natura patitur) vnuſquiſq;, qui poteſt tenetur illi ſubuenire, etiã cum periculo propriç vitæ. Probatur. Ordine charitatis vita ſpiritualis aliorũ anteponitur ꝓpriæ vitæ corporali, vt cõſtat, ſed ordo charitatis eſt in ꝑcepto, vt docet D. Tho. infra. q. 44. art. 8. ergo obligat in iſto caſu, vel nũquã. Et cõfirmatur ex illo, 1. Ioã. c. 3. In hoc cognoſcim' charitatẽ Dei, quoniã ille animã ſuã pro nobis poſuit & nos debemus pro fratrib' aĩas ponere, quod ad minus eſt intelligendũ de neceſsitate ſpirituali. Dixi autẽ in cõcluſione, Quantũ rei natura patitur: quia, vt dicem' in materia de correctione fraterna, vix poteſt dari caſus, in quo neceſsitas ſpiritualis ſimpliciter ſit externa, cũ fere ſemper qui patitur talem neceſsitatẽ poſsit ſibi ipſi ſubuenire. Sed dicitur in præſenti, extrema neceſsitas quæ maxima & grauiſsima eſt, & in qua homo vehementer eget alterius ope. Vt verbi gratia, quando cõſtantia illorum martyrũ, de quibus ſit mẽtio in hiſtoria Sebaſtiani, vi tormentorũ vacillabat, & minabatur ruinã: & ſimiliter quãdo in perſequutione fidei intelligit aliquis valde probabiliter ꝙ ſua morte alij fideles fortiores erunt ad defendendã fidem, tũc ille tenebitur oppetere mortem pro ſalute ſpirituali aliorũ. Et idem dicendum eſt de tempore peſtis, ꝙ quilibet ſacerdos tunc tenetur audire confeſsiones, etiam cum periculo contagionis, quando proprij curati non adſunt.

¶Quarta cõcluſio. Prælatus tenetur inquirere neceſsitates ſpirituales ſubditorũ, illiſque opem ferre cũ periculo propriæ vitæ, ſi 4. *Conclusio.* ne extrema, & grauiſsima neceſsitate. Itaq; prælatus ad euitandum, ne ſubditus peccet mortaliter, ſi neceſſe fuerit, tenetur ſubire periculum mortis, ad quod priuatus homo nõ tenetur. Et itẽ, tẽpore peſtis tenetur miniſtrare infirmis, non ſolum ſacramẽtũ pœnitentię, quod eſt neceſſariũ, ſed etiã alia ſacramẽta, quæ non ſunt perinde neceſſaria. Probatur, Prçlati ex officio tenẽtur ſibi ſubditis prouidere, hoc eſt, efficere omnia, quæ ad ſubditorũ ſalutẽ fuerint vtilia: & hoc nõ ſolũ ex charitate, ſed etiã ex iuſtitia iuxta illud Ioan. c. 10. Paſtor bonus animam ſuã ponit

ponit pro ouibus ſuis: ergo niſi id faciāt pec cabunt mortaliter. Et hæc de.2. quæſtione.

3. *Dubium.* ¶Tertia quæſtio in qua bona temporalia proximorum cōparantur cum noſtris bonis tēporalibus, maiorē in ſe continet diffi cultatem. Ad cuius explicationē dubitatur

1. *Argum.* primo, vtrùm liceat negligere propriam vi tam pro tuenda vita corporali proximi, vel amici. Et pro parte negatiua argumētor pri mo. Ordo charitatis eſt in præcepto, ſed ille anteponit propriam vitam vitæ proximorū, ergo non licet negligere propriam vitā pro tuenda vita proximi, vel amici. Et confirmatur. Amor, quem habet homo erga ſe ipſum, debet eſſe exēplar amoris, quo proximos proſequitur, ſed exemplar eſt longe perfectius exemplato: ergo magis tenetur

2. *Argum.* fauere ſibi, quam proximo. ¶Secūdo, Homo non eſt dominus ſuæ vitæ, ſicut eſt dominus aliorum bonorū: ergo non habet facultatem propriam vitam profundēdi pro ſua volūtate: atq; ex cōſequenti habet prę ceptū illam conſeruandi quoties ſine alterius iniuria poteſt: & id poteſt in caſu poſito, ergo tenetur id facere. ¶Tertio, Si homo mihi ignotus, & ſimul frater meus laborarent extrema neceſsitate, nec ego poſſem vtriq; ſubuenire, certum eſt, quod nō poſſem ꝑtermiſſo fratre ſubuenire alieno: ſed maiori vinculo charitatis obligor erga meipſum, quā erga fratrē meū, ergo in caſu ex tremæ neceſsitatis multò minus potero ne-

Cōfirmatio. gligere vitā meā, & ſubuenire alieno. ¶Et cōfirmatur. Nam ſi ſententia cōtraria eſſet vera ſequeretur, ꝙ in pari neceſsitate poſſē anteferre alienū hominem patri meo, cōſequens autē eſt abſurdū, ergo. Probo ſequelam. Poſito caſu, ꝙ ego & pater meus, & al ter homo naufragiū patiamur, & quod ego habeo tabulā, in qua poſſum ſaluari, tunc non teneor illā dare patri meo, ſed poſſum eam mihi ſeruare, & ex altera parte poſſum illā dare alieno, quia poſſum præferre amicum propriæ vitæ: ergo poſſum in pari neceſsitate ſubuenire amico prætermiſſo patre, quod eſt contra ordinē charitatis.

4. *Argum.* ¶Quarto, Occidere ſeipſum eſt grauius peccatū, quam occidere aliū, vt cōmuniter dicunt philoſophi, & hoc nō ob aliam cauſam, niſi quia natura magis inclinat ad con ſeruandā propriam vitā, quam alienā, ſed ille, qui poſt naufragiū daret tabulā amico, vel in caſu extremæ neceſsitatis daret illi pa nē, quo debet propriā vitam conſeruare, ſe ipſum occideret: ergo peccaret grauiſsime, atq; ex conſequenti non licet id facere. Cō ſequentia cū maiori eſt nota, & minor probatur. Si poſt naufragiū, vel in caſu extremæ neceſsitatis quis ab aliquo vi auferret, vel tabulā, vel panē, quo poteſt vitā conſeruare, vere diceretur illum occidere, iuxta il lud, Si non pauiſti occidiſti: ergo idē dicen dū eſt de ſeipſo. ¶Et cōfirmatur ex Cicerone in lib. de finibus dicēte, ꝙ omne animal ſeipſum diligit, & ſimul ac ortū eſt id agit, vt ſe conſeruet, quia hic appetitus primo à natura datus eſt ad vitā tuendā: ergo contra inclinationē naturalē facit, qui alienā vitā propriæ anteponit. ¶Deniq; hoc ipſum pro *Vltimū arg.* batur ex D. Tho. qui infra. q.32. ar.6. nullū caſum excipit, niſi extremæ neceſsitatis rei publicę, vel hominis ad publica commoda vtiliſsimi, in quo poſsimus propriam vitā negligere pro tuēda vita proximi. Et in.4. d.15. q.2. art.1. quæſtiū.4. dicit eſſe cōtra ordinē charitatis dare extremę indigēti de ijs, quæ ſunt neceſſaria ad propriam vitā tuendam. Et.2.2. q.54. ar.7. etiam affirmat, ꝙ homo plus tenetur fauere vitæ ſuæ, quā alienæ. Quæ ſimiliter videtur eſſe ſentētia D. Auguſtini lib. vnico. de mendacio cap.6. in 4. tomo. Nā dicit, quòd ſi aliquis exponit propriam vitā pro vita temporali proximi, tunc nō diligit proximū ſicut ſeipſum, ſed ſupra ſeipſum, quod ſanè doctrinā regulę à Chriſto traditæ excedit. Et ne quis exiſtimet D. Auguſtinū ſentire id opus eſſe maximæ pfectionis, vtpote, qd eſt ſupra præ ceptū à Chriſto traditum, paulò inferius ſe explicat, ſi quidem intendens probare nul la ratione eſſe licitū cōmittere aliquod peccatum mortale pro vita temporali alterius, iſto modo argumentatur. Non licet exponere vitam temporalem pro vita temporali alterius, ergo à fortiori nec vitam ſpiritua lem per temporali.

¶Propter hæc argumenta Paludanus in *Sententia Paludani.* 4. d.15. q.1. apertè dicit nullo modo eſſe licitum negligere propriā vitam pro cōſeruanda vita proximi: quem cōmuniter ſequitur fere maior pars Neotericorum. ¶In hoc ta- *Concluſio.* men ſit concluſio. Non ſolum licēt, ſed etiā valde honeſtū eſt negligere propriam vitā pro tuenda vita amici. Hanc concluſionem tenet D. Tho. in.3. diſt.24. quæſt.2. art.5. ad 3. & eſt expreſſa ſententia D. Hiero. in.7. ca put Michęę, in illa verba: Dies ſpeculationis tuæ. Vbi laudat Pythagoræos amicos Damonem & Pythiam, quorū hiſtoriā refert Valerius Maximus lib.4. tractat.7.

Idem etiam tenet Lactãtius Firmianus lib.
5. diuinarum inſtitutionum. cap. 18. & D.
Auguſtinus in li. de amicitia. Et Cicero at-
que Seneca eodem titulo, quod & affirmat
Ariſt. lib. 9. Ethic. c. 8. prope finem. Et pro-
batur ex illo Ioan. c. 14. Maiorem charitatē
nemo habet, quam vt animam ſuam po-
nat quis pro amicis ſuis. Quib' verbis aper
tè ſignificat Chriſtus, eſſe opus maximæ
perfectionis oppetere mortem pro amico.
Et. 1. Ioã. c 3. etiam dicitur. Et nos debemus
pro fratribus animas noſtras ponere. Et, vt
oſtēderet Apoſtolus ſe non ſolum loqui de
fratre, qui eſt in neceſsitate ſpirituali, ſed
etiã de illo, qui eſt in neceſsitate corporali:
addit ſtatim. Nam ſi quis viderit fratrem
ſuum neceſſe habere, & clauſerit viſcera mi
ſericordię ſuæ ab eo, quo modo charitas
Dei manet in illo? Item ratione ſic argumē
ror. Licet ponere propriam vitã pro defen
ſione bonorũ temporaliũ, vt omnes docto-
res concedunt: ſed inter bona tēporalia po-
tiſsimum eſt amicus: ergo etiã licèt ponere
vitã pro amico. Conſequentia cum maiori
eſt nota, & minor probatur ex Cicerone,
qui in fine libri de amicitia dicit, præter vir-
tutem nihil eſſe præſtabilius amico. Et rur
ſus in medio eiuſdem libri, Solem è mũdo
tollere videntur, qui amicitiã è vita tollunt,
qua nihil melius à dijs immortalibus habe-
mus. Et Ariſt. 9. Ethi. c. 9. etiã affirmat, quod
ex bonis externis, maximum, & ſummum
bonum eſt amicus. Item, Poſſum mortem
oppetere pro tuenda vita patris, vt omnes
doctores concedunt: ergo & pro tuenda vi-
ta amici. Probo conſequētiam. Primo, quia
poteſt eſſe talis amicus, cui debeam vitam
conſeruatam, ſicut patri debeo vitam acce-
ptam. Secundo, Quia ſi non eſſet licitũ mo
ri pro amico, maximè quia ordo charitatis
anteponit propriam vitam vitæ amici, ſed
idem ordo etiam anteponit vitam propriã
vitæ patris, & conſeruationi bonorum tem
poralium, pro quibus poſſum mortē oppe
tere, ergo ille ordo nihil obſtat. Præterea nõ
ſolum eſt licitum, ſed & valde meritorium
inſeruire & opem ferre homini ægroto, qui
peſte, vel alia contagioſa infirmitate labo-
rat, etiam cum manifeſto periculo mortis,
vt patet ex communi ſenſu fidelium, ergo
etiam eſt licitum exponere vitã pro amico,
quacũq; alia ratione, ſiue fame, ſiue quouis
alio periculo laboret. Probo conſequentiã
ex paritate rationis. Itē, Quando aliquis ab
hoſte aggreſſus non poteſt ſeipſum defen-
dere, niſi occidendo inuaſorē concedunt cõ
muniter doctores, quod poteſt ipſe mortē
pati ne inuaſorē occidat: ergo ſi licet vitam
propriã negligere, ne homo inimicus & ho
ſtis moriatur, à fortiori licebit id facere pro
amico & innocēte tuendo. Et cõfirmatur.
Maius malũ eſt carere amico optimo, quã
inuaſorem occidere pro tuenda vita, imò ca
rere amico eſt malum pœnæ, occidere autē
inuaſorē, nec eſt malum pœnæ, nec culpæ:
ſed ne inuaſor à me occidatur poſſum ego
pati mortem: ergo multò magis ne amicus
moriatur. Item, Si homini ægroto eſſet ne-
ceſſarium ad ſalutem, vt brachiũ vel crura
ſecentur, non teneretur ille ea ratione vitã
ſeruare, vt cõmuniter dicunt doctores, quia
vita non tanti eſt, vt pro illa ſeruanda tam
acerbus dolor debeat ſuſtineri: ergo multò
minus ad conſeruandam vitam teneor pati
dolorē, qui ex amici morte animo percipit.

¶ Et ad primum argumentum reſponde- *Ad 1. arg.*
tur conceſſo antecedenti, negando conſe-
quentiã. Sunt enim quam plurimæ inſtan-
tiæ, vt patet ex his, quæ diximus. Ad cõfir-
mationem reſpondetur concedendo, ꝙ ho-
mo debet plus ſe diligere, quàm proximũ,
vt probat argumentum. Dico tamen, quod
in illo caſu magis diligit ſe, quã proximũ:
Et ratio eſt, quia, vt docet D. Tho. in hoc ar
ticulo, tunc homo dicitur ſimpliciter ſe dili
gere, quando diligit ſe ſecundum virtutē,
& certũ eſt, ꝙ qui exponit vitam pro ami-
co, maxime diligit ſe ſecundum virtutē, cũ
pro bono virtutis propriam vitã exponat.
¶ Ad ſecundum reſpõdetur ꝙ quanuis ho *Ad 2. arg.*
mo non ſit dominus ſuæ vitæ ad hoc, vt illã
pro libito, periculo exponat, habet tamē ius
ad hoc, vt pro maiori bono poſsit illam cõ-
mutare: ꝙ facit quando pro bono virtutis
amicitiæ mortē oppetit. ¶ Ad tertiũ reſpon *Ad 3. arg.*
detur conceſſa maiori atq; minori negãdo
conſequentiã. Nam quanuis verum ſit, ꝙ
ego ſum mihi ipſi magis charus, quã frater
meus eſt mihi, tamen quando ex charitate
teneor exhibere aliquod beneficium fratri,
niſi ille cedat iuri ſuo, ego non poſſum ſi-
ne peccato tale beneficium denegare, cum
tamen ea bona, quæ mihi ipſi ex charita-
te debeo, poſsim maioris boni conſequen-
di gratia negligere ſine aliquo peccato: &
ſic non eſt eadem ratio de me & de fratre
meo. ¶ Ad confirmationem reſpondetur
negando ſequelam. Et ad probationem
dico, quòd licet ſit verum, quòd in caſu
argumenti ego non teneor dare tabulam
patri

patri, ſed poſſum illam mihi retinere, ſuppoſito tamen, quòd in illa re volo vitam negligere pro bono virtutis, non poſſum extraneum anteferre patri meo, ſed pater in tali caſu eſt omnibus alijs præferendus. ❡ *Ad.4.arg.* Ad quartum reſpondetur conceſſa maiori, negando minorem. Et ad probationem dico, quòd quamuis verum ſit, quòd qui in caſu neceſsitatis ab aliquo vi auferret, vel tabulam, vel panem ad vitæ conſeruationem neceſſarium verè illum occideret, non tamen inde infertur, ꝙ, qui in ſimili neceſsitate tabulam, vel panem proprium alteri cõfert ſeipſum occidit, cum poſitiue & directè nõ agat contra propriam vitam, ſed intẽdat bonum virtutis, pro quo licitum eſt & honeſtum vitam cõmutare. ❡ Ad confirmationẽ ex Cicerone reſpõdetur verum eſſe, ꝙ appetitus conſeruandi propriã vitam eſt maximè homini naturalis, tamen ab eadẽ natura habet alium maiorem appetitum comparandi ſibi honorem, & laudem ex bono virtutis prouenientem: & ideò non facit cõtra inclinationem naturalem, qui pro bono virtutis mortem oppetit. ❡ *Ad vltimũ argum.* Ad teſtimonia D. Tho. reſpondetur quòd tãtùm loquitur de eo, cui aliorum cura incumbit, vt ipſe ſe exponit locis citatis. Tunc enim inuitis & reclamãtibus ſubditis non poſſet quis pro amico mortem ſubire, nec facere eleemoſynam ex neceſſario ad propriam conſeruationem, propter iniuriam, quam familię irrogaret, cuius iuri cedere non poteſt, quamuis poſsit cedere iuri ſuo. Nos autem loquimur in præſenti de eo, cuius vita nulli alteri, niſi ſibi ipſi eſt neceſſaria. ❡ Ad aliud ex D. Auguſtino dico primo certum eſſe, ꝙ ipſe fauet noſtræ concluſioni, ſiquidem lib.4. confeſsi. c.6. laudat Piladem & Oreſtem, qui pro ſe inuicem vitam poſuerũt, vt eſt videre apud Valerium Maximum lib.5. tract.7. ſtatim in principio. Certum eſt autem quod D. Auguſtinus eos amicos non laudaret, niſi exiſtimaret, licitum eſſe, & opus maximæ virtutis pro amico mortem ſubire. Dico ſecundo etiam eſſe certũ, quod D. Auguſtinus in loco adducto in argumento apertè fatetur non poſſe aliquem vitam propriam negligere pro conſeruanda vita corporali alterius: ex quo fit, vt compellar dicere, vel quod D. Auguſtinus vtrãque ſentẽtiam probabilem reputauit, vel ꝙ loquitur de illo, cuius vita alijs eſt neceſſaria. Et hæc dicta ſint de iſta difficultate. *Corollariũ.* Ex cuius determinatione manifeſtè infertur, quod ſimiliter licebit quæcunque alia bona temporalia periculo exponere pro ſimilibus bonis temporalibus amici. Itaque facta comparatione noſtrorum bonorum tẽporalium ad bona temporalia amici ſemper eſt licitũ aliena proprijs anteferre: dummodo id non vergat, vel in damnum ipſius amici, qui cum ſit auarus, aut prodigus ex redditione meę pecuniæ redditur peior: vel in damnum patris, aut filiorum, quorum cura & ſuſtentatio iure naturali mihi incumbit.

ARTICVLVS V.

❡ *Vtrum homo magis debeat diligere proximũ, quàm corpus proprium.*

AD QVINTVM ſic proceditur. Videtur quòd homo non magis debeat diligere proximum, quàm corpus proprium. In proximo enim intelligitur corpus noſtri proximi. Si ergo debet homo diligere proximũ, pluſquàm corpus propriũ, ſequitur quòd plus debeat diligere corpus proximi, quàm corpus proprium. *2.2.q.73. art.5.cor. Et opuſ. 18.c. 16.*

2 ¶ Præterea, Homo plus debet diligere animam propriã, quàm animam proximi, vt dictum * eſt, Sed corpus proprium propinquius eſt animæ noſtræ, quàm proximus. Ergo plus debemus diligere corpus proprium, quàm proximum. *Ar. præced.*

3 ¶ Præterea, Vnuſquiſque exponit id, quòd minus amat, pro eo quod magis amat. Sed non omnis homo tenetur exponere corpus proprium pro ſalute proximi: ſed hoc eſt perfectorũ: ſecundum illud Ioan. 15. Maiorẽ charitatẽ nemo habet, quàm vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Ergo homo nõ tenetur ex charitate plus diligere proximũ, quàm corpus proprium.

¶ SED CONTRA eſt, quod Auguſtinus * dicit, de doctrina Chriſtiana. quòd plus debemus diligere proximum, quàm corpus proprium. *Li.1.c.27. à med.to.3.*

¶ RESPONDEO dicendũ, quòd, illud

illud magis eſt ex charitate diligendũ, quod habet pleniorem rationem diligibilis ex charitate, vt dictum * eſt. Conſociatio autem in plena participatione beatitudinis, quæ eſt ratio diligendi proximum, eſt maior ratio diligendi, quàm participatio beatitudinis per redundantiam, quæ eſt ratio diligendi proprium corpus. Et ideo proximum, quantum ad ſalutem animæ magis debemus diligere, quàm proprium corpus.

q.25.art.1. 2.&.12.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd ſecundum Philoſophum in.9.* Ethicor. Vnumquodque videtur eſſe id, quod eſt præcipuum in ipſo. Vnde cum dicitur proximus magis eſſe diligendus, quàm corpus proprium: intelligitur hoc, quãtum ad animam, quæ eſt potior pars eius.

Lib.9.ca.8. non procul à med.to.5.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd corpus noſtrum eſt propinquius animæ noſtræ, quàm proximus, quantum ad cõſtitutionẽ propriæ naturæ: ſed quantum ad participationem beatitudinis maior eſt conſociatio animæ proximi ad animam noſtram, quàm etiam corporis proprij.

¶ Ad tertium dicendum, quòd cuilibet homini imminet cura proprij corporis: non autem imminet cuilibet homini cura de ſalute proximi, niſi fortè in caſu. Et ideo non eſt de neceſsitate charitatis, quòd homo proprium corpus exponat pro ſalute proximi, niſi in caſu, quo tenetur eius ſaluti prouidere. Sed quòd aliquis ſponte ad hoc ſe offerat, pertinet ad perfectionem charitatis.

SVMMA TEXTVS.

CONcluſio eſt affirmatiua, & probatur. Illud eſt magis ex charitate diligendũ, quod habet pleniorem rationem diligibilitatis ex charitate: ſed conſociatio in plena participatione beatitudinis, quæ eſt ratio diligendi proximum, eſt maior ratio diligendi ex charitate, quam participatio beatitudinis per redundantiam, quæ eſt ratio diligendi proprium corpus: ergo magis tenemur diligere proximos ex charitate, quam proprium corpus.

EXPLICATIO ARTICVLI.

CIrca iſtum articulum eſt aduertẽdum, quòd D. Tho. in illo, tantum loquitur de proximo quantum ad vitam ſpiritualẽ. Vnde ſenſus quæſtionis eſt, vtrùm ſi vita mea corporalis ſit in extrema neceſsitate, & vita ſpiritualis proximi ſimiliter ſit in eadem extrema neceſsitate, potiùs debeã ſubuenire vitæ ſpirituali proximi, quam meæ corporali. Et quòd iſte ſit ſenſus à D. Tho. intentus patet primo ex ratione illius, in qua ſemper loquitur de proximo in ordine ad beatitudinem eſſentialem. Secundo, ex fundamento poſito articulo præcedenti, dũ dixit, quod tunc dicitur homo verè & propriè ſe diligere, quando diligit ſe ſecũdum vitam ſpiritualem, & ſecundum virtutem, quod item de dilectione qua proximos diligimus venit intelligendum. Vnde præcipua difficultas huius articuli eſſe poterat, vtrùm ſemper teneatur homo propriam vitam corporalem exponere pro ſalute ſpirituali proximi, de quo nos articulo præcedenti ſatis diximus.

ARTICVLVS VI.

Vtrum vnus proximus ſit magis diligendus, quàm alius.

AD SEXTVM ſic proceditũ. Videtur quòd vnus proximus nõ ſit magis diligendus, quàm alius. Dicit enim * Auguſtinus in primo de doct. Chriſt. Omnes homines æquè diligẽdi ſunt. Sed cum omnibus prodeſſe non poſsis, his potiſsimum conſulendum eſt, qui pro locorum & temporum, vel quarũlibet rerum opportunitatibus conſtrictius tibi, quaſi quadam ſorte iunguntur. Ergo proximorum vnus non eſt magis diligendus, quàm alius.

3.d.29.art. 6.& 7 art.4. 2.art.9. Li.1.ca.28. in prin'to.3.

2 ¶ Præterea, Vbi vna & eadem eſt ratio diligendi diuerſos, nõ debet eſſe inæqualis dilectio. Sed vna eſt ratio diligẽdi omnes proximos, ſcilicet Deus: vt

Li.1.ca.28. in prin.to.3. vt patet per Auguſtin. * in primo de doct. Chriſt. Ergo omnes proximos æqualiter diligere debemus.

3 ¶ Præterea, Amare eſt velle bonũ alicui, vt patet per Philoſophum * in ſecũdo Rhetoricæ. Sed omnibus proximis æquale bonum volumus, ſcilicet vitam æternam. Ergo omnes proximos æqualiter debemus diligere. Lib.2. Rhetor. cap. 4. in prin. to.6

¶ SED CONTRA eſt, quòd tanto vnuſquiſq; magis debet diligi, quanto grauius peccat, qui contra eius dilectionẽ operatur. Sed grauius peccat, qui agit contra dilectionẽ aliquorum proximorum, quàm qui agit contra dilectionem aliquorum aliorum, Vnde Leuit. 20. præcipitur, quòd qui maledixerit patri, aut matri morte moriatur: quod non præcipitur de ijs, qui alios homines maledicũt. Ergo quoſdam proximorum debemus magis diligere, quàm alios.

¶ RESPONDEO dicẽdum, quòd duplex opinio circa hoc fuit. Quidam enim dixerunt, quòd omnes proximi, ſunt æqualiter ex charitate diligendi, quãtum ad affectum, ſed nõ quantum ad exteriorem effectum, ponentes ordinem dilectionis eſſe intelligendum ſecũdum exteriora beneficia, quæ magis debemus impendere proximis, q̃ alienis, non autem ſecundum interiorem affectum, quem æqualiter debemus impendere omnibus, etiam inimicis. Sed hoc irrationabiliter dicitur. Non enim minus eſt ordinatus affectus charitatis, qui eſt inclinatio gratię quàm appetitus naturalis, qui eſt inclinatio naturæ. Vtraq; enim inclinatio ex diuina ſapientia procedit. Videmus autem in naturalibus, quòd inclinatio naturalis proportionatur actui, vel motui, qui cõuenit naturæ vniuſcuiuſque: ſicut terra habet maiorem inclinationem grauitatis, quàm aqua: quia competit ei eſſe ſub aqua. Oportet ergo, quòd etiam inclinatio gratiæ, quæ eſt affectus charitatis, proportionetur ijs, quæ ſunt exterius agenda: ita ſcilicet vt ad eos intenſiorẽ charitatis affectum habeamus, quibus conuenit nos magis beneficos eſſe. Et ideo dicẽdum eſt, quòd etiam ſecundum affectum oportet magis vnũ proximorũ, quàm alium diligere. Et ratio eſt, quia cum principium dilectionis ſit Deus, & ipſe diligens: neceſſe eſt, quòd ſecũdum propinquitatem maiorem ad alterum iſtorum principiorum maior ſit dilectionis affectus. Sicut enim ſuprà * dictum eſt in omnibus, in quibus inuenitur aliquod principium, ordo attenditur ſecũdum comparationem ad illud principium. Ar.1. huius quæſtio.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd dilectio poteſt eſſe inæqualis dupliciter. Vno modo ex parte eius boni quod amico optamus: & quantum ad hoc omnes hõmines æquè diligimus ex charitate: quia omnibus optamus bonũ idem in genere, ſcilicet, beatitudinem æternam. Alio modo dicitur maior dilectio propter intenſiorem actum dilectionis: & ſic non oportet omnes ęquè diligere.

¶ Vel aliter dicendum, quòd dilectio inæqualis poteſt ad aliquos haberi dupliciter. Vno modo ex eo, quòd quidam diliguntur, & alij nõ diliguntur. Et hanc inæqualitatem oportet ſeruare in beneficentia: quia non poſſumus omnibus prodeſſe. Sed in beneuolentia dilectionis talis inæqualitas haberi non debet. Alia verò eſt inæqualitas dilectionis ex hoc, quòd quidam plus alijs diliguntur. Auguſt. ergo non intendit hanc excludere inæqualitatẽ: ſed primam, vt patet ex ijs, quæ de beneficentia dicit.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd non omnes proximi æqualiter ſe habẽt ad Deum: ſed quidã ſunt ei propinquiores propter maiorem bonitatem, qui ſunt magis diligẽdi ex charitate, quàm alij qui ſunt ei minus propinqui.

¶ Ad tertium dicendum, quòd ratio illa

illa procedit de quantitate dilectionis ex parte boni, quod amicis optamus.

SVMMA TEXTVS.

ANtequam D.Tho.reſpondeat ad hanc difficultatem præmittit aliquorũ opinionem, qui dixerunt omnes proximos eſſe æqualiter diligendos ex charitate quantum ad affectum, non tamen quantum ad effectum exteriorem. Itaque dicebant, ꝙ ordo charitatis eſt intelligendus ſecundum exteriora beneficia, quę magis debemus impendere proximis, quam alienis, nõ autem ſecundum interiorem affectum, quẽ ęqualem debemus habere, erga omnes, etiam inimicos. Sed quod hæc ſententia ſit falſa probatur à D.Tho. hac ratione. Effectus charitatis, qui eſt inclinatio gratiæ, non debet eſſe minus ordinatus, quam effectus naturalis, qui eſt inclinatio naturæ, ſed in naturalibus videmus, quòd inclinatio naturalis proportionatur actui, vel motui, qui conuenit vnicuique rei: ergo pari ratione inclinatio gratiæ, quæ eſt effectus charitatis, proportionabitur ijs, quæ ſunt externus agenda: atque ex conſequenti ex inclinatione charitatis inteſiorem effectum habebimus erga illos, circa quos oportet eſſe magis beneficos. Conſequentia cum maiori eſt nota, & minor probatur exemplo terræ, cui, quia debebat eſſe ſub aqua fuit collata maior grauitas, quàm aquæ. ¶ Quo circa hac ſententia omiſſa ponit D.Tho. talem concluſionẽ. Non ſolum quantũ ad effectum, ſed etiam quantum ad affectum vnus proximus eſt diligendus magis, quam alius. Probatur. Principium dilectionis eſt Deus, & ipſe diligens, ergo ſecundum maiorem, vel minorem propinquitatem ad alterum iſtorum erit vnus proximus magis, vel minus diligendus, quam alius. Probat conſequẽtiam. Nam, vt dixerat art.1. huius quæſtionis in omnibus, in quibus inuenitur aliquod principium, ſemper ordo attenditus ſecundum comparationem ad illud.

EXPLICATIO ARTICVLI.

COncluſio huius articuli eſt de fide tenẽda, & probatur ex Paulo.1.ad Timot. cap.5. dicente: Si quis ſuorum, maxime domeſticorum, curam non habet, fidem negauit, & eſt infideli deterior. Et ad Galat.6. Dum tempus habemus operemur bonũ ad omnes, maxime autem ad domeſticos fidei. Quibus in locis apertè docet faciendam eſſe diſtinctionem in dilectione proximorum. Et Leuit. cap.20. præcipit Deus, vt qui maledixerit patri, aut matri morte moriatur. Quod non præcipitur de alijs, quaſi ſignificans, magis teneri homines ad diligendum patrem, & matrem, quàm alios homines: ſiquidem certum eſt quod tantò vnuſquiſque magis debet diligi ex charitate, quantò grauius peccat qui contra eius dilectionem operatur. ¶ Opinio, quã D.Tho. in hoc articulo reprehẽdit defenditur à Durando in.3.diſt.29.quæſt.1. Sed rationes illius videbimus articulo ſequenti. Et nunc tantum eſt aduertendum, quòd quando D. Tho. dicit, nos debere habere intenſiorem dilectionem erga illos, circa quos oportet eſſe magis beneficos, loquitur de intenſione appretiatiua, & non de intenſione graduali, vt dicunt aliqui moderni.

ARTICVLVS VII.

¶ *Vtrum magis debeamus diligere meliores, quàm nobis coniunctiores.*

AD SEPTIMVM ſic proceditur. Videtur ꝙ magis debeamus diligere meliores, quàm nobis coniũctiores. Illud enim videtur eſſe magis diligẽdum, quod nulla ratione debet odio haberi, quàm illud quod aliqua ratione eſt odiendum, ſicut & albius eſt quod eſt nigro impermiſtius. Sed perſonæ nobis coniunctæ ſunt, ſecundum aliquam rationem odiendæ: ſecundum illud Lucæ.14. Si quis venit ad me, & nõ odit patrem, & matrem, &c. Homines autem boni nulla ratione ſunt odiendi. Ergo videtur, quòd meliores ſunt magis amandi, quàm coniunctiores.

2 ¶ Præterea, Secundum charitatem homo maximè Deo aſsimilatur. Sed Deus diligit magis meliorem, quàm ſibi coniunctiorem. Ergo & homo per charitatem magis debet meliorem diligere, quàm ſibi coniunctiorem.

3 ¶ Præterea, Secũdum vnamquãque amicitiam illud eſt magis amadũ, quod

quod magis pertinet ad id, ſuprà quod amicitia fundatur. Amicitia enim naturali magis diligimus eos, qui ſunt nobis magis, ſecundum naturam coniuncti, puta parentes, vel filios. Sed amicitia charitatis fundatur ſuper cõmunicatione beatitudinis, ad quam magis pertinent meliores quàm nobis coniunctiores. Ergo ex charitate magis debemus diligere meliores, quàm nobis coniunctiores.

¶SED CONTRA eſt, quòd dicitur primæ ad Timoth. 5. Si quis ſuorum, & maximè domeſticorum, curam non habet, fidem negauit, & eſt infideli deterior. Sed interior charitatis affectio debet reſpondere exteriori affectui. Ergo charitas magis debet haberi ad propinquiores, q̃ ad meliores.

¶RESPONDEO dicendũ, quòd omnis actus, oportet quòd proportionetur & obiecto & agenti. Sed ex obiecto habet ſpeciem, ex virtute autem agentis habet motum ſuæ intentionis. Sicut motus habet ſpeciem ex termino, ad quem eſt, ſed intentionem velocitatis habet ex diſpoſitione mobilis & virtute mouentis. Sic ergo dilectio ſpeciem habet ex obiecto, ſed intentionem habet ex parte ipſius diligentis. Obiectum autem charitatiuę dilectionis Deus eſt, homo autẽ diligens eſt. Diuerſitas ergo dilectionis, quæ eſt ſecundum charitatem, quantum ad ſpeciem, eſt attendenda in proximis diligendis, ſecũdum comparationem ad Deum: vt ſcilicet ei, qui eſt Deo propinquior, maius bonum ex charitate velimus: quia licet bonum, quod omnibus vult charitas, ſcilicet, beatitudo æterna, ſit vnum ſecundum ſe, habet tamen diuerſos gradus ſecundum diuerſas beatitudinis participationes. Et hoc ad charitatẽ pertinet, vt velit iuſtitiam Dei ſeruari, ſecũdum quã meliores perfectius beatitudinẽ participant. Et hoc pertinet ad ſpeciẽ dilectionis. Sunt enim diuerſæ dilectionis ſpecies, ſecũdum diuerſa bona, quæ optamus ijs, quos diligimus. Sed intenſio dilectionis eſt attendenda per comparationem ad ipſum hominem, qui diligit. Et ſecundũ hoc illos, qui ſunt ſibi propinquiores, intenſiori affectu diligit homo ad illud bonum, ad quod omnes diligit, quàm meliores ad maius bonum. Eſt etiam & ibi alia differentia attendenda. Nã aliqui proximi ſunt propinqui nobis, ſecundum naturalem originem, à qua diſcedere nõ poſſunt: quia ſecundum eam ſunt id quod ſunt. Sed bonitas virtutis, ſecundum quam aliqui appropinquant Deo, poteſt accedere, & recedere, augeri & minui: vt ex ſuprà * dictis patet. [Q. 24. art. 10. & 11.] Et ideo poſſum ex charitate velle quòd iſte, qui eſt mihi coniunctus, ſit melior alio: & ſic ad maiorem beatitudinis gradum peruenire poſſit. Eſt autem & alius modus, quo plus diligimus ex charitate magis nobis coniunctos, q̃a plurib⁹ modis eos diligimus. Ad eos enim, qui non ſunt nobis coniuncti, non habemus niſi amicitiã charitatis. Ad eos verò, qui ſunt nobis coniũcti, habemus aliquas alias amicitias ſecundum modum coniunctionis eorum ad nos. Cum autem bonum, ſuper quod fundatur quęlibet alia amicitia honeſta, ordinetur, ſicut ad finem ad bonum, ſuper quod fundatur charitas: conſequens eſt, vt charitas imperet actui cuiuſlibet alterius amicitiæ: ſicut ars, quæ eſt circa finem imperat arti, quæ eſt circa ea, quæ ſunt ad finẽ. Et ſic hoc ipſum quod eſt diligere aliquem, quia conſanguineus, vel coniunctus eſt, vel quia conciuis, vel propter quodcũque huiuſmodi aliud licitum ordinabile in finem charitatis, poteſt à charitate imperari. Et ita ex charitate eliciente cum imperante pluribus modis diligimus magis nobis coniunctos.

¶AD PRIMVM ergo dicendum, quòd in propinquis noſtris non pręcipimus

pimur odire, quòd propinqui noſtri
ſunt, ſed hoc ſolum, quod impediunt
nos à Deo. Et in hoc non ſunt propin
qui, ſed inimici: ſecundum illud Matt.
10. Inimici hominis domeſtici eius.
¶ Ad ſecundum dicendum, quòd cha
ritas facit hominem conformari Deo,
ſecundum proportionem, vt ſcilicet,
ita ſe habeat homo ad id, quod ſuū eſt,
ſicut Deus ad id, quod ſuum eſt. Quæ
dam enim poſſumus ex charitate vel-
le, quia ſunt nobis conuenientia: quæ
tamen Deus non vult, quia non cõue
1.2.q.19. nit ei, vt ea velit, ſicut ſuprà habitum
art.10. eſt, cū de bonitate voluntatis ageretur.
¶ Ad tertium dicendum, quòd chari
[illegible] tas nō ſolum elicit actum dilectionis,
[illegible] ſecundùm rationem obiecti, ſed etiam
ſecundum rationem diligentis, vt di-
In corpo. art. ctum eſt. Ex quo contingit, quòd ma
gis coniunctus magis amatur.

SVMMA TEXTVS.

DIxerat D. Thom. in fine articuli præce
dentis duplex eſſe principiū dilectio-
nis, ſcilicet, Deum & ipſum diligētem. Ex
quo intulit ſecundum maiorem, vel mino-
rem propinquitatem ad alterùm horum eſ-
ſe vnum proximum magis, vel minus dili-
gendum, quam aliū. Occaſione huius quę-
rit in præſenti quoſnam debeamus prefer-
re in dilectione, propinquiores Deo, an pro
pinquiores nobis. Et antequam reſpondeat
ad difficultatē præmittit quòd omnis actus
proportionatur obiecto, & agenti, diuerſi-
mode tamē. Nam ab obiecto habet ſpeciē,
à virtute autem agentis habet intēſionem,
vt eſt videre in motu, qui ab obiecto habet
ſpeciem, velocitatem autem habet à diſpo-
ſitione mobilis, & virtute mouentis: quod
etiam contingit in dilectione, quæ ſpeciem
habet ab obiecto, quod eſt Deus, & inten-
ſione ab ipſo operante. Hoc ſuppoſito po-
nit D. Tho. aliquot concluſiones. ℂ Prima
concluſio. Ex parte obiecti, hoc eſt, ex par-
te boni voliti magis debemus diligere ex
charitate meliores, hoc eſt, debemus, com-
placere in eo quod meliores habeant maio-
rem gratiam, & maiorem charitatem, atq;
gloriam. Probatur. Ex charitate tenemur
diligere iuſtitiam Dei, ſed iuſtitia Dei con-
ſiſtit in hoc, quod melioribus maiora bona
largiantur: ergo hoc debemus ex charitate
diligere. ℂ Secunda concluſio. Quantum
ad intenſionem magis diligit homo propin
quiores, quam meliores. Probatur. Intēſio
attenditur ex parte diligētis: ergo quo quis
fuerit propinquior diligenti intenſius dili-
getur. ℂ Tertia cōcluſio. Ex charitate poſ-
ſumus velle, quod propinquior nobis, ha-
beat maiorem gratiam, & gloriam, quam
alius melior illo. Probatur. Bonitas virtutis,
ſecundum quam aliqui appropinquant
Deo, poteſt accedere & recedere, augeri, &
minui, ergo ex hac parte poſſumus velle, vt
qui nobis ſunt coniuncti creſcant in bonita
te, & ſic ad maiorem beatitudinis gradum
perueniant. ℂ Quarta concluſio. Abſolutè
dicendū eſt, quod diligimus magis ex cha-
ritate nobis propinquiores. Probatur, quo-
niam diligimus illos pluribus modis.

EXPLICATIO ARTICVLI.

CIrca iſtum articulum eſt aduertēdum Nota 1.
primo, quòd D. Tho. in præſenti di-
uerſos gradus beatitudinis appellat diuer-
ſas ſpecies, non, quia ipſi gradus gloriæ ſpe
cie differant inter ſe, vt rectè docet Caieta-
nus in commento: nam cùm habeant vnū,
& idem obiectū nulla ratione fieri poteſt,
vt ſint ſpecie diſtincti: ſed vocatur illa di-
uerſitas graduum ſpecifica, quia eſt ſimilis
ſpecificæ diſtinctioni, vt eſt videre in dile-
ctionibus diuitiarum & honoris, quæ diffe
runt inter ſeſe ſpecie, quia terminantur ad
diuerſa bona: & eodem modo illa diuerſi-
tas graduum, quia videtur terminari ad di-
uerſa obiecta ſpecie diſtincta, idcircò ipſę
beatitudines dicuntur ſpecie differre.
ℂ Secundo eſt aduertēdum, quòd in illo Nota 2.
articulo fit comparatio inter bonos extra-
neos, & propinquos non bonos, vel inter
extraneos meliores, & coniunctos minus
bonos. Et loquimur de coniunctis quacun-
que coniunctione, ſiue naturali, qualis eſt
inter conſanguineos, de qua agit D. Tho. ar
ticulo ſequenti, vel ciuili, qualis eſt inter cō
ciues, & vicinos, ſiue in eadem arte, qualis
eſt inter eos, qui ſunt eiuſdem officij. Ita-
que de his omnibus, & ſi quæ ſunt aliæ in-
telligitur quæſtio articuli.
ℂ His ſuppoſitis circa concluſiones à D. Dubium du-
Tho. poſitas duplex poteſt eſſe dubitatio. plex.
Prima eſt circa primam, & tertiam conclu-
ſionem. Nam videntur inter ſe ſe repugna-
re, ſi-

re, ſiquidem in prima dicit, quòd ex parte obiecti tenemur magis diligere meliores, & in tertia, quòd licet propinquioribus velle, vt habeãt maiorem gratiam & gloriam, quam meliores. Altera dubitatio eſt, vtrùm ſit verũ, quòd propinquioribus poſſumus velle maiorem gratiam, & gloriam, quàm alijs. Nam Durandus in.3.diſt.29.quæſt.1. partem tenet negatiuam, dicens, quòd omnibus proximis tenemur optare æqualem

1.Argum. beatitudinẽ. Quam ſuam ſententiam probat primo ex illo Pauli.1.ad Cor.13. Cha-

2.Argum. ritas non æmulatur. ❡ Secundò, quia beatitudo eſt deſiderãda hominibus ſecundum quod illius ſunt capaces, ſed omnes proximi ſunt æquè capaces beatitudinis, ergo vni nõ eſt deſideranda maior gloria, quam alteri. Et cõfirmatur, Omnes proximi ſunt creati ad imaginem Dei, ergo omnes habẽt æqualem capacitatem ad gloriam, atque ex conſequẽti omnibus eſt deſideranda æqualis beatitudo,

Nota pro explicatione vtriuſque dubij. ❡ Sed ad explicationem vtriuſq; difficultatis aduertendum eſt, quòd dupliciter poſſumus cõſiderare proximi bonum, vno modo in communi, & in generali, non deſcendendo ad aliquam perſonam in particulari, alio modo in particulari Petro, vel Paulo. Et rurſus cũ deſideramus proximis beatitudinem, ſiue in particulari, ſiue in communi, poſſumus id facere, vel nulla facta cõparatione vnius ad alium, vel comparando vnum alteri, vel plures pluribus. Et tãdem, ſiue in particulari deſideramus bonum proximi, ſiue in generali, poſſumus illud dupliciter deſiderare, vno modo abſolutè, alio modo ſuppoſita aliqua conditione.

1.Dictum. ❡ His ſuppoſitis dico primò, quòd cùm deſideramus bonum proximis in generali, nulla facta comparatione inter ipſos, tunc æqualiter ſunt amandi. Et hoc probant argumenta facta à Durando.

2.Dictum. ❡ Dico ſecundò, quod cũ proximi generaliter amantur comparando tamen meliores ad deteriores, tunc melioribus debemus deſiderare maius bonum beatitudinis. Probatur: quia, ità vult Deus, vt meliores maiori præmio afficiantur, & ex charitate tenemur nos conformare iudicio diuino. Et hoc eſt quod D. Th. voluit dicere in prima concluſione.

3.Dictum. ❡ Dico tertiò, quòd, cùm in particulari deſidero bonum alicui, ſcilicet, Petro, vel Ioanni, nulla tamen comparatione facta ad alium, tunc poſſum illi deſiderare gradum gloriæ quantumuis maximum. Probatur, quia iſte actus eſt bonus, & nulli in eo fit iniuria.

4.Dictum. ❡ Dico quartò, quòd, cũ proximus obijcitur amãdus in particulari comparatione facta ad alium, voluntate conditionata poſſumus optare, vt habeat maiorem gloriam ille, qui non eſt melior, ſcilicet, ſub hac conditione, vt fiat melior. Et hoc modò eſt intelligendus D. Tho. in.3.concluſione. Sed eſt aduertendum, quòd quamuis poſſim habere huiuſmodi deſiderium conditionale, non tamen teneor illud habere. Ex quo ſequitur, quòd poſſum deſiderare maius bonum homini extraneo, quã patri meo ſub hac conditione, ſi fiat melior, & Deo coniunctior.

Dubium. ❡ Sed dubitabit aliquis hoc loco, vtrùm huiuſmodi comparationes poſſint fieri

vltimum dictum. ad beatos. Quod eſt quærere, vtrùm poſſim deſiderare, quod meus frater conſequatur maiorem gradum gloriæ, quam D. Paulus. In quo dico vltimò, quod deſiderio conditionali poſſumus id optare, atq; deſiderare, dummodo comparatio non fiat ad illos beatos, de quibus lex lata eſt, quod nullus ſit futurus magis beatus, quam illi, vt de Beatiſſima Virgine, & de Chriſti humanitate cõmuniter credunt fideles.

Ad.1.argu. ❡ Et ad argumenta Durandi, inquantũ poſſunt noſtræ explicationi aduerſari, ad primum ex Paulo reſpondetur cum Caiet. in præſenti, quòd æmulatio propriè nõ poteſt eſſe in gratuitis, ſed vbi eſt vera ratio iuſtitię. Vnde cum ex eo, quòd ego velim maiorem gratiam vni, quam alteri, nullam alicui faciam iniuriam, manifeſtè ſequitur, quod in hac re nulla poteſt eſſe æmulatio. Vel ſecundò reſpondetur, quòd nec etiam æmulatio habet locum, quando deſiderium maioris boni fundatur ſuprà fundamentum rationabile. Vt, verbi gratia, non eſt æmulatio, quod ego velim maius bonum Petro, quam Ioanni, dato quod eſt aliqua rationabilis cauſa, quę me compellit ad hoc.

Ad.2.arg. ❡ Ad ſecundum reſpõdetur, negando maiorem. Quin potius dico, quod eſſet contra diuinã diſpoſitionem æqualem beatitudinem ſingulis deſiderare, cum Deus noluerit eã omnibus dare ſecundum capacitatem obedientialem, quam habent, ſed iuxta proximam diſpoſitionem, cum qua menſuratur, quæ in ſingulis eſt diſpar. Et eodem modo reſpondetur ad confirmationem.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm ſit magis diligẽdus ille, qui nobis eſt magis cõiunctus, ſecundum carnalem originem.

In.q.32.a.9. Et.3.d.29. a.6. Et Virt. q.2.a.9.ad.13.&.14. AD OCTAVVM ſic proceditur. Videtur, quod nõ ſit magis diligendus ille, qui eſt magis nobis coniunctus ſecundum carnalem originem, dicitur enim Prouerb. 18. Vir amicabilis ad ſocietatẽ magis erit amicus, quàm frater. Et Valerius Maximus dicit, quòd amicitiæ vinculum prævalidum eſt, nec vlla ex parte ſanguinis viribus inferius. Hoc etiam certius, & exploratius, quòd illud naſcendi ſors fortuitũ opus dedit: hoc vniuſcuiuſq; ſolido iudicio inchoata voluntas contrahit. ergo illi, qui ſunt coniuncti ſanguine, non ſunt magis diligendi quàm alij. (Li.4.c.7.in princip.)

2 ¶Præterea, Ambroſ. in. 1. de Offic. Non minus vos diligo, quos in Euangelio genui, quàm ſi in coniugio ſuſcepiſſem. Non enim vehementior eſt natura ad diligendum, quàm gratia. Plus certè diligere debemus, quos perpetuo nobis cõputamus futuros, quàm quos tantum in hoc ſeculo. Non ergo cõſanguinei ſunt magis diligendi ijs, qui ſunt aliter nobis coniuncti. (Lib.4.c.7.à med.to.1.)

3 ¶Præterea, Probatio dilectionis eſt exhibitio operis, vt Greg. dicit in Homilia. Sed quibuſdam magis debemus impendere dilectionis opera, quàm etiam conſanguineis: ſicut magis eſt obediendum in exercitu duci, quàm patri. Ergo illi, qui ſunt ſanguine coniuncti, non ſunt maximè diligendi. (Homi.30.in Euan.non remotè à prin.)

¶SED CONTRA eſt, quòd ſpecialiter in præceptis Decalogi mandatur de honoratione parentum, vt patet Exo. 20. Ergo illi, qui ſunt nobis cõiuncti, ſecundum carnis originem, ſunt à nobis ſpecialius diligendi.

¶RESPONDEO dicendum, quòd ſicut dictum eſt, illi, qui ſunt nobis magis coniuncti, ſunt ex charitate magis diligendi: tum quia intenſius diliguntur: tum etiam quia pluribus rationibus diliguntur. Intenſio autem dilectionis eſt ex cõiunctione dilecti ad diligentem, & ideo diuerſorum dilectio eſt menſuranda ſecundum diuerſam rationem cõiunctionis, vt ſcilicet vnuſquiſq; diligatur magis in eo quod pertinet ad illam coniunctionem, ſecundum quam diligitur. Et vlterius comparanda eſt dilectio dilectioni, ſecundum cõparationem cõiunctionis ad coniunctionem. Sic ergo dicẽdum eſt, ꝙ amicitia conſanguineorum fundatur in coniunctione naturalis originis. Amicitia autem cõciuium in communione ciuili, & amicitia commilitantium in communicatione bellica. Et ideo in his, quæ pertinent ad naturam, plus debemus diligere cõſanguineos. In his autem quæ pertinent ad ciuilem conuerſationem, plus debemus diligere conciues, & in bellicis, plus commilitones. Vnde & Philoſophus dicit in. 9. Eth. quòd ſingulis propria, & cõgruentia ſunt attribuenda. Sic autem facere videtur quidam, quia ad nuptias vocãt cognatos: videbitur vtiq; & nutrimẽtũ parentibus oportere maximè ſufficere, & honorem parẽtum, & ſimile eſt etiam in alijs. Si aũt comparemus etiã coniunctionẽ ad coniunctionem, conſtat, quòd coniunctio naturalis originis eſt prior & immobilior, quia eſt ſecundum id, quod pertinet ad ſubſtantiam: aliæ autem coniunctiones ſunt ſuperuenientes, & remoueri poſſunt. Et ideo amicitia conſanguineorum eſt ſtabilior, ſed aliæ amicitiæ poſſunt eſſe potiores ſecundum illud, quod eſt proprium vnicuiq; amicitiæ. (Art.præced.) (Li.9.c.2.in 5.)

¶AD PRIMVM ergo dicendum, quod quia amicitia ſociorũ propria electiõe cõtrahitur in ijs, quæ ſub noſtra electione cadunt, puta in agendis: prępõderat hęc dilectio dilectioni conſanguineorum, vt, ſcilicet, magis cum illis cõſentiamus in agendis: Amicitia

citia tamen conſanguineorum eſt ſtabilior, vt pote naturalior exiſtens, & præualet in iis, quæ ad naturam ſpectant. Vnde magis eis tenemur in prouiſione neceſſariorum.

¶ Ad ſecundum dicendum, ꝙ Ambr. loquitur de dilectione quantum ad beneficia, quæ pertinent ad communicationem gratiæ, ſcilicet de inſtructione morum. In hac enim magis debet homo ſubuenire filijs ſpiritualibus, quos ſpiritualiter genuit, quàm filijs corporalibus, quibus tenetur magis prouidere in corporalibus ſubſidijs.

¶ Ad tertium dicendum, ꝙ ex hoc, ꝙ duci exercitus magis obeditur in bello, quàm patri, non probatur ꝙ ſimpliciter pater minus diligatur: ſed quòd minus diligitur, ſecundum quid, id eſt ſecundum dilectionem bellicæ communicationis.

SVMMA TEXTVS.

ANtequam D. Tho. reſpondeat ad hãc difficultatem præmittit duo. Primum eſt, quòd omnis dilectio fundatur quodam modo in aliqua coniunctione: ex quo infertur, quòd dilectio inter diuerſos eſt attendenda, & menſuranda ſecundum illam coniunctionem. Secundum, quòd debemus ad inuicem conſiderare ipſas cõiunctiones, & ſecundum vnamquanq; illarum magis diligere magis coniunctos. ℭ His ſuppoſitis ſit prima concluſio. In his, quæ pertinent ad naturam plus debemus diligere conſanguineos, quàm alios. Probatur. Amicitia conſanguineorum fundatur in cõiunctiõne naturalis originis, quæ illis rebus, quæ pertinẽt ad naturam, vt pote victu atq; veſtitu, maximè conſeruatur: ergo in his, quæ pertinent ad naturam plus debemus diligere conſanguineos, quàm alios. ℭ Secunda concluſio. In his, quæ pertinent ad ciuilem conuerſationẽ, plus debemus diligere cõciues, & in rebus bellicis commilitones. Hæc concluſio probatur eadem ratione, qua & ſuperior. ℭ Tertia cõcluſio. Amicitia inter conſanguineos eſt ſtabilior, & diuturnior ex natura rei, ſed aliæ poſſunt eſſe potiores, & perfectiores ſecundũ id, quod eſt propriũ vnicuiq; amicitiæ, hoc eſt, ſecundum illud ratione cuius amicitia cõciliatur. Probatur. Amicitia cõſanguineorum fundatur ſupra ſubſtantiam, aliæ verò amicitiæ fundantur ſupra accidẽs: ſed ſubſtantia eſt diuturnior, & firmior accidenti, ergo & amicitia, quæ ſupra illam fundatur. Ex dictis infertur, ꝙ condiſcipulus in re literaria debet præferre condiſcipulum fratri, & monachus monachum in re monachali, ſecus autem in re naturali: quia pro ratione cõiunctionis eſt habenda ratio, & menſura dilectionis.

EXPLICATIO ARTICVLI.

DE materia huius articuli eſt videndus Ariſt. 9. Ethic. c. 9. vſq; . 12. incluſiuè, & c. 2. eiuſdem libr. Ad cuius explicationẽ primò videndum eſt, quinam ſint cenſendi conſanguinei. Nam ſi cõſanguinei ſunt omnes, qui ab vno principio originem ducunt, omnes homines erunt conſanguinei. *Qui ſint conſanguinei explicatur.*

Ad cuius rei explicationem eſt aduertendum primò, quòd cognatio ſecundum amplitudinem ſuæ ſignificationis ſuperius nomen eſt, quàm cõſanguinitas. Eſt enim cognatio triplex, ſcilicet, carnalis, ſpiritualis, & legalis. Carnalis eſt, quę nomine conſanguinitatis deſignatur, & per carnalem generationẽ deriuatur. Spiritualis verò eſt, quæ per regenerationẽ in ſacro Baptiſmatis fonte contrahitur. Et legalis, quæ per adoptionem lege acquiritur. At verò, ſi cognatio ſpecialius pro carnali accipiatur, idem eſt prorſus, quod conſanguinitas. Quamuis iuriſconſultis inter agnatos & cognatos ſic diſtinguere placuerit, vt agnatio genus ſit, cognatio verò ſpecies, leg. inter agnatos. ff. vnde legitimi. & leg. iuriſconſultus. ff. de gradibus. Ità, vt cognati non dicantur, niſi, qui per lineam maternam deſcendunt, vt auunculus, qui eſt frater matris: agnati verò appellantur quomodocunq; ad eundẽ ſanguinem pertinentes. Cæterum nos in præſenti, cognati nomine vtimur ad ſignificandum quoſcunq; conſanguineos. *1. Notabile.*

ℭ Secundò eſt aduertendum, quòd conſanguinitas, ſeu cognatio, quæ eſt quoddã naturale genus amicitiæ, diffinitur ab Ariſtotele. 3. Ethic. cap. 12. quòd ſit vinculum ad eadem ſtirpe deſcẽdentium carnali propagine contractum. Quam diffinitionem communiter recipiunt Doctores in. 4. diſt. 40. & explicatur a Magiſtro Soto eadem diſt. quæſt. vnica art. 1. *2. Notabile.*

ℭ Tertiò eſt aduertendum, quòd hæc *3. Notabile.*

Tr a amicitia

amicitia conſanguinitatis non protenditur in omnes deſcendentes ab cadē ſtirpe. Verbi gratia, nō protenditur in omnes Guzmanos, vel in omnes Aragonios. &c. Cū enim hæc amicitia fundetur in quadam ſimilitudine indiuiduali, quam pater diffundit in filium, & filius in nepotem, quæ paulatim euaneſcit, & tandem conſumitur, fieri non poteſt, vt vbi nulla ſimilitudo eſt aliqua amicitia, aut cōſanguinitas conſeruetur, vt optime docet D. Th. in. 4. d. 40.

4. *Notabile.* ¶ Quartò eſt aduertendū, ꝙ quia ſecundum rationē naturalem non poteſt aſsignari certa regula ad cognoſcendā huiuſmodi ſimilitudinem, & cōſanguinitatem, idcircò iure canonico inſtitutum eſt, vt conſanguinitas in quarto gradu incluſiuè terminetur, & in eodem nunc etiā terminatur amicitia conſanguinitatis, vt cōſtat ex. c. non debet. de conſanguinitate, & affinitate. Ex quo infertur, quod illi tantū, qui his quatuor gradibus continentur erunt dicendi cōſanguinei, alij autem ſiuè in quinto, ſiuè in ſexto gradu exiſtāt, computabuntur inter extraneos. Et de his loquitur D. Tho. in hoc art. quando quærit, vtrùm cōſanguinei ſint magis diligendi, quàm alij.

Nota. 1. circa concluſiones D. Tho. ¶ Hoc ſuppoſito circa cōcluſiones à D. Thom. poſitas in hoc articulo eſt aduertendum primò, quòd ordo charitatis in illis aſſignatus nō debet neceſſariò ſeruari, niſi in caſu extremæ neceſsitatis. Nam cum præceptum de charitate ſit affirmatiuū, ſit, vt tantum obliget in caſu neceſsitatis. Ex quo infertur, quòd quanuis pater meus ſit pauper (ſi tamen non extremè indiget) & ego habeo decē aureos poſſum illos extraneo conferre, relicto patre, citra peccatū mortale: & pari ratione licet mihi orare pro extraneis, relictis cōſanguineis citra peccatū mortale, quādo ipſi nō ſunt in extrema neceſsitate.

Nota. 2. ¶ Secundò eſt aduertēdum, quòd etiam ille ordo debet intelligi cæteris paribus, & regulariter loquendo. Nam, ſi amicus ſit in extrema neceſsitate, & etiā conſanguineus in tertio, vel in quarto gradu, quē fortè nunquā vidi, tunc licitū erit ſubuenire amico, relicto cōſanguineo, citra peccatū mortale. Imò tāta poteſt eſſe amicitia, & amicus ità bonus, vt ſit magis meritorium ſubuenire amico, quàm cōſanguineo: vera enim amicitia, vt dicit Cicero, præſtat cōſanguinitati. Et nō ſolùm amicus, verùmetiā extraneus poteſt eſſe ità religioſus, & ſtudioſus, vt ſit melius in æquali neceſsitate ſubuenire illi, quàm cōſanguineo intra tertium, aut quartum gradum.

¶ Sed dubium eſt de egregio, & intimo amico, vtrùm ſit præferendus omnibus cognatis. In qua re, vt certa ab incertis ſeparemus, dico primò certū eſſe, quòd amicus huiuſmodi poteſt anteponi vniuerſis conſanguineis, excepto parente, & filio. Ità tenet D. Tho. infra. q. 31. art. 3. ad. 1. & 3. argumentum. Et probatur ex illo Eccleſiaſ. c. 6. Amico fideli nulla eſt cōparatio, & non eſt digna pōderatio auri & argenti cōtra bonitatē fidei illius, amicus fidelis medicamentū vitæ, & immortalitatis. &c. Sed dubiū eſt de amico vitæ redēptore, qui me liberauit à certo mortis periculo, & poſuit pro me omnia bona ſua, adhuc & propriam vitam, vtrùm talis ſit præferendus patri & filio. *Dubium.*

¶ Hanc difficultatem mouet Buridanus. 9. Ethic. q. 3. & refert opinionē cuiuſdam Gerardi dicētis, ꝙ potius debeo in illo caſu ſubuenire redēptori, quàm patri. Quam ſententiam nititur probare hoc argumēto. Ratio, propter quā pater eſt præferendus alijs eſt, quia ei debeo propriam vitam, ſed eandem multò melius & pluribus rationibus debeo redēptori: ergo redemptor vitæ præferendus eſt proprio parenti. Conſequentia cum maiori eſt nota, & minor probatur. Primò, quia pater quando genuit nullum paſſus eſt periculū, nec fecit aliquam iacturam ſui pro me, at verò redēptor omnia ſua & propriam vitam expoſuit periculo, ergo ex hac parte potius debeo redēptori, quàm patri. Item pater quando genuit nullam habuit rationem mihi potius, quàm alteri benefaciendi, ignorabat enim quem eſſet geniturus: at verò vitæ redemptor habuit hāc rationē, quòd ſciens, & prudens voluit mihi propriā vitam cōſeruare: ergo quantum ad hoc magis teneor illi, quàm patri. *Opinio. Gerardi.* *Argum.*

¶ His tamē non obſtātibus dico primò, quòd per ſe loquēdo in extrema neceſsitate magis teneor ſubuenire parenti, quàm redemptori vitæ. Hanc ſententiam tenet Buridanus loco citato: & videtur eſſe D. Tho. infra. q. 31. art. 3. ad. 3. Nam dicit, quòd in rependendis beneficijs parentes ſunt omnibus præferendi poſt Deum: & idem dicit ad quartum. Et probatur ex Ariſtotele. 9. Ethic. c. 2. dicente, honeſtius eſſe redimere parentem, & ſubuenire illi, quàm ſibi ipſi. Et ratio eſt manifeſta, quia plus eſt dediſſe vitam, quam illam poſtea augere: ſed pater dedit vitam, redemptor autem ſolùm conſerua- *1. Concluſio.*

ſeruauit: ergo plus debeo patri, quàm amico redemptori. Conſequentia cum minori eſt nota, & maior probatur. Peius eſt nunquam vixiſſe per ſe loquẽdo, quàm parum vixiſſe: ergo melius eſt vixiſſe, & eſſe principiũ vitæ, quam eſſe principiũ ſolum augmenti. Item boni parentes multa, ac grauia inconuenientia patiuntur in ſucceſſu vitæ propriorum filiorum, & præterea ſemper ſunt parati exponere vitam in extrema neceſsitate pro ſalute filiorum, vt conſtat experientia: ergo nõ ſolum quantum ad vitæ principium, ſed etiam quantum ad illius conſeruationem, per ſe loquendo magis tenemur illis, quam redemptori. Dixi, per ſe loquendo: quia poſſet dari caſus, in quo potius deberem ſubuenire redemptori vitæ, quàm patri. Et caſus eſt quando pater nec quantum ad nutritionem, nec quantum ad rectam inſtitutionem curam habuit filiorum: ſed ſolum redemptor fuit, qui eis in his omnibus prouidit: tunc licitum eſſet ſibi, potius redemptori, quàm patri ſubuenire.

2. *Concluſio.* ¶ Dico ſecundò, quòd, ſi fiat comparatio inter amicum redemptorem, & filium, ambobus in extrema neceſsitate exiſtentibus, pro libito poſſet vnuſquiſque huic, vel illi ſubuenire. Ita tenent Victoria, atque Cano. Et ratio eſt, quia vtraque pars ſuos habet aſſertores, & ſua fundamenta, quibus innitatur. Et pro amico eſt magnũ argumentum: nam poſſum pro illo exponere vitam propriam: ergo & vitam filij. Probo conſequentiam: nam filius ſemper reputatur aliquid patris, & idem iudicium eſt de filio & de patre. Item, Cuncta, quæ homo habet debet dare pro anima ſua, iuxta illud: Quam commutationem dabit homo pro anima ſua? ſed amicus dedit vitam, ergo cuncta illi debentur, etiam filij, atque ex conſequenti eſt præferendus illis. Pro alia parte eſt nõ minus argumentum: nam magis teneor ſubuenire filio, quàm patri, iuxta illud. 2. ad Corin. 12. Non debent filij theſaurizare parentibus, ſed parentes filijs. Quibus verbis ſignificat Paulus, filios debere parentibus ſubiectionem tanquã principio, & parentes filijs amorem, & prouidentiam: ſed ſic eſt, quod tenemur magis ſubuenire parentibus, quàm amico redemptori, vt ſtatim dicebam: ergo a fortiori magis tenebimur ſubuenire filio quã amico. Nonnulli dicunt, quod in extrema neceſsitate magis tenemur ſubuenire parenti, quã filio propter debitum indiſſolubile, quo filij aſtringuntur erga parentes, licet regulariter loquendo prouidentia debeat eſſe ad filios. Sed Soto dicebat eſſe problema: vnde cùm in ęquilibrio res iſta ſit, licitum erit vnicuique cuicunque voluerit ſubuenire. Extra hos caſus præferendi ſunt pater & filius omnibus amicis, & ille amicus redemptor erit præferendus cæteris conſanguineis, quamuis regulariter loquendo conſanguinei ſunt præferẽdi communibus amicis.

¶ Et ad argumentum Gerardi reſpondetur conceſſa maiori, negando minorem. Et ad omnes probationes dico, quòd etiam pater ſi eſt bonus, eſt ſemper paratus exponere vitam, & bona ſua pro filijs in extrema neceſsitate exiſtentibus. Et ſic nullam vim habet argumentum. *Ad argum. Gerardi.*

¶ Circa ſecundam concluſionem in qua D. Thom. dicit, quòd ſecũdum alium ordinẽ magis tenemur diligere alios, quàm conſanguineos, vt, verbi gratia, in ſpiritualibus magis debeo diligere religioſos, quã cõſanguineos: & ratio eſt quia ſecundum ordinem ſpiritualem religioſi ſunt magis coniuncti, eſt grauis difficultas, vtrùm religioſus ſecundum vitam ſpiritualem magis teneatur diligere alium religioſum ſui ordinis, quàm proprium parẽtem. Verbi gratia, pater meus indiget conſilio, quia eſt in peccato mortali, & ſcio, quòd mea præſentia liberabitur ab illo: & ex alia parte vulgaris religioſus mei ordinis eſt in eadem neceſsitate, & ſcio ſimiliter, quòd mea præſentia liberabitur: dubium eſt, cui iſtorum potius debebam ſubuenire. Et quod potius debeam ſubuenire religioſo, probatur ex ſententia D. Thomæ in hoc articulo, qui generaliter loquitur, & præcipuè in ſolutione ad ſecundum. Vbi ex ſententia D. Ambroſij dicit, In ijs, quæ pertinent ad bonos mores potius debeo ſubuenire filijs, quos in Chriſto genui, quàm filijs carnalibus. *Dubium.*

¶ Sed pro explicatione huius difficultatis eſt aduertẽdum, quòd quemadmodum in cognatione carnali exiſtunt gradus, ſecundum quos alij alijs ſunt mihi cõiunctiores, ità etiam in cognatione ſpirituali, non omnes æqualiter ſunt coniuncti. Sed, verbi gratia, in religione maior affinitas eſt cum Prouinciali, quàm cum Priore, & adhuc maior coniunctio eſt cum fratribus eiuſdem conuentus, quàm cum alijs alterius conuentus: & præterea maior cognatio ſpiritualis eſt mihi cum ijs, quos ſuſcepi in- *Nota pro explicatiõe difficultatis*

ſtruendos in ſpiritualibus, quàm cum illis, cum quibus ſola ſocietate eiuſdem inſtituti coniungor.

1. Dictum. ¶ Hoc ſuppoſito dico primò, quòd ſi omnia ſint paria, potiùs debeo fauere cognatis ſpiritualibus, quàm carnalibus. Verbi gratia, conſtitutis in æquali neceſsitate ſpirituali, filio ſpirituali meo, & filio carnali, aut fratre, magis teneor ſubuenire filio ſpirituali ex officio propter rationem D. Thom.

2. Dictum. ¶ Dico ſecundò, quòd ſi iſta non ſunt paria habenda erit ratio diſparitatis, & neceſsitatis, & aliarum circunſtantiarum, & ſecundum illas ex iudicio prudentis viri determinandum. Vnde in caſu poſito in principio dubitationis potiùs ſubueniendum erit patri, quàm religioſo vulgari. Secus autem eſſet, ſi pater ſimul cum Prouinciali, aut Priore meo eſſent in ęquali neceſsitate: tūc enim potiùs ſuccurrēdum eſſet Priori, aut Prouinciali in ſpiritualibus, quàm patri naturali. Sed quantum ad temporalia ambobus extremè indigentibus magis teneor ſubuenire patri. Et ad D. Thom. vt reſpondeamus, ſupponendum eſt, quòd quemadmodum quando facimus comparationem inter duas virtutes debemus comparare totam virtutem ad totam, vel præſtantiſsimum actum vnius ad præſtantiſsimum alterius, alioqui virtus, quæ ſecundum ſe eſt præſtantior altera, videretur imperfectior illa, facta duntaxat comparatione inter præſtantiſsimum actum vnius, & infimum alterius: ità etiam in præſenti, quando facimus comparationem inter cognatos naturales, & ſpirituales reſpectu alicuius ſubſidij ſpiritualis debiti, debemus comparare magis propinquos vnius generis ad magis propinquos alterius. Et ſecundum iſtam rationem verum eſt, quod in ſpiritualibus propinqui ſpirituales ſunt præferendi carnalibus: non obſtante, quòd facta comparatione inter patrem, qui eſt ſupremus inter conſanguineos ad vulgatem religioſum, qui eſt infimus inter propinquos ſpirituales, potius tenear ſubuenire patri, ad modum iam explicatum.

ARTICVLVS IX.

¶ Vtrùm Homo ex charitate magis debeat diligere filium, quàm patrem.

AD NONVM ſic proceditur. Videtur, quòd homo ex charitate magis debeat diligere filiū, quàm patrem. Illum enim magis debemus diligere, cui magis debemus benefacere. Sed magis debemus benefacere filijs, quàm parentibus. Dicit enim Apoſtolus ſecundæ ad Corint. 12. Non debent filij theſaurizare parentibus, ſed parentes filijs. Ergo magis ſunt diligendi filij, quàm parentes. 3. Diſt. 29. a. 7. & ver. q. 4. 9. ad. 18. & Epheſ. 5. lec. 10.

2 ¶ Præterea, Gratia perficit naturam. Sed naturaliter parentes plus diligunt filios, quàm ab eis diligantur, vt Philoſophus * dicit in. 8. Ethicorum. Ergo magis debemus diligere filios, quàm parentes. Lib. 8. c. 12. parū à prin. tomo. 5.

3 ¶ Præterea, Per charitatem affectus hominis Deo conformatur. Sed Deus magis diligit filios, quàm diligatur ab eis. Ergo etiam & nos magis debemus diligere filios, quàm parentes.

¶ SED CONTRA eſt, quòd Ambroſius * dicit, Primò Deus diligendus eſt: ſecundò parentes: deinde filij: poſt domeſtici. Refertur. 3. ſent d. 29. in litera.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd, ſicut ſupra dictum * eſt, gradus dilectionis ex duobus penſari poteſt. Ar. 4. ad. 1. & art. 7. Vno modo ex parte obiecti. Et ſecundum hoc, id quod habet maiorem rationem boni, eſt magis diligendum, & quod eſt Deo ſimilius. Et ſic pater eſt magis diligendus, quàm filius: quia ſcilicet patrem diligimus ſub ratione principij, quod habet rationem eminentioris boni, & Deo ſimilioris. Alio modo computatur gradus dilectionis ex parte ipſius diligentis, & ſic magis diligitur quod eſt coniunctius. Et ſecundum hoc filius eſt magis diligendus, quàm pater, vt Philoſophus dicit in octauo * Ethicor. Primò quidem, quia parentes diligūt filios, vt aliquid ſui exiſtentes. Liber. 8. c. 12. tomo. 2. Pater autem non eſt aliquid filij. Et ideo dilectio, ſecundum quam pater diligit filium, ſimilior eſt

dile

dilectionis ex parte ipſius diligentis, & ſic magis diligitur quod eſt coniunctius. Et ſecundum hoc filius eſt magis diligendus, quàm pater, vt Philoſophus dicit in octauo *Ethicorum. Primo quidem, quia parentes diligunt filios, vt aliquid ſui exiſtentes. Pater autem non eſt aliquid filij. Et ideo dilectio, ſecundum quam pater diligit filium, ſimilior eſt dilectioni, qua quis diligit ſeipſum. Secundò, quia parentes magis ſciunt aliquos eſſe ſuos filios quàm econuerſo. Tertiò, quia filius eſt magis propinquus parenti, vt potè pars exiſtens, q̃ pater filio, ad quem habet habitudinem principij. Quartò, quia parentes diutius amauerunt. Nam ſtatim pater incipit diligere filium, filius autem tempore procedente incipit diligere patrem. Dilectio autem quantò eſt diuturnior, tantò eſt fortior: ſecundum illud Eccleſ. nono, Non derelinquas amicum antiquum: nouus enim non erit ſimilis illi.

Lib. 8. c. 12. to. 2.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd principio debetur ſubiectio, reuerentia, & honor: effectui autem proportionaliter competit recipere influentiam principij, & prouiſionem ipſius. Et propter hoc parentibus à filijs magis debetur honor: filijs autem magis debetur cura prouiſionis.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd pater naturaliter plus diligit filium, ſecundum rationem coniunctionis ad ſeipſum. Sed ſecundum rationem eminentioris boni filius naturaliter plus diligit patrem.

¶ Ad tertium dicendum, quòd ſicut Auguſtinus dicit *in primo de Doctri. Chriſtiana. Deus diligit nos ad vtilitatem noſtram, & ſuum honorem. Et ideo quia pater comparatur ad nos in habitudine principij, ſicut & Deus, ad patrem propriè pertinet, vt ei à filijs honor impendatur, ad filium autem, vt eius vtilitati à parentibus prouideatur: quamuis in articulo neceſsitatis filius obligatus ſit ex beneficijs ſuſceptis vt parentibus maximè prouideat.

Lib. 1. c. 32. in prin. to. 3.

SVMMA TEXTVS.

SVppoſito, quòd gradus dilectionis poſſunt conſiderari, vel ex parte obiecti, vel ex parte diligentis, reſpondet D. Thomas ad difficultatem per duas concluſiones. ¶ Prima concluſio, Ex parte obiecti magis debemus diligere patrem, quam filium. Probatur. Id eſt magis diligendum ex parte obiecti, quod habet maiorem rationem boni: ſed maiorem rationem boni habet pater quàm filius: ergo ex parte obiecti magis eſt diligendus pater, quàm filius. Conſequentia cũ maiori eſt nota, & minor probatur. Id habet maiorẽ rationem boni, quod magis Deo aſsimilatur: ſed pater, qui habet rationem principij, magis aſsimilatur Deo, quàm filius: ergo pater habet maiorem rationem boni. ¶ Secunda concluſio, Ex parte diligentis, hoc eſt, ex parte coniunctionis, magis eſt diligendus filius, quàm pater. Hæc concluſio eſt Ariſt. 8. Ethicorum. cap. 12. Et probatur quatuor rationibus ab illo aſsignatis. Prima eſt, quia parentes diligunt filios, vt aliquid ſui: pater autem non eſt aliquid filij, vnde dilectio filij magis aſsimilatur dilectioni, qua aliquis ſeipſum diligit. Secundò, quia parentes magis ſciunt aliquos eſſe ſuos filios, quàm e contra. Tertiò, quia filius eſt magis propinquus parenti, vt potè pars illius. Quartò, quia amor, quo pater diligit filium, eſt antiquior, & dilectio quãtò diuturnior tantò, fortior.

EXPLICATIO ARTICVLI.

CIrca iſtum articulum ſolum eſt diſputandum, vtrùm ſi pater, & filius exiſtant in æquali neceſsitate potius ſit ſubueniendum patri, quàm filio. Ad quam difficultatem Buridanus. 9. Ethicor. quæſt. 3. reſpondet, quod potius debemus ſubuenire filio, quàm patri. Et ratio eſt, quia exiſtimat, quod ſimpliciter, & abſolute potius debemus diligere filium, quàm patrem. Cui etiam ſententiæ ſuffragari videtur D. Thom. quæſt. vnica. de Charitate, artic. 9. ad vltimũ, vbi dicit, quod in ſubuẽtione neceſſariorum magis debemus ſubuenire, & prouidere filio, quàm patri. Gabriel, Al-

Dubium.

Varietas opinionum.

mainus, & Diuus bonauentura in.3.diſt. 29.quæſt.5. dicunt, quod inclinatione naturali magis diliguntur filij, quam parentes, quanuis ex præcepto charitatis magis teneamur diligere parentes, quàm filios. Sed hæc ſententia eſt aperte falſa: nam, vt ſupra diximus, inclinatio naturalis non poteſt eſſe contraria ordini charitatis, nec gratia deſtruit naturam, ſed perficit.

Sententia autoris.

¶ Quocirca ad explicationem difficultatis dico primò, quòd extra caſum neceſsitatis extremæ filij ſunt præferendi parentibus. Ità tenet D. Thom. hic ad.3. Et probatur ex illo Pauli.2.ad Corint. capit.12. filij non theſaurizant parentibus, ſed parentes filijs. Et ratio eſt, nam ab ipſa natura eſt parentibus commiſſa cura de filijs: vnde non pro parentibus, ſed pro filijs primogenituræ inſtituuntur. ¶ Dico ſecundò, quòd in caſu extremæ neceſsitatis potiùs debemus ſubuenire patri, quàm filio. Hoc etiam affirmat D. Thom. in eadem ſolutione & in.3. diſt.29.quæſt.vnica.artic.7.vbi dicit, quòd charitas magis eſt ad patrem, quàm ad filium: ex quo nititur probare quod homo magis diligit patrem, quàm filium. Et probatur. Maius bonum eſt in patre, quàm in filio: ergo in caſu extremæ neceſsitatis magis teneor ſubuenire patri, quàm filio. Et confirmatur. Iniquius & turpius eſt occidere patrem, quàm occidere filium, vt omnes Doctores fatentur: ergo in extrema neceſſitate magis teneor ſubuenire patri, quàm filio. ¶ Dico tertiò, quòd ſubuenire filio in extrema neceſsitate relicto patre non eſſet peccatum mortale. Probatur. Nam, quanuis magis debeamus ex ordine charitatis ſubuenire patri, quàm filiò, non tamen eſt tam lata differētia inter illa duo, vt ſit ſufficiens conſtituere peccatum mortale. Quin potiùs dico, quòd quemadmodum ſecundum ordinem præfixum à D. Thom. & ab alijs Doctoribus, magis tenemur ſubuenire cōſanguineo in tertio gradu, quam in quarto, & tamen ſi ſubueniam ei, qui eſt in quarto, alio relicto, non eſſet peccatum mortale, propter exiguam latitudinem, quæ eſt inter illos gradus, ità etiam ſubuenire filio relicto patre, non eſſet peccatum mortale. Et idem dicendum exiſtimo de patre, & matre, quanuis ſecundum rectam rationem potius tenear diligere patrem, quàm matrem. ¶ Dico quartò, quòd in his, quæ pertinent ad honorem, etiam citra extremam neceſsitatem, debemus anteferre patrem filio. Et ratio eſt, quia cum pater habeat rationem principij, vt Deus, ratio poſtulat, vt ei à filijs honor impendatur.

Dubium de vxore. *Solutio.*

¶ Si quis autem quærat de vxore, vtrùm ſit præferenda filio in extrema neceſsitate, reſpondetur affirmatiuè. Primò propter ſummam coniūctionem, quæ eſt inter virum & vxorem, de quibus dicitur, quòd erunt duo in carne vna. Secundò, quia vxor diligitur, vt comprincipium ad filiorum procreationem, filius autem diligitur, vt effectus: & certum eſt, quod excellentioris boni rationem habet comprincipium, quàm effectus. Ex dictis infertur abſolutè loquendo, magis eſſe diligendum ex charitate patrem, q̃ filium, ſiquidem facta comparatione extremę neceſsitatis vnius, ad extremam alterius, potius debeo ſubuenire patri, quàm filio: & cōparatio, vt diximus articulo præcedenti, abſolutè debet fieri maioris ad maiorem.

ARTICVLVS X.

¶ *Vtrùm homo magis debeat diligere matrem, quàm patrem.*

3.diſt.29.articulo.7.ad.4.& .5.& Eph. 9. lect. 7.fi.

AD DECIMVM ſic proceditur. Videtur quòd homo magis debeat diligere matrē, quàm patrem. Vt enim Philoſophus * dicit in primo de generatione animalium, Fœmina in generatione dat corpus. Sed homo non habet animā à patre. ſed per creationem à Deo, vt in primo dictū * eſt. Ergo homo plus habet à matre, quàm à patre. Plus ergo debet diligere matrem, quàm patrem.

Li.2. de gener.animal. cap.4.& li. 1.c.19.&.4. q.90.arti.2. & q.18.artic.2.

2 ¶ Præterea. Magis amantem debet magis diligere. Sed mater plus diligit filium, quam pater. Dicit enim Philoſophus in. 9. * Ethic. quod matres magis ſunt amātes filiorum. Laborioſior enim eſt generatio matrum, & magis ſciūt, qui ipſarū ſint filij, q̃ patres. Ergo mater eſt magis diligenda, q̃ pater.

Li.9.c.7. in fi.et libr.8. c.12.to.5.

¶ 3 Præterea, Ei debetur maior dilectionis affectus, qui pro nobis plus laborauit, ſecundum illud Rom. vlti. Salutate Mariam, quæ multum in nobis laborauit. Sed mater plus laborat in generatione & educatione, quàm pater. Vnde dicitur Eccleſ.7. Gemi-

tum

tum matris tuæ ne obliuiſcaris. Ergo plus debet homo diligere matrem, quàm patrem.

Cap. 44. ſuper illud. ſabbatha mea ſanctificabũt, to. 5.

¶ SED CONTRA eſt, quòd* dicit Hieronym. ſuper Ezech. quòd poſt Deum omnium patrẽ, diligẽdus eſt pater. Et poſtea addidit de matre.

Lib. 8. Ethi. ca. 7. à med. to. 5.

Ex lib. 1. de Officijs. c. 7. videtur haberi poſſe, tomo. 1.

¶ RESPONDEO dicendum, quod in iſtis cõparationibus id, quod dicitur, eſt intelligendum per ſe, vt videlicet intelligatur eſſe quæſitum de parte, inquantum eſt pater, an ſit plus diligendus matre, inquantum eſt mater. Poteſt enim in omnibus huiuſmodi tanta eſſe diſtãtia virtutis & malitiæ, vt amicitia ſoluatur, vel minuatur: vt Philoſophus dicit in. 8.* Ethic. Et ideo vt Ambroſ. dicit.*, Boni domeſtici ſunt malis filijs proponendi. Sed per ſe loquendo, pater magis eſt amandus, quam mater. Amantur enim pater & mater, vt principia quædam naturalis originis. Pater autem habet excellentiorem rationem principij, quam mater: quia pater eſt principium per modum agentis mater autem, magis per modũ patiẽtis & materiæ. Et ideo per ſe loquẽdo, pater magis eſt diligẽdus.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd in generatione hominis mater miniſtrat materiam corporis informem. Formatur autem per virtutem formatiuam, quæ eſt in ſemine patris. Et quamuis huiuſmodi virtus non poſſit creare animam rationalem: diſponit tamen materiam corporalem ad huiuſmodi formæ ſuſceptionem.

¶ Ad ſecundum dicendum quod hoc pertinet ad aliam rationem dilectionis. Alia enim eſt ſpecies amicitiæ, qua diligimus amantem, & qua diligimus generantem: nunc autem loquimur de amicitia, quæ debetur patri & matri, ſecundum generationis rationem.

¶ Ad tertium patet.

SVMMA TEXTVS.

1. ANtequam D. Thom. reſpondeat ad hanc difficultatem ſupponit quoddã fundamentum valde notandum in hac materia. Fundamentum eſt, quòd huiuſmodi comparationes ſunt intelligendæ per ſe & formaliter. Itaque cum quærimus, vtrum pater ſit magis diligendus, quam mater, loquimur de patre, vt pater eſt, & de matre in quantum eſt mater. Poteſt enim aliquãdo contingere, vt in his tanta ſit diſtãtia virtutis, & malitię, vt amicitia, vel diſſoluatur, vel minuatur, vt docet Ariſt. 8. Ethi. ca. 7. In quo ſenſu dicebat D. Ambro. in libr. de officijs. c. 7. quòd boni domeſtici ſunt præferendi malis filijs. Hoc ſuppoſito eſt concluſio. Pater per ſe loquendo eſt magis diligendus, quam mater. Probatur. Vterq; diligitur, vt principium naturæ, ſed excellentius, & nobilius principium eſt pater, qui eſt principium actiuum, quam mater, quæ eſt principium paſsiuum: ergo pater, vt pater magis eſt diligendus, quam mater.

¶ In ſolutione ad ſecũdũ, ponit D. Tho. aliam concluſionem dicens, quod alijs de cauſis bene poteſt mater plus diligi, quàm pater, inquantum, ſcilicet, matres plus diligunt filios, quam parentes, vt dicit Ariſt. 9. Ethic. c. 7. & lib. 8. cap. 12. ¶ In hoc articulo nihil aliud eſt notandum, quam id, quod diximus articulo præcedenti, ſcilicet, quod dato quis ſubueniret in extrema neceſsitate matri patre relicto in eodem periculo nõ peccaret mortaliter propter exiguitatem diſtantiæ, quæ eſt inter hos gradus.

ARTICVLVS XI.

¶ *Vtrùm homo plus debeat diligere vxorem, quàm patrem & matrem.*

AD VNDECIMVM ſic proceditur. Videtur quod homo plus debeat diligere vxorẽ, quàm patrem & matrem. Nullus enim dimittit rem aliquam niſi pro re magis dilecta. Sed Gen. 2. dicitur, quod propter vxorem relinquet homo patrem & matrem. Ergo magis debet diligere vxorem, quàm patrem & matrem.

2 ¶ Præterea Apoſtolus dicit ad Epheſios quinto, quod viri debent diligere vxores ſicut ſeipſos. Sed homo debet magis diligere ſeipſum, quã parentes. Ergo etiam magis debet diligere vxo-

rem, quàm parentes.

3 ¶ Præterea. Vbi ſunt plures rationes dilectionis, ibi debet eſſe maior dilectio. Sed in amicitia, quæ eſt ad vxorẽ, ſunt plures rationes dilectionis. Dicit enim Philoſophus * in octauo Ethic. quòd in hac amicitia videtur eſſe vtile & delectabile, & propter virtutem ſi virtuoſi ſint coniuges. Ergo maior debet eſſe dilectio ad vxorem, quàm ad parentes.

Lib. 8. Ethi. cap. 12. non procul à ſi. to mo. 5.

¶ SED CONTRA eſt quod vir debet diligere vxorem ſuam ſicut carnem ſuam, vt dicitur ad Epheſ. 5. Sed corpus ſuum minus debet homo diligere, quàm proximum, vt ſupra * dictũ eſt. Inter proximos autem magis debemus parentes diligere. Ergo magis debemus diligere parentes, quàm vxorem.

Ar. 5. huius quæſt.

ℭ RESPONDEO dicẽdum, quod ſicut dictum * eſt, gradus dilectionis attendi poteſt, & ſecundum rationem boni, & ſecundum coniunctionem ad diligentem, ſecundum ergo rationem boni, quod eſt obiectum dilectionis, magis ſunt diligendi parentes, quàm vxores: quia diliguntur ſub ratione principij, & eminentioris cuiuſdam boni. Secũdum autem rationem coniunctionis magis diligẽda eſt vxor: quia vxor coniungitur viro vt vna caro exiſtens, ſecũdum illud Matthæi decimonono, Itaque iam non duo, ſed vna caro. Et ideo intenſius diligitur vxor: ſed maior reuerẽtia eſt parentibus exhibenda.

Ar. 9. huius quæſt.

¶ AD PRIMVM dicẽdum, quod non quantum ad omnia deſeritur pater & mater propter vxorem. In quibuſdam enim magis debet homo aſsiſtere parentibus, quàm vxori. Sed quãtum ad vnionem carnalis copulæ & cohabitationis, relictis omnibus parentibus, homo adhæret vxori.

¶ Ad ſecundum dicendum, quod in verbis Apoſtoli non eſt intelligẽdum, quod homo debeat diligere vxorem ſuam æqualiter ſibi ipſi. Sed quia dilectio, quam aliquis habet ad ſeipſum, eſt ratio dilectionis, quàm quis habet ad vxorem ſibi coniunctam.

¶ Ad tertium dicendum, quod etiam in amicitia paterna inueniuntur multæ rationes dilectionis, & quantum ad aliquid præpõderant rationi dilectionis, quæ habetur ad vxorem, ſecundum, ſcilicet, rationem boni, quamuis illæ præponderent ſecundum coniunctionis rationem.

¶ Ad quartum dicendum, quod illud etiam non eſt ſic intelligendum, quod ly, ſicut, importat æqualitatem, ſed ratione dilectionis. Diligit enim homo vxorem ſuã principaliter ratione carnalis coniunctionis.

SVMMA TEXTVS.

SVppoſito, ꝙ gradus dilectionis poſſunt conſiderari ex parte obiecti, & ex parte diligentis, hoc eſt ſecundum rationem boni, quod eſt obiectum dilectionis, & ſecundum coniũctionem ad ipſum diligentem, reſpondet D. Thom. ad difficultatem per duas cõcluſiones. ℭ Prima cõcluſio. Ex parte obiecti magis ſunt diligendi pater, & mater, quam propria vxor. Probatur. Pater & mater diliguntur, vt principium naturæ, quod eſt excellentius bonum, vtpote Deo magis ſimile', ergo. ℭ Secunda concluſio. Ex parte diligentis, & ſecundum coniunctionẽ ad ipſum magis eſt diligenda vxor, quam pater, aut mater. Probatur. Vxor eſt magis coniuncta viro, quàm pater, aut mater, coniungitur enim illi vt vna caro, iuxta illud Matth. 11. itaque iam non ſunt duo, ſed vna caro: ergo vxor ex parte diligentis eſt magis diligenda, quàm pater aut mater.

EXPLICATIO ARTICVLI.

LItera huius articuli eo modo eſt intelligenda, quo fuit à nobis explicata litera articuli noni, in quo de dilectione patris, & filij erat ſermo. Ex quo infero, quod extra caſum extremæ neceſsitatis magis tenemur ſubuenire proprijs vxoribus, in caſu autem extremæ neceſsitatis potius debemus ſubuenire parentibus. Nec tamen qui

huiuſmodi

huiuſmodi ordinem peruerterit peccaret mortaliter propter rationem iam aſsignatam.

Nota circa ſolutionẽ ad 4.

¶ In ſolutione ad quartũ, dicit D. Tho: quòd homo diligit propriam vxorem principaliter ratione carnalis coniũctionis. Circa qđ eſt aduertẽdum, ꝙ in illis verbis nõ denotatur finis dilectionis, ſed ſpecies vnionis cauſanti amorem. Nõ enim principale bonum, quod homo vult vxori, eſt coniunctio carnalis, quia hoc eſt bonum, vel vtile ad generandum, vel delectabile: & homo vult ei bonum honeſtum, quod eſt maius: ſed principalis ratio amoris viri ad vxorem (vt vnio eſt cauſa amoris) eſt cõiunctio carnalis, & ad hanc conſequitur quæcunque alia vnio, ſiue rerum, ſiue voluntatum.

ARTICVLVS XII.

¶ Vtrùm homo magis debeat diligere benefactorem, quàm beneficiatum.

3. diſt. 29. articulo 7. ad. 2. Et. 9. Ethic. lect. 7. Capit. 4. in prin. to. 4.

AD DVODECIMVM ſic proceditur. Videtur, quod homo magis debeat diligere beneficiatum. Dicit enim Augu. in lib. de Catechizandis rudibus, Nulla maior eſt prouocatio ad amãdum, quàm præuenire amando. Nimis enim durus eſt animus, qui dilectionem etſi non vult impendere, nolit rependere. Sed benefactores præueniunt nos in beneficio charitatis: ergo benefactores maximè debemus diligere.

2 ¶ Præterea, Tanto aliquis eſt magis diligendus, quanto grauius homo peccat, ſi ab eius dilectione deſiſtat, vel contra eum agat. Sed grauius peccat qui benefactorem non diligit, vel contra eum agit, quam ſi diligere deſinat eum, cui hactenus benefecit. ergo magis ſunt amandi benefactores, quàm hi, quibus benefacimus.

3 ¶ Præterea, Inter omnia diligenda maximè diligendus eſt Deus: & poſt eum pater. vt Hieron. * dicit. Sed iſti ſunt maximè benefactores: ergo benefactor eſt maximè diligendus.

Ezech. 44. ſuper illud, ſabbatha mea ſanctificabunt.

¶ SED CONTRA eſt, quod Philoſophus dicit in nono * Ethic. quòd benefactores magis videntur amare beneficiatos, quàm econuerſo.

Li. 9 cap. 7. tom. 5.

¶ RESPONDEO dicendum, quod ſicut ſupra dictum * eſt, aliquid diligitur magis dupliciter. Vno modo quia habet rationem excellentioris boni: alio modo ratione maioris coniunctionis. Primo quidem modo benefactor eſt magis diligendus, quia cum ſit principium boni in beneficiato, habet excellẽtioris boni rationem, ſicut & de patre dictum * eſt. Secundo autem modo magis diligimus beneficiatos, vt Philoſophus probat in . 9. * Ethic. per quatuor rationes. Primo quidem, quia beneficiatus eſt quaſi quoddam opus benefactoris. Vnde conſueuit dici de aliquo, iſte eſt factura illius. Naturale eſt autem cuilibet, vt diligat opus ſuum. Sicut videmus quod Poëtæ diligũt poëmata ſua. Et hoc ideo, quia vnumquodque diligit ſuum eſſe, & ſuum viuere: quod maximè manifeſtatur in ſuo agere. Secundo, quod vnuſquiſque naturaliter diligit illud in quo inſpicit ſuum bonum, habet quidem ergo & benefactor in beneficiato aliquod bonum, & econuerſo. Sed benefactor inſpicit in beneficiato ſuum bonnm honeſtum, & beneficiatus in benefactore ſuum bonum vtile. Bonum autem honeſtum delectabilius conſideratur, quàm bonum vtile. Tum quia eſt diuturnius, vtilitas enim cito tranſit, & delectatio memoriæ non eſt, ſicut delectatio rei præſentis. Tum etiam, quia bona honeſta magis cum delectatione recolimus, quàm vtilitates, quę nobis ab alijs euenerunt. Tertio, quia ad amantem pertinet agere: vult enim & operatur bonum amato. Ad amatum autem pertinet bonum pati. Et ideo excellentius eſt amare. Et propter hoc ad benefactorem pertinet, vt plus amet. Quarto, quia difficilius eſt beneficia impendere, quàm recipere. Ea vero, in qui-

Arti. 9. & 11. huius. q.

Artic. 9. huius quæſt.

Lib. 9. Ethi. c 7. tom. 5.

inquibus laboramus, plus diligimus, Quæ verò nobis de facili proueniunt, quodammodo contemnimus.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, ꝙ in benefactore eſt vt beneficiatus prouocetur ad ipſum amandũ. Benefactor autem diligit beneficiatũ, non quaſi prouocatus ab illo, ſed ex ipſo motus. Quod autem ex ſe eſt, potius eſt eo quod eſt per aliud.

¶ Ad ſecundum dicendum, ꝙ amor beneficiati ad benefactorem eſt magis debitus: & ideo contrarium habet rationem maioris peccati. Sed amor benefactoris ad beneficiatum eſt magis ſpõtaneus: & ideo habet maiorem promptitudinem.

¶ Ad tertium dicendum, ꝙ Deus etiã plus nos diligit, quàm nos eum diligamus: & parentes plus diligunt filios, quàm ab eis diligantur. Nec tamen oportet, quòd quoſlibet beneficiatos plus diligamus quibuſlibet benefactoribus. Benefactores enim à quibus maxima beneficia recepimus, ſcilicet, Deũ & parentes, pręferimus ijs quibus aliqua minora beneficia impendimus.

SVMMA TEXTVS.

SVppoſito ſimiliter, quod dupliciter poteſt aliquid magis diligi, ſcilicet, vel ratione excellentioris boni, vel ratione maioris coniunctionis ad ipſum diligentem reſpondet D. Thom. ad hanc difficultatem per duas propoſitiones. ℭ Prima concluſio, Ex parte obiecti magis debemus diligere benefactorem, quam beneficiatum. Probatur. Benefactor habet excellentiorẽ rationem boni reſpectu illius, cuí beneficium confertur, cũ habeat rationem principij, vt ſupra diximus de patre: ergo benefactor ex parte obiecti eſt magis diligendus, quam beneficiatus. ℭ Secunda concluſio. Ex parte coniunctionis magis diligitur beneficiatus, quam benefactor. Hanc concluſionẽ probat D. Tho. quatuor rationibus deſumptis ex Ariſt. 9. Ethic. c. 7. Prima eſt, quia beneficiatus eſt quaſi quoddã opus benefactoris, in quo ſenſu dicere conſueuimus Petrus eſt factura Pauli, & vnumquodq; naturaliter diligit ſuum opus. Secundo, quia vnuſquiſque naturaliter diligit illud, in quo inſpicit bonum ſuum, & benefactor inſpicit in beneficiato bonum ſuum. Tertio, quia ad amantem pertinet agere, vult enim & operatur bonum amico: ad amatum autem pertinet pati, & ideo ad benefactorem pertinet, vt plus amet. Quartò, quia difficilius eſt beneficia impẽdere, quàm recipere, & ea, in quibus magis laboramus magis diligimus.

EXPLICATIO ARTICVLI.

CIrca iſtum articulum eſt aduertẽdum; quod Ariſt. 9. Ethi. cap. 7. mouet hãc eandem quæſtionem & reſpõdet ad illam eodem modo, quo D. Tho. Potiſsima ratio illius eſt, quia ille, cui ego beneficia impendi, eſt quaſi res mea, vnde D. Aug. libr. 13. confeſsionum cap. 9. cõparat amorem ponderi dicẽs. Pondus meum amor meus, quocunq; feror amore feror. Et ex hoc colligit D. Tho. in ſolutione ad tertiũ, quòd Deus magis diligit nos, quam nos ipſum. De hac re videndus eſt Buridanus lib. 9. Ethic. q. 6. vbi hanc eandem quæſtionem ponit in terminis, & probat alijs rationibus ab illis, quę dantur ab Ariſt. quòd homo ex parte coniunctionis plus diligit beneficiatum, quàm benefactorem. Præterquam quod etiam, amor, quo beneficiatus diligitur, eſt nobilior, vtpote qui magis pertinet ad amicitiã, quam ille, quo diligitur benefactor, in quo plurimum concupiſcentiæ videtur eſſe admixtum. Verum tamen eſt quod ſi benefactor & beneficiatus fuerint in extrema neceſsitate magis tenebor ſubuenire benefactori, quàm beneficiato propter maiorem rationem boni, quæ apparet in illo iuxta doctrinam à D. Thoma, & a nobis traditam articulis præcedentibus. Caietanus in præſenti mouet difficultatẽ de dilectione propriæ vxoris, & filij, cuius determinatio eſt vera, vt diximus articulo nono huius quæſtionis, quamuis exemplum, quod adducit in fine dubij de triſtitia maiori, quam coniux habet de morte filij, quam de morte alterius coniugis, credo quod ſit falſum, vt conſtat experientia. *Nota.*

ARTICVLVS XIII.

ℭ *Vtrùm ordo charitatis remaneat in patria.* *3. diſt. 31. q. 2. art. 3. q. 2. & 2. Ethic. q. 2. art. 9.*

AD TERTIVMDECIMVM ſic proceditur. Videtur quod ordo chari-

charitatis non remaneat in patria. Dicit enim Aug. in lib. * de Vera religione. Perfecta charitas eſt, vt plus potiora bona, & minus minora diligamus. Sed in patria erit perfecta charitas. Ergo plus diliget aliquis meliorem, quàm vel ſeipſum, vel ſibi coniunctum.

Cap. 48. pro cul à princ. tom. 1.

2 ¶ Præterea, Ille magis amatur, cui maius bonum volumus. Sed quilibet in patria exiſtens vult maius bonum ei, qui plus bonum habet, alioquin voluntas eius non per omnia diuinæ voluntati conformaretur. Ibi autem plus bonum habet, qui melior eſt. Ergo in patria quilibet magis diliget meliorem: & ita magis aliū quàm ſeipſum, & extraneum, quàm propinquum.

3 ¶ Præterea, Tota ratio dilectionis in patria Deus erit. tunc enim implebitur quod dicitur primæ ad Corinth. 15. Vt ſit Deus omnia in omnibus. Ergo magis diligitur, qui eſt Deo propinquior: & ita aliquis magis diliget meliorē, quàm ſeipſum, & extraneū, quam coniunctum.

¶ SED CONTRA eſt, quod natura non tollitur per gloriam, ſed perficitur. Ordo autem charitatis ſupra* poſitus, ex ipſa natura procedit: omnia autem naturaliter plus ſe quam alia amant. Ergo iſte ordo charitatis remanebit in patria.

Arti. 4. & 5. huius.

¶ RESPONDEO dicendum, quod neceſſe eſt ordinem charitatis remanere in patria, quantum ad hoc quòd Deus eſt ſuper omnia diligendus. Hoc enim ſimpliciter erit tunc, quando homo perfectè eo fruetur. Sed de ordine ſuiipſius ad alios, diſtinguendum videtur, quia ſicut ſupra * dictum eſt, dilectionis gradus diſtingui poteſt, vel ſecundum differentiam boni, quod quis alij exoptat, vel ſecundum intentionem dilectionis. Primo quidem modo plus diliget meliores, quàm ſeipſum, minus verò minus bonus. Volet enim quilibet beatus vnumquenque habere quod ſibi debetur, ſecundum diuinam iuſtitiam propter perfectam conformitatē voluntatis humanæ ad diuinam. Nec tunc erit tempus proficiendi per meritum ad maius præmium: ſicut nunc accidit, quando poteſt homo meliorem & virtutem & præmium deſiderare. Sed tunc voluntas vniuſcuiuſque infra hoc ſiſtet, quòd eſt determinatum diuinitus. Secundo verò modo aliquis plus ſeipſum diliget, quàm proximum etiam meliorem: quia intenſio actus dilectionis prouenit ex parte ſubiecti diligentis, vt ſupra * dictū eſt. Et ad hoc etiam donū charitatis vnicuique confertur à Deo, vt primo quidem mentem ſuam in Deum ordinet, quod pertinet ad dilectionē ſuiipſius. Secundario vero ordinem aliorum in Deum velit, vel etiam operetur ſecundum ſuum modum. Sed quantum ad ordinem proximorum adinuicē ſimpliciter quis magis diliget meliorem ſecundum charitatis amorem. Tota enim vita beata conſiſtit in ordinatione mentis ad Deū. Vnde totus ordo dilectionis beatorum obſeruabitur per comparationem ad Deum: vt ſcilicet ille magis diligatur & propinquior ſibi habeatur ab vnoquoque, qui eſt Deo propinquior. Ceſſabit enim tunc prouiſio: quæ eſt in præſenti vita neceſſaria, quâ neceſſe eſt, vt vnuſquiſque magis ſibi coniuncto, ſecundum quamcunque neceſſitudinem prouideat magis, quā alieno, ratione cuius in hac vita ex ipſa inclinatione charitatis homo plus diligit magis ſibi cōiunctum, cui magis debet impendere charitatis effectum. Continget tamen in patria quod aliquis ſibi coniūctum pluribus modis diliget. Non enim ceſſabunt ab animo beati honeſtæ dilectionis cauſæ, tamen omnibus iſtis rationibus præfertur incomparabiliter ratio dilectionis, quæ ſumitur ex propinquitate ad Deum.

Artic. 7. & 9. huius. q.

Arti. 7. & 9. huius. q.

¶ AD

¶AD PRIMVM ergo dicendum, quod quantum ad coniunctos ſibi, ratio illa concedenda eſt. Sed quantum ad ſeipſum oportet, quod aliquis plus ſe, quàm alios diligat, tãto magis, quanto perfectior eſt charitas: quia perfectio charitatis ordinat hominem perfectè in Deum, quod pertinet ad dilectionem ſuijpſius, vt dictũ * eſt. *In corp. arti.*

¶ Ad ſecundũ dicendum, quod ratio illa procedit de ordine dilectionis ſecundum gradum boni, quod aliquis vult amato.

¶ Ad tertium dicendum quòd vnicuique erit Deus tota ratio diligendi, eo quòd Deus eſt totiũ hominis bonum. Dato enim per impoſsibile, quod De⁹ non eſſet hominis bonum, non eſſet ei ratio diligendi. Et ideo in ordine dilectionis oportet, quod poſt Deum homo maximè diligat ſeipſum.

SVMMA TEXTVS.

AD hanc difficultatem reſpondet Diuus Thom. per aliquot concluſiones. ¶Prima concluſio. Quantum ad dilectionẽ Dei ſuper omnia ordo charitatis manet in patria. Itaq;, quemadmodum nunc diligimus Deum ſuper omnia, ità & in patria. Hæc concluſio eſt adeò manifeſta, vt nõ indigeat probatione. ¶ Secunda concluſio. Quantum ad obiectum ordo charitatis manebit in patria, ita, vt maiorem gloriam velimus alijs, ſi fuerint meliores. Probatur. Ordo charitatis inclinat ad hoc, vt diuinã iuſtitiam diligamus: ſed ſecundum diuinã iuſtitiam in patria maior gloria conferetur meliori, nec erit tũc tempus proficiendi per meritum, vt ad maius præmium perueniamus, vt ex hac parte poſsimus, aut nobis, aut alteri deſiderare maiorem gratiã & gloriam: ergo ex parte obiecti maior gloria deſiderabitur illis, qui fuerint meliores. ¶Tertia concluſio. Ex parte ſubiecti, quãtum ad intenſionem ità manebit ordo charitatis in patria, vt quilibet beatus magis appreciabit propriã beatitudinem, quàm beatitudinem omnium aliorum. Probatur. Intenſio oritur ex coniũctione: ſed vnuſquiſq; beatus eſt ſibi magis cõiunctus, quàm oẽs alij: ergo quantũ ad intẽſionẽ magis diligit propriã beatitudinem q̃ beatitudinẽ aliorũ. Et cõfirmatur. Donum charitatis cõfertur vnicuiq;, primo, vt ordinet mentem ſuam in Deũ, hoc eſt, vt primariò rectificet illa, quæ pertinent ad propriam dilectionem, & ſecundariò illa, quæ pertinet ad dilectionem aliorum: ergo magis inclinat ad diligẽdam propriam beatitudinem, quam beatitudinem aliorum. ¶Quarta cõcluſio. In patria non ſolum ex parte obiecti, quantũ ad maius bonũ, ſed etiam ex parte ſubiecti, quantũ ad intenſionem diligit magis homo meliores atq; ſanctiores. Itaq;, me excluſo, verbi gratia, magis diligam intenſiue & appreciatiue D. Petrum, quam meum parẽtem, aut meum prælatum. Probatur. Tota ratio diligendi in patria erit Deus: ergo quo magis quiſque fuerit coniunctus Deo magis diligetur ex charitate. Conſequentia eſt nota, & antecedens probatur. In patria ceſſabit prouiſio, quę in præſenti vita eſt neceſſaria, & ſecundũ quam neceſſe eſt, vt vnuſquiſq; magis ſibi coniuncto quam alieno prouideat: ergo in patria tota ratio diligendi erit ſumenda ex coniũctione ad Deum. ¶Vltima cõcluſio. Continget in patria, vt aliquis ſibi coniunctum plurimis modis diligat, ſed ratio dilectionis, quæ ſumitur ex propinquitate ad Deum erit longe perfectior. Probatur: nam in patria non ceſſabũt ab animo beati honeſtæ cauſæ dilectionis.

EXPLICATIO ARTICVLI.

CIrca tertiam concluſionem, & eius rationem eſt aduertendum, q̃ D. Tho. probat beatum in patria plus diligere intenſiuè ſeipſum, quam alium hominem beatiorem, non ſolum ex parte ſubiecti, quia, ſcilicet, intenſio ſumitur ex coniunctione ad ſubiectum, & nullus poteſt eſſe alteri magis coniunctus, quam ſibi ipſi, ſed etiam ex ratione ipſius charitatis, quæ datur principaliter à Deo ad actum, quo ipſe recipiẽs bene ſe habeat. Datur enim charitas à Deo homini, vt amico: & ea quæ amicis dantur præcipue dantur propter bonum illius, cui conferuntur, & minus principaliter propter actus circa alios. Ex quo infertur optimè nos dixiſſe artic. 4. huius quæſtionis cõtra Capreolum, quod debet homo multò magis velle propriam gratiam, & beatitudinem, quam beatitudinem omnium aliorum: quod & D. Thom. affirmat in ſolutione ad primum. *Nota circa tertiam concluſionem.*

QVAESTIO VIGESI maſeptima, de Principali actu charitatis, qui eſt dilectio, in octo articulos diuiſa.

DEINDE conſiderandum eſt, de actu charitatis. ¶ Et primo, de principali actu charitatis, qui eſt dilectio. Secundo, de alijs actibus, vel effectibus.

¶ Circa primum quæruntur octo.

¶ Primo, quid ſit magis proprium charitatis, vtrum amare, vel amari.

¶ Secundum, vtrum amare, prout eſt actus charitatis, ſit idem quod beneuolentia.

¶ Tertio, vtrum Deus ſit propter ſeipſum amandus.

¶ Quarto, vtrum poſsit in hac vita immediatè amari.

¶ Quinto, vtrũ poſsit amari totaliter.

¶ Sexto, vtrum eius dilectio habeat modum.

¶ Septimo, quid ſit melius, vtrum diligere amicum, vel diligere inimicum.

¶ Octauo, quid ſit melius, vtrum diligere Deum, vel proximum.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm charitati ſit magis proprium amari, quàm amare.

AD PRIMVM ſic proceditur. Videtur quòd charitati ſit magis propriũ amari, quàm amare. Charitas enim in melioribus melior inuenitur. Sed meliores debent magis amari. Ergo charitati magis eſt proprium amari.

2 ¶ Preterea, Illud, quod in pluribus inuenitur, videtur eſſe magis conueniens naturæ, & per cõſequens melius. Sed ſicut Philoſophus dicit in octauo* Ethic. Multi magis volunt amari, quàm amare: ſemperque amatores adulationis ſunt multi. ergo melius eſt amari, quàm amare: & per cõſequens magis conueniens charitati.

Lib. 8. Ethic. c. 8. in princ. to. 5.

3 ¶ Præterea, Propter quod vnumquodque, & illud magis. Sed homines propter hoc, quòd amantur, amant. Dicit enim Aug. in libro* de Catechizandis rudibus, quod nulla eſt maior prouocatio ad amandum, quàm præuenire amando, ergo charitas magis conſiſtit in amari, quàm in amare.

Capit. 4. in prin. to. 4.

¶ SED CONTRA eſt, quod Philoſophus dicit * in octauo Ethi. quòd magis exiſtit amicitia in amare, quã in amari. Sed charitas eſt amicitia quædam. Ergo charitas magis conſiſtit in amare, quam in amari.

Lib. 8. cap. 8. parũ à prin. to. 5.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd amare conuenit charitati, inquantum eſt charitas. Charitas enim, cum ſit virtus quædam, ſecundum ſuam eſſentiam habet inclinationem ad propriũ actum. Amari autem nõ eſt actus charitatis, ipſius qui amatur. Sed actus charitatis eius eſt amare. Amari autem competit ei ſecundum communem rationem boni, prout ſcilicet ad eius bonum alius ad actum charitatis mouetur. Vnde manifeſtum eſt quod charitati magis conuenit amare, quàm amari. Magis enim conuenit vnicuique quòd conuenit ei per ſe & ſubſtantialiter, quàm quod conuenit ei per aliud. Et huius duplex eſt ſignum. Primum quidem, quòd amici magis laudãtur ex hoc quod amant, quàm ex hoc, quòd amantur: quinimò ſi non amant, & amentur, vituperantur. Secundo, quia matres, quæ maxime amant, plus quærunt amare, quàm amari. Quædam enim vt Philo.* dicit in eodem libro, filios ſuos dant nutrici, & amant quidem. Re amari autem non quærunt, ſi non contingat.

Li. 8. cap. 8. aliquantulum à prin. tom. 5.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quod meliores ex eo quod meliores ſunt, ſunt magis amabiles. Sed ex eo, quòd

quòd in eis eſt perfectior charitas, ſunt magis amantes, ſecundum tamen proportionem amati. Non enim melior minus amat id quod infra ipſum eſt, quàm amabile ſit. Sicut ſi ille, qui eſt minus bonus, non attingit ad amandum meliorem, quãtum amabilis eſt.

Lib.8.ca.8. to.5. ¶ Ad ſecundũ dicendum, quod ſicut Philoſophus dicit ibidem, homines volunt amari, inquantum volunt honorari. Sicut enim honor exhibetur alicui, vt quoddã teſtimoniũ boni in ipſo qui honoratur, ita per hoc quod aliquis amatur, oſtenditur in ipſo eſſe aliquod bonũ, quia ſolũ bonũ amabile eſt. Sic ergo amari & honorari quærunt homines propter aliud, ſcilicet ad manifeſtationem boni in amato exiſtentis. Amare autem quærunt, charitatem habentes ſecundum ſe, quaſi ipſum ſit bonum charitatis: ſicut & quilibet actus virtutis, eſt bonum virtutis illius. Vnde magis pertinet ad charitatem, velle amare: quàm velle amari.

¶ Ad tertium dicendum, quod propter amari aliqui amant: non ita quod amari ſit finis eius quod eſt amare, ſed eo quod eſt via quædam ad hoc inducens, quòd homo amet.

SVMMA TEXTVS.

DIxerat D. Thom. ſupra. q. 23. art. 1. charitatem eſſe amicitiã, & quia proprium amicitiæ eſt amare & amari; idcircò occaſione huius quærit in præſenti, quidnam ſit magis proprium charitatis, amare, vel amari. Ad quam difficultatem reſpondet hac cõcluſione, Charitati magis conuenit amare, quam amari. Probatur. Id, quod conuenit alicui per ſe magis conuenit, quam id, quod conuenit per aliud: ſed amare conuenit charitati per ſe, amari autem conuenit per aliud: ergo magis cõuenit charitati amare, quam amari. Conſequentia cum maiori eſt nota, & minor probatur. Amare conuenit charitati in quantum eſt charitas, & virtus, quæ ſecundum ſuam naturam inclinat ad proprium actum, qui eſt amare: amari conuenit charitati ſecundum communem rationem boni, in quantum, ſcilicet, ratione eius boni alius ad actum charitatis mouetur: ergo amare cõuenit charitati per ſe, amari autem per aliud. Item probatur concluſio ex duplici ſigno. Primum eſt, ꝙ amici laudantur magis ex eo, quòd amant, quàm ex eo, quòd amantur. Secundum, ꝙ matres, quæ maximè amant plus quærunt amare, quàm amari.

EXPLICATIO ARTICVLI.

COncluſiõ huius articuli eſt certa, quã & ponit Ariſt. 8. Ethi. c. 8. loquens de amicitia, cuius proprium actum dicit eſſe amare, & non amari. Et probatur, efficaciſſimè ratione D. Thom. in hoc artĩ. Sed circa *Dubium.* primum ſignum poſitum in litera eſt difficultas, vtrum amare ſit melius, quam amari. Et pro parte negatiua argumẽtor primo. *1. Argum.* Id dicitur melius vnicuiq;, ex quo maius bonum ſibi accreſcit, ſed ex eo, quod homines amentur à Deo maius bonum illis accreſcit, quam ex eo, ꝙ ipſi ament Deum: ergo melius eſt amari, quam amare. ¶ Secundò, *2. Argum.* Sicut ſe habet amans ad amatũ, ità amare ad amari: ſed amatum eſt nobilius amante: habet enim amatum rationem finis qui nobilior eſt eis, quæ ſunt ad finẽ: ergò amari perfectius eſt, quam amare. ¶ Tertiò, Illẽ *3. Argum.* actus eſt melior, qui tribuitur perfectiori; ſed amari tribuitur perfectiori, vnũquodq; enim amatur ſecundum quod eſt perfectũ, & amare eſt potentiæ indigentis cum amare ſit appetere, quod potentiæ indigenti cõuenit, vnde de materia prima dicitur ꝙ appetit omnem formam: ergò amari nobilius eſt, quam amare.

¶ Pro explicatiõe huius difficultatis eſt ad- *Nota. 1. pro explicatione dubij.* uertendũ, ꝙ propoſita quæſtio poteſt habere multiplicem ſenſum. Primus eſt, vtrũ actus, quo amãs amat ſit nobilior actu, quo amatum amatur. Et in hoc ſenſu nõ diſputatur in præſenti: nam certũ eſt, quod ſunt æque perfecti, cũ ſint vnus atq; idem actus, ſicut idem motus eſt, quo mouens mouet & motum mouetur. Secundus ſenſus eſt, vtrũ ille, qui amat ſit nobilior eo, qui amatur. Et nec etiam in hoc ſenſu diſputatur in præſenti: ſed eſt certum, quòd non oportet vt vnus ſit nobilior altero, cum perfectiſſima amicitia inueniatur inter illos, qui in omnibus ſunt æquales. Tertius ſenſus eſt, vtrum amare ſit melius amanti, quam amari amato. Et nec etiam in hoc ſenſu diſputatur quæſtio in præſenti: ſed certũ eſt quod

amare

amare eſt melius amanti, quàm amari amato, cum bonum ſit melius illi, cui eſt intrinſecum, quàm illi, cui eſt extrinſecum. Et certum eſt, quòd amare eſt intrinſecum amanti, cùm perficiat illius animam tanquā actus elicitus à propria virtute: at verò amari eſt bonum extrinſecum amato, quod poteſt conuenire homini tam vigilanti, quā dormienti. Quartus ſenſus eſt, vtrum homini debeat tribui maior nobilitas ſecundum illam rationem, ſecundum quam eſt amans, an vero ſecundum illam, ſecundum quam conuenit ei, vt ametur: & in hoc ſenſu diſputatur quæſtio in præſenti.

Nota 2. ¶Ad cuius intelligentiam eſt aduertendum, ꝙ quemadmodum in agēti naturali, quod in agendo repatitur, idem eſt agens, & patiens, & tamen maior nobilitas tribuitur illi, ſecundum illam rationem, ſecundū quam eſt agens, quam ſecundum illam rationem, ſecundum quam dicitur paſſum, quia agit ratione formæ, & patitur ratione materiæ: ita etiam, licèt ſit idem amans, & amatum, reſtat adhuc inquirendum, ſecundum quam rationē tribuatur illi maior nobilitas, an, ſcilicet, in quantum amans, an verò in quantum amatum. Et quidem, ſi ratio amantis accipiatur ab hoc, quod eſt habere in ſe amorem ad alium, ratio autem amati accipiatur ab eo, quod eſt alium habere in ſe amorem ad ipſum, facile poterimus reſpondere, quòd amico tribuitur maior nobilitas ſecundum rationem amantis, quam ſecundum rationem amati, cum nobilius ſit habere in ſe amorem, qui eſt actus virtutis, quam illum non habere. Cæterùm ſi loquamur de rationibus ſubſtratorum eſt grauis difficultas, vtrum maior nobilitas debeat tribui homini ſecundum illam rationem, ſecundum quam cōuenit ei, vt amet, quam ſecundum illam, ſecundum quam conuenit ei, vt ametur.

Sententia aliquorum. Fūdamētū. ¶De qua re eſt ſententia multorum aſſentium, quòd in hoc ſenſu amatum eſt nobilius amante. Et ratio eſt, quia omnibus perfectibilibus, ſecundum quod perfectibilia ſunt, conuenit, quòd ament, & appetant proprias perfectiones: perfectionibus autē, in quantum perfectiones conuenit, quod appetantur, & amentur à ſuis perfectibilibus, ſed maior nobilitas accreſcit alicui ex eo, quòd eſt perfectio, quam ex eo, quòd eſt perfectibile: ergo nobilius eſt amari, quàm amare.

Sententia auctoris. ¶Hoc tamen non obſtante dico, quòd amans ex eo, quòd amans eſt, maiorem habet nobilitatem, quàm ex eo quòd amatur, & ſic amare eſt nobilius, quam amari. Probatur. Inter illa, quæ pertinent ad amicitiā illud eſt melius, in quo magis conſiſtit virtus amicitiæ, ſed hoc eſt amare, vt docet Ariſt. 8. Ethi. nam dicit, quod amatorū virtus eſt amans: ergo amare nobilius eſt, quā amari. Et confirmatur. Illud eſt melius in amicitia, propter quod homines magis laudantur: ſed homines magis laudantur propter amare, quam propter amari, vt docet Ariſtot. loco citato, & conſtat experientia: nam non dicimus aliquem verum, & fidelem amicum, ex eo quòd multum amatur, ſed ex eo, quòd multum diligit. Item amare ad amari habet ſe, ſicut honorare ad honorari, & benefacere ad bene pati: ſed honorare eſt melius, quam honorari, vt docet Ariſt. 4. Ethi. & virtutis magis eſt benefacere, quàm bene pati, vt dicitur in eodem libro: ergo amare eſt melius, quàm amari.

Ad fundamentum contrariæ ſententiæ. ¶Et ad fundamentum contrariæ ſententiæ reſpondetur conceſſa maiori, atque minori, negando conſequentiā. Nam id, quod cōuenit homini ratione ſuæ virtutis, & per ſuam virtutem, nōn cōuenit illi ratione indigentiæ, aut in quantum eſt perfectibilis: ſed ratione ſuę perfectionis, & in quantum eſt perfectius, & benefactiuus, cum virtus perficiat habentem, & certum eſt, quòd amare conuenit agenti ſecūdum propriam virtutem, tanquam effectus ab ea elicitus.

Ad 1. arg. ¶Ad primum argumentum in principio factum reſpondetur, quòd quanuis ex eo, quòd amamur à Deo accreſcat nobis maius bonum vtile, quàm ex eo, quòd nos ipſum amamus, maius tamen bonum honeſtum accreſcit ex eo, quod nos ipſum amamus. Et certū eſt, ꝙ bonū honeſtum, vt ſic, præſtantius eſt quocunque bono vtili. Ex quo fit, vt charitas magis inclinet ad hoc, vt nos amemus Deum, quàm ad hoc, vt velimus ab illo amari: quia hoc pertinet ad concupiſcentiam, illud autem ad amicitiam, quod eſt proprium charitatis. ¶Ad ſecundum reſpondetur negando minorem. *Ad 2. arg.* Et ad probationem dico, quòd finis poteſt accipi dupliciter. Vno modo primo intentionaliter, qua ratione Deus dicitur finis omnium, & quod ſic eſt finis, eſt nobilius alijs. Alio modo ſecundo intentionaliter, qua ratione quodcunque opus ab aliquo factum dicitur finis illius, & quod hoc modo eſt finis non eſt nobilius, amatum autē

dicitur finis amantis. Secundo intentionaliter. *Ad.3.arg.* ¶Ad tertium argumentum ex dictis patet ſolutio.

Nota circa ſolutionē ad primum argum. D. Th. ¶Circa ſolutionem ad primum argumẽtum eſt aduertendum, quòd vt conſtat ex doctrina D. Tho. charitas reſpectu Dei, qui eſt eius principale obiectum, quantò maior eſt tantò magis amat, quia ſemper inuenitur in Deo maior & maior ratio diligibilitatis. Cæterum reſpectu obiecti ſecundarij, quod eſt proximus, charitas maior non amat magis, ſed ſecundum proportionem amati, hoc eſt, ſecundum quod ipſum obiectum fuerit magis, vel minus amabile.

Nota circa ſolutionem ad.2. D. Th. ¶Circa ſolutionem ad ſecundum eſt aduertendum, quòd cum in litera dicitur ex ſententia Ariſt. quòd amari quæritur eadẽ ratione, qua quæritur honorari, ſcilicet, vt manifeſtatiuum proprij amoris, non eſt intelligendum, quòd hæc ſit per ſe ratio talis appetitus, quoniam hoc eſſet falſum, cum amari per ſe ordinetur ad habendum id, quod bono proprio debetur ab alio, ſcilicet, illam vnionem, quam amantes magnopere optant: ſed eſt intelligendum, quòd hoc eſt communis ratio, propter quam homines appetunt ab alijs amari, quod ſatis erat ad ſoluendum argumentum.

ARTICVLVS II.

¶ *Vtrum amare ſecundum quod eſt actus charitatis, ſit idem quod beneuolentia.*

3.d.27.q.1. ar.2. co. & ad.2. AD SECVNDVM ſic proceditur. Videtur, ꝙ amare ſecundum quod eſt actus charitatis, nihil ſit aliud quàm beneuolentia. Dicit enim Philoſophus * in ſecundo Rhetoricæ, quòd *Lib. 2. ca. 4. in prin. to. 6.* amare eſt velle alicui bonum. Sed hoc eſt beneuolentia: ergo nihil aliud eſt actus charitatis, quàm beneuolentia.

2 ¶Præterea, Cuius eſt habitus, eius eſt actus. Sed habitus charitatis eſt in potentia voluntatis, vt ſupra dictũ * eſt: *q.24. art.1.* ergo etiã actus charitatis eſt actus voluntatis. Sed nõ eſt niſi in bonum tendens, quod eſt beneuolẽtia: ergo actus charitatis nihil aliud eſt, quàm beneuolentia.

Lib.9. ca.4. to.5. 3 ¶Præterea, Philoſophus in.9 Ethi. ponit quinque ad amicitiam pertinentia: quorum primum eſt, quod homo velit amico bonum. Secũdum eſt, quod velit ei eſſe & viuere. Tertium eſt, quod ei delectabiliter conuiuat. Quartum eſt, quod eadẽ eligat. Quintum eſt, quod ei condoleat & congaudeat. Sed prima duo ad beneuolẽtiam pertinent. Ergo primus actus charitatis eſt beneuolentia.

SED CONTRA eſt, quòd Philoſophus * dicit in eodem lib. quod beneuolentia neque eſt amicitia, neque *Li.9. Ethi. 5. to.5.* eſt amatio, ſed eſt amicitiæ principiũ. Sed charitas eſt amicitia, vt ſupra dictum * eſt. Ergo beneuolentia non eſt *q.23. ar.1.* idem quod dilectio, quæ eſt charitatis actus.

¶RESPONDEO dicendũ, quòd beneuolentia propriè dicitur actus voluntatis quo alteri bonum volumus. Hic autem voluntatis actus differt ab actuali amore, tam ſecundum quod eſt in appetitu ſenſitiuo, quàm etiam ſecundum quod eſt in appetitu intellectiuo, qui eſt voluntas. Amor enim, qui eſt in appetitu ſenſitiuo, quædam paſsio eſt. Omnis autem paſsio cum quodam impetu inclinat in ſuũ obiectum. Paſsio autem amoris hoc habet, quod non ſubito exoritur, ſed per aliquam aſsiduam inſpectionem rei amatæ. Et ideo Philoſophus in nono * Ethico. oſtendens differen- *Li.9. Ethic. cap.5. to.5.* tiam inter beneuolentiam, & amorem, qui eſt paſsio, dicit, quod beneuolentia non habet diſſentionem & appetitum, id eſt, aliquem impetum inclinationis, ſed ex ſolo iudicio rationis homo vult bonũ alicui. Similiter etiã talis amor eſt ex quadã conſuetudine. Beneuolentia autem interdum oritur ex repentino, ſicut accidit nobis de pugilibus, qui pugnãt: quorum alterum vellemus vincere. Sed amor, qui eſt in appetitu intellectiuo, etiam differt à beneuolentia: importat enim quandã vnionem ſecundum affectum amantis ad amatũ, inquantũ ſcilicet amans

æſtimat

æſtimat amatum quodammodo vt vnum ſibi, vel ad ſe pertinens: & ſic mouetur in ipſum. Sed beneuolentia eſt ſimplex actus voluntatis, quo volumus alicui bonum, etiam non præſuppoſita prædicta vnione affectus ad ipſum. Sic ergo in dilectione, ſecūdū quod eſt actus charitatis, includit quidem beneuolentia, ſed dilectio ſiue amor addit vnionem affectus. Et propter hoc Philoſophus * dicit ibidem, quod beneuolentia eſt principium amicitiæ.

Li.9. Ethi. c. 5. parum ante med. to. 5.

¶AD PRIMVM ergo dicendum, quòd Philoſophus ibi diffinit amare, non ponens totam rationē ipſius, ſed aliquid ad rationem eius pertinens, in quo maximè manifeſtatur dilectionis actus.

¶Ad ſecundum dicendum, quòd dilectio eſt actus voluntatis in bonum tendens, ſed cum quadam vnione ad amatum, quæ quidem in beneuolētia non importatur.

¶Ad tertium dicendum, quòd intantum illa, quę Philoſophus ibi ponit ad amicitiam pertinent, inquantum proueniūt ex amore, quem quis habet ad ſeipſum, vt ibidem dicitur: vt ſcilicet hæc omnia aliquis erga amicum agat, ſicut ad ſeipſum, quod pertinet ad prędictam vnionem affectus.

SVMMA TEXTVS.

AD hanc difficultatem reſpōdet Diuus Tho. per duas propoſitiones. Prima cōcluſio. Beneuolentia diſtinguitur ab amore tam intellectiuo, quàm ſenſitiuo. Probatur. Beneuolentia eſt actus voluntatis, quo alteri bonum volumus: ſed hic diſtinguitur ab amore tam ſenſitiuo quàm intellectiuo: ergo beneuolentia diſtinguitur ab amore intellectiuo, & ſenſitiuo. Conſequentia cum maiori eſt nota, & minor probatur. Et primò quòd actus voluntatis, quo alteri bonum volumus, diſtinguatur ab amore ſenſitiuo, quia amor ſenſitiuus eſt paſſio, non ſubito, ſed per aliquā aſsiduitatem rei amatæ exorta, vt docet Ariſto. 9. Ethico. cap. 5. ſed beneuolentia interdum exoritur ſubito: ergo amor ſenſitiuus & beneuolentia diſtinguuntur. Quòd autem beneuolentia diſtinguatur ab amore intellectuali probatur. Amor intellectiuus importat quandam vnionem ſecundum affectum amātis ad amatum, inquantum, ſcilicet, amans æſtimat amatum quodammodo vnum ſibi, & ad ſe pertinens, ſed beneuolentia ſolum dicit ſimplicem actum voluntatis, quo volumus alteri bonum: ergo beneuolentia diſtinguitur ab amore intellectuali. ¶Secunda concluſio. Amor charitatis includit beneuolentiam, & vltra hoc addit vnionem affectus. Hæc concluſio ſequitur ex priori, & probatur ex Ariſt. qui propterea loco citato affirmat quòd beneuolentia eſt quoddam principium amicitiæ.

EXPLICATIO ARTICVLI.

CIrca iſtum articulum eſt aduertēdum, quòd D. Tho. in illo loquitur de amore, & beneuolentia ſtrictiſsime, ſecundum proprias rationes ſingulorum. Ex quo fit, vt quanuis aliquando vſus fuerit his nominibus promiſcue, & nos etiam ſecundum communem modum loquendi dicamus amare illum, erga quem ſumus beneuoli, in præſenti aliter eſt dicendum.

¶Sed eſt difficultas, vtrum omnis amor includat beneuolentiam. Ad cuius explicationem dico primo, quòd amor ſenſitiuus brutorum nullo modo poteſt beneuolentiam includere, eſt enim beneuolētia actus complexus non ad modum, quo logici dicunt actum complexum eum, qui includit plures actus: ſed dicitur actus complexus ex parte obiecti, in quantum, ſcilicet, per illum volumus bonum alteri, & ſequitur notitiam complexam, quæ in brutis eſſe non poteſt. Non enim amant bruta ſalutem, aut aliud bonum alteri bruto: ſed tantum, per ſimplicem actum habent complacentiam de illo, vt quando ouis lactat agnum, aut fugit lupum: quæ omnia facit ex ſimplici actu appetitus. ¶Dico ſecūdo quòd amor intellectualis nunquam poteſt eſſe ſine beneuolentia. Et ratio eſt, quia huiuſmodi amor ſemper habet ortum ex beneuolentia: nec poteſt fieri, vt aliquem amemus, quin prius illi bonum velimus. ¶Dico tertio, quòd amor ſenſitiuus in homine, qui communis eſt cum brutis, bene poteſt

Dubium. 1. Dictum.

2. Dictum.

poteſt eſſe ſine beneuolentia. Probatur experientia. Nam ſæpe contingit, vt placeat nobis homo, quẽ nunquam vidimus, abſq; eo, quòd illi optemus aut bonum, aut malum: ſed placet, vel propter agilitatem, vel propter pulchritudinem.

Dubium. ¶ Sed dubium eſt, vtrum iſte amor ſenſitiuus in homine poſsit eſſe cum beneuolentia. In qua re Victoria partem tenebat negatiuam. Et ratio illius erat: quia in appetitu ſenſitiuo non poteſt eſſe amor complexus qualis neceſſarius eſt ad beneuolentiã. *Sententia Victoriæ.*

Sententia auctoris. ¶ Hoc tamen non obſtante dico, quòd beneuolentia in homine non ſolum poteſt eſſe in appetitu rationali, ſed etiam in appetitu ſenſitiuo. Ita tenet Caietanus hic. Et ratio eſt, quia cum in appetitu ſenſitiuo humano poſsit inueniri quædam participatio amoris amicitiæ, vt communiter dicũt philoſophi, à fortiori etiam poterit inueniri beneuolentia, quæ minus importat, quam amor amicitiæ. Et ad argumentum Victoriæ dico, non eſſe loquendum de appetitu ſenſitiuo humano, ſicut de appetitu ſenſitiuo brutorum. Nam appetitus humanus propter vicinitatem rationis habet quandã rationem participatã, & ſic etiam eſt in illo quidam amor complexus, qui in appetitu brutorum non inuenitur. Ex quo fit, vt in appetitu ſenſitiuo humano collocentur veræ virtutes, & amicitia moralis, quæ in brutis eſſe non poſſunt. Videte de hac re Caietanum in præſenti.

ARTICVLVS III.

¶ *Vtrum Deus ſit propter ſeipſum ex charitate diligendus.*

4.d.2.q.2. art.1.q.1.ad 2. Et opuſ.61 cap.7.8.9. & 14.

AD TERTIVM ſic proceditur. Videtur, quòd Deus non propter ſeipſum ſed propter aliud diligatur ex charitate. Dicit enim * Gregorius in quadã homil. Ex ijs quæ nouit animus, diſcit incognita amare. Vocat autem incognita intelligibilia & diuina, cognita autẽ ſenſibilia. Ergo Deus eſt propter aliud diligendus. *Homil.11.in Euangel. in prin.*

2 ¶ Præterea, Amor ſequitur cognitionem. Sed Deus per aliud cognoſcitur: ſecundum illud Rom.1. Inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur. Ergo etiam propter aliud amatur, & non propter ſe.

3 ¶ Præterea, Spes generat charitatẽ, vt dicitur in gloſ. * Mat.1. Timor etiã charitatem introducit, vt Aug. * dicit ſuper primam Can. Ioan. Sed ſpes expectat aliquid adipiſci à Deo: timor autem refugit aliquid quod à Deo infligi poteſt. Ergo videtur, quod Deus propter aliquod bonum ſperatũ, vel propter aliquod malum timẽdũ ſit amandus. Non ergo eſt amandus propter ſeipſum. *Glo. interlinearis, ſuper illud Abraham genuit Iſaac. Tract. 9. inter prin. & medi.*

¶ SED CONTRA eſt, quod ſicut Aug. * dicit in 1. de Doct. Christiana. Frui eſt amore inhærere alicui propter ſeipſum. Sed Deo fruendum eſt: vt in eodem lib. dicitur. Ergo Deus diligendus eſt propter ſeipſum. *Lib.1.c.4. in prin. & c.4. & 5. to.4.*

¶ RESPONDEO dicendũ, quòd ly propter, importat habitudinem alicuius cauſæ: eſt autem quaduplex genus cauſæ, ſcilicet finalis, formalis, efficiens & materialis: ad quam reducitur etiam materialis diſpoſitio, quæ non eſt cauſa ſimpliciter, ſed ſecũdum quid. Et ſecundum hæc quatuor genera cauſarum dicitur aliquid propter alterũ diligendum. Secundũ quidẽ genus cauſæ finalis, ſicut diligimus medicinam propter ſanitatem. Secũdum autem genus cauſæ formalis, ſicut diligimus hominẽ propter virtutẽ: quia ſcilicet, virtute formaliter eſt bonus, & per cõſequens diligibilis. Secũdum autem cauſam efficientem, ſicut diligimus aliquos inquantum ſunt filij talis patris. Secundũ autem diſpoſitionem, quæ reducitur ad genus cauſæ materialis, dicimur aliquid diligere propter id quod nos diſponit ad eius dilectionẽ: puta propter aliqua beneficia ſuſcepta, quamuis poſtquam iam amare incepimus, non propter illa beneficia amemus amicum, ſed propter eius virtutem. Primis ergo tribus modis Deum non diligimus propter aliud, ſed propter ſeipſum. Non enim ordinatur ad aliud ſicut ad finem: ſed ipſe eſt finis vltimus

vltimus omniū. Neq; etiā informatur aliquo alio ad hoc, quod ſit bonus, ſed eius ſubſtantia eſt eius bonitas, ſecundum quam exemplariter omnia bona ſunt. Neque iterum ei ab altero bonitas ineſt, ſed ab ipſo omnibus alijs. Sed quarto modo poteſt diligi propter aliud, quia ſcilicet ex aliquibus alijs diſponimur ad hoc, quod in Dei dilectione proficiamus: puta per beneficia ab eo ſuſcepta, vel per præmia ſperata, vel per pœnas, quas per ipſum vitare intendimus.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd ex ijs quæ animus nouit, diſcit incognita amare: nō quòd cognita ſint ratio diligendi ipſa incognita, per modum cauſæ formalis, vel finalis, vel efficientis, ſed quia per hoc homo diſponitur ad amandum incognita.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd cognitio Dei acquiritur quidem per alia: ſed poſtquam iam cognoſcitur, non per alia cognoſcitur, ſed per ſeipſum: ſecundum illud Ioannis quarto. Iam non propter tuā loquelam credimus. Ipſi enim videmus & ſcimus, quia hic eſt vere ſaluator mundi.

¶ Ad tertium dicendum, quòd ſpes & timor ducunt ad charitatem per modum diſpoſitionis cuiuſdam: vt ex ſupra dictis patet.

SVMMA TEXTVS.

SVppoſito, quòd ly, propter, importat habitudinem alicuius cauſæ, & quòd cauſa eſt quadruplex, ſcilicet, finalis, formalis, efficiens, & materialis, ad quam reducitur materialis diſpoſitio, reſpondet D. Tho. ad difficultatem per duas propoſitiones. ¶ Prima concluſio. Si ly, propter, dicat cauſam formalem, finalem, aut efficientem, Deus non eſt diligendus propter aliud, ſed propter ſeipſum. Probatur. Deus non ordinatur ad aliud, tanquam ad finem, ſed ipſe eſt finis omnium, nec informatur aliquo alio ad hoc, vt ſit bonus, ſed eius ſubſtantia eſt eius bonitas: nec etiam ab altero, tanquam ab efficiente habet bonitatem: ergo Deus nō poteſt diligi propter aliud ſi ly, propter, dicat cauſam formalem, finalem, & efficientem. ¶ Secunda concluſio. Deus poteſt diligi propter aliud ſi ly, propter, dicat cauſam diſpoſitiuā. Probatur. Homines ex aliquibus poſſunt diſponi ad hoc, vt in Dei dilectione proficiant, ſcilicet, vel ex beneficijs ſuſceptis, vel ex præmio ſperato, vel ex pœnis, quas vitare intendunt: ergo Deus poteſt diligi propter aliud ſi ly, propter, dicat cauſam diſpoſitiuam.

EXPLICATIO ARTICVLI.

CIrca iſtum articulum eſt grauis difficultas, vtrùm liceat diligere Deum intuitu alicuius mercedis, vel æternæ, vel temporalis. In qua re non ſolum eſt nobis concertatio cum catholicis, ſed etiam cum hæreticis Lutheranis, qui dicunt quodcūq; opus intuitu alicuius mercedis temporalis, vel æternæ factum eſſe peccatum. Et probant ſuam ſententiam ex Paulo. 1. ad Corint. c. 13. dicente, Charitas non quærit quæ ſua ſunt. Quibus verbis aperte ſignificat eſſe alienum à charitate in amore Dei habere reſpectum ad mercedem. Et D. Bernardus in lib. de diligendo Deum, dicit, Deum eſſe diligendum abſque intuitu præmij, quod indeſequitur. ¶ Et ratione ſic argumentor. Amor mercenarius eſt malus, vt docet D. Tho. ſupra. q. 19. art. 4. ad. 3. ſed qui diligit Deū intuitu alicuius mercedis habet amorem mercenarium, ergo peccat. ¶ Secundo. Ex præcepto charitatis obligamur diligere Deum amore amicitiæ. ſed qui diligit Deū intuitu alicuius præmij non diligit eum amore amicitiæ, ſed concupiſcentiæ: ergo non adimplet præceptum. ¶ Tertio, Qui diligit Deum intuitu alicuius præmij ordinat ipſum Deum, & dilectionem in præmium, tanquam in finem: ergo peccat. Probo conſequentiā, nā ordinat maius bonum ad minus bonū tanquā ad finē, quod ſine peccato fieri nō poteſt. ¶ Vltimo, Nō licet ſeruire Deo ex timore: ergo nec intuitu præmij. Conſequentia patet; quia vtrobique quæritur bonum proprium, & ineſt amor concupiſcentiæ, antecedens vero probatur ex D. Auguſtino & refertur de pœnitentia diſt. 1. cap. ſi propterea, qui dicit, Si propterea non facis furtum, quia times ne videaris, intus in corde fecisti, reus furti teneris. Et Ariſt. lib. 3. Ethic. Qui timore pœnæ fortia facit non fortiter facit, &c.

Dubium.

Sententia Lutheranorū.

1. Argum.

2. Argum.

3. Argum.

Vltimo arg.

Sententia D. Bonauentura. ¶D.Bona.in.d.27.q.2.dicit duo. Primũ eſt eſſe licitum ſeruire Deo, propter præmium æternum, tanquam propter finem principalem. Quam etiam ſententiã ſequitur Adrianus quodlibet.9.ad primum argumentũ. Secundum, quod dicit, eſt, nulla ratione eſſe licitum ſeruire Deo intuitu alicuius præmij temporalis. In quo Durandus concordat cum Bonauent.in.3.d.29.q.3.

Sententia Vega. ¶Vega lib.11.ſuper concil. Trid.cap.41. &.42.vſque adeò concedit eſſe licitum, ſeruire Deo propter mercedem vel æternam, vel temporalẽ, vt dicat, quòd ipſe Chriſtus dilexit Deum iſto modo. Idque probat ex Paulo ad Heb.12. dicente: Per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen, aſpicientes in autorem fidei & conſummatorẽ Ieſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem confuſione contempta.

Nota pro explicatione difficultatis. ¶Sed, vt explicemus, quid in hac difficultate tenendum & dicendum ſit, oportebit aduertere, quòd dupliciter poſſumus intelligere, quòd aliquis ſeruiat Deo propter præmium, atq; mercedem: vno modo ità, vt præmium concurrat tantum, vt motiuũ incitando, & mouendo voluntatem ad dilectionem, alio modo ita, vt præmiũ concurrat tanquam finis. Quòd rurſus poteſt contingere dupliciter, vno modo, ità, vt præmium ſit finis ſecundarius, alio modo, ità, vt ſit finis principaliter intentus. Quod itẽ poteſt euenire dupliciter, primo ità, vt præmium ſit finis principalis taliter, quod illo ſublato non ſeruiremus Deo, ſecũdo, quòd præmium ſit finis principalis taliter, vt ex his, quæ intendimus cõſequi amando Deũ, præmiũ ſit præcipue intẽtum: tamen, etiã ſi præmiũ deeſſet adhuc ſeruiremus Deo.

Nota.2. ¶Secundo eſt aduertendum, quòd opera bona, & honeſta, quibus Deo ſeruimus, quædam ſunt in præcepto, & alia ſunt in conſilio.

1. Concluſio. ¶His ſuppoſitis ſit prima concluſio. Licitum eſt propter bonum, vel temporale, vel æternum tanquam propter motiuum, moueri ad diligendum, & ſeruiendũ Deo, ſiue talia opera ſint in præcepto, ſiue in conſilio. In hac cõcluſione conueniunt omnes catholi contra Lutheranos. Et probatur. Nã ſi non eſſet licitum moueri ad bene operandum ex præmio, Deus cum adhortatur nos ad bona opera, non proponeret nobis præmium, & mercedem: ſed proponit, ergo. Probo minorem, nam Matth. 4. dicit Chriſtus: Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum, & Lucæ.16. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula. Et.1. ad Tim.c.4. Exerce te ipſum, inquit Paulus, ad pietatem, pietas enim ad omnia vtilis eſt, promiſsionẽ habens vitæ quæ nunc eſt, & futuræ. Et Deuterono.4. Cuſtodi præcepta mea, vt ſis longæuus, &c. Denique hæc veritas diffinita eſt in concil. Triden. ſeſsio.6.cap.11. Vbi dicitur: Atque etiam conſtat orthodoxæ religionis doctrinæ aduerſari, qui ſtatuunt in omnibus operibus iuſtos peccare, ſi in illis ſuam ipſorum ſocordiam excitando & ſeſe ad currendum in ſtadio cohortando, cum hoc, vt in primis glorificetur Deus, mercedem quoque intuuntur æternam. Et canone.31.eiuſdem ſeſsionis, Si quis dixerit iuſtum peccare dum intuitu æternæ mercedis bene operatur anathema ſit.

2. Concluſio. ¶Secunda concluſio. Opera bona, quæ tantum ſunt in conſilio licet facere propter aliquod præmium aſſequendum, ſiue temporale, ſiue æternum, tanquam propter finem principalem, quo ſublato non fierent. Ita tenent Adrianus, & Vega locis citatis, & probatur primo, ex vſu Eccleſiæ, quæ habet peculiares preces, & orationes inſtitutas ad conſequenda bona temporalia, quibus non vtitur, niſi quando illis indiget. Itẽ licet appetere bona temporalia, ergo etiam licet adhibere media conducentia ad illorũ conſequutionem: ſed orationes, & ieiunia, & alia huiuſmodi bona opera ſunt apta media ad hanc rem, ergo licet illas ordinare ad iſtum finem.

1. Argum. contra ſecundam concluſionem. ¶Sed contra iſtam concluſionem argumentor. Primo, Si ea eſſet vera ſequeretur, quòd liceret ordinare maius bonum in minus, conſequens autem eſt abſurdum, ergo. Probo ſequelam: nam hoc facit, qui bonũ temporale conſtituit, tanquam finem ſuarum orationum, & bonorum operum.

2. Argum. ¶Secundo, Omnis actus bonus, vel expreſſe, vel virtualiter debet in Deum referri, tanquam in vltimum finem, ſed qui, verbi gratia, orat propter commodum temporale cõſequendum, tanquam propter finem principalem, quo ſublato non eſſet oraturus, ille in tali actu, non habet Deum pro vltimo fine, nec formaliter, nec interpretatiue: ergo talis actus non eſt licitus.

Ad. 1. arg. ¶Ad primum argumentum reſpondetur negando minorem. Falſum eſt enim quòd non licet ordinare maius bonum in

minus

minus, quando minus bonum non conſtituitur finis principalis maioris boni, & totius vitæ: Deus enim ordinauit vitam Chriſti ad ſalutem noſtram, & tamē certum eſt, quòd vita Chriſti erat maius bonum, quā

Ad.2. arg. ſalus totius mundi. ¶Ad ſecundum reſpondetur ꝙ qui orat propter bonum temporale conſequendū duo facit. Primum eſt orare. Secundum, appetere, & deſiderare bonū tēporale. Finis principalis, & immediatus orationis eſt bonū temporale: ſed finis deſiderij, quo appetit bonum temporale, vel formaliter, vel virtualiter, eſt Deus, in quē homo fidelis, & ſe & omnia ſua tandem ordinat, & refert. Ex quo fit, vt totus ille actus integer, qui eſt orare propter bonum temporale, tandem vltimo ordinatur in Deum.

3. Concluſio. ¶Tertia concluſio. Omnia opera præcepti poſſunt licitè fieri propter conſequendum bonum, vel temporale, vel æternum tanquam propter finem ſecundarium. De bono æterno omnes catholici conueniūt, & hæretici duntaxat contradicunt. Contra quos argumentor ex Paulo ad Heb.11. vbi non ſolum laudat Moyſen, quòd reſpiciens in remuneratorem, conſtanter negauit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis, & cum populo Dei affligi maluit, ſed & ea ratione Abraham affirmat labores peregrinationis ſuæ toleraſſe: & patientiam ipſius commēdat dicens. Fide, inquit, commoratus eſt in terra promiſsionis tanquam in aliena, in caſulis habitans cum Iſaac, & Iacob, cohæredibus repromiſsionis eiuſdem, expectabat enim fundamēta habētem ciuitatem cuius artifex eſt Deus. Et ad Coloſ.1. Gratias agimus Deo, & patri Domini noſtri Ieſu Chriſti ſemper pro vobis orantes, audientes fidem veſtram in Chriſto Ieſu, & dilectionē, quam habetis in ſanctos omnes, propter ſpem, quæ repoſita eſt vobis in cœlis. Et Pſal.118. Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes in æternum propter retributionem. Sed ratione ſic argumentor. Bona opera, & obſeruantia diuinorum mandatorum ſunt media conuenientia ad conſequēdam vitam æternam, iuxta reſpōſum Chriſti datum iuueni interroganti, Quid faciendo vitam æternam poſſidebo, cui dixit, Serua mandata, ſed licitum eſt optare vitam æternam, vt patet ex illo Pſal.26. Vnam petij à Domino hanc requiram, vt inhabitem in domo Dei: ergo etiam erit licitum pro conſequutione vitæ æternæ adhibere media conuenientia, qualia ſunt bona opera, & obſeruantia præceptorum. Secundo, Licitum & ſanctum eſt optare atque deſiderare, vt alij ſint boni, & inſtruere eos ad virtutem eo fine, vt tandem vitam æternam conſequantur: ergo pari ratione in noſtris operibus bonis licitum erit intendere eundem finem. Et confirmatur. Deus dat nobis auxilia gratiæ, & vocat atque iuſtificat homines eo fine, vt tandem beatitudinem largiatur: ergo pari ratione erit nobis licitū eundem finem intendere cum bene operamur. Probo conſequentiam: nam licitum eſt vnicuíque habere pro fine in ſuis operibus illum quem Deus habet cum præſtat auxilium ad talia opera efficiēda. Tandem hoc ipſum probatur ex communi conſenſu omnium doctorum ſanctorum. Nam D. Cyprianus ſæpe in ſuis epiſtolis illuſtres illos Chriſti milites, qui pro ipſius confeſſione in carceribus detinebantur ad patientiam & perſeuerantiam, ſpe coronæ cœleſtis, hortatur, & expectatione futurorū pręſentia ſupplicia calcanda eſſe docet. Vnde ad Sergium, & Rogatianum inter alia ſcribit, Superuenturæ claritatis gloriam cogitantes preſſuras omnes, & perſecutiones calcare nos conuenit. Et lib. 2. epiſtola.4. Vbi non niſi Dei præcepta & Chriſti præmia cogitantur voluntas eſt, illic tantum Dei. Idem etiā docent D. Chryſoſtomus & Theophylactus ſupra locū Pauli iam citatum ad Hebræ.11. Et D. Auguſtinus ſuper Pſalm.14. dicit: Non faciamus aliquid, niſi ſpe cœleſtium præmiorum, ipſa eſt enim altitudo non hic quęrere mercedem ſed ſurſum. Et D. Hieronymus lib.2. contra Iouinianum dicit, Paulum ideò plus laboraſſe, vt plus placeret Deo, & maiorem mercedē acciperet. Sed quòd etiam ſit licitum intendere præmium temporale, tanquam finem ſecundarium in obſeruātia præceptorum, probatur. Ex obſeruantia pręceptorum diuinorum inter alia bona etiam ſequitur bonum temporale, ſæpe enim propter peccata, atque ſcelera affliguntur homines temporalibus incommodis: ſed licitum eſt ſeruire Deo propter illa bona, quæ ſequuntur ex eius cultu conſtituendo vnumquodque illorum in ſuo ordine, in primo loco gloriam diuinam, in ſecundo beatitudinē æternam, in tertio bona temporalia, quæ inde ſequuntur: ergo in obſeruatione præceptorum licet intēdere bonum temporale. ¶Secundo, Si ſeruire Deo propter bonum temporale eo modo, quo diximus eſ-

ſet malum, vel eſſet malum ex parte obiecti, vel eo quòd opus virtutis ordinatur ad bonum temporale: ſed nihil horum poteſt dici, ergo. Probo minorem. Et primo quod ſeruire Deo propter bonum temporale, nō ſit malum ex parte obiecti eſt res manifeſta: quia appetere bonum temporale mode ratum non eſt malum. Sed quod nec etiam ſit malum ex eo, quòd opus virtutis ordinatur ad bonū temporale, probatur. Illa opera ex diuina inſtitutione ſunt media ordinata, primo & principaliter ad illuſtrandā gloriam diuinam, ſecundo, ad comparandam nobis vitam ęternam, tertio, ad huius vitæ incommoda maxima ex parte vitanda: ergo non eſt malum opera virtutum ad hos fines ordinare.

4. Concluſio. ¶ Quarta cōcluſio. Obſeruare diuina mādata propter præmium, vel æternum, vel tēporale, tanquam propter finem principalē ità vt illo ſublato nō eſſet obſeruaturus eſt peccatum mortale. Ita tenent Adria. Durand. & Vega, locis citatis. Probatur. Qui taliter eſt affectus non diligit Deū ſuper omnia, ſed potius diligit ſuam fœlicitatem, & beatitudinem: ergo peccat mortaliter. Secūdo, Qui deliberat non obſeruare diuina mādata ſtante aliqua conditione, quæ poteſt poni & poſita non tolluntur diuina mandata, talis apertè facit contra præceptum diuinum, & obedientiam Dei: ſed poſsibile eſt, quòd operibus bonis non detur beatitudo & nihilominus maneret obligatio ad opera bona facienda: ergo qui diceret ſe non bene operaturum, niſi eſſet propoſita beatitudo, proculdubio faceret contra obedientiam Dei, & ex conſequenti peccaret mortaliter.

5. Concluſio. ¶ Quinta concluſio. Non eſt licitum diligere Deum & ſeruare eius mandata propter conſequendam vitam æternam, tanquam propter finem pręcipuum, & principalem, etiam ſi non apponatur illa conditio ſupra dicta. Hæc concluſio eſt contra D. Bonauent. & Adria. locis citatis. Sed illam tenet D. Tho. in hoc articulo vbi affirmat non eſſe licitum diligere Deum propter aliud ſi ly, propter, dicat cauſam finalem, quod intelligendum eſt de cauſa finali pręcipua, & principali, vt conſtat ex ratione ipſius. Et probatur. Finis præcipuus, & principalis, ad quem omnia bona opera referenda ſunt, eſt gloria Dei, ſcilicet, vt in nobis glorificetur Deus: ergo male facit, qui in ſuis bonis operibus, quamuis intendat gloriam Dei, intendit tamen alium finem magis principaliter, ſcilicet, propriam beatitudinem. Secundo, Amare, & appetere fœlicitatem ſuam, eſt ſeipſum amare: ergo qui ſeruit Deo primo & principaliter propter propriam beatitudinem non diligit Deum ſuper omnia, ſed ſeipſum, & ſuā beatitudinem, atque ex conſequenti peccat. Tertio, Seruire Deo primo & principaliter propter bonum, & præmium temporale, etiam ſi alioqui eſſet Deo ſeruiturus, eſt amor mercenarius, & malus: quia tunc in affectu bonum temporale anteponitur bono diuino, ſed cum quis amat Deū principaliter propter beatitudinem propriā, tūc beatitudo, quæ eſt bonum creatum in affectu anteponitur bono diuino increato, ergo ſimiliter talis amor, & cultus Dei erit malus. Et confirmatur ex verbis concilij Trident. ſeſsio. 6. cap. 11. ſupra citatis, vbi dicitur eſſe licitum Deum diligere propter mercedem æternam, dummodo in primis intendamus quòd glorificetur Deus: ſed qui primo & principaliter intendit ſuam beatitudinem, non primo, & principaliter intendit, vt glorificetur Deus, ergo male operatur.

¶ Et ſi quis quærat quantum peccatum ſit diligere Deum principaliter propter beatitudinem, vtrum, ſcilicet, ſit mortale, vel veniale, reſpondendū cenſeo ſub diſtinctione. Dubium. Nam vel beatitudo æterna habetur pro fine principali in vno aliquo opere particulari, aut habetur pro fine principali totius vitę. Solutio. Si habeatur pro fine præcipuo in vno aliquo opere particulari tunc non eſt peccatum mortale, ſed veniale. Quod non ſit mortale patet, quia cum hoc ſtat charitas & amicitia Dei: quod autem ſit veniale probatur. In bene operando ad duos fines debemus reſpicere, ſcilicet, ad gloriam Dei primo & principaliter, & ſecundariò ad noſtram beatitudinem, ergo peruertere in aliquo opere huiuſmodi ordinem, & primo, & principaliter reſpicere ad beatitudinem noſtram erit quædam deordinatio, atq; ex conſequenti peccatum veniale. Cæterum conſtituere beatitudinem æternam, tanquā finem præcipuum, & principalem omniū noſtrarum operationum, eſt peccatū mortale. Et probatur. Eſt contra charitatem, cū ille, qui eo modo affectus eſt, nullo modo poſsit habere Deum prò vltimo fine ſuę vitę: ergo eſt peccatum mortale. Et confirmatur. Talis nunquam amat Deū amore amicitiæ, cum nunquam diligat Deum principaliter

paliter propter ipſum, ſed propter, ſe & ſuā beatitudinem: ergo peccat mortaliter.

Dubium. ¶Sed dubitabit aliquis hoc loco, vtrum ſit concedendum, quod Chriſtus in quantum homo dilexit Deum propter præmiū vel æternum, vel temporale, vt concedebat Vega, motus illo teſtimonio Pauli ad Hebræ.12. Qui ppoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem confuſione contempta.

Solutio. ¶Reſpondetur tamen nulla ratione eſſe concedēdum, quòd Chriſtus Dominus dilexit Deum propter præmium æternum, vel temporale, tanquam propter finem, vel primarium, vel ſecundarium. Et quidem quòd non dilexerit propter præmium æternum eſt res manifeſta, cum ab inſtanti primo ſuæ conceptionis fuerit conſequutus beatitudinem, ſed quòd nec etiam dilexerit propter præmium tēporale, Probatur: Nam diligere Deum propter pręmium tēporale eſt imperfectorum, amor autē Chriſti fuit omnium maximus & perfectiſsimus. Et ad argumentum Vegæ reſpondetur quòd procedit ex praua intelligentia illius loci. Quando enim dicitur. Qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem ly, propoſito, non eſt vna dictio, ſed duę dictiones, vt patet ex exemplari Græco & ex codicibus emendatis vulgatę editionis. Et ſic germanus ſenſus verborum Pauli eſt, quòd Chriſtus Dominus cum eſſet ſibi liberum vtrumque, ſcilicet, vel gaudere, vel pro hominibus mori pro gaudio, ideſt, pro regno, & vita fœlici, ad quam ſæpe ab ipſis Iudæis fuerat vocatus, elegit tamen mortem acerbam, & ignominioſam propter ſalutē noſtrā, in quo maxime emicuit illius ſumma charitas erga homines.

Ad argumēta in principio facta. ¶Ad argumenta in principio facta ex dictis patet ſolutio: omnia enim probant non eſſe diligendum Deum propter beatitudinem tanquam propter finem principalem & primarium, quod nos libenter concedimus in quarta & quinta concluſione.

ARTICVLVS IIII

3.d.27.q.3. art.1. Et.d. 34.q.1.ar.1. ad.5. Et Ve. q.10.ar.11. ad.6.& Ve. q.2.ar.2.ad 11.

¶*Vtrum Deus in hac vita poſsit immediatè amari.*

AD QVARTVM ſic proceditur. Videtur, quòd Deus in hac vita non poſsit immediate amari. Incognita enim amari non poſſunt: vt Auguſt. dicit * 10.de Trinit. Sed Deū non cognoſcimus immediatè in hac vita: quia videmus nunc per ſpeculū in ænigmate: vt dicitur primæ ad Corint.13. Ergo neque etiam eum immediate amamus. *Lib. 10. c.1. & .2.to.3.*

2 ¶Præterea, Qui non poteſt quod minus eſt, non poteſt quod maius eſt. Sed maius eſt amare deum quàm cognoſcere ipſum: qui enim adhæret deo per amorem: vnus ſpiritus cum illo eſt, vt dicitur primæ ad Corint. 6. Sed homo non poteſt deum cognoſcere immediate. Ergo multo minus amare.

3 ¶Præterea, Homo à deo diſiungitur per peccatum, ſecundum illud Iſa. 59. Peccata veſtra diuiſerunt inter vos & deum veſtrum. Sed peccatum magis eſt in voluntate, quàm in intellectu. Ergo minus poteſt homo deum diligere immediate, quàm deū immediate cognoſcere.

¶SED CONTRA eſt, quod cognitio Dei, quia eſt mediata, dicitur ænigmatica, & euacuatur in patria, vt patet primę ad Corint.13. Sed charitas viæ non euacuatur, vt ibidem dicitur. Ergo charitas viæ immediate Deo adhæret.

¶RESPONDEO dicendū, quòd ſicut ſupra dictum * eſt, actus cognitiuæ virtutis perficitur per hoc, quòd cognitum eſt in cognoſcente. Actus autem appetitiuæ virtutis perficitur per hoc, quòd appetitus inclinatur ad rem ipſam. Et ideo oportet, quod motus appetitiuæ virtutis ſit in re ſecundum cognitionem ipſarum rerū: actus autem cognitiuæ virtutis eſt ſecūdum modum cognoſcentis. Eſt autem ipſe ordo rerum talis ſecundum ſe, quòd Deus eſt propter ſeipſum cognoſcibilis & diligibilis, vtpote eſſentialiter exiſtens ipſa veritas & bonitas, per quam alia & cognoſcuntur & amantur. Sed quo ad nos, quia noſtra cognitio à ſenſu ortum habet, prius ſunt cognoſcibi- *1.p.q.82.*

lia, quæ ſunt ſenſui propinquiora: & vlterius termin' cognitionis eſt in eo, quod eſt maximè à ſenſu remotum. Secundum hoc ergo dicẽdum eſt, quod dilectio, quæ eſt appetitiuæ virtutis actus, etiã in ſtatu viæ tendit in Deum primo, & ex ipſo deriuatur ad alia, & ſecundum hoc charitas Deum immediate diligit, alia vero Deo mediante. In cognitione verò eſt ẽcõuerſo, quia ſcilicet, per alia Deũ cognoſcimus, ſicut cauſam per effectus, vel per modum eminentiæ, aut negationis, vt patet per Dionyſ. * in libro de Diuinis nomin.

Cap. 4. par. 1 circa med. libri.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd quamuis incognita non poſsint amari: tamẽ nõ oportet quòd ſit idem ordo cognitionis & dilectionis. Nam dilectio eſt cognitionis terminus. Et ideo vbi deſinit cognitio, ſcilicet in ipſa re, quæ per aliam cognoſcitur, ibi ſtatim dilectio incipere poteſt.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd quia dilectio Dei eſt maius aliquid, quàm eius cognitio, maximè ſecundum ſtatum viæ: ideo præſupponit ipſam. Et quia cognitio nõ quieſcit in rebus creatis, ſed per eas in aliud tendit, in illo dilectio incipit: & per hoc ad alia deriuatur per modum cuiuſdam circulationis, dũ cognitio à creaturis incipiens, tendit in Deum, & dilectio à deo incipiens ſicut ab vltimo fine, ad creaturas deriuatur.

¶ Ad tertium dicendum, ꝙ per charitatem tollitur auerſio à Deo quæ eſt per peccatum, non autem per ſolam cognitionem. Et ideo charitas eſt, quę diligendo, animam immediate Deo coniungit ſpiritualis vinculo vnionis.

SVMMA TEXTVS.

POſita differentia, quæ eſt inter intellectum, & voluntatem, & conſiſtit in hoc quòd intellectus trahit res ad ſe, volũtas fertur in ipſas rés, vt iam ſæpius dixerat, reſpõdet D. Tho. ad difficultatem vnica concluſione affirmatiua. Et ꝓbatur. Dilectio, quæ eſt actus appetitiuæ potẽtiæ etiam pro iſto ſtatu tendit primo in Deum, & ex ipſo deriuatur ad alia, cuius contrarium contingit in cognitione quæ cum incipiat à ſenſu primo per illam cognoſcimus creaturas, & ex illarum cognitione deuenimus in cognitionem Dei, ergo Deus in hac vita immediate poteſt amari. Ratio huius articuli eſt eadem cum alia, quam D. Tho. aſsignauit ſupra quæſt. 23. art. 6. ad primum vt probaret charitatem eſſe præſtantiorem fide, vnde videnda erunt quæ eo loco diximus.

ARTICVLVS V.

¶ Vtrum Deus poſsit totaliter amari.

AD QVINTVM ſic ꝓceditur. Videtur, quòd Deus non poſsit totaliter amari. Amor enim ſequitur cognitionem. Sed Deus non poteſt totaliter à nobis cognoſci: quia hoc eſſet eum comprehendere. Ergo non poteſt à nobis totaliter amari.

3. d. 27. q. 3. art. 2. Et Ve. q. 2. art. 10. ad. 5.

2 ¶ Præterea, Amor eſt vnio quædã, vt patet per Diony. 4. cap. de Diui. * nom. Sed cor hominis non poteſt totaliter Deo vniri: quia Deus eſt maior corde noſtro, vt dicit. 1. Ioan. 3. Ergo Deus non poteſt totaliter amari.

3 ¶ Præterea, Deus ſeipſum totaliter amat. Si ergo ab aliquo alio totaliter amatur, aliquis alius diligit Deum tantum, quantum ipſe ſe diligit. Hoc autem eſt inconueniens. Ergo Deus non poteſt totaliter diligi ab aliqua creatura.

¶ SED CONTRA eſt, quod dicitur Deut. 6. Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo.

¶ RESPONDEO dicendũ, quòd cum dilectio intelligatur quaſi mediũ inter amantem & amatum, cum quęritur an deus poſsit totaliter diligi, tripliciter poteſt intelligi. Vno modo, vt modus totalitatis referatur ad rẽ dilectam: & ſic Deus eſt totaliter diligendus, quia totum quod ad Deum pertinet, homo diligere debet. Alio modo

poteſt

poteſt intelligi ita, quòd totalitas reſeratur ad diligentem: & ſic etiam Deus totaliter diligi debet: quia ex toto poſſe ſuo homo debet diligere Deum: & quicquid habet, ad Dei amorem ordinare, ſecundum illud Deut. 6. Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Tertio modo poteſt intelligi ſecundum comparationē diligentis ad rem dilectam, vt ſcilicet modus diligentis adæquet modum rei dilectæ. Et hoc nō poteſt eſſe. Cum enim vnumquodque intantū diligibile ſit, inquantum eſt bonū, Deus cuius bonitas eſt infinita, eſt infinitè diligibilis. Nulla autē creatura poteſt Deū infinite diligere, quia omnis virtus creaturæ ſiue naturalis, ſiue infuſa, eſt finita. Et per hoc patet reſpōſio ad obiecta. Nā primæ tres obiectiones procedunt ſecundum hūc tertium ſenſum. Vltima autem ratio procedit in ſenſu ſecundo.

SVMMA TEXTVS.

ANtequam D. Tho. reſpondeat ad difficultatem præmittir, quòd cum dilectio intelligatur quaſi medium inter amantem, & amatum cum quæritur, vtrū Deus poſsit totaliter diligi, præſens quæſtio tripliciter poteſt intelligi. Primo ità, vt modus totalitatis referatur ad rem dilectā. Secundo ità, vt modus totalitatis referatur ad diligentem. Tertio ſecundum comparationem diligentis ad rem dilectam, ità, ſcilicet, vt modus diligentis adæquet modum rei dilectæ. Et iuxta hos tres ſenſus tres etiàm cōſtituit propoſitiones. ❡Prima concluſio. Si modus totalitatis ſeratur ad rem dilectam, ſic Deus in hac vita eſt totaliter diligēdus. Probatur: nam homo totum quod ad Deū pertinet debet diligere. ❡Secunda concluſio. Si modus totalitatis referatur ad diligētem, ſic etiam Deus eſt totaliter diligēdus. Probatur: quia homo ex toto ſuo poſſe debet Deum diligere, & omnia ſua ad Dei amorem ordinare, iuxta illud Deuterono. cap. 6. Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo. ❡Tertia concluſio. Si modus totalitatis intelligatur ſecundum comparationem diligentis ad rem dilectam, ita, ſcilicet, vt modus diligentis adæquet modum rei dilectæ, ſic Deus non poteſt totaliter diligi. Probatur. Vnumquodque in tantum eſt diligibile, inquantum eſt bonum, ſed Deus eſt infinitè bonus, ergo & infinite diligibilis. Nulla autem creatura poteſt Deum infinitè diligere, cum omnis virtus creaturæ, ſiue naturalis, ſiue infuſa ſit finita, ergo.

EXPLICATIO ARTICVLI.

PRima atque ſecunda concluſio D. Tho. conſtat ex his, quæ diximus ſupra, cùm ageremus de modo, quo homo in hac vita tenetur Deum totaliter diligere, nō admittendo, ſcilicet, aliquid quod ſit ſuæ diuinæ voluntati contrarium, nec actu, nec habitu, nec etiam odio habendo aliquod eorum, quæ ad ipſum pertinent.

❡Circa tertiam concluſionem poterat diſputari, vtrū anima Chriſti diligat Deū totaliter, hoc eſt, omnibus modis, quibus diligibilis eſt? ſed hoc propriè pertinet ad tertiam partem. q. 3. Et concluſio eſt, quòd nec anima Chriſti, nec quæcunque alia creatura etiam de potentia Dei abſoluta, poteſt Deum diligere, quantum eſt diligibilis: quia ad huc requiritur virtus infinita, quæ ſoli Deo poteſt cōuenire, vt docet D. Tho. in hoc articulo.

ARTICVLVS VI.

❡ *Vtrum diuinæ dilectionis ſit aliquis modus habendus.*

AD SEXTVM ſic proceditur. *3. d. 27. q. 3. art. 3. Et 3. q. 2. art. 2. ad. 13.*
Videtur, quòd diuinæ dilectionis ſit aliquis modus habendus. Ratio enim boni conſiſtit in modo, ſpecie, & ordine, vt patet per Auguſt.* in lib. de natura boni. Sed dilectio dei eſt optimum in homine, ſecundum illud ad Col. 3. Super omnia charitatē habete. Ergo dilectio Dei debet modum habere. *Ca. 3. & 4. habetur to. 6 Ca. 8. parum à prin. to. 1.*

2 ¶Prçterea, Aug.* dicit in lib. de Mori. Eccle. Dic mihi, quæſo te, quis ſit diligendi modus. Vereor enim ne plus minuſue quàm oportet inflammer deſiderio & amore domini mei. Fruſtra autem quæreret modum, niſi eſſet aliquis diuinæ dilectionis modus. Ergo eſt *Lib. 4 ca. 3. circa med. to. 5.*

eſt aliquis modus diuinæ dilectionis.

Lib. 4. ca. 3. circa med. to. 5. 3 ¶ Præterea, Sicut Aug. dicit quarto ſuper Gen. ad literam, Modus eſt quē vnicuique propria menſura præfigit. Sed menſura voluntatis humanæ, ſicut & actionis exterioris, eſt ratio, Ergo ſicut in exteriori effectu charitatis oportet habere modum à ratione præſtitum (ſecundum illud Rom. 12. Rationabile obſequium veſtrum) ita etiam interior dilectio Dei debet modum habere.

¶ SED CONTRA eſt, quod Bern. dicit in lib. de Diligendo Deū, quod cauſa diligendi Deum eſt Deus, modus ſine modo diligere. *Incerpo. art.*

¶ RESPONDEO dicendū, quòd ſicut patet ex inducta authoritate Au. modus importat quandam menſuræ determinationem. Hæc autem determinatio inuenitur & in menſura & in menſurato, aliter tamen & aliter. In menſura enim inuenitur eſſentialiter: quia mēſura ſecūdū ſeipſam eſt determinatiua & modificatiua aliorum. In menſuratis autem inuenitur menſura ſecundum aliquid, id eſt, in quantum attingūt mēſuram. Et ideo in mēſura nihil poteſt accipi immodificatū: ſed res mēſurata eſt immodificata niſi mē ſuram attingat, ſiue deficiat, ſiue excedat. In omnibus autem appetibilibus & agibilibus menſura eſt finis: quia eorum, quæ appetimus & agimus, oportet propriam rationem ex fine accipere, vt patet per Philoſophum in ſecundo Phyſ. Et ideo finis ſecundum ſeipſum habet modum. Ea vero quæ ſunt ad finem, habent modū ex eo, quòd ſunt fini proportionata. Et ideo ſicut Philoſophus dicit in primo Politic. Appetitus finis in omnibus artibus eſt abſque fine & termino: eorum autem quæ ſunt ad finē, eſt aliquis terminus. Non enim Medicus imponit aliquem terminum ſanitati, ſed facit eam perfectam, quantumcunque poteſt: ſed medicinæ imponit terminum. Non enim dat tantum de medicina, quantum poteſt, ſed ſecundum proportionē ad ſanitatē. Quā quidē proportionē ſi medicina excederet, vel ab ea deficeret, eſſet immoderata. Finis autem omnium actionum humanarum & affectionum eſt dilectio Dei per quam maximè attingimus vltimum finem, vt ſupra dictum eſt. Et ideo in dilectione Dei non poteſt accipi modus, ſicut in re mēſurata, vt ſit in ea accipere plus & minus, ſed ſicut inuenitur modus in menſura, in qua non poteſt eſſe exceſſus. Sed quāto plus attingitur regula, tanto melius eſt: & ita quanto Deus plus diligitur, tanto eſt dilectio melior.

In argu. 3° huius art.

Li. 2. tex. 82 to. 2.

Lib. 1. Polit. c. 6. à med. tom. 5.

q. 23. art. 6.

¶ AD PRIMUM ergo dicendum, quod illud quod eſt per ſe, potius eſt eo quod eſt per aliud. Et ideo bonitas menſuræ, quæ per ſe habet modum, potior eſt quàm bonitas mēſurati, quę habet modum per aliud, Et ſic etiam charitas, quæ habet modū ſicut menſura, præeminet alijs virtutibus, quæ habent modum ſicut menſuratæ.

¶ Ad ſecundum dicēdum, quòd ſicut Aug. ibidem ſubiungit, modus diligendi Deum eſt, vt ex toto corde diligatur, id eſt, diligatur quātumcunque poteſt diligi. Et hoc pertinet ad modū qui conuenit menſuræ. *Ca. 8. e. 11 to. 1.*

¶ Ad tertium dicendū, quòd affectio illa, cuius obiectum ſubiacet iudicio rationis, eſt ratione menſuranda. Sed obiectum diuinę dilectionis, quod eſt Deus, excedit iudiciū rationis, & ideo nō menſuratur ratione, ſed rationem excedit. Nec eſt ſimile de interiori actu charitatis, & exterioribus actibus. Nam interior actus charitatis habet rationem finis, quia vltimum bonū hominis conſiſtit in hoc, quod anima Deo inhęreat, ſecundum illud Pſalm. Mihi adhærere Deo bonum eſt, Exteriores autē actus ſunt ſicut ad finem: & ideo ſunt commenſurandi, & ſecundum charitatem & ſecūdū rationem.

SVM-

SVMMA TEXTVS.

SVppoſito, quod modus importat quandam menſuræ determinationem, quæ inueniri poteſt, tam in menſura, quam in menſurato, quanuis diuerſimodè, nam in menſura inuenitur eſſentialiter cum ipſa ſecundum ſe ſit determinatiua, & modificatiua aliorum: in menſuratis autem inuenitur ſecundum quid, in quantum attinguũt menſuram, ex quo fit, vt in menſura nihil poſsit eſſe immodificatum, ſed res menſurata eſt immodificata, niſi menſuram attingat, ſiue per exceſſum, ſiue per defectum, reſpondet D. Tho. ad difficultatem per hanc concluſionem. Deus eſt diligendus ſine modo & menſura, hoc eſt, quanto plus diligimus tanto melius. Probatur. Finis omnium actionum humanarum, & affectionum eſt dilectio Dei, per quam maximè attingimus vltimum finem, ſed appetitus finis in omnibus artibus eſt abſque menſura, & modo, & eorum, quæ ſunt ad finem eſt aliquis modus: non enim medicus imponit aliquem terminum ſanitati, ſed facit eam perfectam, quantum poteſt, & medicinæ imponit terminum dando eam ſecundum proportionem: ergo dilectionis diuinæ nullus eſt modus, aut menſura.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Nota circa rationem D. Tho.

CIrca rationem huius articuli eſt aduertẽdum, quòd ea fundatur in eo, quod finis habet rationem menſuræ, & non mẽſurati, in menſura autem nõ poteſt eſſe exceſſus, aut defectus alioqui menſuræ oporteret eſſe aliam menſurã, cum exceſſus aut defectus attendatur per ordinem ad aliquã menſurã, quæ exceditur, vel à qua aliquid deficit, quod eſt abſurdum. Eſtque hoc maximè notandum in appetibilibus, & agibilibus, quorum mẽſura eſt finis, ex quo fit, vt in illis ex fine ſemper ratio ſit habenda. Vnde D. Bernardus in libro de diligendo Deum, ſtatim in principio, dicebat, quòd cauſa diligendi Deum eſt Deus, modus autem ſine modo diligere. Ex his poſſumus, colligere duo. Primum eſt, quam grauiter peccent auari, dum rem menſuratam, puta pecuniam conſtituũt aliorum menſuram. Secundum, quòd male faciunt illi, qui putantes ſibi ſatis eſſe ad certum gradum virtutis peruenire non curant vlterius progredi, cum certum ſit quòd quanto meliores erunt tanto magis conformes. & cõmenſurati erunt ſuo vltimo fini. Et propterea regius vates dicebat de ſanctis. Ibunt de virtute in virtutem. Et D. Paul. ad Philippen. 3. Quæ retrò ſunt obliuiſcens, & ad ea, quæ ſunt priora extendens meipſum ad deſtinatum perſequor, ad brauium ſupernæ. &c.

Nota circa ſolutionẽ ad 3.

¶ In ſolutione ad tertium dicit D. Tho. quòd actus interior charitatis habet rationem finis, quia vltimum bonum hominis conſiſtit in eo, quòd anima Deo inhæreat. Circa quod eſt aduertendum, quòd hic tantum fit comparatio actus interioris charitatis ad actus exteriores ab illa imperatos, qui ſunt ad finem. Et reſpectu illorum dicit, ꝙ actus interior eſt finis: nec loquitur de actu diuinæ viſionis: nam tunc ſequeretur contra eundẽ, ꝙ beatitudo eſſentialiter cõſiſteret in actu voluntatis, & non in actu intellectus, cuius contrarium docuit. 1.2.q.3.art.4. Itaque vult dicere, quòd actus interior charitatis eſt finis eorum actuum, qui imperantur à charitate, ordinanturque ad illam, tãquam media ad finem. Reſpectu autem viſionis beatificæ in mente beati diuinitus impreſſæ, dilectio nõ eſt finis: quin potius ipſa notitia eſt obiectum, & finis dilectionis, & aggregatum ex viſione, & dilectione eſt menſura aliorum, vt optime explicat Caietanus in præſenti.

ARTICVLVS VII.

¶ *Vtrum ſit magis meritorium diligere inimicum quàm amicum.*

AD SEPTIMVM ſic procedi tur. Videtur, quod magis meritorium ſit diligere inimicum, quàm amicum. Dicitur enim Matth. 5. Si diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis; Diligere ergo amicum non meretur mercedem: ſed diligere inimicũ meretur mercedem, vt ibidem oſtenditur. Ergo magis eſt meritorium diligere inimicos quàm amicos.

Inf. ar. 8. ad 2. Et. 3. diſt. 30. ar. 3. & art. 4. ad. 3. Et Virt. q. 2. art. 8. co. ſi. & ad. 17.

2 ¶ Præterea, Tanto aliquid eſt magis meritorium, quãto ex maiori charitate

ritate procedit. Sed diligere inimicum eſt perfectorũ filiorum Dei, vt Aug. dicit *in Enchiridio. Diligere autem amicum eſt etiam charitatis imperfectæ. Ergo maioris meriti eſt diligere inimicum, quàm amicum.

Enchi.c.73 to.3.

3 ¶ Præterea, Vbi eſt maior conatus ad bonum, ibi videtur eſſe maius meritũ, quia vnuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem, vt dicitur. 1. ad Cor. 3. Sed maiori conatu indiget homo ad hoc, quod diligat inimicum, quàm ad hoc quòd diligat amicum, quia difficilius eſt. Ergo videtur quod diligere inimicum ſit magis meritorium quàm diligere amicum.

¶ SED CONTRA eſt, quia illud quod eſt melius eſt magis meritoriũ, ſed melius eſt diligere amicum, quia melius eſt diligere meliorem: amicus autem qui amat eſt melior quàm inimicus qui odit. ergo diligere amicum eſt magis meritorium, quàm diligere inimicum.

¶ RESPONDEO dicendũ, quòd ratio diligendi proximum ex charitate, Deus eſt, ſicut ſupra dictum *eſt. Cum ergo quæritur quid ſit melius vel magis meritorium, vtrum diligere amicũ vel inimicum, dupliciter iſtę dilectiones comparari poſſunt. Vno modo ex parte proximi qui diligitur: alio modo ex parte rationis, propter quam diligitur. Primo quidem modo dilectio amici præeminet dilectioni inimici, quia amicus & melior eſt & magis coniunctus. Vnde eſt materia magis conueniens dilectioni. Et propter hoc actus dilectionis ſuper hanc materiam tranſiens melior eſt: vnde & eius oppoſitum eſt deterius. Peius enim eſt odire amicum, quàm inimicum. Secundo autem modo dilectio inimici præeminet propter duo. Primo quidem, quia dilectionis amici poteſt eſſe alia ratio, quàm Deus: ſed dilectionis inimici ſolus Deus eſt ratio.

q.25. art.1.

Secundo, quia præſuppoſito, quòd vterque propter Deum diligatur, fortior oſtenditur eſſe Dei dilectio, quæ animum hominis ad remotiora extendit, ſcilicet vſque ad dilectionem inimicorum, ſicut virtus ignis tãto oſtenditur eſſe fortior, quanto ad remotiora diffundit ſuum calorem. Tanto ergo oſtenditur diuina dilectio eſſe fortior quanto propter ipſam difficiliora implemus: ſicut & virtus ignis tanto eſt fortior, quanto comburere poteſt materiam minus combuſtibilem. Sed ſicut idem ignis in propinquiora fortius agit, quàm in remotiora. ita etiam charitas feruentius diligit coniunctos, quàm remotos. Et quantum ad hoc dilectio amicorum ſecundum ſe conſiderata, eſt feruẽtior & melior, quàm dilectio inimicorum.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd verbum Domini eſt per ſe intelligendum. Tunc enim dilectio amicorum apud Deum mercedem non habet, quando propter hoc ſolũ amantur, quia amici. Et hoc videtur accidere, quando ſic amantur amici, quòd inimici non diliguntur. Eſt tamen meritoria amicorum dilectio, ſi propter Deum diligantur, & non ſolum quia amici ſunt.

¶ Ad alia patet reſponſio per ea, quæ dicta ſunt. Nam duæ rationes ſequentes procedunt ex parte rationis diligendi, vltima vero ex parte eorum, quæ diliguntur.

SVMMA TEXTVS.

SVppoſito, ꝙ, cùm quęrimus, quodnam ſit magis meritoriũ diligere, amicum, vel inimicũ, huiuſmodi cõparationes poſſunt intelligi, vel ex parte proximi, qui diligitur, vel ex parte rationis propter quã diligitur, reſpondet D. Tho. ad difficultatẽ per tres ꝑpoſitiones. ¶ Prima cõcluſio. Ex parte rei dilectæ dilectio amici eſt melior, q̃ dilectio inimici. Probatur. Amicus eſt melius obiectum dilectionis, & magis cõiũctum, quã inimicus: ergo dilectio amici ex parte obie-

te obiecti eſt melior. ¶ Secunda concluſio. Ex parte rationis, propter quam proximus diligitur dilectio inimici præeminet dilectioni amicorũ. Probatur primo. Dilectionis inimicorũ ſolus Deus poteſt eſſe ratio, dilectionis autem amicorum poſſunt eſſe aliæ rationes naturales: ergo ex parte rationis diligendi melior eſt dilectio inimicorum.

¶ Secundo. Suppoſito, quòd vterq; propter Deum diligatur, fortior oſtenditur dilectio, quando terminatur ad inimicum, quam cum terminatur ad amicum, ergo ex hac parte melior eſt dilectio inimicorum. Conſequentia eſt nota, & antecedens probatur: nã virtus diuina tunc oſtenditur fortior, quando animum hominis ad remotiora extendit, ſunt autem inimici magis remoti quam amici. ¶ Tertia concluſio. Simpliciter loquendo dilectio amici eſt melior, & magis meritoria, quam dilectio inimici. Probatur. Id dicitur melius abſolutè, cuius oppoſitum eſt peius, ſed peius eſt abſolutè odio habere amicum, quam inimicum: ergo dilectio amici ſimpliciter eſt melior. Et confirmatur: nam charitas magis inclinat ad diligendum amicum, quam ad diligendum inimicum.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Dubium. Nota pro intelligentia quæſtionis. DE hac quæſtione, quæ difficilis eſt diſputant doctores in. 3. diſt. 29. habetq; ex vtraq; parte probatiſsimos autores. Sed, vt melius intelligatur aduertendum eſt ex Durando in. 3. diſt. 29. quæſt. 2. quòd dilectio amici tripliciter poteſt cõparari ad dilectionem inimici. Primo ità, vt vna dilectio aliam excludat, vt ſi verbi gratia, quis diligat amicum, & nullo modo inimicum, vel alius diligat inimicum, & nullo modo amicum: & ſecundum iſtam rationem certum eſt, quod neutra illarum dilectionum eſt meritoria nec aliquid valet. Secundo poteſt fieri comparatio, ità, vt vna dilectio aliã includat, & non contra. Vt ſi verbi gratia, Petrus diligat amicum, & inimicum, alius autẽ tãtũ diligat amicũ, & non inimicũ: & ſecundum iſtam rationem etiam eſt certũ, vt dicit Durãdus, ꝙ illa dilectio eſt melior, quæ aliam includit cum habeat ſe, vt totũ reſpectu alterius. Tertio poteſt fieri comparatio, ità, vt vna dilectio, nec formaliter includat aliam, nec excludat. Vt ſi verbi gratia, vnus diligat omnes amicos, inimicorũ autem non recordetur, & alius diligat inimicos, nec amicorũ memoriam habeat: & in hoc caſu procedit queſtio, quæ nã iſtarũ dilectionum formaliter ſit melior, & magis meritoria. De qua difficultate latè diſſerit Capreolus in. 3. diſt. 27. q. 1. Doctoreſquè diuiduntur in varias ſententias.

¶ Nam Scotus Gabriel & Almainus. d. 29. dicunt, quòd diligere inimicum, & diligere amicum habent æquale meritum, ſi ſit æqualis conatus & intenſio voluntatis. Cæterum ſi in aliqua iſtarum dilectionum ſit maior conatus vel intenſio, quam in altera illa dicitur magis meritoria. Dicunt tamen iſti doctores, quòd regulariter loquendo in dilectione inimici eſt maior conatus, quam in dilectione amici, ex quo fit, vt dilectio inimici, vt in plurimum ſit magis meritoria. *Varietas opinionum.*

¶ D. Tho. in hoc articulo abſolutè concludit, quòd dilectio amici eſt magis meritoria. Sed Capreolus loco citato videtur quadam ratione diſcedere à D. Tho. dicens, quòd, ſi dilectio amici, & inimici ſint æqualiter intẽſæ magis meritoria eſt dilectio inimici Affirmat tamen, quòd dilectio amici regulariter loquendo erit magis meritoria. ¶ Durand. in. 3. diſt. 29. q. 2. apertè contradicit D. Tho. dicens, quod dilectio inimici cæteris paribus eſt melior, & magis meritoria, quam dilectio amici. Cui etiam ſententiæ videtur ſuffragari D. Tho. in. 3. diſt. 30. quæſtio. 1.

¶ Sed ad explicationem huius difficultatis eſt aduertendum primo, quòd cum quęritur de bonitate, aut malitia alicuius actus in comparatione ad alium actum, tale iudicium ſumendum eſt ex pluribus. Nam primo eſt ſumendum ex habitu, à quo talis actus procedit. Secundo ex conatu. Et hoc eſt, ex maiori, vel minori applicatione potentiæ ad operandum. Tertio, ex intenſione ipſius actus. ¶ Quarto, ex obiecto, in quod fertur, & circa quod talis actus verſatur. Nec ex his quatuor rebus vna naſcitur ex alia, niſi ſola intenſio. Ad maiorẽ enim intenſionem actus producendam multum faciunt illæ tres res, ſcilicet, habitus, obiectum, & conatus, vel per ſe ſingulæ, vel ſimul coniunctæ. Nam certum eſt, quòd habitus intenſior cum æquali conatu producit actum intenſiorem, & ſimiliter reſpectu obiecti magis conuenientis, atque melioris cum æquali habitu, atque conatu elicitur actus intenſior. *1. Notabile.*

¶Secundo eſt aduertendum, quòd in dilectione amici, & inimici, ſi poſſet accidere, vt omnia eſſent paria præter obiectum, nulla eſſet ratio dubitandi, quænam illarum dilectionum eſſet magis meritoria, cum tunc tantum fieret comparatio ex parte obiectorum. Et certum eſt, quòd amicus eſt melius obiectum, quam inimicus, quamuis inimicus ſit obiectum difficilius. Sed ratio bonitatis in obiecto præſtat difficultati ſi cætera ſint paria. Quod autem facit iſtam quæſtionem difficilem eſt, quia nunquam poteſt euenire, vt in huiuſmodi dilectionibus inimicorum, & amicorum cætera ſint paria, præter obiectum. Nam ſi fingamus, quod tales dilectiones procedunt ab eodem habitu, & cum pari conatu, tunc erit neceſſariũ, quod dilectio amici ſit intenſior quam dilectio inimici: quia procedit ex pari habitu atque conatu, & verſatur circa obiectum magis coniunctum. Si autem fingamus, ꝙ ambæ illæ dilectiones ſunt æqualiter intenſę, tunc neceſſarium erit dicere, quòd habitus, vel conatus fuerint inæquales. Quocirca, quod de his omnibus vna & eadem feratur ſententia eſt omnino impoſsibile: ſed poterit fieri triplex comparatio, quantum attinet ad præſens inſtitutum, inter huiuſmodi dilectiones. Prima eſt, cùm ambæ dilectiones procedunt ab æquali habitu, vel conatu, ſunt tamen inter ſeſe inæqualiter intenſę. Secunda cùm ambæ dilectiones ſunt æqualiter intenſæ, conatus tamen eſt inæqualis, quia maior conatus eſt in dilectione inimici. Tertia comparatio eſt, quādo iſtæ dilectiones nec in conatu, nec in intenſione ſunt æquales, ſed vtrumque eſt maius in dilectione inimicorum.

1. *Concluſio.* ¶His ſuppoſitis ſit prima concluſio, Eodem habitu, & æquali conatu magis meritorium eſt diligere amicũ, quam inimicũ. Probatur. Iſtę dilectiones ex parte conatus ſunt æquales, & in dilectione amici intenſio neceſſario debet eſſe maior, atque etiam obiectũ eſt melius, ergo dilectio amici eſt magis meritoria. Conſequentia cum maiori eſt nota, & minor probatur. Et primò ꝙ in dilectione amici obiectum ſit melius eſt res manifeſta. Quòd autem etiam ſit maior intenſio patet. Nam vt diximus in primo notabili, voluntas cum æquali habitu atq; conatu intēſius operatur circa melius obiectum, & magis coniunctum, quale eſt amicus. Et confirmatur. Si in iſto caſu dilectio inimici eſſet magis meritoria, ex eo eſſet, quod eſt difficilior, ſed hæc ratio nihil valet, ergo. Probo minorem. Quoniam maior difficultas, quæ eſt in obiecto, tunc auget bonitatem aut malitiam operationis, quando eſt cauſa, vt potentia conetur magis circa tale obiectum, ſed in caſu, de quo loquimur (vt conſtat ex hypotheſi) non eſt maior conatus in vna dilectione quam in altera, ergo illa difficultas non auget meritum.

¶Secunda concluſio. Cum ambæ dilectiones ſunt æque intenſæ, licēt dilectio inimici ſit à maiori conatu, magis tamen meritoria eſt dilectio amici. Probatur. Quātam intenſionem facit in dilectione inimici maior conatus adhibitus, tantam facit in dilectione amici maior bonitas obiecti: ſed cũ iſta duo, ſcilicet, conatus ex vna parte, & bonitas obiecti ex altera, comparantur ęquali proportione, certum eſt quod magis facit ad meritum bonitas obiecti, quā conatus, quia ex obiecto ſumitur bonitas eſſentialis, & ſpecifica operationis: ergo cum dilectio amici & dilectio inimici ſunt ęquè intenſæ, licet dilectio inimici ſit à maiori conatu, magis tamen meritoria erit dilectio amici. Secundo, Odio habere amicum eſt peius & grauius quam odio habere inimicum: ergo diligere amicum cum æquali intenſione eſt melius. Probo cōſequentiam, ex regula cōmuniter recepta ab omnibus philoſophis, & theologis, quòd illud eſt melius cuius oppoſitum eſt peius. Item, dilectio amici ex genere ſuo eſt melior actus, quam dilectio inimici: ergo eſt magis meritorius. Conſequētia eſt nota, & antecedens ꝓbatur. Ille actus ex genere ſuo eſt melior, qui eſt de meliori obiecto, prima enim bonitas actus moralis ſumitur ex obiecto, ſed dilectio amici eſt de meliori obiecto vt oēs concedũt, ergo. Ad hoc argumentũ reſpondet Durādus loco citato, ad primũ, ꝙ, quāuis verũ ſit, ꝙ dilectio amici habet melius obiectum, quia tamen iſte actus eſt magis debitus, quā dilectio inimici, idcircò amor inimicorum eſt magis meritorius. Cæterũ hæc ſolutio peior eſt & magis falſa, quam eius opinio, quia, vt communiter docent theologi, quanto aliquis actus eſt magis debitus, tanto eſt magis meritorius, vt eſt videre in opere ex voto facto, quod, cęteris paribus, eſt magis meritoriũ, quia fit ex maiori debito. Et item ſubuenire proprijs parentibus, vt ipſe Durandus, & alij concedunt, eſt magis meritorium, quam ſubuenire extraneo: & tamen in auxilio præſtito parentibus

2. *Concluſio.*

tibus maius eſt debitũ, & obligatio. Quin
potiùs eſt regula generalis apud Theolo-
gos, quòd maior obligatio non tollit meri-
tum, ſed auget. Et ſic Epiſcopus, qui relicto
extraneo docet proprium ſubditum, ma-
gis meretur, quàm qui docet alienũ: & hoc
non ob aliam cauſam, niſi, quia tenetur ma
gis proprijs ouibus prouidere, quàm extra-
neis. Vnde pro noſtra concluſione tale faci
mus argumentum. Magis tenemur amare
amicum, quàm inimicũ: ergo dilectio ami-
ci eſt magis meritoria. Et confirmatur. Si
aliquis nos cõſulat, cui debeat potiùs ſubue
nire in graui neceſsitate, amico, an inimico,
certum eſt, quod dicemus, quod ſubueniat
amico, ergo hoc eſt magis meritorium. Pro
bo conſequentiam, aliàs non daremus bo-
num conſilium. Item, Ordo charitatis eſt
conſtitutus à Deo, & ſecundum illud eſt
maius, vel minus meritum, ſed ordo chari-
tatis expoſcit, vt magis diligamus amicũ,
quàm inimicum: ergo hoc eſt magis meri-
torium.

3. *Concluſio.* ❡ Tertia concluſio, Si dilectio inimici
ſit multò intenſior, quàm dilectio amici (id
quod rarò contingit) tunc dilectio inimici
eſt melior, & magis meritoria, quàm dile-
ctio amici. Probatur. Diligere inimicum in
tẽſius, quàm amicum, non poteſt accidere,
niſi ex ingenti conatu potentiæ: ergo in ta
li caſu cùm in dilectione inimici ſit maior
intenſio, & vehementiſsimus conatus po-
tentiæ, conſonũ eſt rationi, vt iſta duo, ſci-
licèt, intenſio & maior conatus præponde-
rent maiori bonitati obiecti, quæ eſt in di-
lectione amici.

4. *Concluſio.* ❡ Quarta concluſio, Dilectio inimici eſt
ſignũ certius charitatis & perfectionis cha-
ritatis, quàm dilectio amici. Probatur, Ami
cũ poſſumus pluribus alijs rationibus dili-
gere à charitate, inimicus aũt ſolũ poteſt di
ligi propter Deum, ergo ſignũ certius chari
tatis eſt dilectio inimici, quàm amici.

1. *Argu. contra.* 1. *&* 2. *cõcluſionem.* ❡ Sed contra primam, & ſecundam con
cluſionem argumentantur Durandus, &
alij multipliciter. Primò, ex illo Matth. 5.
Si diligitis eos, qui vos diligunt, quam mer
cedem habebitis? Quaſi dicat, nullam. Et
certum eſt, quòd pro quacunque dilectio-
ne inimici promittitur maximũ pręmium,
dum dicitur: Diligite inimicos veſtros be-
nefacite ijs, qui oderunt vos, vt ſitis filij pa-
tris veſtri, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper
bonos, & malos. Item D. Bernardus in ſer-
mone de paſsione Domini. Feria. 4. hebdo
madæ Sanctę, adducit illud Ioannis cap. 15.
Maiorem charitatem nemo habet, quàm,
vt animã ſuam ponat quis pro amicis ſuis.
Et dicit, Maiorẽ eam habuiſti tu Domine,
qui vitam poſuiſti etiã pro inimicis. Quaſi
ſignificans multò magis eſſe diligere inimi
cum, quàm amicum. Et gloſſa ſuper illud
Pſalm. 118. Reuela oculos meos, & conſide
rabo mirabilia de lege tua, dicit, Nihil mira
bilius in mandatis Dei, quàm diligere ini-
micum. ❡ Secundò ratione ſic argumẽtor, 2. *Argum.*
Virtus verſatur circa difficile, ſed magis dif
ficile eſt diligere inimicũ, quàm amicum:
ergo magis meritoriũ. ❡ Tertiò, Dilectio 3. *Argum.*
inimici includit in ſe dilectionem amici, &
non è contra: ergo dilectio inimici ſemper 4. *Argum.*
eſt magis meritoria. ❡ Quartò, Dilectio ini
mici procedit magis à charitate, quàm dile-
ctio amici, ergo eſt magis meritoria. Conſe
quentia eſt nota, & antecedens probatur.
Dilectio amici procedit à multis alijs ratio-
nibus, pręter charitatem, dilectio autem ini
mici tantum procedit à charitate: ergo.

❡ Ad primum ex Matth. reſpondetur, *Ad. 1. argu.*
quòd Chriſtus eo in loco loquitur de dile-
ctione amicorum procedente à natura, &
non à charitate, quod conſtat ex eo, quod
adiecit ſtatim, Nonne, & publicani hoc fa-
ciunt? Certum eſt autem, quòd dilectio na
turalis amicorum nulla ratione eſt compa-
randa cum dilectione inimicorũ, quæ pro-
cedit à charitate. Erit tamen magis merito-
ria amicorum dilectio, ſi propter Deũ fiat,
& non ſolum, quia amici ſunt, vt dicit D.
Thom. in ſolutione ad primum. Ad aliud
ex D. Bernardo reſpondetur, quòd dicit di
lectionem inimicorum eſſe maiorem chari
tatem, quàm dilectionem amicorum: quia
eſt maioris charitatis ſignum, vt diximus
in quarta concluſione. Et eodem modo re-
ſpondetur ad teſtimonium gloſſæ. ❡ Ad ſe *Ad. 2. argu.*
cundum argumentum principale reſpon-
detur primò, quòd ſi illud aliquid valeret
eadem ratione probaretur eſſe magis meri-
torium diligere inimicum, quàm Deum,
quia illud eſt magis difficile, quod tamen
eſt aperte falſum. Vel ſecundò reſpõdetur,
quòd quamuis verum ſit, quòd bonitas ope
ris, atq; meritum aliqua ex parte ſumatur
ex ipſius operis difficultate, pręcipuè tamẽ
ſumitur ex pręſtantia, & bonitate obiecti.
Vnde poterit contingere, vt aliquod opus
ſit magis difficile, & minus meritorium.
❡ Ad tertium reſpondetur, quòd dilectio
inimici includit in ſe dilectionem amici nõ

actu, ſed habitu. Quod eſt dicere, quòd is, qui diligit inimicum habet habitum charitatis, quo poſsit amicum diligere: cum hoc tamen ſtat quòd actualis dilectio amici ſit magis meritoria, quàm dilectio inimici.

Ad vltimũ argum. ¶ Ad vltimum reſpondetur negando antecedens. Et ad probationem dico, quòd in dilectione amici, quæ eſt ex charitate, ratio formalis diligendi eſt ſolus Deus,. Et hæc dilectio eſt, quæ in præſenti cõparatur cũ dilectione inimici: nec loquimur de dilectione naturali, quæ ſolum habet rationem meriti inquantum imperatur à charitate.

Corollariũ. ¶ Ex dictis omnibus infertur, quòd per ſe loquendo magis meritorium eſt diligere amicum, quàm inimicum: poterit tamen contingere, vt aliquando ex aliqua circunſtantia ſit melius, & magis meritorium diligere inimicum. Sed quia iudicium apud Theologos faciendum eſt de rebus, ſecundum illud, quod eis cõuenit per ſe, abſolutè concedendum eſt, quod dilectio amici eſt melior, & magis meritoria, ſicut & abſolutè cõcedimus, quod magis meritorium eſt ſubuenire patri, quàm extraneo, quanuis aliquãdo ex aliqua circunſtantia ſit magis meritorium ſubuenire extraneo. Vt ſi, verbi gratia, pater non ſit in tam graui neceſsitate, vel extraneus, ſit ità neceſſarius reipublicæ, vt ex illius vita patriæ incolumitas dependeat.

ARTICVLVS VIII.

¶ *Vtrùm ſit magis meritorium diligere proximum, quàm diligere Deum.*

Infra q. 182 ar. 2. co. & 3. d. 30. a. 4. & quodli. 6. art. 11. cor. AD OCTAVVM ſic proceditur. Videtur, quòd magis ſit meritorium diligere proximum, quàm diligere Deũ. Illud enim videtur eſſe magis meritorium, quod Apoſtolus magis elegit: ſed Apoſt. præelegit dilectionẽ proximi dilectioni Dei: ſecundum illud ad Roma. 9. Optabam anathema eſſe à Chriſto pro fratrib⁹ meis. Ergo magis eſt meritorium diligere proximum, quàm diligere Deum.

2 ¶ Præterea, Minus videtur eſſe meritoriũ aliquo modo diligere amicũ, Art. præc. vt dictum eſt. Sed Deus maximè eſt amicus, qui prior dilexit nos, vt dicitur primæ Ioan. quarto. Ergo diligere Deũ videtur eſſe minus meritorium.

3 ¶ Præterea, Illud quod eſt difficilius, videtur eſſe virtuoſius & magis meritorium: quia virtus eſt circa difficile & bonum, vt dicitur in ſecundo Ethic. Sed facilius eſt diligere Deum, quàm proximum. Tum quia naturaliter omnia Deum diligũt. Tum quia in Deo nihil occurrit quod non ſit diligendum: quod circa proximum non contingit. Ergo magis eſt meritorium diligere proximum, quàm diligere Deum. Lib. 2. Eth. cap. 3. circa fin. tom. 5.

¶ SED CONTRA eſt, quia propter quod vnumquodq;, illud magis. Sed dilectio proximi non eſt meritoria, niſi propter hoc, ꝙ proximus diligitur propter Deum. Ergo dilectio Dei eſt magis meritoria, quàm dilectio proximi.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd comparatio iſta poteſt intelligi dupliciter. Vno modo, vt ſeorſum cõſideretur vtraque dilectio: & tunc nõ eſt dubium, quòd dilectio Dei eſt magis meritoria. Debetur ei enim merces propter ſeipſam, quia vltima merces eſt frui Deo, in quem tẽdit diuinæ dilectionis motus. Vnde & diligenti Deũ merces promittitur Ioann. 14. Si quis diligit me, diligetur à patre meo, & manifeſtabo ei meipſum. Alio modo poteſt attendi ipſa comparatio vt dilectio Dei accipiatur, ſecundũ quod ſolus diligitur, dilectio autem proximi accipiatur, ſecundum quod proximus diligitur propter Deum. Et ſic dilectio proximi includit dilectionem Dei: ſed dilectio Dei non includit dilectionem proximi. Vnde erit comparatio dilectionis Dei perfectæ, quę extendit ſe etiã ad proximũ, ad dilectionem Dei inſufficientem & imperfectam: quia hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum, & in hoc ſenſu dilectio proximi præeminet.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum,

Gloſ. ordinaria in princ. cōmētarÿ ad cap. 9. dum, quòd ſecundum vnam gloſ. expoſitionem, hoc Apoſtolus tunc non optabat, quando erat in ſtatu gratiæ, vt ſcilicet, ſepararetur à Chriſto pro fratribus ſuis. Sed hoc optauerat, quando erat in ſtatu infidelitatis. Vnde in hoc nō eſt imitandus. Vel poteſt dici, ſicut *Chryſ. lib. 1. à med. to. 5.* dicit Chryſ. in lib. de compunctione, quòd per hoc non oſtenditur ꝙ Apoſtolus plus diligeret proximū, quàm Deum, ſed quòd plus diligeret Deum quàm ſeipſum. Volebat enim ad tempus priuari fruitione diuina: quod pertinet ad dilectionem ſui, ad hoc, quòd honor Dei procuraretur in proximis, quod pertinet ad dilectionem Dei.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd dilectio amici pro tāto eſt quandoque minus meritoria: quia amicus diligitur propter ſeipſum: & ita deficit à vera ratione amicitię charitatis, quę eſt Deus. Et ideo quòd Deus diligatur propter ſeipſum, nō diminuit meritū, ſed hoc conſtituit totam meriti rationem.

¶ Ad tertium dicendum, quòd plus facit ad rationem meriti & virtutis bonum, quàm difficile. Vnde non oportet, quod omne difficilius ſit magis meritoriū, ſed quod ſic eſt difficilius, vt etiam ſit melius.

SVMMA TEXTVS.

SVppoſito, quòd dilectio Dei, & dilectio proximi poſſunt dupliciter comparari, vno modo præciſè, ſecundum quòd inter ſe ſe diſtinguūtur, alio modo inquātum dilectio Dei includitur in dilectione proximi, & non è contra, qui enim diligit proximum propter Deum neceſſariò etiā debet actu diligere Deum, reſpondet D. Thom. ad difficultatē per duas propoſitiones. ¶ Prima concluſio, Seorſum cōſiderando vtrāq; dilectionem Dei, & proximi, magis meritoria eſt dilectio Dei, quàm dilectio proximi. Probatur, Dilectioni Dei per ſe debetur merces, iuxta illud Ioan. 14. Si quis diligit me diligetur à patre meo, & manifeſtabo ei meipſum: dilectioni autē proximi nō per ſe debetur merces, niſi inquantum includit dilectionem Dei: ergo loquendo de his dilectionib⁹ pręciſè, magis meritoria eſt dilectio Dei, quàm dilectio proximi. ¶ Secunda concluſio, Loquendo de dilectione Dei, & proximi, inquantum dilectio proximi includit dilectionem Dei, ſic magis meritoria eſt dilectio proximi. Probatur, Dilectio proximi, inquantum includit dilectionē Dei, habet ſe, vt dilectio perfecta, hoc enim mandatum habemus, vt qui diligit Deum diligat & fratrem ſuum, dilectio autem Dei inquantum non ſe extendit ad proximū habet ſe, vt dilectio imperfecta: ergo ſecundum iſtam conſiderationem dilectio proximi præeminet dilectioni Dei, & eſt magis meritoria.

EXPLICATIO ARTICVLI.

CIrca primam concluſionem eſt aduertendum, quòd quamuis dilectio Dei ſemper ex obiecto ſit præſtantior, quàm dilectio proximi (loquendo de his dilectionibos præciſè) poteſt tamen contingere, vt dilectio proximi per accidens ſit magis meritoria, quàm dilectio Dei, tūc, ſcilicet, quando dilectio proximi fuerit multò intenſior, vt diximus de dilectione amici, & inimici. Et præterea quādo dilectio proximi fuerit in præcepto, & dilectio Dei tantùm in conſilio, tunc enim ex maiori obligatione naſcetur maius meritum, vt diximus articulo præcedenti contra Durandum, & docet D. Thom. infrà quæſt. 88. art. 6. Ex quo infertur, ꝙ bonitas obiecti applicatur vnicuiq; ſecundum propriam diſpoſitionem atque conatum, ſicut gratia Sacramentorum. Et propterea, dixit Paulus 1. ad Corint. 3. ꝙ vnuſquiſque accipit mercedem ſecundum proprium laborē. Et hæc dicta ſint de tota iſta quæſtione.

QVAESTIO VIGESIMA OCTAVA, de Gaudio, in quatuor articulos diuiſa.

DEINDE conſiderandum eſt, de effectibus conſequentibus charitatis actum principalem, qui eſt dilectio. Et Primò, de effectibus interioribus. Secūdò, de exterio

terioribus.

¶ Circa primum tria conſideranda ſunt. Primò, de gaudio. Secundò de pace. Tertiò, de miſericordia.

¶ Circa primũ quærũtur quatuor.

¶ Primò, vtrùm gaudium ſit effectus charitatis.

¶ Secundò, vtrùm huiuſmodi gaudium compatiatur ſecum triſtitia.

¶ Tertiò, vtrùm illud graudiũ poſſit eſſe plenum.

¶ Quartò, vtrùm ſit virtus.

ARTICVLVS I.

¶ Vtrùm gaudium in nobis ſit effectus charitatis.

Infra. q. 35. ar. 2. & 3. & Et. 3. qu. 89. a. 6. cor. Et ma. q. 10. a. 2. cor. & opu. 4. c. 2.

AD PRIMVM ſic proceditur. Videtur, ꝙ gaudium nõ ſit effectus charitatis in nobis. Ex abſentia enim rei amatę magis ſequitur triſtitia quàm gaudiũ. Sed Deus, quẽ per charitatẽ diligimus, eſt nobis abſẽs, quãdiù in hac vita viuimus. Quandiù enim ſumus in corpore, peregrinamur à Domino: vt dicitur. 2. ad Cor. 5. ergo charitas in nobis magis cauſat triſtitiam, quàm gaudium.

2 ¶ Prȩterea, Per charitatem maximè meremur beatitudinẽ. Sed inter ea, ꝑ quæ beatitudinẽ meremur, ponitur luctus, qui ad triſtitiã pertinet, ſecũdum illud Mat. 5. Beati qui lugẽt, quoniam conſolabuntur: ergo magis eſt effect⁹ charitatis triſtitia, quàm gaudium.

3 ¶ Prȩterea, Charitas eſt virtus diſtincta à ſpe: vt ex ſupra dictis* patet, Sed gaudiũ cauſatur ex ſpe, ſecundũ illud Ro. 12. Spe gaudentes, non ergo cauſatur ex charitate: — Q. 17. ar. 6.

¶ SED CONTRA eſt, quia ſicut dicitur Ro. 5. Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritũ ſanctũ, qui datus eſt nobis. Sed gaudium in nobis cauſatur ex Spiritu ſancto ſecundũ illud Rom. 14. Nõ eſt regnũ Dei eſca & potus, ſed iuſtitia & pax, & gaudiũ in Spiritu ſancto. Ergo charitas eſt cauſa gaudij.

¶ RESPONDEO dicendum, ꝙ ſicut ſupra dictum* eſt, cum de paſſionibus ageretur, ex amore procedit & gaudiũ & triſtitia, ſed cõtrario modo. Gaudiũ enim ex amore cauſatur, vel propter præſentiã boni amati, vel etiã propter hoc, ꝙ ipſi bono amato proprium bonum ineſt & conſeruatur. Et ſecundũ hoc maximè ꝑtinet ad amorem beneuolentię, per quẽ aliquis gaudet de amico, proſpere ſe habẽte, etiã ſi ſit abſens. E contrario autẽ ex amore ſequitur triſtitia, vel propter abſentiã amati, vel ꝓpter hoc, ꝙ amatũ, cui volumus bonũ, ſuo bono priuatur, aut aliquo malo deprimitur. Charitas autẽ eſt amor Dei, cuius bonũ immutabile eſt, quia ipſe eſt ſua bonitas. Et ex hoc ipſo, ꝙ amatur eſt in amãte per nobiliſſimũ ſuum effectum: ſecundũ illud. 1. Ioa. 4. Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Et ideo ſpirituale gaudium quod de Deo habetur, ex charitate cauſatur. — 1. 2. q. 25. a. 1. & 2. & 3.

¶ AD PRIMVM ergo dicẽdum, ꝙ quãdiù ſum⁹ in corpore dicimur peregrinari à Domino, in comparatione ad illam præſentiam, qua quibuſdã eſt præſens per ſpei viſionẽ. Vnde & Apoſtolus ſubdit ibidem, Per fidem enim ambulamus & nõ per ſpeciem. Eſt autem & præſens ſe amãtibus etiã in hac vita, per gratiæ inhabitationem.

¶ Ad ſecũdum dicendũ, ꝙ luctus, qui beatitudinem meretur eſt de his, quæ ſunt beatitudini cõtraria. Vnde eiuſdẽ rationis eſt, ꝙ talis luctus ex charitate cauſetur, & tale gaudium ſpirituale de Deo: quia eiuſdẽ rationis eſt gaudere de aliquo bono, & triſtari de his quę ei repugnant.

¶ Ad tertium dicẽdum, ꝙ de Deo poteſt eſſe ſpirituale gaudium dupliciter. Vno modo, ſecũdum ꝙ gaudemus de bono diuino in ſe cõſiderato. Alio modo, ſecundũ quòd gaudemus de bono diuino, prout à nobis participatur. Primum autem gaudiũ melius eſt: & hoc

proce

procedit principaliter ex charitate. Sed ſecūdum gaudium procedit etiam ex ſpe, per quam expectamus diuini boni fruitionem. Quamuis etiam ipſa fruitio vel perfecta, vel imperfecta, ſecūdum menſuram charitatis obtineatur.

SVMMA TEXTVS.

SVppoſito, quòd ex amore procedit gaudium, & triſtitia, quã nis diuerſimodè, nam gaudiũ cauſatur ex amore, vel propter præſentiam boni amati, vel propter hoc, quod ipſi bono amato ineſt proprium bonum, eique cōſeruatur, & ſic gaudium maximè pertinet ad amorem concupiſcentiæ, triſtitia autem cauſatur ex amore, vel propter abſentiã amati, vel propter hoc, quod amatum, cui bonum volumus ſuo bono priuatur, aut aliquo malo deprimitur, reſpondet D. Thom. ad difficultatẽ per hanc concluſionem. Spirituale gaudium, quod de Deo habetur ex charitate cauſatur. Probatur, Charitas eſt amor Dei, cuius bonum eſt immutabile: ergo ex hoc reſultat, quoddam gaudium ſpirituale in anima.

EXPLICATIO ARTICVLI.

1. Notabile. PRo intelligentia huius materiæ oportet conſiderare odinem paſsionum, quem D. Tho. aſsignat. 1. 2. quæſt. 25. per totam. Nam quamuis gaudium ſpirituale, de quo in præſenti agimus, quod conſequitur ad charitatem, non ſit paſsio, habet tamen maximam proportione cum gaudio paſsione partis concupiſcibilis, quæ alio nomine appellatur delectatio. Vnde eſt aduertẽdũ, ꝙ amor eſt quædã inclinatio animalis ex boni apprehenſione cōſurgens, & in illud tendens, vt communiter dicunt Philoſophi, à quo omnes paſsiones animæ tanquã à prima radice originẽ trahunt. Et quia bonum eſt prius malo, eſt enim malum priuatio boni, & omnis habitus eſt prior ſua priuatione, fit, vt omnes paſsiones, quæ in bonum tendunt ſiuè in concupiſcibili, ſiuè in iraſcibili collocentur, præcedant eas, quæ tendunt in malum.

2. Notabile. ❡ Sed, vt hoc melius intelligatur aduertendum eſt ſecũdò, quòd, vt conſtat ex D. Thom. loco citato, vndecim ſunt paſsiones animæ, quarum ſufficientia, atque diſtinctio hoc modo cōſideratur. Nam cum proponitur aliquid appetitui ſenſitiuo, vel proponitur, vt bonum, & conueniens, vel, vt malum, & diſcōueniens. Si proponitur vt bonum ſequitur in appetitu amor, ſi autẽ proponitur vt malum ſequitur odium, quę ſunt velut principia, atque fundamenta aliarum paſsionum. Rurſus, ſi illud bonum proponitur vt futurum conſurgit deſiderium ſi vero proponitur vt præſens conſurgit gaudium, ſeù delectatio: ſi autem proponitur malum vt futurum conſurgit fuga, & ſi proponitur vt præſens conſurgit triſtitia. Et iſtæ ſex paſsiones pertinent ad concupiſcibilem. Similiter in iraſcibili poſſumus alias paſsiones diſtribuere. Nam reſpectu boni nondũ conſequuti, quod habet rationẽ ardui eſt ſpes, quaſi amor boni ardui, & difficilis: deſperatio verò quaſi odium, & auerſio ardui propter eius difficultatem. Si vero malũ imminens ſit, ſed nondum præſeus verſantur circa illud aliæ duæ paſsiones, timor, ſcilicet, & audatia. Timor eſt velut fuga mali arduj, audacia verò proſequutio ad malum arduum ſuperandum. Et ex malo iam præſenti oritur ira, quæ eſt triſtitia mali ardui. Ex bono autem præſenti iam habito nulla in iraſcibili ponitur paſſio: quia bonum cum præſens eſt, nullam habet rationem ardui, aut difficilis. Et ſic conſtat vndecim tantum eſſe animæ paſſiones: & quòd tam delectatio quàm reliquæ omnes originantur ex amore, qui eſt principiũ ſiuè delectationis, dum res amata eſt præſens, ſiuè deſiderij, dum eſt abſens, & ſic de alijs. Et quod inuenitur in appetitu ſenſitiuo contingit etiam in parte rationali, & productà dicit D. Tho. quòd gaudium ſequitur ex charitate, tanquam illius effectus: nam ex amore Dei, quo ipſum tanquam præſentem diligimus, qui enim manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo, fit, vt ſancti atq; iuſti maximè gaudeãt, atque letentur.

❡ Vltimò eſt aduertendum, quòd gaudium, atque delectatio differunt in hoc, ꝙ delectatio ſequitur quamcunq; cognitionem, gaudium verò tantum ſequitur cognitionem intellectiuam. *Vltimum notabile.* Vnde gaudium diffiniri poterimus, quòd ſit affectio appetitus intellectualis in illarũ rerum conſequutione, quas volumus, conſiſtens. Ex quo infertur delectationẽ latiùs patere, quàm gaudium. Omne enim gaudiũ eſt delectatio,

non tamē è contra omnis delectatio eſt gaudium: nam bruta dicuntur delectari & non gaudere. Inter gaudium autem, & lætitiam ſecundum nominum propriam ſignificationem hoc differt, quod gaudium eſt affectio animi ſecundum ordinem rationis exhilarati, atq; lætantis: lætitia verò eſt cum animus ità mouetur, vt exteriùs, & præcipuè in vultu immoderatus appareat. Vnde Stoici, qui cæteras animi paſsiões, vt noxias reijciebant gaudium permittebant viro ſapienti, lætitiam verò in talem poſſe cadere omnino negabant. Et Cicero lib. 4. Tuſculanarum quæſtionū, inquit, Cum animus mouetur placidè, atq; conſtantèr, tunc gaudium dicitur, cum autem inanitèr & effuſè exultat, tūc lætitia nuncupatur. Alij dicūt, quòd delectatio, & lætitia differunt in hoc, quòd lætitia eſt velut primus motus in adueniēs bonum, & cum poſteà quieſcit animus, & bono ſibi conuenienti fruitur, tunc dicitur delectari, ſeu voluptatem habere. Sed quicquid ſit de iſta vocabulorum differentia, atque ratione, certum eſt, & exploratum, quod ea non obſeruatur in ſacris literis, cum illa gaudij exuberantia, quæ in patria cœleſti inuenitur, interdum appelletur lætitia, & interdum delectatio, iuxta illud Pſalmi: Delectationes in dextera tua vſq; in finem: & in alio loco: Adimplebis me lætitia cum vultu tuo.

ARTICVLVS II.

¶ *Vtrùm gaudium ſpirituale, quod ex charitate cauſatur, recipiat admiſtionem triſtitiæ.*

AD SECVNDVM ſic proceditur. Videtur, quòd gaudium ſpirituale, quod ex charitate cauſatur, recipiat admiſtionem triſtitiæ. Congaudere enim bonis proximi, ad charitatem pertinet, ſecundum illud primæ ad Corint. 13. Charitas non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati. Sed hoc gaudium recipit permiſtionem triſtitiæ: ſecundum illud Ro. 12. Gaudere cum gaudentibus, flere cùm flentibus: ergo gaudiū ſpirituale charitatis admiſtionē triſtitiæ patitur.

2 ¶ Præterea, Pœnitentia, ſicut dicit Greg. eſt anteacta mala flere, & flenda iterum non committere. Sed vera pœnitentia nō eſt ſine charitate, ergo gaudium charitatis habet triſtitiæ admiſtionem.

3 ¶ Præterea, Ex charitate contingit, quòd aliquis deſiderat eſſe cum Chriſto, ſecundum illud Philip. primo, Deſiderium habens diſſolui, & eſſe cum Chriſto. Sed ex iſto deſiderio ſequitur in homine quædam triſtitia: ſecūdum illud Pſal. 119. Heu mihi, quia incolatus meus prolōgatus eſt. Ergo gaudiū charitatis recipit admiſtionē triſtitiæ.

¶ SED CONTRA eſt, quòd gaudium charitatis eſt gaudium de diuina ſapientia. Sed huiuſmodi gaudium nō habet permiſtionē triſtitiæ: ſecundum illud Sap. 8. Non habet amaritudinem conuerſatio illius. Ergo gaudium charitatis non patitur pmiſtionē triſtitiæ.

¶ RESPONDEO dicendum, quòd ex charitate cauſatur duplex gaudium de Deo: ſicut ſupra dictū* eſt. Vnum quidē principale, quod eſt proprium charitatis, quo, ſcilicet, gaudemus de bono diuino ſecundū ſe conſiderato. Et tale gaudium charitatis permiſtionem triſtitiæ non patitur, ſicut nec illud bonum, de quo gaudetur, poteſt aliquam mali admiſtionē habere. Et ideo Apoſtolus dicit ad Philip. 4. Gaudete in Domino ſemper. Aliud autem eſt gaudium charitatis, quo gaudet aliquis de bono diuino, ſecundum quod participatur à nobis. Hæc autem participatio poteſt impediri per aliud contrarium. Et ideo ex hac parte gaudiū charitatis poteſt habere permiſtionē triſtitiæ: prout, ſcilicet, aliquis triſtatur de eo, quod repugnat participationi diuini boni, vel in nobis, vel in proximis, quos tanquā noſipſos diligimus.

Ar præced. ad. 3. argu.

¶ AD PRIMVM ergo dicēdum, quòd fletus proximi non eſt niſi de aliquo malo. Omne autem malum importat defectum participationis ſummi boni. Et ideo in tantum facit charitas condolere proximo, inquantum participatio diuini boni in eo impedit.

¶ Ad

¶ Ad ſecundū dicendum, ꝙ peccata diuidūt inter nos & Deum: vt dicitur Iſa. 59. Et ideo hæc eſt ratio dolendi de peccatis præteritis noſtris, vel etiam aliorum, inquantū per ea impedimur à participatione diuini boni.

¶ Ad tertiū dicendum, ꝙ quāuis in incolatu huius miſerię aliquo modo participemus diuinum bonum per cognitionem & amorem: tamen huius vitæ miſeria impedit à perfecta participatione diuini boni, qualis erit in patria: Et ideo hæc triſtitia qua quis luget de dilatione gloriæ, pertinet ad impedimentum participationis diuini boni.

SVMMA TEXTVS.

SVppoſito, quod gaudiū de Deo ex charitate cauſatū, poteſt eſſe duplex, vnū principale, quo gaudemus de bono diuino, ſecundū ſe cōſiderato, quod eſt propriū charitatis, aliud minus principale, quo gaudemus de bono diuino ſecundum quod à nobis participatur, reſpondet D. Thom. ad difficultatē per duas propoſitiones. ¶ Prima concluſio, Gaudium principale charitatis, quo gaudemus de bono diuino ſecundum ſe, non poteſt habere admixtam triſtitiam. Probatur, Bonum, de quo gaudemus, illa ratione non poteſt habere admixtionē mali: ſed omnis triſtitia cauſatur ex præſentia mali, vt diximus: ergo gaudium de bono diuino ſecundum ſe conſideratum, non poteſt habere admixtam triſtitiam. ¶ Secunda cōcluſio, Gaudium de bono diuino, vt à nobis participatur poteſt habere admixtam triſtitiam. Probatur, Huiuſmodi bonum diuinum poteſt habere admixtionē mali, vel in nobis, vel in proximis, quos ex charitate tanquā noſipſos diligimus. Ergo ex hac parte poterit habere admixtam triſtitiam.

ARTICVLVS III.

¶ *Vtrùm ſpirituale gaudium, quod ex charitate cauſatur poſſit in nobis impleri.*

AD TERTIVM ſic proceditur. Videtur, quod ſpirituale gaudiū, quod ex charitate cauſatur, non poſſit in nobis impleri. Quanto enim maius gaudiū de Deo habemus, tāto gaudiū eius in nobis magis impletur. Sed nunquam poſſumus tantū de Deo gaudere, quātum dignum eſt, vt de Deo gaudeatur: quia ſemper bonitas eius, quæ eſt infinita, excedit gaudium creaturę, quod eſt finitum. Ergo gaudiū de Deo nunquam poteſt impleri.

2 ¶ Præterea, Illud, quod eſt impletū non poteſt eſſe maius. Sed gaudiū etiā beatorum poteſt eſſe maius: quia gaudium vnius eſt maius, quàm alterius. Ergo gaudiū de Deo nō poteſt in creatura impleri.

3 ¶ Præterea. Nihil aliud videtur eſſe comprehenſio, quàm cognitionis plenitudo. Sed ſicut vis cognoſcitiua creaturæ eſt finita, ita vis appetitiua eiuſdē. Cum ergo Deus non poſſit ab aliqua creatura comprehendi, videtur quòd non poſſit alicuius creaturæ gaudium de Deo impleri.

¶ SED CONTRA eſt, quod Dominus diſcipulis dicit Ioan. 15. Vt gaudium meū in nobis ſit, & gaudium veſtrum impleatur.

¶ RESPONDEO dicendū, ꝙ plenitudo gaudij poteſt intelligi dupliciter. Vno modo ex parte rei, de qua gaudetur, vt ſcilicet tantum gaudeatur de ea, quātum eſt dignum de ea gauderi. Et ſic ſolum Dei gaudium eſt plenum de ſeipſo, quia gaudium Dei eſt infinitum, & hoc eſt condignum infinitę bonitati Dei. Cuiuſlibet autem creaturæ gaudium oportet eſſe finitū. Alio modo poteſt intelligi plenitudo gaudij ex parte gaudētis. Gaudium autem comparatur ad deſiderium, ſicut quies ad motum, vt ſupra * dictum eſt, cum de paſsionibus ageretur. [1.2.q.25.a. 1.2.&.4.] Eſt autem quies plena, cum nihil reſtat de motu. Vnde tunc gaudiū eſt plenum, quando iam nihil deſiderandum reſtat. Quandiu autē in hoc mundo ſumus, non ceſſat in nobis deſiderij motus: quia adhuc reſtat, quod Deo magis appropinquemus per gratiam, vt ex ſupra dictis * patet. [q.24.a.4. &.7.]

tet. Sed quando iam ad beatitudinem perfectam peruentum fuerit nihil deſiderãdum reſtabit: quia ibi erit plena Dei fruitio, in qua homo obtinebit quicquid etiam circa alia bona deſiderauerit, ſecundum illud Pſal. 102. Qui replet in nobis deſideriũ tuũ. Et ideo quieſcet deſiderium, nõ ſolum quo deſideramus Deum, ſed etiam erit omnium deſideriorum quies. Vnde gaudium beatorum eſt perfectè plenum. Et etiam ſuperplenum, quia plus obtinebunt, quàm deſiderare ſuffecerint. Non enim in cor hominis aſcẽdit quæ præparauit Deus diligentibus ſe: vt dicitur. 1. ad Corin. 2. Et hoc eſt quod dicitur Lucæ. 6. Menſuram bonam & ſuperefluentẽ dabũt in ſinum veſtrum. Quia cũ nulla creatura ſit capax gaudij de Deo ei condigni: inde eſt quod iſtud gaudium omnino plenum nõ capitur in homine, ſed potius homo intrat in ipſum: ſecundum illud Mat. 25. Intra in gaudium Domini tui.

¶ AD PRIMVM ergo dicẽdum, ꝙ ratio illa ꝓcedit de plenitudine gaudij ex parte rei, de qua gaudetur.

¶ Ad ſecundũ dicendum, ꝙ cum peruentum fuerit ad beatitudinem, vnuſquiſque attinget terminum ſibi præfixum ex prędeſtinatione diuina, nec reſtabit vlterius aliquid quo tẽdatur: quãuis in illa terminatiõe vnus perueniat ad maiorem propinquitatẽ Dei, alius ad minorem. Et ideo vniuſcuiuſque gaudium erit plenum ex parte gaudentis: quia vniuſcuiuſque deſiderium plenè quietabitur. Erit tamen gaudium vnius maius, quàm alterius, propter pleniorem participationẽ diuinę beatitudinis.

¶ Ad tertium dicendũ, ꝙ comprehenſio importat plenitudinẽ cognitionis ex parte rei cognitę: vt ſcilicet tantum cognoſcatur res, quantũ cognoſci poteſt. Habet tamen etiam cognitio aliquam plenitudinem ex parte cognoſcentis, ſicut & de gaudio dictum eſt. *In corp. art.* Vnde & Apoſtolus dicit ad Coloſſ. 1. Impleamini agnitione voluntatis eius in omni ſapientia & intellectu ſpirituali.

SVMMA TEXTVS

SVppoſito, ꝙ plenitudo gaudij poteſt intelligi dupliciter, vno modo ex parte rei de qua gaudemus, quæ tũc eſt quando tantum gaudetur de re, quantum dignum eſt de ipſa gauderi, alio modo ex parte gaudẽtis, reſpondet D. Tho. ad difficultatem per duas propoſitiones. ¶ Prima concluſio. Loquendo de plenitudine gaudij ex parte rei, de qua gaudemus impoſsibile eſt, ꝙ gaudium noſtrum ſpirituale ex charitate procedẽs ſit plenum. Probatur, Gaudium condignum diuinæ bonitati eſt infinitum: ſed nulla creatura poteſt habere gaudium infinitum, ſed ſolus Deus: ergo ſolius Dei gaudium poteſt eſſe plenũ ex parte rei, de qua gaudetur. ¶ Secunda concluſio, Ex parte gaudentis gaudium beatorum eſt plenum, non autem gaudium viatorum. Probatur, Ex parte gaudentis tunc gaudium dicitur plenum, quando iam nihil deſiderandum reſtat: ſed quãdiu ſumus in hac vita nõ ceſſat in nobis deſiderij motus, quia ſemper reſtat, quo magis Deo appropinquemus per gratiam, & quando ad beatitudinem fuerit peruẽtum nihil deſiderandum reſtabit, ſed ibi erit plena Dei fruitio in qua homo obtinebit quicquid etiam circa alia bona deſiderauit, iuxtà illud Pſal. Qui replet in bonis deſiderium tuum: ergo ex parte gaudentis gaudium beatorum eſt plenum, & nõ gaudium viatorum. Imò dicit D. Thom. quòd gaudium beatorum nõ ſolum erit plenum perfectè, ſed etiam ſuper plenum: quia amplius recipiũt, quàm deſiderare ſuffecerint. Non enim in cor hominis aſcendit, quę pręparauit Deus diligentibus ſe, & propterea dicitur Lucæ. 6. Mẽſuram bonã, & ſupereffluentem dabunt in ſinum veſtrum.

EXPLICATIO ARTICVLI.

VTraque cõcluſio huius articuli eſt de fide tenẽda. Sed eſt difficultas, vtrum delectationes & gaudia ſpiritualia ſint præſtantiora, quam delectationes partis ſenſitiuæ. *Dubium.* Ad cuius explicationẽ dico primo, certum eſſe, ꝙ delectationes ſenſuum, quo ad *1. Dictum.*

nos

nos ſunt efficaciores, atq; vehementius mouent, quam bona ſpiritualia. Cuius rei plures aſsignantur rationes apud philoſophos. Prima, quia bona ſenſibilia ſunt nobis magis nota, vtpote quæ nobiſcum creſcũt nutriuntur, & coaleſcunt. Secunda, quia præmium boni delectabilis ſtatim ſentitur, obiectum autem præſens magis mouet. Tertia, quia cum plures homines non poſsint pertingere ad delectationes ſpirituales declinant ad delectationes carnales, & illis aſſueſiũt. Quarta, quia homines dum in hac vita ſumus inchoamus noſtram perfectionem à bono ſenſuum, & illam conſummamus in bono ſpiritus. Plures autem ſunt inchoantes, quam perfecti, atq; conſummati, & ſic etiã plures ſunt, qui delectationes ſenſuum ſectentur.

2. Dictum. ¶ Dico ſecũdò, quod delectationes, quæ ſunt in appetitu intellectiuo & maximè illæ, quæ conſequuntur ex charitate, ſecundum ſe ſunt meliores, & longè præſtantiores, quam quæ ſunt in appetitu ſenſitiuo. Probatur ex illo Pſalm. 118. Quam dulcia faucibus meis eloquia tua Domine, ſuper mel ori meo. Et alibi, Renuit conſolari anima mea, memor fui Dei & delectatus ſum. Et rurſus, Melior eſt dies vna in atrijs tuis ſuper millia. Et Sapientiæ. c. 6. 7. & 8. multa dicuntur ad iucũditatem, & ſuauitatem diuinæ Sapiẽtiæ pertinẽtia. Item Ariſt. 10. Ethi, cap. 7. dicit, ꝙ maxima delectatio eſt, ſecundum operationem Sapientiæ. Et ratio eſt manifeſta: nam ad delectationẽ tria requiruntur, ſcilicet, bonum coniunctum, id, cui coniungitur, & vtriuſq; coniunctio cũ cognitione. Vt, verbi gratia, ad delectationem guſtus requiritur cibus delectabilis, & guſtus bene diſpoſitus, & coniunctio vtriuſq; cum cognitione. Si enim cibus nõ eſſet delectabilis, aut guſtus non eſſet rectè diſpoſitus, aut non fieret vtriuſq; coniunctio cum cognitione, ſed cibus coniungeretur guſtui dormiẽtis, nulla ratione fieri poteſt, vt delectatio ſequatur. Sed ſic eſt, ꝙ bonũ ſpirituale cuius adeptione volũtas lætatur, & gaudet eſt præſtãtius omnibus bonis ſenſibilibus, & magis amabile: in cuius rei ſignũ homines, vel perditi nonnunquã abſtinent à maximis voluptatibus corporis propter honorem, qui eſt bonũ intelligibile. Item pars intellectiua, cui fit coniunctio perfectior eſt, & nobilior, ꝗ ſit pars ſenſitiua, atq; adeò operatio, ad quam cõſequitur delectatio, nobilior eſt, in parte intellectiua, quã in ſenſitiua. Et deniq; coniũctio vtriuſq; eſt intimior, perfectior, & firmior, ꝗ in ſenſu. Intimior quidẽ, quia ſenſus verſatur circa accidẽtia externa, intellectus verò penetrat vſq; ad eſſentiã rei. Perfectior, quia coniũctioni ſenſitiuæ admiſcetur motus, qui eſt imperfectus. Firmior autẽ, quia bona ſenſitiua ſunt bona corruptibilia, citoq; deficiũt. At verò bona ſpiritualia ſunt ſempiterna atq; perpetua: ergo delectatio ſpiritualis ſecũdum ſe eſt melior atq; perfectior, quam delectatio ſenſitiua. Et ſi hæc non videntur vera hominibus carnalibus nõ eſt mirandum. Non enim percipiunt delectationes ſpirituales, nec guſtãt quam ſuauis eſt ſpiritus domini. Lauentur à peccatis & mundi fiant; auferant malum cogitationũ ſuarum; quieſcant agere peruerſe, & diſcant benefacere; & veniant & arguãt nos, vt dicit Eſai. c. 1. Certe enarrant iniqui fabulationes, & delectationes ſuas, ſed nõ, vt lex Domini Dei noſtri.

ARTICVLVS IIII.

¶ Vtrum gaudium ſit virtus.

AD QVARTVM ſic proceditur. Videtur, ꝙ gaudiũ ſit virtus. Vitium enim cõtrariatur virtuti. Sed triſtitia ponitur vitium: vt patet de acedia & de inuidia. Ergo etiam gaudiũ debet poni virtus.

2 ¶ Præterea, Sicut amor & ſpes ſunt paſsiones quædam, quarum obiectum eſt bonum, ita & gaudiũ. Sed amor & ſpes ponuntur virtutes. Ergo & gaudium debet poni virtus.

3 ¶ Præterea, Præcepta legis dantur de actibus virtutum. Sed præcipitur nobis, quòd de Deo gaudeamus: ſecundum illud ad Philippenſes. 4. Gaudete in Domino ſemper. Ergo gaudium eſt virtus.

¶ SED CONTRA eſt, ꝙ neq; cõnumeratur inter virtutes theologicas, neq; inter virtutes morales, neq; inter virtutes intellectuales, vt ex ſupra dictis * patet. *1.2.q.57.et 60.& .62. ſimul.*

¶ RESPONDEO dicendum, ꝙ virtus, ſicut ſupra habitũ eſt, eſt habi- *1.2.q.55.artic.2.& .4.*

tus quidam operatiuus. Et ideo ſecundum propriã rationem, habet inclinationem ad aliquem actum. Eſt autem contingens ex vno habitu plures actus eiuſdẽ rationis ordinatos prouenire: quorũ vnus ſequatur ex altero. Et quia poſteriores actus nõ procedunt ex habitu virtutis, niſi per actũ priorẽ: inde eſt, quod virtus non diffinitur, nec denominatur, niſi ab actu priori: quãuis etiam alij actus ab ea conſequãtur. Manifeſtũ eſt aũt ex ijs, quæ ſupra de paſ-
1.2.q.25.articulo ſionibus·dicta ſunt, ꝙ amor eſt prima
ri.2.&.4. affectio appetitiuæ potẽtiæ, ex qua ſequitur & deſideriũ & gaudiũ. Et ideo habitus virtutis idem eſt, qui inclinat ad diligẽdum & ad deſiderandum bonũ dilectũ & ad augendũ de Deo. Sed quia dilectio inter hos actus eſt prior, inde eſt ꝙ virtus non denominatur à gaudio nec à deſiderio, ſed à dilectione: & dicitur charitas. Sic ergo gaudiũ non eſt aliqua vrtus à charitate diſtincta, ſed eſt quidã charitatis actus ſiue effectus. Et propter hoc connumeratur inter fructus, vt patet Galat. 5.

¶AD PRIMVM ergo dicendũ, ꝙ triſtitia, quæ eſt vitiũ, cauſatur ex inordinato amore ſui, quod nõ eſt aliquod ſpeciale vitiũ, ſed quædã generalis ra-
q.77.ar.4. dix vitiorũ: vt ſupra dictũ·eſt. Et ideo oportuit triſtitias quaſdã particulares ponere ſpecialia vitia: quia non deriuantur ab aliquo ſpeciali vitio, ſed à generali. Sed amor Dei ponitur ſpecialis virtus, quæ eſt charitas, ad quam re-
Art.2.huius.q.&in corpo.huius artic. ducitur gaudium (vt dictum·eſt) ſicut proprius actus eius.

¶Ad ſecundum dicendum, ꝙ ſpes cõſequitur ex amore, ſicut & gaudium. Sed ſpes addit ex parte obiecti quandã ſpecialem rationem, ſcilicet, arduũ & poſsibile adipiſci. Et ideo ponitur ſpecialis virtus. Sed gaudium ex parte obiecti nullam ſpecialem rationem addit ſupra amorem, quæ poſsit cauſare ſpecialem virtutem.

¶Ad tertium dicendum, quòd intantum datur præceptum legis de gaudio, inquantum eſt actus charitatis, licet non ſit primus actus eius.

QVAESTIO VIGESIMANONA, De Pace, in quatuor articulos diuiſa.

POSTEA cõſiderandũ eſt de pace. ¶Et circa hoc quęruntur quatuor.

¶Primo, vtrũ pax ſit idem quod concordia.

¶Secundo, vtrum omnia appetant pacem.

¶Tertio, vtrum pax ſit effectus charitatis.

¶Quarto, vtrum pax ſit virtus.

ARTICVLVS. I.

¶Vtrùm pax ſit idem quod concordia.

AD PRIMVM ſic proceditur. 3.d.27.q.1.
Videtur, ꝙ pax ſit idem quod con arti.1.ad6.
cordia. Dicit enim Aug. 19.·de Ciui. &.2.ad Theſſal.3.lectio.2.ĩ princ.
Dei, Pax hominum eſt ordinata concordia. Sed nõ loquimur nunc niſi de Lib.19.c.13.
pace hominum. Ergo pax eſt idem paulo à princ.
quod concordia. to.5.

2 ¶Præterea, Concordia eſt quædam vnio volũtatum, ſed ratio pacis in tali vnione conſiſtit. Dicit enim Dionyſ.
11.c.·de diui.nomi. ꝙ pax eſt omniũ Capit.11.in
vnitiua, & conſenſus operatiua: ergo principium.
pax eſt idem quod concordia.

3 ¶Præterea, Quorum eſt idem oppoſitum, & ipſa ſunt idem. Sed idem opponitur cõcordiæ & paci, ſcilicet diſſenſio. Vnde dicitur primæ Corin. 14. Non eſt diſſenſionis Deus, ſed pacis. ergo pax eſt idem quod concordia.

¶SED CONTRA eſt, quod concordia poteſt eſſe aliquorum impiorum in malo. Sed non eſt pax impijs, vt dicitur Iſa. 48. Ergo pax non eſt idem quod concordia.

¶RESPONDEO dicẽdum, quod pax

pax includit concordiam & aliquid aliud. Vnde vbicunque eſt pax, ibi eſt concordia: non tamen vbicunque eſt concordia, ibi eſt pax, ſi nomen pacis propriè ſumatur. Cõcordia enim propriè ſumpta eſt ad alterum, in quãtum, ſcilicet diuerſorum cordium voluntates ſimul in vnum conſenſum conueniunt. Contingit etiam vnius hominis cor tendere in diuerſa. Et hoc dupliciter. Vno quidem modo ſecundum diuerſas potentias appetitiuas, ſicut appetitus ſenſitiuus plerunque tendit in cõtrarium rationalis appetitus, ſecundum illud ad Gal. 5. Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum. Alio modo inquantum vna & eadem vis appetitiua in diuerſa appetibilia tendit, quæ ſimul aſſequi non poteſt. Vnde neceſſe eſt eſſe repugnantiam motuum appetitus. Vnio autem horum motuum eſt quidem de ratione pacis. Non enim homo habet pacatũ cor, quandiu non habet id quod vult. Et ſi habeat aliquid quod vult, tamen adhuc reſtat ei aliquid volẽdum, quod ſimul habere non poteſt. Hęc autem vnio non eſt de ratione concordiæ. Vnde concordia importat vnionem appetituum diuerſorum appetentium. Pax autem ſupra hanc vnionem importat etiam appetituum vnius appetentis vnionem.

¶AD PRIMVM ergo dicendum, quod Auguſtinus loquitur ibi de pace, quæ eſt vnius hominis ad aliũ, & hanc pacẽ dicit eſſe concordiam, non quamlibet, ſed ordinatã, ex eo ſcilicet, quod vnus homo concordat cum alio, ſecundum illud quod vtriſque conuenit. Si enim homo concordat cum alio non ſpontanea voluntate, ſed quaſi coactus timore alicuius mali ſibi imminentis: talis concordia non eſt vera pax, quia non conſeruatur ordo vtriuſq; concordãtis, ſed perturbatur ab aliquo timorem inferente. Et propter hoc præmittit, quod pax eſt tranquillitas ordinis, quæ quidem tranquillitas cõſiſtit in hoc, ꝙ oẽs motus appetitiui in vno homine conquieſcunt.

¶Ad ſecundum dicendum, quod ſi homo ſimul cũ alio homine in idem conſentiat, non tamen conſenſus eius eſt omnino ſibi vnitus, niſi etiam ſibi inuicem omnes motus appetitiui eius ſint conſentientes.

¶Ad tertium dicẽdum, quòd paci opponitur duplex diſſenſio, ſcilicet diſſenſio hominis ad ſeipſum, & diſſenſio hominis ad alterũ. Cõcordiæ autẽ opponitur hæc ſola ſecũda diſſenſio.

ARTICVLVS II.

¶ Vtrùm omnia appetant pacem.

AD SECVNVDM ſic proceditur. Videtur, quòd non omnia appetant pacem. Pax enim ſecundum Diony. *eſt vnitiua cõſenſus. Sed in ijs, quæ cognitione carent, non poteſt vniri conſenſus: ergo huiuſmodi pacem appetere non poſſunt. *3.d.27.q.1. arti.3.ad.5. Et.4.d.49. q.1.art.2.q. 4. Et Veri.q.22 ar.1.ad.12. Et Diony.1. lect.1.col.1. fi.*

2 ¶Pręterea, Appetitus non fertur ſimul ad contraria. Sed multi ſunt appetentes bella & diſſenſiones. Ergo non omnes appetunt pacem.

3 ¶Præterea, ſolum bonum eſt appetibile. Sed quædam pax videtur eſſe mala: alioquin dominus non diceret Matt. 10. Non veni mittere pacẽ. ergo non omnia pacem appetunt.

4 ¶Præterea, illud quod omnia appetunt, videtur eſſe ſummum bonum, quod eſt vltimus finis. Sed pax non eſt huiuſmodi: quia etiam in ſtatu vię habetur. Alioquin fruſtra dominus mandaret Mat. 9. Pacem habete inter vos. ergo non omnia pacem appetunt.

¶SED CONTRA eſt, quod Auguſtinus dicit decimonono, de Ciuitate *Dei, quod omnia pacem appetunt: Et idem etiã dicit Dionyſius nono capite. de diui. nomi. *Lib.19.c.13. tom.5.*

¶RESPONDEO dicẽdum, quod ex hoc ipſo, quod homo aliquid appetit, conſequens eſt ipſum appetere eius quod appetit aſſecutionem: & per conſequens

ſequens remotionem eorũ, quę aſſecutionẽ impedire poſſunt. Poteſt aũt impediri aſſecutio boni deſiderati per cõtrarium appetitum vel ſuiipſius, vel alterius. Et vtrunque tollitur per pacem, ſicut ſupra dictum * eſt: & ideo neceſſe eſt, quod omne appetens appetat pacem: inquantum ſcilicet omne appetens appetit tranquille & ſine impedimento peruenire ad id, quod appetit: in quo cõſiſtit ratio pacis, quam Auguſtinus * definit tranquillitatem ordinis.

Arti. praec.

Lib. 19. de Ciuit. Dei. c. 13 parũ à prin. to. 5.

¶AD PRIMVM ergo dicendum, quod pax importat vnionem, nõ ſolum appetitus intellectualis, ſeu rationalis, aut animalis, ad quos poteſt pertinere conſenſus, ſed etiam appetitus naturalis. Et ideo Dionyſ. * dicit, quod pax eſt operatiua & conſenſus & connaturalitatis, vt in conſenſu importetur vnio oppetituũ ex cognitione procedentiũ: per cõnaturalitatem autem importetur vnio appetituum naturalium.

Cap. 11. de diuinis nominibus.

¶ Ad ſecundum dicendum, quod illi etiam, qui bella quærunt & diſſenſiones, non deſiderant, niſi pacem, quam ſe habere non æſtimant. Vtenim dictum * eſt, non eſt pax ſi quis cum alio concordet contra id quod ipſe magis vellet. Et ideo homines quærũt hanc concordiam rumpere bellando, tanquam defectum pacis habẽtem, vt ad pacem perueniãt: in qua nihil eorum voluntati repugnet. Et propter hoc omnes bellantes quęrunt per bella ad pacem aliquam peruenire perfectiorem, quàm prius haberent.

In corp. arti.

¶ Ad tertium dicendum, ꝙ pax conſiſtit in quietatione & vnione appetitus: ſicut autem appetitus poteſt eſſe ſimpliciter boni, vel boni apparentis: ita etiam & pax poteſt eſſe & vera & apparens. Vera quidem pax non poteſt eſſe niſi circa appetitũ veri boni: quia omne malum etſi ſecundum aliquid appareat bonum. vnde ex aliqua parte appetitũ quietet: habet tamen multos defectus, ex quibus appetitus remanet inquietus & perturbatus. Vnde pax vera non poteſt eſſe niſi in bonis & bonorum. Pax autem, quæ malorũ eſt, eſt pax apparens, & nõ vera. Vnde dicitur Sap. 14. In magno viuentes inſcientiæ bello, tot & tam magna mala pacem appellant.

¶ Ad quartum dicendum, quod cum vera pax non ſit niſi de bono, ſicut dupliciter habetur verum bonum, ſcilicet perfectè & imperfectè: ita eſt duplex pax vera, quædam perfecta, quæ conſiſtit in perfecta fruitione ſummi boni, per quam omnes appetitus vniũtur quietati in vno. Et hic eſt vltimus finis creaturæ rationalis, ſecundum illum Pſalm. 147. Qui poſuit fines tuos pacem. Alia eſt pax imperfecta, quæ habetur in hoc mundo: quia etſi principalis animæ motus quieſcat in Deo: ſunt tamen aliqua repugnantia & intus & extra, quæ perturbãt hanc pacẽ.

ARTICVLVS. III.

¶ Vtrùm pax ſit proprius effectus charitatis.

AD TERTIVM ſic proceditur. Videtur quod pax nõ ſit proprius effectus charitatis. Charitas enim non habetur ſine gratia gratum faciente. Sed pax à quibuſdã habetur, qui non habent gratiam gratum facientem, ſicut & gentiles aliquando habent pacẽ. Ergo pax nõ eſt effectus charitatis.

3. q. 89. art. 6. corpore. Et ma. q. 10. ar tic. 2. cor. Et vir. q. 2. ar. 8 ad. 15. Et q. 4. cap. 2.

2 ¶ Præterea, Illud nõ eſt effectus charitatis, cuius contrarium cum charitate eſſe poteſt. Sed diſſenſio, quæ cõtrariatur paci, poteſt eſſe cum charitate. Videmus enim quod etiam ſacri doctores, vt Hieronymus * & Auguſt. in aliquibus opinionibus diſſenſerũt. Paulus etiã & Barnabas diſſenſiſſe legũtur, Act. 15. Ergo videtur, quòd pax non ſit effectus charitatis.

Epiſt. 8. & 2. & 11. inter opera Auguſt. to. 2.

3 ¶ Præterea, Idem non eſt proprius effectus diuerſorum. Sed pax eſt effectus

ctus iuſtitiæ, ſecundum illud Iſa. 32. Opus iuſtitiæ eſt pax. ergo non eſt effectus charitatis.

¶ SED CONTRA eſt, quod dicitur in Pſalm. 118. Pax multa diligentibus legem tuam.

¶ RESPÕDEO dicendum, quod duplex vnio eſt de ratione pacis, ſicut dictum * eſt: quarum vna eſt ſecundum ordinationem propriorũ appetituũ in vnum, alia vero eſt ſecundum vnionem appetitus proprij, cum appetitu alterius. Et vtranque vnionem efficit charitas. Primam quidem vnionem, ſecundum quod Deus diligitur ex toto corde, vt ſcilicet omnia referamus in ipſum: & ſic omnes appetitus noſtri referuntur in vnum. Aliam vero prout diligimus proximum, ſicut nos ipſos: ex quo contingit, quod homo vult implere voluntatem proximi, ſicut & ſui ipſius. Et propter hoc inter amicabilia vnum ponitur identitas electionis: vt patet in. 9. * Ethi. & Tullius dicit * in libro de Amicitia, quod amicorum eſt idem velle & nolle.

Arti. 1. huius quæſt.

Lib. 9. Ethi. cap. 4. to. 5. Tullius in. 3. fol. ante mediũ. lib.

¶ AD PRIMVM ergo dicẽdum, quod à gratia gratum faciente nullus deficit, niſi propter peccatum: ex quo contingit, quod homo ſit auerſus à fine debito, in aliquo indebito finem conſtituens. Et ſecundum hoc appetitus eius non inhæret principaliter vero finali bono, ſed apparẽti. Et propter hoc ſine gratia gratum faciente non poteſt eſſe vera pax, ſed ſolum apparens.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd ſicut Philoſophus dicit * in. 9. Ethic. Ad amicitiam non pertinet concordia in opinionibus, ſed concordia in bonis conferentibus ad vitam, & præcipuè in magnis, quia diſſentire in aliquibus paruis, quaſi non videtur eſſe diſſenſus. Et propter hoc nihil prohibet aliquos charitatem habentes in opinionibus diſſentire. Nec hoc repugnat paci, quia opiniones pertinent ad intellectum, qui præcedit appetitum, qui per pacem vnitur. Similiter etiam exiſtente concordia in principalibus bonis, diſſenſio in aliquibus paruis non eſt contra charitatem: Procedit enim talis diſſenſio ex diuerſitate opinionũ, dum vnus æſtimat hoc, de quo eſt diſſenſio, pertinere ad illud bonum, in quo conueniunt: & alius æſtimat non pertinere. Et ſecundum hoc talis diſſenſio de minimis & de opinionibus repugnat quidem paci perfectæ, in qua plenè veritas cognoſcetur, & omnis appetitus complebitur: non tamen repugnat paci imperfectæ, qualis habetur in via.

Lib. 9. ca. 6. & etiam cap. 1. & 3. to. 5.

¶ Ad tertium dicendum, quod pax eſt opus iuſtitiæ indirectè, inquantum ſcilicet remouet prohibens. Sed eſt opus charitatis directè: quia ſecundum propriam rationem charitas pacem cauſat. Eſt enim amor vis vnitiua. vt Diony. dicit. 4. cap. * de Diui. nomi. Pax autẽ eſt vnio appetitiuarũ inclinationũ.

Ca. 4. in parte. 2. & parte. 1. in med.

ARTICVLVS IIII.

¶ Vtrùm pax ſit virtus.

AD QVARTVM ſic proceditur. Videtur, ꝙ pax ſit virtus. Præcepta enim non dantur niſi de actibus virtutum. Sed dantur præcepta de habẽda pace, vt patet Marci. 9. Pacem habete inter vos. Ergo pax eſt virtus.

2 ¶ Præterea, Non meremur niſi in actibus virtutũ. Sed facere pacẽ eſt meritorium, ſecũdum illud Matth. 5. Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Ergo pax eſt virtus.

3 ¶ Præterea, vitia virtutibus opponuntur. Sed diſſenſiones, quæ opponũtur paci numerantur inter vitia, vt patet ad Galat. 5. ergo pax eſt virtus.

¶ SED CONTRA, Virtus nõ eſt finis vltimus, ſed via in ipſum. Sed pax eſt quodammodo finis vltimus, vt Auguſt. dicit. * 19. de Ciuit. Dei. Ergo pax non eſt virtus.

Li. 19. c. 11. tom. 5.

¶ RESPONDEO dicendum, quod

Q. præced. art. 4. quòd ſicut ſupra dictũ eſt, • cum omnes actus ſeinuicem conſequantur, ſecundum eandem rationem ab agente procedentes, omnes huiuſmodi actus ab vna virtute procedunt, nec habent ſinguli ſingulas virtutes, à quibus procedant, vt patet in rebus corporalibus Quia enim ignis calefaciendo liqueſacit, & rarè facit, non eſt in igne alia virtus liquefactiua, & alia rarefactiua: ſed oẽs actus hos operatur ignis per vnã ſuam virtutem calefactiuã. Cum ergo pax cauſetur ex charitate ſecundum ipſam rationem dilectionis Dei & proximi, vt oſtenſum • eſt: nõ eſt alia virtus, cuius pax ſit actus proprius, niſi charitas, ſicut & de gaudio dictũ • eſt. *Arti præce.* *q præced. articu. 4.*

¶AD PRIMVM ergo dicendum quòd ideo præceptum datur de pace habenda, quia eſt actus charitatis. Et propter hoc etiam eſt actus meritorius: & ideo ponitur inter beatitudines, quæ ſunt actus virtutis perfectæ, vt ſuprà dictum • eſt. Ponitur etiam inter fructus, inquantum eſt quoddam finale bonum, Spiritualem dulcedinem habens *1. 2. q. 66. articu. 1. & q. 70. art. 3.*

¶Et per hoc patet ſolutio ad ſecundum.

¶Ad tertium dicendum, quod vni virtuti multa vitia opponuntur, ſecundum diuerſos actus eius. Et ſecundum hoc charitati non ſolum opponitur odium ratione actus dilectionis, ſed etiam accidia vel inuidia ratione gaudij, & diſſenſio ratione pacis.

QVAESTIO TRIGESIMA, De miſericordia, in quatuor Articulos diuiſa.

POSTEA conſiderãdum eſt de miſericordia.

¶Et circa hoc quęruntur quatuor.

¶Primo, vtrũ malum ſit cauſa miſericordiæ ex parte eius, cuius miſeretur.

¶Secundo, quorum ſit misereri.

¶Tertio, vtrũ miſericordia ſit virtus.

¶Quarto, vtrum ſit maxima virtutũ.

ARTICVLVS. I.

¶Vtrùm malum ſit propriè motiuum ad miſericordiam.

AD PRIMVM ſic proceditur. Videtur quòd malum nõ proprie ſit motiuũ ad miſericordiã. Vt enim ſupra oſtenſum • eſt, culpa eſt magis malum quàm pœna. Sed culpa non eſt prouocatiuum ad miſericordiam, ſed magis ad indignationem. Ergo malum non eſt miſericordiæ prouocatiuum. *q. 19. ar. 1. & 1. 2. q. ... articu. 1. & 4. Et 1. p. q. 4. art. 6.*

2 ¶Præterea, Ea, quę ſunt crudelia ſeu dura, videntur quędam exceſſum mali habere. Sed Philoſophus dicit in. 2. • Rhetoric. quòd durum eſt aliud à miſerabili, & expulſiuum miſerationis. Ergo malum inquantum huiuſmodi non eſt motiuum ad miſericordiam. *Lib. 2. Rhet. ca. 8 tom. 6.*

3 ¶Præterea, Signa malorum non verè ſunt mala. Sed ſigna malorum magis prouocãt ad miſericordiam, vt patet per Philoſophum • in. 2. Rheto. ergo malum non eſt proprie prouocatiuum miſericordiæ. *Libr. 2. c. 8. tom. 6.*

¶SED CONTRA eſt quod Damaſc. dicit • in. 2. libr. quòd miſericordia eſt ſpecies triſtitiæ. Sed motiuum ad triſtitiam eſt malum. Ergo motiuũ ad miſericordiam eſt malum. *Li. 2. ortho. Fidei. c. 14.*

¶RESPONDEO dicẽdum, quod ſicut Aug. • dicit. 9. de Ciui. Dei, miſericordia eſt alienæ miſeriæ in noſtro corde compaſsio, qua vtique ſi poſſumus ſubuenire, compellimur. Dicitur enim miſericordia ex eo, quod aliquis habet miſerum cor ſuper miſeria alterius. Miſeria autem felicitati opponitur. Eſt autem de ratione beatitudinis ſiue felicitatis, vt aliquis potiatur eo quòd vult, & quod pertinet ad iuſtitiam. Nam, ſicut Auguſt. dicit. 13. • de *Libr. 9. c. ... ante medium. 5.*

Trini.

Lib. 13. ca. 5. & cap. 4. in fin. to. 3.

Trin. Beatus eſt qui habet omnia, quæ vult, & nihil mali vult. Et ideo ecôtrario ad miſeriam pertinet, vt homo patiatur, quę non vult. Tripliciter autem aliquis vult aliquid. Vno quidem modo appetitu naturali: ſicut omnes homines volunt eſſe & viuere. Alio modo homo vult aliquid per electionem ex aliqua præmeditatione. Tertio modo homo vult aliquid non ſecundum ſe, ſed in cauſa ſua, puta qui vult comedere nociua, quodammodo dicimus eum velle infirmari. Sic ergo motiuũ miſericordiæ eſt tanquam ad miſeriam pertinens: primo quidem illud, quod contrariatur appetitui naturali voluntatis, ſcilicet, mala corruptiua & cõtriſtãtia: quorum cõtraria homines naturaliter appetũt. Vnde Philoſophus dicit in. 2.* Rhet. q̃d miſericordia eſt triſtitia quædam ſuper apparẽti malo corruptiuo, vel contriſtatiuo. Secundo huiuſmodi magis efficiuntur ad miſericordiam prouocantia, ſi ſint contra voluntatem electionis. Vnde & philoſophus ibidem * dicit, quod illa mala ſunt miſerabilia, quorum fortuna eſt cauſa, vt puta cũ aliquod malum eueniet vnde ſperabatur bonum. Tertio autem ſunt adhuc magis miſerabilia ſi ſunt contra totam voluntatem, puta ſi aliquis ſemper ſectatus eſt bona, & eueniunt ei mala. Et ideo Philoſophus * dicit in eodem libro, quòd miſericordia eſt maximè ſuper malis eius qui indignus patitur.

Libr. 2. Rhe. c. 8. in prin. tom. 6.

Lib. 2. ca. 8. circa med. to mo. 6.

Lib. 2. c. 8. in fi. to. 6.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd de ratione culpæ eſt, quod ſit voluntaria: & quantum ad hoc non habet rationem miſerabilis, ſed magis rationem puniendi. Sed quia culpa poteſt eſſe aliquo modo pœna, inquantum, ſcilicet, habet aliquid annexum, quod eſt contra voluntatem peccãtis: ſecundum hoc poteſt habere rationem miſerabilis. Et ſecundum hoc miſeremur & compatimur peccantibus: ſicut Greg. * dicit, in quadam homil. quod vera iuſtitia non habet dedignationem, ſcilicet ad peccatores, ſed compaſsionem, & Mat. 9. dicitur. Videns Ieſus turbas, miſertus eſt eis, quia erant vexati, & iacentes, ſicut oues non habentes paſtorem.

Homi. 34. in Euang. non prul. a prin.

¶ Ad ſecundum dicẽdum, quod quia miſericordia eſt compaſsio miſeriæ alterius, propriè miſericordia eſt ad alterum, non autem ad ſeipſum, niſi ſecundum quandam ſimilitudinem, ſicut & iuſtitia, ſecundum, quod in homine conſiderantur diuerſæ partes, vt dicitur. in. 5. Ethi.* Et ſecundum hoc dicitur Eccle. 30. Miſerere animæ tuæ placens Deo. Sicut ergo miſericordia nõ eſt propriè ad ſeipſum, ſed dolor, puta cum patimur aliquid crudele in nobis: ita etiam ſi ſint aliquæ perſonæ, ita nobis coniunctæ, vt ſint quaſi aliquid noſtri, puta filij aut parentes: in eorum malis nõ miſeremur, ſed dolemus, ſicut in vulneribus proprijs. Et ſecundum hoc Philoſophus* dicit, quòd dirum eſt expulſiuum miſerationis.

Lib. 5. Ethi. ca. vlt. to. 5.

Loco citato in argum.

¶ Ad tertium dicendum, quòd ſicut ex ſpe & memoria bonorum ſequitur delectatio, ita ex ſpe & memoria malorum ſequitur triſtitia, nõ tamen tam vehemens, ſicut ex ſenſu præſentium. Et ideo ſigna malorum, inquantum repreſentãt nobis mala miſerabilia ſicut præſentia, commouent ad miſerandũ.

SVMMA TEXTVS.

INtentio D. Tho. in hoc articulo eſt quærere obiectum proprium miſericordiæ. Et antequam ad difficultatem reſpondeat ſupponit ex D. Auguſt. definitionem miſericordiæ, & fœlicitatis dicens, quòd miſericordia eſt alienæ miſeriæ in noſtro corde compaſsio, qua vtique ſi poſſumus ſubuenire compellimur. Fœlicitas autem, quæ miſeriæ opponitur, eſt, cum quis potitur eo, quod vult, quod ad iuſtitiam pertinet. Beatus enim, vt dicit D. Aug. libr. 13. de Trinitate. c. 4. eſt, qui habet omnia, quæ vult, & nihil mali vult. Hoc ſuppoſito ſit concluſio. Malum eſt proprium obiectum, circa quod miſericordia verſatur; Probatur

Probatur. Miſericordia dicitur ex eo, ꝙ aliquis habet miſerum cor ſuper miſeriam alterius, propter quam homo patitur illa, quæ non vult, ſed huius miſericordiæ motiua ſunt. Primo, mala corruptiua, & contriſtantia, quorum contraria homines naturaliter appetunt. Secundo, mala, quæ eueniunt contra volũtarem electionis, vt cum quis malum habet vnde bonum ſperabat. Tertio, mala, quæ eueniunt contra totam voluntatem, quæ ſunt miſerabiliora, vt cũ quis ſemper eſt ſectatus bona, & mala ei ſuccedunt: ergo miſericordia ſemper verſatur circa malum tanquam circa proprium obiectum.

EXPLICATIO ARTICVLI.

DE hac materia videndus eſt D. Auguſtinus lib. 9. de ciuitate cap. 5. & lib. 13. de Trinita. cap. 5. & 8. & ſuper pſal. 135. vbi dicit ad miſericordiam ſpectare, vt liberet ab aliena miſeria. Ex quo ſequitur mentiri eos, qui dicunt ſe habere miſericordiam erga egenum, ſi poſſunt ſubleuare miſeriam proximi, & non ſubleuant. Ariſt. aliter definit miſericordiam, dicens quod eſt dolor de malo, quod nobis videtur accidere indigno, vt morbus, mors, fames, ſitis, tormenta, plagæ, ſpoliatio, & ſi quæ ſunt huiuſmodi, quæ D. Tho. in litera ad tria genera malorum reducit. Sed definitio Ariſt. ad idem redit, quod diffinitio Auguſtini.

Nota. ¶ Circa definitionem felicitatis, eſt aduertendum, quòd ponitur in ea illa particula (quod ad iuſtitiam pertinet) ad ſignificãdum, non poſſe eſſe vitam fœlicem, cui nõ ſit adiuncta rectitudo voluntatis, non ſolùm antecedenter & conſequenter, ſed etiã concomitanter. Quod ex pluribus teſtimonijs ſacræ Scripturæ colligere poterimus. Nam ad Hebræ. 12. D. Paulus ait, Pacem ſequimini cum omnibus & ſanctimoniam, ſine qua nemo videt Deum. Et Iacob. 1. Religio munda, & immaculata apud Deum, & patrem hæc eſt, viſitare pupillos, & immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſeculo. Et Matth. 5. Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Et pſal. 14. Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? Et ſubdit ſtatim, Qui ingreditur ſine macula, & operatur iuſtitiam. Et Sapientiæ, 7. Nihil inquinatum in eam incurrit. Et Eſai. 35. Via ſancta vocabitur, & non tranſibit per eam pollutus, &c. Eſtq; hoc intelligendum non ſolùm de beatitudine, & fœlicitate perfecta, qualis erit in patria, ſed etiam de fœlicitate inchoata huius vitæ. Vnde religio noſtra in hoc dicitur omnes alias religiones, & philoſophorum ſectas excedere, quòd in ſuis cultoribus, ſummam rectitudinem exigit, non ſolum in opere, ſed etiam in loquutione, & cogitatione. Ex quo fit, vt lex Domini immaculata appelletur, & conuertens animas.

ARTICVLVS. II.

¶ *Vtrùm defectus ſit ratio miſerendi ex parte miſerentis.*

AD SECVNDVM ſic proceditur: Videtur, quod defectus non ſit ratio miſerendi ex parte miſerentis. Proprium enim Dei eſt miſereri, Vnde dicitur in Pſal. 144. Miſerationes eius ſuper omnia opera eius. Sed in Deo nullus eſt defectus. Ergo defectus non poteſt eſſe ratio miſerendi. *3. d. 27. q. 3. art. 3. cor.*

2 ¶ Præterea, Si defectus eſt ratio miſerendi, oportet quod illi, qui ſunt maximè cũ defectu, maximè miſereantur. Sed hoc eſt falſum. Dicit enim Philoſophus* in 2. Rheto. quod qui ex toto perierunt, non miſerentur. Ergo videtur, quod defectus non ſit ratio miſerendi ex parte miſerentis. *Lib. 2. ca. 8. circa princ. tom. 6.*

3 ¶ Præterea, Suſtinere aliquam contumeliam, ad defectum pertinet. Sed Philoſophus* dicit ibidẽ, quod illi qui ſunt in contumeliatiua diſpoſitione, non miſerentur. Ergo defectus ex parte miſerentis non eſt ratio miſerendi. *Lib. 2. ca. 8. ante med. tomo. 6.*

¶ SED CONTRA eſt, quod miſericordia eſt triſtitia quædam. Sed defectus eſt ratio triſtitiæ, vnde infirmi facilius contriſtantur, vt ſuprà* dictum eſt. Ergo ratio miſerendi eſt defectus miſerentis. *Solutionẽ inuenies infra q. 35. arti. 1. ad. 2.*

¶ RESPONDEO dicẽdum, quod cum miſericordia ſit compaſsio ſuper miſeria aliena, vt dictum* eſt, ex hoc contingit quod aliquis miſereatur, ex quo contingit, quòd de miſeria aliena doleat. Quia autem triſtitia ſeu dolor,

eſt

eſt de proprio malo, intantum aliquis de miſeria aliena triſtatur, aut dolet, inquantum miſeriam alienam apprehendit, vt ſuam. Hoc autem contingit dupliciter. Vno modo ſecundũ vnionem affectus, quod fit per amorem. Quia enim amans reputat amicũ tanquam ſeipſum, malum ipſius reputat tanquam ſuum malum: & ideo dolet de malo amici, ſicut de ſuo. Et inde eſt quòd Philoſophus in. 9. Ethi.* inter alia amicabilia ponit hoc, quòd eſt condolere amico. Et Apoſtolus dicit ad Ro. 12. Gaudere cum gaudentibus, flere cum flẽtibus. Alio modo contingit ſecundum vnionem realem, vtpote cum malũ aliquorum propinquum eſt, vt ab eis ad nos tranſeat. Et ideo Philoſophus dicit * in. 2. Rhetor. ꝙ homines miſerentur ſuper illos, qui ſunt eis coniuncti & ſimiles: quia per hoc fit eis æſtimatio, quòd ipſi etiam poſsint ſimilia pati. Et inde eſt etiam, quòd ſenes & ſapiẽtes, qui conſiderãt ſe poſſe in mala incidere, & debiles, & formidoloſi ſunt magis miſericordes. E contrario autem illi, qui reputant ſe eſſe felices, & in tantũ potentes, quòd nihil mali putant ſe poſſe pati, non ita commiſerentur. Sic ergo ſemper defectus eſt ratio miſerendi, vel in quantũ aliquis defectũ alicuius reputat ſuum, propter vnionem amoris, vel propter poſsibilitatem ſimilia patiendi.

Lib. 9. Ethi. c. 3. to. 9.

Lib. 2. Rhet. c. 3. to. 5.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd Deus nõ miſeretur, niſi propter amorem, inquantum amat nos tanquam aliquid ſui.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd illi qui iam ſunt in infimis malis, non timent ſe vlterius pati aliquid: & ideo non miſerentur. Similiter etiã nec illi, qui valde timent: quia tantùm intenduntpropriæ paſsioni, ꝙ nõ intẽdunt miſeriæ alienæ.

¶ Ad tertiũ dicendũ, ꝙ illi qui ſunt in contumelitiua diſpoſitione, ſiue quia ſint contumeliam paſsi, ſiue quia velint contumeliam inferre, prouocantur ad iram & ad audaciam: quæ ſunt quędam paſsiones virilitatis, extollentes animum hominis ad arduum. Vnde inferunt homini æſtimationem, ꝙ ſit aliquid in futurum paſſurus. Vnde tales dum ſunt in hac diſpoſitione, nõ miſerentur: ſecundum illud Prouerbio. 27. Ira non habet miſericordiam, neque erumpens furor. Et ex ſimili ratione ſuperbi non miſerentur, qui contemnunt alios, & reputant eos malos. Vnde reputant, quod dignè patiantur quicquid patiuntur. Vnde & Greg. * dicit, quod falſa iuſtitia, ſcilicet ſuperborum, non habet compaſsionem, ſed dedignationem.

Ho. 34. in Euang. non longe à prin.

SVMMA TEXTVS.

INtentio D. Tho. in hoc articulo eſt quærere, vtrum defectus, & miſeria, quam aliquis patitur ſit cauſa atq; ratio, quòd aliorum miſereatur. Et reſpõdet ad difficultatẽ hac concluſione. Defectus in aliquo exiſtens eſt ſibi ratio miſerendi, in quantum reputat alterius miſeriam propriã, vel propter coniunctionẽ amoris, vel propter poſſibilitatem ſimilia patiendi. Vtramq; partem concluſionis probat D. Tho. ex Ariſt. Et primo quòd ꝑpter coniunctionẽ amoris, quis miſereatur alterius. Nam. 9. Ethi. c. 3. inter alia amicabilia ponit hoc, quod eſt condolere amico. Ex eo enim, quod amans reputat amicum, tanquam ſe ipſum, malũ amici reputat tanquam malum ſuum, & ideò dolet de malo amici, tanquam de proprio. Quod verò poſsibilitas ſimilia patiendi ſit etiam ratio miſerendi, probatur ex eodem Ariſt. 2. Rhetoricorum. c. 3. dicente, ꝙ homines miſerentur ſuper illos, qui ſunt eis coniuncti, & ſimiles, per hoc enim fit eis æſtimatio, quòd ipſi etiam poſsint ſimilia pati. Et hinc eſt, quòd ſenes & ſapiẽtes, qui conſiderant ſe poſſe in mala incidere, & ſimiliter debiles, & formidoloſi, ſunt magis miſericordes. E contrario autem diuites atque potentes, qui nihil mali ſibi accidere poſſe putant, non ſunt itã miſericordes.

EXPLICATIO ARTICVLI.

COncluſionem huius articuli latè docet D. Bernardus in opuſculo de gradibus humili-

humilitatis. cap. 2. qui incipit. Inquiramus namq; veritatem, &c. Vbi dicit: Miſericordes, quippe cito in proximis veritatẽ deprehendunt, dum ſuos affectus in illos extendunt, & ſic per chariratem ſe illis conformant, vt illorum vel bona, vel mala tanquam propria ſentiant. Cum infirmis infirmantur, cum ſcandalizatis vruntur, gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus cõſueuerunt. Qui vero ità ſe fratribus non cõſociant, ſed è contrario, aut flentibus inſultant, aut gaudentibus derogant, dum quod in illis eſt in ſe eſſe non ſentiunt, quia ſimiliter affecti non ſunt, veritatem in proximis qualiter deprehendere poſſunt? Bene nanq; conuenit illis illud vulgare prouerbium: Neſcit ſanus, quod ſentiat æger, aut plenus quid patiatur egenus, & æger ęgro, & ieiunus ieiuno, quantò propinquius, tantò familiarius cõpatiuntur. Sicut enim pura veritas, non niſi puro corde videtur, ſic miſeria fratris verius miſero corde ſentitur. Sed, vt ob alienam miſeriam miſerum cor habeas oportet, vt tuam prius cognoſcat, vt proximi mentem in tua inuenias & ex te noueris qualiter illi ſubuenias, exẽplo, ſcilicet, Saluatoris noſtri, qui pati voluit, vt cõpati ſciret, miſer fieri, vt miſereri diſceret, vt quomodo de ipſo ſcriptum eſt, Didicit ex ijs, quæ paſſus eſt, obedientiam, ad Hebræ. 5. ita & miſericordiam diſceret, non ꝙ ante miſereri neſciret, cuius miſericordia ab æterno, & vſque in æternum, ſed quod natura ſciebat ab ęterno, temporali didicit experimento. Hæc Bernardus, & multa alia, quæ ad probandam D. Tho. concluſionem maximè conducunt. Videte illũ.

Corollariũ. ¶ Ex dictis infero primo, quam ſit verum, quod D. Tho. in hoc articulo dicit, ſcilicet, quòd ex hoc alteri quis miſeretur, quòd reputat alienam miſeriam tanquam propriam. Infero ſecũdo quam infinita fuerit Dei miſericordia ſuper homines, ſi quidem noſtram miſeriam, atque exilium tanquam proprium reputauit, ex quo factũ fuit, vt talem, ac tantã medicinam ad medendum homini adhibuerit, quantam ſibi metipſi, ſi ſimilem pateretur neceſsitatẽ, adhibere poſſet. Si enim per impoſsibile in diuinis filius poſſet peccare in patrem, non maius ſubiret ſupplicium, quam pro nobis ſubijt. De hac re videndus eſt Diuus Auguſtinus libro. 1. de moribus Eccleſiæ cap. 27. & Caietanus Ientaculo quarto. circa quintam beatitudinem art. 3.

ARTICVLVS III.

¶ Vtrum miſericordia ſit virtus.

AD TERTIVM ſic proceditur. Videtur ꝙ miſericordia nõ ſit virtus. Principale enim in virtute eſt electio: vt patet per Philoſophum * in. 2. Ethi. Electio autem eſt appetitus præconſiliati: vt in eodem libro * dicitur. Id ergo quod impedit conſilium non poteſt dici virtus. Sed miſericordia impedit conſilium: ſecũdum illud * Salluſtij, Omnes homines qui de rebus dubijs conſultant, ab ira & miſericordia vacuos eſſe decet. Non enim animus facile verũ præuidet, vbi iſta afficiunt. Ergo miſericordia non eſt virtus.

1. 2. q. 59. a. 1. ad tertiũ. Et 3. di. 234. 1. ar. 3. q. 2. ad 2. Et ma. q. 10. ar. 1. ad 8.

Li. 2. c. 5. à med. ſeſ.

C. 3. circa ſi. In cõiur. Catil. in ca. cu⁹ tit. eſt Cæſaris oratio in prin. illius.

2 ¶ Præterea, Nihil quod eſt contrarium virtuti, eſt laudabile. Sed nemeſis contrariatur miſericordię: vt Philoſophus dicit in. 2. * Rhetor. Nemeſis aũt eſt paſsio laudabilis, vt dicitur in. 3 * Ethi. Ergo miſericordia nõ eſt virtus.

Li. 2. Ethi. c. 6. in princ.

Ca. 9. in pr. tom. 6.

3 ¶ Præterea, Gaudium & pax non ſunt ſpeciales virtutes, quia cõſequuntur ex charitate: vt ſupra dictum * eſt: ſed etiam miſericordia cõſequitur ex charitate. Sic enim ex charitate flem⁹ cum flentibus: ſicut gaudemus cum gaudentibus. Ergo miſericordia non eſt ſpecialis virtus.

q. præ. a. 4.

4 ¶ Præterea, Cum miſericordia ad vim appetitiuam pertineat, nõ eſt virtus intellectualis, nec eſt virtus theologica, cum nõ habeat Deum pro obiecto. Similiter etiam non eſt virtus moralis: quia nec eſt circa operationes, hoc enim pertinet ad iuſtitiã. Nec eſt circa paſsiones: non enim reducitur ad aliquã duodecim medietatum, quas Philoſophus ponit * in. 2. Ethi. Ergo miſericordia non eſt virtus.

Li. 2. Ethic. 7. lo. 5.

¶ SED CONTRA eſt, quòd Auguſtinus. * dicit in. 6. de Ciuitate Dei, Longe melius & humanius, & piorũ ſenſibus accommodatius, Cicero in

Li. 9. ca. 5. ante med. tomo. 5.

Cæſa-

In ſi. Orat. pro Q. Ligario que incipit, Nouũ crimen. Cæſaris laude locutus eſt, vbi ait, Nulla de virtutibus tuis nec admirabilior, nec gratior miſericordia eſt. Ergo miſericordia eſt virtus.

¶ RESPONDEO dicendũ, quòd miſericordia importat dolorem de miſeria aliena. Iſte autem dolor poteſt nominare, vno quidẽ modo, motum appetitus ſenſitiui. Et ſecundũ hoc miſericordia paſsio eſt, & nõ virtus. Alio verò modo poteſt nominare motum appetitus intellectiui, ſecũdum quod alicui diſplicet malum alterius. Hic autem motus poteſt eſſe ſecundum rationem regulatus, & poteſt ſecũdũ hunc motum ratione regulatum regulari motus inferioris appetitus. Vnde Au. dicit in. 9.* de Ciuit. Dei, quòd iſte motus animi, ſcilicet, miſericordia, ſeruit rationi, quando ita præbetur miſericordia, vt cõſeruetur iuſtitia, ſiue cum indigenti tribuitur, ſiue cum ignoſcitur pœnitenti. Et quia ratio virtutis humanæ conſiſtit in hoc, ꝙ motus animi ratione reguletur, vt ex ſuperioribus patet,* conſequens eſt miſericordiam eſſe virtutem.

Lib. 9. ca. 5. circa med. to. 5.

1. 2. q. 59. a. et. q. 65. ar. 2

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd authoritas illa Salluſtij intelligitur de miſericordia, ſecundum quod eſt paſsio ratione non regulata. Sic enim impedit cõſilium rationis, dum facit à iuſtitia diſcedere.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd Philoſophus loquitur de miſericordia & nemeſi, ſecundum quod vtrunque eſt paſsio: & habent quidem contrarietatem ex parte æſtimationis, quam habent de malis alienis, de quibus miſericors dolet, inquantum æſtimat aliquẽ indigna pati. Nemeſicus autem gaudet, inquantum æſtimat aliquos dignè pati: & triſtatur, ſi indignis bene accidat. Et vtrũque eſt laudabile, & ab eodem more deſcendens: vt ibidem * dicitur. Sed propriè miſericordiæ opponitur inuidia, vt infrà * dicetur.

Li. 2. Rhe. c. 9. in pri. to. 6.

q. 36. art. 3.

¶ Ad tertium dicendum, quòd gaudium & pax nihil adijciunt ſuper rationem boni, quod eſt obiectum charitatis. Et ideo non requirunt alias virtutes, quàm charitatem. Sed miſericordia reſpicit quandam ſpecialem rationem, ſcilicet, miſeriam eius, cuius miſeretur.

¶ Ad quartum dicendum, quòd miſericordia ſecũdum quod eſt virtus, eſt virtus moralis, circa paſsiones exiſtẽs: & reducitur ad illam medietatẽ, quæ dicitur nemeſis: quia ab eodem more procedunt: vt in. 2. Rhetor. * dicitur. Has autẽ medietates Philoſophus nõ ponit virtutes, ſed paſsiones: quia etiã ſecundum quod ſunt paſsiones, laudabiles ſunt. Nihil tamen prohibet quin ab aliquo habitu electiuo proueniant: & ſecundum hoc aſſumunt rationem virtutis.

Li. 2. Rhet. c. 9. in pri. to. 6

SVMMA TEXTVS.

SVppoſito, quod miſericordia poteſt accipi dupliciter, vno modo, pro vt eſt motus appetitus ſenſitiui, alio modo, pro vt dicit motum voluntatis, reſpectu mali alterius, ponit Diuus Tho. duas propoſitiones. ¶ Prima concluſio. Miſericordia pro motu appetitus ſenſitiui non eſt virtus, ſed paſſio. Hanc concluſionem non probat, ſed illam, vt notam relinquit. ¶ Secunda concluſio. Miſericordia, pro motu voluntatis reſpectu mali alterius, eſt virtus. Probatur. Ratio virtutis conſiſtit in hoc, quòd dirigat actus noſtros in ordine ad rectam rationẽ, ſed hoc facit miſericordia ſumpta pro motu voluntatis reſpectu mali alterius: ergo vt ſic eſt virtus.

¶ Sed eſt aduertendum, quòd quando D. Tho. dicit miſericordiam pro motu voluntatis eſſe virtutem, non accipit motum pro actuali motione voluntatis, qua quis actu dolet de aliena miſeria: nam vt ſic miſericordia non eſt virtus, ſed actus virtutis, quando talis motio fuerit regulata ſecundum rectam rationem. Sed accipit motum pro habitu, qui eſt principium actualis motionis: virtus enim neceſſario in ſua ratione includit habitum vt ipſe D. Tho. 1. 2. q. 55. art. 1. docet.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Circa primam concluſionem eſt aduertendum, quòd, vt conſtat ex D. Tho. 1. 2. quæſtio. 35. art. 8. triſtitia, quæ eſt paſsio conſurgens ex præſentia mali quatuor habet ſpecies. Prima eſt miſericordia, quæ eſt triſtitia de malo alieno in quantum æſtimatur, vt proprium. Alia eſt inuidia, quæ eſt triſtitia de bono alieno in quantum aliquis bonum alterius exiſtimat, vt nociuum ſibi. Sed quando animus ità deprimitur, vt non videatur eſſe refugiũ, anxietas ſeu anguſtia appellatur. Quæ aggrauatio, ſi in tãtum procedit, vt etiam exteriora membra ab opere immobilitet, dicitur accidia, quaſi vocem amputans. Eſt enim vox inter omnes exteriores motus magis exprimens cõceptus & affectus, non ſolum hominũ, ſed etiam aliorum animalium, & ſic conſtat q̃ miſericordia ſumpta pro motu appetitus ſenſitiui eſt paſsio pertinens ad concupiſcibilem, in qua triſtitia ponitur, vt diximus quæſt. 28. art. 1. Nihil enim eſt æquè hominibus naturale, ac afflictis cõmiſereri. Quẽ affectum mirandum eſt quod Stoici à viro bono excluſerint, cum naſcatur ex quadam ſimilitudine, & congruentia animorum, nec fieri poſsit, vt homo dum aliena mala intuetur, & ſeipſum, propter communicationem in natura, ſimilibus ſubiectum eſſe cognoſcit, non compatiatur, atque triſtetur. De hac re videndus eſt Cicero in oratione pro Muræna, vbi optime, & elegantiſsimè contra Stoicos diſputat in defenſionem miſericordiæ.

Argumentum contra concluſionẽ. ¶ Contra ſecundam concluſionem in qua D. Thom. dicit, quòd miſericordia pro motu, hoc eſt, diſplicentia voluntatis reſpectu mali alterius, eſt virtus, eſt argumentũ. Diſplicere de malo alterius pertinet ad charitatem, ergo miſericordia non eſt virtus diſtincta à charitate. Conſequentia eſt nota, & antecedens probatur. Gaudere de bono alterius pertinet ad charitatẽ, vt diximus ſupra quæſtio. 28. art. 4. ergo & triſtari de malo alterius: ad eandem enim virtutem pertinet gaudere de bono & triſtari de malo contrario.

Via pro ſolutione argumenti. ¶ Ad hoc argumentũ vt reſpondeamus aduertendum eſt ex D. Tho. quæſtione ſequenti art. 1. ad. 3. quòd malum alterius dupliciter poteſt conſiderari. Vno modo, inquantum eſt quoddam malum: & ſub hac ratione diſplicere de illo pertinet ad amicitiam, & charitatem, ſicut & complacere de bono alterius. Alio modo poteſt cõſiderari malum, inquãtum eſt quidam defectus, & quædam miſeria proximi: & ſub iſta ratione diſplicere, & dolere de illo cum animo ſubleuandi, ſi poſſumus, pertinet ad miſericordiam immediate. Et ſic charitas & miſericordia formaliter diſtinguũtur, & ſunt diuerſæ virtutes.

¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco, quod nam ſit ſubiectum virtutis miſericordiæ, vtrum, ſcilicet, ſit voluntas, an verò appetitus ſenſitiuus. Et quidem, quod miſericordia ſubiectetur in voluntate probatur ex D. Tho. qui in hoc articulo affirmat miſericordiam, pro vt dicit motum appetitus ſenſitiui, non eſſe virtutem: ergo miſericordia, quæ eſt virtus ſubiectatur in voluntate. In contrarium tamen eſt: nam idem D. Tho. in ſolutione ad quartum affirmat, q̃ miſericordia, quæ eſt virtus, eſt virtus moralis circa paſsiones exiſtẽs. Certum eſt autem ex D. Tho. 1. 2. in materia de virtutibus, quòd omnis virtus moralis circa paſsiones exiſtẽs ſubiectatur in appetitu ſenſitiuo. *Dubium.* ¶ Ego tamen dico, quòd miſericordia vtrobique eſt ponenda, ſcilicet, in voluntate & in appetitu ſenſitiuo. *Sententia autoris.* Itaque quemadmodum D. Tho. infra. quæſt. 117. de liberalitate affirmat, quòd ſimul ſubiectatur in appetitu rationali, & ſenſitiuo: & ratio eſt, quia liberalitas verſatur circa actiones, & circa paſsiones, ità etiam miſericordia ponitur in appetitu ſenſitiuo ad moderandas paſsiones, & in voluntate adhoc, vt bene nos habeamus circa alios. Nam quanuis ſedatæ ſint paſsiones, adhuc manet difficultas in voluntate ad benefaciendum. Verum tamẽ eſt quòd principaliter ſubiectatur in appetitu ſenſitiuo, quia præcipuum, quod per miſericordiam debet fieri, eſt moderatio paſsionum. Et propterea D. Tho. in ſolutione ad quartum affirmat q̃ miſericordia verſatur circa paſsiones.

ARTICVLVS. IIII.

¶ *Vtrum miſericordia ſit maxima virtutum.*

AD QVARTVM ſic proceditur. Videtur quòd miſericordia ſit maxima virtutum. Maximè enim ad virtutem pertinere videtur cultus diuinus. Sed miſericordia cultui diuino præfertur, ſecũdum illud Oſeæ. 6.

&

& Mat. 12. Miſericordiã volo, & non ſacrificium. Ergo miſericordia eſt maxima virtus.

2 ¶ Præterea, Super illud. 1. ad Tim. 4. Pietas ad omnia vtilis eſt: dicit gloſſa Ambroſ. Omnis ſumma diſciplinæ Chriſtianæ in miſericordia & pietate eſt. Sed diſciplina Chriſtiana continet omnem virtutem. Ergo ſumma totius virtutis in miſericordia conſiſtit.

In iſtum locũ Pauli. 5

3 ¶ Præterea, Virtus eſt, quæ bonum facit habentem. Ergo tanto aliqua virtus eſt melior, quanto facit hominem Deo ſimiliorem: quia per hoc melior eſt homo, ꝙ Deo eſt ſimilior. Et hoc maximè facit miſericordia: quia de Deo dicitur in Pſal. 144 Quòd miſerationes eius ſunt ſuper omnia opera eius. Vnde & Lu. 6. Dominus dicit, Eſtote miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt. Miſericordia igitur eſt maxima virtutum.

¶ SED CONTRA eſt, quod dicit Apoſtolus ad Col. 3. cum dixiſſet, Induite vos ſicut dilecti Dei viſcera miſericordiæ, &c. poſtea ſubdit, Super omnia charitatem habete. Ergo miſericordia non eſt maxima virtutum.

¶ RESPONDEO dicendũ, quòd aliqua virtus poteſt eſſe maxima dupliciter, Vno modo ſecũdum ſe, alio modo per comparationẽ ad habentem. Secundum ſe quidẽ miſericordia maxima eſt. Pertinet enim ad miſericordiam, quod alijs effundat, & quod plus eſt, quòd defectus aliorum ſubleuet, & hoc maximè ſuperioris eſt. Vnde & miſereri ponitur proprium Deo. Et in hoc maximè dicitur eius omnipotẽtia manifeſtari. Sed quo ad habentem, miſericordia non eſt maxima, niſi ille qui habet, ſit maximus, qui nullum ſupra ſe habeat, ſed omnes ſub ſe. Etenim qui ſupra ſe aliquem habet, maius eſt & melius cõiungi ſuperiori, quàm ſupplere defectũ inferioris. Et ideo quantum ad hominem, qui habet Deum ſuperiorem, charitas, per quam Deo vnitur, eſt potior, quàm miſericordia, per quam defectus proximorum ſupplet. Sed inter omnes virtutes, quæ ad proximũ pertinẽt, potiſſima eſt miſericordia, ſicut etiã eſt potioris actus, Nã ſupplere defectum alterius, inquantum huiuſmodi, eſt ſuperioris & melioris.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd Deũ non colimus per exteriora ſacrificia, aut munera propter ipſum, ſed propter nos, & propter proximos. Non enim indiget ſacrificijs noſtris: ſed vult ſibi ea offerri propter noſtram deuotionẽ, & proximorum vtilitatem. Et ideo miſericordia, quâ ſubuenitur defectibus aliorum, eſt ſacrificium ei magis acceptum: vtpotè propinquius vtilitatem proximorum inducẽs: ſecundũ illud Heb. vlt. Beneficẽtię & cõmunionis nolite obliuiſci, talib⁹ enim hoſtijs promeretur Deus.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd ſumma religionis Chriſtianæ in miſericordia conſiſtit, quantum ad exteria opera: interior tamen affectio charitatis, qua cõiungimur Deo, præpõderat & dilectioni & miſericordiæ in ꝓximos.

¶ Ad tertium dicẽdum, quòd per charitatem aſsimilamur Deo, tanquam ei per affectum vniti: & ideo potior eſt ꝙ miſericordia, per quam aſsimilamur Deo per ſimilitudinem operationis.

SVMMA TEXTVS.

SVppoſito, quòd aliqua virtus dupliciter poteſt dici maxima, vno modo ſecundũ ſe alio modo per ordinem ad habentem reſpondet D. Tho. ad difficultatem per tres propoſitiones. ¶ Prima cõcluſio. Miſericordia ſecundum ſe eſt maxima omnium virtutum. Probatur primo quia ad miſericordiam ſecundum ſe ſpectat omnium defectus ſubleuare, quod maxime ad ſuperiorẽ pertinet. Secundo, quia miſericordia propriſsime tribuitur Deo, iuxta illud: Deus, cui proprium eſt miſereri ſemper, & parcere, &c. ¶ Secunda concluſio. Miſericordia in ordine ad habentem non eſt maxima virtus, niſi in illo, qui non habet ſuperiorem. Probatur. Vnicuiq; rei melius eſt quod eſt

iungatur ſuo ſuperiori, quam ꝙ ipſa leuet defectusaliorum: ergo illa virtus, per quam ſuperiori cōiungitur, erit melior, quam miſericordia. Ex hoc infertur quòd in homine, & in Angelis perfectior & maior virtus eſt charitas, quam miſericordia, cum per miſericordiam homo atque Angeli leuent aliorum miſerias, per charitatem autem cōiungātur ſuo ſuperiori, quod eſt perfectius.

¶Tertia concluſio. Inter omnes virtutes ad proximū pertinentes miſericordia eſt maxima, & præſtantiſsima virtus. Probatur. Habet præſtantiſsimum actum, ad miſericordiam enim ſpectat leuare miſerias, & defectus aliorum, quod ſuperioris eſt, ergo miſericordia eſt perfectior cæteris virtutibus.

EXPLICATIO ARTICVLI.

CIrca primam concluſionem huius articuli eſt difficultas ex Caietano, vtrum miſericordia ſecundum ſe, & abſolute conſiderata ſit maxima virtutum. Et pro parte *1. Argum.* negatiua argumentor primo. Charitas ſecundum ſe habet præſtantius obiectum, quam miſericordia, ergo ſecundum ſe eſt præſtantior virtus. Conſequentia patet: nā nobilitas habitus penſatur ex nobilitate obiecti, antecedens verò probatur. Obiectum charitatis eſt Deus: obiectum autem miſericordiæ eſt malum in creatura, ergo obiectum charitatis eſt præſtantius miſericordiæ obiecto. ¶Secūdo perfectior actus eſt, *2. Argum.* quod Deus diligat ſeipſum, quam leuet defectus, & miſerias creaturarum: ſed primū pertinet ad charitatem, ſecūdum autem ad miſericordiam: ergo charitas ſecundum ſe præſtantior eſt miſericordia.

¶In contrarium tamē eſt, quod D. Tho. in hoc articulo affirmat.

1. Notabile. ¶Pro explicatione huius difficultatis aduertendum eſt primo quòd, vt conſtat ex D. Tho. in litera, vna virtus dupliciter poteſt dici maxima, vno modo ſecundum ſe, alio modo per comparationem ad habētē. Cuius diſtinctionis ſenſus eſt, quòd virtus duplici ratione poteſt dici maior, aut melior. Vno modo, quia eſt melior habenti illam, quia, ſcilicet, facit illum meliorem, quā quæcunq; alia virtus. Alio modo, quia ſecūdum ſeipſam, ſecluſa habitudine ad habētem, ponit maiorem perfectionem & bonitatem, quam alia: & attenditur magnitudo virtutis ſecundum ſe penes perfectionem, quam ipſa ſimpliciter ſumpta in ſeipſa exigit, & non per ordinem ad obiectum. Ex quo fit, vt ſi aliqua virtus ſecundū ſeipſam, ſecluſa habitudine ad habentem, exigit ſimpliciter & abſolutè ſumpta, maiorem perfectionem, quam alia virtus, illa erit ſecundum ſe maior atq; perfectior. Dico autem (ſimpliciter & abſolutè ſumpta) ad differētiam virtutum, quæ ex modo operādi poſſunt exigere maiorem perfectionem, quā ipſæ ſecundum ſe requirunt: vt eſt videre in charitate, quæ ad diligendum infinitè requirit maiorem perfectionem, quam ad diligendū ſimpliciter. Hæc tamen perfectio non conuenit illi ſecundum ſe, ſed ex modo operandi. Illa ergo virtus erit ſecundum ſe maxima, quæ ex ratione ſuæ ſpeciei, & non ex modo operandi exigit maiorem perfectionem.

¶Secundo eſt aduertendum, quòd quia *2. Notabi.* miſericordia in ſeipſa exigit immunitatem à miſeria, idcircò ſi diſtinguamus miſericordiam in miſericordiam ſimpliciter, & miſericordiam reſpectu talis, vel talis miſeriæ, inueniemus, quòd quemadmodum miſericordia reſpectu talis miſericordię, putà paupertatis, ſecundum ſe eſt immunis à paupertate, quia ad ipſam ſpectat dando ſubleuare paupertatem: ità etiam miſericordia ſimpliciter & abſolute debet eſſe immunis ab omni miſeria, quia ad ipſam ſpectat omnem miſeriam ſubleuare. Et quia omnis potentialitas miſeria quædam eſt, ratione cuius oportet, vt omnis creatura aliquo modo ſit ſubiecta miſeriæ, conſequens eſt, vt miſericordia ſecundum ſe exigat in ſe talem ac tantam ſuperioritatem, vt ſit actus purus, atque ex conſequenti Deus. Et propterea dicitur de Deo, quod eſt proprium ipſius miſereri, & quod omnipotentiam ſuam, quę ſupra actualitatem fundatur, maxime miſerando manifeſtat. Ex dictis infertur, quòd miſericordia ſecundum ſe eſt maxima omnium virtutum, ſiquidem ex ſua ratione talem perfectionem, & bonitatem ponit, quæ ſufficiens eſt Deum conſtituere. Et propterea D. Tho. in prima concluſione dicit, quòd miſericordia ſecundum ſe eſt maxima virtutum.

¶Et ad primum argumentum reſpondetur *Ad 1. argu.* conceſſo antecedenti negādo conſequētiam. Et ad probationē dico, ꝙ nobilitas obiecti facit ad perfectionē habitus, vel virtutis, inquantū reſpicit habentē: habēti enim virtutē melius eſt circa nobilius obiectum verſari. Cū hoc tamen ſtat, quod virtus poſſit ex alia parte ſecūdū ſe eſſe maior, inquātum,

tum, ſcilicet, ſine ordine ad habẽtẽ maiorem perfectionẽ in ſe ipſa exigit, quã alia, ad modum iam explicatũ. *Ad. 2. arg.* ¶ Ad ſecundũ reſpondet Caietanus, quod quanuis miſericordia ſecũdum ſe ſit maior charitate, vt in litera dicitur, propter rationẽ modo aſsignatã, vtraq; tamẽ conſiderata in tali habente, ſcilicet, in Deo loquendo formaliter, & cũ præciſione alterius, melior eſt charitas, quã miſericordia. Et ratio eſt, quia formaliter loquendo, melius eſt Deo diligere ſe ipſum, quã ſubleuare cætera à miſeria: ſicut melius eſt lucido in ſe habere lumen, quã illuminare alia. Adhuc tamen cum hoc eſt verũ, ꝙ miſericordia Dei ſimpliciter, & abſolute loquendo eſt melior, quã eius charitas: quia miſericordia Dei ſupponit & includit charitatẽ. Non enim Deus miſeretur, niſi propter amorẽ, inquantũ amat nos tanquam aliquid ſui, & addit ſupra illã ſicut lucens ad lucidũ: abſolutè autẽ loquendo melius eſt lucere, quã tantũ lucidũ eſſe in ſe. Hæc ſolutio Caietani mihi non placet. Primo, quia ego nõ video, qua ratione charitas poſsit eſſe maior miſericordia, ſi vtraq; conſideretur, pro vt eſt in Deo, ſiquidẽ tam charitas, quã miſericordia eſt infinita, & vnũ infinitũ nec etiã ſecundũ noſtrã conſiderationẽ poteſt eſſe perfectius altero. Secundo, quia loqui de perfectione quã charitas, atq; miſericordia habent in Deo, nũ eſt loqui de perfectione virtutis ſecundũ ſe, ſed de perfectione virtutis in ordine ad ſubiectũ. Quando autẽ D. Tho. dicit, quod miſericordia eſt maior charitate, loquitur de illis ſecundũ ſe, & ideò ſolutio nihil facit ad propoſitũ. Quo circa aliter reſpõdeo ad argumentũ quicquid ſit de antecedenti negã do conſequentiã. Nam quãuis ſit perfectior actus, quo Deus diligit ſe, quã quo leuat defectus, & miſerias creaturarũ, illud tamen eſt per ordinẽ ad ſubiectũ, & quia miſericordia ſecundũ ſe & abſolutè loquendo includit, & exigit maiorẽ perfectionẽ, ꝗ charitas, vt iã explicauimus, idcircò abſolute dicimus, ꝙ miſericordia ſecũdũ ſe eſt maxima oĩum virtutũ.

Dubium. ¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco, qua ratione fieri poſsit, quod in Deo ſit miſericordia. *1. Argum.* Et ratio dubitãdi eſt, quia cũ miſericordia ſit triſtitia de alienis malis, quæ in Deo eſſe non poteſt, non videtur, ꝙ in illo ſit miſericordia. Et confirmatur. In Deo nõ poſſunt eſſe fides & ſpes, quia iſtæ virtutes in ſua ratione includunt imperfectionẽ, ſed ſimiliter miſericordia includit perfectionẽ, vt diximus, ergo nõ poteſt eſſe in Deo. *2. Argum.* ¶ Vltimò, miſericordia inclinat ad repellẽdã miſeriã, ſed Deus permittit in creaturis multas miſerias, quas repellere poſset, ergo in illo nõ eſt miſericordia.

Nota. ¶ Pro explicatione huius difficultatis eſt aduertendum, ꝙ miſericordia duo importat. Vnũ tanquã eſſentiale, & eſt prõptitudo voluntatis ad ſubueniendũ miſeris, in quo cõſiſtit tota eſſentia virtutis miſericordiæ. Alterũ eſt tanquã accidentale, & eſt paſsio triſtitiæ, quæ oritur in appetitu ex cognitione miſeriæ alterius. Hoc ſuppoſito dico, ꝙ quantum ad primũ miſericordia eſt ſumme in Deo, nõ autẽ quantũ ad ſecundũ. *Ad. 1. arg.* Nec propterea eſt dicẽdũ eſſe minus in illo eſſentia miſericordię, quia illa triſtitia eſt accidens ab illa ſeparabile. Et per hoc patet ſolutio ad primũ argumẽtũ. Ad cõfirmationẽ reſpondetur nõ eſſe eandẽ rationẽ de fide, & ſpe, & de miſericordia. Nam imperfectio fidei & ſpei eſt illis eſſentialis, vt diximus in proprijs locis, triſtitia autẽ nõ eſt eſſentialis miſericordiæ. *Ad. 2. arg.* ¶ Ad ſecũdũ reſpõdetur quod ad miſericordiã nõ pertinet repellere alienã miſeriã, niſi pro vt expedit, & decet: non autem eſt expediens, vt à quacũq; creatura rationali Deus repellat omnem miſeriã. Quod vt intelligatur aduertendũ eſt, quod quia Deus præcipue intẽdit bonũ vniuerſi, & illi prouidere, & ad bonũ vniuerſi pertinet, quod naturę rerũ, quę ſunt partes illius, nõ perturbẽtur, ſed vnaquęq; in ſuo eſſe naturali integra, & perfecta maneat, idcirco cõueniens eſt, vt Deus, qui oĩa ſua prouidentia gubernat, & dirigit in ſuos fines cõferens ea, quę neceſſaria ſunt ad illorũ cõſequutionẽ, intantũ prouideat illis, in quantũ patitur atq; poſtulat vniuſcuiuſq; rei natura, atque ratio. Et in hoc cõſiſtit illa ſuauis rerũ diſpoſitio, quã ſacræ literæ tribuunt Deo, & de qua loquitur Sapiens. c. 8. & . 9. quãdo dicit, ꝙ attingit à fine vſq; ad finẽ fortiter, & diſponit oĩa ſuauiter. Ex quo ſequitur, quod Deus cũ prouidet creaturis habentibus libertatẽ arbitrij, qua poſsint ſe in quãcũq; partẽ maluerint vertere, nõ ità prouidet illis, vt neceſſario ſuũ finẽ conſequãtur: nã hoc eſſet perturbare rerũ naturas, & ex liberis, & ex cõſequẽti defectibilibus neceſſarias & infallibiles efficere. Sed ad prouidẽtiã diuinã pertinet, ità illis prouidere, & media diſponere, & ordinare, vt his creaturis nec deſit facultas ad conſequendos ſuos fines, nec inferatur neceſsitas, ſed poſsint ſi velint aberrare à ſuo fine. Ex quo etiam ſequitur, vt de facto nõnulli aberrẽt, & ſic patet ꝙ nõ pertinet ad diuinã miſericordiã tollere à creaturis rationalib' oẽm miſeriã, ſed illã tãtũ, quę non repugnat ſuaui rerũ diſpoſitioni,

quod facit prouidendo omnibus hominibus de medijs, quibus poſsint, ſi velint, ſuam beatitudinem conſequi.

¶Circa ſolutionem ad primum, in qua D. Tho. dicit, quòd non colimus Deum per exteriora ſacrificia propter ipſum, ſed propter nos & proximos, eſt legendus D. Chyſoſt. homil. 11. in Matt. in illa verba, Relinque munus tuum ante altare, & vade reconciliari fratri tuo. Vbi dicit, Vide miſericordiã Dei, quo modo hominum vtilitates amplius aſpicit, quam ſuos honores. Si enim ſuos honores magis aſpiceret ſic dixiſſet: Interim affer munus tuum, & poſteà vade, & reconciliare. Nunc autem dicit: Vade primùm & reconciliare, & ſic veniens offeres. Tanquam ſi dicat ad illum, Vade, ego libenter contemnor, libenter honoris mei patior damnum, libenter expecto dominus ſeruos tantum modo, vt vos in amicitiam veniatis. Vade ergo, vt ſcias, quia plus diligo cõcordiam fidelium meorum, quam munera. Hæc Chryſoſtomus, & multa alia ad hoc inſtitutum pertinentia.

QVAESTIO TRIGESIMAPRIMA, de Beneficentia, in quatuor articulos diuiſa.

DEINDE conſiderandum eſt de exterioribus actibus vel effectibus charitatis. Et primo de beneficentia: ſecundo, de eleemoſyna, quę eſt quædam pars beneficentiæ: tertio, de correctione fraterna, quæ eſt quædã eleemoſyna.

¶Circa primum quæruntur quatuor.

¶Primò, Vtrum beneficentia ſit actus charitatis.

¶Secundo, Vtrum ſit omnibus benefaciendum.

¶Tertio, vtrum magis coniunctis ſit magis benefaciendum.

¶Quarto, vtrum beneficentia ſit virtus ſpecialis.

ARTICVLVS. I.

¶*Vtrum beneficentia ſit actus charitatis.*

AD PRIMVM ſic proceditur. Videtur quòd beneficentia non ſit actus charitatis. Charitas enim maximè habetur ad Deum. Sed ad Deũ non poſſumus eſſe benefici: ſecundum illud Iob. 35. Quid dabis ei, aut quid de manu tua accipiet? Ergo beneficentia non eſt actus charitatis.

2 ¶Præterea, Beneficentia maximè conſiſtit in collatione donorum. Sed hoc pertinet ad liberalitatem. Ergo beneficentia non eſt actus charitatis, ſed liberalitatis.

3 ¶Præterea, Quod quis dat, vel dat ſicut debitũ, vel dat ſicut non debitũ: ſed beneficiũ qđ impẽditur tãquã debitũ, pertinet ad iuſtitiã: quod autẽ impenditur tanquã non debitũ, gratis datur, & ſecũdũ hoc pertinet ad miſericordiã. Ergo omnis beneficentia, vel eſt actus iuſtitiæ, vel eſt actus miſericordiæ. Non eſt ergo actus charitatis.

¶SED contra, Charitas eſt amicitia quædã, vt dictũ * eſt. Sed Philoſophus in nono * Ethicorũ, inter alios amicitię actus ponit hoc vnũ, ꝙ eſt operari bonũ ad amicos: quod eſt amicis benefacere. Ergo beneficentia eſt actus charitatis. *q. 23. art. 1.* *Lib. 9. Ethi. ca. 4. & c. 5.*

¶RESPONDEO dicendũ, ꝙ beneficẽtia nihil aliud importat, ꝗ̃ facere bonũ alicui. Poteſt autẽ hoc bonũ conſiderari dupliciter. Vno modo ſecũdũ communẽ rationẽ boni: & hoc pertinet ad cõmunẽ rationẽ beneficẽtiæ: & hoc eſt actus amicitię, & per cõſequẽs charitatis. Nã in actu dilectionis includitur beneuolẽtia, per quã vult aliquis bonũ amico, vt ſupra habitũ * eſt. Volũtas autẽ eſt effectiua eorũ, quę vult, ſi facultas adſit: & ideo ex cõſequẽti benefacere amico, ex actu dilectionis cõſequitur. Et ꝓpter hoc bñficẽtia ſecundũ cõmunẽ rationẽ eſt amicitiæ vel charitatis actus. Si autẽ bonũ, qđ quis facit alteri, accipiatur ſub aliqua ſpeciali ratione boni: ſic benefi- *q. 23. art. 1. & q. 27. art. 2.*

centia

cētia accipiet ſpecialē rationem, & pertinebit ad aliquam ſpecialem virtutem.

¶ AD primū ergo dicēdū, ꝙ ſicut Dio. dicit 4. c. de Diui. no. Amor mouet ordinata ad mutuā beatitudinē, & inferiora cōuertit in ſuperiora, vt ab eis pficiantur, & ſuperiora mouet ad inferiorum prouiſionē: & quātū ad hoc beneficētia eſt effectus dilectionis. Et ideo noſtrū non eſt Deo benefacere, ſed eum honorare, nos ei ſubijciendo. Eius autem eſt ex ſua dilectione nobis benefacere.

¶ Ad ſecūdū dicēdū, ꝙ in collatione donorū duo ſunt attēdēda: quorū vnū eſt exterius datū, aliud autē eſt interior paſſio, quā habet quis ad diuitias, in eis delectatus. Ad liberalitatē autem pertinet moderari interiorē paſsionē: vt ſcilicet aliquis nō ſuperexcedat cōcupiſcēdo & amādo diuitias. Ex hoc enim efficitur homo facilè emiſsiuus diuitiarū. Vnde ſi homo det aliquod donū magnū: & tamen cū quadā cōcupiſcentia retinendi, datio nō eſt liberalis. Sed ex parte exterioris dati: collatio beneficij pertinet in generali ad amicitiā, vel charitatē. Vnde hoc non derogat amicitiæ, ſi aliquis rem, quā concupiſcit retinere, dat alteri propter amorē: ſed magis ex hoc oſtēditur amicitiæ perfectio.

¶ Ad tertium dicendū, ꝙ ſicut amicitia ſeu charitas reſpicit in beneficio collato cōmunem rationē boni, ita iuſtitia reſpicit ibi rationem debiti. Miſericordia verò reſpicit ibi rationem releuantis miſeriam, vel defectum.

SVMMA TEXTVS.

SVppoſito, ꝙ beneficentia nihil aliud importat, quam facere bonum alicui, & quòd bonum poteſt conſiderari dupliciter, vno modo ſecundum communem rationem boni, alio modo ſub aliqua particulari ratione, reſpondet D. Tho. ad difficultatem per duas propoſitiones. ¶ Prima concluſio. Beneficentia ſecundum cōmnnem rationem boni eſt actus amicitiæ, vel charitatis. Probatur. Nam in actu dilectionis includitur beneuolentia, per quam aliquis vult bonum amico, vt ex dictis patet, ſed ad eandem virtutem pertinet velle facere bonum, & actu illud facere cum facultas adeſt, ergo beneficentia ſecundum communem rationem boni pertinet ad amicitiam, vel charitatem, atque ex conſequenti eſt actus charitatis. ¶ Secunda concluſio. Si conſideremus bonum ſub aliqua ſpeciali ratione, ſic beneficentia ſpectabit ad aliquam ſpecialem virtutem ex alijs, ſcilicet, vel ad iuſtitiam vel ad religionem, &c.

EXPLICATIO ARTICVLI.

CIrca iſtum articulum eſt aduertendum, ꝙ quanuis benefacere ſit actus charitatis nō tamē poteſt inueniri in quocūq; habente charitatem reſpectu cuiuſcūq; obiecti. Nam poteſt charitas Dei benefacere, & ſimiliter charitas hominis & Angeli poteſt benefacere, tamen nec charitas Dei, nec etiam charitas creaturæ poterit benefacere ipſi Deo, ſed ſatis eſt ad hoc, vt beneficentia dicatur actus charitatis, quod reſpectu cuiuſcunq; fuerit ſi fiat propter Deum illa ſemper ſit actus charitatis. Dixi notanter, ſi fiat propter Deū. Nā, quemadmodum homo poteſt alium diligere amore naturali, ita etiam ex eodem amore poterit eidem benefacere: & tunc beneficentia non erit actus charitatis, ſed amicitiæ, quę eſt virtus moralis. *Nota.*

ARTICVLVS II.

¶ *Vtrum ſit omnibus benefaciendum.*

AD SECVNDVM ſic proceditur. Videtur quòd nō ſit omnibus benefaciendum. Dicit enim * Aug. in primo de Doctrina Chriſtiana, quòd omnibus prodeſſe non poſſumus. Sed virtus non inclinat ad impoſsibile, ergo non oportet omnibus benefacere. *4.d.15.q.2. ar.6.q.2. Et opuſ.c7.c.8 Lib.1.c.28. inter princ. 3.to.*

2 ¶ Præterea, Eccle. 12. dicitur, Da bono, & non recipias peccatorem. Sed multi homines ſunt peccatores. Non ergo omnibus eſt benefaciendum.

3 ¶ Præterea, Charitas non agit perperam, vt dicitur primę ad Cor. 13. Sed benefacere quibuſdam eſt agere perperā, puta ſi aliquis benefacit inimicis reipublicę: vel ſi benefaciat excōmunicato: quia per hoc ei commmunicat. Ergo cum beneface-

nefacere ſit actus charitatis, non eſt omnibus benefaciendum.

¶ SED contra eſt quod Apoſtolus dicit ad Galat. vlt. Dum tẽpus habemus, operemur bonum ad omnes.

¶ RESPONDEO dicendũ, ꝙ, ſicut *Art. præced. ad. 1.* ſuprà dictũ eſt, beneficentia conſequitur amorẽ ex ea parte, qua mouet ſuperiora ad prouiſionẽ inferiorũ. Gradus autẽ in hominibus nõ ſunt immutabiles ſicut in angelis: quia homines poſsũt pati multiplices defectus. Vnde qui eſt ſuperior ſecũdũ aliquid, vel eſt, vel põt eſſe inferior ſecũdũ aliud. Et ideo, cũ dilectio charitatis ſe extẽdat ad omnes, etiã beneficẽtia ſe debet extẽdere ad omnes, pro loco tamẽ & tẽpore. Omnes enim actus virtutum ſunt ſecundum debitas circunſtantias limitandi.

¶ AD primũ ergo dicendũ, ꝙ ſimpliciter loquẽdo, nõ poſſumus omnibꝰ benefacere in ſpeciali. Nullus tñ eſt, de quo non poſſit occurrere caſus, in quo oporteat ei benefacere, etiam in ſpeciali. Et ideo charitas requirit vt homo, etiam ſi nõ actu aliquibus benefaciat, habeat tamẽ hoc in animi ſui præparatione, vt benefaciat cuicũque, ſi tẽpus adeſſet. Aliquod tamẽ beneficiũ eſt qđ poſſumus omnibus impẽdere, ſi nõ in ſpeciali, ſaltẽ in generali: ſicut cũ oramus pro omnibus fidelibus & infidelibus.

¶ Ad ſecundũ dicendum, quòd in peccatore duo ſunt, ſcilicet culpa & natura. Eſt ergo ſubueniendũ peccatori, quantum ad ſuſtentationẽ naturæ: nõ eſt autem ei ſubueniẽdum ad fomẽtũ culpæ, hoc enim non eſſet benefacere, ſed potius malefacere.

¶ Ad tertium dicendum, quòd excommunicatis & reipublicæ hoſtibus ſunt beneficia ſubtrahenda, inquantum per hoc arceantur à culpa. Si tamen imminerent neceſsitas, ne natura deficeret, eſſet eis ſubueniẽdum, debito tamen modo, puta ne fame aut ſiti morerentur, aut aliquod huiuſmodi diſpendium, niſi ſecũdum ordinem iuſtitiæ paterentur.

SVMMA TEXTVS.

COnclusio eſt affirmatiua, dummodo intelligatur, quod beneficentia, ſicut alij actus virtutis, debent fieri pro loco & tempore, & cum debitis circunſtantijs. Probatur. Beneficentia eſt actus charitatis, ſed charitas ſe extendit ad omnes, ergo & beneficentia.

EXPLICATIO ARTICVLI.

IN ſolutione ad tertium argumentum in qua D. Tho. agit de modo, quo excommunicatis, & hoſtibus reipublicæ debemus benefacere dicit tria. Primum eſt, quod talibus debemus ſubtrahere beneficia, vt ſaltim iſto modo à culpa arceantur. Secundum, quòd ſi ſint in extrema neceſsitate tenemur illis ſubuenire, vt eorum natura conſeruetur. Tertiũ, quòd hoc intelligitur, niſi patiantur ſecundum ordinem iuſtitiæ. Primum dictum D. Thomæ eſt certum, & ab omnibus conceſſum. Sed circa ſecundum eſt difficultas, *Dubium.* vtrùm hoſtibus reipublicæ exiſtentibus in extrema neceſsitate licitum ſit illis ſubuenire. Nam D. Tho. videtur dicere, quòd non ſolùm eſt licitum, ſed etiam, quòd tenemur id facere, vt eorum natura conſeruetur. Ego tamen non video rationem propter quam id facere teneamur. Nam ſi licitum eſt vnicuique reipublicæ hoſtem interficere, vt communiter dicunt doctores à fortiori erit licitum tali hoſti fame pereunti non ſubuenire. *Sententia auctoris.* Quinpotiùs dico, quod non ſolùm non tenemur id facere, ſed nec etiam erit licitum, ſi hoſtis ſit talis, vt ex eius vita incõmodum reipublicæ ſequatur. Vnuſquiſq; enim tenetur reipublicæ ſubuenire, etiam cum occiſione aliorum, qui eam iniuſtè vexant. Sed eſt aduertendum, quòd non quicunque iniuriam irrogantes reipublicæ ſunt dicendi hoſtes illius, ſed illi tantum, qui eam vi atque armis oppetunt, & de his loquimur in præſenti. Nam de tyrannis & alijs reipublicæ inimicis alia eſt ratio vt docet magiſter Soto lib. 5. de iuſtitia & iure. quæſtio. 1. art. 3.

¶ Circa tertium dictum D. Tho. eſt difficultas vtrùm ſit licitum ſubuenire illis, qui ſecundum ordinem iuſtitiæ patiuntur. *Dubium.* In qua re, vt certa ab incertis ſeparemus, dico primo certum eſſe, quòd non licet nobis aliquam vim iudici, aut eius miniſtris inferre, hoc enim eſſet contra iuſtitiam, & bonum commune reipublicæ vt conſtat. Sed dubium eſt de eo, qui ſic eſt damnatus ad mortem, vt pereat fame, vel ſiti, vtrùm ſit licitum tunc ſubuenire illi dando potum, vel cibum.

¶ Ad

¶ Ad eius explicationē dico primo ꝙ præfecto carceris nulla ratione licitum eſt alimenta conferre, & ſi contrariū faceret peccaret mortaliter. Probatur, Talis impediret executionem debitæ & rectę iuſtitiæ, ergo peccaret mortaliter. Et confirmatur. Iudex legitimè poſſet graues pœnas exigere à tali cuſtode, ergo ipſe grauiter delinquit. Probo conſequentiā. Nam grauis pœna nō niſi graui culpæ debetur. Itē talis cuſtos carceris eſt miniſter iuſtitię, & infideliter fungitur ſuo munere in re graui, ergo peccat mortaliter.
2. Dictum. ¶ Dico ſecundo ꝙ nec etiā extraneis licet in tali caſu alimenta miniſtrare. Probatur eiſdem rationibus præter vltimam. Et confirmatur ex D. Tho. qui hoc expreſſe dicit in ſolutione ad tertiū.
3. Dictum. ¶ Dico tertio ꝙ ſi ſemel, aut bis pręfectus carceris, vel extraneus ſufficiens præbeant alimentum neuter peccabit mortaliter, bene tamen venialiter. Et quidem quòd peccet venialiter eſt rés manifeſta, nam facit contra executionē iuſtitiæ. Sed ꝙ non peccet mortaliter, probatur, quia neuter delinquit in re graui.

ARTICVLVS III.

¶ Vtrum ſit magis benefaciendum his, qui ſunt nobis magis coniuncti.

Infra q. 32. art. 9. Et. 4. d. 15. q. 2. a. 6. quæſ. 3. Et quodl. 4. ar. 15.

AD TERTIVM ſic proceditur: Videtur quòd non ſit magis benefaciendum his, qui ſunt nobis magis coniuncti. Dicitur enim Luc. 14. Cum facis prandium aut cœnam, noli vocare amicos tuos neque fratres, neque cognatos. Sed iſti ſunt magis coniūcti. Ergo non eſt magis benefaciēdū cōiūctis: ſed potius extraneis & indigētibus. Sequitur enim, Sed cū facis conuiuiū, voca pauperes, & debiles, &c.

2 ¶ Præterea, Maximū beneficium eſt, ꝙ homo aliquem in bello adiuuet. Sed miles in bello magis debet iuuare extraneū commilitonem, quàm conſanguineū hoſtem. Ergo beneficia nō ſunt magis exhibēda magis cōiunctis.

3 ¶ Præterea, Prius ſunt debita reſtituenda quàm gratuita beneficia impēdēda. Sed debitū eſt, quòd aliquis impendat beneficium ei, à quo accepit. Ergo benefactoribus magis eſt benefaciendum; quàm propinquis.

q. 26. ar. 9. 4 ¶ Pręterea, Magis ſunt diligendi parentes q̄ filij, vt ſupra * dictū eſt. Sed magis eſt benefaciēdū filijs: quia nō debet filij theſaurizare parētib*, ſed e conuerſo: vt dicit 1. ad Cor. 12. Nō eſt ergo magis benefaciēdū magis cōiūctis.

¶ SED CONTRA eſt quod * Auguſt. dicit in. 1. de Doct. Chriſt. Cum omnibus prodeſſe non poſsis, his potiſsimum conſulendum eſt, qui pro locorum & temporum vel quarumlibet rerum opportunitatibus conſtrictius tibi quaſi quadam ſorte iunguntur. Lib. 1. c. 28. in prin. to. 3.

¶ RESPONDEO dicendū, quòd gratia & virtus imitantur naturæ ordinem, qui eſt ex diuina ſapientia inſtitutus. eſt autē talis ordo naturæ, vt vnūquodq; agens naturale per prius magis diffundat ſuā actionem ad ea, quæ ſunt ſibi magis propinqua, ſicut ignis magis calefacit rem ſibi magis propinquā. Et ſimiliter Deus in ſubſtātias ſibi propinquiores per prius & copioſius dona ſuæ bonitatis diffundit, vt patet per Dion. 7. c. Cæl. hier. Exhibitio autem beneficiorū eſt quędam actiò charitatis in alios, & ideo oportet quod ad magis propinquos ſimus magis benefici. Sed propinquitas vnius hominis ad alium poteſt attendi ſecundū diuerſa, in quibus ſibi adinuicē homines cōmunicant, vt cōſanguinei naturali cōmunicatione, cōciues in ciuili, fideles in ſpirituali, & ſic de alijs. Et ſecūdum diuerſas cōiunctiones ſunt diuerſimodè diuerſa beneficia diſpenſanda: nam vnicuiq; eſt magis exhibendum beneficium pertinens ad illam rem, ſecundum quā eſt magis nobis coniunctus, ſimpliciter loquendo. Tamen hoc poteſt variari ſecundum diuerſitatem locorum, & temporum & negotiorum. Nam in aliquo caſu eſt magis ſubueniendum extraneo, puta ſi ſit in extrēma nèceſsitate quàm etiam patri; non tantam neceſsitatem patienti.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd Dominus non prohibet ſimpliciter vocare amicos, aut cōſanguineos

ad

ad conuiuium, ſed vocare eos ea inten tione, quòd te ipſi reinuitēt. Hoc enim non erit charitatis, ſed cupiditatis. Poteſt tamen contingere, quòd extranei ſint magis inuitandi in aliquo caſu propter maiorem indigentiā. Intelligendum eſt enim, quod magis cōiūctis, magis eſt, cæteris paribus, benefaciendum. Si autem duorum vnus eſt magis coniunctus, & alter magis indigēs, nō poteſt vniuerſali regula determinari, cui ſit magis ſubueniēdū: quia ſunt diuerſi gradus & indigētię, & ꝓpinquitatis: ſed hoc requirit prudētis iudiciū.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd bonum multorum commune diuinius eſt, quàm bonum vnius. Vnde pro bono communi reipublicæ vel ſpirituali, vel temporali, virtuoſum eſt etiam, quod aliquis propriā vitam exponat periculo. Et ideo cum communicatio in bellicis actibus ordinetur ad conſeruationē reipublicæ: in hoc miles impendens commilitoni auxilium, non impēdit ei tanquā priuatę perſonę ſed ſicut totam rempublicam iuuans. Et ideo non eſt mirū ſi in hoc præfertur extraneus cōiūcto ſecundū carnem.

¶ Ad tertium dicēdum, quòd duplex eſt debitum. Vnum quidem quod nō eſt numerandum in bonis eius, qui debet, ſed potius in bonis eius, cui debetur, puta, ſi aliquis habet pecuniam, aut rē aliquam alterius, vel furto ſublatam, vel mutuo acceptam, ſiue depoſitam, vel aliquo alio ſimili modo: quantum ad hoc debet homo prius reddere debitum, quàm ex eo benefacere coniunctis, niſi fortè eſſet tantæ neceſsitatis articulus, in quo etiam liceret ipſi rem alienam accipere ad ſubueniendum neceſsitatem patienti, niſi fortè & ille, cui res debetur, in ſimili neceſsitate eſſet: in quo tamē caſu penſanda eſſet vtriuſque conditio ſecundum alias conditiones requiſitas prudentis iudicio: quia in talibus non poteſt vniuerſalis regula dari propter varietatem ſingulorum caſuum, vt Philoſophus dicit* in. 9. Ethi. Aliud autem eſt debitum, quod computatur in bonis eius, qui habet, & non eius, cui debetur: puta ſi debeatur non ex iuſtitiæ neceſsitate, ſed ex quadam morali æquitate, vt contingit in beneficijs gratis ſuſceptis. Nullius autem benefactoris beneficium eſt tantum, ſicut parentum: & ideo parentes in recōpenſandis beneficijs ſunt omnibus alijs præferendi, niſi neceſsitas ex alia parte præponderaret, vel aliqua conditio, puta communis vtilitas Eccleſiæ vel reipublicæ. In alijs autem eſt æſtimatio habenda & coniunctionis & beneficij ſuſcepti, quæ ſimiliter non poteſt communi regula determinari. *Lib. 9. ca. 2. to. 5.*

¶ Ad quartum dicendum, quòd parentes ſunt ſicut ſuperiores. Et ideo amor parētum eſt ad benefaciēdum, amor autem filiorum ad honorādum parentes: & tamen in neceſsitatis extremæ articulo magis liceret deſerere filios, quàm parentes, quos nullo modo deſerere licet propter obligationem beneficiorum ſuſceptorū: vt patet per Philoſophum in. 8. Eth. c. vlt.

SVMMA TEXTVS.

AD hanc difficultatem, quæ ferè eadem eſt cum ea, quam ſupra. q. 26. art. 8. determinauit reſpondet D. Tho. per tres propoſitiones. ℭ Prima concluſio. Magis propinquis magis eſt benefaciendum. Probatur. Gratia, atque virtus imitatur ordinem naturæ, qui ex diuina ſapientia eſt inſtitutus, ſed in ordine naturæ ità cōtingit, quòd vnumquodq; agens naturale magis diffundit ſuam actionem in ea, quæ ſunt ſibi magis propinqua, vt eſt videre in igne, qui magis calefacit rem ſibi magis propinquam, & in Deo, qui in ſubſtantias propinquiores ſibi per prius, & copioſius dona ſuæ bonitatis diffundit, ergo idem dicendum erit de gratia: atque ex conſequenti exhibitio beneficiorum, quæ eſt quædam actio charitatis in magis propinquos magis erit diffundenda. ℭ Secunda concluſio: Secundum vnam quanquam coniunctionem per ſe loquēdo debemus magis benefacere illis, qui iun-

ſunt nobis magis cõiuncti. Probatur. Vnicuique eſt magis debitum beneficium pertinens ad illam rem, ſecundum quam eſt nobis magis coniunctus, ergo ſecundum vnamquanq; cõiunctionem debemus magis benefacere illis, qui ſunt nobis magis cõiuncti. ¶ Tertia concluſio. Huiuſmodi ordo poterit variari ſecundum diuerſitatem locorum, temporum, & negotiorum. Probatur. In aliquo caſu erit nobis magis benefaciendum extraneo, quã patri, vt ſi verbi gratia, extraneus ſit in extrema neceſsitate, & pater non ſit in tanta, ergo neceſſarium erit, quod ordo aſsignatus varietur pro diuerſitate locorum, temporum, & negotiorum.

EXPLICATIO ARTICVLI.

PRo intelligentia, & explicatione huius articuli oportebit in memoriam reuocare ea, quę diximus quæ. 26, de ordine charitatis, præcipue art. 8. Et præterea aduertendum primo, quòd iſta, quæ D. Tho. hic dicit, ſunt intelligenda non de charitate interiori, ſed de opere exterius proximis exhibendo. Nam cum amor erga extraneos nõ impediat amorem procedẽtem ex charitate erga amicos, & propinquos, fit, vt propter amorem extraneorum non debeamus internum amorem cõſanguineorũ minuere. Cæterũ, quia in operibus exterioribus vnum opus collatum vni poteſt impedire ne conferatur alteri, idcircò in benefaciẽdo opus eſt, vt ille ordo ſeruetur. *Nota. 1.*

¶ Secundo eſt aduertendum, quòd, vt cõſtat ex D. Tho. in. 3. concluſione, & in ſolutione ad primum in his caſibus moralibus, qui frequenter contingunt, non poſſumus aſsignare certam, & determinatam regulã, ſed ſtandum erit iudicio virorum prudentum, qui omnibus circunſtantijs conſideratis, quid faciendum ſit determinabũt: quia ordo charitatis pręfixus tantũ eſt intelligẽdus cæteris paribus, vt ſæpè diximus. q. 26. *Nota. 2.*

¶ In ſolutione ad tertium argumentũ mouet D. Tho. difficultatem, cui potius debeã ſubuenire, creditori, an patri, ſi ambo exiſtant in neceſsitate? Et ſuppoſito, quòd debitum eſt duplex, vnum, quod non eſt numerandum in bonis eius, qui debet, ſed in bonis ei⁹ cui debetur, vt ſi, verbi gratia, quis habeat apud ſe pecuniam depoſitam, vel furto ſublatam: aliud debitum eſt, quod cõputatur in bonis eius, qui habet & non in bonis eius, cui debetur, vt ſi, verbi gratia, quis habeat apud ſe rem dono acceptam, quæ debetur illi, qui dedit, non ex neceſsitate iuſtitiæ, ſed ex quadam morali æquitate, reſpondet Diuus Thomas ad difficultatem per tres propoſitiones. Prima propoſitio. Debitum primi generis prius debet impendi debitori, quam patri, dummodo ipſe pater non ſit in extrema neceſsitate, quia tunc licitum eſſet furari, vt patri ſubuenirem. Et addit, niſi etiam creditor eſſet in extrema neceſsitate. Secunda propoſitio. Si creditor, & cõſanguineus, ſiue pater ſint in extrema neceſsitate, tunc conſiderandæ ſunt circunſtantiæ omnes, & ſecundum arbitrium boni viri faciendum. Verbi gratia, creditor eſt in extrema neceſsitate, & etiam conſanguineus, ſed conſanguineus, conducit multò magis reipublicæ tunc magis debeo conſanguineo ſubuenire. Tertia propoſitio. Debitum gratuitum potius debet dari patri, quam omnibus alijs, quia pater eſt præcipuus benefactor præter Deum. Ex his tribus propoſitionibus prima atque tertia cõceduntur ab omnibus Theologis, quas etiam tenet idem D. Tho. infra quæſtio. 62. art. 5. ad quartum. & Scotus in. 4. diſt. 15. quæſtio. 2. & Gabriel ibidem art. 2. poſt ſecundam concluſionem. Sed tota difficultas exiſtit circa ſecundam propoſitionem; cui potius debeam ſubuenire creditori, an patri, ſi ambo ſint in extrema neceſsitate, & cætera ſint paria? Verbi gratia, Petrus depoſuit apud me panem, & ipſe & pater meus ſunt in extrema neceſsitate, dubium eſt, cui potius debeam ſubuenire. D. Tho. in prima propoſitione videtur cõcedere, quod debeo dare panem creditori, nam dicit, ꝙ debeo ſubuenire cõſanguineo, niſi creditor exiſtat in extrema neceſsitate. *Dubium.*

¶ Ad hanc difficultatem, vt reſpondeat Gabriel loco citato dicit tria. Primum eſt, quòd quando proximus eſt in extrema neceſsitate, ſiue ꝓpinquus ſit, ſiue extraneus, potiùs debeo ſubuenire illi, quam creditori, ſi creditor non extremè indigeat. Hoc dictum cõmuniter recipitur ab omnibus, & patet ex dictis: Dicit ſecundo, quòd ſi ego ſim in extrema neceſsitate, & etiam creditor, ſed ego prius incidi in illam, tũc relicto creditore; potius debeo mihi ſubuenire: Hoc dictum etiam eſt certum, & conceditur ab omnibus. Et ratio eſt, quia cum in extrema neceſsitate omnia ſint cõmunia, & ego prius fuerim in extrema neceſsitate, quam creditor, fit, vt prius acquiſiuerim *Sententia Gabrielis.*

ius

ius ad rem neceſſariam, quam creditor. Tertiũ dictum Gabrielis eſt, quod ſi ambo veniamus ſimul in extremam neceſsitatem, tunc me ipſo relicto, potius debeo ſubuenire creditori, & à fortiori idem erit dicẽdum quando pater & creditor ſimul venerint in extremam neceſsitatem. Hoc idẽ affirmat Scotus in .4. diſt. 15. q. 2. ¶ Et probatur. Creditor habet duplex ius ad panem illum, pater autem non habet, niſi vnicum ius, ergo potius debeo ſubuenire creditori, quam patri. Conſequentia videtur nota, & antecedens probatur. Creditor habet ius gẽtiũ, quia illa res anteà erat ſua, & præterea habet ius naturæ, quia eſt in extrema neceſsitate, ergo habet duplex ius. ¶ Secundo, Creditor adhuc non perdidit ius ſuum in panem illum, ergo teneor ei illum dare, me & patre relictò.

1. Argum. Gabrielis.

2. Argum.

¶ Sed ad explicationem difficultatis ſit prima concluſio. Si ego, & creditor ſimul veniamus in extremam neceſsitatem, tunc non teneor dare panem creditori, ſed mihi. Hanc concluſionem tenet Caietanus infra quæſt. 62. art. 5. circa ſolutionem ad quartũ. Et probatur. Dominium illius rei eſt conſiderandum ſecundum tempus extremæ neceſsitatis, ſed in extrema neceſsitate omnia ſunt communia, ergo in extremã neceſsitate melior eſt conditio poſsidentis. Conſequentia cum maiori eſt nota, & minor probatur. Diuiſio, & proprietas rerum duntaxat habetur de iure gentium, ſed ius gentiũ ceſſat in extrema neceſsitate, vt patet diſcurrendo per omnia, ergo in extrema neceſsitate omnia ſunt communia, atque ex conſequenti eſt melior conditio poſsidentis.

1. Concluſio.

¶ Secunda concluſio. Si pater, & creditor ſimul deueniant in extremam neceſsitatem, potius debeo ſubuenire patri, quã creditori. Hanc etiam concluſionem tenet Caietanus loco citato. Et probatur quoniam ſecundum Ariſt. 9. Ethi. in extrema neceſsitate honeſtius eſt, ſuppeditare alimẽta proprijs parentibus, quam nobis ipſis, ſed propter nos eſt licitum relinquere creditorem, vt ſtatim dicebam, ergo & propter patrem.

2. Concluſio.

¶ Tertia cõcluſio. Quãuis creditor priùs deuenerit in extremam neceſsitatem; ſi tamen pater eſt in eadem, & ego habeo rem creditoris apud me, potius debeo ſubuenire patri, quàm creditori. Probatur. Quia licet ego peccauerim, propterea quod non reddiderim creditori, quod habebam, quãdo ille erat in extrema neceſsitate tamen, iam quod habeo rem apud me, & pater eſt in extrema neceſsitate, potius debeo ſubuenire patri, quam creditori, ſicut & ſi extraneus modo eſſet in extrema neceſsitate, & ego illi non ſubueniſſem, peccarem quidem mortaliter, tamẽ ſi poſt aliquot horas ipſe incidiſſem in ſimilem neceſsitatem, potius deberem ſubuenire mihi, quam illi. Et idem dicendum exiſtimo de vxore, & filijs reſpectu creditoris, itaque illis extremè indigentibus & etiam creditore, potius debeo ſubuenire filijs, & vxori, quam creditori. Et ratio eſt, quia, vt ſupra dicebam, nõ eſt tanta differentia inter patrem, & filium, aut inter patrem, & vxorem, vt non poſsimus citra mortale in extrema neceſsitate ſubuenire cuicunque maluerimus, alio relicto.

3. Concluſio.

¶ Vltima concluſio. In extrema neceſsitate potius debemus ſubuenire creditori, quam alijs conſanguineis, exceptis fratribus carnalibus. Probatur, quia creditor tũc habet maius ius, quam reliqui omnes ad petendam rem ſuam. Dixi exceptis fratribus carnalibus, quia de his non eſt certum, cui potius debeam ſubuenire, illis an creditori, vtriſque extremè indigentibus. Et ſic credo, quod citra mortale, poſſem cui maluerim ſubuenire. Et ità affirmat Victoria ſupra iſtum articulum.

Vltima concluſio.

¶ Et ad primum argumentum in contrarium factum reſpondetur negando, quod creditor tunc habeat duplex ius. Nam primum, ſcilicet, ius gentium ceſſauit adueniẽte extrema neceſsitate, & ius naturæ eſt æquale in omnibus, & cum hoc ego habeo poſſeſsionem, ex quo fit, vt potius debeã mihi, aut patri ſubuenire. ¶ Ad ſecundum reſpondetur negando ſimiliter antecedens, propter eandem rationem. Et ad D. Tho. dicentem, quod debemus potius ſubuenire conſanguineis, niſi creditor exiſtat in extrema neceſsitate, reſpõdetur, quòd ipſe ſe exponit in ſecunda propoſitione dum dicit, quòd ſi conſanguineus, & creditor ſint in extrema neceſsitate, tunc debent conſiderari circunſtantiæ temporis, loci, & neceſsitatis, & ſecundum arbitrium boni viri faciendum.

Ad. 1. arg.

Ad. 2. arg.

ARTICVLVS IIII.

¶ *Vtrum beneficentia ſit virtus ſpecialis.*

AD QVARTVM ſic proceditur. Videtur, quòd beneficen-

tia

tia ſit ſpecialis virtus. Præcepta enim ad virtutes ordinantur: quia legiſlatores intendunt facere homines virtuoſos, ſicut dicitur in. 2. Ethic. *Sed ſeorſum datur præceptum de beneficentia & de dilectione. Dicitur enim Matthæ. 5. Diligite inimicos veſtros, & benefacite ijs, qui oderunt vos. Ergo beneficẽtia eſt virtus diſtincta à charitate

Lib. 2. c. 1. à med. & li. 1 c. 9. & 13.

2 ¶Præterea, Vitia virtutibus opponuntur. Sed beneficentiæ opponuntur aliqua ſpecialia vitia, per quæ nocumentum proximo infertur, puta rapina, furtum, & alia huiuſmodi. Ergo beneficentia eſt ſpecialis virtus.

3 ¶Præterea, Charitas non diſtinguitur in multas ſpecies. Sed beneficentia videtur diſtingui in multas ſpecies, ſecundum diuerſas beneficiorum ſpecies. Ergo beneficentia eſt alia virtus à charitate.

¶SED CONTRA eſt, quòd actus interior & exterior non requirunt diuerſas virtutes. Sed beneficentia & beneuolentia nõ differũt, niſi ſicut actus exterior & interior: quia beneficentia eſt executio beneuolentiæ. Ergo ſicut beneuolentia non eſt alia virtus à charitate, ita nec beneficentia.

¶RESPONDEO dicendũ, quòd virtutes diuerſificantur ſecundum diuerſas rationes obiecti. Eadem autem eſt ratio formalis obiecti charitatis & beneficentiæ. Nam vtraque reſpicit rationem communem boni: vt ex prędictis *patet. Vnde beneficentia non eſt alia virtus à charitate, ſed nominat quendam charitatis actum.

Arti. 1. huius q.

¶AD PRIMVM ergo dicendum, quòd præcepta non dantur de habitibus virtutũ, ſed de actibus, & ideo diuerſitas p̃ceptorũ nõ ſignificat diuerſos habitus virtutũ, ſed diuerſos actus.

¶Ad ſecundũ dicendum, ꝙ ſicut omnia beneficia proximo exhibita, inquantum conſiderantur ſub cõmuni ratione boni, reducuntur ad amorẽ: ita omnia nocumenta, inquantũ conſiderantur ſecundum communem rationem mali, reducuntur ad odium. Prout autem conſiderantur ſecundum aliquas ſpeciales rationes vel boni, vel mali, reducũtur ad aliquas ſpeciales virtutes, vel vitia. Et ſecundum hoc etiam ſunt diuerſæ beneficiorum ſpecies.

¶Vnde patet reſponſio ad tertium.

SVMMA TEXTVS.

CONcluſio, Beneficentia non eſt virtus diſtincta à charitate. Probatur. Virtutes diuerſificantur ſecundum diuerſas rationes obiecti, ſed eadem eſt ratio formalis obiecti charitatis, & beneficẽtiæ: vtraq; enim reſpicit communem rationẽ boni, ergo beneficẽtia nõ eſt virtus diſtincta à charitate.

¶In ſolutione ad primum argumentum dicit D. Tho. quòd quia præcepta non dantur de habitibus, ſed de actibus, idcircò diuerſitas præceptorum non arguit diuerſitatem habituum, ſed actuũ. Ex quo fit, vt de actibus eiuſdem virtutis diuerſa præcepta poſsint conſtitui: ſicut diuerſum præceptũ datur de dilectione inimicorum & de beneficentia, quanuis iſti actus ad eandem virtutem pertineant.

QVAESTIO TRIGESIMA ſecunda de Eleemoſyna, in decem articulos diuiſa.

DEINDE conſiderãdum eſt de eleemoſyna.

¶Et circa hoc quęruntur decem.

¶Primò, vtrũ eleemoſynæ largitio ſit actus charitatis.

¶Secundo, de diſtinctione eleemoſynarum.

¶Tertio, quæ ſint potiores eleemoſynæ, vtrũ ſpirituales, vel corporales.

¶Quarto, vtrũ corporales eleemoſynæ habeant effectum ſpiritualem.

¶Quinto, vtrum dare eleemoſynas ſit in præcepto.

¶Sexto, vtrum corporalis eleemoſyna ſit danda de neceſſario.

¶Septi-

¶Septimo, vtrum ſit danda de iniuſtè acquiſito.

¶Octauo, quorum ſit dare eleemoſynam.

¶Nono, quibus ſit danda.

¶Decimo, de modo dandi eleemoſynas.

ARTICVLVS I.

Vtrum dare eleemoſynam ſit actus charitatis.

4. d. 15. ca. 2. art. 1. q. 3. AD PRIMVM ſic proceditur. Videtur quòd dare eleemoſynam non ſit actus charitatis. Actus enim charitatis non poteſt eſſe ſine charitate. Sed largitio eleemoſynarum poteſt eſſe ſine charitate: ſecundum illud primæ ad Cor. 13. Si diſtribuero in cibos pauperũ omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt. Ergo dare eleemoſynam non eſt actus charitatis.

2 ¶ Præterea, Eleemoſyna computatur inter opera ſatisfactionis: ſecũdum illud Daniel. 4. Peccata tua eleemoſynis redime. Sed ſatisfactio eſt actus iuſtitiæ. Ergo dare eleemoſynam non eſt actus charitatis, ſed iuſtitiæ.

3 ¶ Prætera, Offerre hoſtiam Deo eſt actus latriç. Sed dare eleemoſynã eſt offerre hoſtiam Deo, ſecundum illud ad Heb. vlt. Beneficentiæ autẽ & communionis nolite obliuiſci: talibus enim hoſtijs promeretur Deus: Ergo nõ eſt actus charitatis dare eleemoſynã, ſed magis latriæ.

4 ¶ Præterea, Philoſophus dicit in 4. *Ethic. quòd dare aliquid propter bonũ, eſt actus liberalitatis. Sed hoc maximè fit largitione eleemoſynarum. Ergo dare eleemoſynam nõ eſt actus charitatis. Lib. 4. c. 1. to. 5.

¶SED CONTRA eſt quod dicitur primç Ioãnis tertio. Quj habuerit ſubſtantiã huius mundi, & viderit fratrem ſuum neceſsitatem patientem, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo.

¶RESPONDEO dicendũ, quòd exteriores actus ad illam virtutem referuntur, ad quam pertinet id quod eſt motiuum ad agendum huiuſmodi actus. Motiuum autem ad dandum eleemoſynas eſt, vt ſubueniatur neceſsitatem patienti. Vnde quidam diffinientes eleemoſynam dicunt, quod eleemoſyna eſt opus, quo datur aliquid indigenti ex compaſsione propter Deum: quod quidem motiuum pertinet ad miſericordiam, vt ſupra dictum* eſt. Vnde manifeſtum eſt, quòd dare eleemoſynam proprie eſt actus miſericordiæ. Et hoc apparet ex ipſo nomine. Nam in Græco eleemoſyna à miſericordia deriuatur, ſicut in Latino miſeratio. Et quia miſericordia eſt effectus charitatis, vt ſuprà oſtenſum* eſt: ex conſequenti dare eleemoſynã eſt actus charitatis, miſericordia mediante. q. 30. art. 1. q. 30. art. 2. & 3.

¶AD PRIMVM ergo dicendum, quòd aliquid dicitur eſſe actus virtutis dupliciter. Vno modo materialiter ſicut actus iuſtitiæ eſt facere iuſta: & talis actus virtutis poteſt eſſe ſine virtute. Multi enim non habentes habitum iuſtitiæ, iuſta operantur ex naturali ratione, vel ex timore, ſiue ex ſpe aliquid adipiſcendi. Alio modo dicitur eſſe aliquid actus virtutis formaliter, ſicut actus iuſtitiæ eſt actio iuſta eo modo, quo iuſtus facit, ſcilicet promptè & delectabiliter. Et hoc modo actus virtutis nõ eſt ſine virtute. Secundum hoc ergo dare eleemoſynas materialiter poteſt eſſe ſine charitate. Formaliter autem eleemoſynas dare, id eſt, propter Deum delectabiliter & prompte: & omni eo modo, quo debet, nõ eſt ſine charitate.

¶Ad ſecundum dicendum, quòd nihil prohibet, actum qui eſt propriè vnius virtutis, elicitiuè attribui alteri virtuti, ſicut ordinanti & imperanti ad ſuum finẽ. Et hoc modo dare eleemoſynam ponitur inter opera ſatisfactoria,

ria, inquantum miſeratio in defectum patientis ordinatur ad ſatisfaciendum pro culpa. Secundum autem quod ordinatur ad placandum Deum, habet rationem ſacrificij: & ſic imperatur à latria. Vnde patet reſpōſio ad tertium. ¶ Ad quartum dicendum, quod dare eleemoſynā pertinet ad liberalitatem, inquantum liberalitas aufert impedimentum huius actus quod eſſe poſſet ex ſuperfluo amore diuitiarum, propter quem aliquis efficitur nimis retētiuus earum.

SVMMA TEXTVS.

AD hanc difficultatem reſpondet D. Tho. per duas propoſitiones. Prima concluſio, Eleemoſyna propriè eſt actus miſericordiæ. Probatur, Actus exteriores ad illam virtutem referuntur, ad quam pertinet id, quod eſt motiuum illos agendi, ſed motiuum daudi eleemoſynam pertinet ad miſericordiam, ergo ipſa eleemoſyna propriè eſt actus miſericordiæ. Conſequentia cum maiori eſt nota, & minor probatur. Motiuum dandi eleemoſynam eſt, vt ſubueniatur neceſſitatē patienti, vnde eleemoſyna diffinitur, ꝙ ſit opus, quo datur aliquid indigenti ex cōpaſſione propter Deum: hoc autem motiuum pertinet ad miſericordiam: ergo. Et confirmatur ex ipſo nomine: eleemoſyna enim in Græco à miſericordia deriuatur, ſicut in Latino miſeratio. ¶ Secunda concluſio, Eleemoſyna eſt actus charitatis mediante miſericordia. Probatur, Miſericordia eſt effectus charitatis, vt dictum eſt ſuprà quæſt. 30. art. 2. & 3. ergo eleemoſyna etiā eſt effectus charitatis mediante miſericordia.

EXLPICATIO ARTICVLI.

Nota. 1. DE hac materia diſputāt Doctores in. 4. diſt. 15. & in Decretis. cap. tria ſunt, & cap. duo ſunt. 45. diſt. Ad cuius explicationem, vt à nomine ipſo exordiamur aduertendum eſt, quòd eleemoſyna eſt nomen Græcum deriuatū à quodam verbo, quod apud illos ſignificat miſereor: vnde eleemoſyna apud illos tantum valet, ac miſericordia, vel miſeratio, vt docet Alexand. Alen. 4. part. q. 105. memb. 1. art. 1. & D. Tho. hic & in. 4. diſt. 15. q. 2. artic. 1. quæſtiuncula. 1. & Sylueſt. verbo. eleemoſyna. nu. 1. Apud Hebræos diuerſam habet etymologiam: nam appellatur ab illis, ſedech, quod valet idem ac iuſtitia. Vocabāt autē Hebræi eleemoſynam iuſtitiam propter maximā vtilitatem quam affert ad iuſtitiam conſequendam, & augendam. Vnde Daniel c. 4. quo loco vulgata editio habet, Peccata eleemoſynis redime, apud Hebræos eſt, Peccata tua iuſtitijs redime. Ex quo etiā intelligetur locus ille Matth. 6. Attēdite, ne iuſtitiā veſtram faciatis coram hominibus: nam iuſtitia eo in loco eleemoſynam ſignificat. Et præcepit Chriſtus, vt eleemoſynā in occulto faciamus, & non palàm, quod alibi præceperat dicēs: Dum facis eleemoſynam noli tuba canere. Nam Phariſæi, quoniam erant ambitioſi, & gloriæ cupidi, omnia faciebant, vt docet Chriſtus, vt viderentur ab hominibus, & potiſſimum in eleemoſynæ largitione quærebant honorē humanum. Vnde eleemoſynā facturi tuba cōuocabant pauperes, & hominū frequētiā celebrabāt. Quem morem ambitioſum Chriſtus Dominus cōdemnans præcepit diſcipulis ſuis, vt iuſtitiam ſuam, id eſt, eleemoſynam, nō faciant coram hominibus. Ità interpretatur iſtum locum D. Hierony. lib. 2. contra Pelagianos.

¶ Secundò eſt aduertendum, ꝙ eleemoſyna in ſacris literis adeo laudatur, vt iuſtificatio hominis ipſi tribuatur. Vnde Tobiæ. 4. dicitur eleemoſyna ab omni peccato & morte liberat, & Daniel. 4. peccata tua eleemoſynis redime. Quæ teſtimonia non ſunt ſic intelligenda, ꝙ eleemoſyna cōferat primam gratiam: ſed dicitur dimittere peccatū, quia poſt remiſſam culpā inter opera ſatisfactoria pro pœna, quæ manet, nullū opus eſt magis ſatisfactoriū, q̄ eleemoſyna, vt communiter dicunt Doctores. Ratio autem, propter quam eleemoſyna eſt magis ſatisfactoria, quam vel ieiunium, vel oratio eſt quia eleemoſyna in virtute continet in ſeſe quicquid boni eſt in ieiunio, vel in oratione. Per ieiuniū enim maceratur corpus, & priuatur ſuis voluptatibus: at verò per eleemoſynam minuuntur facultates, quæ ſunt materia voluptatum. Et item, finis orationis eſt impetrare aliquid à Deo, id autē non minus efficaciter fit per eleemoſynam, quàm per orationē, ſed multo efficacius, ſiquidem eſt certū, ꝙ efficacius mouent munera, *Nota. 2.*

nera, quàm verba in quibus oratio cõſiſtit.

Argu. Dur. ¶ Sed cõtra hoc argumentatur Duran. in.4.diſt.15.q.1. intendens probare, ꝙ ieiunium eſt magis ſatisfactorium, quàm eleemoſyna, hoc modo, Ieiuniũ eſt magis pœnale, & pœna eſt illud, quod propriè ſatisfacit: ergo ieiuniũ eſt magis ſatisfactorium. Reſpondetur tamen cõceſſa maiori, negando minorem.

Solutio. Nam, quamuis ad hoc, vt opus ſit ſatisfactorium, ſit neceſſarium, quod ſit pœnale, non tamen tota ſatisfactio ſumitur ex pœnalitate, ſed etiam ex bonitate ipſius operis, quæ interdum præponderat pœnalitati: vnde magis ſatisfactorius eſt act⁹ charitatis feruentis, in quo eſt parum pœnalitatis, quàm ieiunium totius hebdomadæ.

Dubium. ¶ Circa primã concluſionẽ huius articuli eſt difficultas, vtrùm eleemoſyna propriè

1. Argum. ſit act⁹ miſericordiæ. Et pro parte negatiua argumentor primò ex D. Tho. qui in ſolutione ad ſecundũ affirmat, eleemoſynã eſſe partem ſatisfactionis, ſed ſatisfactio eſt act⁹ iuſtitiæ: ergo & eleemoſyna. Et confirmatur ex D. Auguſt. dicente, iuſtitiam eſſe in ſubueniendo miſeris, ſed ſubuenire miſeris eſt eleemoſyna, ergo eleemoſyna pertinet

2. Argum. ad iuſtitiam. ¶ Item gloſſa interlinearis in illa verba Matt. Cum facis eleemoſynam, dicit, quòd eleemoſyna eſt pars iuſtitiæ.

Nota pro explicatiõe difficultatis. ¶ Pro explicatione huius difficultatis eſt aduertendũ, quòd, vt cõſtat ex D. Tho. in præſenti, actus exterior ad illã virtutem refertur, ad quam pertinet motiuum, quod mouet ad operandum, formalis enim diuerſitas motiui voluntatis diuerſam facit rationem formalem obiecti, atq; ex conſequenti diuerſum actum, & diuerſam virtutem. Certum eſt autem, quòd idem actus exterior à diuerſis motiuis volũtatis, poteſt procedere, & ſic pertinere ad diuerſas virtutes. Vt, verbi gratia, iſte actus, qui eſt dare eleemoſynam poteſt fieri ex cõpaſsione ad ſubueniendum indigenti, quod eſt motiuũ ad virtutẽ miſericordiæ pertinens, & etiam poteſt fieri, vt ſatisfaciamus Deo pro peccatis, aut quia ex debito tenemur illam erogare, quod eſt motiuũ pertinens ad iuſtitiam. Et ob hanc rationem eleemoſyna quandoque dicitur actus iuſtitiæ, vt conſtat ex teſtimonijs citatis. Ità docet D. Bonau. in.3.d.34. & in.4.d.15. in expoſitione literæ. vbi dicit, ꝙ, ſi quis eleemoſynã det ratione debiti eſt actus iuſtitiæ, ſi autem, vt ſubleuet miſeriam indigentis eſt actus miſericordiæ, idẽ docet Durand. in.4. diſt.15.q.6.ad.3. & D. Tho. q.5. art.1.ad.3. Vel poſſumus ſecundò dicere, quòd eleemoſyna dicitur actus iuſtitiæ. quia ipſa miſericordia, quæ eſt ad alterum reducitur ad iuſtitiam. Eſt enim quædam pars liberalitatis, vt conſtat ex D. Ambroſio, qui lib.1. de offici. c.30. & lib.2. cap. 55. inter genera liberalitatis in gradu ſupremo cõſtituit redemptionem captiuorum. Certum eſt autem, quòd liberalitas eſt quędam pars iuſtitiæ. De hac re eſt vidẽdus D. Bonau. locis citatis.

Dubium. ¶ Circa ſecundam concluſionẽ eſt difficultas, vtrùm eleemoſyna ſit actus charita-

1. Argum. tis. Et pro parte negatiua argumentor primò, Eleemoſyna immediatè elicitur à miſericordia, vt conſtat ex ipſo nomine: ergo non eſt actus charitatis, niſi quatenus charitas imperat miſericordię, qua ratione actus cęterarum virtutũ poſſunt etiam dici actus

2. Argum. charitatis. ¶ Secũdò, Eleemoſyna aliquando imperatur à religione, & à virtute pœnitentiæ, à qua ordinatur ad ſatisfaciendum pro culpa, vt docet D. Tho. in ſolutione ad ſecundum: ergo nõ eſt actus charitatis. Probo cõſequentiam: nam aliàs inferior virtus nimirum religio, aut pœnitentia imperaret virtuti ſuperiori, quod videtur inconueniens,

Sententia aliquorum. ¶ Propter hæc argumenta nonnulli ex Thomiſtis affirmãt, ꝙ eleemoſyna dicitur actus charitatis, ſolùm, quia imperatur ab illa, & elicitur à miſericordia. Sed hæc ſententia, meo iudicio, eſt falſa, & contra mentem D. Thom. qui in hoc articulo peculiari quadam ratione affirmat eleemoſynã eſſe actum charitatis, quia actus aliarum virtutum non ſunt actus illius. Certũ eſt autem, quòd omnes actus aliarũ virtutum poſſunt tribui charitati, inquantum ab illa imperantur. Et ratio eſt manifeſta: nã eleemoſyna conſiſtit in benefaciendo proximo: ſed hoc peculiari quadam ratione pertinet ad amorem & charitatem: ergo eleemoſyna magis eſt act⁹ charitatis, quàm imperatiue.

Ad. 1. arg. ¶ Et ad primum argumentum reſpondetur, concedendo, ꝙ eleemoſyna immediatè elicitur à virtute miſericordię. Et quãdo obijcitur: ergo ſolum eſt à charitate imperatiue, nego conſequentiam. Et ratio eſt, quia miſericordia nihil aliud eſt, quàm quędam particularis, & conſtricta charitas ad ſpecialem rationẽ boni. Charitas enim reſpicit bonum in cõmuni, miſericordia verò reſpicit bonum eius, qui eſt in aliqua miſeria, atq; indigentia. Ex quo fit, vt actus miſericor

ſericordię verè dicantur actus charitatis. Ex hoc infertur, quòd aliquis actus multiplici ter poteſt ab aliqua virtute procedere, vno modo elicitiuè immediatè, qua ratione eleemoſyna elicitur à miſericordia. Secundò, elicitiuè mediatè, qua ratione eleemoſyna elicitur à charitate. Tertiò imperatiuè. Quartò, tanquàm à remouente prohibens: quo modo D. Tho. in ſolutione ad vltimũ dicit, quod eleemoſyna procedit à liberalitate. Liberalitas enim remouet amorem diuitiarum, qui ſæpe ſæpius impedit eleemoſynæ largitionem. ¶ Ad ſecundum argumentum, vt reſpondeat Caietanus aduertit, ꝙ actus alicuius virtutis poteſt dupliciter conſiderari, ſcilicet, materialiter, & formaliter. Hoc eſt poteſt cõſiderari, vel nude ſecundũ operis ſubſtantiã, vel cum ipſis circunſtantijs, & fine, ad quẽ per habitũ virtutis, à qua elicitur, dirigitur, & ordinatur. Verbi gratia, in eleemoſyna poteſt cõſiderari, vel ipſa ſola largitio eleemoſynæ, vel poteſt etiam conſiderari ſubleuatio miſeriæ indigentis, & cõpaſsio cordis propter Deũ, in quo propriè, & formaliter conſiſtit ratio miſericordiæ. Quo ſuppoſito dicit, ꝙ ſi eleemoſyna conſideretur iſto ſecũdò modo, non poteſt imperari à religione, nec à pœnitẽtia, quoniam tũc ſequeretur, ꝙ virtus inferior imperaret ſuperiori. At verò ſi ſumatur primò modo, hoc eſt, materialiter, ſecundũ ſolam ſubſtantiã actus, poteſt imperari à religione, & pœnitentia, & ab alijs virtutibus charitate inferioribus. Et ratio eſt, quia cũ ille, qui imperat reſpiciat vlteriorẽ finem, ꝗ ille cui imperat, vt eſt videre in architecto præcipiẽte artificibus inferioribus, qui reſpicit ſuperiorem finem, ꝗ inferiores opifices, & virtus inferior poſsit intendere ſuperiorem finẽ, ꝗ actus materialis ſuperioris virtutis, fit, vt virtus inferior poſsit imperare ſuperiori. Tamẽ ſi actus virtutis ſuperioris accipiatur formaliter, nõ poterit imperari ab inferiori, quia finis illius actus formaliter accepti eſt ſuperior, ꝗ finis virtutis inferioris.

Ad. 2. arg. Sententia Caietani.

¶ Hæc ſolutio Caiet. quæ & ab ipſo, & ab alijs multum cõmendatur mihi placere nõ poteſt. Sed exiſtimo, ꝙ non ſolùm materialiter, ſed etiam formaliter acceptus act⁹ ſuperioris virtutis, poteſt imperari à virtute inferiori. Nõ enim eſt incõueniens, quòd actus ſuperioris virtutis ordinetur ad finem inferioris. Nam ſi aliquis, verbi gratia, propter iuſtitiam intenderet elargiri eleemoſynam indigenti propter Deum, tũc eleemoſyna, quæ eſt actus miſericordiæ, & charitatis præciperetur à iuſtitia, cum ad finẽ illius ordinaretur. Nec hoc mirũ eſſe debet: nam voluntas præſtantior potẽtia eſt, quàm appetitus ſenſitiuus, & tamen aliquando mouetur, & trahitur ab appetitu ſenſitiuo ad conſenſum illius. Et ſimiliter in vitijs aliquando videmus, quòd vitium ſuperius ordinatur ad finem vitij inferioris, & præcipitur ab illo, vt patet in eo, qui fornicatur, vt furetur: & eadem ratione actus ſuperioris virtutis poterit aliquando imperari ab inferiori, & ad finem illius ordinari.

Sententia auctoris.

¶ Circa definitionem eleemoſynæ aſsignatam à D. Tho. in corpore articuli, quæ talis eſt, Eleemoſyna eſt opus, quo datur aliquid indigenti ex compaſsione propter Deum, eſt aduertendum, quòd in illa tantum definitur perfecta, & meritoria eleemoſyna: talis enim debet eſſe proprium opus miſericordiæ, iuxta illud. 1. Ioan. cap. 3. Fratres non diligamus verbo, ſed re, & veritate. Dicitur autem, quòd debet fieri ad leuandam proximi indigentiam. Ex quo infero primò, quòd illæ eleemoſynæ, quæ cõferuntur Epiſcopis, vel monaſterijs, ſunt veræ & propriæ eleemoſynæ. Conferũtur enim illis tanquã œconomis, vt eas pauperibus diſtribuant: & ſic bona illa ſaltim mediatè ad pauperes perueniunt. Ità docet D. Thom. in. 4. diſt. 15. quæſt. 2. art. 1. ad. 3. & Alexander Alenſ. 4. part. quæſt. 105. arti. 1. memb. 1. ad. 3. Infero ſecundò, quòd ea, quę tribuuntur miniſtris Eccleſiæ, pro celebratione miſſarum, vel pro officio ſepulturæ, vel pro alijs miniſterijs Eccleſiaſticis, non ſunt propriæ eleemoſynę, ſiquidem ſecluſa quacunq; indigentia, poſſunt miniſtri illa accipere, & exigere in ſtipendium, & congruam ſuſtentationem. Nemo enim ſuis ſti pendijs militat, vt dicit D. Paulus. 1. ad Corint. 9. & Lucæ. 10. Dignus eſt mercenarius mercede ſua. & alio in loco, Non alligabis os boui trituranti. Poſtremo debet fieri ex compaſsione propter Deum. Nam ea eleemoſyna, quæ ingrato animo fit propter eui tandam moleſtiam, quàm pauperes exhibẽt, eſt imperfecta eleemoſyna, vacua meriti & indigna iſto nomine. Per compaſsionem autem intelligit D. Tho. non paſsionem, quæ eſt compaſsio, aut triſtitia alienę miſeriæ. Non enim eſt neceſſe, vt ad actum virtutis, qualis eſt eleemoſyna, paſsio ſenſualis concurrat. Sed intelligit actum voluntatis, quo diſplicet aliena miſeria, qui

Diffinitio eleemoſynæ.

neceſſario debet concurrere ad eleemoſy-nam. Niſi enim Petro diſplicet miſeria pauperis, non ſubueniet ei. Nomina autem paſſionum transferuntur ſæpe ſæpius ad ſignificandos actus voluntatis propter ſimilitudinem, quam habent cum illis, vt docet D. Tho. in. 4. diſt. 15. quæſt. 2. art. 1. ad. 4.

¶ In ſolutione ad ſecundum argumentum, dicit D. Tho. quòd actus eleemoſynę formaliter non poteſt eſſe ſine charitate.

Argum. Contra quod ſic argumentor, Miſericordia eſt virtus acquiſita, quam noſtris actibus comparamus: ergo poteſt homo ex illa actum eleemoſynę elicere ſine charitate.

¶ Reſpondetur tamē, ꝙ de virtutibus dupliciter poſſumus loqui, vno modo philoſophicè, vt philoſophi, alio modo theologicè, vt theologi Chriſtiani loquũtur. Si loquamur philoſophicè, verum eſt, quòd poterit eſſe actus eleemoſynæ formalis, ſine charitate: non tamen loquendo theologicè, quia charitas eſt forma omnium virtutum. Et D. Thom. in præſenti loquitur, vt theologus.

Solutio. ¶ In eodem argumento adducit illud Pauli. 1. ad Corint. 13. Si diſtribuero. &c. ad probandum, quòd eleemoſyna poteſt eſſe ſine charitate. Ad quod vltra ſolutionem D. Thom. poſſumus etiam reſpōdere, quòd in rei veritate id ex illo loco non concluditur. Nam Apoſtolus loquitur conditionaliter, & conditionalis nihil ponit in eſſe, præterquàm quod etiam D. Chryſoſt. ſuper primam epiſtolam ad Corint. exiſtimat id per hyperbolen fuiſſe dictum. Sæpe enim in ſcriptura dicitur aliquid ad oſtēdendam rei magnitudinem, quod nec eſt, nec eſt futurum. Vt ad Galatas. 1. Si ego ipſe, vel Angelus de cœlo euangelizet vobis præterquam quod euangelizauimus vobis anathema ſit. Certum autem eſt quòd Angelus de cœlo, non poterat aliter prędicare. Cæterum quoniam D. Thom. exiſtimat fieri poſſe, vt quis diſtribuat omnia ſua in pauperes abſque charitate, quod etiam D. Auguſtinus affirmat tractatu. 6. & 8. ſuper Canonicam Ioan. & ſuper Pſal. 27. & 71. idcircò aliam ſolutionem adhibuit, quæ videnda eſt in litera.

ARTICVLVS. II.

¶ *Vtrùm conuenienter eleemoſynarum genera diſtinguantur.*

4. d. 15. q. 2. 23. q. 3. ar. 2. AD SECVNDVM ſic proceditur. Videtur quod inconuenienter eleemoſynarum genera diſtinguantur. Ponuntur enim ſeptem eleemoſynæ corporales, ſcilicet, Paſcere eſurientem, potare ſitientem, veſtire nudum, recolligere hoſpitem, viſitare infirmum, redimere captiuum, & ſepelire mortuum, quæ in hoc verſu continentur.

Viſito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

¶ Ponuntur etiam aliæ ſeptem eleemoſynæ ſpirituales, ſcilicet, docere ignorantem, conſulere dubitanti, conſolari triſtem, corrigere peccantem, remittere offendenti, portare onero-ſos & graues, & pro omnibus orare: quæ etiam in hoc verſu continentur.

Conſule, caſtiga, ſolare, remitte, fer, ora.

¶ Itá tamen quod ſub eodem intelligatur conſilium & doctrina. Videtur autē quòd inconuenieter huiuſmodi eleemoſynæ diſtinguantur. Eleemoſyna enim ordinatur ad ſubueniēdum proximo. Sed per hoc, quod proximus ſepelitur, in nullo ei ſubuenitur: alioquin nō eſſet verum quod Dominus dicit Matth. 10. Nolite timere eos qui occidunt corpus, & poſt hoc non habent amplius quid faciant. Vnde & Dominus Matth. 25. commemorans miſericordię opera, de ſepultura mortuorum mentionem non facit. Ergo videtur quod inconuenienter huiuſmodi eleemoſynę diſtinguantur.

2 ¶ Pręterea, Eleemoſyna datur ad ſubueniendum neceſsitatibus proximi: ſicut dictum * eſt. Sed multę alię ſunt neceſsitates humanę vitę, quàm prędictę: ſicut quòd cœcus indiget ductore, claudus ſuſtentatione, pauper diuitijs. Ergo inconuenienter prædictæ eleemoſynæ enumerantur. *Ar. præce.*

3 ¶ Præterea, Dare eleemoſynam eſt actus miſericordiæ: ſed corrigere delinquentem magis videtur ad ſeueritatem pertinere, quàm ad miſericordiā. Ergo non debet computari inter ſpirituales eleemoſynas.

4 ¶ Præterea, Eleemoſyna ordinatur ad ſub

ad ſubueniendum defectui. Sed nullus eſt homo, qui defectum ignorantiæ non patiatur in aliquibus. Ergo videtur quòd quilibet debeat docere quẽlibet, ſi ignoret id quod ipſe ſcit.

¶SED CONTRA eſt, quod Gregorius* dicit in quadã homilia. Habens intellectum, curet omnino ne taceat: habens rerum affluentiam, vigilet ne à miſericordiæ largitate torpeſcat, habens artem, qua regitur, magnopere ſtudeat, vt vſum atque vtilitatem illius cum proximo partiatur: habens loquẽdi locum apud diuitem, damnationem pro retento talento timeat, ſi cum valet non apud eum pro pauperibus intercedat. Ergo prædictę eleemoſynę conuenienter diſtinguuntur ſecundum ea in quibus homines abundant & deficiunt.

Homil. 9. in Euange. non remote à fin.

¶RESPONDEO dicendum, quòd prædicta eleemoſynarum diſtinctio conuenienter ſumitur ſecundum diuerſos defectus proximorum. Quorum quidam ſunt ex parte animæ, ad quos ordinantur ſpirituales eleemoſynæ. Quidam verò ex parte corporis, ad quos ordinantur eleemoſynæ corporales, defectus enim corporalis aut eſt in vita aut eſt poſt vitam. Si quidem eſt in vita, aut eſt communis defectus reſpectu eorum, quibus omnes indigent: aut eſt ſpecialis propter aliquod accidens ſuperueniens. Si primò modo, aut defectus eſt interior, aut exterior. Interior quidem eſt duplex. Vnus quidem, cui ſubuenitur per alimentum ſiccum, ſcilicet, fames. Et ſecundum hoc ponitur paſcere eſurientem. Alius autem eſt, cui ſubuenitur per alimẽtum humidum, ſcilicet, ſitis: & ſecundum hoc dicitur potare ſitientem. Defectus autem communis reſpectu exterioris auxilij eſt duplex Vnus reſpectu tegumẽti: & quantum ad hoc ponitur veſtire nudum. Alius autem reſpectu habitaculi: & quãtum ad hoc ponitur ſuſcipere hoſpitem. Similiter autẽ ſi ſit defectus aliquis ſpecialis, aut eſt ex cauſa intrinſeca, ſicut infirmitas. Et quantum ad hoc ponitur viſitare infirmum. Aut eſt ex cauſa intrinſeca: & quantum ad hoc ponitur redemptio captiuorum. Poſt vitam autem exhibetur mortuis ſepultura.

¶Similiter autem ſpiritualibus defectibus, ſpiritualibus actibus ſubuenitur dupliciter. Vno modo poſcendo auxilium à Deo: & quantum ad hoc ponitur oratio, qua quis pro alijs orat. Alio modo impendendo humanum auxilium, & hoc tripliciter. Vno modo contra defectum intellectus. Et ſi quidem ſit defect⁹ ſpeculatiui intellectus, adhibetur ei remedium per doctrinam. Si autem practici intellectus, adhibetur ei remedium per conſilium. Alio modo eſt defectus ex paſsione appetitiuæ virtutis, inter quos eſt maximus triſtitia, cui ſubuenitur per conſolationem. Tertiò modo ex parte inordinati actus: qui quidem tripliciter cõſiderari poteſt. Vno modo ex parte ipſius peccantis, inquantum procedit ab eius inordinata voluntate, & ſic adhibetur remediũ per correctionem. Alio modo ex parte eius, in quẽ peccatur. Et ſi quidẽ ſit peccatũ in nos, remediũ adhibemus remittẽdo offenſam, ſi autẽ ſit in Deũ, vel in proximũ, non eſt noſtri arbitrij remittere: vt Hiero.* dicit ſuper Matt. Tertiò modo ex parte ſequelæ ipſius actus inordinati, ex qua grauantur ei conuiuentes etiam præter peccãtis intentionem: & ſic remedium adhibetur ſupportando, maximè in his, qui ex infirmitate peccãt, ſecundum illud Roma. 15. Debemus nos firmiores infirmitates aliorum ſuſtinere: & non ſolum ſecundum quod infirmi ſunt, ſiuè graues ex inordinatis actibus, ſed etiam quæcunque eorum onera ſunt ſupportanda: ſecundũ illud Galat. 6. Alter alterius onera portate.

Sup illud Matthæi. 18. Si peccauerit in te. &c. c. 18. 9.

¶AD PRIMVM ergo dicendum, ꝙ ſepultura mortui non confert

ei quantū ad ſenſum, quē corpus poſt mortē habeat. Et ſecundū hoc Dominus dicit, quòd interficientes corpus non habent amplius quid faciant. Et propter hoc etiam Dominus nō commemorat ſepulturam inter alia miſericordiæ opera: ſed enumerat ſolum illa, quæ ſunt euidentioris neceſsitatis. Pertinet tamē ad defunctum quid de eius corpore agatur. Tum quantum ad hoc, quòd viuit in memorijs hominum, cuius honor dehoneſtatur, ſi inſepultus remaneat. Tum etiam quantum ad affectum, quem adhuc viuens habebat de ſuo corpore, cui piorum affectus conformari debet, poſt mortem ipſius, & ſecundum hoc commendantur aliqui de mortuorum ſepultura, vt Tobias, & illi qui Dominum ſepelierūt: vt patet per Auguſt. in lib. de Cura pro mortuis agenda. *Cap. 3. habetur to. 4.*

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd omnes aliæ neceſsitates ad has reducuntur. Nam cæcitas & claudicatio ſunt infirmitates quædam. Vnde dirigere cæcum & ſuſtentare claudum, reducuntur ad viſitationem infirmorum. Similiter etiam ſubuenire homini contra quamcunque oppreſsionem illatam extrinſecus, reducitur ad redemptionem captiuorum. Diuitiæ autem, quibus paupertati ſubuenitur, non quæruntur niſi ad ſubueniendum prædictis defectibus. Et ideo non fuit ſpecialis mētio đ hoc defectu faciēda.

¶ Ad tertium dicendum, quòd correctio peccantium quantum ad ipſam executionem actus, ſeueritatem iuſtitiæ continere videtur. Sed quantum ad intentionem corrigentis, qui vult hominem à malo culpæ liberare: pertinet ad miſericordiam, & dilectionis affectum: ſecundum illud Prouer. 27. Meliora ſunt verbera diligētis, quàm fraudulenta oſcula odientis.

¶ Ad quartum dicendum, quòd non quælibet neſcientia pertinet ad hominis defectum, ſed ſolum ea, qua quis neſcit ea, quę conuenit eum ſcire: cui defectui per doctrinam ſubuenire ad eleemoſynam pertinet. In quo tamen obſeruandæ ſunt debitæ circunſtantiæ perſonæ, & loci & temporis: ſicut & in alijs actibus virtuoſis.

SVMMA TEXTVS

SVppoſito, quòd diſtinctio eleemoſynarum ſumenda erit ex diuerſis defectibus proximorū, & ꝙ defectus poſſunt eſſe, vel corporales, vel ſpirituales reſpondet D. Tho. ad difficultatē per duas propoſitiōes. ℭ Prima concluſio, Conuenienter ponuntur ſeptem genera eleemoſynæ corporales, quæ ſunt paſcere eſurientem, potare ſitientem, veſtire nudum, colligere hoſpitem, viſitare infirmum, redimere captiuum & ſepelire mortuum, quarum eleemoſynarum ſufficientia clarè atque manifeſtè ponitur in litera. ℭ Secunda concluſio, Conuenienter ponuntur alia ſeptem genera eleemoſynę ſpiritualis, quę ſunt docere ignorantem, conſulere dubitanti, conſolari triſtem, corrigere peccantem, remittere offendenti, portare oneroſos & graues, & pro omnibus orare: quæ etiam ſufficienter explicantur in litera.

EXPLICATIO ARTICVLI.

CIrca iſtum articulum ſolùm eſt dubitatio de ſeptimo genere eleemoſynæ corporalis. quod eſt ſepelire mortuos, vtrum hoc rectè cōnumeretur inter ſpecies eleemoſynæ. *Dubium.* Et pro parte negatiua ſic argumentor, Eleemoſyna ordinatur ad ſubueniendum proximo, defectum ſeù indigentiam patienti: ſed in corpore mortuo non apparet aliquis defectus, vel indigentia cui per ſepulturam ſubueniatur, ergo ſepelire mortuos non eſt eleemoſyna. *Argum.* Et confirmatur: nam Matth. c. 25. Chriſtus Dominus commemorās opera miſericordiæ, nullam de ſepultura mortuorum mentionem facit.

ℭ Ego tamē ad explicationem huius difficultatis dico primò certum eſſe, ꝙ carentia ſepulturæ, non obeſt defunctis reſpectu vitæ ſpiritualis futuræ. *1. Dictum.* Hoc dictum eſt D. Auguſt. in lib. de cura pro mortuis. capit. 9. & libr. 1. de Ciuit. c. 12. Et probatur ex illo Matth. 10. Nolite timere eos, qui corpus occidunt: poſt hæc autem non habent quid faciant. Quod nulla ratione eſſet verum, vt dicit

dicit D. Auguſt. ſi quicquam obeſſet futuræ vitæ, quicquid inimici de corporibus occiſorum facere voluiſſent. Multa, inquit, corpora Chriſtianorum terra non texit, ſed nullum eorum quiſquam à cœlo, & terra ſeparabit: quam totam implet præſentia ſui, qui nouit, vnde reſuſcitet quod creauit. Dicitur quidem in Pſal. 78. Poſuerunt mortalia ſeruorum tuorum, eſcam volatilibus cœli, carnes Sanctorum tuorum beſtijs terræ. Effuderunt ſanguinem eorum ſicut aquam in circuitu Ieruſalem, & non erat qni ſepeliret. Sed magis ad exaggerandam crudelitatem eorum, qui iſta fecerunt, non ad eorum infœlicitatem, qui iſta perpeſsi ſunt. Quanuis enim hæc in conſpectu hominum dura, & dira videantur, ſed pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorũ eius, proinde iſta, id eſt, curatio funeris, conditio ſepulturæ, pompa exequiarum, magis ſunt viuorum ſolatia, quàm ſubſidia mortuorum. Si aliquid prodeſt impio ſepultura pretioſa, oberit pio vilis aut nulla. Hæc Auguſt. Et non ſolum hoc eſt verũ, loquendo de ſepulturis, quæ fiunt in locis vulgaribus, ſed etiam de illis, quæ fiunt in locis ſacris, quæ directè & per ſe nulla ratione proſunt reſpectu vitę ſpiritualis, vt docet idem D. Auguſt. in lib. de cura pro mortuis agenda cap. 1. & ſequentibus. Vbi dicit, quòd ſi deeſſent ſupplicationes illæ, quæ viua fide fiunt in Eccleſia non magis prodeſſet fidelibus quàm Turcis, quod corpora eorum in loco ſacro ſepelirentur. Verum tamen eſt, quòd indirectè ſepulturę ſacræ proſunt animabus defunctorum, inquantum illi, qui eo in loco celebrant atq; orant viſis monumentis excitantur ad orandum pro illis.

2. Dictum. ¶ Dico ſecundò etiam certum eſſe, quòd eſt valdè laudabile, & opus miſericordiæ, corpora defunctorum maximè iuſtorum, atque fidelium, quibus tanquam organis, atque vaſis ad omnia bona opera ſanctus vſus eſt ſpiritus, ſepelire, & in loco ſacro reponere. Hanc cõcluſionem ponit D. Aug. lib. 1. de Ciuit. c. 16. eamque multis rationibus ſic probat dicẽs: Si paterna veſtis & annulus, ac ſi quid huiuſmodi tantò carius eſt poſteris, quantò erga parẽtes maior extitit affectus, nullo modo ipſa aſpernenda ſunt corpora, quæ vtiq; multò familiarius, atq; coniunctius, quàm quælibet indumenta geſtamus. Hæc enim nõ ad ornamentum, vel adiutoriũ, quod adhibetur extrinſecus, ſed ad ipſam naturam hominis pertinent. Vnde & antiquorum iuſtorum funera officioſa pietate curata ſunt, exequię celebratę, & ſepultura præuiſa, ipſique dum viuerent de ſepeliendis, vel etiam transferendis ſuis corporibus filijs mandauerunt, & Tobias ſepeliendo mortuos Deum promeruiſſe teſte Angelo commendatur. Ipſe quoq; Dominus die tertio reſurrecturus religioſæ mulieris bonum opus prædicat, prædicandumq; commendat, quòd vnguẽtum precioſum ſupra membra eius effuderit, atq; hoc ad eum ſepeliendum fecerit. Et laudabiliter commemorantur in Euangelio qui corpus eius de Cruce acceptum diligenter, atq; honorificè tegendum, ſepeliendumq; curarunt. Hæc Auguſt. Cuius verba ad longum referre libuit, quoniã maximam vim habent ad noſtram ſententiam confirmandam, quæ catholica eſt, & communi ſenſu Eccleſiæ confirmata.

¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco, vndenam proueniat hæc pietas, & miſericordia, quæ corpori dum ſepelitur exhibetur. *Dubium.* Ad quod breuiter reſpondeo cum D. Tho. in ſolutione ad primum, quòd prouenit ex duobus, ratione quorũ ad defunctum pertinet curare, quid de eius corpore agatur. *Solutio.* Primum eſt, quia viuit in memorijs hominũ, & eius honor dehoneſtatur, ſi inſepultus maneat. Secundò, propter affectum, quem adhuc viuens habebat ad ſuum corpus, cui piorum affectus cõformari ęquum eſt poſt mortem ipſius. De hac re videndus eſt D. Chryſo. Homi. 84. ſuper Ioan. & D. Greg. lib. 4. Dialogorum. c. 52. & Magiſter. in. 4. diſtin. 45. & D. Thom. ibidem. q. 2. artic. 5. quæſtiuncula. 3. & Soto quæſt. 2. artic. 3. & ſupplementum Gabriel. quæſt. 2. artic. 3. dub. 9. ¶ Vnde ad argumentum reſpondetur conceſſa maiori, negando minorem. *Ad argum.* Verè enim confertur beneficium defuncto, quando eius corpus ſepelitur, tum quãtum ad eſſe, quod habet in memoria viuorum, tum etiam inquantum ſepeliendo defunctum eius voluntati conformamur, vt ſtatim dicebam. Ad cõfirmationem reſpondetur cũ D. Chryſto. loco citato, ꝙ Chriſtus non fecit mentionem de ſepultura ad tollendã ambitionẽ Iudæorũ circa ſepulchra.

ARTICVLVS. III.

¶ *Vtrùm Eleemoſynæ corporales ſint potiores, quàm ſpirituales.* *4. d. 15. q. 2. a. 3. q. 3. Et. 3 con. c. 134. ad. 2.*

AD TERTIVM ſic proceditur. Videtur, ꝙ eleemoſynæ cor-

poralesſint potiores, quàm ſpirituales. Laudabilius enim eſt magis indigēti eleemoſynā facere. Ex hoc enim eleemoſyna laudē habet, quod indigenti ſubuenit. Sed corpus, cui ſubuenitur per eleemoſynas corporales, eſt indigentioris naturæ, quàm ſpiritus, cui ſubuenitur per eleemoſynas ſpirituales. Ergo eleemoſynæ corporales ſunt potiores.

2 ¶ Præterea, Recompenſatio beneficij laudem & meritum minuit. Vnde & Dominus dicit Luc. 14. Cum facis prandium aut cœnam, noli vocare vicinos diuites, neforte & ipſi te reinuitēt. Sed in eleemoſynis ſpiritualibus qui orat pro alio, ſibi proficit: ſecundū illud Pſalm. Oratio mea in ſinu meo conuertetur. Qui etiam alium docet, ipſe in ſcientia proficit, quod non contingit in eleemoſynis corporalibus. Ergo eleemoſynæ corporales ſunt potiores, quam ſpirituales.

3 ¶ Præterea, Ad laudē eleemoſynæ pertinet, quod pauper ex eleemoſyna data cōſoletur. Vnde Iob. 31, dicitur. Si nō benedixerūt mihi latera eius. Et ad Philemonem dicit Apoſtolus, Viſcera ſanctorum requieuerūt per te frater. Sed quādoque magis eſt grata pauperi eleemoſyna corporalis, quam ſpiritualis. Ergo eleemoſyna corporalis potior eſt, quàm ſpiritualis.

Lib. 1. c. 40. circa princi. tom. 4. ¶ SED CONTRA eſt, quod Aug. *in lib. de Sermone Domini in mōte ſuper illud: Qui petit à te, da ei, dicit, Dandū eſt quod nec tibi, nec alteri noceat. Et cum negaueris quod petit, indicanda eſt iuſtitia, vt non eum inanem dimittas, & aliquando melius aliquid dabis, cum iniuſtè petentem correxeris. Correctio autem eſt eleemoſyna ſpiritualis: ergo ſpirituales eleemoſynæ ſunt corporalibus præferendæ.

¶ RESPONDEO dicendū, quod comparatio iſtarum eleemoſynarum poteſt attendi dupliciter. Vno modo ſimpliciter loquendo, & ſecundū hoc eleemoſynæ ſpirituales præeminent triplici ratione. Primo quidem, quia id quod exhibet, nobilius eſt, ſcilicet donū ſpirituale, quod præeminet corporali: ſecundum illud Prouerb. 4. Donum bonū tribuam vobis, legē meam ne derelinquatis. Secūdò ratione eius, cui ſubuenitur, quia ſpiritus nobilior eſt corpore. Vnde ſicut homo ſibiipſi magis debet prouidere quantum ad ſpiritum, quàm quantū ad corpus, ita & proximo, quē debet ſicut ſeipſum diligere. Tertiò quantū ad ipſos actus, quibus ſubuenitur proximo, quia ſpirituales actus ſunt nobiliores corporalibus, qui ſunt quodammodo ſeruiles. Alio modo poſſunt comparari ſecundum aliquem particularem caſum, in quo quædā corporalis eleemoſyna alicui ſpirituali præfertur. Puta magis eſt paſcendum fame morientem, quàm docendū, ſicut & indigenti, ſecūdū * Philoſophum melius eſt ditari, quàm philoſophari: quamuis hoc ſit ſimpliciter melius. *Lib. 3. Topi. c. 2. non procul à fine. to. 1.*

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quod dare magis indigenti melius eſt cæteris paribus. Sed ſi minus indigens ſit melior, & melioribus indigeat, dare ei melius eſt. Et ſic eſt in propoſito.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd recompenſatio non minuit meritum & laudem eleemoſynæ, ſi non ſit intenta: ſicut & humana gloria, ſi non ſit intenta, non minuit rationem virtutis. Sicut & de Catone * Salluſtius dicit, quod quo magis gloriā fugiebat, eo magis eum gloria ſequebatur. Et ita contingit in eleemoſynis ſpiritualibus. Et tamen intentio bonorum ſpiritualium non minuit meritum, ſicut intētio bonorum corporalium. *In coniuratione Catilinæ, in. eius. fine. Comparatio M. Catonis, & Caij Cæſaris circa medium.*

¶ Ad tertium dicendum, quod meritum dantis eleemoſynam attenditur ſecundum id in quo debet rationabiliter requieſcere voluntas accipientis, non in eo, in quo requieſcit, ſi ſit inordinata.

SVM-

SVMMA TEXTVS.

SVppoſito, quòd comparatio iſtarum eleemoſynarum poteſt fieri dupliciter; ſcilicet, vel ſimpliciter, vel in ordine ad aliquem particularem caſum reſpondet Diuus Thom. ad difficultatem per duas propoſitiones. ¶ Prima concluſio. Simpliciter, & abſolutè loquendo eleemoſynæ ſpirituales ſunt præſtantiores, quam corporales. Probatur ex triplici ratiōe. Primo, quia id, quod exhibetur in eleemoſyna ſpirituali eſt præſtantius, quam id quod exhibetur in eleemoſyna corporali. Secūdo, quia ſpiritus, cui ſubuenitur eſt præſtantior, & melior corpore. Tertio, quia actus, quibus proximus ſubuenitur in eleemoſyna ſpirituali, ſunt perfectiores, quam actus, quibus ſubuenitur in eleemoſyna corporali, ergo. ¶ Secunda concluſio. In aliquo caſu particulari, vt quando aliquis eſt in extrema neceſsitate corporali, potior eſt eleemoſyna corporalis, quam ſpiritualis. Probatur ex Ariſtotele dicente; quòd indigenti melius eſt ditari, quàm philoſophari, quamuis hoc ſit ſimpliciter melius: ergo pari ratione patienti neceſsitatē corporalē melior erit eleemoſyna corporalis, quā conſiliū ſalutare.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Dubium. IN hoc articulo ſolum eſt dubitatio circa ſolutionem ad primum, cui potius ſit danda eleemoſyna, homini iuſto, an peccatori. Verbi gratia, ſunt in extrema neceſsitate duo homines, vnus pius, alter impius, & ego non poſſum vtrique ſubuenire, dubium eſt, cui nam illorum potius debeam *Argum.* dare eleemoſynam. Et quòd potius ſit danda homini impio probatur hac ratione. Impius non ſolum eſt conſtitutus in neceſsitate corporali, ſed etiam in neceſsitate ſpirituali, pius autē tantū eſt in neceſsitate corporali: ergo potius debeo ſubuenire impio.

Sententia autoris. ¶ Hoc tamen non obſtante dico, quòd proculdubio potius debeo ſubuenire homini iuſto. Probatur: nam alias impius reportaret commodum ex ſua iniquitate, & iuſtus detrimentum ex ſua iuſtitia, quod eſt maximum inconueniens. Et confirmatur. Vir pius eſt magis dignus vita, quam alius: ergo potius vitę illius ſubueniēdū eſt, quam alterius. Secundo, Si impius inuaderet pium, nec ego poſſem vtrumque liberare, ſed neceſſario alter illorum deberet perire, tunc vel debeo ſubuenire iuſto, vel in- *2. Argum.* iuſto: non iniuſto, quia id eſſet cooperari peccato illius, ergo iuſto, atq; pio: atq; ex conſequenti idem dicendum erit in noſtro caſu. ¶ Et ad argumentum reſpondetur, ꝙ *Ad argum.* quamuis impius ſit in periculo animæ, id tamen eſt per accidens ex culpa ſua: vnde nō debeo illi ſuffragari, præſertim in detrimentum hominis iuſti.

Dubium. ¶ Sed maius dubium eſt, vtrum peccatori magis indigenti ſit potius danda eleemoſyna quam homini iuſto minus indigenti. Et pro parte affirmatiua eſt argumentum. indigētia proximi eſt motiuum, qđ mouet ad miſericordiam: ergo vbi maior fuerit indigentia, ibi potius eſt danda eleemoſina. *Reſponſio.* Dico tamen cū Caietano in præſenti, & cū D. Th. in ſolutione ad primū, ꝙ niſi in peccatore ſit multo maior indigētia potius erit ſubueniēdum homini iuſto minus indigēti. Et ratio eſt, quia licet in magis indigente ſit maior materia miſericordiæ, tamē in magis iuſto eſt maior materia charitatis, cuius obiectū eſt bonū, quæ apud nos eſt maior virtus, & ratio miſericordiæ. Ideo enim miſeremur alicuius, quia ex charitate miſeriā illius quaſi noſtrā reputamus. Bonitas autē actus, & valor illius magis creſcit ex charitate, quā ex quacūq; alia virtute: quia charitas eſt per ſe bona, & forma aliarū virtutū. Vnde cū in eleemoſyna, quæ tribuitur iuſto minus indigenti ſit magis de charitate, q̄ in illa, quæ tribuitur peccatori magis indigenti, fit, vt ſit melior & magis meritoria.

Nota circa ſolutionem ad ſecundum. ¶ In ſolutione ad ſecūdum dicit D. Th. ꝙ recōpenſatio eleemoſynæ non tollit meritū, ſi nō eſt intenta. Verbi gratia, ſi ego ex eleemoſyna inuito hodie pauperē non intendens reinuitationē, & ipſe poſteà me inuitat, nō ex hoc tollitur meritū. Sed, vt hoc melius intelligatur, aduertendū eſt, quòd recompenſatio dupliciter poteſt eſſe intenta. Vno modo principaliter: & quando ſic eſt intenta totaliter aufertur meritum operis: non enim tunc fit ex charitate, nec propter Deum, quod neceſſariū eſt ad rationē meriti. Alio modo poteſt eſſe intenta minus principaliter, & tunc dico, ꝙ nō tollitur omnino meritū eleemoſynæ, quamuis non dabitur tantū præmium, quātum daretur, ſi propter ſolum Deum fuiſſet facta. Et ratio eſt, quia cum ille actus habeat optimum finem, nec vicietur ex aliqua circūſtantia, (cum etiam ſi alter non recompenſaret adhuc ipſe daret eleemoſynam) manifeſte ſequitur, ꝙ erit meritorius, maximè, quod, vt diximꝰ ſupra. q. 27. ar. 3. bene poſſumus

expectare præmiũ temporale pro noſtris operibus (dummodo illud non intendatur principaliter) abſq; aliquo peccato. Vnde quando D. Tho. dicit quòd recompenſatio eleemoſynæ non tollit meritum, ſi non eſt intenta, eſt intelligendus de intētione præcipua, & principali.

ARTICVLVS. IIII.

¶ *Vtrùm eleemoſynæ corporales habeāt effectum ſpiritualem.*

AD QVARTVM ſic proceditur. Videtur quòd eleemoſynæ corporales non habeāt effectum ſpiritualem. Effectus enim non eſt potior ſua cauſa. Sed bona ſpiritualia ſunt potiora corporalibus. Non ergo eleemoſynæ corporales habent ſpirituales effectus.

2 ¶ Præterea, Dare corporale pro ſpirituali vitium eſt ſimoniæ. Sed hoc vitium eſt omnino vitandum. Non ergo ſunt dandæ eleemoſynæ ad conſequendum ſpirituales effectus.

3 ¶ Præterea, Multiplicata cauſa, multiplicatur effectus. Si ergo eleemoſyna corporalis cauſaret ſpiritualem effectum, ſequeretur quòd maior eleemoſyna magis ſpiritualiter proficeret. Quod eſt contra illud, quod legitur Luc. 21. de vidua mittēte duo æra minuta in gazophylaciũ: quæ ſecũdũ ſententiam Domini plus omnibus miſit. Non ergo eleemoſyna corporalis habet ſpiritualem effectum.

¶ SED CONTRA eſt, quòd dicitur Eccleſiaſt. 29. Eleemoſyna viri, gratiam hominis quaſi pupillam conſeruabit.

¶ RESPONDEO dicendum, ꝙ eleemoſyna corporalis tripliciter poteſt cõſiderari. Vno modo ſecũdũ ſuã ſubſtantiam, & ſecundum hoc non habet niſi corporalem effectum, inquantum ſcilicet ſupplet corporales defectus proximorum. Alio modo poteſt cõſiderari ex parte cauſæ eius, inquantum, ſcilicet, aliquis eleemoſynã corporalem dat propter dilectionem Dei & proximi. Et quantum ad hoc affert fructum ſpiritualem: ſecundum illud Eccleſiaſt. 29. Perde pecuniam propter fratrem, pone theſaurum in præceptis Altiſsimi, & proderit tibi magis, quàm aurum. Tertio modo ex parte effectus: & ſic etiam habet ſpiritualem fructum, inquãtum, ſcilicet, proximus, cui per corporalem eleemoſynam ſubuenitur, mouetur ad orandũ pro benefactore. Vnde & ibidem ſubditur. Conclude eleemoſynam in ſinu pauperis: & hæc pro te exorabit ab omni malo.

¶ AD PRIMVM ergo dicendũ, ꝙ ratio illa procedit de corporali eleemoſyna ſecundum ſuam ſubſtãtiam.

¶ Ad ſecundum dicendum, ꝙ ille qui dat eleemoſynam, non intendit emere aliquid ſpirituale per corporale: quia ſcit ſpiritualia in infinitum corporalibus præeminere. Sed intendit per charitatis effectum ſpiritualem fructum promereri.

¶ Ad tertium dicẽdum, ꝙ vidua, quæ minus dedit, ſecundum quantitatem, plus dedit ſecundum ſuam proportionẽ, ex quo penſatur in ipſa maior charitatis affectus, ex quo corporalis eleemoſyna ſpiritualem efficaciã habet.

SVMMA TEXTVS.

SVppoſito, quòd eleemoſyna corporalis poteſt tripliciter conſiderari primo, quantum ad ſubſtantiam ſecundo, quantum ad cauſam, quę eſt dilectio Dei, tertio, quantum ad effectum, reſpondet D. Tho. ad difficultatem per tres propoſitiones.

¶ Prima concluſio. Si conſideretur eleemoſyna quantum ad ſuam ſubſtãtiam, ſic nullum habet effectum ſpiritualem, ſed tantum corporalem, qui eſt ſupplere corporales defectus proximorũ. ¶ Secunda concluſio. Si eleemoſyna conſideretur ex parte cauſæ, inquãtum datur propter Deum, ſic affert maximum fructum ſpiritualem. Probatur ex Eccleſiaſt. cap. 29. dicente: Perde pecuniam propter fratrem, pone theſaurum in præceptis altiſsimi, & proderit tibi magis, quam aurum.

¶ Tertia

℄ Tertia concluſio, Si conſideretur eleemoſyna quantum ad effectum, ſic affert fructum ſpiritualem inquantum proximus, cui per corporalem eleemoſynam ſubuenitur, mouetur ad orandum pro benefactore. Probatur ex eodem capitulo Eccleſiaſtici, vbi dicitur. Conclude eleemoſynam in ſinu pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo. Hæc omnia ſunt intelligenda ex ſe, & ex ſua natura: nam ex circunſtantijs & conditionibus appoſitis poterunt variari.

EXPLICATIO ARTICVLI.

HVnc articulum mouet D. Thom. propter eximias, & egregias laudes, quæ de eleemoſyna, tam in ſacris literis, quam in ſanctis doctoribus inueniuntur. Quæ adeo magnæ ſunt, vt totum opus iuſtificationis illi aſcribi videatur. D. Ambroſ. ſermone. 30. de eleemoſyna dicit: Vide quid ſit miſericordiæ gratia, quæ ſola, & vna virtus cūctorum peccatorū redemptio eſt. Et D. Hiero. ſuper Pſalm. 133. in illa verba. Et benedicite Domino, dicit: Magis tamē gratias Chriſto agito, qui das eleemoſynam, q̄ frater, qui accipit, tibi gratias agat. Grande nobis beneficium pauperes præſtant: peccata quæ iam aliter lauare non poſſumus, extinguūtur eleemoſyna. De hac re videndus eſt D. Chryſoſt. hom. 32. ad populum Antiochenū, & ſequentibus: vbi multa dicit ad hoc propoſitum pertinētia: & D. Cyprianus lib. 3. contra Iudæos. c. 1. vbi colligit plura ſacræ Scripturæ loca, quæ eleemoſynæ virtutem explicare videntur.

Dubium. ℄ Vnde merito de illa poſſumus dubitare, vtrum ſic habeat effectū ſpiritualem, vt condonet peccata, & cōferat gratiam ex opere operato ad modum ſacramentorum, vel ex priuilegio, vt de martyrio ſatis probabiliter affirmant aliqui Theologi. Et pro

1. Argum. parte affirmatiua eſt illud Lucæ cap. 4. Ab omni peccato, & morte liberat eleemoſyna, & non patitur animas in tenebras ire. Idem dicitur. c. 12. & Eccleſiaſt. cap. 3. Ignē ardentem extinguit aqua, & eleemoſyna extinguit peccatū. Quo loco ſancti legunt, ſic eleemoſyna extinguit peccatū. Sed ſic eſt, quòd aqua efficiēter extinguit ignem: ergo eleemoſyna efficienter extinguit peccatum. Item Lucæ. 11. Date eleemoſynā, &

2. Argum. ecce omnia munda ſunt vobis. ℄ Et ratione ſic argumētor. Ideo affirmamus baptiſmū, & ſacramenta cōferre gratiam, quia id conſtat ex ſacris literis: ſed idem, & multò apertiùs dicitur de eleemoſyna: ergo ſimiliter confert gratiam. ℄ Et confirmatur. Plura di-

Confirmatio cūtur de eleemoſyna quantū ad hoc, quod eſt gratiam conferre, quam de martyrio: & tamen de martyrio dicunt Theologi, q̄ cōfert gratiam ex priuilegio, ergo idem dicere poterimus de eleemoſyna.

Sententia Hæreticorum. ℄ Propter hæc argumenta nonnulli dicebant eleemoſynam tantæ eſſe virtutis, vt qui eam fecerint quantumuis criminoſe viuant, æternum ſupplicium non ſint habituri: ſed illos damnandos tantum fore, qui eleemoſynas erogare contempſerint. Quorum errorem, & fundamenta refert D. Auguſt. lib. 21. de Ciuit. capi. 20. illaque ſoluit c. 27. & in Enchiri. c. 75. 76. & 77. Sed horū ſententiam falſam eſſe ſufficienter conuincitur ex illo Pauli. 1. ad Corint. 13. Si diſtribuero in cibos pauperum omnem ſubſtantiam meam, charitatem autem non habuero nihil mihi prodeſt. Ad hoc etiam alluſiſſe videtur Chriſtus Lucæ. 11. quādo dixit: Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis. Quæ verba, vt multis placet, non affirmatiuè, ſed ironice fuerunt à Chriſto dicta contra phariſæos, qui putabant quòd data eleemoſyna omnia mundabantur peccata. Ita videtur exponere iſtum locum D. Auguſt. ſermone. 30. de verbis Domini. & Cyprianus ſuper Lucam, & Eraſmus in annotationibus. Et ſi quis obijciat, quòd Matthæi. cap. 25. illos tantum dicit Chriſtus præmio afficiendos, qui opera miſericordiæ adimpleuerint, & eos, qui illa non adimpleuerint damnandos, reſpondetur ex D. Auguſtino, quòd quāuis ob alias cauſas Chriſtus præmia reddet, & pœnas, in finali iudicio: tamen tantum meminit operum miſericordiæ, vt vel hac ratione magis animis noſtris inſiderent.

Nota. ℄ Vnde ad explicationem difficultatis aduertendum eſt, multipliciter poſſe intelligi, quòd eleemoſyna remittit peccatum. Primo inſtrumentaliter ex opere operato ad modum ſacramenti. Secūdò, formaliter, quo modo calor expellit frigiditatem, & vera Dei dilectio peccatum. Tertiò, diſpoſitiue, ita, vt eleemoſyna inclinet Deum ad remittenda peccata. Quarto, non quia remittit culpam, ſed quia remittit pœnam, quæ in ſacris literis remiſsio peccati appellari conſueuit, iuxta illud. 2. Macha. 12. Vt à peccatis ſoluantur.

1. Concluſio. ℄ Hoc ſuppoſito ſit prima concluſio.

Eleemoſyna ſecundum ſubſtantiam non delet peccatum ex opere operato, vt ſacramentum, & oppoſitum dicere eſt hæreticum. Probatur, Quia hoc eſt priuilegium ſacramentorum, nec valet dicere quòd delet peccatum ex ſingulari priuilegio, ſicut martyrium, quia hoc eſt contra cōmunem ſenſum Eccleſiæ. De martyrio autem hoc habēt multi viri graues, quia eſt baptiſmus ſanguinis, geritq; expreſſam imaginē paſſionis Chriſti, vt dicunt Caietanus.3.p.q.87.arti.1.D.Tho.in.4.d.4.q.3. Durand.eadem diſt.quæſt.8.Soto in.4.d.3.quęſt.vnica.art.11.&.12.Et ſic eſt hoc valde probabile de martyrio, non verò de eleemoſyna.

2. *Concluſio.* ¶ Secunda concluſio. Eleemoſyna non delet peccatum formaliter, & contrarium dicere eſt hæreticum.Probatur.Eleemoſyna materialiter accepta poteſt eſſe ſine gratia,formaliter autem accepta præſupponit gratiam,charitatem, & pœnitentiam,per quæ homo iuſtificatur: ergo ipſa formaliter non peccatū expellit. Et cōfirmatur.Id dicitur formaliter expellere peccatum,quo poſito expellitur peccatū,& quo deficiente non expellitur: ſed poſita eleemoſyna, quantum ad ſubſtantiam non tollitur peccatum,& deficiente eadem poteſt eſſe iuſtificatio per gratiam, & pœnitentiam: ergo eleemoſyna nō expellit formaliter peccatū.

3. *Concluſio.* ¶ Tertia concluſio. Eleemoſyna accepta formaliter cum omnibus ſuis circūſtantiis valet maxime ad augendam gratiam meritoriè,& ad conſeruationem illius, atq; etiā ad purganda peccata,quo ad pœnam. Probatur:nam licet hoc habeant omnia opera meritoria,ſpecialius tamen conuenit operibus miſericordiæ, vt docet D.Tho.in.4.d.15.q.2.art.2.quæſtiūcula.2. Vbi dicit quòd inter hæc tria opera ſatisfactoria eleemoſynā,orationem,& ieiunium,eleemoſyna eſt magis ſatisfactoria. Et hæc eſt communis ſententia ſanctorum.Ex quo fit,vt eleemoſyna in ſacris literis ſæpeſæpius inducatur tāquam vtilior medicina ad delendum peccatum, vt conſtat ex teſtimoniis adductis, & ex Paulo.1.ad Timot.4.dicente. Pietas ad omnia vtilis eſt, promiſſionem habens vitæ,quæ nunc eſt,& futuræ.De hac re videndus eſt D.Auguſt. ſuper Pſalm. 36. in illa verba.Iuſtus autem miſeretur, & commodat,& ſuper.102.&.125.

4. *Concluſio.* ¶ Quarta concluſio.Eleemoſyna, quomodocūq; accepta,non eſt diſpoſitio infallibilis, vt illam faciens infallibiliter conſequatur gloriam, & cōtrarium dicere eſt hæreticum. Probatur:nam videmus homines illam facientes propter alia peccata damnari.Et D.Iacob.cap.2 dicit,Qui totam ſeruauit legem ſi offendat in vno factus eſt omnium reus.Et Lucæ.15. Niſi pœnitentiam egeritis. Item, Sicut ſcriptura loquitur de eleemoſyna, ità etiam loquitur de fide, dicens,qui crediderit ſaluus erit: ſed hoc debet intelligi ſeruatis ſeruandis, vt fides docet: ergo & illud. Atq; ex conſequenti eleemoſyna non erit infallibilis diſpoſitio, vt quis infallibiliter ſaluetur.

Vltima concluſio. ¶ Vltima cōcluſio. Viri miſericordes,qui ex pietate crebras eleemoſynas, & opera miſericordiæ faciunt propter Deum, vt in plurimum conſequuntur vitam æternam, & ante mortem accipiunt à Deo verā pœnitentiam,ſiue eleemoſynas fecerint in gratia, ſiue in peccato,dummodo peccata a ſe commiſſa ſint ex humana fragilitate facta. Hæc concluſio eſt cōmunis omnium Theologorū, atq; Sanctorū, qui de eleemoſyna loquuntur Matt.5. in illa verba: Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiá conſequētur. Et Prouerb.cap.14.dicitur, qui miſeretur pauperum beatus erit. De hac re videndus eſt D.Tho.in.4.d.46.quæſt.2.ar.3. quæſtiūcula.4.& ſuper capitulū.4. *primæ* epiſtolæ ad Timoth.lect.2. Et per hoc patet ſolutio ad omnia teſtimonia in contrarium adducta.

Ad argum. Ad Rationem reſpondetur, quòd quamuis ſacra ſcriptura,atq; ſancti loquantur de eleemoſyna,vt de ſacramento, aliter tamen intelligit Eccleſia ea,quæ dicūtur de ſacramentis, & ea, quæ dicūtur de eleemoſyna:cuius interpretationi & ſenſui, tanquam ab Spiritu ſancto intento, ſtandum nobis erit.

ARTICVLVS. V.

¶ *Vtrùm dare eleemoſynam ſit in præcepto.*

AD QVINTVM ſic proceditur. Videtur q̄ dare eleemoſynam non ſit in præcepto. Conſilia enim à præceptis diſtinguuntur. Sed dare eleemoſynam eſt conſilium, ſecundum illud Dan.4. Conſilium meū Regi placeat, Peccata tua eleemoſynis redime. Ergo dare eleemoſynā nō eſt in præcepto. *4.d.15.q.2. ar.1.q.4. et ar.4.q.1. & quolib.6.ar.12.*

2 ¶ Præterea, Cuilibet licet ſua re vti, & eam retinere. Sed retinendo rem

ſuam, aliquis eleemoſynam nō dabit. Ergo licitum eſt eleemoſynam non dare. Nō ergo dare eleemoſynam eſt in præcepto.

3 ¶ Præterea, Omne quod cadit ſub præcepto, aliquo tepore obligat trāſgreſſores ad peccatum mortale: quia præcepta affirmatiua obligant pro tēpore determinato. Ergo ſi dare eleemoſynā caderet ſub pręcepto, eſſet determinare aliquod tempus in quo homo peccaret mortaliter, niſi eleemoſynā daret. Sed hoc non videtur: quia ſemper probabiliter æſtimari poteſt, quod pauperi aliter ſubueniri poſsit: & quod id quod eſt in eleemoſynas erogandum, poſſet ei eſſe neceſſariū vel in præſenti, vel in futuro. Ergo videtur qnòd eleemoſynam dare non ſit in præcepto.

4 ¶ Præterea, Omnia præcepta ad præcepta decalogi reducuntur. Sed inter illa præcepta nihil continetur de datione eleemoſynarum. Ergo dare eleemoſynas non eſt in præcepto.

¶ SED CONTRA, Nullus punitur pœna æterna pro omiſsione alicuius, qđ non cadit ſub pręcepto. Sed aliqui puniūtur pœna ęterna ꝓ omiſsione eleemoſynarū, vt patet Mat. 25. Ergo dare eleemoſynā eſt in pręcepto.

¶ RESPONDEO dicendum, ꝙ cum dilectio proximi ſit in precepto, neceſſe eſt omnia illa cadere ſub pręcepto, ſine quibus dilectio ꝓximi non conſeruatur. Ad dilectionem autem proximi pertinet, vt proximo non ſolum velimus bonum, ſed etiam operemur, ſecundum illud primæ Ioan. 3. Non diligamus verbo, neque lingua, ſed opere & veritate. Ad hoc autem, quòd velimus & operemur bonum alicuius, requiritur quòd eius neceſsitati ſubueniamus: quod ſit per eleemoſynarum largitionem: & ideo eleemoſynarum largitio eſt in præcepto. Sed quia præcepta dātur de actibus virtutum, neceſſe eſt ꝙ hoc modo donum eleemoſynæ cadat ſub præcepto, ſecundum quod actus eſt de neceſsitate virtutis, ſcilicet ſecundum quod recta ratio requirit, ſecundum quam eſt aliquid conſiderandum ex parte dantis, & aliquid ex parte eius, cui eſt eleemoſyna danda: ex parte quidē dantis cōſiderādum eſt vt id quod eſt in eleemoſynas erogādum, ſit ei ſuperfluū, ſecūdum illud Lucæ. 11. Quod ſupereſt, date eleemoſynam. Et dico ſuperfluū non ſolū reſpectu ſuiipſius, quod eſt ſupra id quod eſt neceſſariū indiuiduo, ſed etiā reſpectu aliorū, quorū cura ſibi incūbit. Quia prius oportet, ꝙ vnuſquiſq; ſibi prouideat, & his quorū cura ei incūbit, & poſtea de reſiduo aliorū neceſsitatibus ſubueniat: reſpectu quorū dicitur neceſſariū perſonæ: ſecundum quod perſona dignitatem importat. Sicut & natura primo accipit cibum ad ſuſtentationem proprij corporis, quod eſt neceſſariū miniſterio virtutis nutritiuæ. Superfluū autem erogat ad generationē alterius per virtutem generatiuam. Ex parte autem recipiētis requiritur, ꝙ neceſsitatem habeat, alioquin nō eſſet ratio quare eleemoſyna ei daretur. Sed cum non poſſit ab aliquo vno omnibus neceſsitatē habentibus ſubueniri, nō omnis neceſſitas obligat ad præceptū, ſed illa ſola, ſine qua is qui neceſsitatem patitur, ſuſtentari non poteſt. In illo enim caſu locum habet quod Ambroſius * dicit, Paſce fame morientem, ſi non paueris occidiſti. Si ergo dare eleemoſynā de ſuperfluo, eſt in præcepto, & dare eleemoſynam ei, qui eſt in extrema neceſſitate. Alias autem eleemoſynas dare eſt in conſilio, ſicut & de quolibet meliori bono dantur conſilia.

Lib. off. refertur. d. 86. cap. Paſce.

¶ AD PRIMVM ergo dicēdum, quòd Daniel loquebatur Regi, qui nō erat legi Dei ſubiectus. Et ideo ea etiam quæ pertinent ad præceptum legis, quam non profitebatur, erant ei proponenda per modum conſilij. Vel

poteſt

poteſt dici quod loquebatur in caſu illo, in quo dare eleemoſynam nõ eſt in præcepto.

¶ Ad ſecundum dicendum, quod bona temporalia, quæ homini diuinitus conferũtur, eius quidem ſunt quãtum ad proprietatem, ſed quantum ad vſum non ſolum debent eſſe eius, ſed etiam aliorũ, qui ex eis ſuſtentari poſſunt ex eo, quòd ei ſuperfluunt. Vnde Baſilius* dicit, Si fateris ea tibi diuinitus prouenisse, ſcilicet temporalia bona, an iniuſtus eſt Deus inęqualiter res nobis diſtribuens? Cur tu abundas, ille vero mendicat, niſi vt tu bonæ diſpenſationis merita conſequaris, ille verò patientiæ brauijs decoretur? Eſt panis famelici, quem tu tenes, nudi tunica, quam in conclaui conſeruas, diſcalciati calceus, qui penes te marceſcit, indigentis argentum, quod poſsides inhumatũ. Quocirca tot iniuriaris, quot dare valens es. Et hoc idem dicit* Ambroſius vt habetur in Decretal. diſtinctione quadrageſimaſeptima.

Inſer ad diuites auaros, ſup illud Lucæ. 12. Deſtruam horrea mea.

Ambroſ. in ſer. 81. to. 3. Habetur diſtinct. 47. c. Sicut ij.

¶ Ad tertium dicendum, quòd eſt aliquod tempus dare, in quo mortaliter peccat ſi eleemoſynam dare omittat. Ex parte quidem recipientis, cum apparet euidens & vrgens neceſsitas, nec apparet in promptu, qui ei ſubueniat. Ex parte verò dantis, cum habet ſuperflua, quæ ſecũdum ſtatum præſentem non ſunt ſibi neceſſaria, prout probabiliter æſtimari poteſt. Nec oportet, ꝙ conſideret omnes caſus, qui poſſunt contingere in futurum. Hoc enim eſſet de craſtino cogitare, quod Dominus prohibet Matth. 6. Sed debet dijudicari ſuperfluum & neceſſarium ſecundum ea, quæ probabiliter, & vt in pluribus occurrunt.

¶ Ad quartum dicẽdum, quòd omnis ſubuentio proximi reducitur ad præceptum de honoratione parẽtum. Sic enim & Apoſtolus interpretatur primę ad Timoth. 4. dicens, Pietas ad omnia vtilis eſt, promiſsionem habẽs vitę, quę nunc eſt, & futurę, quod dicit, quia in pręcepto de honoratione parentum additur promiſsio, Vt ſis lõgęuus ſuper terram. Sub pietate autem comprehenditur omnis eleemoſynarum largitio.

SVMMA TEXTVS

AD hanc difficultatẽ reſpõdet D. Tho. per quatuor propoſitiones. Prima concluſio. Eleemoſyna eſt in præcepto. Probatur. Dilectio proximi eſt in præcepto: ergo etiam ſunt in præcepto omnia illa, ſine quibus dilectio proximi ſtare non poteſt: talis autem eſt eleemoſyna, ergo. Probo minorem. Ad dilectionem proximi pertinet nõ ſolum, vt proximo velimus bonũ, ſed etiã vt operemur, iuxta illud. 1. Ioã. 3. Nõ diligamus verbo, nec lingua, ſed opere, & veritate: ſed ad hoc, vt velimus, & operemur bonũ alicui⁹, requiritur, ꝙ eius neceſsitati ſubueniamus, quod fit per eleemoſynam: ergo ſine eleemoſyna dilectio proximi ſtare nõ poteſt, atq; ex cõſequenti eſt in præcepto. ℂ Sed quoniam præcepta dãtur de actibus virtutibus, & ad hoc, vt eleemoſyna ſit actus virtutis eſt neceſſarium, quod aliqua cõſideremus ex parte dantis, & alia ex parte recipientis, eſt ſecunda concluſio. Ex parte dantis, eleemoſyna tantum debet fieri de ſuperfluis. Probatur ex illo Lucæ. c. 11. Quod ſupereſt date eleemoſynam. Dicitur autem ſuperfluũ id, quod ſupereſt, nõ ſolum reſpectu ſui ipſius, ſed etiam reſpectu ſuæ familiæ, & illorum, quorum cura ſibi incumbit: nam prius oportet, quòd vnuſquiſque ſibi prouideat, & ſuis, quam alijs, quorũ curam non gerit. ℂ Tertia concluſio. Ex parte recipientis requiritur neceſsitas ad hoc, vt ei eleemoſyna cõferatur. Probatur: Nam neceſsitas eſt ratio, propter quam eleemoſyna conferri debet. ℂ Quarta concluſio. Dare eleemoſynam de ſuperfluo, & dare eleemoſynam ei, qui eſt in extrema neceſsitate eſt in præcepto: alias autem eleemoſynas facere, tantum eſt in conſilio. Probatur. Nam cum non poſsit vnus omnibus neceſsitatem patientibus ſubuenire, non omnis neceſsitas obligat ad præceptum, ſed illa tantum, quæ eſt extrema, in qua habet locum illud Ambroſij: Paſce fame morientem: ſi non pauiſti occidiſti.

EXPLICATIO ARTICVLI.

QVæſtio huius articuli eſt præcipua *Nota. 1.* in hac

in hac materia, & de qua variè ſentiunt doctores. Ad eius tamen explicationẽ, vt clarius procedamus aduertẽdũ eſt ex D.Tho. in.4.diſt.15.quæſt.2.artic.4.quæſtiuncula prima. quòd quantum attinet ad præſens inſtitutum tria ſunt genera bonorum, ex quib⁹ eleemoſynas facere poſſumus. Quædam enim ſunt neceſſaria ſaluti ſimpliciter, illa, ſcilicet, quæ vnicuique neceſſaria ſunt ad ſuæ vitæ, & ſuorum conſeruationem, quæ appellantur bona naturæ. Alia ſunt bona, quæ non ſunt neceſſaria naturæ, ſed ſunt neceſſaria ſtatui, & conditioni vniuſcuiuſq;, & appellantur bona perſonę. Alia bona ſunt, quæ neutri rei neceſſaria ſunt, nec perſonæ, nec naturæ, & dicuntur ſuperflua ſimpliciter.

Tria ſunt genera bonorũ ex quibus eleemoſynas facere poſſumus.

Nota.2. ¶ Secundo eſt aduertendum, quòd ſicut ſunt tria genera bonorum, ita etiam ſunt tres neceſsitates. Vna, quæ dicitur extrema neceſsitas, in qua aliquis intelligendus eſt eſſe, non quidem quando iam extremam animam agit: nam in illo tempore ferè nihil auxilij poſſumus illi afferre: ſed tunc propriè dicitur extrema neceſsitas, quando ſunt in aliquo certa, & nota ſigna, quæ ſignificant illum breui periturum, niſi opportune illi auxilium præbeatur. Altera eſt grauis neceſsitas, quæ eſt valde vicina cum extrema, & eſt, cùm aliquis verſatur in magno, & certo periculo incidendi in aliquem grauiſsimum morbum propter inopiam, vel aliam eiuſmodi calamitatem. Tertia eſt communis neceſsitas, qua laborant pauperes, qui oſtiatim eleemoſynam petunt.

Nota.3. ¶ Tertio eſt aduertendum, quòd cum quærimus. vtrum eleemoſyna ſit in præcepto, non quærimus de omnibus bonis ſuperius dictis, nec etiam de omnibus neceſsitatibus ſtatim poſitis: quin potius in hac re quædam ſunt certa, & alia dubia & ambigua. Nam primo certum eſt, quod de bonis ſimpliciter ſuperfluis tenemur facere eleemoſynam in caſu extremæ neceſsitatis. Secundo etiam eſt certum, quòd homo non tenetur facere eleemoſynam de bonis neceſſarijs naturæ: nam charitas bene ordinata incipit à ſe ipſa. Tertiò certum eſt, quod in neceſsitatibus tantum communibus homo nõ tenetur facere eleemoſynam de bonis ſecundi generis, ſcilicet, de illis bonis, quæ neceſſaria ſunt ad ſtatum, & perſonã vniuſcuiuſque. De quibus autem dubitatur ſunt duo. Primum vtrum in caſu extremæ neceſsitatis teneatur aliquis facere eleemoſynam de bonis neceſſarijs perſonæ, id eſt, vtrum teneatur in tali caſu aliquis diminuere ſuum ſtatum. Secundum, vtrum de bonis ſimpliciter ſuperfluis teneamur facere eleemoſynam in communibus neceſsitatibus: nam de his duabus rebus ſunt tres opiniones diuerſæ.

Dubium.

1.Opinio Panor.& aliorum. Prima eſt, quæ vtrunq; negat dicẽs, quòd nec de bonis neceſſarijs ad ſtatum tenemur facere eleemoſynam, etiam in extrema neceſsitate, nec de bonis ſuperfluis in communibus neceſsitatibus. Hanc ſententiam tenet Abbas Panor.in.c. ſi vero.de iure iurando.& allegatur Felinus in eandem in annotationibus ſuper decretum. Idem tenet Archiepiſcopus Florent. part.2.ſuæ ſummæ.tit.1.c.14.§.3. Et idem videntur tenere ſumma Piſana & Roſella, verbo.eleemoſyna. Nam dicunt iſti doctores, ꝙ nemo in aliquo caſu tenetur diminuere de ſuo ſtatu, & cõmoda ratione ſuæ vitæ, vt alteri ſubueniat. Vnde dicunt conſequenter, quòd eo tempore, cum propter tritici inopiã multi fame pereunt, non tenentur diuites ad huiuſmodi inopiam leuandam, de ſuo ſtatu diminuere. Et ad id probandum adducunt D.Tho. qui articulo ſequenti dicit, quòd aliquem diminuere ſuum ſtatum, & ea, quæ ſunt ſtatui neceſſaria dare pauperibus extremè indigentibus eſt laudabile. Ex quo inferunt illud non eſſe in præcepto, ſed tantum in conſilio. Ea enim quæ ſunt in præcepto neceſſario debent fieri.

2.ſententia ¶ Secunda ſententia eſt, quæ aſſerit, ꝙ quamuis teneamur facere eleemoſynam de bonis pertinẽtibus ad propriam perſonam, in aliorum extrema neceſsitate, non tamen tenentur diuites in communibus neceſsitatibus de bonis ſimpliciter ſuperfluis eleemoſynam facere. Hanc ſententiam tenet Alexander Alenſ.4.p.q.113.memb.1.quẽ ſequuntur Gabriel.in.4.diſt.16.q.4.art.2. concluſione.5. & Gerſon in regulis moralibus.p.2.alphabeto.32. Vbi dicit licitum eſſe retinere ſibi bona ſuperflua ad naturã, & ſtatum, quando non occurrit pauper in mortis articulo.

3. ſententiã D.Thom. ¶ Tertia ſententia eſt, quæ in vtroq; caſu concedit eſſe præceptum de eleemoſyna facienda, ſcilicet, in extrema neceſsitate de bonis neceſſarijs perſonæ, & in communibus neceſsitatibus de bonis ſimpliciter ſuperfluis. Hanc tenet expreſſe D. Thom. in 4.d.25.q.1. & idem Alexan. ſupra citatus.

3.part.q.65. Vbi dicit peccare hominẽ mortaliter in duobus caſibus, non conferendo eleemoſynã. Primus eſt, quãdo pauper eſt in extrema neceſsitate. Alter quando eſt in notabili neceſsitate, licet non extrema, & diues habet opes ſuperfluas. Idem tenet Lyra ſuper primam canonicam Ioan. cap. 3. & Conrad. in lib. de contract. q. 13. & Ricard. & Paludanus. in quarto. diſt. 15. q. 2.

1. Concluſio. ¶ In hoc tamen ſit prima concluſio. Ius diuinum, & naturale præcipit, vt eleemoſynam faciamus. Et quidem quod ius diuinũ hoc præcipiat eſt res manifeſta. Nam Deuterono. cap. 15. dicitur. Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ: idcircò præcipio tibi, vt aperias manum tuam fratri tuo egeno, & pauperi. Et Eccleſ. c. 4. Eleemoſynam pauperis ne defraudes, nec auertas ab eo oculos tuos. Et Prouer. 21. Qui obturat aurem ſuam ad clamorem pauperum, ipſe clamabit, & non exaudietur. Et primæ ad Timoth. cap. vltimo. Diuitibus huius ſeculi præcipe facile tribuere. Et ſine dubio vera vis huius præcepti cõtinetur. 1. Ioan. c. 3. dum dicitur: Qui habuerit ſubſtãtiam huius ſeculi, & viderit fratrem ſuum neceſſe habere, & clauſerit viſcera miſericordiæ ſuæ ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo. Sed quod hoc etiam pertineat ad præceptum naturale, probatur. Nam quilibet tenetur iure naturali alijs facere, quod ſibi ab alijs in ſimili caſu iuſtè fieri velit: & in hoc Chriſtus Matth. 7. videtur totam legẽ fundaſſe: ſed vnuſquiſq; in neceſsitate conſtitutus iuſte vellet ſibi ab alijs ſubueniri: ergo ipſe etiã iure naturæ tenetur alijs ſubuenire dãdo eleemoſynã. Secũdò, Lex naturæ præcipit, vt diligamus proximũ, nõ ſolũ affectu, ſed etiã effectu, non enim eſt verus affectus, quãdo nõ ſequitur effectus poſsibilis, iuxta illud. 1. Ioã. 3. Filioli mei nõ diligamus verbo, nec lingua, ſed opere, & veritate: ergo lex naturalis præcipit, vt indigenti

Præceptum de facienda eleemoſyna reducitur ad quartum Decalogi. eleemoſynam faciamus. Sed dubitabit aliquis hoc loco. Si eſt præceptũ naturale de danda eleemoſyna, ad quod nã præceptum decalogi illud reducatur. Ad quod breuiter reſpondeo, quod reducitur ad quartum præceptum decalogi de honoratione parẽtum. Ita tenet Ricard. in. 4. diſt. 15. ar. 2. q. 2. & D. Tho. eadem diſt. q. 2. arti. 1. quæſtiũcula. 4. Et probatur primo ex illo Paul. 2. ad Timoth. c. 4. Pietas autem ad omnia vtilis eſt, habens promiſsionem eius vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ. In quibus verbis Paulus alludit ad præceptum de honorãdis parentibus, cui hæc repromiſsio addita eſt, Vt ſis longæuus ſuper terram: ſed ſub pietate continetur quælibet elargitio eleemoſinæ, ergo eleemoſyna reducitur ad quartũ præceptum. Item, Nomine parentum, vt dicit D. Thom. loco citato quilibet homo intelligitur, & nomine honoris in ſcriptura, vt ſuper ſecundum Machabæorum adnotauit D. Hieronymus, non ſolum intelligitur, qui in ſalutationibus & officijs deferendis, ſed etiam qui in eleemoſynis, & munerum largitionibus conſiſtit, & ſic honorare idem eſt, ꝙ liberalitate proſequi. Prouer. 3. Honora Dominũ Deum tuum de tua ſubſtãtia, & Tobiæ. 1. Cum de his, à quibus fuerat honoratus habuiſſet decẽ talẽta, & 1. ad Timot. 4. Honora viduas, quæ vere viduæ ſunt, & paulò inferius, Qui bene præſunt presbyteri duplici honore habeantur, hoc eſt, non tantũ tribuatur illis debita veneratio, ſed etiam eorum vitæ neceſſaria ſuppeditentur: ergo præceptum de eleemoſyna facienda ad quartũ præceptum reducitur.

¶ Secunda concluſio. In caſu extremæ neceſsitatis tenẽtur homines ex præcepto facere eleemoſynam de bonis ad perſonam neceſſarijs. Itaq; tempore, quo reſpublica ità fame laborat, vt propter inopiam panis aliqui pereunt, tenẽtur diuites minuere ſtatum ſuum, & aliquid de ſumptu quotidiano detrahere, vt hac ratiõe pauperibus ſubueniant. Hanc concluſionem tenent autores ſupra citati. Et probatur, Ordo charitatis eſt in præcepto, vt tenet cõmunis ſententia Theologorum, ſed ſecũdum illum ordinem vita ſpiritualis proximi anteponitur vitæ noſtræ corporali, & vita corporalis proximi anteponitur reliquis meis bonis: ſed decentia mei ſtatus eſt bonum quoddã temporale: ergo erit poſtponendum vitæ corporali proximi, atque ex conſequenti in caſu extremæ neceſsitatis tenemur ex præcepto facere eleemoſynam de bonis ad perſonã neceſſarijs. Secundo, Quãuis verũ ſit, quod in eodem caſu, & in æquali neceſſitate magis teneor ſubuenire propinquo, quam extraneo, tamen etiam eſt verum, ꝙ in quocunque caſu teneor ſubuenire propinquo, teneor ſubuenire extraneo, dummodo ambo ſimul non concurrant. Sed ſic eſt, ꝙ ſi frater meus eſſet in extrema neceſſitate, tenerer diminuere ſtatum meum ex aliqua parte ad ſubueniendum illi, ergo idem teneor facere in aliorum extrema neceſsitate.

2. Concluſio.

ceſsitate.Itē, ponamus duos homines, vnū diuitem, quamuis non ſuperfluum, alterū pauperem, & poſitum in extrema neceſsitate, petentemque à diuite, vt ſe adiuuet, diues autem renuat, & in iſto caſu quęramus à philoſopho morali, vtrum diues diligat pauperem, ſicut ſeipſum. Certū eſt, quòd philoſophus reſpondebit negatiuè: ergo contra ordinem charitatis eſt, ſi diues in tali caſu pauperi non ſubueniat, cum aliqua diminutione ſui ſtatus, atque ex conſequenti peccat mortaliter. Denique hæc concluſio probatur ex D. Tho. 2. 2. quæſt. 66. art. 7. & q. 118. artic. 4. dicente, quòd homo ex præcepto tenetur erogare eleemoſynā, vel propter neceſsitatem pauperis, vel propter ſuperfluitatem habentis. Vbi eſt ponderandum, quòd diſtinguit teneri ad dandā eleemoſynam propter neceſsitatem pauperis ab eo, quod eſt dare eleemoſynam propter ſuperfluitatem habentis, quaſi ſignificans, quod aliquando tenetur homo dare eleemoſynam ſi proximus eſt in neceſsitate, quamuis conferens nō habeat ſuperfluum. Idem etiam tenet Caietanus in opuſculo de eleemoſyna cap. 2. & Syluester verbo, eleemoſyna. §. 2. Et ad D. Tho. qui articulo ſequenti dicit, quòd aliquem diminuere ſuum ſtatum, & ea, quæ ſunt ſtatus neceſſaria dare pauperibus extremè indigentibus eſt laudabile, reſpondetur cum Caietano in illo opuſculo de eleemoſyna cap. 5. & cum Medina in cap. de eleemoſyna, quòd D. Tho. eo in loco non accipit laudabile, pro vt opponitur neceſſario ſed pro vt opponitur vituperabili, ſeu inordinato. Nam cum in eodem articulo dixiſſet inordinatum eſſe eleemoſynā facere de neceſſarijs ſtatui, excipit ab illa regula tres caſus, in quibus homo laudabiliter facit dando eleemoſynā de neceſſarijs ſtatui, hoc eſt, honeſte. Et ꝙ hic ſit ſenſus D. Tho. poteſt etiam probari ex titulo illius articuli, in quo non quærit vtrum ſit præceptum de danda eleemoſyna, ſed vtrum debeat homo facere eleemoſynam de neceſſarijs. Et reſpondet quod in illis tribus caſibus eſt laudabile, hoc eſt, tenetur id facere.

3. Concluſio. ¶ Tertia concluſio. Homines tenentur facere eleemoſynam de ſuperfluis naturæ, & perſonæ, extra caſum extremæ neceſsita

culo in ſolutione ad ſecundum & infra. q. 66. art. 7. & q. 87. ar. 1. ad. 4. Vbi dicit, quòd in lege noua non ſolum decimam partem, ſed omnia bona ſuperflua iubet Deus dare pauperibus: & q. 118. art. 4. ad. 2. aperte ſatetur teneri homines ad dandam eleemoſynā propter ſuperfluitatem eorum, quæ habet, & quodlibet. 8. art. 12. tenet expreſſe eandem ſententiam, & in. 4. diſt. 15. q. 2. art. 1. quæſtiuncula. 4. Eandem tenēt Caietanus in hoc articulo & Opuſculo de eleemoſyna cap. 2. Syluester verbo, eleemoſyna. §. 2. Nicolaus de Lyra, & Dionyſius Chartuſia. in illa verba. 1. Ioan. 3. Qui habuerit ſubſtātiam huius mundi. Conrad. de contract. q. 19. Et videtur eſſe ſententia D. Hieronymi & refertur in Decretis cap. hoſpitalitatem. 42. d. vbi dicit: Aliena rapere conuincitur, qui vltra neceſſaria ſibi retinere probatur. Et D. Ambroſius, & refertur cap. ſicut. 47. diſtinct. dicit: Proprium nemo dicat, quod eſt commune, quod pluſquam ſufficeret ſumptui etiam violenter obtentum eſt, & paulò inferius: Nec enim minus eſt criminis habenti tollere, quā cum poſsis & abundans ſis indigentibus denegare. Cui conſonat D. Baſilius in homil. contra diuites auaros, cuius verba referuntur à D. Tho. hic in ſolutione ad ſecundum. Et D. Auguſtinus in epiſtola ad Macedonium, & refertur. 14. q. 4. cap. quid dicam. multa dicit de hac re, & in quodam ſermone de tempore inquit: Quicquid, excepto victu mediocri, & naturali, nobis ſuperfuerit non nobis dedit illud Dominus, ſed per nos alijs tranſmiſit erogandum: & ſi non dederimus quæ ſuperſunt, aliena inuadimus. Item Beda ſuper illud Lucæ cap. 11. Quod ſupereſt date eleemoſynam, dicit, quod illis verbis iubemur ſuperflua pauperibus erogare. Et ſuper illa verba Matthæi. 19. Impoſsibile eſt diuitem intrare in regnum cælorum, dicit Theophylactus: Hoc eſt de illis intelligendum diuitibus, qui retinent diuitias ſuperfluas, cum alij non habeant neceſſaria. Sed probatur noſtra concluſio teſtimonijs ſacræ ſcripturæ. Et primo ex Paulo: 1. ad Timotheum c. vltimo dicente. Diuitibus huius ſeculi præcipe, non ſublime ſapere, nec ſperare in incerto diuitiarum, ſed in Deo viuo, qui præſtat omnia nobis abundè ad fruendum, be-

non facit eleemoſynam, niſi in aliorum extrema neceſsitate, talis non facile tribuit, ergo diuites tenentur facile tribuere, hoc eſt, facere eleemoſynã extra extremam & grauiſsimam neceſsitatem. Item.1.Ioan.cap.3. dicitur: Qui habuerit ſubſtantiam huius mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſe habere, & clauſerit viſcera miſericordiæ ab eo quomodo charitas Dei manet in eo? Ex quo loco ſic argumẽtor. Qui habent ſuperfluas opes habent ſubſtantiam huius mundi, & illi, qui premuntur Inopia habent neceſsitatem, quanuis non extremam: ergo ſi clauſerint viſcera miſericordiæ ab illis non habebunt charitatem, atque ex conſequenti peccabunt mortaliter. Nec valet, ſi dicatur, quod illud teſtimonium Ioannis eſt intelligendum de extrema neceſsitate proximorum. Nam in caſu extremæ neceſsitatis, non ſolùm diuites tenentur facere eleemoſynam, ſed etiam agricolæ, & operarij. Loquitur ergo D. Ioannes propriè de diuitibus, qui extra caſum extremæ neceſsitatis tenentur facile tribuere de ſibi ſuperfluis. Item ratione ſic argumentor. Omiſsio eleemoſynæ etiam extra caſum extremæ neceſsitatis punitur æternæ beatitudinis priuatione: ergo eſt peccatum mortale, atque ex conſequenti illã facere eſt io præcepto. Conſequentia eſt nota, & antecedens probatur exemplo diuitis epulonis, de quo fit mentio apud Lucam, qui damnatus dicitur propterea quod Lazaro pauperi oon fecit eleemoſynam: & tamen certum eſt, quòd Lazarus non erat in extrema neceſsitate. Et Matthæi.cap.25. dicit Chriſtus: Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & Angelis ei⁹. Eſuriui enim & noo dediſtis mihi manducare: ſitiui, & non dediſtis mihi bibere: hoſpes eram, & nõ collegiſtis me: nudus, & non operuiſtis &c. Quibus verbis ponuntur cauſæ damnationis hominum: & tamẽ certum eſt, quod non omnia illa importãt extremam neceſſitatem, cum aqua paſsim inueniatur, & per viſitatiooem infirmi & incarcerati non tollatur extrema neceſsitas. Nec etiam eſt vero ſimile, quòd omnibus damnatis occurrerint extremæ neceſsitates, quibus illi nõ ſubuenerint. Et confirmatur. Nam in condemnatione Sodomæ, cuius crimina erant grauiſsima, & notiſsima, etiam hęc aſsignatur dicente Domino Ezechi. cap. 16. Hæc fuit iniquitas Sodomæ ſororis tuæ, ſuperbia, ſaturitas panis, & abundantia, & otium ipſius, & filiarum eius, & manum egeno & pauperi non porrigebant: ergo homines tenentur facere eleemoſynam extra caſum extremæ neceſsitatis de ſuperfluis. Item ex charitate, qua proximum diligimus, tenemur illi velle decentiã ſtatus, & cõmodam vitę degendæ rationem, quod bonum proximo eſt maius, & præſtaotius, quam illud bonũ, quod nobis prouenit ex poſſeſsione & retentione ſuperfluarum opum: ergo ex ordine charitatis, tenemur præferre decentiam ſtatus proximorum poſſeſsioni ſuperfluæ diuitiarum, atque ex conſequenti diuites tenentur facere eleemoſynam de ſuperfluis extra caſum extremæ neceſsitatis. Et confirmatur: quia alias ſequeretur, quòd poſſet eſſe aliquis homo multis diuitijs affluens, qui toto vitæ tempore non eſſet elargitus eleemoſynã, & tamen eſſet in ſtatu ſalutis, conſequens autem eſt abſurdum, & contra communem ſenſum Eccleſię, ergo illud ex quo ſequitur. Probo ſequelam. Nam poſſet contingere, quòd nullus pauper in extrema neceſsitate conſtitutus illi occurreret, extra quem caſum, vt tenet oppoſita ſententia, nullus ex præcepto tenetur facere eleemoſynam. Item bona ſuperflua diuitum ſunt pauperum, ſaltim quantum ad vſum, vt docet D. Tho. in hoc articulo in ſolutione ad ſecundum ex ſenteotia D. Baſilij & Ambroſij: ergo diuites non tribuendo illa pauperibus peccant mortaliter. Probo cõſequentiam: nam priuant eos illis bonis, quæ ſunt ſua, quantum ad vſum. Vltimo, vt ſupra diximus, nullus ſanæ mentis poterit dicere, quòd ego verè diligor ab eo, qui cum poſsit ſine aliquo ſuo incommodo, & detrimento ſubleuare meam inopiam, noo ſubleuat: ſed ſic eſt, quòd diuites poſſunt ſine aliquo ſuo iocommodo ſubleuare indigentiam pauperũ: ergo ſi id non faciunt: nõ verè diligũt eos, ſicut ſeipſos: atque ex conſequenti peccant mortaliter.

Argumentum contra primam conclusionem.

¶Sed ſunt argumenta quædam, quæ fiunt à doctoribus tenentibus contrariam ſententiam, quæ opus eſt, vt à nobis proponantur, & diſſoluantur. Primo contra primam concluſionem argumentor ſic. Sufficienter ſubuenitur pauperibus in extrema neceſsitate exiſtentibus per hoc, qood illis bona dentur mutuò: ergo nunquam tenemur facere eleemoſynam. Conſequentia patet, nam eleemoſyna eſt gratuita donatio, & probatur antecedens. Ex charitate

non

non tenemur ſubuenire proximo, niſi quatenus eſt opus ad illius miſeriam ſubleuandam: ſed ad hoc eſt ſatis mutuo dare: ergo non tenemur gratis dare. Et confirmatur exemplo Iacob. cap.25. qui Eſau fratri ſuo eſurienti noluit dare pulmentum gratis: & de Tobia legimus quòd dedit Gabello grauiter indigenti, nō gratis, ſed mutuò ea, quę ſibi opus erant ad ſubueniendum ſuæ neceſsitati: & Ioſeph. Geneſ.47. Egyptios extrema fame laborantes noluit tritico iuuare gratis, ſed accepto precio. ¶ Item idem probatur ex multis caſibus, qui quotidie incidunt. Nam ſæpe accidit, quòd aliquis indigeat meo equo ad fugiendum hoſtem, & tamen certum eſt, quod non teneor illi gratis donare, ſed ſatis erit vel vendere, vel accommodare. Item, ſi aliquis inuaſus à latrone non poſſet vitare periculum, niſi det centum aureos, quos ego habeo, & ipſe non habet, certum eſt, quod non teneor illi gratis dare, ſed ſatis eſt mutuare.

Sententia Adriani. ¶ Propter hæc argumenta Adrianus in 4. in materia de reſtitutione in quæſtione qua quęritur, vtrum qui rapit aliena in maxima neceſsitate teneatur illa reſtituere, tenet indiſtinctè, quòd nemo tenetur dare eleemoſynam: ſed ſatis eſt, ſi det indigenti mutuò. Quæ ſententia ſine dubio vniuerſaliter accepta eſt falſa, & non ferenda. Idq; *Impugnatur Adrianus.* ità eſſe ſatis colligitur ex illis argumentis, quæ fecimus ad probandum eſſe præceptū de danda eleemoſyna: nam ſecundum communem ſenſum, & interpretationem doctorum, nomine eleemoſynæ intelligimus donum gratuitum. Et præterea probatur ex illo Lucæ. cap.14. Cum facis conuiuium voca claudos, pauperes, debiles, & cæcos, & beatus eris, quia nō habent retribuere tibi. Et Samaritanus, de quo meminit Chriſtus Lucæ cap.10. gratis, & ſine vlla mercede benefecit homini ſaucio, qui incidit in latrones. Cuius exemplum poſtquam expoſuit Chriſtus adiecit ſtatim: Tu fac ſimiliter, & viues: quaſi ſignificans nos debere gratis ſubuenire proximis in neceſsitate exiſtentibus. Et ratio eſt manifeſta. Nam ſi licitum eſſet diuitibus nunquam dare eleemoſynam, ſed ſatis eſſet dare mutuò, ſequeretur, quod homines pauperes tenerētur reſtituere, & ex conſequenti operam dare, vt pararent opes ad reſtituendum, conſequens autem eſt abſurdum: nam ſic non eſſet eis liberum viuere in euangelica paupertate, nec intrare religionem, quod eſt falſum: ergo illud, ex quo ſequitur. Probo ſequelam: nam qui accipit rem mutuò ex iuſtitia tenetur illam reſtituere, & ſi non eſt potens tenetur dare operam, vt habeat, vnde reſtituat.

Pro ſolutione argumentorum & explicatione veritatis nota. 1. ¶ Sed, vt reſpondeamus ad argumenta facta, & ſimul explicemus, quid in hac re ſit dicendum oportet aduertere primo, quòd pauperes ſunt in duplici differentia. Quidam enim ſunt ſimpliciter pauperes, qui nec in præſenti, nec in ſpe, nec in hoc loco, nec in alio habent aliqua bona, nec ſciunt aliquam artem, nec ſunt valentes, aut robuſti ad tolerandos labores, quales ſunt ſenes, & imbecilles. Alij pauperes ſunt non ſimpliciter, ſed ſecundum quid, ideſt, pauperes in hoc loco, & non in alio, in hoc tempore, ſed poſtea ſunt futuri diuites, vel quia callent aliquod officium, & ſunt valentes corpore, & viribus.

Nota. 2. ¶ Secundo eſt aduertendum, quòd qui ſunt in aliqua indigentia interdum indigent re parua, quales ſunt neceſsitates naturales, in quibus paruo opus eſt, interdum autem indigent magna re, quales ſunt neceſsitates, quæ per iniuriam inferuntur: vt qui, verbi gratia, inuaſus à latrone non poteſt vitam redimere, niſi magno precio.

1. Dictum. ¶ His conſtitutis dico primo, quòd ſi ille, qui dat habet bona ſimpliciter ſuperflua, & ille, qui accipit eſt ſimpliciter pauper, ſiue talis indigeat parua re, ſiue magna, ſiue ſit in extrema neceſsitate, ſiue extra extremam, id, quod illi datur, debet gratis donari, nec ſatis eſt dari mutuo. Probatur manifeſte. Nam illa bona ſuperflua ex lege naturę, & ex lege diuina ſunt ordinata ad vſum pauperum: & quamuis dominiū illorum bonorum ſit penes ipſos poſſeſſores, non tamen habent aliquem legitimū vſum præter hunc vnum, ſcilicet, ſuſtentationem pauperum, vel reipublicæ.

2. Dictum. ¶ Dico ſecundo, quòd ſi ille, qui daturus eſt, habet tantum bona neceſſaria vitę, & perſonæ ſuæ, & pauper, qui accepturus eſt, eſt ſimpliciter pauper, & conſtitutus in extrema neceſsitate, ſi illi poteſt ſubuenire parua re, ea res gratis eſt illi donanda. Si autem non poteſt illi ſubuenire, niſi magna re, in tali caſu, prædictus diues ſatisfacit præcepto charitatis mutuando, ea lege, vt reſtituat, ſi poſtea perueniat ad pinguiorem fortunam.

3. Dictum. ¶ Dico tertio quòd, ſi loquamur de pauperibus, qui non ſunt ſimpliciter pauperes,

res, ſed pro tempore, & loco, tales ſiue indigeant magna re, ſiue parua, & item, ſiue illi, qui daturi ſunt habeant ſuperfluas res, ſiue non, illis ſatis erit mutuare. Et ratio eſt manifeſta: nam illi ſimpliciter non indigent aliorum opibus, ſed habent vnde ſibi poſſint ſubuenire. Et hoc ſolum probant exempla adducta in argumento.

Ad arg. Nam Eſau quanuis valde eſuriret, habebat tamen vnde parare ſibi cibum poſſet: & Gabellus ille erat diues in ſua vrbe: & AEgyptij habebant agros, & prædia, & ſupellectilem domeſticam, quarum rerum pretio poterant comparare ſibi triticum. Et ad argumentum principale reſpondetur negando antecedens. Et ad probationem dico, quòd ſi illa maior propoſitio, ſcilicet, Ex charitate non tenemur ſubuenire proximo, niſi quatenus opus eſt ad illius miſeriam ſubleuandam intelligatur de quantitate rei donandæ, verum eſt: nam ſi eget duobus, non debeo dare tres. Si autem intelligatur de modo donationis faciendæ, falſum eſt. Nam, vt conſtat ex caſibus ſupra poſitis tenemur dare gratis, & non mutuò. Hæc dicta ſint de argumentis contra primam concluſionem.

1. Argum. contra ſecundam concluſionem. ¶Contra ſecundam concluſionem à nobis poſitam argumentantur autores contrariæ ſententiæ hoc modo. Nam ſi eſſet vera ſequeretur, quòd ſi ad ſubueniendum pauperi extremè indigenti opus eſſet, vt princeps, vel nobilis homo ſuum ſtatum minueret, ad id teneretur, conſequens autem eſt abſurdum, & contra communem ſenſum doctorum: nullus enim talem hominem ad id obligaret, ergo & illud, ex quo ſequitur. Probo ſequelam: nam eadem ratio eſt in iſto caſu, & in alijs.

2. Argum. ¶Secundo, Vir prudens, ſapiens, & bonus poteſt pro conſeruatione ſui ſtatus mortem oppetere: ergo non tenetur vitam aliorum conſeruare de neceſſarijs ad ſtatum. Antecedens eſt manifeſtum, & conſequentia probatur. Nam ſi poteſt præferre ſuum ſtatum ſuæ vitæ propriæ, multò magis poterit præferre vitæ aliorum.

Ad. 1. arg. Ad primum argumentum nonnulli reſpondent quòd eſt duplex neceſſitas: vna, quæ prouenit à cauſa interiori, qualis eſt neceſſitas famis, aut ſitis: alia, quæ prouenit à cauſa exteriori, qualis eſt illa, quæ prouenit à latronibus aliquem occidere volentibus, niſi eis maxima argenti, vel auri ſumma conferatur. Inter quas neceſſitates hoc eſt diſcriminis, quod ad ſubleuandam neceſſitatem prioris generis ſufficit parua res: ad ſubueniendum autem neceſſitati alterius generis interdum eſt neceſſarium magnos ſumptus facere. Quo poſito dicunt, quòd ſecunda concluſio eſt intelligenda de neceſſitate extrema, quæ prouenit ab intrinſeco, ad cuius liberationem non eſt opus facere magnos ſumptus. Et non eſt intelligenda de neceſſitate proueniente ab extrinſeco: ex quo fit, vt nunquam poſſit euenire caſus in argumento poſitus. Sed hæc ſententia meo iudicio eſt falſa. Vnde dico, quòd tenemur ſubuenire proximorum neceſſitati extremæ de bonis neceſſarijs ad ſtatum, vel mutuando, vel eleemoſynam faciendo ſecundum regulas à nobis ſuperius propoſitas, ſiue illa neceſſitas proueniat ab intrinſeco, ſiue ab extrinſeco. Et ratio eſt: nam cauſa, propter quam obligamur ſubuenire proximo, eſt neceſſitas illius: & quia ordo charitatis & amicitiæ non patitur, vt amicum in neceſſitate poſitum deſeramus. Sed quòd illa neceſſitas proueniat, vel ab intrinſeco, vel ab extrinſeco, illud eſt per accidens, nec vllo modo minuit obligationem ſubueniendi, ſi modo neceſſitates ſint pares: ergo etiam in illo caſu tenemur. Et confirmatur. Certum eſt, quòd quiſque tenetur pro ſua virili defendere vitam innocentis, cùm inuaditur ab hoſte, etiam cum aliqua iactura, & periculo ſuarum rerum: ſed certum eſt, quod illa neceſſitas eſt ab extrinſeco: ergo æqualis eſt obligatio, quando neceſſitas eſt ab extrinſeco, & quando eſt ab intrinſeco. Ad argumentum reſpondetur negando ſequelam. Primo, quia maius bonum, & vtilius reipublicæ eſt, quòd princeps, & nobilis homo ſuum ſtatum conſeruet, quam quòd vita alicuius priuati hominis ſaluetur. Secundo, quia quãuis vita in vniuerſum loquendo, præferatur reliquis bonis temporalibus, tamen poſſunt eſſe tantæ diuitiæ ex vna parte, & ex alia vita hominis tam vilis, & inutilis reipublicæ, vt diuitiæ meritò ſint præferendæ. Verum tamen eſt, quod ſi premeretur extrema inopia, non aliquis vnus homo, ſed tota reſpublica eſſet adducta ad extremum periculum, vt ſolet accidere in annis ſterilibus, in tali caſu, ſi neceſſarium eſſet tenerentur facere iacturam ſui ſtatus, non ſolum diuites, & comites, ſed ipſe rex. Sed iſti caſus ſunt metaphy-

taphyſici.

Ad.2.arg. ¶ Ad ſecundum argumentum reſpondet Syluester loco citato, ſimpliciter negando antecedens, quia vita eſt maius bonum, quam ſtatus. Sed poſſumus probabilius reſpondere diſtinguendo antecedens. Nam ſi ad amiſsionem bonorum, & ſtatus ſequitur grauis ignominia, in tali caſu licitum eſt, mori pro tali ignominia, & pro conſeruando ſtatu. Si autem ex amiſsione ſtatus non ſolum non ſequitur ignominia, ſed potius ſequitur honos, vt cõtingit cum aliquis conſumit bonam partem ſuarum rerum in vſus honeſtos, atque laudabiles, tunc non licet mortem oppetere pro conſeruando ſtatu. Et huiuſmodi caſus ſunt, de quibus loquimur. Et hæc dicta ſint de argumentis contra ſecundam concluſionẽ.

1. Argum. contra tertiã concluſionẽ. ¶ Contra tertiam concluſionem argumentor ſic. Nam ſi ea eſſet vera, ſequeretur, quod maxima pars diuitum damnaretur, ſiquidẽ paucíſsimi ſunt, qui ſuperflua dant pauperibus: conſequens autem videtur abſurdum, ergo. *2. Argum.* ¶ Item ſequeretur, quod nulli liceret ſtatum mutare aſcendendo ad altiorem, ſi omnia ſuperflua, vt diximus ſunt eroganda pauperibus, conſequens autem eſt contra experientiam, & contra cõmunem ſenſum doctorum, ergo.

Ad.1.arg. ¶ Ad primum reſpondetur concedendo ſequelam, cum Chriſtus dicat, impoſſibile eſſe diuites intrare in regnum cœlorum, & Diuus Paulus: Qui volunt diuites fieri incidunt in laqueum, & in tentationem diaboli, & in deſideria vana, & nociua, quæ mergunt homines in profundum. *Ad.2.arg.* ¶ Ad ſecundum vt reſpondeamus primo dico, quòd non omnes poſſunt mutare ſtatum. Nam primo certum eſt, quòd eccleſiaſtici non poſſunt mutare ſtatum, ſed tenentur omnia, quæ ſuperfuerint pauperibus erogare. Nec etiam poſſunt mutare ſtatum officiales, qui ſuo artificio victum quærunt. Nec, quanuis quotannis ſubducta enim ratione, ſuperſint ſibi centum aurei ad nullum vſum neceſſarij, poſſunt dicere, quod volunt illos ſeruare ad ſtatum mutandum, tum, quia illi per pauci ſunt ad huiuſmodi permutationem faciendam, tum etiam, quia moraliter loquendo eſt impoſsibile, quod tales homines ſtatum mutent. Nec etiam omni tempore licitum eſt alijs ſtatum mutare. Nam ſi in ciuitate ſint graues neceſsitates, & multæ, quibus in primis eſt ſubueniendum, non licet eo tempore ſtatum mutare. Nec etiam eſt licitum mutare ſtatum illis, qui habent conſanguineos graui neceſsitate oppreſſos, ſed illis prius eſt ſubueniendum. Dico ſecundo, quòd, ſi nihil iſtorum interueniat, quæ impediant ſtatus mutationem, & aliàs ſit homo eiuſmodi, qui poſsit mutare ſtatum, & probabiliter exiſtimat, quod ad ſtatus mutationem perueniet, in tali caſu poterit retinere ſuperfluum ad huiuſmodi vſum: nec tunc illa bona inter ſuperflua ſunt computanda. Et per hoc etiam patet ſolutio ad aliud argumentum quod in hac re ſolet fieri, ſcilicet, Diuites poſſunt de bonis ſuperfluis erigere templum, & capellanias inſtituere: ergo bona ſuperflua nõ ſunt neceſſario pauperibus diſtribuenda. Reſpondetur, inquam, quòd hoc licet facere, quando non occurrunt multę & graues necesſitates proximorum. Nam ſi tales neceſsitates exiſtant, nulla ratione licẽt conſumere bona ſuperflua in dictis rebus, niſi in vno caſu duntaxat, ſcilicet, quando cultus diuinus, & honos Dei periclitatur vehementer ex defectu iſtarum rerum. Atq; hæc eſt noſtra ſententia, quam Diuus Thomas ſine dubio tenet in quarto. loco citato & .2.2. quæſtio. 66. art. 7. & quæſtio. § 7. artic. 1. ad quartum. & quæſtio. 118. artic. quarto. ad ſecundum.

¶ Sed eſt aduertendum, quòd ea, quæ in hoc tempore ſunt ſuperflua, ſi exiſtimantur in poſterum neceſſaria futura, vel mihi, aut filijs, vel conſanguineis, non erunt dicenda ſimpliciter ſuperflua. Vnde licitum erit ea ſeruare: nec tenemur de illis eleemoſynam facere in communibus neceſsitatibus. Et tandem, cum hæc pertineant ad materiam moralem, in qua opus eſt plures circunſtantias conſiderare, illa relinquẽda erunt iudicio boni & prudentis viri, qui iuxta principia à nobis tradita, quid in ſingulis caſibus occurrentibus faciendum ſit determinabit. *Nota.*

¶ Suppoſito iam tanquam certo, quòd eſt præceptum de eleemoſyna facienda, & quod illud obligat in caſu extremæ neceſſitatis omnes, etiam cum detrimento proprij ſtatus: & in communibus neceſsitatibus, diuites de bonis ſuperfluis, vt diximus in tertia concluſione, dubium conſequens eſt, vtrùm illi, qui tenentur eleemoſynas facere poſsint per iudicem compelli adhoc, vt in huiuſmodi caſibus pauperibus ſubueniant. Quod eſt quærere, vtrùm præce- *Dubium.*

ptum de eleemoſyna facienda ſit ſolum præceptum charitatis, & miſericordię, an vero etiam ſit præceptum iuſtitiæ, ita, vt diuites ex iuſtitia teneantur pauperibus ſubuenire, & non ex ſola charitate.

Sententia Nauarri. ℂ Nauarrus in Manuali. cap. 24. num. 5. & in tractat. de redditibus eccleſiaſticis quæſtio. prima. num. 16. & ſuper caput, inter verba. 11. quæſtio. tertia. num. 7. & 14. tenet quòd homines ſolum tenentur adhoc ex lege châritatis, & nullo modo ex lege iuſtitiæ. Eandem ſententiam tenet Soto libro quinto de iuſtitia & iure. quæſtione quinta. articulo quarto. & Gloſſa in cap. ſicut. quadrageſimaſeptima diſtinctione. & in capitulo. domino ſancto. quinquageſima diſtinctione. & Abbas, in capitulo. ſi quis propter neceſsitatem extremam. de ſectis. & plures alij Canoniſtæ, quos citat Tiraquellus in tractat. de nobilitate. capit. 29. nume. 44. Qui omnes dicunt pauperibus non competere actionem aduerſus diuites, ita, vt poſsint illos coram iudice conuenire, etiam ſi nolint in caſibus præfatis eleemoſynam erogare.

1. Argum. ℂ Fundamentum Nauarri eſt, quod tradit Soto loco citato. Quia quando aliquis tenetur ex iuſtitia aliquid dare, tenetur ad reſtitutionem, ſi non dat: ſed qui non ſubuenit pauperi extremè indigenti, aut de ſuperfluis dat communiter indigentibus, nihil tenetur reſtituere, quamuis mortaliter peccet, ergo illud præceptum non pertinet ad iuſtitiam, ſed ad charitatem. Et confirmatur. Si in caſibus poſitis bona, quę erant pauperibus eroganda, tribuerentur diuitibus, diuites non tenerentur illa pauperibus reſtituere, ergo non erant debita pauperibus ex iuſtitia, ſed ex charitate.

2. Argum. ℂ Vltimo pauperes non habent ius acquiſitum in bona diuitum, etiam ſuperflua: ergo nullus pauperum habet actionem contra diuites.

1. Concluſio. ℂ In hoc tamen ſit prima concluſio. Siue pauperibus competat actio, ſiue non in articulo extremæ neceſsitatis, poſſunt diuites compelli per poteſtatem, vt pauperibus iuxta eorum neceſsitatem ſubueniant. Ita tenet Adrianus in quarto. quæſtione prima. de reſtitutione. in ſolutione. ad quartum. Vbi dicit, quòd implorando iuſtitiæ officium, debent diuites cogi, vt pauperibus ſubueniant. Et Gloſſa in dicto capit. ſicut. iam citato. §. eſurientium. dicit, quòd quamuis pauperes nequeant contra diuitem directè agere, poſſunt tamen denuntiare eccleſiæ, & eccleſia debet compellere diuitem ad ſubueniẽdum pauperibus. Et ratio eſt manifeſta: nam hoc pertinet propriè ad curam reipublicæ. Ita etiam tenet Archiaconus in capitulo nullus. de iure patronatus. & Felinus in annotationibus ſuper Decretum. diſtinctione quadrageſima octaua. & Diuus Tho. 2. 2. quæſtio. 118. art. 4.

ℂ Secunda concluſio. In extrema neceſsitate conſtituus competit actio contra diuitem, ita, vt poſsint illum coram iudice conuenire, vt ſibi tribuat neceſſaria. Et hæc obligatio eſt de neceſsitate iuſtitiæ. Ita tenet Caietanus. 2. 2. quæſtione. 118. artic. tertio. & quarto. & videtur eſſe ſententia Diui Thomæ. eadem quæſtione. artic. quarto. ad ſecundum. Vbi dicit, debito legali teneri homines eleemoſynam facere in extrema neceſsitate. Ita tenet Franciſcus Sarmiento in tractatu. de redditibus eccleſiaſticis. parte tertia. cap. tertio. concluſio. tertia. Et probatur. Quiſque in extrema neceſsitate conſtitutus poteſt propria autoritate, vel ſecreto per modum furti, vel publicè per modum rapinæ accipere quæ ſibi fuerint neceſſaria à diuite: ergo à fortiori poterit eadem poſtulare coram iudice. Conſequentia eſt nota, & antecedens probatur: nam quiſque iure ciuili, & naturali, & diuino poteſt extremam neceſsitatem à ſe repellere. Secundo, In extrema neceſsitate non eſt habenda ratio iuris humani, quod bona diſtinguit & meum, atque tuum dicere præcipit, quia tale ius in illa neceſsitate præiudicat directè iuri naturali, à quo & ipſa res, & omnia, quæ ad illius conſeruationem ſunt neceſſaria dependent, vt dicit Diuus Thomas artic. ſeptimo, & octauo. huius quæſtionis. Vnde omnes doctores vnanimiter dicunt, quod in extrema neceſsitate omnia ſunt communia: ergo habet pauper ius contra diuitem in illa neceſsitate, quod poteſt coram iudice petere. Probo conſequentiam. Nam, ſi Petrus mihi impediret, ne de rebus communibus, quales ſunt piſces, volucres, feræ & alia huiuſmodi veſcerer, proculdubio faceret mihi iniuriam, & ego poſſem coram iudice petere, vt talis iniuria propulſaretur, ſed in extrema neceſsitate omnia ſunt communia: ergo diues non tribuens pauperi neceſſaria facit illi iniuriam *2. Concluſio.*

Digitized by Google

riam, atque ex conſequenti poteſt cõtra illum corã iudice agere. Tota ratio huius conclusionis fundatur in eo quod extrema neceſsitas facit bona diuitis eſſe communia, atque ex conſequenti impediens pauperem ab illorum bonorum conſequutione facit illi iniuriam, & peccat, contra iuſtitiam.

Dubium grauius. ¶Sed maior difficultas eſt de illis, qui habent ſuperflua, vtrùm ex lege iuſtitiæ teneantur illa tribuere pauperibus, qui ſunt extra extremam neceſsitatem. Doctores ſuperius citati partem tenent negatiuam. Et vltra argumẽta in principio facta facit pro illis: nam extra extremam neceſsitatem bona non ſunt communia, ſed manent propria ipſius poſsidentis: ex quo ſequi videtur, quod pauperes non habent ius, vt illa coram iudice petere poſsint. *3. Concluſio.*

¶In hoc tamen ſit tertia concluſio. Extra extremam neceſsitatem poſſunt pauperes implorare iudicis officium, qui poteſt & debet cogere diuites ſuperflua habentes ad hoc, vt pauperibus ſubueniant. Iſta concluſio videtur eſſe Diui Thomæ qui. 2.2. quęſtio. 118. art. 4. ad ſecundum, dicit, quòd ratione neceſsitatis, & ratione ſuperfluitatis bonorũ tenetur homo ex debito legali eleemoſynã facere. Vbi eſt aduertendũ, quòd eodem modo loquitur de neceſsitate, & de ſuperfluitate. Sed illam tenet Caietanus ſupra illum articulum. Pro cuius explicatione aduertit, quod dupliciter poteſt quis à iudice compelli ad aliquid dandum. Primo, propter debitum alicui certæ perſonæ, vt ſi furatus quis fuiſſet bona alterius, vel aliàs ei debitor eſſet ratione depoſiti, vel mutui. Secundo ratione debiti, non alicui certæ perſonæ, ſed propter bonum commune, vt ſi quis homicidium committat, & nullus conqueratur, poteſt tunc iudex propter bonum iuſtitiæ talem hominem punire. Hoc ſuppoſito dicit, quòd princeps non ratione particularis debiti, ſed propter bonum commune, & vt iuſtitia in diuitijs ſeruetur, poteſt ex officio diuitem nolentem ſuperfluum naturæ, & perſonæ diſtribuere, compellere, vt illud indigentibus diſtribuat, tanquam auferendo diſpenſationem diuitiarum cõmiſſam diuiti, vt ab indigno: nam iuxta ſanctorum doctrinam diuitiæ ſuperfluæ non ſunt diuiti, niſi, vt diſpenſatori conceſſæ à Deo, vt habeat meritum bonæ diſpẽſationis. Itaq; fundatur huiuſmodi legale debitum in hoc caſu ſuper ipſa diuitiarum iniuſtitia: quæ cum in genere boni vtilis ſint, ſuperfluitas non diſpenſata, ſed retenta contra vtriuſque vtilitatem occupatur. Contra retinentem occupatur, quia ſua eſt, vt ſibi proſit diſpenſatio. Contra indigentium autem vtilitatem occupatur, quia, quod in eorũ vſum cedere debet retinetur, & ideò indigentibus fit iniuria, non diſpenſando ſuperflua: quam iniuriam princeps, vel iudex, qui cuſtos eſt iuſti, vel ex officio, vel ad petitionem pauperum auferre poteſt, & debet, ſi conſtat euidenter.

¶Et ad argumentum à nobis factũ paulò ante tertiam concluſionem reſpondetur, quòd quanuis nulli determinato pauperi ſit acquiſitum ius, vt debeatur ſibi id, quod diues habet de ſuperfluo, quia ex arbitrio diuitis pendet diſpenſatio, vt huic, vel illi indigenti tribuatur, eſt tamen acquiſitum ius ipſi bono communi hominum, vt quæ ſuperſunt vni, dentur indigentibus. Et ſic Princeps, cuius eſt curam habere de bono communi, poteſt ex officio ad hoc cogere tales diuites. Et in hoc eſt diſcrimen inter pauperem, quando eſt in extrema neceſsitate, & quando eſt in alia extra extremam, quod quando eſt in extrema ipſamet in particulari habet ius ad bona diuitum ſibi neceſſaria, & poteſt illa capere: tamẽ quando eſt extra extremam non habet ius in particulari, nec poteſt illa accipere. Vnde D. Tho. quodlib. 8. dicit quòd ſi in paupere petente eleemoſynam apparent ſigna extremæ neceſsitatis tenetur diues dare illi: ſi autem non appareant licet diues habeat ſuperflua, & teneatur dare pauperibus, non tamen tenetur dare illi pauperi, ſed poterit cuicunque maluerit tribuere. *Ad argum. poſitum ante tertiam concluſionem.*

¶Et ad argumentum in principio factũ reſpondetur falſum eſſe, quod omnis obligatio, quæ oritur ex iuſtitia obligat ad reſtitutionem. Nam ex iuſtitia tenetur pater alere filium, & filius patrem, vt in lege. ſi quis à liberis. §. ſi quis. ff. de liberis agnoſcendis. Vlpianus definit. Et tamen, ſi nec pater tribuat alimentum filio, nec filius patri in caſu neceſsitatis, neceſsitate tranſacta, nihil tenentur reſtituere: non ergo omnis lex iuſtitiæ præcipiens aliquid dare obligat non dantem ad reſtitutionem. Sed diſtinguendum eſt: nam lex iuſtitiæ dupliciter præcipit aliquid dare. Vno modo ſimpliciter, vt cum quis debet alteri aliquid vel ratione iniuſtæ acceptionis, vel ratione *Ad argum. in principio factum.*

rei acceptę: & tunc talis lex iuſtitiæ obligat non dantem ad reſtitutionem. Alio modo in caſu particulari, vt cum præcipit alimenta præbere in caſu neceſsitatis: & tunc ceſſante neceſsitate ceſſat obligatio: vt contingit in propoſito. Et ſi quis argumētetur: Si aliquis violēter impediat alium, ne piſces, aut volucres accipiat, tenetur ad reſtitutionem, quia illa bona ſunt communia, etiam ſi ille, qui impeditur non ſit in neceſsitate: ergo pari ratione, qui non tribuit eleemoſynam extremè indigenti tenebitur ad reſtitutionem adhuc ceſſante neceſsitate, quia tunc illa bona erant communia, reſpōdetur negando conſequentiam quia volucres, & piſces ſemper manent communes, & nunquam ſunt bona propria impedientis: at vero bona illa, quæ erant pauperibus eroganda in eleemoſynam ſolùm ſunt communia in extrema neceſsitate, qua ceſſante remanent propria poſsidentis, & ſic iuſtè poteſt illa retinere.

Dubium de Eccleſiaſticis.

❡ Sed quamuis regulariter loquendo, nō teneantur homines reſtituere ea bona, quæ pauperibus in eleemoſynā eroganda erant & illa non tribuerunt, adhuc poteſt eſſe dubiū particulare de eccleſiaſticis, vtrùm iſti non facientes eleemoſynam, quando ad id obligantur teneantur ad reſtitutionē.

Id quod eſt certum.

In qua difficultate, vt certa ab incertis ſeparemus, dico primo certum eſſe, quòd eccleſiaſtici arctius tenentur ad eleemoſynas faciendas, quam ſeculares multis rationibus. Primo, ratione officij, ſunt enim velut patres pauperum, & paſtores ouium Chriſti, præcipue ad præbendum eis paſtum ſpiritualem, & minus principaliter ad præbendum corporalem, quatenus ad ſpiritualem ordinatur, inſtituti, vt rectè probat Abulenſis ſuper. 6. c. Matthæi: q. 73. Vnde concil. Trident. ſeſsio. 23. c. 1. de reformatione, inter alia, quæ dicit eſſe diuinitus mādata omnibus quibus cura animarū tradita eſt, ponit pauperum aliarumq; miſerabilium perſonarum curā paternam gerere. Et diſt. 42. c. 1. & ſeq. etiam dicitur, neceſſarium eſſe, vt ordinandus ſacerdos ad imitationē Chriſti pauperes hoſpitio recipiat, & per opera pietatis ſe inſtituat, alioqui indignus erit ordinari. Ex quo factū fuit vt D. Gregorius, & refertur. 85. d. c. Florentinū. vtpote indignum ab Epiſcopatu Archiepiſcopum illū Florentinum repulit, quia nō erat hoſpitalis, id eſt, pauperum exceptor. Pro hoc etiam facit c. fratrem noſtrū. & c. nō ſatis. 86. d. vbi dicitur de ſacerdote grādis culpa eſt, ſi te ſciente fidelis egeat, & ſi ſcias eum ęrumnam perpeti, qui præſertim egere erubeſcit, &c. Incumbit ergo ex officio eccleſiaſticis viris paternam pauperum curam gerere, & hæc eſt prima ratio propter quam arctius tenentur ad eleemoſynas faciendas, quam reliqui ſeculares. Secunda ratio deſumitur ex perfectione ſtatus clericalis: quia quo in perfectiori ſtatu ſunt clerici quam ſeculares, eo ad opera pietatis magis aſtricti cenſentur. Debet enim eccleſiaſticus eſſe omnibus exemplum virtutum omnium, maximè miſericordiæ, cuius opera in ipſo relucere debent. Vnde leges eleemoſynæ faciendæ, quæ obligant ſeculares ad dandum in extrema neceſsitate, aut citra illam de ſuperfluo, arctius obligant Eccleſiaſticos. Et illa, quæ ſeculares iudicant neceſſaria ad ſtatum reſpectu Epiſcopi, ſunt ſuperflua. Seculares enim poſſunt multa ad perſonæ decus, & familiæ ſplēdorem quærere, quæ Epiſcopis nullo modo licet, cum Epiſcopi moderata ſupellectili, & menſa, ac frugali victu debeant eſſe contēti, vt tradit concilium Tridentinum ſeſsio. 25. cap. 1. de reformatione. Poſſunt etiam ſeculares proſpicere vxori, & liberis non ſolum in præſenti, ſed etiam in futurum, cum tamen Eccleſiaſtici non debeant habere filios, niſi ſpirituales, quibus iuxta præſentem neceſſitatem ſubuenire tenentur, potius, quàm in futuras neceſsitates reſeruare, maximè ſi pręſentes ſint graues. Itaq; hęc certa ſunt.

Id in quo dubium exiſtit.

❡ Sed dubium eſt, vtrùm hæc maior obligatio, quę eſt in Eccleſiaſticis ad faciendam eleemoſynam obliget illos ad reſtitutionem quando omittunt facere. Ad cuius declarationem aduertendum eſt, quòd bona Eccleſiaſticorū ſunt in duplici differentia.

1. Notabile.

Quædam enim ſunt patrimonialia, quæ per ſucceſsionem hæreditariam, aut donationem, aut per alios contractus ſibi acquiſierunt, ſicut & Laici. Et de his bonis communis eſt omnium doctorum ſententia, quòd ſunt veri, & legitimi domini illorū. Vnde quamuis de his ſuperflua prodigè conſumant, nec ea pauperibus tribuant nihil tenentur reſtituere. Quin potius dicūt, quòd ſi vltra bona patrimonialia habet clericus eccleſiaſticum beneficium poterit illa patrimonialia bona reſeruare, & redditus beneficij in proprios vſus conuertere. Ita tenet D. Thom. 2. 2. quæſtio. 185. art. 7. ad. 5. & Caietanus ibidem, & Syluester

verbo.

verbo. clericus. quarto. §. duodecimo. & Soto libro decimo de iuſtitia & iure. quæſtione. quarta artic. tertio ad ſecundum. & Innocentius in capit. Epiſcopus. de præbendis. & Hoſtienſis, & Panormitanus, ibidem. & probatur ex capit. cum ſecundum Apoſtolum. de præbendis. Vbi dicitur, quod cùm ſecundum Apoſtolum, qui altario ſeruit, de altario viuere debeat, poterunt clerici de patrimonio Ieſu Chriſti viuere, cuius obſequio ſunt deputati, vt ipſa nominis ſignificatio perſuadet. Idem definitur in concilio Agathenſi, & refertur. prima. quæſtione ſecũda. cap. Clerici. Vbi dicitur, quòd clerici omnes, qui Eccleſiæ fideliter, vigilanterque deſeruiunt ſtipendia ſanctis laboribus debita ſecundum ſeruitij ſui meritum per ordinationem canonum à ſacerdotibus conſequantur.

Obiectio. ¶Et ſi quis obijciat, quod in capit. clericos. prima. quæſtione ſecunda. dicit Diuus Hieronymus. Clericos illos conuenit Eccleſiæ ſtipendijs ſuſtentari, quibus parentum, & propinquorum nulla ſuffragatur bona: qui autem bonis parentum, & opibus ſuis ſuſtentari poſſunt, ſi quod pauperum eſt, accipiunt, ſacrilegium profecto committunt, & per abuſionem talium iudicium ſibi manducant, & bibunt, *Solutio.* reſpondetur primo cum Diuo Thoma, loco citato, textum illum eſſe intelligendum in caſu extremæ neceſsitatis. Tunc enim grauiſsime peccaret Epiſcopus, et ſi ſacerdos, qui cum poſſet ex bonis patrimonialibus viuere, bona Eccleſiæ pauperibus non erogaret, ſed in ſuos vſus illa conuerteret. Adhuc tamen nec tunc teneretur reſtituere, vt aduertit Caietanus quia illa bona eccleſiaſtica ſunt debita miniſtris pro ipſorum ſeruitio. Vel ſecundo reſpondetur cum magiſtro Soto, quod Diuus Hieronymus loquitur pro illo tempore, quo clerici in communi viuebant. Tunc enim dabatur eis optio, vt vel bona, quæ habebant parentibus, ſuiſque neceſſarijs relinquerent, & de Eccleſiæ fructibus cum reliquis pauperibus vitã ducerent, aut ſi mallent ſua retinerent, quæ ſibi ſufficerent: ſed tunc ſumptui parcerent eorum, quæ in communi poſsidebantur. Vel tertio reſpõdetur cum Conrado, quòd verba Diui Hieronymi non ſunt intelligenda de illis bonis Eccleſiæ, quæ pro miniſterio tanquam ſtipendia clericis deputantur, ſed de illis, quæ facta diuiſione bonorum Eccleſiæ, de qua ſtatim dicemus, pauperibus erant ſpecialiter aſsignata. De his enim viuere non licebat clericis, cum aliunde habebant, vnde ſuſtentarentur. Et iſtæ duæ ſolutiones vltimæ magis videntur accedere ad verba ipſius textus. Et quod diximus de bonis patrimonialibus clericorum eſt etiam intelligendum de quibuſcunque alijs bonis ſibi aliunde, quam ex redditibus eccleſiaſticis prouenientibus, vt habet expreſſe Panormitanus, in cap. de epiſcopis & Nauar. & Soto, & alij, eſtq́; diffinitum in cap. fixum. 12. quæſt. 5.

¶Alia bona ſunt eccleſiaſtica, & hęc adhuc ſunt in multiplici differentia. Quędam enim fuerunt collata Eccleſię à fidelibus, vt ex illis viuerent clerici, & pauperes, ſicut Actorum. 4. legitur, quòd omnes, qui habebãt poſſeſsiones, domos, & agros, vẽdebant illa, & offerebant precia ad pedes Apoſtolorum, vt inde ſubueniretur vnicuique ſicut cuique opus erat. Poſteà autem viſum fuit conuenientius non vendere tales poſſeſsiones, ſed tradere illas Eccleſijs, vt ex illis miniſtri, & pauperes tam præſentes quam futuri alerentur, vt tradit Malchiades Papa in cap. futuram. 12. quęſtio. 1. & Vrbanus. in capit. videntes eadem cauſa & quæſtione. Alia bona eccleſiaſtica ſunt, quæ poſtmodum fuerunt eccleſijs oblata, tanquam ſtipendia conuenientia pro clericis, & miniſtris capellanias, & memorias perpetuas celebrantibus, quę cõmuniter appellantur anniuerſaria: nec huiuſmodi bona habentibus alicuius pauperis ſuſtentandi, aut fami ſubueniendi, ſed ſolius memoriæ celebrandæ munus fuit iniunctum. Alia bona eccleſiaſtica ſunt, quæ quotidie clericis tribuuntur pro miſſis, & officijs defunctorum celebrandis, quæ vulgari vocabulo appellantur (*Pie de altar.*) Alia autem & præcipua bona ſunt bona beneficiorum, quæ ex decimis conſtant: de quibus fit mentio. 16. quæſtio. 1. cap. decimæ. & extra. de decimis. per totum.

¶Secundo eſt aduertendum varios fuiſſe eccleſiæ ſtatus. Nam in principio fideles in communi & ex bonis communibus viuebant: qui ſtatus, & modus viuendi decentiſsimus erat, præcipue clericis, ſi commodè ſeruari potuiſſet, vt dicit Clemens Papa in cap. dilectiſsimi. & Vrbanus in cap. videntes. & in cap. ſcimus. 12. quæſtio. 1. Et quando clerici ſic viuebant in communi bona *2. Notabile.*

illa communia commiſſa erant fidei, & diſpenſationi epiſcopi, vt ex illis vnicuique diſtribueret, quidquid cuique opus erat, vt habetur expreſſe in cap. epiſcopus. & in cap. præcipimus. 12. quæſt. 1. Poſteà autem creſcente numero clericorum, cũ non poſſent in communi viuere, & epiſcopi bona illa infideliter diſtribuerent præceperunt Summi Pontifices, vt ex illis bonis communibus quatuor portiones fierent, vna epiſcopo, altera clero, tertia fabricæ, quarta pauperibus diſtribuenda. Nec eſt neceſſe intelligere, quòd omnes illæ portiones æquales eſſent. Iſtam diuiſionem bonorũ eccleſię fecit Simplicius Papa circa annum Domini. 470. in quodam concilio tempore Auguſtini atque Hieronymi celebrato, eiuſque mentio fit in cap. de redditibus. 12. quæſt. 2. Eandem diuiſionem poſteà confirmauit Gelaſius Papa, vt patet ex cap. vobis enim, & ex cap. quatuor. eadem cauſa & quæſtio. & poſtremo B. Gregorius in cap. mos. & in cap. cognoſcimus. ibidem.

3. *Notabile.* ¶ Vltimo eſt aduertendum, ex Caietano infrà quæſtio. 185. art. 7. quod hæc quæſtio an eccleſiaſtici teneâtur reſtituere pauperibus ſuperflua bona eccleſiæ, quæ in illicitos vſus conuerterunt, aut in rebus profanis conſumpſerunt pendet ex alia, ſcilicet, an huiuſmodi bona ſint propria clericorum, an potius communia illis, & pauperibus. Nam ſi ſunt propria excuſantur à reſtitutione: ſi vero ſunt communia tenentur ad reſtitutionem.

1. *Concluſio.* ¶ His ſuppoſitis ſit prima concluſio bonorum, quæ à fidelibus fuerunt data pauperibus, ſi epiſcopi, & alij clerici, ea vſurpauerint, aut pauperibus non erogauerint, tenentur ad reſtitutionem, & à fortiori idem erit dicendum de bonis hoſpitalium. Hæc concluſio habetur in Clemẽtina, quia contingit, de religioſis domibus. & in concilio Tridentino ſeſsione. 25. cap. 8. de reformatione. Et probatur manifeſtè: quia, vt dicit D. Tho. quæſt. 62. art. 1. ad. 3. & Soto lib. 4. de iuſtitia & iure. quæſt. 6. art. 1. ad vltimũ. quando aliquis omittit diſtribuere bona, quæ diſtribuere tenetur ex vi iuſtitiæ commutatiuæ obligatur illa reſtituere: ſed ſic eſt, quod epiſcopus, & quicunque alij clerici quibus ex officio incũbit illa bona diſtribuere ad id tenentur ex vi iuſtitiæ commutatiuæ: ergo ſi non diſtribuant tenebuntur ad reſtitutionem.

2. *Concluſio.* ¶ Secunda cõcluſio. Clerici ſunt veri domini fructuum prouenientium ex poſſeſſionibus eccleſiaſticis, ſibi ratione alicuius miniſterij clericalis conceſsis, atque etiam illorum bonorũ, quæ pro anniuerſarijs, & alijs eccleſiaſticis officijs conſeruntur. Ex quo fit, vt quanuis peccent mortaliter non conferendo pauperibus ea, quæ ex his bonis ſuperfuerint, non tamen tenentur ad reſtitutionem. Hanc concluſionem tenet Soto lib. 10. de iuſtitia, & iure. quæſt. 4. art. 3. & videtur eſſe D. Tho. infra. quæſt. 185. art. 7. & eſt expreſſa ſententia Panormitani in cap. cum eſſet. de teſtamentis. nume. 26. & Nauar. tractatu. de redditibus. quæſt. 1. nu. 7. Et probatur. Pauperes ſunt veri domini illorum bonorum, quæ ſibi in eleemoſynã conferuntur: ergo & clerici illorum, quæ ſibi tribuuntur pro miniſterijs eccleſiaſticis: nec refert, an huiuſmodi bona ſint temporalia, & quotidiana, an vero perpetua. Antecedens eſt manifeſtum, & conſequentia probatur: nam longè maior ratio eſt, propter quam clerici acquirant dominium, quam pauperes. Secundo. Nullo alio titulo melius transfertur dominium, quam libera voluntate conferentis, vt enim habetur inſtituta de rerum diuiſione. §. per traditionem. & de acquirendis rerum dominijs. l. ea ratione. §. literę. nihil eſt tam conueniens æquitati naturali, quàm voluntatem domini liberè transferentis ratam haberi: ſed qui tribuunt clericis bona pro ipſorum miniſterijs volunt illorum dominium in clericos transferre: ergo verè transfertur, atque ex conſequenti clerici habent verum dominium illorum bonorum. Vltimo. Ea, quæ magiſtratibus ciuilibus, & iudicibus tribuũtur pro miniſterio, quo reipublicę ſeruiunt tranſeunt in illorum dominium: ergo & ea quæ conceduntur clericis pro eccleſiæ miniſterio. Probo conſequentiam: nam multo melius ſeruiũt iſti eccleſię, quam illi reipublicæ.

¶ De alijs autem bonis eccleſiaſticis maior eſt difficultas: & in illis oportebit diſtinguere tempora. Nam, ſi loquamur de eo tẽpore, in quo bona eccleſiæ habebantur in communi pro indiuiſo, ſit tertia concluſio.
Epiſcopus tunc non habebat plenũ dominium illorũ bonorũ: ſed ſicut tenebatur tribuere clero, & fabricæ ſuas portiones, ità etiã tenebatur dare pauperibus ſuã, & ſi nõ daret teneretur ad reſtitutionem. Hæc concluſio recipitur communiter ab omnibus doctoribus. Et probatur primo ex capitibus 3. *Concluſ.*

bus ſuperioribus citatis, & præterea ratione. Quia qui pluribus collata ſibi reſeruat non ſolum peccat, ſed etiam tenetur ad reſtitutionem: ſed Epiſcopus non diſtribuens partem illorum bonorum pauperibus retineret ſibi communia: ergo teneretur ad reſtitutionem. Et confirmatur. Si non daret clero, & fabricæ de huiuſmodi bonis portiones debitas teneretur ad reſtitutionem: ergo & ſi non dat pauperibus. Probo conſequentiam: nam domini ità dederunt partem illorum bonorum pauperibus ſicut fabricæ & clero.

Dubium. ¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco, vtrùm tunc temporis dominium omnium illorum bonorum eſſet apud ſolum Epiſcopum, & clerum, cum onere tamen erogandi partem aliquam pauperibus, an vero etiam dominium alicuius partis eſſet penes pauperes? *Solutio.* ¶ Ad quod breuiter reſpondeo, quòd quamuis iuter Canoniſtas communis opinio teneat, pauperes eſſe veros dominos illius partis, quæ illis erat tribuenda, multò tamẽ probabilius eſt, quod ſolũ penes Epiſcopum & clerum totale dominium illorum bonorum reſidebat, cum onere & obligatione tribuendi pauperibus illam partem. Ita tenet Soto loco citato. Et probatur. Ius percipiendi decimas eſt ſpirituale, conuenitque Eccleſiaſticis ratione miniſterij, quo Eccleſiæ ſeruiunt: ergo non poteſt laicis conuenire, atque ex conſequenti nec pauperibus, & ſic non habent dominium illorum bonorum. Ita tenet Diuus Thomas quodlibeto ſecundo: art. 8. &. 2. 2. quæſtio. 87. art. 3. & Caietanus ibidem, & Conra. libro primo. nouarum reſolutionum. cap. 17. num. 3. An verò illa obligatio dandi pauperibus partem illam, oriretur ſolum ex miſericordia, an vero etiam oriretur ex iuſtitia, varietate opinionum diſputatur à doctoribus. Soto vbi ſupra, tenet quòd ſolùm oritur ex miſericordia. *Sententia autoris.* Sed contraria ſententia meo iudicio eſt vera. Et proculdubio eſt dicendum, quòd illa obligatio oriebatur ex iuſtitia. Et probatur primo, ex Diuo Thoma, qui quæſtio. 87. art. primo. ad quartum. & artic. tertio. ad primum. dicit, quòd decimæ dantur clericis à Chriſtiano populo, non ſolum propter illorum ſuſtentationem, ſed etiã, vt ex illis pauperibus ſubueniant. Secundo quia facta diuiſione bonorum in quatuor partes, vt ex canonibus retrò citatus conſtat, pars pauperibus aſsignata ex iuſtitia illis debetur: ergo etiam ante diuiſionem debebatur illis ex iuſtitia. Probo conſequentiam: nam illa diuiſio nihil aliud fuit, quam declaratio prioris obligationis. Et confirmatur: nam alias ſequeretur, quòd Epiſcopus, & clerici quando habebant dominium omnium illorum bonorum in communi, & pro indiuiſo, non tenerentur ad reſtitutionem, ſi nihil pauperibus tribuerent, conſequens autem eſt falſum, vt diximus in tertia concluſione, imò & contra magiſtrum Sotum, qui contrarium expreſſe affirmat, ergo & illud, ex quo ſequitur.

¶ Sed maius dubium eſt, vtrùm facta iam diuiſione bonorum Eccleſiæ Epiſcopi, & clerici non tribuentes pauperibus ea, quæ ex redditibus Eccleſiaſticis ſuo ſtatui ſuperfluunt, teneantur ad reſtitutionem. *Maius dubium.* Quod eſt quærere, vtrùm acquirant verum & legitimum dominium omnium bonorum, & fructuum ſuorum beneficiorum, an vero tantum acquirant dominium eorum, quæ neceſſaria ſunt ad congruam, & decentem ſuſtentationem naturæ, & perſonæ. De hac re Alexand. Alenſis tertia parte. quæſtio. 36. num. 5. art. 2. tenet proprietatem & dominium horum reddituum non eſſe apud clerum, ſed ſolam adminiſtrationem, ſeu diſpenſationem. *Sententia Alexan. & aliorum.* Idem tenent Richardus in quarto. diſtinctio. 45. quæſtio. 1. artic. 3. Gabriel in quarto diſtinct. 15. quæſtio. 8. Paludanus in quarto diſtinctio. 24. quæſtio. tertia. Antoninus tertia part. tit. 15. cap. 1. §. 19. Thomas Vvaldenſis tomo. 1. libro quarto. cap. 42. & quatuor ſequentibus. Archidiaconus in cap. ſtatutum. §. aſſeſſorem. de reſcriptis. libro ſexto. Panormitan. in cap. cum eſſes. de teſtamentis. Nauar. in Manuali cap. 25. num. 125. & in tract. de redditibus eccleſiaſticis. quæſtio. ſecunda. Præcipuum fundamentum huius ſententiæ eſt deſumptum ex innumeris ſanctorum, & pontificum teſtimonijs, quibus affirmatur clericorum bona eſſe pauperum: quæ omnia adducuntur à Franciſco Sarmiento in tract. de redditibus eccleſiaſticus, tertia part. cap. 1. 2. 3. & 4. *Argumentum.*

4. Concluſio. ¶ In hoc tamen ſit quarta concluſio. Poſt factam diuiſionem bonorum Eccleſiaſticorum, tam Epiſcopus, quam clericus acquirunt verum dominium ſuarum portionum. Ex quo infertur, quòd quanuis peccent mortaliter non tribuentes pauperibus

peribus ea, quæ ex illis bonis ſuperfluunt, ſed illa prodige conſumant, non tamen tenentur ad reſtitutionem. Hæc concluſio eſt Diui Thomæ infra quæſtio. 187. & Caietani ibidem, qui cum Diuo Thoma conſentit, quantum ad hoc, quòd alij Eccleſiaſtici ab Epiſcopis acquirunt verum dominium fructuum ſuorum beneficiorum, & idem fatetur de ipſis Epiſcopis quando redditus non multum abundantes habentur. Nam de illis, quorum redditus notabiliter excedunt ſtatum neceſſarium ipſorum, affirmat, quòd teneantur duas partes erogare, vnam fabricæ, alteram pauperibus. Sed ſententiam D. Thomæ tenet Adrianus in quarto in materia de reſtitutione. Ioannes Arboreus in ſua Theoſophia cap. 25. ad finem. Driedo libro ſecundo, de libertate Chriſtiana. capite. 4. Soto libro. 10. de iuſtitia & iure. quæſtione quarta. art. 3. & 4. concluſione ſexta. Et probatur. In veteri teſtamento Leuitis erant aſsignatæ decimæ pro miniſterijs tẽpli, quarum dominium acquirebant, ergo, etiam in lege Euangelica, cum decimæ ſint aſsignatæ clericis pro miniſterio, quo ſeruiunt Eccleſiæ, manifeſtè ſequitur, quòd illarum dominium acquirunt. Conſequentia non ſolum tenet ex paritate rationis, ſed etiam videtur tenere à fortiori. Pro quo legendus eſt Diuus Thomas infra quæſtio. 67. artic. primo. Antecedens verò probatur ex illo Numero. cap. 18. Filijs Leui dedi in poſſeſsionem omnes decimas pro miniſterio, quo ſeruiunt mihi in tabernaculo fœderis. Et paulò inferius: Comedetis eas in omnibus locis veſtris, tam vos, quàm familiæ veſtræ, quia pretium eſt pro miniſterio, quo ſeruitis in tabernaculo teſtamenti. Secundo ſic argumentor. In omnibus reipublicæ magiſtratibus creandis illa ſemper habetur ratio, vt ſtipendia eis decernantur iuſta, quorum Domini fiunt: ſed Epiſcopus inter omnes tã ciuiles, quàm eccleſiaſticos eſt præſtantiſsimus, & maxime neceſſarius: ergo etiam ei aſsignantur ſtipendia, quorum eſt dominus. Probo conſequentiam: nam alias peſsima eſſet eius conditio, ſi non ipſo iure eſſet decretum Epiſcopo ſtipendium, cuius vere eſſet dominus. Item, diuidere eccleſiaſticos fructus in quatuor partes nihil aliud fuit, quam cuilibet dominium adiudicare: ſed reliquus clerus habet dominium ſuæ partis, & fabrica ſuæ: ergo & Epiſcopus habet dominium ſuæ. Conſequentia cum minori eſt nota, & maior probatur. Nam, quia Eccleſia, vt diximus, vſu, & conſuetudine experiebatur Epiſcopos in diſtributione eſſe infideles, idcirò abſtulir ab eis diſtribuendi arbitrium: & ne plus iuſto caperent, conſignata fuit illis portio, qua viuerent, atque adeò ſuo dominio addicta, ſicut & aliæ partes ſingulis aliorum fuerunt conſignatæ. Ita tenet gloſſa ſuper caput. duo ſunt. 12. quæſtio. 2. Et facit ad id caput. Duo ſunt. extra. de fideiuſ. vbi præcipitur de beneficiorum fructibus ſatisfieri creditoribus: quod, niſi eſſent clerici fructuum domini, non præciperetur. Et confirmatur. Si per illam diuiſionem non eſſet Epiſcopo ſuæ portionis dominium adſcriptum, ſed perinde teneretur eandem diſtribuere, ſicut anteà, fruſtranea profectò eſſet talis diuiſio. Cùm ergo non fruſtrà facta fuerit, ſed, vt cuique ſua certa eſſet portio, manifeſte colligitur perinde ei applicatum fuiſſe dominium ſuæ partis, ac reliquis dominia ſuarum. Vide in cap. vobis enim. 12. quæſtiu. 2. eiſdem verbis explicatur Epiſcopi portio, ac aliarum. Dicit enim Gelaſius Papa: De quatuor portionibus vnam ſibi tollat, aliam clericis pro ſuo iudicio, & electione diſpartiat, tertiam pauperibus, fabricæ vero quartam. Quid autem eſt ſibi tollat, niſi ſua ſit? Item Lucæ cap. 2. cum Chriſtus Apoſtolos & operarios mitteret in orbem dixit: In eadem domo manete edentes, & bibentes quæ apud illos ſunt: dignus eſt enim operarius mercede ſua. Et D. Paulus. 1. ad Timot. cap. 5. Nemo ſuis ſtipendijs militat vnquam. Et adducit illud Deuteron. 25. Non alligabis os boui trituranti: quod de miniſtris Eccleſiaſticis intelligendum eſſe dicit. Et in eodem capitulo. Qui bene præſunt presbyteri duplici honore digni ſunt. Et pa[illegible] inferius: Qui in ſacrario operantur de ijs, quæ in ſacrario ſunt, edant, & qui altario ſeruiunt de altario viuant. Quibus teſtimonijs apertè ſignificat ipſus miniſtros eccleſiaſticos eſſe dominos earum rerum, quæ ſibi pro miniſterio conferuntur. Deniq; hoc ipſum probatur ex iure canonico. Et primo ex cap. cum ſecundum Apoſtolum. de præbendis. vbi Innocentius III. id expreſſe affirmat, & ex cap. vnico. de clericis non reſidentibus. in ſexto. vbi clericis non reſidentibus imponitur in pœnam, vt beneficiorum fructus non faciant ſuos ſed

adte-

Digitized by Google

ad reſtitutionem teneantur. Signum ergo eſt, quòd ſi reſident faciunt fructus ſuos. Et in cap. peruenit de fideiuſſoribus. præcipitur, quòd ſi aliqui clerici inueniantur ære alieno oppreſsi ex fructibus beneficiorum ſuis creditoribus ſatisfiat. Si autem fructus illi non fuiſſent clericorum, ſed potiùs pauperum iniuſtum videretur ſi ex illis creditoribus ſatisfieret.

Corollariũ. ¶Ex dictis infertur conſanguineos Epiſcoporum, & aliorum, quibus ipſi ſua bona largiuntur, non teneri ad reſtitutionem. Nam, quanuis ipſi Epiſcopi in tali largitione peccauerint mortaliter, vere tamen illorum bonorum dominium in conſanguineos tranſtulerunt. Ex quo fit, vt ipſi nulli reſtitutioni ſint obnoxij.

Ad argum. ¶Et ad teſtimonia ſanctorum, quæ dicunt, bona clericorum eſſe bona pauperum, & quòd eccleſiaſtici retinentes vltra ea, quæ ſibi ſunt neceſſaria, furtum, rapinam, & impietatem committunt reſpondetur primo cum D. Thom. quodlib. 6. art. 12. ad. 3. quòd illa ſunt intelligenda de bonis, quæ ſpecialiter ſunt deputata pauperibus, vt bona hoſpitalium, & alia huiuſmodi. Vel ſecundo reſpondetur cum Turrecremata, quòd illa ſunt intelligenda de bonis immobilibus Eccleſiæ, vt prædia, agri, & de bonis mobilibus, vt calices ornamenta, &c. Vel tertio reſpondetur cum magiſtro Soto: notando, quòd, cùm auaritia ſit duplex, vna contraria iuſtitiæ, quę propriè furtum, & rapina nominatur, altera liberalitati, ſanctis Patribus ea familiaris eſt hyperbole, vt auaritiam contra liberalitatem, ac miſericordiam, quæ eſt erga pauperes exercenda, rapinæ etiam nomine denotent. Propterea quòd in neceſſitate omnia cenſent communia quo ad vſum, idque non tantum in clero, ſed etiam in ſeculari populo. Quanuis de hac re acerbius meritò reprehendant clericos, & potiſsimum Epiſcopos, quia clerici, vt ſupra diximus, præcepto eleemoſynarum arctius conſtringuntur. Quare hoc genus rapinæ reſtitutionis vinculum minime ſecum affert. Vel poſſumus quarto reſpondere quòd multa ex illis teſtimonijs loquuntur de tempore, quo clerici in communi viuebant, quæ modo ſacta diuiſione non conueniunt, & alia continent duntaxat conſilium, quanuis ea ſint illa emphaſi exaggerata, vt formam præcepti prę ſe ferre videantur. Et hæc dicta ſint de hac difficultate.

¶Vltimum dubium circa iſtum articulum eſt, vtrùm ille, qui in extrema neceſsitate conſtitutus rem ab alio acceptam conſumpſit, teneatur illam reſtituere, cum ad pinguiorem fortunam peruenerit. *Vlti. Dubiũ.* ¶Adrianus quodlibet. 1. art. 2. & in materia de reſtitutione abſolutè dicit teneri hominem ad reſtituenda illa bona, quæ priſtina neceſsitate conſumpſit, ſiue illa bona acceperit antequam eſſet in extrema neceſsitate, ſiue quando erat in illa. *Sententia Adriani.* Eandem ſententiam tenet Almai. in. 4. diſtinctio. 15. quæſtio. 2. & Medina eod. de reſtitutione. quęſtio. 3. Potiſsimum huius opinionis fundamentum eſt, quia qui extrema neceſsitate laborat, non habet ad rem alienam maius ius, quam quod dominus illius rei in ipſum transferre tenetur: ſed dominus illius rei non tenetur gratis donare, ſed poterit illi ſubuenire per mutuum obligando eum ad reſtitutionem, quando peruenerit ad pinguiorem fortunam: ergo nec ipſe poterit maius ius accipere. *Fundamentũ Adriani.*

Sententia Scoti. ¶Scotus reſpondet ad hanc difficultatem ſub diſtinctione dicens, quod qui accepit rem alienam antequam ſit in extrema neceſsitate, quanuis illam poſteà conſumat in extrema neceſsitate conſtitutus tenetur ad reſtitutionem, cum peruenerit ad pinguiorem fortunam. Si autem accipit rem quando eſt in extrema neceſsitate, & illam conſumit nihil tenetur reſtituere. Idem etiam tenent Richardus, & Gabriel. *Fundamentum Scoti.* Fundamentum huius opinionis eſt, quia cum quis accipit rem alienam antequam ſit in extrema neceſsitate, ex ipſa iniuſta acceptione exorta eſt obligatio reſtituendi, quæ obligatio adueniente poſteà extrema neceſsitate non extinguitur: ſed eſt quaſi ſopita, & adueniente pinguiori fortuna reuiuiſcit. Quando autem in extrema neceſsitate iuſte accipitur res cum illa bona tũc eſſent communia, & per acceptionem facta fuerint propria, fit, vt nec ratione rei acceptæ, nec ratione iniuſtæ acceptionis teneatur ad reſtitutionem.

Pro explicatiõe difficultatis nota. 1. ¶Sed pro explicatione huius difficultatis eſt ſupponendum primo, quòd qui eſt in extrema neceſsitate licite poteſt accipere ab alio, etiam inuito ea, quæ ad ſubleuandã illam indigentiam tunc ſunt neceſſaria. Et hæc eſt ſententia D. Tho. infra. q. 66. art. 1. & communis omniũ, tam diuini quàm humani iuris doctorũ, licet nonnulli dixerint illicitum

illicitum eſſe etiam in extrema neceſsitate ab inuitis accipere, vt refert Turrecremata ſuper cap. fraternitas. 12. quæſt. 2. Et mouebantur ad hoc affirmandum ex cap. ſi quis propter extremam, vbi dicitur, quòd ſi quis, propter extremã neceſsitatem panis, furatus fuerit cibaria, aut veſtes, aut pecus, tres hebdomadas pœniteat. Ex quo colligi videtur, quòd peccauerunt accipientes, ſiquidem pœnitentia nõ imponitur, niſi pro culpa. Sed noſtra ſententia eſt certiſsima: nec obſtat capitulum citatũ: quia in eo non de neceſsitate extrema, ſed graui eſt ſermo, vt exponit D. Tho. loco citato ad primum, & gloſſa ſuper illud caput.

Nota. 2. ¶ Secundo eſt ſupponendum, quòd ea, quæ quis accipit ad ſubueniendum ſuæ extremæ neceſsitati ſunt in duplici differentia. Quædam enim ſunt, quæ in ipſa neceſſitate conſumuntur, vt cibaria, alia autem, quæ extra extremã neceſsitatẽ permanẽt, vt cum quis accipit equum ad fugiendum.

1. Concluſio. ¶ His ſuppoſitis ſit prima concluſio. Bona non conſumpta in extrema neceſsitate tenetur quiſque reſtituere ipſa neceſsitate ceſſante. Hæc concluſio eſt communis omnium doctorum. Et probatur: quia nõ alia ratione potuit ille talia bona accipere, niſi, vt ex illis ſuæ neceſsitati ſubueniret: ergo ſi poſtquam tranſit illa neceſsitas aliquid ex bonis reſtat, illud erit obnoxium reſtitutioni. Et cõfirmatur, nam bona in extrema neceſsitate ſolùm ſunt cõmunia quantũ ad vſum: ergo ſi tranſacta neceſsitate aliquid remanet erit vero domino reſtituendum.

2. Concluſio. ¶ Secunda cõcluſio. Ea, quæ quis ab alio accipit, vt ſuæ, vel alterius extremæ neceſſitati ſubueniat, non tenetur reſtituere, etiã ſi ad pinguiorẽ fortunam peruenerit. Hæc concluſio eſt de mente Soti lib. 4. de iuſtitia & iure, quæſt. 7. ar. 1. ad quartum argumentum, & illam tenent Turrecremata in cap. nolite timere. 10. quæſt. 5. & Syluest. in verbo. furtum. quæſt. 5. Vbi pro eadem concluſione adducit ſummam Angelicam, & Roſelam. Eandem etiam tenent Scotus, Gabriel, Richardus, & alij. Et probatur. Cõſeruatio propriæ vitæ eſt de iure naturali, appropriatio autem rerum eſt facta iure humano: ergo quando appropriatio rerum obſtat conſeruationi vitæ, non eſt obſeruãda, atque ex conſequenti, qui in extrema neceſsitate ſui vel alterius accipit neceſſariũ non accipit alienum, ſed commune, quod per acceptionem fit proprium: & ſic non tenetur illud reſtituere adhuc ſi perueniat ad pinguiorem fortunam.

¶ Et ad argumentum Adrian. reſpondetur falſum eſſe, quòd ille, qui habet bona, quibus poſsit ſubuenire extremè indigenti (ſi indigẽs ſit ſimpliciter pauper, de hoc enim in præſenti eſt ſermo) non teneatur illi gratis conferre, vt diximus in principio huius articuli. *Ad fundamentum Adriani.*

3. Concluſio. ¶ Tertia concluſio. Si quis extra extremam neceſsitatem accipiat aliena bona, & poſteà in extrema neceſsitate conſtitutus illa conſumit, non tenetur ad reſtitutionẽ, etiam ſi poſteà perueniat ad pinguiorẽ fortunam. Hæc concluſio eſt contra Scotum, & alios. Sed illam tenet Soto loco citato, & probatur. Neceſsitas extrema non minus operatur ſuperueniens rei alienæ iam acceptæ, quam ſi tempore acceptionis exiſteret, ſed ſi tempore acceptionis exiſteret, nõ teneretur ad reſtitutionem: ergo nec ſi poſteà ſuperueniat. Conſequentia eſt nota, & minor conceditur ab Scoto, maior autẽ probatur. Extrema neceſsitas, quandocunque adueniat, facit rem ad illius ſubleuationem neceſſariam communem & ex conſequenti propriam accipientis, aut poſsidentis: ergo ſiue res illa iam ſit ſub poteſtate extremè indigentis, ſiue non eadem erit ratio.

¶ Et ad argumentum Scoti reſpondetur falſum eſſe, quod illa obligatio reſtituendi ex iniuſta acceptione orta non fuerit vere extincta extrema neceſsitate ſuperueniente, quin potius penitus fuit abolita, vt probat argumentum à nobis factum pro probatione concluſionis. Et hæc dicta ſint de toto iſto articulo. *Ad fundamentũ Scoti.*

ARTICVLVS VI.

¶ *Vtrum quis debeat dare eleemoſynam de neceſſario.*

AD SEXTVM ſic proceditur. Videtur, quòd aliquis non debeat eleemoſynam dare de neceſſario. Ordo enim charitatis non minus attenditur penes effectum beneficij, quàm penes interiorem affectũ. Peccat autem qui præpoſtere agit inordine charitatis, quia ordo charitatis eſt in præcepto. Cùm ergo ex ordine charitatis plus debeat aliquis ſe, quàm proximum diligere, videtur quòd peccet ſi ſub- *Infra. q. 117 art. 1. ad. 2. Et. 4. d. 15. q. 2. ar. 4. q. 1.*

ſi ſubtrahat ſibi neceſſaria, vt alteri largiatur.

2 ¶ Præterea, Quicunque largitur de ijs, quæ ſunt neceſſaria ſibi, eſt propriæ ſubſtantiæ diſsipator, quod pertinet ad prodigum, vt patet per Philoſophum in quarto Ethicor. Sed nullum opus vitioſum eſt faciendum, ergo nõ eſt danda eleemoſyna de neceſſario.

Lib. 4. c. 1. to. 5.

3 ¶ Præterea, Apoſtolus dicit primæ ad Timoth. 5. Si quis ſuorum, & maximè domeſticorum curam non habet, fidem negauit & eſt infideli deterior. Sed quòd aliquis det de ijs, quæ ſunt ſibi neceſſaria, vel ſuis, videtur derogare curæ, quam quis debet habere de ſe & de ſuis, ergo videtur quod quicunque de neceſſarijs eleemoſynam dat, grauiter peccet.

¶ SED CONTRA eſt quod Dominus dicit Matth. 19. Si vis perfectus eſſe, Vade & vende omnia, quę habes, & da pauperibus. Sed ille qui dat omnia, quę habet pauperibus, non ſolum dat ſuperflua, ſed etiam neceſſaria, ergo de neceſſarijs poteſt homo eleemoſynam dare.

¶ RESPONDEO dicendũ, quòd neceſſarium dupliciter dicitur, Vno modo ſine quo aliquid eſſe nõ poteſt, & de tali neceſſario omnino eleemoſyna dari non debet. Puta ſi aliquis in articulo neceſsitatis conſtitutus haberet ſolum vnde poſſet ſuſtentari, & filij ſui, vel alij ad eum pertinentes. De hoc enim neceſſario eleemoſynã dare, eſt ſibi & ſuis vitã ſubtrahere. Sed hoc dico, niſi forte talis caſus immineret, vbi ſubtrahendo ſibi, daret alicui magnæ perſonæ, per quam Eccleſia, vel reſpublica ſuſtentaretur, quia pro talis perſonæ liberatione, ſeipſum & ſuos laudabiliter periculo mortis exponeret, cum bonum commune ſit proprio præferendum. Alio modo dicitur aliquid neceſſariũ, ſine quo non cundum conditionem & ſtatum propriæ perſonę, & aliarũ perſonarũ quarũ cura ei incũbit. Huiuſmodi neceſſarij terminus non eſt in indiuiſibili conſtitutus, ſed multis additis, non poteſt dijudicari eſſe vltra tale neceſſarium, & multis ſubtractis adhuc remanet, vnde poſsit conuenienter aliquis vitã tranſigere ſecundum propriũ ſtatum. De huiuſmodi ergo eleemoſynam dare eſt bonum, & non cadit ſub præcepto, ſed ſub conſilio. Inordinatum eſſet autem ſi aliquis tantum ſibi de bonis proprijs ſubtraheret, vt alijs largiretur, quòd de reſiduo non poſſet vitam tranſigere conuenienter ſecundũ proprium ſtatum, & negotia occurrentia. Nullus enim inconuenienter viuere debet. Sed adhuc tria ſunt excipienda, quorum primum eſt, quando aliquis ſtatum mutat, puta per religionis ingreſſum. Tunc enim omnia ſua propter Chriſtum largiens, opus perfectionis facit, ſe in alio ſtatu ponẽdo. Secundo, quãdo ea quę ſibi ſubtrahit etſi ſint neceſſaria ad conuenientiam vitæ, tamen de facili reſarciri poſſunt, vt non ſequatur maximum inconueniens. Tertio, quãdo occurreret extrema neceſsitas alicuius priuatæ perſonæ, vel etiam aliqua magna neceſsitas reipublicæ. In his enim caſibus laudabiliter prætermitteret aliquis id quod ad decentiam ſui ſtatus pertinere videretur, vt maiori neceſsitati ſubueniret. Et per hoc patet de facili reſponſio ad obiecta.

SVMMA TEXTVS.

SVppoſito, quòd neceſſarium accipitur dupliciter, vno modo pro neceſſario ſimpliciter, qua ratione dicitur neceſſarium id, ſine quo aliquid eſſe non poteſt, alio modo pro magis conuenienti reſpondet D. Tho. ad difficultatem per plures propoſitiones.

¶ Prima concluſio. De neceſſario ſimpliciter non eſt facienda eleemoſyna. Probatur: quia hoc eſſet ſibi, aut ſuis vitam ſubtrahe-

niſi forte talis caſus immineret, vt ſubtrahẽdo ſibi, daret alicui magnæ perſonæ, per quam eccleſia vel reſpublica ſuſtentaretur: tunc enim pro talis perſonæ liberatione ſeipſum & ſuos laudabiliter periculo mortis exponeret. Et ratio eſt, quia bonum cõmune eſt præferendum bono particulari.

¶ Secunda conclusio. Dare eleemoſynam de neceſſarijs ad ſtatum eſt bonum, non tamen cadit ſub præcepto, ſed ſub conſilio. Et eſt hæc concluſio intelligenda quando eleemoſyna ita datur de neceſſarijs ad ſtatum, vt tamen remaneat, quo homo poſsit decenter viuere ſecundum ſuam qualitatẽ. Ea enim, quæ ad ſtatum pertinent non conſiſtunt in indiuiſibili, ſed multis ſubtractis, adhuc poteſt remanere quo homo conuenienter viuat, vt conſtat ex perientia.

¶ Tertia concluſio. Inordinatum eſſet ſi aliquis tantum ſibi de bonis proprijs ſubtraheret, vt alijs largiretur, quod de reſiduo nõ poſſet vitam tranſigere conuenienter ſecũdum ſuum ſtatum, & negotia occurrentia. Probatur: quia nullus inconuenienter viuere debet. Excipiuntur tamen ab hac concluſione tres caſus, in quibus eſt laudabile dare eleemoſynam de huiuſmodi neceſſario prætermiſſo ſuo ſtatu. Primus eſt quando aliquis ſtatum mutat per religionis ingreſſum. Secundus, quando ea, quæ ſibi ſubtrahit, licet ſint neceſſaria de facili tamẽ reſarciri poſſunt. Tertius, quando occurreret neceſsitas extrema alicuius priuatæ perſonæ, vel reipublicæ, vt clare patet in litera.

EXLPICATIO ARTICVLI.

Circa primam concluſionem huius articuli eſt aduertendum, quòd illam tenẽt communiter omnes doctores. Et probatur manifeſte, quia ordine charitatis quilibet tenetur ſubuenire potius ſibi & ſuis quam alienis. Vnde D. Paulus. 1. ad Timo. cap. 4. egregie dicebat: Qui ſuorum maxime domeſticorum curam non habet fidem negauit, & eſt infideli deterior. Excipiunt tamen communiter doctores ab hac concluſione quando perſona maximè reipublicę neceſſaria eſſet in extrema neceſsitate: tunc enim deberet homo de neceſſarijs naturæ ſuæ, & ſuorum ſubtrahere, vt illi ſubueniret.

Dubium. ¶ Sed dubium eſt, vtrum facere eleemoſynam de bonis neceſſarijs in hoc caſu eſſet in præcepto, an vero tantum in cõſilio. Sylueſt. verbo, eleemoſyna. §. 2. concluſione. 4. dicit eſſe conſilium, & non præceptum, & aſsignat rationem, quia bonum eſt pro communi ſalute propriam vitam exponere. Ricardus in. 4. diſt. 15. art. 2. q. 5. ſimiliter dicit hoc eſſet perfectionis, & non neceſsitatis. ¶ Sed proculdubiò tenendum eſt, ꝙ quando perſona eſſet reipublicæ adeo neceſſaria vt ex illius vita penderet ſtatus totius reipublicę, eſſet præceptum ſubueniẽdi illi de neceſſarijs naturæ. Ita tenet Caietanus opuſc. de eleemoſyna, cap. 5. Et probatur: quia ſecundum ordinem charitatis, qui cadit ſub præcepto, in caſu neceſsitatis bonum commune præferendum eſt bono priuato, & quælibet pars tenetur ſe exponere non ſolum periculo mortis, ſed etiam ipſi morti pro ſalute totius. *Solutio.*

¶ Circa alias concluſiones nihil aliud eſt dicendum præter ea, quæ diximus articulo præcedenti, niſi quod D. Tho. in explicatione tertiæ concluſionis, dum excipit illos tres caſus, accipit laudabile, non vt diſtinguitur contra præceptum, ſed vt diſtinguitur contra vituperabile. Et ſic ex iſto loco non licet colligere, quòd non tenemur dare eleemoſynam de neceſſarijs ad ſtatum in caſu extremæ neceſsitatis, cuius cõtrarium diximus articulo præcedenti. Eſt enim laudabile id, quod ſpectat ad virtutẽ: & certũ eſt quòd tam id, quod eſt in conſilio, quàm id quod eſt in præcepto ſpectat ad virtutẽ, & ſic vtrumq; eſt laudabile. *Nota.*

ARTICVLVS VII.

¶ *Vtrum poſsit fieri eleemoſyna de iniuſte acquiſitis.*

AD SEPTIMVM ſic procedi tur. Videtur ꝙ poſsit eleemoſyna fieri de illicitè acquiſitis. Dicitur enim Lucæ decimoſexto. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis. Mammona enim ſignificat diuitias. Ergo de diuitijs iniquè acquiſitis poteſt ſibi aliquis ſpirituales amicos facere, eleemoſynas largiendo. *4. diſt. 15. q. 2. ar. 4. q. 2. & 3. & quo. 12. art. 3. cor.*

2 ¶ Præterea. Omne turpe lucrũ eſt, quod videtur eſſe illicitè acquiſitum. Sed turpe lucrum eſt quod de meretricio acquiritur. Vnde & de huiuſmodi ſacrificiũ vel oblatio Deo offerri non debet,

debet, ſecūdum illud Deuterono. 23. Nō offeres mercedē proſtibuli in domo Dei tui. Similiter etiā turpiter acquiritur, qđ acquiritur per aleas, quia, vt Philoſophus dicit in tertio Ethicorum. Tales ab amicis lucrātur, quibus oportet dare. Turpiſsimè etiam acquiritur aliquid per ſimoniam, per quam aliquis Spirituiſancto iniuriam facit, & tamē de huiuſmodi eleemoſyna fieri poteſt. Ergo de male acquiſitis poteſt aliquis eleemoſynam facere.

3 ¶ Præterea, Maiora mala ſunt magis vitanda, quàm minora. Sed minus peccatum eſt detētio rei alienæ quàm homicidiū, quod aliquis incurrit, niſi aliquis in vltima neceſsitate ſubueniat, vt patet per Ambroſium* dicentem, Paſce fame morientem, quoniam ſi non paueris, occidiſti. Ergo aliquis poteſt eleemoſynam facere in aliquo caſu de male acquiſitis.

Refertur diſ. 86. c. Paſce. Ex lib. offi.

¶ SED CONTRA eſt quod Auguſtinus* dicit in libro de Verbis Domini, de iuſtis laboribus facite eleemoſynas. Non enim corrupturi eſtis iudicem Chriſtum, vt nō vos audiat cum pauperibus, quibus tollitis. Nolite velle eleemoſynas facere de fœnore & vſuris. Fidelibus dico quibus corpus Chriſti erogamus.

Ser. 35. inter princ. et me. to. 10. & refertur. 14. q. 5. c. Nolite ca. Immolans. ca. forte.

¶ RESPONDEO ergo dicendū, quòd tripliciter poteſt aliquid eſſe illicite acquiſitum. Vno enim modo, id quod illicite ab aliquo acquiritur debetur ei, à quo eſt acquiſitum, nec poteſt ab eo retineri, qui acquiſiuit, ſicut contingit in rapina, & furto, & vſuris. Et de talibus cum homo teneatur ad reſtitutionē, eleemoſyna fieri non poteſt. Alio verò modo eſt aliquid illicite acquiſitum, quia ille quidem, qui acquiſiuit, retinere non poteſt, nec tamē debetur ei, à quo acquiſiuit, quia ſcilicet contra iuſtitiā accepit, & alter contra iuſtitiam dedit. Sicut contingit in ſimonia, in qua dans, & accipiens contra iuſtitiam legis diuinæ agit. Vnde non debet fieri reſtitutio ei, qui dedit, ſed debet in eleemoſynas erogari. Et eadem ratio eſt in ſimilibus, in quibus ſcilicet, & datio & acceptio eſt contra legem. Tertio modo eſt aliquid illicite acquiſitum, non quidem quia ipſa acquiſito ſit illicita, ſed quia id, ex quo acquiritur, eſt illicitum, ſicut patet de eo, quod mulier acquirit per meretricium. Et hoc propriè vocatur turpe lucrum, quòd enim mulier meretriciū exerceat, turpiter agit, & contra legē Dei. Sed in eo quòd accipit, non iniuſtè agit, nec contra legem. Vnde quòd ſic illicite acquiſitum eſt, retineri poteſt & de eo eleemoſyna fieri.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd ſicut Auguſtinus* dicit in libro de Verbis Domini. Illud Verbum Domini quidam male intelligēdo rapiunt res alienas, & aliquid inde pauperibus largiuntur, & putant ſe facere quod præceptum eſt. Intellectus iſte corrigendus eſt. Sed omnes diuitiæ iniquitatis dicuntur, vt dicitur in libro* de Quæſtionibus Euangelij, quia nō ſunt iſtæ diuitiæ, ſecūdum Auguſtinū, niſi iniquis, q in eis ſpem cōſtituūt. Vel ſecundū* Ambroſiū iniquū mammona dixit, quia varijs diuitiarū illecebris noſtros tentant affectus. Vel quia in pluribus prędeceſſoribus quibus patrimonio ſuccedis, aliquis reperitur, qui iniuſte vſurpauit aliena, quanuis tu neſcias, vt Baſilius dicit* Vel omnes diuitiæ dicuntur iniquitatis, id eſt, inæqualitatis, quia nō æqualiter ſunt omnibus diſtributæ, vno egente, & alio ſuperabundante.

Ser. 35. paulo à princ. tomo. 10.

Lib. 2. q. 34. to. 4. Amb. Ser. 81.

Lib. 7. in Lucam. c. vlti. parū à prin. tomo. 5.

In Sermi. de diuite fertili. agri.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd de acquiſito per meretriciū iam* dictum eſt, qualiter eleemoſyna fieri poteſt. Non autem fit de eo ſacrificium, vel oblatio ad altare, tum propter ſcandalum, tum propter ſacrorum reuerentiam. De eo etiam quod eſt per ſimoniam acquiſitum, poteſt fieri eleemoſyna, quia non eſt debitum ei, qui de-

In corp. arti.

dit, ſed mereturillud amittere. Circa illa verò, quæ per aleas acquiruntur, videtur eſſe aliquid illicitum ex diuino iure, ſcilicet quòd aliquis lucretur ab his, qui rem ſuam alienare nõ poſſunt, ſicut ſunt minores, & furioſi, & huiuſmodi, & quod aliquis trahat aliũ ex cupiditate lucrandi ad ludum, & quod fraudulenter ab eo lucretur. Et in his caſibus tenetur ad reſtitutionem, & ſic de eo non poteſt eleemoſynam facere. Aliquid autem videtur eſſe vlterius illicitum ex iure poſitiuo ciuili, quod prohibet vniuerſaliter tale lucrũ. Sed quia ius ciuile non obligat omnes, ſed eos ſolos, qui ſunt his legibus ſubiecti, & iterum per diſſuetudinẽ abrogari poteſt, ideo apud illos, qui ſunt huiuſmodi legibus obſtricti, tenentur vniuerſaliter ad reſtitutionem, qui lucrantur: niſi forte contraria conſuetudo præualeat, aut niſi aliquis lucratus ſit ab eo, qui traxit eum ad ludum, in quo caſu non tenetur reſtituere, quia ille qui amiſit, non eſt dignus recipere. Nec poteſt licite retinere tali iure poſitiuo durante. Vnde debet de hoc eleemoſynã facere in hoc caſu.

¶ Ad tertium dicendum, quod in caſu extremæ neceſsitatis omnia ſunt communia. Vnde licet ei, qui talem neceſſitatem patitur, accipere de alieno ad ſui ſuſtentationem, ſi non inueniat qui ſibi dare velit. Et eadem ratione licet habere aliquid de alieno, & poteſt de hoc eleemoſynam dare, quinimo & accipere, ſi aliter ſubueniri non poſsit neceſsitatem patienti. Si tñ fieri poteſt ſine periculo, requiſita domini volũtate debet pauperi prouidere, extremam neceſsitatem patienti.

SVMMA TEXTVS.

SVppoſito, ꝙ tripliciter poteſt eſſe aliquid illicitè acquiſitum, vno modo, ità, vt ille, qui acquiret non acquirit verum dominium, ſed manet apud alterum, vt cõtingit in furto, & rapina, alio modo, ità, vt nec ille, qui acquirit habeat verũ dominium, nec ſit dandum alteri, à quo accepit, vt contingit in ſimonia, tertiò, ità, vt ille, qui acquirit habeat verum dominium, quamuis id, ex quo acquiritur, ſit illicitum, vt contingit in eo, quod mulier acquirit per meretricium, reſpondet D. Tho. ad difficultatem per tres propoſitiones. ℭ Prima concluſio, De illicitè acquiſitis primò modo, nec poteſt nec debet fieri eleemoſyna. Probatur. Taliter acquiſita debent reſtitui vero domino, ergo de illis nec poteſt, nec debet fieri eleemoſyna. ℭ Secunda concluſio, Ea, quæ ſunt illicitè acquiſita ſecũdo modo debent dari pauperibus in eleemoſynam, & non ſunt reſtituenda priori domino. Hanc concluſionem probat D. Tho. exemplo ſimoniæ, in qua id, quod quis acquiſiuit retinere non poteſt, nec tamen reſtitutio debet fieri ei, qui dedit, ſed pauperibus eſt erogãdum. ℭ Tertia cõcluſio, De illicitè acquiſitis tertio modo bene poteſt fieri eleemoſyna. Probatur. Ille, qui ſic acquirit, eſt verus dominus illorum bonorum, nec tenetur ea reſtituere: ergo poterit de illis eleemoſynas facere.

EXPLICATIO ARTICVLI.

CIrca iſtum articulum, & præcipuè circa primam concluſionem eſt aduertendum, quòd illa eſt intelligenda extra extremã neceſsitatem. Nam in illa, vt articulo quinto diximus, & D. Tho. hic ad tertium affirmat, de quibuſcunque bonis etiam iniuſtè acquiſitis eſt facienda eleemoſyna, eſt tamen prius requirenda voluntas veri domini, ſi id commodè, & ſine periculo fieri poſsit, vt D. Tho. dicit.

ℭ Sed circa eandem concluſionem eſt difficultas, vtrùm citra extremam neceſsitatem aliquando ſit licitum facere eleemoſynam de bonis per rapinam, furtum, & vſuram acquiſitis. *Dubium.* ℭ Ad cuius explicationem eſt aduertendum primò, quòd ſicut fur, & raptor non acquirunt dominiũ eorum bonorum, quæ per furtum, & rapinam acquirunt, ità nec vſurarius eorum, quæ per vſuram acquirit, ità tenet D. Thom. 2.2. q. 78. art. 3. & Alexan. Aleuſ. 3. p. q. 66. memb. 4. & Caie. in opuſculo de vſuris quæſt. 1. Sed quoniam hoc à pluribus negatur, vt id probemus eſt ſupponẽdum ex Caietano loco citato, quòd iſta duo, ſcilicet, tranſlatio rei, & eiuſ- *1. Notabile.*

& eiuſdem dominium, ità inter ſe ſe diſtinguūtur, vt vnū poſsit eſſe ſine alio. Poteſt enim aliquis rem ſuam alteri in poſſeſsionem tradere reſeruato penes ſe dominio, vt fit in pignoribus, & in depoſitis, & etiam è cōuerſo poteſt prius transferri dominium rei, quam eius trāſlatio fiat, vt cum donatur res ab alio poſſeſſa. Ex quo infertur poſſe etiam contingere, vt trāſlatio rei ſit voluntaria, & tamē collatio dominij eiuſdem rei ſit inuoluntaria. Hoc ſuppoſito probatur noſtra ſententia. Nam ſi per vſurariam donationem transferretur dominium rei id eſſet, vel ex rigore legis illud præcipientis, vel ex volūtate ipſius donantis: ſed neutro modo id fit, ergo. Conſequentia eſt nota, & maior patet: nā illis tantum duobus modis poteſt fieri dominiorum tranſlatio. Minor verò probatur, & primò quòd ex vi legis nō fiat, quia omnes leges tam canonicæ quàm ciuiles vetant huiuſmodi contractus vſurarios. Quod vero nec etiam ex voluntate ſoluentis patet: quia ex eo, quòd tradit rem non ſequitur, quòd tradat dominium illius, cum non habeat talem voluntatem. Et ſi quæras, ad quid, ergo dat, ſi non vult transferre dominium, reſpōdeo quod dat, quia aliter mutuum extorquere nō poteſt. Vnde reſpectu collationis dominij nūquā habet voluntatem, ſed tantum penes tranſlationē poſſeſsionis ſicut & ille, qui proijcit merces in mare ad ſaluandā vitam, quanuis vult illas proijcere, non tamen vult eorum dominium amittere: vnde, ſi extrahantur illius erunt qui eas proiecit. Et confirmatur: nam ſecundum omnes Doctores, etiam oppoſitæ ſententiæ, ſi aliquis per vſuram extorſit prædium tenetur illud cum fructibus reſtituere: ſignum ergo eſt, quòd nō habet illius dominium, cum certum ſit, quòd res domino ſuo fructificat.

2. Notabile. ¶ Secundo eſt aduertendum, quod præter bona acquiſita per vſuram poteſt etiam vſurarius quandoq; alia bona habere iuſto contractu poſſeſſa, vel a parētibus accepta, & hæc vere tranſeunt in dominium illius, ita, vt ipſe vſurarius ſit dominus illorum, bonorum, & non alius.

3. Notabile. ¶ Tertio eſt aduertendum, quòd bona per vſuram acquiſita poſſunt eſſe in duplici differētia. Quædam enim ſunt, quæ vſu conſumūtur, vt pecunia, vinum, panis, &c. Alia autem ſunt quæ vſu non conſumuntur, vt prædium, domus, vinea. &c. Et quæ dicimus de vſurario ſunt etiam intelligenda de illis, qui, vel per furtum, vel per rapinam aliqua bona retinent, ſiue illa ſint conſumptibilia vſu, ſiue non conſumptibilia. Cum enim neutri horum habeant verum dominium talium bonorum æqua ratio eſt ſingulorum.

¶ His ſuppoſitis ſit prima cōcluſio. Vſurarius, qui non habet alia bona præter ea, quæ neceſſaria ſunt ad reſtituendas vſuras, de nullis, etiam ſi ſint legitime acquiſita, poteſt eleemoſynam facere. Hæc concluſio eſt cardinalis Turrecrematæ, in cap. nolite. 14. quæſt. 5. & omnium doctorum. Et probatur: quia omnia bona huiuſmodi vſurarij ſunt reſtitutioni obnoxia, atq; ex conſequenti de illis eleemoſyna non eſt facienda. *1. Concluſio.*

¶ Secunda concluſio. De bonis per vſuram acquiſitis, quæ non conſumuntur vſu non poteſt fieri eleemoſyna, etiā ſi per huiuſmodi eleemoſynam non reddatur vſurarius impotēs ad reſtituendas vſuras. Itaq; ſi aliquis per contractum vſurarium acquiſiuit domū, vel prædiū, etiam ſi talis aliunde habeat ſufficientia bona, quibus poſsit reſtitutionem facere, non tamen poterit alicui illam domum in eleemoſynam dare, & ſi dat donatio erit nulla, & ille, cui confertur tenetur ad reſtitutionem, ita tenent Diuus Tho. & alij doctores in locis ſuperius citatis. Et ratio eſt manifeſta: nam cum dominium illius, non ſit penes vſurarium, ſed penes eum, qui illam dedit, non poteſt illud in alterum per eleemoſynam transferre. Eleemoſyna enim non eſt facienda de bonis alienis, ſed de proprijs iuxta illud Prouerb. 12. Honora Dominum de tua ſubſtātia, ac ſi dixiſſet, non de aliena, & Eſai. 64. Frange eſurienti panem tuum, id eſt, non alienum. Idem etiam docet D. Auguſt. & refertur. 14. quæſt. 5. cap. nolite. & cap. forte, & Diuus Gregorius in capite, eleemoſyna. eadem cauſa, & quæſtione. & in capitulo, non eſt putanda. 1. quæſt. 1. Vbi dicit non eſt putanda eleemoſyna, ſi pauperibus diſpenſetur, quod ex illicitis rebus acquiritur: quia qui hac intentione mala accipit, vt bene diſpenſet, grauatur potius quam iuuatur. *2. Concluſio.*

¶ Tertia concluſio. De bonis acquiſitis per vſuram, quæ vſu conſumuntur, vt pecunia, bene poteſt fieri eleemoſyna, dūmodo per hoc vſurarius, non redditur im- *3. Concluſio.*

potens ad reſtituendas vſuras. Probatur: nam quanuis bona illa, quæ vſu non conſumuntur teneatur vſurarius, vel latro eadem numero reſtituere vero domino, illa tamen quæ vſu conſumuntur, non tenetur eadem numero reſtituere, ſed ſat erit alia eiuſdem rationis, vel eorum valorem reſtituere. Si enim quis per vſuram acquiſiuit decē aureos, vel decem modios tritici non tenetur eoſdem numero reſtituere, ſed ſat erit alios, vel eorum valorem reddere.

4. Concluſio. ¶ Quarta concluſio, De bonis emptis pecunia vſuraria poteſt fieri eleemoſyna, quando ille, qui eleemoſynam facit, habet aliunde, ex quo poſsit debitum reſtituere. Hæc concluſio eſt contra gloſſam in cap. cum tamen. extra de vſuris. dicentem res emptas pecunia vſuraria ad quemcunque peruenerint eſſe vero domino reſtituendas. Et ratio gloſſæ eſt: quia cum res illæ ſuccedant loco pecuniæ vſurariæ, videtur, quod ſicut pecunia erat reſtituenda, ità etiam res empta. Et pro hoc facit, quod Papa eo in loco præcipit poſſeſsiones emptas ex pecunia vſuraria vendi, & earum pretium reſtitui illis à quibus per vſuram fuerat exactum. Sed noſtram concluſionem tenet D. Thomas. 2. 2. quæſt. 78. art. 3. ad. 2. Et ratio eſt: nam res illæ emptæ, vel acquiſitæ ex pecunia vſuraria verè ſunt propriæ illius, cuius induſtria ſunt acquiſitæ, quanuis pecunia vſuraria fuerit materia illius induſtriæ. Vnde vſurarius ſolùm tenebitur reſtituere pecuniam per vſuram acquiſitam, & damnum emergens, & lucrum ceſſans, ſicut de alijs rebus furto ſublatis dicere ſolemus, fructus autem talis poſſeſsionis erunt ipſius vſurarij. Nec contrarium dicitur in capite citato, quia, vt bene notat D. Thom. loco citato, non præcipitur in illo, vt poſſeſsiones reſtituantur, ſed quod vendantur, & ex illarum pretio debitum vſuræ perſoluatur: ſi autem debito ſoluto aliquid ſuperfuerit ipſi vſurario eſt tribuendum.

Vltima concluſio. ¶ Vltima concluſio, Bona per vſuram acquiſita debent pauperibus diſtribui, ſi habita diligenti, & exacta inquiſitione conſtare nequiuerit, quinam ſint illi, à quibꝰ ea per vſuram fuerūt extorta, aut ſi ſunt defuncti, & nulli eorum hæredes extant. Hæc concluſio eſt communis omnium Doctorum, quam & ponit D. Auguſtinus in capite. non ſanè. 14. quæſt. 5. & eſt expreſſa determinatio Alexandri Papæ in capite. cum tamen. extra de vſuris. Vbi dicitur, quod illi, qui vſuras extorſerunt cogendi ſunt per pœnam eas ijs, à quibus extorſerunt, vel eorum hæredibus reſtituere (vel his non ſuperſtitibus) pauperibus erogare. &c. Et ſic prima D. Thom. concluſio, iuxta harum concluſionum modificationem erit intelligenda.

¶ In ſecunda concluſione dicit duo D. Tho. Primum eſt, quando aliquid ſic eſt illicitè acquiſitū, vt retineri nō poſsit, nec reſtitui debeat illi, qui dedit, vt contingit in ſimonia, tunc illud pauperibus eſt erogandum. Secundum, quod eadem ratio eſt quandocunque non ſolum acceptio eſt iniqua, ſed etiam datio. Circa primam huius cōcluſionis partē aliqua ſunt ſupponenda pro illius intelligentia. Primum eſt, quòd vitium ſimoniæ varijs pœnis in iure afficitur, quas refert Siluеſter verbo. Simonia. §. 19. Prima eſt, ſuſpenſio ab executione ordinis. Secunda, infamia, de qua dicitur in capite. ſane. 15. quæſtione. 3. & in capite. inquiſitionis. de accuſationibus. Tertia eſt Papalis excommunicatio, quam incurrūt ipſo facto tam qui faciunt, quam qui adiuuant, & eius abſolutio reſeruatur ſummo Pontifici, vt conſtat ex Extrauaganti. cum deteſtabile. de ſimonia. Vltima pœna eſt reſignatio, atque reſtitutio ex vtraque parte, tum rei ſacræ, vel beneficij, tum etiam pecuniæ datæ propter beneficium. *Circa. 2. concluſionē D. Tho. nota. 1.*

¶ Secundò eſt ſupponendum, quod ſimonia eſt duplex, vna mentalis, altera realis. Mentalis eſt internum propoſitum, & intentio dandi, aut accipiendi aliquid temporale pro ſpirituali: &, vt docet Caietanus in ſumma verbo. ſimonia. continet tres gradus. Primus conſiſtit in ſola intentione, abſque vllo opere, vt cum quis mente decreuit emere, aut vendere aliquid ſpirituale. Secundus eſt cum quis externa munera offert intentione praua, ſed latenti, accipiendi aliquid ſpirituale. Tertius autem quando pactum intercedit, ſed non mandatur executioni, ſed vtraque pars deſiſtit ab incepto. Simonia realis eſt illa, quę pacto fit tacito, vel expreſſo, hoc eſt, ſignis, vel nutibus ſignificato. Et hæc adhuc eſt duplex. Vna verè realis, & eſt quando cum re exterius geſta concordat animus. Alia *Nota. 2.*

vero

vero eſt deceptoria, quam & fictam appellare poſſumus: & eſt quando quis externus promittit ſe daturum aliquid pro re ſpirituali, interius tamen non habet propoſitum adimplendi promiſſum.

Dubium. ℂ His conſtitutis eſt difficultas, vtrùm omnes ſimoniaci, quicunque ſint illi, incurrant pœnas iure ſtatutas contra ſimoniacos, & maximè illã, quæ obligat ad reſtitutionem. ℂ Ad cuius explicationẽ ſit

1. Concluſio. prima concluſio. Qui committunt mentalem ſimoniam primo, & tertio modo non incurrunt pœnas iure ſtatutas contra ſimoniacos. De eo, qui committit ſimoniam primo modo eſt res manifeſta, quia ea tantum conſtat actu interiori, de qua Eccleſia non habet iudicare, vt communiter docent Doctores. Quod autem nec etiam illi, qui committunt ſimoniam mentalem tertio modo incurrant illas pœnas probatur. Nam primo non ſunt obnoxij reſtitutioni, cum nihil acceperint, ſed antequam contraxerunt mutauerunt ſententiam. Nec etiam ſunt excommunicati, quia, vt docet Caietanus in ſumma. verbo. excommunicatio. cap. 72. excommunicatio, quæ fertur in ſimoniacos tantum fertur in illos, qui re ipſa vendunt, vel emunt aliquid ſpirituale: illi autem, de quibus loquimur re ipſa nihil horum fecerunt.

2. Concluſio. ℂ Secunda concluſio. Qui committunt ſimoniam mentalem ſecundo modo, id eſt, qui nullo pacto exterius interueniente, ſed tantum corrupto animo aliquid dant pro ſpiritualibus, non ſunt excommunicati: ita tenet Caietanus verbo. excommunicatio cap. 73. Et ratio eſt, quia excommunicatio, quæ de hac materia datur, tantum infertur in eos, qui ex pacto dant, vel accipiunt aliquid temporale pro ſpiritualibus. Et probatur ex cap. mandaro. de ſimonia. Vbi dicitur, quod huiuſmodi ſimoniaci per ſolam pœnitentiam ſatisfaciant ſuo creatori. Vtrùm autem teneantur ad reſtitutionem bonorum temporalium, vel ſpiritualium, varietate opinionum diſputatur à Doctoribus.

Sententia Soti. Soto lib. 9. de iuſtitia & iure. quæſt. 8. artic. 1. & Adrianus quodlib. 9. arti. 3. partem tenent affirmatiuam dicentes, quod tam beneficium, quam pretium praua intentione acceptum eſt neceſſario reſtituendum. Contrariam tamen ſententiam tenet Caietanus infra quæſt. 100. artic. 6. *Sentẽtia Caietani.* & videtur eſſe D. Thomæ in ſolutione ad 6. in illo loco. Nam dicit, quòd ſola voluntas facit ſimoniacum, ſed quoad pœnam Eccleſiaſticam exteriorem non punitur. Hoc etiam tenet Nauarro in Manuali. capit. 27. numer. 107. & copioſiùs in commentarijs ſuper capit. finale. de ſimonia. nume. 11 & videtur diffinitum in illo capitulo. Nam dicit Gregorius IX. quòd quando aliquid eſt acceptum temporale ſimoniaca intentione, quæ tamen nullo modo exterius eſt manifeſta, neuter illorum tenetur ad reſtitutionem, ſeu reſignationem, ſed ſat erit vtrique, ſi per pœnitentiam ſatisfaciat ſuo creatori. Et ſic hæc ſententia meo iudicio eſt vera, quam & communiter tenent omnes Doctores, tam Theologi quam Canoniſtæ, vt dicit Nau. loco poſterius citato.

Argum. ℂ Et ſi quis argumẽtetur contra iſtã ſententiã ex D. Tho. qui in hoc articulo dicit ꝙ quando datio & acceptio eſt illicita & contra legẽ, illud quod ſic eſt acceptũ, nec retineri poteſt, nec debet reſtitui illi, qui dedit, ſed ſic eſt, quòd in mentali ſimonia tam datio, quam acceptio eſt illicita, & contra legem Dei, vt potè à ſimoniaca intentione procedens, ergo non poteſt retineri. ℂ Ad hoc argumentum reſpondet *Solutio.* Caietanus infra quæſt. 100. artic. 6. notando, quòd datio, vel acceptio dupliciter poteſt eſſe illicita. Vno modo ſecundum formam exteriorem, quam ipſa datio, vel acceptio præſefert, vt quando interueniente pacto, ſpirituale accipitur, vel datur pro temporali pretio: tunc enim eſt ſecundum exteriorem formam emptio, & venditio ſpiritualis pro temporali. Alio modo datio, ſeu acceptio eſt illicita non ſecundum exteriorem formam, quia ſecundum quod exterius apparet ſolum eſt quędam gratuita donatio: eſt tamen illicita, quia procedit ex ſimoniaca intentione: vt quando nullo pacto interueniente aliquis offert Epiſcopo cyphum aureum hac intentione, vt pro illo accipiat beneficium, illa datio cyphi extrinſeca gratuita apparet, eſt tamen illicita ratione intentionis, à qua procedit. Et hæc donatio dicitur illicita per accidens, prior vero per ſe. Hoc ſuppoſito dicit Caietanus, quòd illa regula poſita à D. Thoma. in hoc articulo; eſt intelligenda quando datio, vel acceptio

eſt illicita primo modo, non autem quando eſt illicita ſecundo modo. In ſimonia autem mentali ſolum datio, vel acceptio eſt illicita iſto ſecundò modo: & ideò quidquid per illum acceptũ eſt, retineri ſalua conſcientia poteſt. Hæc ſolutio Caietani alteri illius ſententiæ (ſed alio loco dictæ) contraria eſt, vt ex ijs, quæ ſtatim dicemus apparebit. Potuiſſet Caietanus iuxta ſuam ſententiam aliter melius reſpondere dicendo, quòd D. Thom. loquitur de datione, & acceptione, quæ illicita eſt, non ſolùm quia naturali, & diuina lege prohibita, ſed etiam humana. Quod enim ſic illicite acceptum eſt, & datum retineri non poteſt. Simonia autem mentalis naturali quadam & diuina lege prohibita eſt, non autem humana, quia de interioribus non iudicat homo: & ideo quod per dationem mentalem ſimoniacam acceptum eſt retineri poteſt: nec hoc obſtat doctrinæ poſitæ in hac ſecunda concluſione. Sed quoniam nec hęc ſolutio nobis planè ſatisfacit, aliam paulò inferius dicemus.

3. Concluſio. ¶ Tertia concluſio. Qui committit ſimoniam realem fictam, vel deceptoriam, hoc eſt, promittit dare aliquid temporale, pro ſpirituali, ſine animo tamen adimplendi promiſſum, non incurrit pœnas iure ſtatutas contra ſimoniacos. Itaq; nec eſt excommunicatus, nec tenetur reſignare beneficium tali pacto interueniẽte comparatum, ſaltim in foro conſcientiæ. Nam in foro contentioſo, cum Eccleſiæ non poſsit conſtare de illius animo, certum eſt, quòd iudicabitur obnoxius omnibus iuris pœnis. Ità tenet Caietanus quodlibeto. 2. quæſt. 10. & Soto libr. 9. de iuſtitia & iure. quæſt. 8. artic. 1. Et ratio eſt manifeſta: nã qui taliter decipit nihil ſpirituale emit, ſed fingit ſe emere: ergo non eſt re vera ſimoniacus, atque ex conſequenti in foro conſcientiæ non incurrit pœnas iure ſtatutas contra ſimoniacos.

4. Concluſio. ¶ Quarta concluſio. Qui per ſimoniam verè realem ſe ignorante ab alijs commiſſa acquirit, vel beneficium, vel ordinem, non incurrit pœnam excommunicationis, incurrit tamen pœnam ſuſpenſionis ab ordine, & tenetur reſignare beneficium. Et quidem, quod non incurrit excommunicationem eſt res manifeſta: nam excommunicatio ſemper fertur in contumaces, & in eos, qui peccant mortaliter: at vero ille non eſt contumax, nec præterea aliquid peccat, ergo. De ſuſpenſione vero & reſignatione eſt expreſſa ſententia Diui Thomæ infra quæſt. 100. artic. 6. ad 3. quæ habetur definita in cap. nobis. & in capit. de regularibus. de ſimonia. Eſt tamen hoc intelligendum dummodo alij id non faciant in odio animo, in fraudem & diſpendium illius, qui vel eligendus, vel ordinatus erat. Tunc enim non tenetur reſignare beneficium, nec maneret ſuſpenſus ab ordine, vt conſtat expreſſe ex capit. nobis. & ex capit. ſicut. de ſimonia.

¶ Quinta concluſio. Qui committunt ſimoniam verè realem ſunt excommunicati, non ſolum ipſi, ſed etiam illi, qui intercedunt, vt habetur expreſſe in Extrauaganti. cum deteſtabile. de ſimonia. & præterea ipſi contrahentes tenentur ad reſtitutionem, tam rei ſpiritualis, quam ipſius pretij, vt dicitur in capit. ſi quis. & in capit. presbiter. 1. quæſt. 1. Et ſi quis quærat, vtrum qui accipit beneficium promittens ſe daturum pecuniam, quam poſteà non dat teneatur ad reſtitutionem beneficij, dico breuiter, quod ſi ille, qui promiſit pecuniam, ante collationem beneficij dicat Epiſcopo, ſe nolle adimplere promiſſum & Epiſcopus adhuc conferat beneficium, talis non tenetur illud reſignare. Et ratio eſt, quia illa collatio iam vere ſit gratis. Cæterum ſi tantum poſt collationem factam mutauit ſententiam, tũc tenebitur reſignare beneficium, quia cum talis collatio ſit facta interueniente pacto de perſoluenda pecunia erit dicenda vera venditio. 5. Concluſio.

Dubium. ¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco, vtrũ ſimoniaci teneantur ad reſtitutionem ſolum ex iure poſitiuo, an etiam ex iure diuino, atque naturali. Ad cuius explicationem eſt aduertendum, quòd in præſenti non quærimus, vtrum qui emit, aut vendit res ſpirituales peccet contra ius naturale, & diuinum: nam certum eſt, quod qui ſimoniam committit contra omnes ius peccat. Sed quod quærimus eſt, vtrum quemadmodum iure naturali, & diuino eſt prohibita venditio rei ſpiritualis, ità etiam eodem iure ſit impedita tranſlatio dominij.

1. Sententia Caietani. ¶ De qua re ſunt variæ Doctorum ſenten

ſententiæ. Prima eſt Caietani infra. q. 100, art. 6. & in ſumma. verbo. ſimonia. Qui dicit tranſlationem dominij in huiuſmodi contractibus ſimoniacis eſſe prohibitam iure tantum poſitiuo. Idem etiam tenet Victoria in relectione. de ſimonia. parte. 2. & Syluester verbo. ſimonia. §. 20 & Panormitanus in capi. mandata. & in cap. tua nos. de ſimonia.

1. Argum. Quæ ſententia probatur primò, ex capit. mandato. ſtatim citato, vbi dicitur, quod qui dederint aliquid pro ſpiritualibus nullo pacto interueniente non tenentur ad reſtitutionem, ſed ſatis eſſe, quòd per dolorem, & pœnitentiam ſatisfaciant creatori. Ex quo loco ſic colligo argumentum. Si iure diuino, atque naturali eſſet prohibitum, vt ſimoniaci acquirerent verum rerum dominium, ſequeretur, quòd non ſolum ſimoniaci reales, ſed etiam mentales tenerentur ad reſtitutionem, conſequens autem eſt falſum, vt conſtat ex capite mandato, iam citato: ergo. Sequela probatur à ſimili. Nam, quia de iure naturali, & diuino eſt, vt vſurarius non acquirat dominium, idcirco non ſolum vſurarius realis, ſed etiam mentalis tenetur ad reſtitutionem: ergo, ſi de iure naturæ eſt, vt ſimoniacus non acquirat dominium, nec ſimoniacus mentalis, nec realis illum acquirit.

2. Argum. ℭ Secundo, Eadem lege prohibetur emptio & venditio rei ſpiritualis, ſed qui emit beneficium ſtando in iure naturæ, non tenetur illud reſignare, vt infra dicemus: ergo nec qui accipit pecunias ſtando in eodem iure tenebitur illas reſtituere.

3. Argum. ℭ Tertiò, Si iure naturæ ſimoniaci tenerentur ad reſtitutionem, ſequeretur, quòd reſtitutio eſſet facienda ei, qui dedit pecuniam pro re ſpirituali, conſequens autem eſt falſum, vt communiter docent Doctores: ergo.

2. Sententia Hoſtiēſis & aliorum. ℭ Alia ſententia eſt in alio extremo, quæ aſſerit omnes ſimoniacos iure naturæ teneri ad reſtitutionem. Hanc tenent Hoſtienſis, & Innocentius in capite, tua nos. de ſimonia. & Adrianus quodlib. 9. & Marſilius in. 4. diſtinct. 25. quæſt. 5. & Soto libro. 9. de iuſtitia & iure. quæſt. 8. artic. 1. Itàque ſecundum hos Doctores tam recipientes pecuniam, quàm rem ſpiritualem, vt beneficium, iure naturæ tenentur ad reſtitutionem.

1. Argum. Et probant ſuam ſententiam primo hac ratione, quæ eſt D. Thom. infra quæſtione. 100. artic. 6. Omnis collatio ſimoniacè facta eſt contra voluntatem, & ordinationem domini rei ſpiritualis, qui vult, vt hæc dona gratis conferantur: ergo per illam non transfertur dominium, atque ex conſequenti tam illi, qui recipiunt ſpirituale, quàm illi, qui recipiunt temporale tenebuntur ad reſtitutionem.

Cōfirmatio. ℭ Et confirmatur, Si talis reſtitutio tantum eſſet de iure poſitiuo, ſequeretur, quòd ſimoniaci non tenerentur ad reſtitutionem ante iudicis condemnationem, conſequens autem eſt falſum, & contra communem doctorum ſententiam, ergo. Sequela probatur: quia lex præcipiens talem reſtitutionem eſſet pœnalis, atque ex conſequenti non obligaret ad ſui executionem ante iudicis condemnationem, ſicut & quæcunque aliæ leges pœnales.

Sententia autoris. ℭ Nos tamen media via procedentes ad difficultatis explicationem ponimus primam concluſionem, quæ talis eſt,

1. Concluſio. Quicunque vendit rem ſacram iure diuino, & naturali tenetur reſtituere pecuniam, vel pretium acceptum. Probatur, Ea, quæ acquiruntur per vſuram idcirco iure naturæ ſunt obnoxia reſtitutioni, quia vſus pecuniæ, ex quo acquiritur, vendi non poteſt: ſed nec etiam res ſpirituales poſſunt vendi, vt omnes concedunt, ergo pecunia pro illis accepta iure naturæ erit obnoxia reſtitutioni. Et confirmatur, Qui vendit rem ſpiritualem violat iuſtitiam commutatiuam, accipiendo pecuniam pro re, quæ non eſt pretio æſtimabilis, & quam tenemur dare gratis. ergo iure naturæ obligatur ad reſtitutionem. Antecedens eſt manifeſtum, & conſequentia probatur: quia quicunque facit contra iuſtitiam commutatiuam eſt obnoxius reſtitutioni, vt communiter docent Doctores. Item hæc concluſio probatur à ſimili. Nam, ſi quis præciperet ſuo diſpenſatori, vt daret ſingulis pauperibus ſingulos modios tritici gratis, & ſine aliquo pretio, ipſe autē poſteà exigeret pretiū à pauperibus proculdubio iure naturæ teneretur ad reſtitutionem: ergo pari ratione dicendum eſt de eo, qui accipit pecuniam pro re ſpirituali, quam ex domini præcepto gratis tenetur conferre. Hanc etiam concluſionem probant argumenta facta pro ſecunda opinione.

2. Concluſio. ℭ Secunda concluſio, Stando in ſolo

 iure

iure naturali, & diuino, qui per ſimoniam acquirit beneficium, vel aliam rem ſpiritualem non tenetur illam reſtituere. Probatur: quia licet is, qui emit rem ſpiritualem peccet grauiter contra religionem irrogando iniuriam rei ſacræ, non tamen peccat contra iuſtitiam, aut commutatiuam, aut diſtributiuam: ergo non obligatur ad reſtitutionem. Conſequentia eſt nota: nam ſolum ille, qui facit contra iuſtitiam obligatur ad reſtitutionem. antecedens verò probatur. Et primò, quòd non faciat contra iuſtitiam diſtributiuam eſt res manifeſta. Quod autem nec etiam faciat contra iuſtitiam commutatiuam probatur. Nam iuſtitia commutatiua ex parte ementis violatur, cum is, qui emit, ſoluit pretium minus iuſtum: ſed qui emit rem ſacram non ſoluit aliquid minus iuſtum, ſed plus iuſto, ergo. Et confirmatur à ſimili. Nam, ſi pauper, cui modius tritici gratis eſſet donandus, pretium perſolueret, non teneretur iure naturæ ad reſtitutionem: ergo nec in noſtro propoſito, qui dat pecunias pro beneficio quod illi gratis erat conferendum. Item ſecundum ius poſitiuum, qui ſimoniacè fit Papa non tenetur talem dignitatem reſignare, vt patet ex capite licet de electionibus. & gloſſa in capite ſi quis pecunia. 79. diſt. ergo non eſt de iure diuino, aut naturali, vt ſacerdotia, vel beneficia ſimoniacè acquiſita reſignentur. Patet conſequentia: nam aliàs ius poſitiuum non poſſet aliud facere.

3. *Concluſio.* ¶ Tertia concluſio. Poſitiuo iure humano, ſimoniaci tenentur reſignare res temporales, & ſpirituales, etiam ante iudicis condemnationem. Hæc concluſio communiter recipitur ab omnibus Doctoribus. Et probatur ex concilio Conſtantienſi. ſeſsione. 43. vbi diffinitur contractus ſimoniacos eſſe ipſo iure nullos, & idem habetur in pluribus alijs capit. iuris.

Ad. 1. argu. pro. 1. opinione. ¶ Et ad primum argumentum pro prima opinione reſpondetur, quòd quanuis verum ſit, quod tam ſimoniaci mentales, quàm reales teneantur iure naturæ ad reſtitutionem pecuniæ, quam acceperunt pro re ſpirituali, tamen quia ex diſpoſitione iuris pecunia ſic acquiſita reſtituenda eſt Eccleſiæ, vel pauperibus, vt infra dicemus, & non illi, qui illam dedit, idcirco Papa in caſu ſimoniæ mentalis poteſt cedere iuri ſuo, & ſic cedit in illo capite, in quo quidem non diſcernit, quòd ſimoniaci mentales non tenentur ad reſtitutionem, ſed benignè agit cum illis concedendo illis pecuniam, quam ſibi, vel Eccleſiæ reddere tenebantur. ¶ Et ſi quis quærat, quænam ſit cauſa, propter quam Papa hoc faciat cum ſimoniacis mentalibus, cum tamen de vſurarijs expreſſè habeatur in capite. conſuluit. de vſuris. quòd vſurarij mentales tenentur ad reſtitutionem, reſpondetur id factum fuiſſe, quia acquiſita per vſuram ſunt reſtituenda ei, qui dedit pecunias, & Papa ſine cauſa non poteſt cedere iuri alterius, quanuis poſsit cedere iuri ſuo. ¶ Ad ſecundum reſpondetur conceſſa maiori, atque minori, negando conſequentiam. Nam, vt diximus in concluſionibus, alia ratio eſt, de emête, alia de vendente: nam qui emit rem ſpiritualem non facit contra iuſtitiam, & ſic non tenetur ad reſtitutionem: at verò ille, qui vendit, contra iuſtitiam facit, & ſic tenetur reſtituere. *Ad. 2. arg.*

¶ In tertio argumento tangitur difficultas de illo, cui debet fieri reſtitutio pretij accepti per ſimoniacum contractum. Ad cuius explicationem dico primo, ꝙ pretium acceptum pro aliquo beneficio Eccleſiaſtico, quando pro illo non redditur beneficium, non eſt pauperibus erogandum, ſed illi, qui dedit, reſtituendum. Hæc concluſio eſt Caietani in ſumma. verbo, ſimonia. & Victoriæ loco citato. quam tanquam certam & indubitabilem amplectitur Soto libro. 9. de iuſtitia & iure. quæſt. 8. articulo. 1. Sed quanuis non ſit adeò certa, vt rectè docet Couarruuias in relectione ſuper regula. peccatū. parte. 2. potuit enim fieri, vt in deteſtationem tanti criminis fuerit ille, qui dedit, per Eccleſiam ipſo iure priuatus pretio, quanuis non acceperit beneficium, eſt tamen illa ſententia multò probabilior. Et probatur. Pœnæ non ſunt extendendæ, ſed potius reſtringendæ, vt habetur cap. odia. de regulis iuris, in ſexto. ergò pœnæ, quæ in iure ſunt aduerſus ſimoniacos tantum ſunt intelligendæ, quando ſimonia eſt completa, & conſummata, hoc eſt, quando non ſolum eſt datum pretium temporale, ſed etiam pro illo redditur res ſpiritualis. Et cōfirmatur. Qui dedit pretium, *Dubium.* *1. Dictum.*

& non

& non accepit beneficium non tranſtulit à ſe dominium illius pretij, quod contulit: ergo remanet penes ipſum, atque ex conſequenti ei debet fieri reſtitutio. Conſequentia eſt nota, & antecedens probatur. Ille non habuit animum transferendi dominium, niſi quando beneficium ſibi fuerit collatum: ergo ſi non confertur non transfertur dominium. Ex hoc infertur inſufficientem fuiſſe illam ſolutionem Caietani, quam ſupra aſsignauit reſpondens ad quoddam argumẽtum quod faciebat ad probandum, ſimoniacos mentales teneri ad reſtitutionem, quia in ſimonia mentali, tam datio quam acceptio eſt illicita. Nam in hoc caſu quando pacto intercedente pro pretio temporali accepto non redditur ſpirituale, datio illa & acceptio eſt illicita ſecundum formam exteriorem, habet enim explicitam formam emptionis & venditionis, & tamen ſecundum Caietanum reſtitutio debet fieri illi, qui dedit pretium.

Corollariũ. ¶ Ex dictis omnibus infertur quòd ſecunda concluſio poſita à Diuo Thoma in hoc articulo ſolum eſt intelligenda de pretio acquiſito per ſimoniam exteriorem conſummatam, & perfectam quando, ſcilicet, accepro pretio temporali redditur pro illo ſpirituale. Tunc enim huiuſmodi pretium ſecundum Diuum Thomam, nec retineri poteſt, nec debet reſtitui illi, qui dedit, ſed pauperibus, vel Eccleſiæ. Quæ eſt expreſſa diffinitio Eccleſiæ in quadam extrauaganti, quæ incipit, Cum deteſtabile, & pluribus alijs capitibus iuris. Ad iſtum modum ꝙ pretium tribuatur illi Eccleſiæ in cuius cõtumeliam commiſſa eſt ſimonia. Vnde ſi eſt accepta ab ordinato ad nullum titulum, dabitur Eccleſiæ cathedrali: ſi ab ordinato ad titulum alicuius Eccleſiæ, vel beneficij, illi applicabitur: & ſi fuerit accepta pro Eccleſia vel pro beneficio, eidẽ erit tribuẽda, niſi Eccleſia fuiſſet in culpa: putà ſi totum collegium conſenſit ſimoniæ: quia tunc debet erogari pauperibus, ne Eccleſia de malo reportet lucrum. Poſſet tamen ex miſericordia reddi illi qui dedit, ſi eſſet pauper nec ſibi ſufficerẽt ſua, vel ſi dediſſet ex ignorantia. Et idem dicendũ eſt de pecunia accepta pro quibuſcunque alijs ſpiritualibus, quæ reſtituenda eſt illi Eccleſiæ in qua commiſſa eſt ſimonia, ita tamen quòd qui dedit, commodum non reporter, vt eſt videre apud Syluestrum. verbo. ſimonia. §. 20. Eſtque hoc intelligendum poſt iudicis condemnationem: nam de eo, cui debet fieri reſtitutio ante iudicis condemnationem maxima controuerſia eſt inter Doctores.

¶ Soto vbi ſupra dicit, ante condemnationem reſtituendum eſſe illi, qui dedit. Et ratio eſt: nam quanuis ille, qui accipit, ſit inhabilis iure diuino, & humano ad illud pretium ſimoniacum retinendum, ille tamen, qui tale pretium dat, non eſt priuatus illo, niſi per legem humanam, quam certum eſt non obligare ad pœnam ante iudicis condemnationem, iuxta reſolutionem gloſſæ in cap. fraternitas. 12. quæſtione. 2. Et confirmatur: nam ſi in aliquem illud dominium fuiſſet tranſlatum, maximè in illum, cui dedit, ſed in illum non tranſfertur, vt diximus: ergo remanet penes ipſum dantem, atque ex conſequenti illi debet fieri reſtitutio ante iudicis condemnationem. Ex hoc colligit Soto, quòd ille, qui accipit huiuſmodi pretium ſtatim abſq; vlla mora, nõ expectata iudicis ſententia, debet pretiũ acceptũ reſtituere illi, qui dedit. Addit tamen, quod accipiat ab illo cautionem, ne, ſi fiſcus reſciuerit, cogatur iterum reſtituere. Eandem etiam cautionem accipiendam eſſe tradit lib. 4. de iuſtitia & iure. quæſt. 7. articulo. 1. ad. 2. Sententia Soti.

¶ Hæc ſententia Soti mihi non placet. Et primum argumentum quod poteſt fieri contra illam, deſumitur ex vltimis verbis illius. Nam, ſi debet qui accipit rem ex ſimonia ante iudicis condemnationem reſtituere eam illi, qui dedit, manifeſtè ſequitur quòd etiam ſi fiſcus id reſciuerit poſteà, non poterit illum compellere ad iterum reſtituendum, atque ex conſequenti fruſtra talis cautio peteretur. Patet conſequentia: nam nullus poteſt compelli ad hoc, vt iterum reſtituat, quod iam legitimè eſt reſtitutum. Secundo. Si illa datio, qua pretium illud confertur eſſet honeſta, licet ille, cui datur non poſſet illud retinere, non tamen eſſet reſtituendum ei, qui dedit: ergo à fortiori quando datio eſt turpis non erit reſtituendum illi, qui dedit. Conſequentia patet: nam alias homo ex propria turpitu- Impugnatio Soti.

dlne commodum reportaret. Et antecedens probatur. Si aliquis daret eleemoſynam ſimulanti ſe eſſe pauperem, . ut mentiendi eſſe conſanguineum, licèt illa eleemoſyna non poſſet retineri, non tamen eſſet reſtituenda illi, qui dedit. vt communiter dicunt doctores, ergo à fortiori id erit dicendum, quando datio eſt turpis. Et confirmatur. In pari cauſa turpitudinis potior eſt conditio poſsidentis, vt Sylueſter verbo. reſtitutio. ſecundo, circa principium probat ex lege. ſi ob turpitudinem. ff. de conditionibus ſi ob turpem cauſam. ſed ille, qui accipit, & poſsidet ſimoniacum non poteſt illud retinere, vt ipſe Sotus affirmat: ergo nec illi, qui dedit erit reſtituendum. Vltimo argumentor. Nam, ſi ſententia Soti eſſet vera, ſequeretur quòd in nullo caſu habet verum ſententia Diui Thom. qua dicit, quòd pretium acquiſitum per ſimoniam, nec retineri poteſt, nec debet reſtitui illi, qui dedit, conſequens autem eſt abſurdum, ergo. Probo ſequelam. Nam, ſi in aliquo caſu non eſſet reſtituendum illi, qui dedit, maximè quando pretium eſt acquiſitum per ſimoniam realem, & conſummatam: ſed in hoc caſu affirmat Soto eſſe reſtituendum illi, qui dedit, quoadusque iudex per ſententiam contrarium præcipiat: ergo in nullo caſu habet locum ſententia Diui Thom. Niſi fortè quis dicat, quòd ſolùm habet verum poſt iudicis cõdemnationem: quæ ſolutio non videtur eſſe ad mentem Diui Thom. cum in hoc articulo nulla fiat mentio de iudicis ſententia, nec etiam hoc ſit peculiare in ſimonia.

2. *Dictum.* ¶ Vnde dico vltimo, quòd pretium per ſimoniam conſummatam acquiſitum nec debet reddi illi, qui dedit, nec eſt retinendum, ſed debet aut in pauperes, aut in alios pios vſus erogari etiam ante iudicis condemnationem. Hæc ſententia eſt Diui Thom. in hoc articulo & alijs locis citatis, illamque tenet expreſſe gloſſa. capitulo. peccati. de regulis iuris. in ſexto. & probatur ſufficienter argumẽtis factis contra Sotum. Nec argumentum quod ipſe in contrarium adducit aliquid valet. Nam quanuis dominium illius pretij non fuerit tranſlatum in illum, qui accepit, non tamen manet apud eum, qui dedit: tum quia ſua voluntate illud à ſe abdicauit: tum etiam, quia ſicut potuit ille, qui accepit, reddi iure inhabilis ad illud retinendum: ita etiam ille, qui dedit, potuit ſimiliter reddi inhabilis ad repetendum, cum par ſit vtriuſque turpitudo. Et ad id, quod dicitur de lege pœnali, quod non obligat ante iudicis condemnationem, dico quod: id intelligitur de legibus, ad quarum pœnæ exequutionẽ requiritur aliqua actio, aut paſsio, non autem de illis, quæ conſiſtunt in mera priuatione, qualis eſt ea, quæ reddit hominem inhabilem ad recipiendam pecuniam, quam ſemel per actũ ſimoniacum à ſe abdicauit, & ſic obligat in conſcientia ante iudicis condemnationem. ¶ Et ſi quis quærat apud quem maneat illius pecuniæ dominium, ſiquidem, vt diximus, nec manet in eo, qui illam accipit, nec in eo, qui dedit reſpõdetur cum Sylueſtro verbo reſtitutio. 8. §. 1. quòd ſpecialiter apud nullum manet: generaliter autem manet apud pauperes. Hæc enim reſtitutio pretij non eſt facienda pauperibus de iure naturali, aut diuino, ſed de ſolo iure humano, vt bene oſtendit Soto libro. 4. de iuſtitia. quæſtione. 7. artic. 2. ad 3. & Couarruu. in regula peccatũ. parte. 2. numero. 6. & parte. 3. §. 1. & Medina Codice de reſtitutione. quæſtione. 3. Et ratio eſt: nam cum de iure naturali, & diuino ſolum teneamur ſubuenire neceſsitatibus pauperum de proprijs bonis, manifeſte ſequitur non eſſe de iure diuino, & naturali, ſed tantum de iure humano, quòd illicitè acquiſita illis dẽtur. Et confirmatur ex cap. cum tu. de vſuris. & ex cap. qui habetis. & cap. non ſanè. 14. queſtione. 5. vbi id expreſſe dicitur. Quia ergo ius poſitiuum in deteſtationem criminis ſimoniæ præcipit, ne pretium reſtituatur illi, qui dedit, & iubet erogari pauperibus, fit vt hoc præcipiens conſtituat pauperes dominos illius pretij in generali: & quando poſteà alicui pauperi aliquid in particulari tribuitur, fit dominus talis rei in particulari. Et hæc de prima parte, ſecundæ concluſionis Diui Thomæ, dicta ſufficiant.

¶ Circa ſecundam partem eiuſdem cõcluſionis, in qua Diuus Thom. dicit quod idem iudicium eſt in omnibus alijs caſibus, in quibus datio & acceptio eſt iniqua, & illicita, eſt aduertendum, quod Doctores huius rei exemplum communiter

ponunt

ponunt in pretio, quod quis dat iudici, vt iniuſtam ferat ſententiam, aut teſti, vt falſò deponat, & etiam de pretio, quod datur alicui, vt alium occidat. Soto, lib. 4. de iuſtitia & iure. quæſtione. 7. artic. 1. ad 2. tenet quod ille, qui huiuſmodi pretiũ accipit tenetur ad reſtitutionem, etiam ante iudicis cõdemnationem. Et ſi quis obijciat legem, quæ prohibet hoc pretium retineri eſſe pœnalem, & ſic non obligare ante iudicis condemnationem, reſpondet, quod quia illa lex facit hominem inhabilem ad tale pretium retinendum, idcirco tenetur illud reſtituere, etiam ante iudicis cõdemnationem. Dicit tamen quod huiuſmodi pretium debet reſtitui illi, qui dedit. Et ratio eſt, quia licet per legem ille, qui accipit fuerit redditus inhabilis ad retinendum quod non erat ſuum, ille tamen, qui dedit non potuit priuati re propria ante iudicis condemnationem.

Sententia Soti.

Couarru. in regula peccatũ parte. 2. §. 2. diſtinguit de illo pretio. Et dicit, quod vel datũ eſt pro aliqua cauſa, quæ non eſt vendibilis, vt in ſimonia pro beneficio, aut iudici pro iniuſta ſententia, & tunc retineri non poteſt. Vel eſt datum pretium illud pro aliqua cauſa iniuſta vendibili tamen, vt contingit in eo, qui accipit pecuniam pro homicidio perpetrando, vſus enim iſtius rei pretio æſtimatur, & in hoc caſu dicit quòd pretium poteſt retineri, tanquam merces & præmium proprij laboris.

Sententia Couarru.

Nos tamen quid de hac re dicendum ſit conformiter ad D. Thom. explicabimus per duas propoſitiones.

Sententia autoris.

1. Propoſitio. ℭ Prima propoſitio, Pretium acceptum pro ſententia iniuſta, aut pro homicidio perpetrando quando opus, pro quo pretium datur, non ſubſequitur debet reſtitui illi, qui dedit. Hæc concluſio probatur eiſdem rationibus, quibus ſupra probauimus, quòd pretium datum pro beneficio, aut pro alia re ſpirituali, quãdo ipſum ſpiritale non datur, eſt reſtituendum illi, qui dedit.

2. Propoſitio. ℭ Secunda propoſitio. Sequuta cauſa, pro qua datum eſt pretium illud debet reſtitui non illi, qui dedit, ſed pauperibus, etiam ante iudicis condemnationem. Hãc concluſionem dicit eſſe certam, & indubitatam & communi conſenſu Doctorum acceptam Couarruuias loco citato. Et probatur eiſdem argumentis, quibus ſupra probauimus contra Sotum pecuniam acquiſitam per ſimoniam conſummatam non eſſe reſtituendam illi, qui dedit. Sicut enim Soto fatetur, quòd ille, qui accipit pretium, per legem eſt inhabilis ad illud retinendum, ità etiam nos dicimus, quòd ille, qui dedit, per eandem legem eſt factus inhabilis ad repetendum. Imo Couarruuias, hoc ſecundum exiſtimat multò certius. Et probari poteſt hæc ſecunda propoſitio meo iudicio efficaciſſima ratione. Nam ſtando in ſolo iure naturæ, ſecluſo omni iure poſitiuo ille, qui dat pecuniam pro homicidio ſubſequuto, non manet dominus illius pecuniæ, ergo nec per ius humanum iuri naturali ſuperadditum acquirit dominium talis pretij. Conſequentia patet: nam ius humanum non fauet delicto illius, qui dat pecuniam pro homicidio, faueret autem, ſi præciperet ſibi reſtitui rem cuius dominium ſtando in iure naturali ad ſe non pertineret. Antecedens vero probatur: quia libera & ſpontanea voluntate abdicauit à ſe dominium illius pecuniæ, & tranſtulit illud in eum, cui dedit: nihil autẽ eſt magis æquũ, quàm quòd per domini voluntatem volentis rem ſuam in alium transferre, dominium conferatur, vt dicitur Inſtituta, de rerum diuiſione. §. per traditionem. Et confirmatur. Per ius poſitiuum ille, qui accipit pretium ità redditur inhabilis ad illud retinendum, vt non acquirat dominium illius, cùm tamen ſtando in ſolo iure naturali illud acquireret: ergo à fortiori ille, qui dat, & ſtando in ſolo iure naturali non haberet dominium illius pretij, per ius poſitiuum redditur inhabilis ad illud recipiẽdum, atque ex conſequenti non ſibi, ſed pauperibus debet reſtitui.

ℭ De pretio autem dato iudici, vt iniuſtam ſententiam proferat, communis ſententia Doctorum tenet, quod illud nequit retineri. Ità affirmant Syluest. verbo. reſtitutio. 4. §. 1. & Archiepiſcopus Florent. 2. part. tom. 2. cap. 5. & Couarru. loco citato. Et ratio eſt: nam propterea qui accipit pretium pro re ſpirituali tenetur illud reſtituere quia tenebatur gratis dare, vt patet ex his, quæ ſupra diximus, ſed iudex tenetur gratis dare iuſtam ſententiam, vt dicit Diuus Gregorius in cap. qui rectè. 11. quæſtione. 3. ergo ſi pro hoc pretium accipiat tenebitur illud reſtituere.

Pretium acceptũ pro iniuſta ſententia eſt reſtituendũ illi, qui dedit.

Et con-

Et confirmatur ex capitulo non licet. 11. quæſtione. 3. vbi dicitur, quòd non licet iudici vendere iuſtum iudicium, etſi liceat aduocato vendere iuſtum patrocinium, & Iuriſconſulto rectum conſilium. Idem etiam habetur in capitulo non ſanè. 14. quæſtione. 5. Et confirmatur, quia vt Caietanus hic dicit, iuſtitia non eſt vendibilis: ergo ſi pro ea pretium accipiatur erit reſtituendum: pretium autem debet reſtitui illi, qui dedit, niſi ipſi dationi eſſet adiuncta maxima turpitudo.

Nota circa 3. conclu. D. Thom.

¶ Circa tertiam concluſionem Diui Thomæ eſt aduertendum, quòd Medina Complutenſis Cod. de reſtitut. quæſt. 20. tenet pro meretricio actu nihil poſſe recipi, tanquam precium illius actus, & ſi accipitur erit obnoxium reſtitutioni. Dicit tamen ꝙ poterit accipi, & retineri quod per modum damnationis fuerit collatum. Alij ex Canoniſtis, quos refert Couarru. vbi ſuprà. §. 2. dicunt, quòd quamuis precium poſsit accipi, & retineri ab ea, quæ eſt publica meretrix, nō tamen ab ea, quæ fuerit occulta, & multò minus ſi non cauſa quæſtus, ſed libidinis, ſui copiam faciat.

Meretrix poteſt pro actu venereo precium accipere.

In hoc tamen ſit concluſio certa, quod ſiue occulta, ſiue publica fuerit meretrix, poterit pro actu venereo precium accipere, tanquam mercedem ſuæ turpitudinis. Ità tenet Diuus Thom. infra quæſt. 62. articulo. 5. ad. 2. & Soto libr. 4. de Iuſtitia & iure. quæſtione. 7. artic. 1. ad. 2. eſtque communis ſententia omnium Doctorum tam Theologorum, quàm iuris prudentium. Et probatur ex lege. idem ſi ob ſtuprum. ff. de conditionibus ob turpem cauſam. vbi dicitur quòd licet meretrix turpiter agat in eo quòd meretrix eſt, non tamen turpiter facit in eo quod precium accipit pro meretricio. Et confirmatur. nam licet meretrix non ſit domina ſui corporis, eſt tamen domina vſus ipſius, vnde pro illo vſu poterit precium, & mercedem exigere. Item vſus corporis ad actus venereos eſt materia vendibilis, vt Caietanus in hoc articulo affirmat, & colligitur ex lege iam citata: ergo non peccat contra iuſtitiam, qui pro tali vſu precium accipit, atque ex conſequēti nec tenetur ad reſtitutionem. Et cōfirmatur, Tam ille qui dat pretium, quam qui accipit ſeruant legem iuſtitiæ commutatiuæ. cum pro re vendibili iuſtum precium datur: ergo nulla eſt obligatio reſtitutionis. Ex dictis infertur, ꝙ ſi meretrix accipiat exceſsiuum precium tenetur illud reſtituere, cum exceſſus ille repugnet æqualitati iuſtitiæ commutatiuæ, & ſimiliter erit reſtituendum, quod ſuperfluè per dolum, & fraudem ab amico fuerit extortum, vt dicit Diuus Thomas loco citato. Intelligit autem Caietanus per dolum, & fraudem verba, aut facta ſimulata. Sed id clarius explicat Soto, dicens eſſe quando vel fingit ſe eſſe integram, & incorruptam, vel ſemel tantum agnitam à magnate, aut ſi dicat, ſe non admittere alium præter illum. Hoc autem, quod diximus de non reſtituendo eſt intelligendum quando accipit ab eo, qui potens eſt donare: nam ſi pretium accipiat à filio familias tenebitur ad reſtitutionem. Sed limitat hoc Sotus, niſi fortè pro qualitate perſonæ pretium datum ſit exiguum: nam tunc pater id ratum habere videtur. Et ſi quis obijciat contra iſtam ſentētiam: nam in lege ſyncera. Codice. de donationibus inter virum & vxorem. miles donare prohibetur quicquam meretrici, & Deuterono. 23. dicitur. Non offeres mercedem proſtibuli, reſpondetur ad primum, quòd illic non iuſtum pretiū prohibetur, ſed larga donatio, idque in fauorem militū, cum tamen alij etiam donare illis poſsint, vt patet ex lege. affectionis. ff. de donatione. Ad ſecundum ſimiliter reſpōdetur quod ibi non condemnatur meretricis pretium, ſed propter fœditatem prohibetur in templo offerri, ſicut ſtatim dicitur de pretio canis, quia erat animal immūdum. Ioſephus affirmat id intelligi debere de precio, quod accipiebatur ab illis, qui locabant canes venaticos, & cuſtodes ouium ad imprægnationem canicularum, quòd prohibebatur offerri, eo quòd erat turpe lucrum, ſicut de meretricio dictum eſt. Alij id exponūt de primogenito canis: primogenita enim animalium immundorum, inter quæ canis enumerabatur, non poterant offerri, ſed redimebantur quinque ſiclis, vt habetur numero. 18. & dabantur ſacerdoti, pro primogenito autem canis non dabantur propter vilitatem huius animalis. Sed quicquid de hoc ſit, hoc eſt certum eo in loco nō prohiberi pretium datum pro meretricio, aut pro coitu canis iuxta expoſitionem Ioſephi, ſed tātum interdicebatur.

obla-

oblatio de huiuſmodi bonis facta propter rei turpitudinem.

Sententia D. Tho. de acquiſitis per ludum.

¶ In ſolutione ad ſecundum argumentum dicit Diuus Thom. multa pertinentia ad materiam ludi. Primum eſt, eſſe contra ius diuinum, quod aliquis lucretur aliquid ab his, qui non poſſunt res ſuas alienare, vt ſunt filij familias, furioſi, ſtulti, monachi, & alij ſimiles. Secundum, quòd etiam eſt contra ius diuinum lucrari aliquid ab eo, quem quis traxit ad ludendum cupiditate lucri. Tertium, quòd etiã eſt contra ius diuinum, aliquid lucrari per fraudem. Vnde in his omnibus caſibus nulla ratione erit licitum eleemoſynam facere de rebus per ludum acquiſitis, ſed erunt reſtituendæ veris dominis ſicut de alijs rebus furto ſublatis dictum eſt. Dicit præterea Diuus Thomas quòd ſi aliquis ludus ſit prohibitus iure ciuili, illi, qui fuerint ſubiecti talibus legibus obligantur ad reſtitutionem eorum, quæ ſic lucrati fuerint, niſi forte tale ius per conſuetudinem ſit abrogatum. Ille tamen, qui trahitur ab alio ad huiuſmodi ludum interdictum non tenetur illi reſtituere ea, quæ lucratus fuerit, nec etiam poteſt illa apud ſe retinere, ſed debent dari pauperibus in eleemoſynam. Hæc omnia indigent longa explicatione. Et vt à notioribus incipiamus dico primo, certum eſſe, & communi ſentẽtia Doctorum comprobatum, quòd ea, quæ per faudem in ludo acquiruntur ſunt neceſſario reſtituenda, vt habetur expreſſe in capit. Apoſtolica ſedes. de reſcriptis. Dolus enim & fraus nemini debent patrocinari. Et ratio eſt manifeſta: nam ea, quæ per fraudem in ludo acquiruntur contra iuſtitiam auferuntur ab inuito, & inuoluntario, & ſic per illam acceptionem non transfertur dominium. Si quis autem quærat, quid nam in præſenti intelligamus nomine fraudis reſpondetur, quòd non dicitur is fraudulenter ludere, qui vtitur cautelis, quæ ſecundum ludi leges permittuntur, ſed qui facit aliquid, quod eſt naturæ ludi repugnans, aut diſſonum. Vnde quando dubium fuerit, vtrum in ludo fraus interueniat cõſulendi ſunt periti talis ludi: & ſi eorum arbitrio fuerit decretum nõ eſſe contra leges ludi quod fit, non merebitur nomen fraudis, nec ſic acquiſitum erit obnoxium reſtitutioni. Secus autem eſt ſi tales ludi periti iudicauerint id eſſe contra leges ludi: nam tunc qui acquiſiuit pecuniam tenebitur illam reſtituere. Ex hoc infero primo, quòd ille, qui habet potiores partes ludi, etiam ſi ſciat ſe non poſſe perdere poterit augere ſponſionem, nec pecuniam ſic acquiſitam tenebitur reſtituere, cum id ſit conforme legibus ludi. Eſt enim ludus quidam contractus, quo ludentes, vel tacitè, vel expreſſè inter ſe ſe conueniunt, vt vterque pecuniam periculo exponat ſub tali & tali conditione.

1. Corollariũ

¶ Infero ſecundo, quòd etiam ille, qui habet pro certo ſe perdere pecuniam expoſitam, poteſt augere ſponſionem, vt alius illã recuſans perdat, quia hæc omnia ſunt conformia legibus ludi, vt rectè docet Couarruu. regula peccati. §. 4. num. 4. & Medina Cod. de reſtitutione. q. 22. Et eſt aduertendum quòd non ſolum acquiſita per fraudem admixtam ludo ſunt neceſſario reſtituenda, ſed etiam illa, quæ acquiruntur per fraudem præcedentem ipſum ludum, vt quando quis fingit ſe ignarum ludi, vt dicit Sylueſt. verbo. ludus. §. vndecimo.

2. Corollariũ

Sentẽtia Adriani.

¶ Circa aliud, quod Diuus Thom. dicit eſſe contra ius diuinum, ſcilicet, lucrari ab illo, quem quis traxit ad ludendum, eſt aduertendum, quòd Adrianus in quarto, in materia de ludo recedit ab hac ſententia, dicens non teneri aliquem ad reſtitutionem ex eo quòd lucratur ab illo, quẽ traxit ad ludum. Solent enim luſores ſe inuicem ad ludum incitare, nec ex hoc obligantur ad reſtitutionem. Sed proculdubio ſententia Diui Thom. eſt veriſſima, ſi rectè intelligatur. Non enim loquitur de leui tractu, ſed de eo, qui facit inuoluntarium mixtum, ſeu ſecundum quid, quod eſt quando quis conuitijs, aut importuniſſimis precibus trahitur ad ludendum, ità vt nollet ludere, ſi aliter opprobria illa vitare poſſet. Et ratio eſt: nam ſicut in vſura non transfertur dominium pecuniæ vſurariæ in vſurarium, propterea quòd non liberè, & voluntarie, ſed inuoluntariè illi confertur ità etiam in noſtro propoſito qui ſic inuitus ludit non transfert dominium pecuniæ perditæ in illum, qui lucratur. Vnde ſtatim erit ſibi reſtituenda.

Nota.

¶ Circa aliud, quod Diuus Thomas dicit eſſe contra ius diuinum, ſcilicet, lucrari ab illis, qui non poſſunt res ſuas alienare,

eſt

eſt aduertendum cum Magiſtro Soto, libro.4. de Iuſtitia. quæſtione. 5. articulo.2. quòd licet regulariter loquendo filijfamilias, & alij minores, non poſsint aliquid perdere, ſicut nec donare, illi tamen, qui, ſingulis annis centum aureos in ſtudijs expendunt, bene poterunt quatuor, vel quinque exponere ludo. Veroſimile eſt enim eorum parentes, aut tutores hoc ratum habituros, & quòd ex illorũ volũtate fiat. Et idem dicit Nauarro in Manua. cap.19. numero. 9. eſſe concedendum de monachis, qui expenſis alicuius conuentus, vel totius religionis ſtudijs incumbunt in aliqua vniuerſitate, aut negotia in curia gerunt, quod quidem probabile eſt, dummodo expreſſe non conſtet id eſſe contra voluntatem prælati.

Dubium. ¶ Sed dubium eſt, vtrùm ſicut maior tenetur reſtituere minori id, quòd ab ipſo lucratus fuerit, ità etiam vice verſa, minor idem teneatur reſtituere maiori? Ad cuius explicationem dico primò certum eſſe, ꝙ ſicut maior non tenetur reſtituere minori eam pecuniam, quam ex voluntate parentis poterat ludere, ità etiam nec minor tenebitur reſtituere maiori eandem quantitatem, ſi illam fuerit lucratus. Probatur, quia in hoc æqua debet eſſe vtriuſque ratio atq; conditio. ¶ Dico ſecundò etiam apud me eſſe certum, quòd minor tenetur reſtituere maiori illam pecuniæ ſummam, quam maior illi teneretur reſtituere, ſi eam fuiſſet ab eo lucratus. Hoc tenet Soto vbi ſupra, & Caſtro libro. 2. de lege pœnali. capite. 2. & Couarruuias vbi ſupra. Et probatur. Nam ludus eſt quidam contractus, vt ſupra diximus: natura autem contractus eſt, vt vterq; maneat aut ligatus, aut ſolutus: alioqui contractus non eſſet licitus. Et confirmatur. Si maior ineat aliquem contractum cum minori, ſi ex illo nulla oritur obligatio minori, nec etiam maiori: ergo idem dicendum erit in propoſito. Et eſt valde notandum. quod quantumcunque aliquis fuerit lucratus ab aliquo maiori centum aureos, ſi poſtea ipſe lucratur à pupillo alios centum, adhuc tenetur illos reſtituere, nec liberatur ab obligatione reſtitutionis, ex eo quod ipſe illos amiſerit. Et ratio eſt, quia maior ſemper retinet rem alienam inuito domino rationabiliter. Eſtque huius rei apertiſsimum exemplum: nam non ſequitur, quod ſi fuit mihi furatus equus, ego poſſum aliũ equum furari. Verum tamen eſt, quod ſi maior lucratus fuerit illos centum aureos ab eo, qui iam à ſe illos lucratus fuerat, poterit illos retinere, aliâs nullo modo. Et hæc dicta ſint de illis, quæ D. Thomas dicit eſſe contra ius diuinum.

1. Dictum. *2. Dictum.*

Dubium. ¶ Circa alia, quæ D. Thom. dicit in eadem ſolutione ad ſecundum de iure humano, eſt prima difficultas, vtrùm ſaltim ex iure poſitiuo, acquiſita per ludum ſint neceſſario reſtituenda. In qua dubitatione vnum præſupponitur, & alterum quæritur. Quod præſupponitur eſt, quod ſtando in ſolo iure naturali, & diuino acquiſita per ludum etiam alearum non ſunt neceſſario reſtituenda: ſed poſſunt retineri, illis tantum tribus caſibus exceptis, quando, ſcilicet, ludentes non ſunt ſui iuris, aut fraus intercedit, aut alter illorum inuitus trahitur ad ludendum, vt iam diximus. Quod quidem verum eſt, & extra controuerſiam poſitum. Sed dubium eſt, vtrùm ſaltim ex iure humano oriatur obligatio reſtitutionis in illo, qui aliquid lucratus fuerit. De qua re ſunt variæ Doctorum ſententiæ. Prima eſt D. Bonauen. in. 4. diſtinct. 15. in ſecunda parte diſtinctionis articulo. 2. q. 1, qui abſolutè dicit acquiſita per ludum eſſe neceſſario reſtituenda. In eandem ſententiam declinat Paludanus eadem diſtinctione. quæſt. 3. artic. 5. & Turrecremata in capit. Epiſcopus. 35. quæſt. 3. Contrariam tamen tenet Alexander Alenſis. 4. parte. quæſt. 86. membro. 3. artic. 6. & plures alij Doctores: quæ proculdubio eſt vera. Vnde ad illius explicationem operæpretium erit, vt verba legis ante omnia referamus. In Authentica. alearum vſus. C. de religioſis, & ſumptibus funerum Iuſtinianus Imperator de alearum ludo loquens, poſtquam dixit, illum multorum malorum eſſe cauſam hæc quæ ſequuntur verba ait: Commodis igitur ſubditorum proſpicientes hac generali lege decreuimus, vt nulli liceat in publicis, vel in priuatis domibus, vel locis ludere, nec in ſpecie, nec in genere. Et ſi contra factum fuerit nulla ſequatur condemnatio, ſed ſolutum reddatur & actionibus cõpetentibus repetatur ab ijs, qui dederunt, aut eorũ hæredibus, aut his negligentibus à procuratoribus, vel patribus, vel defenſoribus, non obſtante, niſi quinquaginta annorum præſcriptione. Hæc Iuſtinianus. Circa quæ verba tria ſunt aduer

Varietas opinionum. *Lex de ludo.*

aduertenda. Primum eſt, quòd hæc lex ſolùm obligat ſubditos imperij, & eos, qui imperialibus legibus gubernantur, qui modo paucisſimi ſunt, vt dicit Caſtro de lege pœnali.lib.2.capi. 2.corollario tertio. Secundum, quod hæc lex non ſolum poteſt abrogari per contrariam conſuetudinem, vt hic fatetur D. Thom. ſed etiam de facto eſt iam abrogata, vt docet Caſtro loco citato. Qui affirmat ſe ab illis, qui viderunt audiuiſſe, quod in nulla ciuitate imperio ſubiecta conceditur perdenti, vt repetere poſsit quod in ludo amiſit. Tertium, quòd etiam ſi illa lex in ſuo maneret vigore, & omnes obligaret adhuc tamen non ſequeretur, quòd ex vi illius tenerentur homines acquiſita per ludum reſtituere ante iudicis condẽnationẽ. Solutum, inquit lex, reddatur, & actionibus competentibus repetatur ab iis, qui dederunt. Ex quibus verbis conſtat ſolam actionem per illam legem dari perdẽti, vt poſsit repetere id, quod perdens in ludo ſoluerat lucranti. Cum igitur lex non auferat dominium à lucrante, nec dicat contractum tacitum, qui inter luſores inuenitur, eſſe ipſo iure nullum, nec cogat perdentem, vt contra lucrantem agat, ſed ſolũ imponat pœnam lucranti, vt poſsit ab illo repeti id, quod lucratus fuerit, apertiſsimè conuincitur, illum non teneri ad reddendum lucrum, antequam ab illo petatur.

Dubium. ¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco, an ſi perdens petat extra iudicium à lucrante id, quod in ludo perdiderat, lucrans teneatur ex obligatione huius legis illud reddere, an verò poſsit id retinere quoadusque in iudicio petatur. *Argum.* Et quod teneatur reddere eo ipſo, quòd perdens quouis modo petierit, probatur: quia iubet lex, vt ſolutum reddatur, quo verborum cõtextu videtur innui, vt ſolutum tunc reddi debeat cùm fuerit repetitum.

Sententia autoris. ¶ Hoc tamẽ non obſtante dico eſſe longè probabilius, oportere, vt in iudicio petatur, nec lucrantem teneri ad reddendum lucrum, ſi illud perdens petierit extra iudicium: quia lex non dicit abſolutè, vt ſolutum reddatur, ſed addit, actionibus competentibus repetatur. Quibus verbis apertè oſtendit talem repetitionẽ faciendam eſſe in iudicio, & non extra. Nam actio in iure, ea ſola vocatur, quæ fit in iudicio, factio verò extra iudicium, vt conſtat ex.l.1.§.quibus. ff. quod cuiuſque vniuerſitatis. Vbi Caius Iuriſconſultus dicit oportere quamlibet rempublicam habere actorem, ſiuè ſyndicum, per quem quod cõmuniter agi, fierique oporteat, agatur, & fiat, & Accurſius verba illa interpretans dicit, agi eſſe in iudiciis, fieri vero extra iudicia. Cum ergo lex ſolùm concedat perdenti, vt per actionem competentem repetat quod ſemel ſoluit, conuincitur inde, quod lucrator non teneatur ad reddendum quando ille petierit extra iudicium: ſed videtur ſequi ex dictis, nullam actionem competere ei, qui perdit ad petendum pecuniam perditam, atq; ex conſequenti nec etiam à iudice poſſe compelli lucrãs ad reſtituendum, ſiquidem, vt diximus, ex Caſtro lex illa, quę ei, qui perdidit actionem concedebat, contraria conſuetudine eſt iam reuocata. Dico tamen, quòd ſunt aliæ leges particulares huius regni, quę adhuc ſunt in vſu, in quibus conceditur actio repetendi. Nam titul. 10. Regalium inſtitutionum. lege.2. præcipitur generaliter ſub hac forma. Precipimus, vt qui cunque aliquid ludo perdiderit poſsit illud ab eodem repetere, qui fuerit lucratus, dũ tamen id faciat intra terminũ octo dierum: quòd ſi illo termino non petierit poſsit qui cunq; alius id petere, atque alio deficiente iudex ipſe, & prætor officio ſuo id repetat. *Lex Regia 8 ludo.* Et hæc eſt lex, quæ vſu habetur, vt dicit Soto libro.4.de Iuſtitia. & iure.quæſtio.5. artic.2. per quam lucrans compellitur reſtituere acquiſita per ludum, ſi aliquis id petierit, nullo autem repetente optimè lucrans poteſt retinere id, quod lucratus eſt, nec obligatur ad reſtitutionem. Sed contra hoc videtur eſſe D. Tho. qui in hoc articulo in ſolutione ad ſecundum affirmat, quòd, qui legibus ſunt aſtricti tenentur reſtituere id, quod contra tenorem legis fuerit lucratum. Dico tamen, quòd D. Thom. eſt intelligendus, vel quando lex ciuilis exprimeret non transferri dominium, vel quòd reſtituatur, ſi repetatur poſt iudicis cõdemnationem.

¶ Sed dubium eſt, vtrùm ille, qui amplam pecuniam ludo perdidit, veretur tamen publico iudicio id repetere poſsit latente via id ab altero ſuffurari, aut recompenſationẽ ſibi facere illorum debitorum, ſi id ſine ſcandalo fieri poteſt. ¶ Adrianus loco citato partem tenet affirmatiuam. Et ratio illius eſt: nam ille, qui eſt lucratus debet perditori reſtituere bona, quæ eſt lucratus: ergo ſi perdens non poteſt autoritate iudicis

iudicis commodè illa bona recuperare, poterit propria autoritate, ſecluſo ſcandalo, illa reſtaurare. Probo conſequentiam: nam ſi Petrus debet Paulo decem aureos, quos apud illum depoſuit, nec per autoritatem iudicis poteſt Paulus illos recuperare, poterit propria autoritate, ſecluſo ſcandalo, illos quouis modo accipere.

Sententia Soti. ¶ Contrariam tamen ſententiam tenet Soto & Caſtro locis citatis. Sed nos quid in hac re ſit dicendum explicabimus per tres propoſitiones, ſuppoſito priùs, quòd bona perdita tranſeunt in dominium lucrantis quando luſores ſunt ſui iuris, nec fraus intercedit, nec alter illorum inuitus trahitur ad ludendum: nam in his caſibus iure naturæ eſt impedita tranſlatio dominij, vt dicit D. Tho. in hoc articulo. Similiter etiam poteſt cõtingere, vt per legem poſitiuam prohibeatur tanſlatio dominij in lucrantem. Quod dico, nam titulo. 10. regalium ordinationũ, lege prima, ſtatutũ eſt, vt quicũq; fuerit aliquid lucratus à militibus, cum ſub vexillis agunt, teneatur illud ſtatim reſtituere: quæ lex, vt Soto affirmat, de tranſlatione dominij loquitur, & illam impedit in fauorẽ militis. Ex quo fit, vt illi, qui ſic lucrati ſunt à milite teneantur illud reſtituere, etiam ante iudicis cõdemnationem. Sed his quatuor caſibus exceptis ſemper pecunia lucrata tranſit in dominium lucrantis.

1. Concluſio. Quo ſuppoſito ſit prima cõcluſio, Bona perdita in ludo, quę non tanſeunt in dominium lucrantis poſſunt propria autoritate (ſecluſo ſcandalo) recuperari ab illo, qui ea, perdidit, ſi commodè illa autoritate iudicis non poteſt recuperare. Itàq, ſi monachus, aut filiusfamilias, vel vxor perdit in ludo ea bona, quæ alienare non poteſt, nec autoritate iudicis poteſt ea cõmodè recuperare licitum erit ei, illa quouis modo accipere, ſecluſo ſcandalo. Hæc concluſio communiter recipitur ab omnibus Doctoribus. Et probatur: nam illa bona nõ ſunt lucrantis, ſed eorum dominiũ manet apud eum, qui perdidit: ergo poteſt illa propria autoritate accipere quando publica commodè non adeſt.

2. Concluſio. ¶ Secunda cõcluſio, Quando bona perdita, quæ non tranſeunt in dominium lucrantis, poſſunt recuperari autoritate iudicis, tamen adhuc propria autoritate recuperantur, licet ille, qui ſic recuperauit peccet mortaliter vſurpans officium iudicis, non tamen tenetur illa bona reſtituere ei, à quo illa accepit. Hæc concluſio ſimiliter recipitur ab omnibus Doctoribus. Et probatur: nam ille, qui talia bona propria autoritate recuperauit nihil alienum accepit, vt inde oriatur obligatio reſtitutionis.

¶ Tertia concluſio, Bona perdita, quæ tranſeunt in dominium lucrantis non poſſunt propria autoritate accipi ab eo, qui illa perdidit, etiam ſi ſciat quod autoritate iudicis non poterunt recuperari: & ſi perdens talia bona accipiat tenebitur denuo illa lucranti reſtituere. Hæc concluſio eſt contra Adrianum, & probatur. Ille, qui perdidit in tali caſu acciperet rem alienam inuito domino rationabiliter, ergo peccaret contra iuſtitiam, atq; ex conſequenti teneretur ad reſtitutionem. Conſequentia eſt nota, & antecedens probatur. Ille, qui lucratus eſt ità acquiſiuit dominiũ illorum bonorum, vt ſit verè dominus illorum, ergo ſi ille, qui perdidit ea accipiat propria autoritate, accipiet alienum, atq; ex conſequenti tenebitur illud reſtituere. Et confirmatur, Recompenſationẽ ſumere nemo poteſt, niſi cum aliquid ei debetur: ſed ille, qui lucratus fuerit nihil debet perditori, ergo ipſe perditor nullam recompenſationem poteſt ſumere propria autoritate. Item lex ſolum cõcedit perditori actionẽ ad repetẽdum, ergo antequam repetat, & per ſententiam iudicis ſibi bona perdita reſtituãtur, illa erunt eius, qui lucratus eſt, atq; ex conſequenti non poterit illa accipere. 3. Con[illegible]

¶ Et ad argumentum Adriani reſpondetur diſtinguẽdo antecedens. Nam quando dicitur, quòd ille, qui lucratus eſt debet perditori reſtituere bona, quæ eſt lucratus, vel intelligitur poſt cõdemnationem: & ſic eſt verum. Vnde, ſi poſt condemnationem à iudice factam non poſſet aliter bona recuperate, niſi ea occultè accipiendo, poſſet id licitè facere. Vel intelligitur ante condemnationẽ: & ſic eſt falſũ. Vnde nec etiã ante cõdemnationẽ poterit illa bona occupare. *Ad argum. Adriani.*

¶ Sed eſt aliud dubium, Vtrum cũ duo ludunt, nõ appoſita pecunia ex vtraq; parte, ſed tantũ promiſſa, ille, qui perdit teneatur in foro conſcientiæ reddere lucranti pecuniam perditam. In qua re Adrianus, Soto & Couarruuias locis citatis partẽ tenent negatiuam. Caſtro verò, & Medina oppoſitum dicunt. Sed nos pro huius rei declaratione præmittimus, quod hæc difficultas poteſt intelligi, vel in ſolo iure naturali, ita, vt *Aliud dub.*

ſit ſen

ſit ſenſus, vtrùm ſtando in ſolo iure naturali, ſecluſa omni lege poſitiua, ille qui promiſit ſoluturum pecuniam perditam teneatur illam ſoluere. Vel poteſt intelligi ſtando in iure communi poſitiuo, vel denique ſtando in iure poſitiuo particulari huius regni.

1. *Concluſio.* ¶ Quo poſito ſit prima concluſio. Stando in ſolo iure naturali, qui promiſit ſoluere pecuniam, quam perdidit, tenetur in conſcientia illam dare. Hæc concluſio communiter recipitur ab omnibus doctoribus: & probatur. De iure naturali eſt, vt licitè promiſſa adimpleãtur, in ſolis enim male promiſsis frangeda eſt fides: ſed ſtando in ſolo iure naturali, illa promiſsio fuit licita: ergo debet in conſcientia adimpleri. Conſequentia cum maiori eſt nota, & minor probatur. Nam ſi illa promiſsio non eſſet licita, id eſſet, vel ex forma, vel ex obiecto, vel ex alia circunſtantia: ſed nihil inuenitur, quod poſsit illam malam reddere, ergo.

2. *Concluſio.* ¶ Secunda concluſio. Stando in iure particulari huius regni, qui promiſit ſoluere pecunia, quam perdidit, non tenetur in conſcientia illam dare. In hac concluſione conueniunt Soto, atque Caſtro. Eſt enim propria lex huius regni præcipiens, vt nec etiã ludis licitis, & permiſsis ludatur credita, vel abſenti pecunia, ſed appoſita, & præſenti. Cuius legis virtute omnes promiſsiones & ſtipulationes de ſoluenda pecunia perdita ſunt inanes, & nullius vigoris, atque ex cõſequenti nulla ex illis oritur obligatio. Vtrùm autem ſi ille, qui perdidit, ſoluat pecuniam, alius, qui accipit, poſsit illam retinere, maiori varietate opinionum diſputatur a doctoribus. Soto conſtanter affirmat illam retineri non poſſe, ſed eſſe neceſſario reſtituendam illi qui dedit, etiam ante iudicis cõdemnationem. Et ratio illius eſt: quia exiſtimat per illam legem impedici tranſlationẽ dominij, ex quo fit, vt qui talem rem accipit retineat alienũ inuito domino. Sed Caſtro, atque Couar. ſolum dicunt, ꝙ qui perdidit non tenetur ſoluere: nec affirmãt, quod ſi ſoluerit alius teneatur ad reſtitutionem. Quid autem in hac re tanquam verũ, & certum ſit tenendum, nõ ſatis intelligo: quia iſti doctores nullius legis verba adducunt, ex quibus colligere poſsim an illa lex impediat tranſlationem dominij nec ne. Interdum autem, ꝙ aliud conſtiterit exiſtimarem, ꝙ poſtquam eſt ſoluta pecunia promiſſa, ille, qui accipit, non tenetur ad reſtitutionem ante iudicis condemnationem, ſicut de alijs bonis ludo acquiſitis diximus: maxime cùm ad impediendam tranſlationem dominij expreſsiſsimis verbis legis ſit opus.

¶ Tertia concluſio. Qui cum iuramento promittit ſoluere pecuniam perditam tenetur in conſcientia illam dare: ſed poterit poſtea illam in iudicio repetere. Hæc concluſio colligitur ex cap. debitores. de iuramento. Vbi Alexander III. diffinit, quod qui iurauit ſoluturum vltra ſortem vſuram vſurario, tenetur illam ſoluere, ſed poteſt poſtea illam in iudicio repetere. Eadem enim ratio eſt vtriuſque quantum ad hoc, cùm obligatio dandi promiſſam pecuniam in vtroque caſu, ſolum oriatur ex vi iuramẽti. 3. *Concluſio.*

¶ Sed tota difficultas eſt, vtrùm ſecluſa particulari lege huius regni ſtando in ſolo iure communi, ille, qui promiſit reddere pecuniam perditam, teneatur in conſcientia ad illius ſolutionem, vt Caſtro, atq; Medina affirmant. Et pro parte affirmatiua eſt argumẽtum. Illa promiſsio fuit licita ſtando in iure communi, ergo eſt neceſſario adimplenda. ¶ Item, Stando in ſolo iure communi ille contractus, quo vterq; ludentiũ promiſit ſoluere pecuniam, non eſt irritus, nec inanis, ergo naſcitur ex illo obligatio reddendi. Conſequẽtia eſt nota, & antecedens probatur. Lex communis ciuilis, licèt concedat perdenti actionem ad repetendũ, nõ tamen irritat contractũ, vt ſupra diximus, ergo eſt validus. ¶ Tertio. Si aliqua ratione ille, qui perdidit, non teneretur ſoluere, maximè quia poteſt repetere poſtquam ſoluerit: ſed hæc ratio nihil obſtat: nam etiam ille, qui iurauit ſoluere vſuram, poteſt illam repetere: & tamẽ dicit Alexander III. quod tenetur illam ſoluere, vt conſtat ex cap. debitores iam citato, ergo idem dicendum eſt de eo, qui promiſit ſoluere pecuniam perditam ſtando in iure communi. ¶ Vltimo, Si ille, qui perdidit non teneretur ſoluere pecuniã promiſſam ſequitur, quòd ille, qui lucratus eſt nullum dominium, aut ius ſupra illam acquiſiuit, conſequens autem eſt falſum, quia per ludum transfertur dominium, vt diximus, ergo & illud ex quo ſequitur. *Dubium.* 1. *Argum.* 2. *Argum.* 3. *Argum.* *Vltimũ arg.*

¶ Propter hæc argumenta illa ſententia eſt multum probabilis: cæterum in meo iudicio oppoſita eſt probabilior. Vnde ſit quarta concluſio. Stando in iure communi ille, qui promiſit ſoluere pecuniam perdiã, nõ 4. *Concluſio.*

tenetur in conſcientia illam dare. Ita tenēt Adrianus, Soto, & Couar. locis citatis, & probatur. Ille poteſt repetere talem pecuniam poſtquam fuerit ſoluta, ergo poterit illam retinere. Antecedens eſt manifeſtū, & conſequentia probatur: quia fruſtra quis ſolueret quod ſtatim eſt petiturus, vt habetur in lege, creditori. C. de pactis. Et eſt aduertendum, ꝙ lex ciuilis non cōcedit actionem lucranti ad petendū, bene tamen perditori ad repetendum: in quo etiam videtur eidem concedere facultatem retinendi, & non ſoluendi pecuniam perditam.

¶ Et ad primum argumentum in contrarium reſpondetur quod quanuis in iure naturæ illa promiſsio ſit licita, per humanum tamen ius eſt facta irrita, & nulla, & ſic nullam obligationem inducit. Et per hoc patet ſolutio ad ſecundū. ¶ Ad tertium reſpondetur conceſſa maiori, negando minorem. Et ad probationem dico, quòd obligatio ſoluē di vſuram in eo, qui illam iurauit dare, naſcitur ex iuramento: vnde eo ſecluſo nihil teneretur dare, vt dicitur in eodem cap. de debitores. ¶ Ad vltimum reſpondetur quòd ille, qui lucratur, non ſolum acquirit pecuniæ dominium per ludum, ſed etiam per realem traditionem, quam facit ille, qui perdidit: vnde quoaduſque pecunia ſit tradita non poteſt dici lucrator habere ius, aut dominiū ſuper illam. Et hæc dicta ſint de iſta materia: quę ità late à me eſt explicata, tum propter eius neceſsitatem, tum etiam quia D. Tho. huius rei mentionem facit in ſecū-do argumēto ad cuius explicationem opus fuit, vt multa diceremus.

ARTICVLVS VIII.

¶ Vtrum ille qui eſt in poteſtate alicuius conſtitutus, poſsit eleemoſynam facere.

AD OCTAVVM ſic proceditur. Videtur quòd ille, qui eſt in poteſtate alterius conſtitutus poſsit eleemoſynam facere. Religioſi enim ſunt in poteſtate ſuorū prælatorū, quibus obedientiam vouerunt. Sed ſi eis non liceret eleemoſynam facere, dānum reportarent ex ſtatu religionis, quia, ſicut Ambroſius* dicit, Summa Chriſtianæ religionis in pietate conſiſtit, quę maximè per eleemoſynarum largitionem commendatur. Ergo illi, qui ſunt in poteſtate alterius conſtituti, poſſunt eleemoſynam facere.

4. diſt. 15. q. 2. art. 5. q. 1. 2. 3. & 4. Et opuſ. 73. cap. 17. & quodl. 3. ar. 51.

Super illud 1. ad Tim. 4 pietas ad omnia vtilis eſt, to. 5.

2 ¶ Præterea, Vxor eſt ſub poteſtate viri, vt dicitur Geneſis. 3. Sed vxor poteſt eleemoſynam facere, cum aſſumatur in viri ſocietatem. Vnde & de beata Lucia dicitur, quòd ignorante ſponſo, eleemoſynas faciebat. Ergo per hoc quòd aliquis eſt in poteſtate alterius conſtitutus, non impeditur quin poſsit eleemoſynas facere.

3 ¶ Præterea, Naturalis quædam ſubiectio eſt filiorum ad parentes. Vnde Apoſtolus ad Ephe. 6. dicit, Filij obedite parētibus veſtris in Domino. Sed filij, vt videtur, poſſunt de rebus patris eleemoſynas facere, quia ſunt quodammodo ipſorum, cum ſint hæredes, & ideo cū poſsint eis vti ad vſum corporis, multo magis videtur, quòd poſsint eis vti, eleemoſynas dādo, ad remedium animæ ſuæ. Ergo illi, qui ſunt in poteſtate conſtituti, poſſunt eleemoſynas dare.

4 ¶ Præterea, Serui ſunt ſub poteſtate dominorum, ſecundum illud ad Titum. 2. Seruos dominis ſuis ſubditos eſſe. Licet autem eis aliquid in vtilitatem domini facere, quod maximè fit, ſi pro eis eleemoſynas largiantur. Ergo illi, qui ſunt in poteſtate conſtituti, poſſunt eleemoſynas facere.

¶ SED CONTRA eſt, quod eleemoſynæ non ſunt faciendæ de alieno, ſed de iuſtis laboribus proprijs vnuſquiſque eleemoſynam facere debet, vt Auguſtinus* dicit in libro de Verbis Domini. Sed ſi ſubiecti alijs eleemoſynā facerent, hoc eſſet de alieno. Ergo illi, qui ſunt ſub poteſtate conſtitutialiorum, non poſſunt eleemoſynam facere.

Serm. 35. inter prin. & med. to. 10.

¶ RESPONDEO dicendū, quòd ille, qui eſt ſub poteſtate alterius conſtitutus, inquantum huiuſmodi, ſecundum ſuperioris poteſtatem regulari debet. Hic eſt enim ordo naturalis, vt inferio-

inferiora ſecundum ſuperiora regulentur. Et ideo oportet, quòd ea, in quibus inferior ſuperiori ſubijcitur, diſpenſet non aliter, quàm ei ſit à ſuperiore commiſſum. Sic ergo ille, qui eſt ſub poteſtate conſtitutus, de re, ſecundum quam ſuperiori ſubijcitur, eleemoſynam facere non debet, niſi quatenus ei à ſuperiore fuerit commiſſum. Si quis vero habeat aliquid ſecundum quod poteſtati ſuperioris non ſubſit, iam ſecundum hoc non eſt poteſtati ſubiectus, quantum ad hoc proprij iuris exiſtens, & de hoc poteſt eleemoſynam facere.

¶AD PRIMVM ergo dicendum, quòd monachus ſi habet diſpenſationem à prælato cõmiſſam, poteſt eleemoſynas facere de rebus monaſterij, ſecundum quod ſibi eſt commiſſum. Si verò non habet diſpenſationẽ, quia nihil proprium habet, tunc non poteſt facere eleemoſynam ſine licentia Abbatis vel expreſſe habita, vel probabiliter præſumpta, niſi forte in articulo extremæ neceſsitatis, in quo licitum eſſet ei furari, vt eleemoſynam daret. Nec propter hoc efficitur peioris conditionis, quia, ſicut dicitur in libro de *Eccleſiaſt. dogma. Bonum eſt facultatem cum diſpenſatione pauperibus erogare, ſed melius eſt pro intentione ſequendi Dominum inſimul omnia donare, & abſolutum ſolicitudine egere cum Chriſto.

Ca. 71. habetur inter opera Auguſt. to. 3.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd ſi vxor habet alias res præter dotem, quæ ordinatur ad ſuſtentandum onera matrimonij, vel ex proprio lucro, vel quocunque alio licito modo, poteſt dare eleemoſynas etiam irrequiſito aſſenſu viri, moderatas tamen, ne ex earum ſuperfluitate vir depauperetur. Alias autem nõ debet dare eleemoſynas ſine conſenſu viri, vel expreſſo vel præſumpto, niſi in articulo neceſſitatis, ſicut de monacho dictum* eſt. Quamuis enim mulier ſit ęqualis viro in actu matrimonij, tamen in his, quæ ad diſpoſitionem domus pertinent, vir caput eſt mulieris, ſecundum Apoſtolum primæ ad Corin. vndecimo. Beata autem Lucia ſponſum habebat, non virum. Vnde de conſenſu matris poterat eleemoſynam facere.

In iſto art. ad. 1. argu.

¶ Ad tertium dicendum, quòd ea, quę ſunt filijfamilias, ſunt & patris, & ideo non poteſt eleemoſynam facere, niſi forte aliquam modicam, de qua poteſt pręſumere, quod patri placeat, niſi forte alicuius rei eſſet ſibi à patre diſpenſatio cõmiſſa. Et idem dicendum eſt de ſeruis. Vnde patet ſolutio ad quartũ.

SVMMA TEXTVS.

AD explicationẽ huius difficultatis ſit prima conclusio. De illis, in quibus vnus eſt alteri ſubiectus, nõ poteſt ſine eius licentia eleemoſynam facere. Probatur: nã hic eſt ordo naturalis, vt inferiora ſecundũ ſuperiora regulentur. ℭ Secunda concluſio. Si ille, qui eſt ſubiectus alicui, habet alia bona, quæ non ſubduntur bono ſuperioris, poteſt de illis eleemoſynam facere. Probatur: nam inferior quantum ad illa, eſt ſui iuris.

EXPLICATIO ARTICVLI.

CIrca iſtum articulum eſt aduertendũ primo, ꝙ vt conſtat ex ſolutionibus argumentorum quatuor ſunt genera perſonarum alijs ſubditarũ, de quibus poſſumus dubitare vtrum poſſint eleemoſynas facere. In primo ſunt vxores. In ſecũdo filij ſub patria poteſtate conſtituti. In tertio monachi, qui ſuis prælatis ſubduntur. In quarto ſerui. Nec loquimur de iſtis, quãdo vident pauperes in extrema neceſsitate exiſtẽtes: nam in hoc caſu certum eſt, ꝙ omnes poſſunt eleemoſynas facere abſq; licentia ſuperioris, vt dicit D. Tho. in ſolutione ad primum. Et ratio eſt manifeſta. Nam cũ ad ſubueniendum pauperi in extrema neceſsitate conſtituto vnuſquiſq; poſſit alienũ accipere, & furari a fortiori poterit monachus, vel filiusfamilias, aut vxor, aut ſeruus eleemoſynas facere de bonis, quæ in ſua poteſtate habuerit, adhuc ſuperiore renuente. *Nota. 1.*

ℭ Secundo eſt aduertendum, ꝙ [illegible] hæc quatuor genera perſonarum, quæ diximus alijs ſubdantur, non tamẽ omnes ſubijciun- *Nota. 2.*

ijciuntur eodem modo, ſed alij magis, alij minus pro ſui generis qualitate, atq; ratione. Nam minima omnium ſubiectio eſt ea, quam habent vxores ad ſuos viros: in multis enim rebus dominatur vxor & habet tā quam diuiſum imperium à viro: nam vxor præeſt domeſticis, & minoribus negotijs, vir autem forenſibus atq; maioribus, vt docet Ariſt. 8. Ethic. & 2. œconomicorum. Subiectio, qua filij ſubduntur parētibus, eſt maior, quam ea qua vxor ſubditur viro. Sed quoniam in hac ſubiectione filiorum ineſt etiam nō parum libertatis, fit, vt monachi, qui per votum obedientiæ ſe totos prælati arbitrio addixērunt, multó magis ſint ſubiecti prælatis, quā filij parentibus. Sed quoniam adhuc in ſubiectione monachorū inuenitur quoddā genus libertatis conſiſtens in hoc, quod imperium prælatorum eſt imperium politicum, quod refertur & ordinatur ad cōmodum, & vtilitatem ipſorum ſubditorum, rurſus fit, vt ſubiectio, qua monachi ſubduntur prælatis, ſit multo minor q̄ ea, qua ſerui ſubduntur dominis. Nā domini habent ius, & poteſtatem in corpora ſeruorū, & eorum operas ordinant, & referunt, non in cōmodum ſeruorū ſed in propriam vtilitatē, quod in alijs ſubiectionibus nō inuenitur.

Nota. 3. ¶ Tertio eſt aduertēdum, q̄ adhuc inter hæc quatuor genera perſonarum, quæ alijs ſubduntur, quam plurimas poſſumus aſsignare differentias. Nam primo differunt in hoc, q̄ vxor habet verum dominium ſuæ dotis, & eorum bonorum, quæ durante matrimonio pro ſua portione acquirūtur, filij vero non ſunt planè domini bonorum paternorum, quanuis habeant verū ius ad bona paterna, monachi autem nullum ius nec dominiū habent in particulari, bene tamen in cōmuni: cæterùm ſerui, nec in cōmuni, nec in particulari habent ius aut dominiū aliquorum bonorū. Secunda differētia eſt, quod vxores, atq; filij, etiā dum ſubijciuntur viris, & patrib⁹ poſsūt habere aliqua bona ſua, quorū diſpēſatio ad illos pertineat. Nam vxores poſſunt habere ea bona, quæ dicuntur paraphernalia, & etiam illa, quæ acquirunt ſuo labore poſteaquā defunctæ ſunt opere domeſtico. Et ſimiliter filij poſſunt habere ea bona, quæ appellatur peculium caſtrenſe, vel quaſi caſtrenſe, id eſt, ea bona, quę, aut militādo, aut docēdo, vel legēdo acquiſierūt. At verò monachi, aut ſerui nihil horū habere poſsūt, ſed quicqd acquirunt, acquirūt vel monaſterijs, vel dominis.

Ex quo ſequitur tertia differētia, q̄ vxores & filij poſsūt facere eleemoſynas ſuorum bonorū ſine licentia, vel tacita, vel expreſſa eorum, quibus ſubduntur. Cæterū monachi, aut ſerui in nullo caſu poſſunt facere eleemoſynā ſine conſenſu, vel expreſſo, vel rationabiliter præſumpto ſuorū prælatorum aut dominorū. Excipiunt tamen doctores ab hac regula tres caſus, in quibus illi, qui ſub aliorum poteſtate ſunt cōſtituti, quicunq; ſint illi, ſuorū prælatorū non requiſito conſenſu, poſſunt facere eleemoſynas. Primus eſt in caſu extremę neceſsitatis: de quo nos iam diximus in principio huius articuli. Secundus quando ſuperiores dant aliquid certum ſubditis ſuis, vt ex illo ſe alere poſsint: tūc enim huiuſmodi ſubditi poſſunt ex ſe ſua trahere eam partem quam voluerint, & dare illā pauperibus. Tertius caſus eſt, quādo res, quæ dantur ſunt parui momenti, & quæ communiter dari conſueuerunt illis pauperibus, qui oſtiatim eleemoſynas petunt: nam in his rebus non eſt neceſſarium requirere voluntatem prælati, ſed rationabiliter præſumitur exiſtere.

¶ Sed, vt hæc melius intelligantur operę pretium erit, vt de ſingulis generibus ſubiectionum ſeorſum dicamus, hoc ſuppoſito prius tanquā certo, q̄ in huiuſmodi rebus eſt prius diligenter attendenda cōſuetudo, vt ex illa colligere poſsimus, quid liceat quid ve non liceat. Nam quamuis iure naturę vxores ſint ſubditæ viris ſuis, & filij parētibus, tamen modus, & ratio ſubiectionis huiuſmodi, & qualiter fieri debeat, id non eſt ſtatutum lege naturæ, ſed vel iure gētium, vel iure ciuili, in quibus iuribus, vel declarādis, vel moderandis, atq; etiam infirmandis maximam vim habet conſuetudo: & idem cenſendum eſt de monachis & ſeruis. ¶ Secundo eſt ſupponendū, q̄ vxores omni tēpore, & filij familias, cùm ſunt in itinere vel in ſtudio, atq; etiam monachi cum peregrinantur, præter caſus ſuperius poſitos, poſſunt facere eleemoſynas moderatè ſecundū ſuā portionē, non requiſito cōſenſu illorū, quibus ſubijciuntur. Et ratio eſt, quia rationabiliter præſumitur, q̄ prelati id velint, niſi aliter expreſſerint. ¶ Sed eſt aduertendū, q̄ etiam in his eſt quędam differentia: nam cæteris parib⁹ minores eleemoſynas poteſt facere monachus quam filius, & filius quā vxor, propter maiorem ſubiectionem, quā illi habent ſuis ſuperioribus. 1. Præſuppoſitum. 2. Præſuppoſitum.

¶ His conſtitutis eſt difficultas, vtrum vxor Dubium.

vxor ſine licentia viri poſsit ex aliquibus bonis magnas eleemoſynas facere. Ad cuius explicationem eſt aduertendum cum Alexandro.4. part. quæſt.112.memb 2. ꝙ bona vxoris vltra dotem ſunt in triplici differentia. Quædam enim ſunt, quæ dicuntur paraphernalia, ideſt, vel iure hæreditario, vel donatione, vel alio titulo acquiſita. Alia ſunt acquiſita manibus, & proprio labore, nihil ſubtrahendo ex officio debito, ſuæ domui. Alia vero ſunt bona communia viro, & vxori: qualia ſunt illa, quæ durante matrimonio ſunt acquiſita. ¶Secundo eſt aduertendum, quod de donationibus ab vxore factis loqui poſſumus, vel ſtando in iure communi, vel ſtando in iure particulari huius regni.

1. *Dictum.* ¶His cõſtitutis dico primo certum eſſe, quod vxor nulla ratione poteſt magnas eleemoſynas facere de rebus ad ſuam dotẽ pertinentibus: patet, quia illæ datæ ſunt ad ſuſtentanda onera matrimonij, earumq; adminiſtratio pertinet ad ſolum virum.
2. *Dictum.* ¶Dico ſecundo etiam eſſe certum, quod de bonis communibus viro, & vxori non poteſt vxor maximas eleemoſynas facere ſine licentia viri. Probatur: nam, quanuis medietas illorum bonorum pertineat ad vxorem tantum tamen eſt, vt tota adminiſtratio ſit penes virum.

Dubium. ¶Sed dubium eſt de bonis paraphernalibus, & alijs proprio labore acquiſitis, vtrũ poſsint dari ab vxore in eleemoſynam inconſulto marito. Et loquimur quando illa bona non ſunt neceſſaria ad ſuſtentandam familiam: nam ſi illis ad hoc eſt opus nullus dubitat, quin vxor teneatur ex illis filios, aut familiam alere, nec poſsit eleemoſynas facere. Et quidem, quod ex his bonis poſsit maximas eleemoſynas facere, probatur. Illa bona ſunt propria vxoris, nec quantum ad illa ſubijcitur, marito, ergo poterit ea cuicunque voluerit conferre.

Sententia autoris. ¶Hoc tamen non obſtante dicò, quod quanuis ſtando in iure communi forſan vxor poſſet talia bona cuicunque voluiſſet conferre, nec ille, qui ea acciperet teneretur ad reſtitutionem, tamen ſtando in iure particulari huius regni, vxor ex nullis bonis poteſt maximas eleemoſynas facere ſine licentia mariti. Probatur: nam particulari lège huius regni edita à D. Ioanna Regina in comitijs Taurenſibus, & eſt lex. 105. irritantur quicunque contractus facti ab vxore ſine licentia mariti. Ex quo fit vt etiam quęcunque donationes ab vxore factæ ſint irritæ, & illi, qui hoc modo aliquid acceperũt teneantur ad reſtitutionem, vt docet Couar. in epitome ſuper quatuor libros Decreti. par.2. cap.7. §.1. num.1. & .2. Et ex hoc infertur quod quando diximus ſupra vxorem poſſe ex proprijs bonis eleemoſynas facere eſt intelligendum de eleemoſynis moderatis, vt D. Thom. etiam dicit in ſolutione ad ſecundum.

Dubium de Monachis. ¶De monachis autem eſt aliud dubiũ, vtrum illi, qui habent procurationem bonorum monaſterij, quales ſunt priores, & procuratores poſsint facere pro ſuo arbitratu quaſcunque eleemoſynas.
Solutio. Ad cuius explicationem dico breuiter, quod ſi monaſteriũ habet bona ſuperflua, tunc prælatus põt facere eleemoſyna ſine licẽtia expreſſa conuentus. Et ratio eſt, quia cum conuẽtus in tali caſu teneatur velle & conſentire, & prælatus habeat adminiſtrationem monaſterij, rationabiliter interpretabitur, ꝙ conuentus conſentiat. Cæterum; ſi conuentus non habet bona ſuperflua, non poterit prælatus facere eleemoſynas, maximè largas, & copioſas, ſine expreſſa licentia illius. Paruas autem aliquando poterit facere ſine expreſſa licentia: quia tunc rationabiliter præſumitur, ꝙ conuentus conſentit.

Dubium. ¶Sed dubitabit aliquis hoc loco, vtrùm ad hoc, vt ſuperior eleemoſynam faciat de bonis communitatis, ſit neceſſarium quòd tota communitas conſentiat, vel potius ſufficiat maior pars capituli.
Nota. Ad cuius explicationem eſt aduertendum, quòd bona communitatis ſunt in duplici differentia. Quædam enim ſunt, quæ in commum poſsidẽtur, nec particularibus diuiduntur ſecundum aliquam proportionem, qualia ſunt bona monaſteriorum, ex quibus vnicuiq; datur neceſſarium, nec ſinguli accipiunt partes taxatas. Alia ſunt bona communia, quæ æqualibus partibus, & portionibus diuidũtur ſingulis. ¶Hoc ſuppoſito dico primo quòd ad donandum aliquid de bonis prioris generis non requiritur conſenſus totius capituli, ſed ſufficit maior pars illius. Probatur ex cap. cum in cunctis. de his, quę fiunt à maiori parte capituli. vbi id expreſſe definitur. Dico ſecundo quod ad donanda bona ſecundi generis requiritur conſenſus totius capituli, nec ſufficit maior pars illius. Probatur ex cap. cum omnes. de conſtitutio. & gloſſa ibidem. Pro quo etiam facit illa regula iuris, Quod ad omnes attinet ab om-

ab omnibus debet approbari.

Dubium, de filijsfamilias ¶De filijs familias ſimiliter poteſt eſſe dubitatio, vtrũ de aliquibus bonis poſsint maximas eleemoſynas facere ſine licentia parentum. ¶Ad cuius explicationem dico primo certum eſſe, quod de illis bonis, quæ ſunt propria parentum, non poſſunt maiores eleemoſynas facere, quam quas iudicauerint fore parentibus gratas ad modũ iam explicatũ. ¶Dico ſecundo, quòd ſi filius habeat bona caſtrenſia, vel quaſi caſtrẽſia, poterit de illis quaſcunque eleemoſynas facere, inconſultis parentibus. Et ratio eſt: nã hæc bona ſunt propria filiorum, nec quantum ad illa filij ſecundum leges ſunt parentibus ſubiecti. Ex quo ſequitur quòd quæcunq; donatio à filio facta de his bonis erit valida, nec pater poterit illam reuocare, vt ex communi doctorum ſententia diffinit Syluest. verbo. peculio. 1. §. 1. & 2. Bona autem caſtrenſia dicuntur illa, quæ filio in militia degenti, occaſione militię, vel à parentibus, vel ab alijs fuerunt donata, & etiam illa, quæ ipſe in militia acquiſiuit, aliàs niſi militaſſet non acquiſiturus. ff. de caſtrenſ. peculi. lege caſtrenſe, cum ibi no. Adde etiã quòd ſecundum Accurſium. C. eo. in rubrica, etiam palatinorum (ideſt, militum palatij, qui principem ſequuntur) peculiũ (hoc eſt, quod habent ratione militiæ) eſt caſtrẽſe. Quaſi caſtrenſe vero eſt, quod acquiritur ab aduocatis tabellionibus, magiſtris ſtudiorum liberalium artium, & medicis, ac omnibus qui ex publica cauſa, vel publico officio ſalaria, vel ſtipendia recipiũt publica. C. de in officio. teſtamento. lege. cum antiquis. cum ibi no. Et hoc eſt quantum ad ſeculares: nam quantum ad clericos, bonum, quaſi caſtrenſe dicitur omne illud, quod acquirunt officio ſuo, vel ex beneficijs, ſuper quæ nullum ius habet pater, imo illa bona, quæ reſpectu aliorum filiorum non cenſentur quaſi caſtrenſia, ſi poſsideantur, à filijs clericis ſunt quaſi caſtrenſia, vt docet Syluest. verbo. peculium. t. §. 2. & Couar. de teſtament. cap. quia nos. nu. 2. & 3. Et eſt hoc intelligendum non ſolum de clericis in maioribus ordinibus conſtitutis, ſed etiam de illis, qui ſunt in minoribus, & in prima tõſura. Ex quo ſequitur, quòd huiuſmodi filij de his bonis, quaſcunque poterunt eleemoſynas facere, inconſultis, imò renuentibus parentibus.

Nota de ſeruis. ¶De ſeruis idem prorſus eſt dicendum quod de filijs, niſi quòd ſerui nulla bona poſſunt habere propria, cum quidquid acquirant ſit dominorum ſuorum, vt docet Soto lib. 4. de iuſtitia. q. 2. art. 2.

¶Vltimum dubium eſt in hoc articulo *Dubium.* vtrum ſi de facto huiuſmodi homines, qui ſunt ſub aliena poteſtate aliquam faciant eleemoſynam contra voluntatem ſuorum ſuperiorũ, teneãtur ad reſtitutionẽ, vel illi, qui eleemoſynam acceperunt. ¶Ad cuius explicationem dico primo, quòd nulli illorum ſi faciunt eleemoſynam, tenentur ad reſtitutionem. Nam primo vxores, & filij non faciunt eleemoſynam de ære alieno, ſed de proprio, & monachus licèt in tali caſu faciat eleemoſynam de bonis communibus, & non de proprijs, non tamen tenetur reſtituere: quia ex natura ſua eſt impotens ad reſtituendum, & quicquid acquirit monaſterio acquirit, & eadem ratio eſt de ſeruis. ¶Dico ſecundo quòd illi, qui accipiũt eleemoſynam ab eis, qui alterius poteſtati ſubduntur, contra voluntatem ſuperioris tenentur ad reſtitutionem. Probatur, quoniam retinent rem alienam inuito domino rationabiliter: ſiquidem vel illam recipiunt ab eo, cuius non eſt, vt contingit in monacho vel ſeruo, vel ab eo, qui quamuis ſit ſua, non tamen eſt potens ad transferendum dominium, vt contingit in vxore & filijs. Et hæc dicta ſint de iſto articulo.

ARTICVLVS IX.

¶ *Vtrum ſit magis propinquioribus eleemoſyna danda.*

AD NONVM ſic proceditur. *4. diſt. 15. q. 2. art. 6. q. 3. Et Ro. 12. lec. 2. ſi. & 1. cor. 16.* Videtur quòd non ſit magis propinquioribus eleemoſyna faciẽda. Dicitur enim Eccleſ. duodecimo. Da miſericordi, & ne ſuſcipias peccatorem, benefac humili, & non des impio. Sed quandoque cõtingit, quòd noſtri propinqui ſunt peccatores, & impij. Ergo nõ ſunt eis magis eleemoſynę faciẽdę.

2 ¶Præterea, Eleemoſynæ ſunt faciẽdæ propter retributionem mercedis æternæ, ſecundum illud Matth. 6. Et pater tuus qui videt in abſcondito, reddet tibi. Sed retributio ęterna maximè acquiritur ex eleemoſynis, quę ſanctis erogantur, ſecundum illud Lucæ decimo

cimo ſexto. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula, quod exponens Auguſt.* in lib. de Verbis Domini dicit, Qui ſunt qui habebunt æterna habitacula, niſi ſancti Dei? & qui ſunt, qui ab eis recipiendi ſunt in tabernacula, niſi qui eorum indigentiæ ſeruiunt? Ergo magis ſunt eleemoſynæ dandæ ſanctioribus, quàm propinquioribus.

Ser. 35. circa princip. to. 10.

3 ¶ Præterea, Maximè homo eſt ſibi propinquus. Sed ſibi non poteſt homo eleemoſynam facere. Ergo videtur quòd non ſit magis facienda eleemoſyna perſonæ magis coniunctæ.

¶ SED CONTRA eſt quod Apoſtolus * dicit primæ ad Timot. 5. Si quis ſuorum & maximè domeſticorum curam non habet, fidem negauit, & eſt infideli deterior.

Li. 1. cap. 28 to. 2.

¶ RESPONDEO dicendũ, quòd ſicut Auguſtinus dicit in. 1. de Doctrina Chriſtiana: Illi qui ſunt nobis magis coniuncti, quaſi quadam ſorte nobis obueniunt, vt eis magis prouidere debeamus. Eſt tamen circa hoc diſcretionis ratio adhibenda ſecundum differentiam coniunctionis & ſanctitatis & vtilitatis. Nam multo ſanctiori magis indigentiam patienti, & magis vtili ad commune bonum eſt magis eleemoſyna danda, q̃ perſonæ, propinquiori, maximè ſi non ſit multum coniuncta, cuius cura ſpecialis nobis immineat, etſi magnã neceſſitatem nõ patiatur.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd peccatori non eſt ſubueniendum, inquantum eſt peccator, id eſt, vt per hoc in peccato foueatur, ſed inquantum homo eſt, id eſt vt natura ſuſtentetur.

¶ Ad ſecundum dicendũ, quòd opus eleemoſynæ ad mercedem retributionis æternæ dupliciter valet. Vno quidem modo ex radice charitatis, & ſecundum hoc eleemoſyna eſt meritoria, prout in ea ſeruatur ordo charitatis, ſecundum quam propinquioribus magis prouidere debemus cæteris paribus. Vnde Ambroſius * dicit in. 1 de Officijs. Eſt illa probanda liberalitas, vt proximos ſanguinis tui non deſpicias, ſi egere cognoſcas. Melius eſt enim vt ipſe ſubuenias tuis, quibus pudor eſt ab alijs ſumptũ depoſcere. Alio modo valet eleemoſyna ad retributionem vitæ æternæ ex merito eius, cui donatur, qui orat pro eo, qui eleemoſynam dedit. Et ſecundum hoc loquitur ibi Auguſtinus.

Lib. 1. c. 30. circa med. to mo. 1.

¶ Ad tertium dicendum, quòd cum eleemoſyna ſit opus miſericordię, ſicut miſericordia non eſt propriè ad ſe ipſum, ſed per quandã ſimilitudinem, vt ſuprà * dictum eſt, ita & propriè loquendo, nullus ſibi eleemoſynam facit, niſi fortè ex perſona alterius, puta cum aliquis diſtributor ponitur eleemoſynarum, poteſt & ipſe ſibi accipere, ſi indigeat eo tenore, quo & alijs miniſtrat.

Q. 30. art. 1. ad. 2.

SVMMA TEXTVS.

PRima concluſio. Cæteris paribus danda eſt eleemoſyna propinquioribus. Probatur teſtimonio Auguſtini lib. 1. de doctrina Chriſtiana. cap. 28. dicẽtis, quòd illi, qui ſunt nobis magis coniuncti quaſi quadam ſorte nobis obueniũt, vt eis magis prouidere debeamus. Idem etiam probatur in ſolutione ad ſecũdum teſtimonio Ambroſij. ¶ Secunda cõcluſio. Si alius ſit ſanctior, vel indigentior, vel vtilior potius eſt danda ei eleemoſyna, quam propinquo: maximè ſi propinquitas non ſit adeò cõiuncta, vt tales propinqui ſpecialis cura nobis immineat.

EXPLICATIO ARTICVLI.

PRo materia huius articuli videnda ſunt ea, quæ diximus in ſuperioribus. q. 26. art. 7. & quæſt. 31. art. 3. Nam cum eleemoſyna ſit actus charitatis idem prorſus erit dicendum de ordine illius, quod diximus de ordine charitatis, & beneficentiæ.

¶ Sed circa ſolutionem ad tertium argumentum eſt difficultas, vtrùm ſi alicui de-

2. Argum. tur diſpenſatio alicuius eleemoſynę faciendæ & ipſe diſpenſator indigeat, poſsit ſibi eam aſſumere. Syluester verbo. eleemoſyna. §. 3. partẽ tenet negatiuã. Et probatur ex lege, ſi mandauero. ff. mandati. §. ſi tibi centum. Vbi dicit. Si mandauero tibi, vt des cẽtum aureos, cui volueris, & ipſe conſumpſe-

3. Argum. ris, mandati reus teneris. Et confirmatur. Si alicui iniungeretur pœnitẽtia, vt daret pauperibus duos aureos, & ipſe indigeret non poſſet ſibi eos aſſumere, nec ſatisfaceret, nõ dando, ergo pari ratione dicendum eſt in propoſito. ¶ Item, Miſericordia cũ ſit pars iuſtitiæ eſt ad alterum, ergo eleemoſyna non poteſt fieri ſibi ipſi.

Concluſio. ¶ His tamen non obſtantibus dico, proculdubio eſſe verum, quòd diſpenſator poteſt ſibi applicare eleemoſynam pro ratione paupertatis eo ordine, quo illam applicat alijs. Ita tenent D. Tho. & Caieta. in hoc articulo. Et probatur vnica ratione, quæ talis eſt. Si ille homo non eſſet conſtitutus diſpenſator talium bonorum iure poſset eleemoſynam accipere, ergo etiam poſtquam eſt conſtitutus diſpenſator. Probo conſequentiam: nam ex eo, quod eſt diſtributor non eſt peioris conditionis.

Ad. 1. arg. ¶ Et ad primum argumentum ex lege. ſi mandauero. reſpondetur quòd lex illa eſt formaliter intelligenda, ita, vt ſit ſenſus, ꝙ ſi expreſsè mandatur alicui, vt det centum, & non dat, ſed ipſe ea ſibi aſſumit cum tamen non ſit pauper, non adimplet legem, ſecus autem eſt, ſi illa accipiat ea ratione, qua alijs diſtribuuntur. Ad cõfirmationem reſpondetur conceſſo antecedenti negando conſequentiam: nam quando eleemoſyna datur pro pœnitentia iniungitur tanquam res pœnalis, & ſic non poteſt adimpleri, niſi alteri conferatur. Si autem aliquando debet applicari ſibi (propria indigẽtia id poſtulante) opus eſt, vt fiat non propria, ſed iu-

Ad. 2. arg. dicis ſpiritualis auctoritate. ¶ Ad vltimum reſpondetur cum D. Thom. in ſolutione ad tertium, quod etiam in illa eleemoſyna, quam diſpenſator ſibi aſſumit eſt ad alterũ cum eam ſibi faciat non proprio ſed alieno nomine, quod ſatis eſt ad rationem iuſtitię.

ARTICVLVS. X.

¶ *Vtrum eleemoſyna ſit abundanter facienda.*

Inf. q. 117. art. 1. ad. 2. &. 2. Cor. 8. c. 9. AD DECIMVM ſic proceditur. Videtur, quòd eleemoſyna non ſit abundanter facienda. Eleemoſyna enim maximè debet fieri cõiunctioribus. Sed illis non debet ſic dari, vt ditiores inde fieri valeant, ſicut Ambroſ.* dicit in. 1. de Offi. ergo nec alijs debet abundanter dari. Lib. 1. c. 30. circa med.

2 ¶ Præterea, Ambro.* dicit ibid. Non debent ſimul effundi opes, ſed diſpenſari. Sed abundantia eleemoſynarum ad effuſionem pertinet. Ergo eleemoſyna non debet fieri abundanter. fo. 1. Lib. 1. c. 30. circa med. to. 5.

3 ¶ Præterea, Secundæ ad Corinth. octauo, dicit Apoſtolus, Non vt alijs ſit remiſsio (id eſt vt alij de noſtris otioſe viuant) nobis autem ſit tribulatio, id eſt paupertas. Sed hoc contingeret, ſi eleemoſyna daretur abundanter. Ergo nõ eſt abundanter eleemoſyna largienda.

¶ SED CONTRA eſt quod dicitur Tobiæ quarto. Si multum tibi fuerit, abundanter trib[illegible]e.

¶ RESPONDEO dicendũ, quòd abundantia eleemoſynæ poteſt conſiderari & ex parte dantis, & ex parte recipientis. Ex parte quidem datis, cum ſcilicet aliquis dat quod eſt multum ſecundum proportionem proprię facultatis, & ſic laudabile eſt abundãter dare. Vnde & Dominus Lucę vigeſimo primo, Laudauit viduam, quæ ex eo quod deerat illi, omnem victũ, quem habuit miſit. Obſeruatis tamẽ his, quæ ſuprà dicta ſunt, de eleemoſyna faciẽda de neceſſarijs. Ex parte verò eius, cui datur, eſt abundans eleemoſyna dupliciter. Vno modo, quòd ſuppleat ſufficienter eius indigentiam, & ſic laudabile eſt abundanter eleemoſynam tribuere. Alio modo, vt ſuperabundet ad ſuperfluitatem. Et hoc non eſt laudabile, ſed melius eſt pluribus indigẽtibus elargiri. Vnde & Apoſtolus dicit primæ ad Corinth. decimo tertio. Si diſtribuero in cibos pauperum. Vbi* gloſſ. dicit, Per hoc cautela eleemoſynæ docetur, vt non vni, ſed multis detur, vt pluribus proſit. Gloſ. interlinearis ibidẽ.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd

quòd ratio illa procedit de abundantia ſuperexcedente neceſsitatem recipientis eleemoſynam.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd autoritas illa loquitur de abũdantia eleemoſynæ ex parte dantis. Sed intelligẽdum eſt, quod Deus non vult ſimul effundi omnes opes, niſi in mutatione ſtatus. Vnde ſubdit* ibidem. Niſi fortè, vt Eliſeus boues ſuos occidit, & pauit pauperes ex eo quod habuit, vt nulla cura domeſtica teneretur.

Loco citato in argum.

¶ Ad tertium dicendum, quòd autoritas inducta quantum ad hoc quod dicit, Non vt alijs ſit remiſsio vel refrigerium, loquitur de abundantia eleemoſynæ, quæ ſuperexcedit neceſsitatem recipientis, cui non eſt danda eleemoſyna, vt inde luxurietur, ſed vt inde ſuſtentetur. Circa quod tamen eſt diſcretio adhibenda propter diuerſas conditiones hominum, quorum quidam delicatioribus nutriti, indigẽt magis delicatis cibis aut veſtibus. Vnde Ambroſius dicit* in li. de Offic. Conſideranda eſt in largiendo ætas atque debilitas. Nonnunquam etiam verecundia, quæ ingenuos prodit natales, aut ſi quis ex diuitijs in egeſtatem cecidit, ſine vitio ſuo. Quantum vero ad id quod ſubditur. Nobis autem tribulatio, loquitur de abundantia ex parte dantis. Sed ſicut gloſſ. ibidem dicit,* non hoc ideo dicit, quin melius eſſet, ſcilicet obundanter dare. Sed de infirmis timet, quos ſic dare monet, vt egeſtatem non patiantur.

Eiuſdem. 1. lib. c. 30. tomo. 1.

Glo. interlinearis ibidē.

SVMMA TEXTVS.

SVppoſito quod eleemoſyna poteſt dici abundans, vel ex parte dantis, vt cũ quis dat, quod eſt multum ſecũdum proportionem propriæ facultatis, vel ex parte recipiẽtis. vt cum quis dat, totũ quod eſt ſufficiens ad ſubleuandam miſeriam, vel etiam eo amplius ad ſuperfluitatem, reſpondet D. Tho. ad difficultatem per tres propoſitiones.

¶ Prima concluſio. Laudabile eſt dare eleemoſynam abundanter loquendo de abundantia ex parte dantis. Probatur ex Luca c. 21. vbi Dominus laudauit viduã, quæ ex eo, quod deerat illi, omnem victum, quem habuit, miſit. ¶ Secunda concluſio. Laudabile eſt ita dare eleemoſynam abundanter ex parte recipientis, vt leuemus totã neceſſitatem. ¶ Tertia concluſio. Ita dare eleemoſynã abundanter ex parte recipientis, vt habeat ſuperfluũ, nõ eſt laudabile, ſed melius eſt dare pluribus. Probatur ex Paulo. 1. ad Corinth. 13. dicente, Si diſtribuero in cibos pauperũ, &c. Super quæ verba dicit gloſſa, per hoc cautela eleemoſynæ docetur vt nõ vni, ſed multis detur vt pluribus proſit.

EXPLICATIO ARTICVLI.

PRima cõcluſio huius articuli eſt certa, & probatur ex illo Tobiæ, Si multum tibi fuerit abundanter tribue, ſi exiguũ tibi fuerit etiam exiguum libẽter impartiri ſtude: præmium enim bonum theſaurizas tibi in die neceſſitatis. Et 2. ad Cor. c. 9. Qui parce ſeminat parcè & metet, & qui ſeminat in benedictionib' de bñdictionibus & metet. ¶ Secũda cõcluſio. Similiter eſt certiſsima.

Dubium.

¶ Sed circa tertiam eſt difficultas, vtrùm ſic dare eleemoſynam abundanter alicui, vt ſuperabundet ad ſuperfluitatem ſit peccatum. Et ratio dubitãdi eſt: nam D. Tho. de hoc loquens dicit, quod non eſt laudabile, & poſteà ſubiungit: ſed melius eſt dare pluribus. Quæ verba videntur inter ſe ſe repugnare: nã ſi non eſt laudabile, ergo eſt peccatum, quia ſecundum D. Tho. in ſingulari non datur actus indifferens. Si autem eſt melius dare pluribus, ergo eſt bonum dare vni: ſiquidem comparatiuum ſemper præſupponit poſitiuum.

Nota.

Pro explicatione huius difficultatis aduertendũ eſt cum Caietano in præſenti dupliciter poſſe cõtingere, ꝙ aliquis det alicui eleemoſynã, ita, vt habeat ſuperfluũ. Vno modo ita, vt ille, qui dat intendat ſuperfluitatem: vt ſi eccleſiaſticus daret cõſanguineo multam eleemoſynã, vt ex illa haberet vnde aleret canes ad venationem aptos: & hoc non eſt laudabile ſed vituperabile, & peccatum: tendit enim ad finem indebitũ, cum finis proprius eleemoſynæ debeat eſſe ſubuẽtio neceſsitatis, & non ſuperfluitas. Alio modo poteſt dari ſuperfluũ ea intentione, vt ille, cui datur habeat vnde poſsit alijs benefacere, vt contingit in illis, qui eccleſijs abũdantiſsime largiũtur: & hoc nõ eſt peccatũ, ſed etiã eſt multũ laudabile, ſed melius eſt pluribus indigentibus ſubuenire.

Reſponſio ad difficultatẽ.

¶ Hoc ſuppoſito dico, quòd quando

D.Tho.affirmat non eſſe laudabile dare ad ſuperfluitatem loquitur de illis, qui ſuperfluitatem intendunt. Quando autem dicit, melius eſſe dare pluribus, loquitur de illis, qui dant ad ſuperfluitatem ea intentione, vt ille, qui accipit habeat vnde poſsit alijs eleemoſynas facere: quod quidem eſt bonum quanuis ſit melius dare pluribus: & ſic nulla repugnantia eſt in dictis D. Tho.

Dubium. ¶Si quis autē quærat, quid nam ſit præſtabilius, dare ſimul pinguem eleemoſynā, an vero ſucceſsiuè parum.

1. Dictum. ¶Dico primo, ꝙ ſi aliquis vult mutare ſtatū laudabilius eſt, ſimul omnia conferre: ita enim fecerūt multi ſancti, maximè illi, qui erāt in primitiua Eccleſia. Vnde Matth. 19. dicit Chriſtus iuueni ad perfectionem aſpiranti: Vade vende omnia, quæ habes, & da pauperibus.

2. Dictum. ¶Dico ſecundo, ꝙ qui non vult mutare ſtatum non debet niſi in extremis aut grauibus neceſsitatibus eas eleemoſynas facere, quæ aut ſeipſum aut familiam in neceſsitate cōſtituant: vnuſquiſq; enim debet prius prouidere ſuis quā alienis, vt diximus in ſuperiorib⁹.

3. Dictum. ¶Dico tertio, ꝙ in habēte ſuperfluum ſtatus, & familiæ magis meritorium eſt ſimul dare pinguem eleemoſynā, quàm ſucceſsiue, & per partes. Itaque ſi aliquis habeat centum aureos ſuperfluos magis merebitur dando illos ſimul in remedium alicuius virginis pauperis, & honeſtæ quam ſi diſtribuat in eleemoſynas ordinarias. Eſt enim illa maior neceſsitas, & cui non facile poteſt ſubueniri, & ſic eſt melius opus.

QVAESTIO TRIGESIMA tertia, de Correctione fraterna, in octo articulos diuiſa.

DEINDE conſiderādum eſt de correctione fraterna.

¶Et circa hoc quęruntur octo.

¶Primo, vtrū fraterna correctio ſit actus charitatis.

¶Secundo, vtrum ſit ſub præcepto.

¶Tertio, vtrum hoc præceptum extendat ſe ad omnes, vel ſolum in prælatis.

¶Quarto, vtrum ſubditi teneantur ex hoc præcepto prælatos corrigere.

¶Quinto, vtrum peccator poſsit corrigere.

¶Sexto vtrū aliquis debeat corrigere eū, qui ex correctione fit deterior.

¶Septimo, vtrum ſecreta correctio debeat præcedere denuntiationē.

¶Octauo, vtrum teſtium inductio debeat præcedere denuntiationem.

ARTICVLVS I.

¶ *Vtrum fraterna correctio ſit actus charitatis.*

AD PRIMVM ſic proceditur. *Infra art. 4.*
Videtur, quod fraterna correptio *cor. & 2.4.*
non ſit actus charitatis. Dicit enim *diſt. 19. q. 2.*
gloſſ. Matth. decimo octauo, ſuper *art. 1. ad. 6.*
illud, Si peccauerit in te frater tuus, quòd frater eſt arguendus ex zelo iuſtitiæ: ſed iuſtitia eſt virtus diſtincta à charitate, ergo correctio fraterna non eſt actus charitatis, ſed iuſtitiæ.

2 ¶ Præterea, Correctio fraterna fit per ſecretam admonitionem. Sed admonitio eſt conſilium quoddā, quod pertinet ad prudentiam. Prudentis enim eſt eſſe bene conſiliatiuum, vt dicitur in ſexto * Ethic. Ergo fraterna *Lib. 6. c. 5. to*
correctio non eſt actus charitatis, ſed *mo. 5.*
prudentiæ.

3 ¶Pręterea, Contrarij actus nō pertinent ad eandem virtutem. Sed ſupportare peccantem eſt actus charitatis, ſecundum illud ad Galat. 6. Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti, quæ eſt lex charitatis. Ergo videtur quòd corrigere fratrem peccantem, quod eſt cōtrarium ſupportationi, non ſit actus charitatis.

¶SED contra, Corripere delinquentem eſt quædam eleemoſyna ſpiritualis. Sed eleemoſyna eſt actus charitatis, vt ſuprà * dictum eſt. Ergo corre- *Q. 32. art. 1.*
ctio fraterna eſt actus charitatis.

¶RESPONDEO dicendū, quòd correctio delinquentis eſt quoddam remedium quod debet adhiberi contra

tra

tra peccatum alicuius. Peccatum autem alicuius dupliciter conſiderari poteſt. Vno quidem modo, inquantum eſt nociuum ei, qui peccat. Alio modo, inquantum vergit in nocumentũ aliorum, qui ex eius peccato læduntur, vel ſcandalizantur, & etiam inquantum eſt nocumentum boni communis, cuius iuſtitia per peccatum hominis perturbatur. Duplex ergo eſt correctio delinquentis. Vna quidem, quæ adhibet remedium peccato, inquantum eſt quoddam malum ipſius peccantis, & iſta eſt propriè fraterna correctio, quæ ordinatur ad emendationem delinquentis. Remouere autem malum alicuius, eiuſdem rationis eſt, ſicut bonum eius procurare. Procurare autem fratris bonum pertinet ad charitatem, per quam volumus & operamur bonum amico. Vnde etiã correctio fraterna eſt actus charitatis, quia per eam repellimus malum fratris, ſcilicet peccatum, cuius remotio magis pertinet ad charitatem, quàm etiam remotio exterioris damni, vel etiam corporalis nocumenti, quanto contrarium ad bonum virtutis, magis eſt affine charitati, quàm bonum corporis, vel exteriorum rerum. Vnde correctio fraterna eſt actus charitatis potius, quàm curatio infirmitatis corporalis, vel ſubuentio, qua excluditur exterior egeſtas. Alia verò correctio eſt, quæ adhibet remedium peccati delinquentis, ſecundum quod eſt in malum aliorum, & præcipuè in nocumentum communis boni. Et talis correctio eſt actus iuſtitiæ, cuius eſt conſeruare rectitudinem iuſtitiæ vnius ad alterum.

¶AD PRIMVM ergo dicendum, quòd gloſſa illa loquitur de ſecunda correctione, quę eſt actus iuſtitiæ. Vel ſi loquitur etiam de prima, tunc iuſtitia ibi ſumitur, ſecundum quod eſt vniuerſalis virtus, vt infrà * dicetur, prout etiam omne peccatum eſt iniquitas, vt dicitur primæ Ioan. tertio, quaſi cõtra iuſtitiam exiſtens. (Q. 58. ar. 5.)

¶Ad ſecundum dicendum quòd ſicut Philoſophus dicit in ſexto Ethicorũ.* Prudentia facit rectitudinem in iis, quæ ſunt ad finem, de quibus eſt conſilium & electio. Tamen cum per prudentiam aliquid rectè agimus ad finẽ alicuius virtutis moralis, puta temperantiæ, vel fortitudinis, actus ille eſt principaliter illius virtutis, ad cuius finem ordinatur. Quia ergo admonitio, quæ fit in correctione fraterna, ordinatur ad amouendum fratris peccatum, quod pertinet ad charitatem, manifeſtũ eſt quòd talis admonitio principaliter eſt actus charitatis, quaſi imperantis, prudentiæ verò ſecundario quaſi exequentis & dirigentis actum. (Cap. 7. 13. & 11.)

¶Ad tertium dicendum quod correctio fraterna non opponitur ſupportationi infirmorum, ſed magis ex ea cõſequitur. In tantum enim aliquis ſupportat peccantem, inquantum contra eum non turbatur: ſed beneuolẽtiam ad eum ſeruat, & ex hoc contingit, ꝙ eum ſatagit emendare.

SVMMA TEXTVS.

POſt diſputationem de eleemoſyna corporali agit conſequenter D. Thom. de eleemoſyna ſpirituali ſequutus Paulum, qui primæ ad Corinth. cap. 15. dicit, prius quod animale eſt, & deinde quod ſpirituale. Et ſuppoſito, quòd correctio nihil aliud eſt quam remediũ, quod adhibetur contra peccatum alicuius, & quod peccatum poteſt conſiderari dupliciter, vno modo inquantum nocet peccanti, alio modo inquã tum nocet aliis, & præcipue communitati, ex quo fit, vt correctio ſit duplex, vna, quæ ordinatur ad bonum ipſius delinquentis, quæ proprie dicitur correctio fraterna, de qua in præſenti eſt diſputatio, altera, quæ ordinatur ad bonum aliorum, reſpondet D. Thom. ad difficultatem propoſitam per duas propoſitiones. ℭPrima cõcluſio. Correctio fraterna, quæ ordinatur ad bonum delinquentis, eſt actus charitatis. Probatur: Eiuſdem rationis eſt amouere malum ab

aliquo

aliquo,& procurare bonum illius: ſed hoc ſpectat ad charitatem,ergo & illud. ¶Secũda concluſiu, correctio fraterna, quæ ordinatur ad bonum aliorum,& maximè communitatis eſt actus iuſtitię. Probatur. Quia ad iuſtitiam ſpectat conſeruare rectitudinem vnius ad alterum.

EXPLICATIO ARTICVLI.

DE hac materia, quæ celebris eſt apud Theologos diſputant doctores in.4.d. 19.& ſpecialiter D.Tho.quodlib.11.art.12. &.13. Adrianus in materia. de confeſsione. quæſtio. vltima. Gabriel. ſuper canonem lect.74. Soto in relectione.de ratione tegẽdi,& detegendi ſecretum. memb.2. Canoniſtæ in cap. ſi peccauerit. 2. q. 1. & in cap. nouit. de iudicijs. & in cap. ſi quis epiſcopus.de accuſationibus. & in cap. cum dilectus.& in cap.inquiſitioni, eodem tit. §. 2. &.3. Ad cuius explicationem, vt a nomine ipſo exordiamur eſt aduertendum primo, quòd hæc duo nomina correptio & correctio, quibus Theologi in hac materia promiſcue vti conſueuerunt, nonnihil differunt inter ſeſe, ſicut & ſuadere,& perſuadere. Nam correptio importat admonitionẽ, ſiue ex illa aliquis fructus ſequatur, ſiue ſecus: at vero correctio importat admonitiones cum effectu atque fructu: vnde corripere poſſumus inuitum, corrigere vero non, niſi volentem. Et D. Auguſtinus lib.1. de ciuitate Dei. cap. 9. dicit: Quidam nolunt plerunque corripere cum fortaſſe poſſent aliquos corripiendo corrigere. *Nota.1.*

Nota.2. ¶Secundo eſt aduertendum, quòd nomine correctionis fraternæ non ſolum ſignificatur ſecreta admonitio, quæ adhibetur fratri delinquenti, ſed etiam ſignificatur totus ille proceſſus poſitus in euangelio, & ordinatus ad ſalutem delinquentis, ſcilicet, ſecreta admonitio, teſtiũ inductio, & denunciatio Eccleſiæ facta. Itaque quicquid ſit emendandi fratris cauſa, ſiue illud ſit denunciatio, ſiue adhibitio teſtium, vocatur correctio fraterna. Ex quo ſequitur quòd materia correctionis fraternæ interdum poſſunt eſſe publica peccata. Nam licet in huiuſmodi publicis peccatis non habeat locum ſecreta admonitio, habet tamẽ locum adhibitio teſtium, & denunciatio, quæ fit iudici duntaxat emendandi fratris gratia, quæ ſimiliter appellantur correctio fraterna.

¶Tertio eſt aduertendum, quòd tres modi ſunt, quibus peccato proximi medicina adhibetur, ſcilicet, correctio fraterna, accuſatio, & inquiſitio, quæ potiſsimum differunt ex fine. Nam finis correctionis fraternæ eſt ſalus atque emendatio proximi, vt conſtat ex illis verbis Chriſti Matth. 18. Si te audierit lucratus eris fratrem tuum: vnde etiam correctio fraterna dicitur. At vero finis, qui in accuſatione, & inquiſitione intenditur eſt publica vtilitas, atq; vindicta: de qua loquitur Paulus.1. ad Tim.5. quando dicit: peccantes coram omnibus argue, vt cæteri timorem habeant. Ex quo ſequitur alia differentia, ſcilicet, quòd accuſatio, & inquiſitio ſunt actus iuſtitiæ, cuius finis eſt conſtituere, & conſeruare æqualitatem inter omnes. At vero correctio fraterna eſt actus charitatis, ad quam pertinet procurare commoda ſingulorum: vnde correctio, quæ facta fuerit animo irato, & verbis contumelioſis non correctio fraterna, ſed potius conuitiũ, & contumelia erit appellãda. *Nota.3.*

¶His conſtitutis circa primam concluſionem D.Tho.eſt difficultas, vtrùm correctio fraterna ſit immediatus actus charitatis. Ad quam breuiter reſpondeo quod nõ eſt, niſi immediatus, & proximus actus miſericordiæ, quæ eſt ſpecies, & peculiaris effectus charitatis, vt quæſtione præcedenti art.1. diximus de eleemoſyna: benefacere enim fratribus eſt generale officium charitatis, ſed benefacere ſpecialiter ad leuandam miſeriam immediate pertinet ad miſericordiam, vt D. Tho. dixit quæſt. 31. art.1. Et cum peccatum ſit ſumma inter miſerias hominum, fit, vt corrigere peccatorem, ſit præcipuum opus miſericordiæ poſt illud, quod eſt remittere peccatum iniuſto. Vnde Albinus in cap. tria ſunt. 45.d. dicit: Tria ſunt genera eleemoſynarũ, vna corporalis, egenti dare, altera ſpiritualis, dimittere ei, à quo læſus fueris. Tertia delinquẽtes corrigere, & errãtes reducere in viam veritatis. Certum eſt autem, quòd eleemoſyna immediate pertinet ad miſericordiam. *Dubium.* *Reſponſio.*

¶Sed contra hoc eſt argumentum. Correctio fraterna eſt conſiliũ, quod fratri peccanti adhibemus: ſed conſilium pertinet ad prudentiam, ergo correctio fraterna eſt immediatus actus prudentię, & non miſericordiæ, aut charitatis. ¶Reſpondetur tamen, quod correctio fraterna ſupponit conſilium, proprie tamen nõ eſt conſiliũ, ſed actus charitatis, & miſericordię. Vel ſecũdo reſpõdetur, quòd *Argum.* *Solutio.*

quòd quamuis actus materialis, & exterior correctioni fraternæ videatur eſſe conſiliũ, voluntas tamen, à qua naſcitur illud opus, eſt verè actus charitatis, & miſericordiæ, & illa voluntas eſt præcipuum, & formale in correctione fraterna. Maximè quòd, vt docet D. Tho. in ſolutione ad ſecundũ, quotieſcunq; admonitio, vel conſilium, & quicunq; alius actus prudentiæ ordinatur ad finem alicuius virtutis moralis, illa admonitio, vel conſilium principaliter dicitur eſſe actus illius virtutis moralis, à qua imperatur, licet ſit actus prudentiæ tanquam dirigentis, & exequentis illum actum. Et quia admonitio, quæ eſt correctio fraterna, principaliter ordinatur ad tollendum peccatum proximi, quod eſt proprium charitatis, hinc eſt quod ipſa correctio principaliter eſt actus charitatis, quam prudentiæ. Vnde poterimus definire correctionem fraternã dicentes, quòd eſt procuratio emendandi fratrem à peccato, ex illius amore, & compaſsione profecta. Pro hac re videnda ſunt quæ diximus ſupra articulo primo quæſtionis præcedentis.

ARTICVLVS II.

Vtrum correctio fraterna ſit in præcepto.

4.d.19.q.2. ar.2.q.1. Et Virt.q.3. ar. 1.ad.16.

AD SECVNDVM ſic proceditur. Videtur quòd correctio fraterna nõ ſit in pręcepto. Nihil enim quod eſt impoſsibile, cadit ſub præcepto, ſecundum illud • Hieronymi: Maledictus qui dicit Deũ aliquid impoſsibile præcepiſse. Sed Eccleſiaſtæ ſeptimo dicitur, Conſidera opera Dei, quòd nemo poſsit corrigere quẽ ille deſpexerit. Ergo correctio fraterna non eſt in præcepto.

In expoſitio. Symboli, ad Damaſ.to.2

2 ¶ Præterea, Omnia præcepta legis diuinæ ad præcepta decalogi reducuntur. Sed correctio fraterna non cadit ſub aliquo præceptorum decalogi. Ergo non cadit ſub præcepto.

3 ¶ Præterea, Omiſsio præcepti diuini eſt peccatum mortale, quod in ſanctis viris non inuenitur. Sed omiſsio fraternæ correctionis inuenitur in ſanctis & in ſpiritualibus viris. Dicit enim Auguſt. • in primo de Ciuitate Dei, quod non ſolum inferiores, verum etiam hi, qui ſuperiorem vitæ gradum tenent, ab aliorum reprehenſione ſe abſtinent, propter quandã cupiditatis maculam, nõ propter officia charitatis. Ergo correctio fraterna non eſt in præcepto.

Li.1.c.9.parum à med. to.5.

4 ¶ Præterea. Illud, quod eſt in præcepto, habet rationẽ debiti. Si ergo correctio fraterna caderet ſub præcepto, hoc fratribus deberemus, vt eos peccantes corrigeremus. Sed ille, qui debet alicui debitum corporale, puta pecuniam, non debet eſſe contentus, vt ei occurrat creditor, ſed debet eũ quærere, vt debitum reddat. Oporteret ergo, quòd homo quæreret correctione indigentes ad hoc, quòd eos corrigeret, quod videtur inconueniens, tum propter multitudinem peccantium, ad quorum correctionem vnus homo non poſſet ſufficere, tum etiã, quia oporteret, quod religioſi de clauſtris ſuis exirent ad corrigendos homines, quod eſt inconueniens. Non ergo fraterna correctio eſt in præcepto.

¶ SED contra eſt, quod Auguſtinus • dicit in libro de Verbis Domini, Si neglexeris corrigere, peior eo factus es qui peccauit. Sed hoc non eſſet, niſi per huiuſmodi negligentiam aliquis præceptum omitteret, ergo correctio fraterna eſt in præcepto.

Ser.16.inter prin. & med.to.10.

¶ RESPONDEO dicendũ, quòd correctio fraterna cadit ſub præcepto. Sed conſiderandũ eſt, quòd ſicut præcepta negatiua legis prohibent actus peccatorum, ita præcepta affirmatiua inducunt ad actus virtutum. Actus autem peccatorũ ſunt ſecũdum ſe mali, & nullo modo bene fieri poſſunt, nec aliquo tempore aut loco, quia ſecundum ſe ſunt coniuncti malo fini, vt dicitur in ſecundo • Ethicorum, & ideo pręcepta negatiua obligant ſemper, & ad ſemper. Sed actus virtutum nõ quolibet modo fieri debent, ſed obſeruatis debitis circunſtantijs, quę requirun

Li.2.c.6.to mo.5.

tur

tur ad hoc, ꝙ ſit actus virtuoſus, vt ſcilicet fiat vbi debet, & quãdo debet, & ſecundum quod debet. Et quia diſpoſitio eorum, quæ ſunt ad finem, attenditur ſecundum rationẽ finis, in iſtis circunſtantijs virtuoſi actus, pręcipue attendenda eſt ratio finis, quæ eſt bonũ virtutis. Si ergo ſit aliqua talis omiſſio alicuius circunſtantiæ circa virtuoſum actum, qui totaliter tollat bonum virtutis, hic actus contrariatur præcepto. Si autem ſit defectus alicuius circunſtantiæ, quæ non totaliter tollat virtutem, licet nõ perfectè attingat ad bonum virtutis, non eſt contra præceptum. Vnde & Philoſophus dicit in ſecundo * Ethicorum: Quòd ſi parum diſcedatur à medio, nõ eſt contra virtutem, ſed ſi multum diſcedatur, corrũpitur virtus in ſuo actu. Correctio autẽ fraterna ordinatur ad fratris emẽdationem, & ideo hoc modo cadit ſub præcepto, ſecundum quod eſt neceſſaria ad iſtum finem, non autẽ ita, quòd quolibet loco vel tempore frater delinquens corrigatur.

Lib. 2. circa fi. lib. to. 5.

¶AD PRIMVM ergo dicendum, quòd in omnibus bonis agendis operatio hominis non eſt efficax, niſi adſit auxilium diuinum, & tamen homo debet facere quod in ſe eſt. Vnde Auguſtinus * dicit in libro de Correctione & gratia, Neſcientes quis pertineat ad prædeſtinatorum numerũ, & quis non pertineat, ſic affici debemus charitatis affectu, vt omnes velimus ſaluos fieri. Et ideo omnibus debemus fraternæ correctionis officium impendere ſub ſpe diuini auxilij.

Ca. 15. Paulo à prin. to. 7.

¶Ad ſecundum dicendum, quòd ſicut ſuprà dictum * eſt, omnia præcepta, quæ pertinent ad impendendum aliquod beneficium proximo, reducuntur ad præceptum de honoratione parentum.

Q. 32. art. 5. ad. 4.

¶Ad tertium dicendum, quòd correctio fraterna tripliciter omitti poteſt. Vno quidem modo meritoriè, quando ex charitate aliquis correctionem omittit. Dicit enim * Auguſtinus in primo de Ciuitate Dei. Si propterea quiſque obiurgandis & corripiendis male agentibus parcit, quia opportunum tempus inquiritur vel eiſdem ipſis metuit, ne deteriores ex hoc efficiantur, vel ad bonam vitam & piam erudiendos impediant aliquos infirmos, & premant, atque auertant à fide, non videtur eſſe cupiditatis occaſio, ſed conſilium charitatis. Alio modo prætermittitur fraterna correctio cum peccato mortali, quando, ſcilicet formidatur (vt ibi * dicitur) iudicium vulgi & carnis excruciatio vel peremptio, dum tamen hæc ita dominentur in animo, quòd fraternæ charitati præponantur. Et hoc videtur contingere, quando aliquis præſumit de aliquo delinquente probabiliter, quòd poſſet eum à peccato retrahere, & tamẽ propter timorem, vel cupiditatem prætermittit. Tertio modo huiuſmodi omiſsio eſt peccatum veniale, quando timor vel cupiditas tardiorẽ facit hominem ad corrigendum delicta fratris. Non tamen ita, quòd ſi ei conſtaret, quòd fratrem poſſet à peccato retrahere, propter timorem, vel cupiditatem dimitteret, quibus in animo ſuo præponit charitatem fraternam. Et hoc modo quandoque viri ſancti negligunt corrigere delinquentes.

Li. 1. c. 9. ante med. to. 5.

Eiuſdem primi lib. c. 9. to. 5.

¶Ad quartũ dicẽdũ, ꝙ illud qđ debetur alicui determinatæ & certæ perſonæ, ſiue ſit bonum corporale, ſiue ſpirituale, oportet quòd ei impendamus, non expectãtes quòd nobis occurrat, ſed debitam ſolicitudinem habentes, vt eum inquiramus. Vnde ſicut ille, qui debet pecuniam creditori, debet eum requirere cum tempus fuerit, vt ei debitum reddat: ita qui habet ſpiritualiter curam alicuius, debet eum quærere ad hoc, quòd eum corrigat de peccato. Sed illa beneficia, quæ non debentur certæ perſonæ, ſed com-

communiter omnibus proximis, ſiue ſint corporalia, ſiue ſpiritualia, non oportet nos quærere quibus impendamus, ſed ſufficit quod impendamus eis, qui nobis occurrunt. Hoc enim quaſi pro quadam ſorte habendum eſt, vt Auguſtinus* dicit in. 1. de Doctr. Chriſtiana. Et propter hoc dicit in libro* de Verbis Domini, quod admonet nos Dominus noſter nō negligere inuicem peccata noſtra, non quærendo quid reprehendas, ſed videndo quid corrigas. Alioquin efficeremur exploratores vitæ aliorum, contra id quod dicitur Prouerbiorum vigeſimoquarto. Ne quæras impietatem in domo iuſti, & non vaſtes requiem eius. Vnde patet, ꝙ nec religioſos oportet exire clauſtrū ad corrigendū delinquentes.

SVMMA TEXTVS.

AD hanc difficultatē reſpondet D. Tho. per duas propoſitiones. Prima concluſio. Correptio fraterna eſt in pręcepto. Quā ſolūm probat in argumento ſed contra, teſtimonio Auguſtini in lib. de verbis Domini cap. 16. dicentis. Si neglexeris corrigere peior eo factus es, qui peccauit. ℭ Secunda concluſio. Correptio fraterna non ſic eſt in præcepto, vt obliget pro quolibet loco & tempore, ſed ſecundum quod conducit ad emendationem fratris, qui eſt finis correptionis fraternæ. Probatur ex differentia, quæ eſt inter præcepta negatiua, & affirmatiua. Nam in præceptis negatiuis, quia prohibēt actus malos, qui nulla ratione poſſunt eſſe boni, eorū obligatio eſt ſemper & pro ſemper, at vero in præceptis affirmatiuis, quia præcipiunt actus virtutū, ad quos neceſſarium eſt, vt plures circunſtantiæ concurrāt fit, vt tantum obligent pro loco & tempore & cum alijs circunſtantijs: ſed ſic eſt, quod præcipua ex circunſtantijs eſt ea, quæ ſumitur ex fine, qui in correptione fraterna eſt emendatio fratris, ergo præceptum de corrigēdo fratre non obligat pro quolibet loco, & tempore, ſed ſecundū quod conducit ad emēdationē fratris. ℭ Ex hac cōcluſione infero primo, oportere aliquādo expectet tēpus & locus ad corrigendū fratrē. ℭ Infero ſecundo ꝙ quādo nulla eſt ſpes emēdæ nō obligat pceptū de correptione faciēda: ceſſante enim fine legis ceſſat obligatio illius.

EXPLICATIO ARTICVLI.

CIrca primam concluſionē huius articuli eſt difficultas, vtrum vera ſit. *Dubium.* Et pro parte negatiua eſt argumentum. *1. Argum.* Correptio fraterna eſt quædam eleemoſyna ſpiritualis, vt diximus articulo præcedenti. ſed nullus tenetur dare eleemoſynā quādo ille qui miſeriam patitur poteſt ſibi aliunde ſubuenire, ergo nullus tenetur corripere fratrem. Probo cōſequētiam nam in ſpiritualibus, quilibet poteſt ſibi ſubuenire, cum facienti, quod in ſe eſt, Deus non deneget gratiam. ℭ Secundo, Nullus tenetur corrigere meretrices, *2. Argum.* dicente D. Auguſtino. Tolle meretrices de rebus humanis, & omnia turbabis libidinibus, ergo non eſt præceptum de correptione frarerna. Et confirmatur. Si eſſet tale præceptum, ſequeretur, quod etiam teneremur adhibere teſtes, & denunciare eccleſiæ, quod in multis peccatis eſt ridiculū, vt eſt videre in meretricibus, & in infidelibus, ergo nō eſt tale præceptum. ℭ Tertio, *3. Argum.* Si eſſet tale præceptū, ſequeretur ꝙ vnuſquiſq; quam primū poſſet teneretur exire a peccato, & ſeipſum corrigere alias de nouo peccaret: conſequens autem eſt falſum, & contra cōmunem doctorum ſententiam, ergo & illud, ex quo ſequitur. Probo ſequelam, nā eodem præcepto tenetur vnuſquiſq; prouidere aliorum ſaluti, & ſuæ.

ℭ His tamen non obſtantibus ſit concluſio *Concluſio.* ꝙ corrigere fratrē de peccato ſuo eſt pręceptum affirmatiuum de iure diuino, naturali, & poſitiuo oēs obligans. Hanc concluſionem tenent cōmuniter omnes doctores tam Theologi, q̄ Canoniſtæ. Alu sto dorē. lib. 3. tract. 25. c. 1. Richardus, & cæteri ſentētiarij in. 4. d. 19. Panor. & reliqui Canoniſtę in c. nouit. de iudicijs. & in c. ſi peccauerit. 2. q. 1. Quam concluſionē tenet etia Innocētius in dict. c. nouit. quāuis Panormitanus falſò intellexerit eius mētem. Verba enim Innocentij ſunt quæ ſequuntur: Ad iſtam denunciationē non credimus aliquem teneri, niſi ſicut tenemur ad alia opera charitatis niſi ſit talis, ad quem ratione officij, & curę hoc pertineret. Ex quibus verbis falſo colligit Panormitanus intētionē Innocētij eſſe, vt ſolis prælatis ſit præceptū de fraterna correptione, cūm tamē ipſe dicat, qđ alij adhoc tenētur, ſicut ad alia opera charitatis quorū multa conſtat eſſe in pręcepto Probatur tn̄ noſtra cōcluſio. Et primo ex illo Matth. 7.* Quæcunq; vultis, vt faciāt vobis homines,

& vos

& vos facite illis: quæ verba continent præceptũ naturale, & illa Auguſtinus ſic intelligenda eſſe dicit, vt quæcumque velle debemus ſecundum [illegible] rationem nobis fieri, hæc faciamus & alijs: ſed nos cum peccamus, & circa ſalutem æternam periclitamur debemus velle ſecundum rectam rationem per alios corrigi, ergo & nos ſimiliter debemus peccantes corrigere, atq; ex cõſequenti eſt præceptum naturale de correptione fraterna. Item, Lex naturæ eſt, quòd vnuſquiſq; diligat proximum, ſicut ſeipſum, ſed qui eſt in peccato tenetur ſalutem ſuã, etiam per alios procurare, quòd fit per correptionem fraternam, ergo pari lege naturæ tenetur ipſe id facere. Et confirmatur ex Ariſt. qui. 9. Ethic. cap. 3. dicit, quod tanto magis debet homo ferre auxilium amicis ad vitanda vitia, quam ad vitanda damna pecuniæ, quanto virtus affinior eſt amicis, quam pecunia. Præterea, Eleemoſyna ſpiritualis eſt præſtantior quam eleemoſyna corporalis: ſed in neceſsitatibus corporalibus tenetur homo præcepto naturali ſubuenire indigentiam patientibus per eleemoſynam corporalẽ, ergo à fortiori id erit dicendum de eleemoſyna ſpirituali. Præterea, Homo ex natura ſua eſt animal ſociabile, in quo differt à belluis, quæ ſolitariam vitam degunt, hoc autem accidit illi, quia ad vitam ſuſtinendam indiget multis rebus, quas nemo per ſe conſequi poteſt, ſine alterius ope, & auxilio: ex quo ſequitur, quod ſocietas humana & naturalis ſit & conſiſtat in multis officijs, quibus alij alijs procurant bona, vel arcent mala: ſed omnium grauiſsimum malum eſt peccatum: ergo ratio naturalis ſocietatis poſtulat, vt illud ab alijs hominibus, quantum eſt in nobis arceamus: hoc autem fit per correptionẽ fraternam, ergo eſt præceptũ naturale de corripiendis peccantibus. Et confirmatur. Natura cum inſtituit, vt homines eſſent ſociabiles ex conſequenti etiam conſtituit, vt ex omnibus hominibus vnum tanquam corpus conficeretur, ſed in corpore vnum mẽbrũ ſeruit alteri, ergo etiã neceſſe eſt, vt homines mutuo ſibi ferant auxilio, & maximè cum incidunt in grauiſsimum malum, quale eſt peccatum. Item hoc ipſum probatur teſtimonio ſacræ ſcripturæ. Nam Exod. c. 23. & Deutero. [illegible] dicitur: Non videbis bouem fratris tui, aut ouem errantem, & prætermittis, ſed reduces fratri tuo. Et infra. Si videns aſinum fratris tui aut bouem cecidiſſe in via nõ deſpicies, ſed ſubleuabis cũ eo, ergo à fortiori, ſi quis viderit proximum ſuum errantem, & deuiantem à Deo tenebitur eum reducere. Vnde Paul. 1. ad Theſſa. cap. 5. dicit, Corripite inquietos, conſolamini puſillanimes. Et 1. Ioan. 3. Non diligamus verbo, & lingua, ſed opere, & veritate. Certum eſt autem, quòd non diligit fratrẽ opere qui illum in peccato exiſtentem releuare non curat. Sed quod magis facit pro hac re eſt illud Matth. 18. Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipſum ſolum: vbi Chriſtus Redemptor noſter nihil aliud, quam naturale præceptum explicauit: niſi, quod cum eſſet ſol iuſtitiæ hoc, & cætera præcepta naturalia illuſtrauit, eam docens formam corripiendi, quæ & ſaluti proximi, & noſtro pudori conſuleret. Et quòd verba illa ſonent præceptum non ſolum colligitur ex verbo imperatiuo, corripi, ſed etiã ex verbis proximè præcedentibus. Nam cum Chriſtus dixiſſet, ſe veniſſe ſaluare quod perierat, atque adeo parabola de illo, qui nonaginta nouem ouibus in monte relictis exaggeraſſet quanti ſibi conſtitiſſet ſalus humani generis, ſubiungit ſtatim, Sic non eſt voluntas ante patrem veſtrum, qui in cœlis eſt, vt pereat vnus de puſillis iſtis. Et ſubſequitur, Si autem peccauerit in te frater tuus corripe eum, &c. Ac ſi diceret: Ea eſt voluntas patris mei, vt tanta ſit vnicuique cura fratris [illegible] quanta fuit mihi. Et vt quemadmodum ego mandatum [illegible] vt [illegible] homines lucrifacerem [illegible] vobis in præcepto, vt [illegible] Vnde Innocentius III. in cap. [illegible] referens hæc verba euangelij dicit: Quomodo nos mandatum [illegible] poſſumus non exaudire? Quibus verbis apertè ſignificat eſſe præceptum diuinum de correptione fraterna. Sed quòd hoc etiam ſit de iure poſitiuo, probatur ex cap. prouidendum. 83. diſt. & ex cap. [illegible] ſentire. 86. diſt. & ex cap. tam ſacerdotes. 24. q. 3. quibus omnibus locis expreſſe præcipit, vt correptio fraterna fiat. ¶ Et ſi quis quærat, vtrum hoc præceptum ex genere ſuo obliget ad mortale, an vero ad veniale, dico, quod ex genere ſuo obligat ad mortale. Ad cognoſcendum enim vtrum aliqua lex obliget ad mortale, vel ad veniale, [illegible] debemus ad materiam, quam præcipit, vel prohibet, & ſi illa eſt materia [illegible] obligat ad mortale, ſin minus ad veniale. Sed ſic eſt quod materia, circa quam verſatur, hoc

hoc præceptum, ſcilicet, ſalus ſpiritualis proximorum eſt grauiſsima: ergo ipſum præceptum ex genere ſuo obligat ad mortale. Et confirmatur ex Paulo ad Roma. 1. dicente: Digni ſunt morte non ſolùm qui faciunt, ſed qui conſentiunt facientibus. Super quæ verba dicit gloſſa: Conſentire eſt tacere cum poſsis arguere. Et ſuper illa verba Leuit. cap. 20. Succidam omnes, qui conſenſerunt ei, vt fornicaretur, ait gloſſa: Conſentientes, qui poſſunt accuſare, arguere, vel monere, & non faciunt nō effugiunt iudicium. Eiſdem etiam teſtimonijs probat Ioannes octauus in capi. facientis. 85. d. grauiter peccare eos, qui negligunt emendare quod corrigere poſſunt. Et D. Aug. ſuper Canonicam Ioãnis. tractatu. 7. in illa verba: Si ſic diligit Deus nos, & nos debemus alterutrum diligere. 1. Ioan. cap. 4. inquit: Non putes te tunc amare ſeruū tuum, quãdo eū non cædis: aut tunc amare filium tuum, quando ei non das diſciplinam: aut tunc amare vicinum tuum, quando eum non corripis. Certum eſt autem, quòd præceptum dilectionis in caſu neceſsitatis obligat ad mortale. Et ſermone. 16. de verbis Domini. exponens præceptum Chriſti Matth. 18. Si neglexeris, inquit, conuiciatorem corripere, peior es tacendo, quàm ille conuiciando: ſed ille, qui conuiciatur peccat mortaliter, ergo & qui omittit corripere. Item tract. 10. ſuper Ioann. explicans illud: Zelus domus tuæ comedit me, comparat Auguſtinus dimittentē correptionē fraternam illi, qui in ſudario repoſuit denarium: ſed iſte fuit damnatus propter illud, ergo & ille damnabitur, ſi dimittit correptionem: atque ex conſequenti hoc præceptum obligat ſub mortali. Idē etiam tenet D. Chyſ. Homil. 44. ſuper primam epiſtolam ad Corint. Vbi referens verba nolentium fratres corripere, & dicentium: Quid ad me corrigere fratres? reſpondet: Multum refert, aliàs eaſdem pœnas lueris. Et facit illic argumentum ex Deuteron. cap. 22. vbi præcepit Deus, vt, ſi quis viderit bouē, vel aſinū errantem reducat in domū etiā ſi ſit inimici ſui. Et dicit: Si hoc tenemur facere erga iumenta à fortiori erit grauis obligatio reducendi hominem errantem. Et Leo Papa in capit. qui alios, de hæreticis. dicit, qui alios cum poteſt ab errore nō reuocat, ſeipſum errare demonſtrat. Et D. Bernard. in ſermone de Ioan. Baptiſta: Nemo dicat cuſtos fratris mei ſum ego, ſi nō reprehenderit cum viderit ordinem deperire, minui diſciplinam: eſt enim cōſentire, ſilere cùm arguere poſsis: & ſcimus quòd ſimilis pœna manet facientes, & conſentientes. ¶ Ex dictis infero primo non eſſe faciendã diſtinctionem de peccato præterito, aut futuro, quantum attinet ad obligationē corrigendi, ſicut diſtinguit gloſſa cap. ſi peccauerit. 2. quæſt. 1. dicens, quod omnes tenentur corrigere de peccato futuro, ſed de præterito non, niſi ſolùm prælati: eadem enim lege charitatis, qua teneor ad futurum corrigendum teneor ad præteritum, eoque magis, quo maius eſt ibi periculum. Et ſi textum Euangelij attendimus de præterito videtur loqui, magis quam de futuro. Si peccauerit (inquit) frater tuus, id eſt, ſi peccatum iam cōmiſerit. Quod, & ſentit gloſ. ordinaria Matth. 18. dicens: Ita peccat, qui videns fratrem ſuum peccare tacet: ſicut ſi pœnitenti non indulgeret. ¶ Infero ſecundò, quòd præcepto de correptione fraterna non ſolùm obligamur ad corrigendum inferiores, & æquales, ſed etiam ſuperiores, & ipſum Papam, ſi pro loco, & tempore opus fuerit: eſt enim præceptum naturale, quod ad omnes ſe extendit. Et exemplum habemus in Paulo: qui publicè reprehendit Petrum. Sed eſt modus adhibendus, ne in correptione ſubditi ad prælatum fiat præiudicium honori, & reuerentiæ ipſi debitæ. Vnde D. Paul. 1. ad Timot. cap. 5. dicit, Seniorem, ne increpaueris ſed honora, vt patrem. Et Beatus Dionyſius epiſtola. 8. redarguit Demophilum, quod ſacerdotem ſeniorem correxerit, irreuerenter eum percutiens, & à ſacerdotio eijciens, in quo non ſolummodum exceſſerat inferioris ad ſuperiorem, ſed etiam modū correctionis fraternæ, corripiens nō ſolum verbo, ſed verbere, quam correctionem ſoli habent prælati efficere. Sed de hoc infra artic. 4. ¶ Infero tertiò, quod hoc præceptū obligare reſpectu cuiuſcunq; peccati mortalis, itaq, tenetur homo proximum corrigere de quocunq; peccato mortali. Quod dico contra Origenem, qui Homilia. 6. ſuper Matth. affirmat illud præceptum non eſſe intelligendum de omnibus peccatis, ſicut quidam intelligunt, ſed de aliquibus tantum. Non enim inquit in omnibus debemus adhibere teſtes. Sed, quòd noſtrum corollarium ſit verum, probatur. Nam finis correctionis fraternæ eſt ſalus ſpiritualis ipſius proximi: ſed hæc periclitatur quotieſcunque proximus eſt in pec-

1. Corollariũ.

2. Corollariũ.

3. Corollariũ.

cato mortali, & quantò peccatum fuerit grauius tantò periculum eſt manifeſtius: ergo præceptum de correctione obligat reſpectu cuiuſcunque mortalis. Item correctio fraterna eſt quædam eleemoſyna ſpiritualis: ſed reſpectu eius, qui magis indiget corporaliter magis obligat præceptum de eleemoſyna facienda: ergo idem dicendum erit de eleemoſyna ſpirituali. Et confirmatur ex textu Euangelij, in quo Chriſtus præcipit, vt corrigamus fratres peccantes, nec aliquod genus peccati excipit. Nec ex hoc licet inferre, quod obligat etiam reſpectu peccatorum venialium, vt affirmat Origenes Homilia citata: nam hæc non conſtituunt hominem in tali periculo ſpirituali, vt qui ab illo liberauerit poſsit dici lucrari fratrem ſuum. Nec prætereà opus eſt, vt in venialibus teſtes adhibeamus, niſi fortè peccatū veniale eius eſſet naturæ, vt ex genere ſuo diſponeret ad mortale: tūc enim ratione periculi teneremur etiã corrigere de veniali. Vt ſi quis, verbi gratia, domum ingrederetur ſuſpectã, aut amicitiam iniret cum mulieribus. De hoc enim caſu dicit D. Auguſtinus in regula: Si oculi petulantiam in aliquo aduerteritis ſtatim admonete, ne malè cœpta progrediãtur, ſed de proximo corrigantur. Et ratio eſt, qui videret hominem ſubire periculum mortis temporalis, nec eū ſeruaret proculdubiò peccaret mortaliter: ergo à fortiori id erit dicendum de eo, qui nō liberat à morte ſpirituali peccati.

Argum. ¶ Et ſi quis obijciat: Maius dãnum eſt quodcunq; peccatū veniale, quàm quoduis aliud damnum temporale: ſed tenetur homo impedire graue damnum temporale proximi: ergo a fortiori tenebitur impedire peccata venialia per correctionem, re-

Solutio. ſpondetur primò, quòd ſi hoc argumētum aliquid probaret pari ratione conuinceret, quod inducere aliquem ad peccandum venialiter eſſet peccatum mortale ſiquidem eſſet inferre maius damnū, quàm eſt quodcunque temporale eorum, in quorum illatione eſt peccatum mortale, quod nulla ratione eſt dicendum. Vel ſecundò reſpondetur conceſſo antecedenti, negando conſequentiam. Et ratio eſt, quia quando ego infero alicui aliquod damnum dependēs ex voluntate ipſius, non magis imputatur mihi illud malū, quàm imputatur illi, qui facit ceſsãte fraude, & dolo. Vt ſi verbi gratia, ego perſuadeo Petro, vt ludat centū aureos nulla fraude interueniente, & ipſe non peccat niſi venialiter eos ludendo, mea perſuaſio nō poteſt eſſe peccatum mortale. Cum ergo omiſsio correctionis in venialibus tantum verſetur circa peccata venialia, quæ pendent ex voluntate alterius, nulla ratione fieri poteſt, vt qui non corrigit peccet mortaliter.

¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco, vtrum Dubium.
ſit de fide, quod eſt præceptum particulare de correctione fraterna. Et pro parte affir- Arg. pro parte affirmatiua.
matiua eſt argumentum deſumptum ex. c. nouit. de iudicijs. vbi Innocentius III. determinaſſe videtur eſſe præceptum particulare de correctione fraterna impoſitū Matthæi. 18.

¶ In hoc tamen ſit prima concluſio. De 1. Concluſio.
fide eſt, quòd homines tenentur ad correctionem delinquentium ex præcepto generali charitatis: & contrarium dicere eſt hæreticum. Hanc concluſionem ſufficienter probant argumēta à nobis facta ad probandum eſſe præceptum diuinum, & naturale de correctione fraterna.

¶ Secunda concluſio. Non eſt de fide, 2. Concluſio.
licet ſit verum, quod eſt præceptum particulare de correctione fraterna. Hãc concluſionem tenet Soto in relectione de ratione tegendi, & detegendi ſecretum. membro. 2. q. 1. concl. 4. & Nauar. ſuper. c. inter verba. 11. q 3. corol. 59. Et probatur: quia ſi ex aliquo loco colligeretur tãquam de fide peculiare præceptum correctionis fraternæ, maximè ex illo Matth. 18. ſed ex illo non conuincitur ſufficienter: poſſet enim quis dicere, quod illud eſt conſilium, vel quod ibi non traditur præceptum de correctione fraterna, ſed de ordine in illa ſeruando, vel quod illud præceptum obligat prælatos, quia illa verba ſoli Petro dicta ſunt. Vnde Innocentius III. in cap. nouit. iam citato, quia Papa erat exiſtimauit ſe tali præcepto conſtringi ad corripiendum Regem Franciæ, ergo id non eſt de fide. Eſt tamen adeò verum, quòd illa verba Matthæi, continent peculiare præceptū correctionis fraternæ, vt cōtrarium dicere meo iudicio ſit periculoſum, & temerarium. Periculoſum quidem, quia eſſet in re graui particulariter ſentire: temerarium autem, quia cōtra communem ſenſum Doctorum, qui vnanimiter ex illo loco tale præceptum colligunt.

¶ Et ſi quis quærat, vtrū ſit maior obli- Dubium.
gatio correctionis fraternæ, quàm eleemoſynæ corporalis in caſu neceſsitatis, ſuppoſito ex D. Tho. 1. 2. quæſt. 73. artic. 3. & 7.

quod

quòd grauitas peccati poteſt attendi & ex parte obiecti, & ex parte circunſtantiarum maximè ex parte neceſsitatis, reſpondeo, quòd ex parte obiecti maior eſt obligatio correctionis, quàm eleemoſynæ corporalis, ſecus autem eſt ex parte neceſsitatis. Prima pars huius concluſionis eſt manifeſta: nam vita ſpiritualis præſtantior eſt, quàm vita corporalis. Vnde D. Gregorius in Homilia. ſuper illud Matthæi. 11. Cum audiuiſſet Ioannes in vinculis, dicit: Plus eſt animam in æternum victuram pabulo verbi reficere, quàm ventrem morituræ carnis terreno pane ſatiare. Et D. Chryſoſt. Homilia. 3. ſuper epiſtolam ad Corint. Et ſi immenſas pecunias pauperibus eroges, plus tamen effeceris ſi vnam conuerteris animam. Sed quod ex parte neceſsitatis ſit maior obligatio eleemoſynæ faciendæ, quàm correctionis probatur: nam eleemoſynæ ſpirituales non ſunt ità frequenter ſimpliciter neceſſariæ, ſicut eleemoſynæ corporales. ❡ Cæterùm, vt hoc melius intelligatur eſt aduertendum, quòd peccatum mortale aliquãdo prouenit ex ignorantia, aliquando autem ex paſsione, aut ex malitia. Inter quæ hoc eſt diſcriminis, quod quando quis peccat ex ignorantia, moraliter loquendo, non poteſt ab illo peccato exire, niſi ab alio inſtruatur: at vero quando peccat ex paſsione, vel ex malitia poteſt ab illo peccato exire adiutorio Dei ſine hominis auxilio. Hoc ſuppoſito dico, ꝙ ſi eſſet aliquis ab hæreticis ſeductus, quẽ ego aut ſolus, aut alio commodius poſſem ab illo errore reducere, tunc ſi correctionem omitterem grauius peccarem, quam ſi per eleemoſynam corporalem non ſubuenirem homini ſame pereunti. Et ratio eſt, quia in vtroq; caſu eſt extrema neceſsitas, & in primo eſt maius nocumentum, quod ipſe homo, moraliter loquendo, ſine meo auxilio vitare non poteſt. Secus autem eſſet, ſi ille homo peccaret ex paſsione, aut ex malitia, quia tũc, regulariter loquendo, potius deberem ſubuenire fame pereunti, quàm homini peccãti. Et ratio eſt, quia illi ſimpliciter eſt neceſſariũ meum auxilium, cum ſine illo nõ poſſet vitã conſequi: huic autem non eſt ſimpliciter neceſſarium, ſed ſolo auxilio diuino, quod paratiſsimũ habet, poteſt conuerti. Et quia, regulariter loquendo, frequentius occurrunt neceſsitates corporales, in quibus noſtrum auxilium ſimpliciter eſt neceſſarium, quam neceſsitates ſpirituales, idcircò abſolutè dicimus, quòd ex parte neceſsitatis maior eſt obligatio eleemoſynæ corporalis, quàm correctionis fraternæ. Verumtamen eſt, quòd ſi cætera ſint paria, ſcilicet, æqualis neceſsitas, æqualis opportunitas, & æqualis ſpes, magis obligat et hoc præceptum de correctione in caſu, quo nõ poſſemus vtriq; ſatiſfacere. Et in hoc caſu loquitur D. Auguſt. cuius verba referuntur in. c. ipſa pietas. 23. q. 4. cum dicit, multo magis teneri nos ad eleemoſynas ſpirituales, quàm corporales.

❡ Sed reſtat, vt reſpondeamus ad argumenta in principio facta. ❡ Ad primum reſpondetur, ꝙ quãuis neceſsitas peccati mortalis non ſit extrema propter rationem in argumẽto adductam, niſi forte in caſu, quo quis peccat ex ignorantia, vt ſtatim dicebã, eſt tamen grauiſsima neceſsitas, & præceptum de facienda eleemoſyna non ſolùm obligat in extrema, ſed etiam in graui neceſsitate, quando homo poteſt illam commode leuare, vt diximus quæſtione præcedenti. ❡ Ad ſecundum reſpõdetur negando, ꝙ non teneamur corrigere meretrices, quando eſt ſpes emendæ. Cæterum, quia, moraliter loquendo, de hoc nõ eſt ſpes, idcircò regulariter nullus curat illas corrigere. ❡ Et ad D. Auguſtinum dico, ꝙ loquitur de prohibitione meretricũ per leges, quę non eſt facienda propter bonum cõmune, ne Reſpublica libidinibus impleatur. Multa autem permittuntur legibus humanis, quæ nos priuata correctione ſi poſſumus corrigere tenemur: vt eſt videre in ſimplici fornicatione, quę ſecundum legem humanam permittitur, & tamen nullus dubitat, quin teneamur proximos d' hoc peccato in particulari corripere. Et ratio huius eſt, quia Princeps cum immediatè reſpiciat bonum commune, & bonum particulare reſpiciat mediatè, idcirco permittit minora, & particularia mala, vt maiora, & communia vitentur. At verò lex amicitiæ, ad quam pertinet præceptum de correctione fraterna immediatè reſpicit bonum priuatum: & ideò vnuſquiſque ex lege charitatis tenetur de quocunque peccato mortali proximum corrigere. ❡ Ad cõfirmationem dico, quod cùm adhibitio teſtium, & denuntiatio Eccleſiæ facta ordinentur ad correctionẽ fratris, ſicut & ſecreta admonitio, ſit, vt quando non eſt ſpes emendę, ſicut non tenemur ſecretò admonere, ita etiam nec tenemur dicere Eccleſiæ, aut teſtes adhibere: maxi-

1. Argum.

Ad. 2. argu.

Ad. 3. arg.

mẽ cùm peccatum fuerit eiuſmodi, vt ab Eccleſia propter vitanda maiora mala permittatur.

Nota de correctione infidelium.

¶ De infidelibus ſolent multi dubitare, vtrum teneamur illos ex charitate corrigere: ſed meo iudicio idem dicendum eſt de illis, quod de alijs peccatorib⁹, ſcilicet, ꝙ tenemur illos corrigere, quando adeſt ſpes emendæ. Et eſt aduertendum, ꝙ quamuis non ſit ſpes, quod infidelis corrigetur, quantum ad fidem falſam, quam habet, ſi tamen eſt ſpes, quod ceſſabit ab alijs peccatis, quæ contra naturam committit, adhuc teneor illum de illis corrigere. Et ratio eſt, quia lex charitatis me compellit ad tollendum è fratre meo quodcunq; malum, quod illi ineſt: & ſi nõ poſſum totum tollere, ſaltim teneor leuare id, quod poſſum. Quod iſto exemplo fiet manifeſtum. Si infirmus laborat duplici morbo, ſcilicet, dolore capitis, & dolore ſtomachi, & ego poſſum tollere vnũ, proculdubio ad id teneor, & ſimiliter ſi quis eget duplici eleemoſyna, ſcilicet, victu atque veſtitu, & ego tantũ poſſum victum dare teneor illum conferre: ergo pari ratione dicendum erit de neceſsitatibus ſpiritualibus: quod ſi vnus laborat duplici peccato, & ego poſſum ab vno liberare per meam correctionem, adhuc altero manẽte, teneor id facere ex præcepto correctionis fraternę.

Ad vltim. argum.

¶ Ad vltimum argumentum reſpondetur negando ſequelam. Et ad probationẽ dico eſſe latiſsimum diſcrimen inter hoc, quod eſt procurare ſalutem ſpiritualẽ proximi, & procurare ſalutem propriam. Nam ſaluti ſpirituali proximi ego non poſſum cedere, cùm Deus vnicuique mandauerit de proximo ſuo: ex quo fit, vt quamprimum commodè poſsim tenear illum corrigere. At vero poſſum cedere iuri meo, & ſic, niſi adſit noua neceſsitas, non teneor particulari præcepto à peccato ſtatim exire. Et hæc dicta ſint de prima concluſione D. Tho.

Nota circa ſecundam concluſionem.

¶ Circa ſecundam cõcluſionem, in qua D. Tho. dicit, ꝙ præceptum de correctione fraterna non obligat pro quolibet loco, & tempore, ſed ſecundum quod conducit ad emendationem fratris, eſt aduertẽdum hoc eſſe diſcriminis inter præcepta affirmatiua, & negatiua, quod negatiua obligant ſemper, & pro ſemper, affirmatiua vero nõ, niſi pro loco, & tempore, & cum debitis circunſtantijs. Et ratio eſt, quia pręcepta negatiua prohibent id, quod ſemper eſt malum: at vero præcepta affirmatiua præcipiunt bonum, quod, niſi ex integra cauſa cõſurgere non poteſt, vt dicit D. Dionyſ. capit. 4. de diuinis nominib. Ex quo fit, vt præceptum de correctione fraterna, quod affirmatiuũ eſt, nõ obliget pro ſemper, ſed tantum pro illo tempore, & loco, in quo correctio ità commodè fieri poteſt, vt ſit actus virtutis debitæ ordinatus in ſuum finem. Et quia circunſtantiæ, quę ad hoc requiruntur ſunt multiplices, quæ omnes deſumi debent ex fine correctionis fraternę, quæ eſt emendatio fratris, idcircò circa ſecundam cõcluſionem D. Tho plures poſſunt eſſe dubitationes. ¶ Gerſon inter Theologos tract. 34. de correctione. & Hoſtienſis inter Iuriſconſultos lib. 2. titul. 6. conſtituit ſex conditiones neceſſarias ad correctionẽ fraternam. Quarum tres ſe tenent ex parte corripientis, & ſunt. Certa cognitio peccati, manſuetudo, & commoditas, aliæ tres ex parte eius, qui corripitur, & ſunt. Quod eius peccatum ſit mortale, ꝙ ſit ſpes emendationis, & quod nõ expectetur aliud tempus opportunius. Circa quæ omnia ſuo ordine varias mouebimus difficultates incipiẽtes tamẽ ab illis tribus, quæ ex parte eius, qui corripitur ſunt conſideranda, vt clarius atque conuenientius procedamus.

¶ Et quidem de primò quod requiritur ex parte eius, qui corripitur, ſcilicet, quod eius peccatum ſit mortale, iam diximus ſuprà, omne peccatum mortale eſſe materiam correctionis fraternæ, & etiã veniale, quando eſt talis naturæ, vt diſponat ad mortale.

Argum.

¶ Sed contra hoc poteſt eſſe argumentum deſumptum ex illo Matth. 18. Si peccauerit in te frater tuus. Super quæ verba dicit glo. interlinearis, id eſt, ſi iniuria te affecerit. Et D. Hierony: Si peccauerit in nos frater, & in qualibet cauſa nos læſerit dimittendi habemus poteſtatẽ: ſi autem in Deum quis peccauerit non eſt noſtri arbitrij. Quibus verbis apertè ſignificat tantum ad nos pertinere corripere ea peccata, quæ in nos fuerint cõmiſſa. Ità D. Auguſtinus explicans illa verba: Si peccauerit in te, dicit, in te, id eſt, te ſciente: ergo ſecundũ ſenſum D. Auguſtini ſola peccata ſecreta erunt materia correctionis, atq; ex conſequenti nõ omnia peccata mortalia erũt materia correctionis fraternę.

Solutio.

¶ Reſpondetur tamen ad gloſſam interlinearem, quod etiam ſi concedamus, quod Chriſtus Dominus loquitur de peccatis, quæ inferunt iniuriã proximo, tamen non inde ſequitur, quod alia peccata non ſunt

ſunt corrigenda. Imò ex paritate rationis conuincitur, quod verbum illud Chriſti Domini debet extendi ad vniuerſa peccata, in quibus periclitatur ſalus proximi. Et ad teſtimonium D. Hieronymi reſpondetur, quòd ille non loquitur de correctione fraterna, ſed de diuiſione, & cõdonatione peccati: nam peccata, quę committuntur aduerſus nos poſſumus nos dimittere, nõ tamen illa, quę committuntur aduerſus Deum. Et ad teſtimonium Auguſtini reſpondetur, quòd non negat peccata publica pertinere ad correctionẽ fraternam, ſed ſolum docet, quod in ſecretis peccatis neceſſariò eſt pręmittenda occulta admonitio, id quod nõ eſt neceſſarium in publicis peccatis.

Dubium. ¶ Sed dubium eſt, vtrùm ſi proximus faciat aliquod opus, quod ex genere ſuo eſt peccatum mortale, & ego ſciam, quod habet ignorantiam inuincibilem illius, in hoc caſu tenear illum corripere. Verbi gratia, Petrus, & Paulus ineunt contractum, qui in rei veritate eſt ſimoniacus, & ipſi cõtrahentes hoc ignorãt inuincibiliter: dubium eſt, vtrùm ego tunc tenear illos admonere, vt contractum diſſoluant.

Argum pro parte negatiua. ¶ Et pro parte negatiua eſt argumentum. Tales cõtrahentes non peccant, ergo non teneor illos corrigere. Probo conſequentiam ex Euangelio, vbi dicitur, Si peccauerit in te frater tuus. Et cõfirmatur. Corripiens tunc nõ lucratur fratrem ſuum ſua correctione, ergo non tenetur illam adhibere. Patet conſequentia: nam hic eſt finis correctionis fraternę, vt dicit Chriſtus Matth. 18. & antecedens probatur. Tales cõtrahentes non perierant per talem contractum, cum poſsint eſſe in gratia, imò & mereri cum illum efficiunt, ergo corripiens non põt dici illos lucrari. ¶ Itẽ, Si ego video aliquem manducantẽ carnes in die Veneris, & ſcio, quòd putat eſſe diẽ Dominicam, nõ teneor illum admonere, ergo nec in caſu poſito. Probo conſequentiam ex paritate rationis.

Argumẽta in cõtrariũ. ¶ In contrariũ tamen eſt, nã proximus tantum excuſatur à peccato ratione ignorantiæ inuincibilis, quæ facit illud opus inuoluntariũ, ſed reſpectu mei erit volitum, cum ſciam eſſe peccatum ex genere ſuo, & nõ admoneo, ergo teneor admonere. ¶ Itẽ, Illud opus ex ſua natura eſt grauis offenſa Dei, ergo contra legem charitatis erit illam non impedire. Probo conſequentiam: nam ſi aliquis ex ignorantia inuincibili læderet in re graui honorem, & famam mei amici contra legem amicitiæ facerem talem iniuriam non impediendo.

¶ Pro explicatione huius difficultatis, quę grauis eſt atq; ambigua, ſupponẽdum eſt primò, quòd ignorantia eſt duplex, vna iuris, altera facti. *1. Præſuppoſitum.* Ignorantia inuincibilis iuris eſt, quando quis ignorat legem, qua aliquid, vel præcipitur, vel prohibetur, vt ſi quis ignoret eſſe impoſitam legem de ieiunando in quadrageſima. Ignorantia autem facti eſt, quando præſuppoſita cognitione legis ignorat quis aliquod opus, quod verè eſt contra legem, eſſe contra illam.

2. Præſuppoſitum. ¶ Secundò eſt ſupponendum, quòd homines, quãtum attinet ad præſens inſtitutum ſunt in duplici differẽtia. Quidã enim ſũt, ad quos ex officio pertinet alios docere, vt prælatus, pater familias, præceptor. &c. Alij verò ſunt, quibus hoc ex officio non incumbit, vt ſubditi.

3. Præſuppoſitum. ¶ Tertiò eſt ſupponendum, quod ignorãtia adhuc poteſt eſſe duplex. Vna eſt, ex qua ſequitur damnum proximi, & iactura bonorum illius, vt ſi quis ignoraret ſoluendas eſſe decimas. Alia ignorãtia eſt, ex qua nullum ſequitur damnum, vt ſi quis ignoret hodie eſſe ieiunandum.

1. Concluſio. ¶ His ſuppoſitis ſit prima cõcluſio, Illi, ad quos ex officio pertinet alios docere tenentur illos admonere, quacunq; ignorantia ſiuè iuris, ſiuè facti laborent. Hanc concluſionem tenent communiter omnes Doctores, & probatur ex illo Actorum. c. 20 Conteſtor vobis hodie, quòd mundus ego ſum à ſanguine omnium veſtrum: non enim ſubterfugi quominus annunciarem omne cõſilium Dei vobis. Super quæ verba dicit D. Gregorius, & refertur in. c. Epheſis. 43, diſt. Nõ eſſet mundus, niſi expoſuiſſet omne conſilium. Item proprium munus ſpeculatoris eſt alios admonere, & videre ea, quæ illis ſunt neceſſaria: ſed prælati atque ſuperiores ſunt ſpeculatores, vt conſtat ex Ezechi. cap. 3. & . 33. ergo tenentur quamcunque aliorum ignorãtiam tollere, atque illos illuminare. Item prælati ſecundum doctrinam Euangelicam ſe habent in ordine ad alios, ſicunt oculi in ordine ad reliqua membra corporis: vnde Matth. 5. appellantur lux mundi: ſed ſi pedes errarent, & oculi eos non corrigerent, hoc imputaretur oculis: ergo pari ratione ignorantia ſubditorum imputabitur prælatis, atque ex conſequenti ſuperiores tenentur quamcunq; ignorantiam tollere. Vltimò, Amos

capit. 6. prælati, & ſuperiores appellantur optimates, & capita populorum: ſed munus capitis, atque cordis eſt influere in reliqua membra, ergo hoc debent facere ſuperiores. Eſt tamen hæc concluſio ſano modo intelligenda, ſcilicet, quòd vnuſquiſque ſuperior tenetur ab inferioribus depellere eã ignorãtiam, quæ pertinet ad ſuum ſtatum: nam non pertinet ad præceptorem docere quæ pertinent ad religionem, nec etiam ad patrem familias, ſed quilibet debet docere ea, quæ ad ſuum ſtatum pertinent.

2. Concluſio. ¶ Secunda concluſio. Quamcunque ignorantiam, etiam inuincibilem, ex qua ſequitur grauis iactura proximi, tenetur quiſque depellere. Itaque, ſi aliquis ignorat decimas eſſe ſoluendas, aut accipit ignoranter prædium alterius, quiſque tenetur hanc ignorantiam leuare. Probatur ex capit. qui cum fure. extra de furtis. Vbi dicitur eſſe reũ furti qui conſcius furti non vult manifeſtare quærenti: & ex Diuo Auguſtino, qui ad Macedonium. & habetur. 14. quęſt. 6. capit. ſi rem. idem expreſſe affirmat. Et ratio eſt manifeſta: nam contra charitatem eſt, quòd quis patiatur damnum alterius, cum citra ſuum damnum illi poteſt ſubueniri.

3. Concluſio. ¶ Tertia cõcluſio. Valde probabile eſt, quod quiſque tenetur leuare à proximo ſuo omnem ignorantiam iuris naturalis. Itaque, ſi proximus ignorat inuincibiliter aliquod præceptum decalogi, vt fornicationem eſſe peccatum, quilibet tenetur illum hanc rem docere. Probatur: Iſta ignorantia communiter haberi non poteſt citra iacturam honoris diuini, aut boni proximorum: ſed quotieſcunque talis iactura ſequitur, tenentur homines alterius ignorantiam depellere: ergo id debent facere in caſu poſito. Conſequentia cum minori eſt nota, & maior probatur. In præceptis decalogi tantum continentur duæ tabulæ, vna, in qua continentur ea, quæ ſpectant ad Deum, altera, in qua ſunt ea, quæ ſpectant ad proximum: ergo nullum præceptorum illorum poteſt violari, ſine iactura diuini honoris, aut boni proximorum. ¶ Sed, vt de ignorãtia iuris diuini dicamus quid ſit tenendum, ſupponendum eſt, ignorantiam circa ius diuinum dupliciter poſſe contingere. Vno modo, ità, vt ignoret quis ea, quę neceſſariò & expreſſe debet ſcire ad ſalutẽ conſequendam, vt ſacramentum baptiſmi, fidem mediatoris, & alia huiuſmodi, de quibus diximus ſuprà. q. 2. artic. 8. Altero modo, ità, vt ignoret ea, quæ non tenetur ſcire, vt quòd Tobias habuit canem.

¶ Quo ſuppoſito ſit quarta concluſio, Quilibet tenetur leuare à proximo ignorantiam quantum ad ea, quæ tenetur explicitè credere. Itàque, ſi aliquis ignorat animam eſſe immortalem, aut fidem mediatoris, tenetur quilibet fidelis hanc ignorantiã depellere. Probatur: Nullus poteſt hæc ignorare ſine magna iactura boni ſpiritualis, ſed quilibet tenetur procurare bonum ſpirituale proximi, ergo. *4. Concluſio.*

¶ Quinta concluſio. Ignorantia iuris diuini circa ea, quæ non tenetur homo explicitè credere, non tenemur tollere. Itàq;, ſi vetula ignoret Abraham habuiſſe duos filios, aut Tobiam habuiſſe canem, nullus tenetur illam hanc rem docere. Probatur, Qui talia ignorat non tenetur ea ſcire, ergo nec alter docere. Probo conſequentiam: quia nullus tenetur docere niſi ea, quæ alter tenetur ſcire. *5. Concluſio.*

¶ Vltima concluſio, quæ ſequitur ex ſuperioribus eſt, quòd ignorantiam facti circa ius humanum, & ciuile non tenemur, regulariter loquendo, tollere à proximo noſtro. Itaque, ſi video aliquem inculpabiliter manducare carnes in die prohibito, non teneor illam ignorantiam depellere. Probatur. Ex illa re nullum ſequitur damnum, aut ſcandalum proximi, nec prætereà ipſe delinquit, nec ego ſum prælatus, cui ex officio incumbat alios docere: ergo ſi non admoneo non pecco. *Vltima concluſio.*

¶ Et ad primum argumentum pro parte negatiua factum reſpondetur, quòd non ſolùm tenemur corrigere fratrem propter actuale peccatum, quod committit, ſed etiam propter alia incõmoda, quæ ſibi aut alijs ſequuntur, vt diximus in concluſionibus. Et quia huiuſmodi damna ſequuntur ex opere, quod quis facit, & ex ſe eſt peccatum, idcirco Chriſtus dixit: Si peccauerit in te frater tuus. Et eodem modo reſpondetur ad confirmationem. ¶ Ad argumenta pro parte affirmatiua reſpondeo illa probare, quod ille, cui incumbit ex officio tenetur omnem ignorantiam depellere, quod nos verum eſſe diximus in prima concluſione. *Ad argum. pro parte negatiua.* *Ad argum. in contrariũ.*

¶ Circa ſecundam conditionem requiſitam ex parte eius, qui corripitur, ſcilicet, ſpem emendationis, eſt aduertendum eſſe *Nota.*

com

communem ſententiam omnium Doctorum, quod quando non adeſt huiuſmodi ſpes præceptum de correctione non obligat: eſſet enim tunc correctio vana, & ad opus vanum nemo obligatur. Præter quam quod etiam præcepta mediorum ſunt propter conſequutionem finis. Ex quo fit, vt fine deficiente, qui in correctione fraterna eſt ſalus ſpiritualis proximi, quod etiam ipſa media deficiant quantum ad obligationem eſt neceſſe. Et propterea Diuus Paulus.1.ad Corint.9.dicit: Debet qui arat in ſpe arare, & qui triturat triturare in ſpe fructus percipiendi. Et Prouerbior. 9. Noli corripere deriſorem, ne oderit te.

Dubium. ¶ Sed eſt difficultas de eo, qui dubitat, an ſit profuturus, vtrùm teneatur ad correctionem. De qua re ſunt variæ Doctorum

Sententia Caietani. ſententiæ. Nam Caietanus in ſumma. verbo. correctio fraterna. dicit, quòd quamuis ſciam aliquem eſſe in peccato mortali, ſi tamen non habeo probabilem coniecturam, quòd ſequetur fructus ex mea correctione, vel dubito, an ægre ferat, vel an proderit, tunc non teneor corripere ſub mor-

Sententia Adriani. tali. Adrianus in.4.quæſt. vnica. de correctione fraterna. articulo.3. tenet oppoſitam ſententiam dicens, quòd quando quis dubitat, vtrùm correctio ſit profutura, tunc tenetur ſub peccato mortali illam adhibere. Et probat ſuam ſententiam hoc argumento. Eleemoſyna corporalis obligat ſub mortali in caſu, quo ego dubito, vtrum aliquis ſit pauper, & vtrum ſit in extrema neceſsitate, ergo ſimiliter correctio fraterna obligat ſub mortali, quando dubito, vtrum ſit profutura. Probo conſequentiam: nam correctio nihil aliud eſt, quam quædam eleemoſyna ſpiritualis.

¶ Pro explicatione huius difficultatis eſt aduertendum aliud eſſe, quod correctio non proſit alicui, aliud autem quod obſit, vel illi, vel bono communi. Quo

1. Concluſio. ſuppoſito ſit prima concluſio. Qui eſt certus ſe nō obfuturum ſua correctione, etiam ſi dubitet, an ſit profuturus, tenetur illam adhibere ſub peccato mortali. Hæc concluſio eſt contra Caietanum, ſed illam tenent Adrianus loco citato, & Soto in relectione de ratione tegendi, & detegendi ſecretum, membro.2.quæſt.2.concluſione.4. Et probatur. In caſu dubij non licet ceſſare ab oratione, nec ab alijs medijs neceſſarijs ad correctionem fratris, ergò nec à correctione. Et confirmatur ex D. Auguſtino, qui de pœnit. diſt. 7. capit. ſi quis. 2. dicit: Ideò do tibi pœnitentiam quia neſcio an ſit profutura: ſi enim ſcirem tibi nō prodeſſe non te admonerem, nō te deterrerem. Item medicus corporalis in caſu, quo dubitat, vtrùm aliqua medicina ſit profutura & eſt certus, quod non oberit, tenetur illam adhibere, vt omnes Doctores fatentur, ergo idem dicendum erit de correctione in morbo ſpirituali. Hæc etiam eſt expreſſa ſententia D. Chryſoſt. Homilia.44. ſuper primam epiſtolam ad Corint. Vbi adducit egregium ſimile dicens, quòd, ſi aliquis dubitaret, vtrùm aliqua medicina eſſet profutura oculo, vel capiti, quam ſcit non obfuturam, proculdubio illam adhiberet in caſu neceſsitatis, ne negligentiæ argueretur, ergo à fortiori erit adhibenda medicina in morbo ſpirituali, quādo dubitamus de fructu & ſumus certi quod non oberit. Præterea, In alijs præceptis affirmatiuis tenemur operari in caſu dubij, vt patet de medico, qui dubitat de medicina, & de eo, qui dubitat, vtrùm pauper ſit in extrema neceſsitate, ergo idem dicendum erit de præcepto correctionis fraternæ. Et confirmatur ex illo Eccleſiaſtici.11. Qui obſeruat ventum non ſeminat, & eſt, quod Hiſpane dicitur (*Quien todo lo penſare nunca conbegerare*) Hanc etiam ſententiam tenuit poſtea Caietanus ſuper.18.c. Matth. in illa verba. Si te audierit. Vbi dicit, non oportere ad hoc, vt debeamus corrigere fratrē, quod ſimus certi, aut habeamus probabilitatē quòd corrigetur: ſed ſatis eſt, quod ſimus dubij, vt ex Euangelio colligitur: nam dicitur, Si te audierit: quæ ſunt verba dubitantis.

¶ Secunda concluſio. Qui dubitat, vtrū correctio oberit bono communi præſertim religionis nō tenetur illam adhibere. Verbi gratia, timet aliquis quod ex correctione Petri ſequetur blaſphemia in Deum, vel irritatio ad iram & impatientia, non tenetur in hoc caſu Petrum corripere. Hæc concluſio eſt D. Auguſtini libr. 1. de ciuit. c. 9. cuius verba referuntur à D. Thom. in hoc artic. in ſolutione ad. 3. argumentum. Et ratio eſt manifeſta: nam in tali correctione non ſolum deficit ſpes emendæ, quæ eſt finis, ſed etiam eſt timor de oppoſito. *2. Concluſio.*

¶ Tertia concluſio. Propter damnum temporale illius, qui corripitur nullus tenetur ceſſare à correctione. Verbi gratia. Timeo, quod ſi corripio Petrum, ipſe triſtitia afficietur, & incidet in infirmitatem, non propter hoc debeo à correctione deficere. *3. Concluſio.*

Hanc conrluſionem tenet D. Chryſoſtómus Homilia.30.in epiſtolam ad Hebræos In illa verba capit. 12. Omnis diſciplina in præſenti videtur non eſſe gaudij, ſed mœroris. Vbi ponit exemplum de infirmo ægteferente, quòd non detur ſibi aqua: poſteà autem quando conualeſcit nunquam ceſſat agere gratias ei, qui ſibi illam negauit. Et ad id propoſitum adducit illud Prouerbiorum.29. Qui corripit hominem, gratiam poſteà inueniet apud Deum magis, quàm ille, qui per linguæ blandimenta decipit. Sed ratione ſic argumentor. Bona ſpiritualia ſunt præferenda bonis corporalibus: ergo bonum ſpirituale alicuius eſt procurandum, etiam cum detrimento corporali eiuſdem. Sed eſt aduertendum, quod ille, qui corripit debet minimum malum temporale, quod poteſt illi, quem corrigit, inferre.

Dubium. ¶ Sed dubium eſt de eo, qui dubitat, vtrùm ſua correctio ſit obfutura in ſpiritualibus ei, qui corripitur, vtrùm in iſto caſu teneatur illum corrigere. Panormitanus ſuper capit. nouit, de iudicijs. tenet partem affirmatiuam: quam probat ex eo, quòd Chriſtus præcipit Matth.18. corripere fratrem ſecretò, mox adhibere teſtes, deinde denuntiare Eccleſiæ, & tandem ſi illam non audierit excommunicari. Certum eſt autem; quòd excommunicatio infert damnum in ſpiritualibus, ergo etiam ſi ſit dubium, imò etiam ſi ſit certum, quod oberit in ſpiritualibus tenemur fratrem corrigere.

Vltima concluſio. ¶ In hoc tamen ſit vltima concluſio. Qui dubitat, vtrū ſua correctio ſit obfutura in ſpiritualibus ei, qui corripitur non tenetur illam adhibere. Hæc eſt communis ſententia omnium Theologorum. Et probatur primò ex Diuo Auguſtino libr.1. de ciuitate. capite. 9. & ex Diuo Thoma hic ad tertium, qui hoc expreſſe affirmant, & ex illo Prouerbiorum. 9. Noli arguere deriſorem, ne oderit te. Super quæ verba dicit gloſſa, Non eſt timendum ne deriſor cum arguitur tibi contumelias inferat, ſed timendum eſt, ne odio detractus deterior efficiatur. Et ratio eſt manifeſta: nam quando correctio eſt omnino inutilis ad emendationē fratris, eſt omnino dimittenda: ergo à fortiori quando eſt officioſa. Sed eſt concluſio intelligenda quando peccatum proximi non vergit in perniciem Reipublicæ, vt proditio, & hæreſis, aut in damnum tertij, vt ſi quis machinaretur alium occidere. Nam in his caſibus, etiam ſi correctio non ſit profutura, ſed damnum illatura, debemus denuntrare illi perſonæ, quæ poſsit prodeſſe, & non obeſſe. Imò ſi adſint teſtes debemus denunciare iudici, vt infra dicemus articulo.7.&.8.

¶ Et ad argumentum Panormitani reſpondetur, quòd Chriſtus eo in loco ſemper præſupponit ſpem emendationis, & tradit ordinem correctionis, de quo articulo ſeptimo & octauo. Vnde ſi à principio potius eſt timor peruerſionis fratris, quàm ſpes emendæ ceſſandum erit à correctione.

¶ Circa tertiam conditionem requiſitam ex parte eius, qui corripitur, ſcilicet, temporis opportunitatē, eſt aduertendum, quòd coincidit cum tertia ex ijs, quę requiruntur ex parte eius, qui corripit. Itàque tam ex parte corrigentis, quàm ex parte eius, qui corrigitur, requiritur temporis opportunitas, vt docet D. Auguſtinus lib. 1. de ciuitate. capite. 9. Vbi dicit, quòd ſi quis obiurgandis, & corripiendis malè agētibus parcit, quia opportunum tempus inquiritur, non videtur eſſe cupiditatis occaſio, ſed conſilium charitatis. Et ratio eſt manifeſta: nam cum actus, qui cadit ſub præcepto correctionis ſit actus virtutis neceſſario debet requirere cauſam perfectam, & complementum omnium circunſtantiarum, ſcilicet, temporis, loci, & perſonæ aptę ad talem correctionem faciendam. *Nota.*

Dubium. ¶ Sed dubium eſt, an, ſi ſuppoſita temporis & perſonæ opportunitate, expectetur maior oppotunitas temporis, & perſonæ poſsit tunc correctio differri in aliud tempus, vel potius teneatur quis in illa prima opportunitate corripere. In hac difficultate Aſtenſis, & Gabriel dicunt poſſe correctionem in illud tempus differri. Cuius opinionis præcipuum fundamentum eſt autoritas Auguſtini iam citata: in qua ipſi legunt: Si quis increpandis, & obiurgandis malè agentibus parcit, quia opportunius tēpus inquiritur. &c. Sed contrariam ſententiam tenet Adrianus. Et ratio illius eſt. Data opportunitate cum alijs circunſtantijs ad correctionem requiſitis currit præceptum de correctione, ergo tenetur tunc quiſque corrigere, nec aliud tempus expectare. Et confirmatur. Qui non expectaret tunc maiorem opportunitatem

teneretur

teneretur corripere: ergo etiam ſi illam expectet. Probo conſequentiam: nam expectatio maioris opportunitatis non tollit obligationem, quæ eſt pro tempore præſenti. Et ad teſtimonium Auguſtini reſpõdet Adrianus, quod quanuis in aliquibus codicibus legatur, opportunius tempus, in emẽdationibus tamen non habetur, niſi opportunum tempus, & ita refert hoc teſtimonium D. Thom. hic ad primum, & magiſter Soto loco citato.

Sententia autoris. ¶ Ego tamen ad explicationem huius difficultatis dico primo quòd ſi ex dilatione correctionis in aliud tempus timetur, q̃ peccator incidet in aliud grauius peccatum mortale, vt quòd adminiſtrabit Euchariſtiam in tali peccato, tunc correctio non eſt differenda, ſed tenetur quiſque in illa priori opportunitate corripere. Et ratio eſt, nam maius damnum prouenit ex dilatione, quam commodum. ¶ Dico ſecundo, q̃ ſi ex dilatione nullum aliud ſequitur inconueniens, niſi quod peccator manebit in reatu peccati vſque ad illud tempus, bene poteſt correctio differri vſque in diem opportuniorem. Et ad argumenta Adriani reſpondeo, quòd, cum tota ratio correctionis fraternæ ſumatur ex fine, qui eſt ſalus ſpiritualis proximi, fit, vt tantum obliget in ordine ad illam: & ſic, quanuis modo ſit conueniens tempus, poteſt differri in conuenientius, niſi ex dilatione aliud nouum inconueniens ſequatur.

Dubium. ¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco, vtrum aliquando ſit licitum, aut expediat permittere, vt perditus homo in peiora, & grauiora peccata incidat, vt confuſus facilius reſipiſcat & emendetur. Et pro parte negatiua eſt argumentum. Peccatum eſt offenſa Dei, ergo propter nullum finem eſt permittendum. Probo conſequentiam: nam ſicut non ſunt facienda mala, vt inde eueniant bona, ita nec permittenda.

Nota. ¶ Sed pro huius rei explicatione eſt aduertendum, quòd Deus, qui nunquam permittit malum, niſi propter bonum duppliciter dicitur mala permittere. Vno modo in pœnam præcedentium peccatorum, iuxta illud ad Romanos primo, Propter quod tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, & in paſsiones ignominiæ. &c. Alio modo, vt ex illo homo cautius viuat ſicut forſan permiſit peccatum Petri: nam, vt dicitur Eccleſiaſt. 42. Melior eſt iniquitas viri, quam benefaciens mulier. Viri nomine iuſtus & fortis ſignificatur: mulier vero infirmam & fragilem mentem ſignificat. Contingit autem ſæpe, vt vir fortis in peccatum labatur, & homo peccacator, & debilis bene operetur. Hoc tamen inter vtrumque intereſt, quòd peccator ex bono opere ſuperbit, & ita grauius læditur: vir autem iuſtus & fortis ex hoc, quòd male egiſſe cognoſcit humiliatur, & cautius deinde viuit: quo fit, vt inde ad maiorem iuſtitiam proficiat. Melior eſt ergo iniquitas viri, quàm benefaciens mulier, quia ſæpe magis proficit iuſtus ex vnius peccati ruina, quam homo peccator ex aliquo opere bono. Et ſic conſtat quod permittit ſæpe Deus peccata, vt homo ex peccato cautiùs viuat.

¶ Hoc conſtituto dico primo, quòd nulla ratione pertinet ad hominem ea ratione peccata, quæ poteſt vitare permittere, vt in ipſo peccatore præcedentia peccata puniat, non enim poteſt iudicium humanum illa via homines punire. *1. Dictum.*

¶ Dico ſecundo, aliquando eſſe licitum aliquod malum quod vitare poſſumus permittere ad tempus, vt peccator cautius reſurgat. Probatur. Correctio fraterna eſt propter emendationem fratris, ergo tunc eſt facienda quando melius ad hoc conducit: nec eſt idem permittere malum propter bonum, & illud facere: nam Deus nullum malum facit, & tamen omnia permittit, vt inde bona eliciat. Deus enim, cui rerum eſt ſumma poteſtas, vt dicit Diuus Auguſtinus, cùm ſummè bonus ſit, nullo modo ſineret aliquid mali eſſe in operibus ſuis, niſi vſque adeo eſſet omnipotens, & bonus, vt benefaceret etiam de malo. Dicitur autem Deus benefacere de malo, non quia malis ipſis virtutem & poteſtatem ad bonum aliquid producendum tribuerit: hoc enim ſentire ſummæ eſſet dementiæ. Nam, vt ipſa veritas ait Matthæi. 7. Arbor mala non poteſt bonos fructus facere: ſed quod illa ex ſe facere nequeunt, Deus pro ſua immenſa bonitate ex illis occaſione accepta elicit, cum bona facit, quæ, niſi mala præceſsiſſent, non eſſet facturus. Mala quidem fuit primi hominis inobedientia, & diuini præcepti tranſgreſsio: ſed hæc Deo autore in maximum ceſsit bonum, cum ad hominis redemptionem, qui propter peccatum à dæmone captiuus tenebatur, Deus homo fieri, *2. Dictum.*

& pro omnibus mori dignatus eſt. At ſi homo non peccaſſet, quamuis iuxta quorundam ſententiam Deus homo nihilominus fieret, nunquã tamẽ mortem guſtaſſet. Nulla etiam lingua dicere, nulluſque intellectus capere ſufficit quale quantumq; peccatum cõmiſerint qui agnum innocẽtiſſimum abſque omni macula, Dei, ſcilicet, & hominis filium, tam crudeliter & turpiter occiderunt. Sed hanc cædem, quæ grauiſſimo Iudeorum ſcelere commiſſa eſt, Deus in noſtram, hoc eſt, totius generis humani vtilitatem cõuertit: cum per illius mortem omnium delicta condonauit, & omnibus regni cæleſtis introitum pateſecit: quæ omnia niſi Chriſti morte intercedente nullus conſequi potuiſſet. Nam, vt egregie docet Paulus ad Hebræos. 9 ſine ſanguinis effuſione non ſit remiſsio, nec ſine ſanguine ſacerdos in ſecundum intrabat tabernaculum. Et ideò Chriſtus aſsiſtens pontifex per proprium ſanguinem introiuit ſemel in ſancta, vt omnibus nobis in poſterum patentem acceſſum relinqueret. Nullum denique à quouis homine malum committitur, quod Deus pro ſua erga nos miſericordia non vertat in aliquã, aut illius, qui commiſit, aut aliorum vtilitatem. Propter quod mihi rectè Moyſes dixiſſe videtur cũ de Deo loquẽs ait. Qui ſuggerit mel de petra oleumq; de ſaxo duriſsimo: nam petræ, atque ſaxi nomine, eo quod ſterilia ſunt & ponderoſa, peccatum nõ immerito ſignificari poteſt: mel autem & oleum, cum dulcia ſint bonũ quodlibet deſignare poſſunt. Nihil enim virtute & bonitate dulcius eſſe poteſt. Tunc ergo mel de petra ſuggerit Deus cum ex malis, quamlibet grauibus, quæ homines committunt, bona aliqua elicit. Ex quo fit, vt merito nos de Deo dicere poſsimus id, quod malus ille ſeruus domino ſuo alia forſan intentione dixit: Metis vbi non ſeminaſti. Mala ſiquidẽ, quæ nos commiſimus quaſi quædam ſemina noſtra ſunt, quæ nos malè operãtes ſeminamus, & non Deus. Deus enim nõ eſt culpæ noſtræ autor, ſed virtutis, iuxta illud Oſeæ. 13. Audi Iſrael, ex me adiutorium tuum, ex te autem perditio tua. Cum ergo Deus ex malis noſtris bona elicit metit vbi non ſeminarat. &c. Et hæc de conditionibus requiſitis ex parte eius qui corripitur.

Dubium.

¶ Circa primam conditionem requiſitam ex parte corripientis, quæ eſt peccati cognitio, eſt difficultas vtrũ ad peccati correctionem requiratur certa & indubitata cognitio illius, vel potius ſufficiat cognitio probabilis. Adrianus in quarto, in materia de correctione dicit ſufficere probabilem cognitionẽ. *Sentẽtia Adriani.* Et ratio illius eſt, quia ad hoc, vt teneamur ſubuenire corporali neceſsitati proximorum, non eſt neceſſarium, vt certò & indubitatò conſtet de neceſsitate illorũ, ſed ſatis eſt id probabiliter cognoſcere: ergo pari ratione ad hoc, vt teneamur corripere proximum peccantem non erit opus, vt nobis ſine dubitatione conſtet de illius peccato.

¶ In hoc tamen ſit prima concluſio. Peccatum, quod ſolum eſt cognitum in confeſsione non poteſt eſſe materia correctionis fraternæ. *1. Concluſio.* Itaque ad correctionem non ſufficit cognitio in ſacramento habita. Probatur ex ſigillo cõfeſsionis, quod adeò ſacroſanctũ eſt, vt de peccatis in illa cognitis, nec adhuc cum ipſo pœnitente ſit licitum loqui extra confeſsionem, vt communiter ſentit Eccleſia.

¶ Secunda concluſio. In neceſsitatibus ſpiritualibus proximi maior, & certior cognitio peccati eſt neceſſaria ad hoc, vt teneamur ad faciendam correctionem, quàm in neceſsitatibus corporalibus ad faciendam eleemoſynam. *2. Concluſio.* Probatur. In ſubueniendo neceſsitati corporali, etiam ſi decipiamur, nullum ſequitur inconueniens, in ſubueniendo autem neceſsitati ſpirituali, ſi corripiamus proximum non peccantem, poteſt eſſe maximum periculum, quod correctus indignetur, & inſurgat contra corripientem: ergo maior cógnitio requiritur ad corripiendum, quam ad dandam eleemoſynam.

¶ Tertia concluſio. Ratione alicuius magni periculi aliquando erit non ſolùm licitum, ſed obligatorium corripere fratrem de peccato nõdum omnino cognito, & certo, ſed per aliorum relationem, aut per coniecturas habito: non tamen tunc tenebimur increpare delinquentem, vt certum, ſed, vt dubium admonendo de ijs, quæ de illo circumferuntur, & de graui periculo, cui ſe exponit. *3. Concluſio.* Et ratio eſt: nam magnitudo periculi præponderat iniuriæ, quæ per talem correctionem fieri poteſt.

¶ Circa alias conditiones requiſitas ex parte corripientis, quæ ſunt manſuetudo, & opportunitas, ſolùm eſt notandum, quod ſi adſunt aliæ perſonæ magis idoneæ, quæ volunt peccantem corripere, ego non te- *Nota. 1.*

neor

neor id facere: ſecus autem erit, ſi ipſi negligunt. Itaque ad hoc, vt præceptum de correctione fraterna obliget requiritur, q́d non ſit alius, qui commodius corripere poſſit: poſsit inquam, in potentia proxima. Nam quanuis ego nouerim alios adeſſe, qui melius corripere poſsint, vt eſt prælatus, aut doctor, ſi tamen video illos eſſe negligentes, tunc ego teneor. Sicut & cum video hominem patientem grauem neceſſitatem teneor illi ſubuenire, quanuis ipſe habeat parentes, qui hoc facere poſſunt, & ſunt negligentes. Requiritur præterea opportunitas ex parte temporis. Nam ſi hominis recenter iniuria affecti feruentem bilem velimus extinguere, nihil aliud facimus, quàm igni adhibere ligna: quo circà opus erit, vt tunc commodius tempus expectemus, vt diximus in ſuperioribus.

Dubium. ¶ Sed eſt dubium grauiſsimum in hoc articulo, vtrum præceptum de correctione fraterna obliget ad ſui obſeruantiam etiam cum periculo vitæ, aut cum diſpendio bonorum, vel notabilis infamiæ. Verbi gratia credit aliquis probabiliter, quòd poterit adulteram auertere ab adulterio, timet tamen rationabiliter, quod ſi id faciat, aut occidetur, aut infamabitur: dubium eſt vtrum tunc temporis teneatur talem adulteram corripere. De hac re ſunt variæ doctorum ſententiæ. *1. Sententia Gabrielis.* Prima eſt Gabrielis, qui lect. 74. ſuper canonem dicit quòd quotieſcunque quis omittit correctionem fraternam propter timorem mortis peccat mortaliter. Idem etiam videtur tenere Adrianus in quarto, in materia de correctione fraterna, quæſt. 2. *Fundamentum Gabrielis.* Præcipuum fundamentum huius opinionis deſumitur ex ordine charitatis, qui obligat ad diligendum magis vitam ſpiritualem proximi, quam propriam corporalem, vt docet Diuus Auguſtinus lib. 1. de ciuitate capit. 27. & D. Ambro. libr. 1. de officijs. capite. 30. & lib. 9. capite. 3. & Magiſter. in tertio. diſtinct. 29. & Diuus Thom. 2. 2. quæſt. 26. articulo. 5. Et confirmatur. Præceptum de correctione fraterna ſimpliciter obligat, quando probabiliter creditur, quod proximus ſine illa à peccato nō reſipiſcet, ergo obligat etiam tunc, cum diſpendio propriæ vitæ. Probo conſequentiam ex Diuo Auguſtino, qui lib. 12. de ciuitate. cap. 26. dicit, quòd qui metu mortis, aut infamiæ non adimplet præceptum non habet Chriſtianum fundamentum.

¶ Secunda opinio eſt in alio extremo, *2. Sententia Mayronis.* quæ affirmat, nunquam priuatam perſonam peccare mortaliter non corripiendo, ſi timet aliquod magnum periculum mortis, vel bonorum temporalium. Ita tenet Franciſcus Mayronis ſuper primum librū de ciuitate Dei. capite. 9. veritate. 7. Et probatur ex Diuo Auguſtino, qui loco citato dicit, quòd etiam boni propriæ ſaluti, & famæ conſulentes, dum inſidias malorum timent ab illorum ſe ſe correctione abſtinent.

¶ Tertia opinio eſt, quæ aſſerit priuatæ perſonæ nullum eſſe peccatū, ſi metu mortis, vel grauis amiſsionis bonorum, & famæ ceſſat à correctione fraterna, quando talis correctio non eſt ſimpliciter neceſſaria ad vitam ſpiritualem. *3. Sententia Soti.* Hanc ſententiam tenet Lyra ſuper illa verba Ioannis cap. 3. Et nos debemus pro fratribus animas noſtras ponere, & Soto in relectione de ratione tegendi & detegēdi ſecretum. memb. 2. q. 2. concluſione. 6. Et ponit exemplum in illo, qui metu mortis nō corripit adulteram, quā putat eſſe emendādam. Et probari poteſt hæc opinio his argumētis. *1. Argum.* Primò, Præceptum correctionis fraternæ non obligat ex iuſtitia, ſed ex charitate: ſed ad opera charitatis non obligatur homo cum periculo vitæ, aut cum iactura notabili bonorum & famæ, ergo nec ad correctionem. Conſequentia cum maiori eſt nota, & minor probatur: nam nullus tenetur ſuccurrere indigenti, ſi inde intelligit maximum damnum ſibi eſſe euenturum, nec tenetur quis ſubtrahere ſibi neceſſaria, vt alteri conſerat. *2. Argum.* ¶ Secundò, Talis non corripiendo non præfert ſalutem corporalem propriam ſaluti ſpirituali proximi, ergo non peccat. Conſequentia eſt nota, & antecedens probatur. Vita corporalis iſtius non eſt ſimpliciter neceſſaria ad vitam ſpiritualem proximi: ergo non poteſt dici, quòd vita corporalis præfertur ſpirituali. Et confirmatur. Si bona temporalia non eſſent ſimpliciter neceſſaria ad conſeruationem vitæ alterius, etiam ſi ego non darem, non dicerer anteponere talia bona vitæ alterius: ergo pari ratione dicendum erit in propoſito, quòd ſi non poſſum corripere ſine maximo detrimento, & mea correctio non eſt ſimpliciter neceſſaria, non antepono bona temporalia vitæ ſpirituali proximi.

3. Argum. ¶ Tertio. Qui omittit baptizare puerum metu mortis, ne, ſcilicet, à Tyranno occidatur

datur, non peccat mortaliter: ergo nec qui omittit iſtam correctionem. Antecedens conceditur ab omnibus, & conſequentia probatur: nam magis neceſſarius eſt baptiſmus puero, quam correctio homini adulto. Et confirmatur. Iugum Chriſti eſt ſuaue, & onus eius leue, hoc eſt, non obligat ad opera difficillima: ſed eſſet difficillimũ in vniuerſum priuatos homines obligare ad exponendam vitam pro correctione: ergo ad id non eſt obligatio.

¶ In hac controuerſia non facile eſt intelligere quænam iſtarum opinionum ſit verior. Sed, vt explicemus quid nobis dicẽdũ videtur eſt aduertendũ primo, ꝙ neceſſitas ſpiritualis poteſt eſſe duplex, vna, quæ prouenit ex malitia, altera quæ prouenit, vel ex fragilitate, vel ex paſsione, vel ex ignorantia. Inter quas neceſsitates hoc eſt diſcriminis, ꝙ illi, quæ prouenit ex malitia nulla ratione teneor ſubuenire, bene tamẽ illi, quæ prouenit, vel ex fragilitate, vel ex paſsione, vel ex ignorantia: ſicut in neceſſitatibus corporalibus ei, qui nollet comedere niſi de meis bonis non tenerer ea tribuere, teneor tamen ſubuenire illi, qui fame laborat, nõ ex malitia, ſed quia non habet vnde propriam vitam ſuſtentet.

Nota.1.

¶ Secundo eſt aduertẽdum, quòd quem admodum in corporalibus duplex neceſsitas contingit, vna grauis, altera extrema, ita etiam in ſpiritualibus. Et grauis eſt quãdo quis aliquo peccato mortali laborat à quo probabile eſt peccatorem aliquando reſurrecturum: extrema vero quando ſine mea correctiõe probabiliter creditur, quod proximus in æternum ſit periturus.

Nota.2.

1. Concluſio. ¶ His ſuppoſitis ſit prima concluſio. Homini exiſtenti in extrema neceſsitate ſpirituali, non ex fragilitate, aut paſſione, vel ignorantia, ſed ex malitia non teneor ſubuenire, cum notabili detrimento vitæ, famæ, vel honoris. Verbi gratia, vult aliquis me occidere aut auferre à me bona mea, nec ego poſſum euadere mortẽ, aut bona liberare, niſi inuaſorem occidendo, quem video eſſe damnandum, ſi tunc moriatur, non teneor in tali caſu oppetere mortem, aut mea bona amittere, ne illum interficiam. Probatur, quia nullus tenetur malitiæ alterius ſubuenire, cum tanto detrimento. Item, Vita noſtra ex ſua natura nõ eſt medium ordinatũ ad correctionem fratris ex malitia peccantis: ergo non tenemur tunc mortem oppetere, ne ille pereat. Probo conſequentiam: nam præcepta tantum dantur de medijs per ſe ad finem ordinatis. Ex hoc infertur, quòd ſi quis comminetur. ſe furaturum, aut extra neceſsitatem aliena bona accepturum, niſi ego, verbi gratia, dem illi centum aureos, non teneor eos illi conferre. Patet, quia hoc non eſt medium per ſe ordinatum ad præſeruandum hominem à peccato: quin potius hoc eſſet fouere peccata, & dare anſam, quod mali bonos quotidie inuaderent in perniciem, & deſtructionem Reipublicæ.

¶ Secunda concluſio. Exiſtenti in extrema neceſsitate ſpirituali ex fragilitate, vel ex paſsione, aut ignorantia proueniente, tenetur homo priuatus ſubuenire, etiam cum detrimento propriæ vitæ, dummodo probabiliter credat ſuam correctionem illi profuturam, & quod ea ſemota peribit. Adhibui hanc limitationem, dũmodo. &c. propter Adrianum, qui opinatur hominem teneri ad correctionem cum detrimento propriæ vitæ, non ſolum quãdo eſt probabilis certitudo, quòd correctio proficiet, ſed etiam quando eſt in dubio, dummodo ſit certus, quod ſine tali correctione peccator peribit. Et ratio Adriani eſt, quia, ſi pro ſalute corporali proximi, etiam dubia, tenetur homo exponere bona temporalia, à fortiori pro ſalute ſpirituali dubia tenetur exponere propriã vitam corporalem: ſi quidem vita corporalis eſt poſtponenda vitæ ſpirituali proximi, ſicut bona temporalia poſtponuntur vitæ corporali. Dico tamen ad hoc, quòd licet vita ſpiritualis ſit præſtantior vita corporali, tamen certa iactura vitæ corporalis æqualẽ rationem maiorem habere videtur cum ſalute ſpirituali dubia, & ſic non obligat præceptum de correctione cum tanto detrimento. Sed probatur noſtra concluſio. Primo ex Diuo Auguſtino, qui lib. 1. de ciuitate. cap. 9. dicit, quòd omittere hanc correctionem eſt peccatum, & non ob aliam cauſam, niſi quia violatur ordo charitatis: ergo ex genere ſuo eſt peccatum mortale, atque ex conſequenti, qui in illa neceſsitate extrema omittit correctionem metu mortis peccabit mortaliter, niſi aliunde excuſetur. Item, Pro ſalute corporali Reipublicæ tenetur homo priuatus vita exponere, ergo & pro ſalute ſpirituali proximi. Probo cõſequẽtiam: nã vita ſpiritualis vnius præpõderat ſaluti corporali totius Reipubli ç. Et cõfirmatur ex illo Ioã. c. 15. Hoc eſt præceptũ meum,

2. Concluſio.

meum, vt diligatis inuicem, ſicut ego dilexi vos: ſed Chriſtus ità nos dilexit, vt expoſuerit ſuam vitam pro ſalute noſtra ſpirituali: ergo tantùdem nos debemus facere pro ſalute ſpirituali proximorum. Vltimo. Nos tenemur in aliquo caſu ponere vitam temporalem pro ſpirituali proximi, vt cõmuniter dicunt Doctores, & colligitur ex illo. 1. Ioan. c. 3. Et vos debetis pro fratribus animas veſtras ponere, hoc eſt, vitas: anima enim pro vita in ſacra ſcriptura ſæpiſsime vſurpatur, vt patet ex illo Pſalm. 118. Anima mea in manibus meis ſemper, vbi anima ponitur pro vita, & Ioan. 10. Bonus paſtor animã ſuã dat pro ouibus ſuis: ſed nunquam hoc poteſt fieri cõuenientius, quam cum proximus eſt in extrema neceſsitate, ergo tunc ad id obligamur.

Dubium. ¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco, vtrum iſte caſus extremæ neceſsitatis ſpiritualis, in quo homo tenetur fratrem corripere cũ detrimento proprie vitæ ſit poſsibilis. Et

Argum. pro parte negatiua eſt argumentum. Qui peccat, vel peccat ex ignorantia, vel ex paſſione, vel ex malitia. Si ex malitia, vel paſſione, certum eſt, quod ipſe poteſt ſibi ſubuenire relinquendo paſsionem, vel malitiam cum Dei auxilio, quod omnibus præſto eſt, vt dicit D. Ambr. lib. 1. de vocatione gentium. cap. 2. & 7. & lib. 2. cap. 4. & 9. & ſic nõ eſt illi ſimpliciter neceſſaria mea correctio. Si autem peccat ex ignorantia, tunc vel illa eſt vincibilis, vel inuincibilis. Si eſt inuincibilis, ipſa eũ excuſat, ſi verò eſt vincibilis poterit peccator tunc illam vincere, & ſic mea correctio non eſt ſimpliciter neceſſaria, atq; ex conſequenti ille homo non eſt in caſu extremæ neceſsitatis. ¶ Soto in relectione de ratione tegendi & detegendi ſecretum. loco citato. ſolum ponit vnum caſum, in quo mea correctio poteſt eſſe ſimpliciter neceſſaria ad ſalutem ſpiritualem proximi. & eſt quando peccat ex ignorantia vincibili, nec eſt alius, qui poſsit eum docere: tunc enim teneor illum corripere etiam cum periculo mortis. Sed quòd nec etiã iſte caſus ità ſit extremæ neceſsitatis, vt mea correctio ſit ſimpliciter neceſſaria probatur. Poſſum aliã via ſubuenire, ergo non teneor corripere. Conſequentia eſt nota, & antecedens probatur. Ille tenetur me interrogare, & ſi non reſpondeo ſatis conſulo illius ſaluti, quia eius ignorantia fit inuincibilis, ergo non teneor cum periculo vitæ docere.

¶ In hoc tamen ſit tertia concluſio. Vix poteſt reperiri caſus, in quo mea correctio ſit ſimpliciter neceſſaria ad ſalutẽ ſpiritualem proximi. Si tamẽ aliquis reperitur maxime eſt ille, in quo aliquis laborat ignorãtia, vel inuincibili, vel vincibili rei neceſſariæ ad ſalutem, & poteſt à me ſolo doceri: tunc enim mea correctio eſt illi ſimpliciter neceſſaria, & ſic teneor illam adhibere, etiã cum periculo propriæ vitæ. Alij autẽ poſſunt reperiri caſus, in quibus correctio licet logicè loquendo non ſit ſimpliciter neceſſaria eſt tamen neceſſaria moraliter loquẽdo, quod ſatis eſt ad omnimodam obligationem, vt quando aliquis, verbi gratia, committit aliquod peccatum ex vehementi paſsione longo vſu corroborata. In hoc enim caſu & alijs huiuſmodi ſi correctio probabiliter creditur profutura, dicenda erit neceſſaria moraliter loquendo: & ſic admonitio erit neceſſario facienda, ſi non cum certo periculo vitæ, ſaltim cum maximo diſpendio noſtrarum rerum corporalium, quia hoc ordo charitatis expoſtulat. 3. Concluſio.

¶ Quarta concluſio. Prælati aliquando tenentur etiam cum periculo vitæ corripere ſibi ſubditos, quamuis illorum correctio nõ ſit ſimpliciter neceſſaria. Probatur. Prælati tenentur prouidere, & conſulere ſaluti proximorum, non ſolum ex charitate, ſed etiam peculiari atque propria ratione, nempe ex officio, & ex iuſtitia: ergo quotieſcunque ſubditi graui neceſsitate ſpirituali laborant, tenentur ſuam vitam poſtponere, vt illis ſubueniant. Et confirmatur ex illo Ioan. c. 10. Bonus paſtor ponit animam ſuam pro ouibus ſuis, id eſt, ponit vitam ſuam pro ſibi ſubditis. 4. Concluſio.

¶ Quinta concluſio. Priuatæ perſonæ tenentur ſub peccato mortali corripere fratres exiſtentes in graui neceſsitate etiam ſi correctio non ſit ſimpliciter neceſſaria, dũmodo id facere poſsint ſine graui periculo vitæ, famæ, vel bonorum temporalium. Probatur. Correctio fraterna eſt quædam eleemoſyna ſpiritualis: ſed eleemoſyna obligat, non ſolum in extrema neceſsitate proximi, ſed etiam in graui, quãdo opes ſunt ſuperfluæ, aut eſt copia bonorum temporalium, & iſta neceſsitas ſpiritualis, de qua loquimur eſt grauis, & prædicta mea correctio ſe habet in ordine ad illam ſicut bona ſuperflua, vel abundantia: ergo tenemur tunc ſub peccato mortali corripere. 5. Concluſio.

6. Concluſio. ¶ Sexta concluſio. Priuatæ perſonæ nõ tenentur corripere cum magno detrimẽto vitæ, famæ, vel bonorũ temporalium, quãdo correctio non eſt ſimpliciter neceſſaria ad ſalutem proximi Hanc concluſionem, probant argumenta facta pro opinione magiſtri Soti. Et prætereа probatur, quia ſi aliqua ratione in tali caſu non eſſet licitum omittere correctionem, maximè, quia ante pono vitam temporalem propriã vitæ ſpirituali alterius: ſed hæc ratio non militat, nam frater in hoc caſu poteſt ſeipſum emẽdare, & ſic mea vita non eſt illi ſimpliciter neceſſaria, ergo. Et confirmatur: nam aliàs ſequeretur iugũ Domini eſſe grauiſsimũ, vt ſupra diximus.

Ad fundamentum prima ſentẽtia ¶ Et ad fundamentum primæ opinionis reſpõdetur quod ex ordine charitatis tenemur corripere cum detrimento vitæ, quando in extrema neceſsitate probabiliter credimus noſtram correctionem eſſe profuturam, in alijs autem caſibus minimè, vt diximus in concluſionibus. Ad confirmationem reſpondetur conceſſo antecedenti, negando conſequentiam. Et ad probationem ex D. Aug. dico, quòd nõ omnia præcepta diuina, nec etiã omnia naturalia obligant ad ſui obſeruantiam cum periculo mortis: nam lex naturalis eſt quod ſubueniamus pauperi in extrema neceſsitate conſtituto, hæc tamen non obligat cum periculo vitæ. Item lex diuina erat, quòd nullus comederet panes propoſitionis, niſi ſoli ſacerdotes, & tamen Dauid, vt habetur, 1. Reg. c. 21. in extrema neceſsitate conſtitutus de illis comedit, nec in ea re peccauit, vt dicitur Matth. 12. Itẽ lib. 1. Machab. c. 4. dicitur ꝙ Mathathias pugnauit in die Sabbati, exiſtimans ſe non teneri cum tãto diſcrimine ad obſeruantiam legis diuinæ id prohibentis. Vnde ad exactam huius rei intelligẽtiam, ſuppoſita illa celebri diſtinctione, qua dicitur aliqua eſſe prohibita, quia mala, alia vero mala, quia prohibita, dico quod ea, quæ ſunt prohibita, quia mala, ideſt ea, quę ſunt intrinſecè mala, vt fornicari, aut mentiri nunquam licet facere, ſiue ſint peccata mortalia, ſiue venialia, etiam ad vitandum mortis periculum: quia cum hæc ſint intrinſecè mala nulla ratione poſſunt licite fieri. Et de his loquitur D. Auguſt. in illo teſtimonio. At vero ea, quæ ſunt mala, quia prohibita, licet facere ad vitandum mortis periculum, ſiue diuina, ſiue humana lege præcipiãtur: quia nec Deus, nec Eccleſia volunt ſuis legibus obligare cũ tanto diſpendio. Ex quo infertur, quòd cum tantum ea, quæ præceptis negatiuis naturalibus prohibẽtur, ſint intrinſece mala tantum, huiuſmodi leges regulariter loquendo obligabunt ad ſui obſeruantiam cum periculo mortis.

Ad fundamentum ſecunda ſentẽtia. ¶ Ad ſundamentum ſecundæ opinionis quod erat teſtimonium D. Aug. reſpondetur D. Patrem Auguſtinum eo in loco eſſe intelligendum de eo, qui quando omittit correctionem proximi metu mortis, non animaduertit ſuam famã, vel ſalutem eſſe neceſſariam ſaluti alicuius proximi, vt conſtat ex verbis immediatè ſequentibus.

ARTICVLVS. III.

¶ *Vtrùm correctio fraterna pertineat ſolùm ad prælatos.*

4. d. 29. q. 2. art. 2. Et Ver tur. q. 3. ar. 1 AD TERTIVM ſic proceditur. Videtur quòd correctio fraterna non pertineat niſi ad prælatos. Dicit enim Hierony. Sacerdotes ſtudeant illud Euangelij implere. Si peccauerit in te frater tuus, &c. Sed nomine ſacerdotum conſueuerunt ſignificari prælati, qui habent curam aliorum. Ergo videtur quòd ad ſolos prælatos pertineat fraterna correctio.

2 ¶ Præterea, Fraterna correctio eſt quædam eleemoſyna ſpiritualis. Sed corporalem eleemoſynam facere pertinet ad eos, qui ſunt ſuperiores in temporalibus, ſcilicet ad ditiores. Ergo & fraterna correctio pertinet ad eos, qui ſunt ſuperiores in ſpiritualibus, ſcilicet ad prælatos.

3 ¶ Præterea, Ille, qui corripit alium, mouet eum ſua admonitione ad melius. Sed in rebus naturalibus inferiora mouentur à ſuperioribus. Ergo etiam ſecundum ordinem virtutis, qui ſequitur ordinem naturæ, ad ſolos prælatos pertinet inferiores corrigere.

24. q. 3. ca. tam ſacerdotes. ¶ SED CONTRA eſt quod dicitur vigeſima quarta. quæſtione tertia. Tam ſacerdotes quàm reliqui fideles omnes ſummam debent habere curã de his, qui pereunt, quatenus eorũ redargutione, aut corrigantur à peccatis,

tis, aut ſi incorrigibiles appareant ab Eccleſia ſeparentur.

¶RESPONDEO dicendũ, quòd ſicut dictum* eſt, duplex eſt correctio. Vna quidem, quæ eſt actus charitatis, quæ ſpecialiter tendit ad emendationem fratris delinquentis per ſimplicem admonitionem, & talis correctio pertinet ad quemlibet charitatem habentem, ſiue ſit ſubditus, ſiue prælatus. Eſt autem alia correctio, quæ eſt actus iuſtitiæ, perquam intenditur bonum commune, quod non ſolum procuratur per admonitionem fratris, ſed etiam interdum per punitionem, vt alij à peccato timentes deſiſtant. Et talis correctio pertinet ad ſolos prælatos, qui non ſolum habent admonere, ſed etiam corrigere puniendo.

A. 1. huius quæſt.

¶AD PRIMVM ergo dicendũ, quòd etiam in correctione fraterna, quæ ad omnes pertinet, grauior eſt cura prælatorum, vt dicit* Auguſtinus in primo de Ciuitate Dei. Sicut enim temporalia beneficia potius debet aliquis exhibere illis, quorũ curam temporalem habet, ita etiam beneficia ſpiritualia, puta correctionem, doctrinam, & alia huiuſmodi, magis debet exhibere illis, qui ſunt ſuæ ſpirituali curæ commiſsi Non* intendit Hieronymus dicere, quòd ad ſolos ſacerdotes pertineat præceptũ de correctione fraterna, ſed ꝙ ad hos ſpecialiter ptinet.

Lib. 1. c. 9. tomo. 5.

Loco citato in argu.

¶Ad ſecundum dicendum, ꝙ ſicut ille qui habet vnde corporaliter ſubuenire poſsit, quantũ ad hoc diues eſt, ita ille, qui habet ſanũ rationis iudiciũ, ex quo poſsit alterius delictũ corrigere, quantũ ad hoc eſt ſuperior habendus.

¶Ad tertium dicendum, quòd etiam in rebus naturalibus quædam mutuo in ſe agunt, quia quantum ad aliquid ſunt ſe inuicem ſuperiora, prout ſcilicet vtrunque eſt quodammodo in potentia, & quodammodo in actu reſpectu alterius. Et ſimiliter aliquis in quãtum habet ſanum rationis iudicium in hoc, in quo alter delinquit, poteſt eum corrigere, licet non ſit ſimpliciter ſuperior.

SVMMA TEXTVS.

SVppoſito ꝙ correctio eſt duplex, vna, quæ procedit per ſimplicẽ monitionẽ, & ordinatur ad emendationem fratris, altera, quæ procedit per modum iudicij, & ordinatur ad bonum cõmune, reſpondet D. Tho. ad difficultatem per duas propoſitiones. ¶Prima concluſio Correctio, quę procedit per ſimplicem monitionem, & ordinatur ad emendationem fratris, pertinet ad omnes homines. Probatur. Iſta correctio eſt actus charitatis: ſed ad omnes homines pertinet habere charitatem, ergo & corripere iſto modo. ¶Secunda concluſio. Correctio iudicialis tantum pertinet ad prælatos. Probatur. Iſta correctio ordinatur ad bonũ commune, ad quod aliquando eſt neceſſarium quòd procedatur per punitionem, vt alij timentes à peccato deſiſtant: ſed huiuſmodi punitio tantum poteſt fieri à ſuperioribus, ergo.

EXPLICATIO ARTICVLI.

CIrca primam concluſionem huius articuli eſt aduertendum, quod gloſſa in capite ſi peccauerit. 2. q. 1. diſtinguit inter peccatũ præteritum, & futurũ, & dicit omnes in vniuerſum obligari ad correctionẽ de peccatis cõmittendis, tamẽ ad correctionem de peccatis præteritis ſolum obligari prælatos. Vnde eadem gloſſa in. c. ità planè. 23. q. 4. affirmat illa verba Matth. ca. 18. Si peccauerit in te frater tuus, de ſolis prælatis eſſe intelligenda. Abbas in. c. nouit. de iudicijs. citat in confirmationem huius ſententiæ Ioan. Andr. & Innocentiũ: immerito tamẽ, vt bene oſtẽdit Nauar. ſupra dictũ. c. nouit. notab. 4. nu. 2. Vnde dico certiſsimũ eſſe, quod præceptũ illius correctionis, quę procedit per ſimplicem admonitionem, & intendit bonum priuatum eius, qui corripitur, non pertinet ad ſolos prælatos: ſed obligat omnes homines reſpectu cuiuſcũq; peccati, ſiue præteriti, ſiue futuri. Hanc concluſionẽ ſufficienter probauimus articulo præcedenti, vbi pluribus rationibus oſtẽdimus præceptum de correctione fraterna eſſe generale, & de illa eſt legendus D. Chryſoſt. homilia. 1. & 8. ad populum Antiochenum. & homilia. 16. & 30. ſuper epiſtolã ad Hebræos. & homil. vltima. ſuper primam epiſtolam ad Corinth. Vbi referens

ſententiam illorum, qui affirmāt præceptū de correctione fraterna ad ſolos prælatos pertinere, inquit: Vox hæc ex ore Cain profecta eſſe videtur, qui cum interrogaretur à Domino de Abel fratre ſuo reſpōdit: Nunquid fratris mei cuſtos ſum ego? Eandem etiam concluſionem probat D. Chryſoſt. ex illo ad Galatas. c. 6. Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti. Quæ verba intelligēda eſſe de correctione fraterna cōſtat ex antecedentibus. Nam cum dixiſſet: Fratres, ſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui ſpirituales eſtis huiuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis, conſiderans te ipſum ne & tu tenteris, ſubdit ſtatim, Alter alterius onera portate. &c. Item hoc ipſum probatur ex illo Prouerbiorum. 18. Frater qui adiuuatur à fratre, quaſi ciuitas firma. Et quod huiuſmodi firmitas ſit intelligenda de illa, quæ per correctionem fraternā impenditur, colligitur ex illo Eccleſiaſtici. c. 4. Si aliquis ceciderit ſulcietur ab alio: ſed væ ſoli, quia ſi ceciderit non habet ſubleuātem ſe. Ex quo infert ſtatim: Melius eſt ergo eſſe duos, q̄ vnū. Eandem etiā ſententiā confirmat Diuus Chryſoſt. homil. 30. ſuper primam epiſtolam ad Corinthio. ex analogia membrorum corporis naturalis, dicens, quòd ſicut in corpore naturali non ſolum caput prouidet reliquis membris, ſed etiam ipſa membra mutuò ſe adiuuant, & ſunt pro ſe inuicem ſolicita: ità etiam in corpore myſtico tenentur ſe homines per correctionem adiuuare.

Dubium.

¶ Sed eſt difficultas, vtrum hoc præceptum de correctione fraterna magis obliget prælatos, quàm priuatas perſonas. Quę dubitatio poteſt habere duplicem ſenſum. Primus eſt, vtrum hoc præcepto magis intenſiue, hoc eſt, arctiùs & ſtrictiùs obligentur prælati, quàm ſubditi, ita, vt ſi negligāt corripere peccent grauius. Secundus, vtrū magis extēſiue, hoc eſt, ad aliquem actum ſpecialem obligentur prælati, ad quem nō obligantur priuatæ perſonæ: & in vtroque ſenſu erit à nobis quæſtio explicanda. Et quidem quātum ad difficultatem in primo ſenſu, res eſt manifeſta communi conſenſu doctorum recepta, quòd prælati ſtrictiùs obligantur hoc præcepto correctionis fraternæ, quàm priuatę perſonæ, & cæteris paribus grauius peccant in violatione illius. Ita tenet D. Thom. hic ad primum, & videtur eſſe ſententia D. Aug. lib. 1. de ciuitate. cap. 9. Vbi dicit, quòd ſicut temporalia beneficia potius debet aliquis exhibere illis, quorum curam temporalem habet, ita etiā beneficia ſpiritualia, putà correctionem, doctrinam, & alia huiuſmodi magis debet exhibere illis, qui ſunt ſuæ ſpirituali curæ cōmiſsi. Idem etiam tenet Caietanus. articulo præcedenti, & Adrianus in quarto. in quæſtione de correctione fraterna.

Prælati ſtrictius obligātur præcepto correctionis.

Et probatur primo: nam diuina ſcriptura quotieſcunq; agit de correctione fraterna alloquitur vel ſolos prælatos, vel potiſsimum illos. Matthæi enim. c. 5. ad ſolos Apoſtolos, & eorū ſucceſſores dicit Chriſtus: Vos eſtis ſal terræ, lux mundi. &c. Et Ezechiel. c. 33. ſpeculatores, hoc eſt, prælati maximè de hac re admonētur, ergo hoc præceptum ſtrictius obligat prælatos.

1. Argum.

Item, Prælatus eſt cuſtos iuſtitiæ, & à quo potiſsimum eſt petēdum exemplum virtutis à ſubditis, vt docet Ariſtot. 5. Ethi. ergo ad omnium pręceptorum obſeruantiam ſtrictius obligantur prælati, quam cæteri, atque ex conſequenti magis obligantur ad correctionem. Præterea ſic argumentor. Ex præcepto charitatis magis obligamur ſubuenire proximis, quàm extraneis, ita, vt non ſolum ex charitate præferendus ſit propinquior extraneo, ſed etiam propoſitis duobus altero propinquo altero extraneo, ſi vtrumq; negligo, maius peccatum eſt in negligendo propinquum, quàm in negligendo extraneum: ſed prælati ſunt magis coniuncti cum hominibus ſibi ſubditis, quam reliquæ perſonæ priuatæ inter ſe ſe, ergo ex vi illius præcepti de correctione, & eleemoſyna ſpirituali magis obligantur prælati ad ſubditos, quam ſubditi inter ſe ſe. Vltimo, Prælati tenētur magis diligere filios, quàm priuatæ perſonæ alios fratres: vnde Chriſtus Ioann. 12. non commiſit Petro gregem ſuū antequā tertio ipſum interrogaret, an ſe plus alijs diligeret, ergo ad opera charitatis, qualis eſt correctio, maiori vinculo tenetur prælatus erga filios, q̄ fratres inter ſe ſe.

Dubium.

¶ Sed maius dubium eſt de difficultate in ſecundo ſenſu, vtrum ſcilicet, prælati ex vi præcepti de correctione fraterna teneantur ad plura, hoc eſt, ad exercendos plures actus, quàm priuatę perſonæ, quod eſt quęrere, vtrum prælati ex vi huius præcepti teneantur inquirere ſubditorum peccata. Nā quod priuatæ perſonæ ad id non obligētur eſt res manifeſta, vt docuit D. Tho. q. præcedenti. art. 2. ad. 4. In qua re ſunt duæ opiniones.

Sententia Adriani et Soti. niones. Prima eſt Adriani in.4.in quæſtione de correctione fraterna in reſponſione ad primam confirmationem ſecundi argumenti, dicentis prælatos ex vi huius præcepti teneri ad inquirenda ſubditorum peccata, vt illa corripiant. Eandem etiam ſententiam tenet Soto in relectione de ratione tegendi & detegẽdi ſecretum memb. 2. quęſtio.3.circa tertiam concluſionem. Et probari poteſt hæc ſententia pluribus argumẽtis. *1. Argum.* Primo ex cap. quanuis cauſæ. de regulis iuris. Vbi dicitur. Non eſt paſtoris excuſatio, ſi lupus comedat oues, & ipſe neſciat. Item, Prælati in ſacris literis appellantur ſpeculatores, ergo ex ipſo nomine ſufficiẽter colligitur, quòd tenentur non ſolùm corripere peccata ſubditorum publica, ſed etiã inuigilare ſuper gregem ſuum, & efficere, vt nullum peccatum ipſos lateat. ¶ Secun- *2. Argum.* do, Prælati tenẽtur magis ad correctionem, quam alij, vt ſtatim dicebam: ergo obligantur ad aliquem peculiarem actum, ad quẽ ſubditi non tenentur. Probo conſequentiã: nam non apparet aliud, in quo hæc maior *3. Argum.* obligatio conſiſtat. ¶ Tertio, Prælati tenentur cum periculo vitæ corripere homines ſibi ſubditos in his caſibus, in quibus priuatæ perſonæ non tenentur: ergo non ſolùm magis obligantur illo præcepto, ſed etiam obligantur ad plura.

Sententia Caietani. ¶ Altera ſententia eſt in alio extremo, quæ affirmat prælatos ex vi præcepti de correctione fraterna non teneri ad plures actus, quam priuatæ perſonæ, & ſic nec etiam tenentur ex vi illius præcepti inquirere ſubditorum peccata, vt illa reprehendant. Hanc ſententiam tenet Caietanus articulo præcedenti ad quartum argumentũ, quæ meo iudicio eſt vera.

1. Notabile. ¶ Sed ad illius intelligentiam eſt aduertendum primo, quòd inter ea, quæ debentur ex iuſtitia, & ea, quæ debẽtur ex charitate inter alia hoc eſt diſcriminis, quòd in illis quæ debentur ex iuſtitia, non ſolùm tenemur ea reddere, ſed etiam tenemur adhibere operam, & inquirere illum, cui debentur vt reddamus. At vero in illis, quæ debentur ex charitate hoc ſecundum non eſt neceſſarium, ſed ſatis eſt quòd illa reddamus cum opus fuerit.

2. Notabile. ¶ Secundo eſt aduertendum, quòd officium prælatorũ habet ſibi propoſitum duplicem finem, vnus eſt ſalus publica, & bonum commune, qui eſt finis principalis, alter eſt ſalus, & cõmodum priuatum vniuſcuiuſque illorum, quos habet ſubditos. Et ſic ex officio tenentur prælati adimplere vtrumque, ſcilicet, procurare publicam ſalutem & etiam priuatum commodum vniuſcuiuſque. Ex quo infero primo, quòd ad iſtum actum, qui eſt corripere fratrem propter priuatum bonum vniuſcuiuſque tenẽtur ſubditi, & priuatæ perſonæ ſolùm ex pręcepto charitatis: at vero pręlati tenentur ad id quatenus ſunt perſonę publicę, & ex charitate, & ex iuſtitia. Nam, vt ſtatim dicebam, ad illorum munus ſecundario pertinet procurare priuatam vniuſcuiuſq; ſubditi ſalutem. Infero ſecundo, quòd pręlati tenentur inquirere peccata ſibi ſubditorũ; non ſolum propter bonum commune, ſed etiam propter priuatam ſalutem vniuſcuiuſq; ſubditi. Et ratio eſt, quia, vt ſtatim dicebam, pręlati ex officio & ex iuſtitia tenẽtur vniuſcuiuſq; priuatam ſalutem procurare. Cęterum ea ratione, qua ex lege charitatis obligãtur ad ſubditorum ſalutem procurandam, non tenentur inquirere illorũ peccata. Et ſic ex vi præcepti de correctione fraterna ad nullum actum obligantur prælati, ad quem non obligentur ſubditi inter ſeſe, vt dicebat Caietanus. Et quòd hoc ſit ità dicendum probatur primo, ex diſcrimine poſito inter iuſtitiam & charitatem. Secundo. Præcepto charitatis prælatus non obligatur, niſi ac ſi eſſet priuata perſona, ſed priuatæ perſonæ non tenentur ex charitate inquirere proximorum peccata, vt corripiãt, ergo nec prælatus. Et confirmatur. Antequam quis factus eſſet prælatus non tenebatur inquirere proximorum peccata, vt corriperet: & ratione officij aſſumpti nulla noua obligatio charitatis illi adiungitur, ſed tantum ex iuſtitia imponitur illi cura pertinens ad ſuum munus, ergo ex charitate non obligatur inquirere.

¶ Et ad primum argumentum factum *Ad. 1. arg.* prò opinione Soti reſpondetur concedendo, quòd pręlatus tenetur vigilare, & inquirere ſubditorum peccata, non ſolùm, vt illa iudicialiter puniat, ſed etiam, vt ſubditum priuatim corripiat, & emendet. Cæterum hæc obligatio non oritur ex charitate, vt diximus, ſed ex officio ſibi iniuncto, & ex lege iuſtitiæ. Et hoc eſt quod in illo capitulo, quanuis cauſæ, & in pluribus alijs locis ſcripturæ, ſignificatur, quando prælati vigiles appellantur. ¶ Ad ſecundum reſpondetur *Ad. 2. arg.* conceſſo antecedenti, negando conſequentiam. Nam vis huius maioris, & ſtrictioris

obligationis, qua prælati obligantur, non conſiſtit in hoc, quòd ex vi illius præcepti prælati teneantur ad nouos actus, præter illos, ad quos priuatæ perſonæ tenentur, hoc enim eſſet non arctius, ſed de nouo obligare. Sed vis huius ſtrictionis obligationis conſiſtit in hoc, quòd cæteris paribus, prælatus debet anteponere ſalutem ſuorum ſubditorum ſaluti omnium reliquorum. Et eſt manifeſta inſtantia in eleemoſyna corporali: nam certum eſt quod ſtrictius obligamur conferre eleemoſynã conſanguineis, quàm extraneis, & tamen idcirco nemo tenetur curioſius, & magis ſolicite inquirere neceſſitates conſanguineorum, quam extraneorum.

Ad.3.arg. ¶ Ad tertium reſpondetur verum eſſe, quòd prælati tenentur corripere ſibi ſubditos etiam cum periculo vitæ: ſed tamen non tenentur ad hoc ex vi præcepti de correctione fraterna, ſed ex officio ſibi iniuncto, & ex iuſtitia.

Dubium. ¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco, vtrùm parentes ità teneantur corripere filios, & domini ſeruos, ſicut prælati tenentur corripere ſibi ſubditos. Ad quam difficultatem reſpondeo per duas propoſitiones. Prima

1. Conclusio. concluſio. Magis obligantur parentes, & domini corripere filios, & ſuam familiam, quàm corripere alias perſonas. Probatur ex D. Auguſtino, cuius verba referuntur in cap. duo iſta. 23. q. 4. Vbi ponuntur ſeptem conditiones perſonarum, quibus ex officio incumbit correctio. Et ſunt, Epiſcopus, qui debet corripere plebem, pater familias domum, maritus vxorem, prætor prouinciã, Rex regnum, diues familiam, & pater plebem ſuam. Et loquitur de correctione fraterna: nam paterfamiliâs, non poteſt corripere familiã, nec maritus vxorem, aut filios correctione iudiciali, & coercitiua. Ex quo fit, vt non teneantur arcere ſeruum à concubina expellendo eum domo, niſi forte propter ſcandalum. Nec etiam tenentur cibum ſubtrahere familiæ, vt ieiunia Eccleſiæ non frangat, nec eos eijcere extra domum, quia non ieiunant: ſed tenentur tantum eos fraternaliter corripere, maiori tamen diligẽtia quam extraneos. Et ratio eſt, nam familia atq; famuli coniunctiores ſunt ſuis dominis, quam reliqui hom*nes: ergo ſicut eleemoſynam corporalem tenemur magis impendere illis, qui ſunt coniunctiores, iuxta illud, Qui ſuorum maximè domeſticorum curam non habet, fidem negauit, & eſt infideli deterior: ita etiam in correctione fraterna erit faciendum.

2. Conclusio. ¶ Secunda concluſio. Parentes non tenẽtur ità ſtricte corripere filios, aut domini familiam, ſicut prælati tenentur ſubditos corripere. Itaque cæteris paribus magis peccat Epiſcopus non corripiendo ſibi ſubditos, quam pater non corripiendo filios. Et ratio eſt: nã licet parẽtib* incũbat maior cura corporis, & vitæ filiorum, tamen morum & animi inſtitutio proprie pertinet ad prælatos: & ſic prælati, quantum ad ſpiritualem ſalutem, ſunt coniunctiores.

ARTICVLVS .IIII

¶ *Vtrùm quis teneatur corrigere prælatum ſuum.*

AD QVARTVM ſic proceditur. Videtur, quod aliquis non teneatur corrigere prælatum ſuũ. Dicitur enim Exodi decimo nono. Beſtia, quæ tetigerit montem, lapidabitur. Et ſecundi Regum ſexto, dicitur quòd Oza percuſſus eſt à Domino, quia tetigit arcam. Sed per montem & arcam ſignificatur prælatus. Ergo prælati non ſunt corrigendi à ſubditis. [4.d.19.q.2. art.2.q.3. & Virt. q.3. art 1.ad.18 & Galat 2. lec.3.princ. Et ad Cor.6. Ne fin.]

2 ¶ Præterea, Galat. ſecũdo, ſuper illud. In faciem ei reſtiti, dicit gloſ. vt par. ergo cum ſubditus non ſit par prælato, non debet eum corrigere. [Gloſ. Amb. ibidem.]

3 ¶ Præterea, Gregorius dicit, Sanctorum vitam corrigere non præſumat, niſi qui de ſe meliora ſentit. Sed aliquis non debet de ſe meliora ſentire, quàm de pręlato ſuo. Ergo pręlati non ſunt corrigendi.

¶ SED CONTRA eſt quod Auguſtinus dicit in regula, Nõ ſolum veſtri, ſed etiam ipſius, id eſt, prælati miſeremini, qui inter vos quanto in loco ſuperiori, tanto in periculo maiori verſatur. Sed correctio fraterna eſt opus miſericordiæ, ergo & prælati ſunt corrigendi. [In regula. c. 43. non remotè à fine, to.1.]

¶ RESPONDEO dicendũ, quòd correctio, quæ eſt actus iuſtitiæ per corre-

correctionẽ pœnæ, non competit ſub ditis reſpectu prælati. Sed correctio fraterna, quæ eſt actus charitatis, pertinet ad vnumquenque reſpectu cuiuſli bet perſonæ, ad quam charitatem debet habere, ſi in eo aliquid corrigibile inueniatur. Actus enim ex aliquo habitu vel potentia procedens, ſe extendit ad omnia, quæ continentur ſub obiecto illius potentiæ, vel habitus, ſicut viſio ad omnia, quæ continentur ſub obiecto viſus. Sed quia actus virtuoſus debet eſſe moderatus debitis circũſtantijs, ideo in correctione, qua ſubditi corrigunt prælatos, debet modus congruus adhiberi, vt ſcilicet nõ cum proteruia & duritia, ſed cum manſuetudine & reuerentia corrigantur. Vnde Apoſtolus dicit primæ ad Timot. 5 Seniorem ne increpaueris, ſed obſecra vt patrem. Et ideo Dionyſ. redarguit Demophilum monachum, quia ſacerdotem irreuerenter correxerat, eum percutiens, & de Eccleſia eijciẽs.

Incipit epiſt. Hebræorum hiſtoria.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd tunc prælatus inordinatè videtur tangi, quando irreuerenter obiurgatur, vel etiam quando ei detrahitur. Et hoc ſignificatur per contactũ montis & arcæ damnatum à Deo.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd in faciem reſiſtere coram omnibus excedit modum fraternæ correctionis. Et ideo ſic Paulus Petrum non reprehendiſſet, niſi aliquo modo par eſſet, quãtum ad fidei defenſionem. Sed in occulto admonere & reuerẽter, hoc poteſt etiam ille, qui non eſt par. Vnde Apoſtolus ad Coloſ. vlti. ſcribit de ſubditis. vt prælatum ſuum admoneant, cũ dicit, Dicite Archippo Epiſcopo, Miniſterium tuum imple. Sciendum tamen eſt, quòd vbi immineret periculum fidei, etiam publicè eſſent prælati à ſubditis arguendi. Vnde & Paulus, qui erat ſubditus Petro, propter imminẽs periculum ſcãdali circa fidem, Petrum publicè arguit. Et ſicut gloſ. Aug. dicit ad Galat. 2. ipſe Petrus exẽplum maioribus præbuit, vt ſicubi fortè rectum tramitem reliquiſſent, nõ dedignentur etiam à poſterioribus corrigi.

Epiſt. 19. inter med. & finem. to. 2.

¶ Ad tertium dicendum, quòd præſumere ſe eſſe ſimpliciter meliorẽ, quàm prælatus, videtur eſſe præſumptuoſæ ſuperbiæ. Sed æſtimare ſe meliorem quantum ad aliquid, non eſt præſumptionis, quia nullus eſt in hac vita qui non habeat aliquem defectum. Et etiã conſiderandum eſt, quòd cum aliquis prælatum charitatiuè monet, non propter hoc ſe maiorẽ exiſtimat. Sed auxilium impartitur ei, qui quanto in loco ſuperiori, tanto in periculo maiori verſatur, vt Auguſt. dicit in regula.

Loco citato in argu.

SVMMA TEXTVS.

SVppoſito, quòd correctio eſt duplex, vna iudicialis, altera fraterna, reſpondet D. Tho. ad difficultatem per tres propoſitiones. ℭ Prima concluſio. Correctio iudicialis non competit ſubdito reſpectu ſui prælati. Hanc concluſionem non probat D. Tho. ſed illam, vt notam relinquit ex ſuperioribus. Nam ſi ſubditi non poſſunt con ſubditos ſuos iudicialiter corrigere, vt diximus articulo præcedenti, à fortiori, nec etiã poterunt hoc modo ſuperiores corripere.

ℭ Secunda concluſio. Correctio fraterna competit ſubdito reſpectu ſui prælati. Itaque, ſi prælatus delinquat debet ſubditus fraternaliter corripere. Probatur. Correctio fraterna eſt actus charitatis, ergo debet ſe extendere ad omnes illos, ad quos ſe extendit charitas. Probo conſequentiam. Nam actus alicuius habitus, vel potentiæ ſemper ſe extendit ad omnia ea, quæ continentur ſub obiecto illius habitus, vel potentiæ: ſed charitas ſe extendit ad prælatos, ergo & correctio debet ſe extendere ad illos quando opus fuerit. ℭ Tertia concluſio. Huiuſmodi correctio fraterna erga prælatos debet fieri cum debita reuerentia, & humilitate. Probatur. Correctio eſt actus virtutis, ergo debet fieri cum debitis circunſtantijs: ſed vna ex circunſtantijs requiſitis ad correctionẽ eſt, quòd quando adhibetur prælatis, non cum proteruia & duritia, ſed cum manſuetudine & re-

& teuerentia adhibeatur, iuxta illud.1.ad Timotheum cap.5. Seniorem ne increpaueris, ſed honora, vt patrem: ergo ità debet fieri.

EXPLICATIO ARTICVLI.

PRima concluſio huius articuli eſt certa, & ab omnibus conceſſa. Et ratio eſt. Nã cum correctio iudicialis procedat vſque ad condemnationem, & vindictam culpæ, ad quam neceſſario tequiritur vis coercitiua, quæ ſolis prælatis publicam authoritatem habentibus poteſt conuenire, fit, vt ſubditus nulla ratione poſsit ſuum prælatũ hoc modo corripere.

¶ Secunda concluſio etiam eſt expreſſa ſententia D. Gregorij in cap. ſicut inquit. 2.quæſt.7. Vbi dicitur: Sicut laudabile, & diſcretum eſt reuerentiam, & honorem præbere prioribus: ita etiam rectitudinis, & Dei timoris eſt, ſi quæ in eis ſunt, quæ correctione egent, nulla diſsimulatione poſtponere, ne totum, quod abſit, corpus morbus inuadat, ſi languor non fuerit curatus in capite. Imo nõ ſolùm eſt hoc verum, ſed etiam, quod arctius tenentur ſubditi corripere prælatos, quam alios fratres, aut homines priuatos, etiam ſi ſint patres temporales. Cuius tei ratio eſt: nam magis tenetur homo occurrere malo communi, quàm malo priuato, peccata autem prælarotum vergunt in perniciem publicam. Vnde D. Gregorius, & refertur in cap. præcipue.11.quæſtio.3. dicit: Scire prælati debent, quòd ſi peruerſa vnquam perpetrant tot mortibus digni ſunt, quot ad ſubditos ſuos perditionis exempla tranſmittunt. Item, Prælati quantum ad ſpiritualia magis ſunt diligendi ex charitate, quam quicunq; alij homines, etiam ſi ſint patres naturales: prælati enim in ſpiritualibus ſunt coniunctiores, vt diximus ſupra, cũ de ordine charitatis ageremus, ſed præceptum de correctione fraterna eſt præceptum charitatis, ergo magis tenentur ſubditi corripere prælatos peccantes, quam quoſcunq; alios. Et confirmatur. Correctio prælatorum eſt magis neceſſaria, tum quia, vt dicit D. Auguſtinus in regula, quanto in loco ſuperiori, tanto in periculo maiori verſatur, tum etiã quia minus multi ſunt, qui audeant prælatos admonere, atq; corripere: ſed alij verecundia, alij timore, alij deſiderio gratiæ comparandæ ab huiuſmodi officio charitatis deſiſtunt: ergo magis tenentur ſubditi ipſos prælatos corripere.

¶ Sed dubium eſt, vtrùm correctione cõcionatoria poſsint aliquando ſubditi publicè coram plebe prælatos corripere. Et pro parte negatiua eſt autoritas Clementis Papæ. Qui in cap. ſacerdotes.2.quæſt.7. dicit: Sacerdotes, & reliqui miniſtri Eccleſiæ, omneſq; plebes debent ſuos epiſcopos diligere, & obedire ſuis præceptis, etiam ſi aliter (quod abſit) quam debent agant, niſi in fide errauerint. Et in cap. qualis. eadem cauſa & quæſtione, etiam dicitur, Qualis condemnatio immineat eis, qui in patres peccant diuina ſcriptura oſtẽdit. Si enim Cham quia patris pudenda non operuit maledictus eſt, multò ampliori cõdemnatione digni ſunt, qui patribus legatione Dei fungentibus cõtumeliam inferunt: ſed illi, qui publicè prælatorum peccata corripiunt inferunt eis talem contumeliam, ergo ſunt digni morte, atque maledictione. Item, Anacletus Papa in epiſtola.3. dicit: Sentẽtia Cham filij Noe damnatur qui ſuorum doctorum, vel præpoſitorum culpam produnt, ceu Cham, qui pudenda patris non operuit, ſed irridenda monſtrauit. Et ſubdit ſtatim: Doctor autem, & paſtor ſi à fide exorbitauerit erit corrigendus à fidelibus: ſed pro reprobis moribus magis eſt tolerandus, quam reſtringendus. Et Euariſtus Papa in. 2. epiſtola. poſtquam dixit, quòd homines debent laborare pro Epiſcopo intantum, vt ſi opus fuerit pro eo animam ponant, ſubdit ſtatim, non eſt itaque à plebe obiurgandus licèt ſit inordinatus Epiſcopus. Et Euſebius Papa & Ioan. I. & refertur in cap. Oues. 2. quæſt.7. dicunt, quòd oues non debent ſuum arguere paſtorẽ, niſi à fide deuiauerit. Et D. Gregorius in epiſtola ad Felicem Siciliæ Epiſcopum, quæ eſt.31.lib.12. Epiſtolarum, dicit: Valde prouidendum eſt ſubditis, tam clericis quam laicis, ne Epiſcoporum aut præpoſitorum vitam temere reprehendãt, ſi quid fortaſſe eos agere reprehenſibiliter videant, admonendi ſunt, ne cum culpas præpoſitorum ſuorum conſiderant contra eos audaciores fiant. Sed ſic eorum praua apud ſemetipſos conſiderent, vt diuino timore conſtricti ferre ſub eis iugum obediẽtiæ non recuſent. Facta enim illorum oris gladio non ſunt ferienda etiam cum recte reprehendenda videntur: quoniam à prædeceſſoribus noſtris, & alijs ſanctis conſtitutum cognouimus, vt oues paſtores ſuos

Dubium.

Argumẽtũ.

non

non facile reprehendant.

¶In contrarium tamen eſt: nam D. Paulus ad Galat. cap. 2. coram omnibus reſtitit Petro, & publice eum reprehendit, qui erat ſuus prælatus. Pro explicatione huius difficultatis ſit prima concluſio.

1. Concluſio. De peccatis occultis non licet ſubditis publicè ſuos prælatos reprehendere. Probatur. Nemini licet de peccato occulto publicè reprehendere proximum, vt patet ex illo Matth. 18. Si peccauerit in te frater tuus corripe eum inter te, & ipſum ſolum: ergo multo minus prælatum. Probo conſequentiam, nam multò magis neceſſaria eſt bona ſama prælati quam alterius.

2. Concluſio. ¶Secunda concluſio. Prælatus eſt publice corripiendus de peccato publico hæreſis. Hanc concluſionem probant decreta Clementis Anacleti, & aliorum Pontificum adducta à nobis pro parte negatiua. Et confirmatur ex facto Pauli, qui publice redarguit Petrum propterea quod alijs dedit occaſionem ſuſpicandi, quòd legalia neceſſario debebant obſeruari in lege euãgelica.

3. Concluſio. ¶Tertia concluſio. De quocunque alio peccato publico eſt prælatus publicè corripiendus, ſi illius peccatum vergat in aliorum ſcandalum, & ſit cauſa alijs ſimilia perpetrandi. Hæc concluſio eſt Caietani hic ad ſecundum & videtur eſſe expreſſa ſententia Diui Gregorij in cap. Paulus dicit. 2. quæſt. 7. Vbi habetur: Paulus dicit: Seniorem ne increpaueris. Sed hæc eius regula tùnc eſt obſeruanda cùm culpa ſenioris ſuo exemplo non trahit ad interitum corda iuniorum. Vbi autem ſenior iuuenibus exemplum ad interitum præbet illi ſtricta increpatione feriendus eſt: nam ſcriptum eſt: Laqueus iuuenum omnes nos. Et rurſus: Maledictus puer centum annorum. Et confirmatur ex Ezechiele, qui multis in locis, maximè cap. 13. & 22. & 24. vehementiſsime reprehendit prophetas ſacerdotes, & principes. Et Eſai. cap. 1. dicit, Audite principes Sodomorum. Vbi Hieronymo teſte Hebræi dicunt Eſaiam fuiſſe interfectũ à Iudæis eo quod illos principes Sodomorum vocauerit, & quia cap. 6. dixit: Vidi dominum ſedentem. De hac re eſt legendus idem Eſaias cap. 56. ergo ſimiliter prædicatores poſſunt & debent publica prælatorum peccata, quæ in aliorum ſcandalum vergunt, publice reprehendere.

4. Concluſio. ¶Quarta concluſio. Sublata omni ſpe de emendatione prælatorum, adhuc de huiuſmodi peccatis ſunt publicè reprehendendi, ſi ex hoc quòd non publicè reprehendantur probabiliter timetur aliorum lapſus. Probatur. Finis prædicationis euangelicæ, & publicæ reprehenſionis peccatorum non ſolum eſt ſalus ipſorum peccantium, ſed etiam principaliter totius reipublicæ bonum: ergo ſtante hoc fine non eſt ceſſandum à publica reprehenſione. Cõfirmatur ex Matth. 15. Vbi cum Apoſtoli dixiſſent, quòd Phariſæi ſcandalizabãtur, reſpondit Chriſtus: Sinite illos, cæci ſunt & duces cæcorum. Et Ioãnes Baptiſta grauiſsime reprehendebat Phariſæos, quamuis ſciebat correctionem illis nõ profuturam, Ioan. cap. 3. ¶Et ſi quis obijciat, non licet ſanctum dare canibus, vt dicitur Matth. cap. 6. ſed qui prædicant, videntes ſua prædicatione non profuturos, nihil aliud faciũt quàm ſanctum dare canibus: ergo ceſſandum tunc erit à publica prædicatione, reſpondetur cum Diuo Auguſtino lib. 2. de ſermone Domini in monte. ſermo. 32. quòd quamuis Chriſtus hominibus peccatoribus doctrinam veritatis tradiderit, & eorum peccata redarguerit, non tamen cenſendus eſt ſanctum dediſſe canibus, quia ſimul cũ illis aderant alij plures, quibus illa doctrina erat profutura: & idem debent modo facere prædicatores.

¶Vltima concluſio. Quando ex publica reprehenſione prælatorum, ſiue quorũcunque aliorum non ſperatur aliqua vtilitas particularis, nec communis, debet prædicator ab illa reprehenſione ceſſare. *Vltima concluſio.* Hæc eſt expreſſa ſententia Diui Hieronymi ſuper illud Amos. cap. 5. In illo tempore prudens tacebit, quia tempus malum eſt. Vbi dicit: Quãdo vir Eccleſiaſticus, & prudens atque intelligens multas impietates in ea, quæ vocatur domus domini eſſe cognouerit, & non ſolum multas ſed etiã fortes, & quæ opprimere poſsint iuſtitiam, & in tantum doctorum rabiem proceſsiſſe, vt accipiant pretium in iudicio, & omnia pro muneribus faciant, pauperes deuitent in portis, & audire contemnant, taceat in illo tempore, nec det ſanctum canibus, & ne mittat margaritas ante porcos, qui conuerſi conculcent eas: & imitetur Hieremiam dicentem: Solus ſedebam, quia amaritudine repletus eram. Hæc Hieronymus. Idẽ etiam dicunt Gloſſa ordinaria, Nicolaus de Lyra, & Origenes ſupra eadem verba Amos, & D. Auguſtinus de ſermone Do-

mini in monte lib.2.ſerm.31. &.32. Sed ratione ſic argumentor. Ceſſante fine publicæ prædicationis ipſa etiam prædicatio debet ceſſare. Quæ enim ad aliquem finem ordinantur in tantum ſunt bona, in quantum ad illius conſequutionem conducunt: ſed quando nulla adeſt ſpes alicuius vtilitatis, omnino ceſſat finis publicæ prædicationis: ergo etiam ipſa prædicatio debet ceſſare.

Ad argum. ¶Et ad teſtimonia in contrarium adducta reſpondetur primo, quòd vna pars illorum decretorum eſt intelligenda de peccatis occultis prælatorum, quæ prohibentur publice corripi, ne pudenda parentum exẽplo Cham detegantur. Alia vero pars eſt intelligenda de correctione iudiciali, quæ à ſubditis nullo modo in prælatos fieri debet, præter quam in caſibus à iure exceptis, quorum primus eſt hæreſis, vt patet ex c. ſacerdotes. & ex cap. oues.2. quæſt.7. Secũdus eſt crimen ſimoniæ, vt dicitur in cap. tantum. extra de ſimonia. Tertius eſt crimen leſæ maieſtatis vt habetur. 15.quæſt. 3.cap.ſanè. De quibus legendus eſt Turrecremata ſuper caput.non eſt ita.2.quæſt.7. Vel ſecundo reſpondetur quòd omnia illa decreta intelliguntur regulariter, & vt in plurimum, quia regulariter loquendo prælati non ſolent ſuis ſubditis ſcandalum præbere, & leges ſtatuendæ ſunt de his, quę regulariter contingunt.

Nota circa tertiam conclusionẽ D. Tho. ¶Circa tertiam concluſionem D. Tho. eſt aduertendum, quòd ad hoc, vt ſubditus debitè ſuum prælatum corripiat, plures debet conditiones obſeruare. Prima eſt, quòd correctio ſit occultiſſima, ita vt honoris, atque famæ ſumma ratio habeatur. Nã quamuis hoc obſeruandum ſit in omni correctione, præcipue tamen ad id attendere debemus in correctione prælatorum, quorum bona fama eſt valde neceſſaria reipublicæ, & qui contrarium faciunt damnandi ſunt, ſicut Cham, qui pudenda patris non operuit, ſed illa irridenda monſtrauit, vt dicit Anacletus Papa in c.ſicut Cham.2. quæſt. 7. Secunda conditio eſt, quòd ſubditus non corripiat prælatum increpando, ſed admonendo, & grauitatem criminis, & nocumenta, quæ inde ſequuntur, demonſtrando. Vnde D. Dionyſius in epiſtola ad Demophilum reprehendit quendam hominem, propterea quòd ſacerdotem irreuerenter corripuerat. Tertia conditio eſt, quòd qui correcturus eſt prelatum non ſit homo vilis, & abiectus: talis enim homo inſufficiens videtur ad talem correctionem faciendam. Eſt tamen hoc intelligendum dummodò aliæ adſint perſonæ maioris authoritatis atque iudicij, de quibus probabiliter credatur, quòd prælatum reprehendent. Nam ſi alius non adſit quilibet poterit talem correctionem facere, maximè quando peccatum prælati vergit in detrimentum ſubditorum, aut in iniuriam illius, quem vilem appellamus.

¶In ſolutione ad ſecundum argumentũ dicit D. Tho. quòd Paulus non reprehendiſſet Petrum, niſi aliquo modo eſſet par illius quantum ad fidei defenſionem. Ad cuius explicationem ſupponendum eſt primo, quòd D. Petrus ſimpliciter erat maior Paulo, & alijs Apoſtolis, tum quia Ioan. vltimo. commiſit illi Chriſtus curam ouium ſuarum, conſtituitque eum paſtorem vniuerſalem Eccleſiæ, tum etiam quia ipſe erat petra, & fundamentum illius, vt abundè oſtendit Caietanus in tractatu de autoritate papæ & concilij. cap.2. 3. &. 4. & in tractatu. de primatu Petri. & Turrecremata lib.2. ſuæ ſummæ. cap. 4. & ſequentibus. *Nota circa ſolutionẽ ad ſecũdũ arg.* Secundo eſt ſupponendum, quòd etiam Paulus, atque alij Apoſtoli aliquo modo erant pares Petro, vt docet Anacletus Papa in cap. in nouo Teſtamento.21.diſt. Vbi dicit: Petrus ligandi ſoluendiq; poteſtatem primus accepit à domino, primuſq; ad fidem populum ſuæ prædicationis virtute adduxit, verboque inſtituit: cæteri vero Apoſtoli cum eodem pari conſortio honorem & poteſtatem acceperunt. Idem etiam docet D. Cyprianus cuius verba referuntur in cap. loquitur.24.quæſt.1. & D. Hieronymus ſupra. 2. caput ad Galat. & refertur in cap. Paulus.2.quęſt. 7. vbi dicit: Paulus reprehendit Petrum, quod nõ auderet, niſi ſe non imparem ſciret.

Dubium. ¶Sed eſt difficultas, in quo conſiſtat huiuſmodi paritas Petri cum alijs Apoſtolis. Gratianus in illud cap. Paulus, iam citatũ, dicit, quòd non conſiſtit in officio publicæ gubernationis eccleſiaſticæ, ſed in paritate vitæ, & ſanctitate conuerſationis. Hæc tamen expoſitio non eſt ad mentem doctorum, vt bene oſtendit Turrecremata ſuper idem cap. & lib.2. ſummæ Eccleſiæ cap.13. ad vltimum argumentum, tum, quia Paulus non ſciebat eſſe parem Petro in ſanctitate, cum ipſe ad Corint. cap. 4. de ſe ipſo dicat, Nihil mihi conſcius ſum, ſed in hoc nõ iuſtificatus ſum: tum etiam, quia paritas in ſancti-

ſanctitate non tribuebat illi autoritatem ad publicè reprehendẽdum ſuum Paſtorem. *Sententia Gloſſa.* ¶Gloſſa in cap. loquitur. & in cap. in nouo teſtamento iam citatis, tenet illam paritatem eſſe intelligendam quantum ad dignitatem conſecrationis. Cæterum quanuis in hoc ſenſu verũ ſit, quod reliqui Apoſtoli erant pares Petro, ſicut & omnes epiſcopi, iſte tamen ſenſus non eſt intentus ab illis ſanctis patribus, nec de hac paritate loquitur Paulus vt conſtat ex cap. 2. ad Galatas. Vbi autequam reprehenſionis, quam Petro dederat mentionem faceret, dicit. Cũ vidiſſent Apoſtoli, quòd creditum eſt mihi euangelium præputij, ſicut & Petro circuncifionis, qui enim operatus eſt Petro in Apoſtolatum circunciſionis, operatus eſt & mihi inter gentes, & cum cognouiſſent gratiam, quæ data eſt mihi Iacobus, & Cephas, & Ioan. qui videbantur columnæ eſſe, dextras dederunt mihi, & Barnabæ ſocietatis, vt nos in gentes, ipſi autem in circunciſionem tantum, &c. Quibus verbis apertè ſignificat Paulus aliam paritatem habuiſſe cum apoſtolis vltra illam, quę prouenit ex dignitate cõſecrationis. *Sententia D. Tho.* ¶D. Tho. in hoc articulo dicit, quòd D. Paulus aliquo modo fuit par Petro, quantum ad defenſionem fidei. Et ſuper epiſtolam ad Galat. cap. 2. lect. 3. dicit, quod fuit par Petro in executione autoritatis, & non in autoritate regiminis, quod verum eſt. Sed, vt hoc melius intelligatur, aduertendum eſt ex eodem D. Tho. ſuper primam epiſtolam ad Corint. cap. 12, lect. 2. quòd ad officiũ Apoſtolorum tria pertinebant. Primum eſt authoritas gubernandi populum fidelem. Secundum prædicatio fidei. Tertium confirmatio eiuſdẽ fidei miraculis facta. Et quia Paulus & reliqui Apoſtoli hoc habebant æquale cum Petro, poterant enim ſinguli gubernare, excõmunicare, imponereque quęcunque præcepta vellent, & ordinare epiſcopos in omnibus locis, & deniq; exequi quidquid ad Eccleſiæ gubernationem pertinebat, ſicut ipſe Petrus, idcircò Apoſtoli dicebantur pares Petro quantum ad oſtenſionem fidei, & executionem authoritatis. Cum hoc tamen ſtat, quòd ipſe Petrus ſimpliciter dicatur ſuperior, tum quia erat caput aliorum, tum etiam, quia Petrus accepit poteſtatem, non ſolum pro ſe, ſed & pro ſuis ſucceſſoribus: cum tamen alij Apoſtoli non acceperint illam plenam poteſtatem, niſi tantum pro ſe. Vnde quanuis epiſcopi ſuccedãt Apoſtolis, vt dicitur in cap. in nouo teſtamento. 21. diſt. non tamen accipiunt à Deo pleniſsimam poteſtatem, ſed limitatam ſuper certas oues.

ARTICVLVS. V.

¶ *Vtrum peccator debeat corrigere delinquentem.*

AD QVINTVM ſic proceditur. Videtur quòd peccator corrigere debeat delinquentem. Nullus enim propter peccatum quod commiſit, à præcepto obſeruando excuſatur. Sed correctio fraterna cadit ſub præcepto, vt dictum *eſt, ergo videtur quòd propter peccatũ, quod quis commiſit, non debeat prætermittere huiuſmodi correctionem. *4. diſt. 19. q. 2. ar. 2. q. 2. Et Matth. 7 col. 2. & Roma. col. 2.* *Art. 2. huius. q.*

2 ¶ Præterea, Eleemoſyna ſpiritualis potior eſt quàm corporalis eleemoſyna. Sed ille, qui eſt in peccato, non debet abſtinere, quin eleemoſynam corporalem faciat, ergo multò minus debet abſtinere à correctione delinquentis, propter peccatum præcedens.

3 ¶ Præterea, 1. Ioan. 3. dicitur, Si dixerimus, quia peccatum nõ habemus, noſipſos ſeducimus. Si ergo propter peccatum aliquis impeditur à correctione fraterna, nullus erit qui poſsit corrigere delinquentem. Hoc autem eſt inconueniens, ergo & primum.

¶SED CONTRA eſt, quod Iſidorus dicit * in libro de Sũmo bono, Nõ debet vitia aliorum corrigere, qui eſt vitijs ſubiectus, & Roman. 2. dicitur, In quo alium iudicas, teipſum cõdemnas, eadem enim agis quæ iudicas. *Li. 3. ca. 32. in princi.*

¶RESPONDEO dicendum, quòd ſicut dictum *eſt, correctio delinquentis pertinet ad aliquem, inquantum viget in eo rectum iudiciũ rationis. Peccatum autem (vt ſupra dictum *eſt) nõ tollit totum bonum naturæ, quin remaneat in peccante aliquid de recto iudicio rationis. Et ſecũdum hoc poteſt *Artic. præt. et ar. 3. ad. 2* *1. 2 q. 85. artic. 1. & 2.*

ſibi competere alicuius delictum arguere. Sed tamen per peccatum præcedens, impedimentum quoddam huic correctioni affertur propter tria. Primo quidem, quia ex peccato præcedēti indignus redditur, vt alium corrigat, & præcipue ſi maius peccatum commiſit, non eſt dignus, vt alium corrigat de minori peccato. Vnde ſuper illud Matt. 7. Quid vides feſtucam, &c. dicit* Hieron. De his loquitur, qui cum mortali crimine detineātur obnoxij, minora peccata fratribus non concedunt. Secundò redditur indebita correctio propter ſcandalum, quod ſequitur ex correctione, ſi peccatum corripiētis ſit manifeſtum, quia videtur, quòd ille qui corrigit, non corrigat ex charitate, ſed magis ad oſtentationem. Vnde ſuper illud Matthæi ſeptimo. Quomodo dicis fratri tuo, &c. exponit* Chryſoſtomus, in quo propoſitò, puta ex charitate, vt ſalues proximum tuum? non quia teipſum ante ſaluares. Vis ergo non alios ſaluare, ſed per bonam doctrinam malos actus celare, & ſcientiæ laudes ab hominibus quærere. Tertio modo, propter ſuperbiam corripientis, inquantum ſcilicet aliquis propria peccata paruipēdens, ſeipſum proximo præfert in corde ſuo, peccata eius auſtera ſeueritate diiudicans, ac ſi ipſe eſſet iuſtus. Vnde* Auguſtin. dicit in libro de Sermone Domini in monte. Accuſare vitia officium eſt bonorum virorum & beneuolorum. Quod cum mali faciunt, alienas partes agunt. Et ideo ſicut Auguſtinus.* dicit in eodem, Cogitemus cum aliquem reprehendere nos neceſsitas cogit, vtrum tale ſit vitium, quod nunquam habuimus. Et tunc cogitemus nos homines eſſe, & habere potuiſſe. Vel tale quod aliquando habuimus, & iam non habemus, & tunc tangat memoriam communis fragilitas, vt illam correctionem non odium, ſed miſericordia præcedat. Si autem inuenerimus nos in eodem vitio eſſe, non obiurgemus, ſed congemiſcamus, & ad æqualiter cauendum inuitemus. Ex his ergo patet, quod ſi peccator cum humilitate corripiat delinquentem, non peccat, nec ſibi nouam condemnationem acquirit, licet per hoc vel in conſcientia fratris vel ſaltem ſua pro peccato præterito, condemnabilem ſe eſſe oſtendat. Vnde patet reſponſio ad obiecta.

In hoc proprio loco to. 9

Homil. 17. in opere imperfecto, parum ante med. to. 2.

Lib. 2. c. 30. ante mediũ. Eodem lib. & ca. circa medi. to. 4.

SVMMA TEXTVS.

AD hanc difficultatem reſpōdet Diuus Thomas per tres propoſitiones. ¶ Prima concluſio. Per ſe loquēdo, peccator poteſt & tenetur alium corripere. Probatur. Correctio pertinet ad aliquem, inquātum viget in eo vſus rationis: ſed huiuſmodi vſus non aufertur omnino per peccatum, non enim tollit peccatum totum bonum naturæ: ergo nec per ſe loquendo tollit obligationem corripiendi. ¶ Secunda concluſio. Per peccatum præcedens, apponitur impedimentum correctioni propter tria. Primo propter indignitatem corripientis. Secundo propter ſcandalum, ſi peccatum eſt publicum. Tertio propter ſuperbiam quia ille qui corripit, videtur ſe alteri anteponere. Hanc concluſionem latè probat Diuus Thomas in litera quo ad ſingulas partes: videte ibi. ¶ Tertia concluſio. Ille, qui eſt in peccato, poteſt fraternè alium corripere, ſi id faciat cum humilitate propriam culpam cognoſcendo, & ſimul ſecū alium exhortando ad virtutem. Hæc concluſio ſequitur ex ſuperioribus.

EXPLICATIO ARTICVLI.

CIrca iſtum articulum eſt aduertendum, quòd in præſenti non quærimus vtrùm peccatores teneantur alterum corripere. Nam huius rei pars affirmatiua eſt certa, cum præceptum de correctione fraterna ſit generale omnes comprehendens, nec ex hoc, quòd aliquis efficiatur de nouo peccator, deobligetur illis præceptis, quibus

bus antea tenebatur: alioqui reportaret commodum ex peccato. Sed quod quærimus eſt, vtrùm peccator teneatur exire à peccato ad correctionem faciendam. Richardus in. 4. diſtinctio. 19. quæſtio. 2. ad primum argumentum. & Palud. eadem diſtinctio. quæſtio. 3. partem affirmatiuam tenent. Et probatur: quia correctio fraterna eſt actus charitatis, ergo qui corripit debet eſſe in charitate.

Dubium.

Argum.

1. Concluſio. ¶In hoc ſit prima concluſio. Quando ex peccato correctio, quam alteri ſum adhibiturus non ſit inutilis, adhuc in peccato manens poſſum & debeo peccatorem corrigere. Probatur. Teneor corripere fratrem, & adhuc in peccato manens ſum aptus, & idoneus ad id faciendum, ergo poſſum illum corripere. Conſequentia cum minori eſt nota, & minor probatur: nam idoneitas, & aptitudo ad correctionem faciendam conſiſtit in eo, quòd ille, qui corrigit habeat rectum iudicium. Et ſi quis obijciat: Si ego verbi, gratia, ſum in eodem peccato, in quo eſt ille, quem ſum correcturus, in tali caſu non habeo rectius iudicium, quam ille, quem volo corripere, ergo tunc non ſum aptus ad fratrem corripiẽdum, reſpõdetur, quod quando aliquis admonet alium exiſtentem in eodem peccato, in quo corripiens peccat, eo ipſo quod reprehendit iudicat illud peccatum eſſe fugiendum, atque ex conſequenti eſt ſuperior in iudicando, & habet rectius iudiciũ, quam ille, quem vult corripere.

2. Concluſio. ¶Secunda concluſio. In caſu, quo propter meum peccatum correctio, quam alteri ſum adhibiturus, redditur inutilis, poſſum ceſſare à tali correctione, nec teneor exire à peccato, vt fratrem cum fructu corripiam. Hæc concluſio eſt magiſtri Soto in relectione de ratione tegendi & detegendi ſecretum. memb. 2. quæſtio. 3. Et probatur. Ad opera miſericordiæ nullus tenetur, niſi quando habet commoditatem ea exhibendi, vt verbi gratia, ad faciendam eleemoſynam nemo obligatur, niſi quando habet, vnde illam conferat, nec tenetur nouas opes acquirere, nec ſimiliter homo ignorans tenetur literas addiſcere, vt poſſit poſteà alijs rectum conſilium dare: ſed correctio fraterna eſt opus miſericordiæ, ergo nemo ad illam obligatur, niſi quando habet commoditatem, vt alios corripiat, nec qui eſt in peccato tenetur operam adhibere, vt agat pœnitentiam ad acquirendam gratiam, qua poſſit alios corripere. Et confirmatur. Si quis impediretur à correctione facienda, vel morbo, vel locorum interuallo, non teneretur ſibi recuperare ſalutem medicamentis, aut iter facere, vt alium corripere poſſet, ergo pari ratione, nec tenetur gratiam acquirere, vt alium corripiat.

¶Tertia concluſio. Prælati, & perſonæ publicæ, ſi intelligunt ſe eſſe inutiles ad emendandos ſuos ſubditos propter peccata quæ committunt, tenentur in tali caſu, vel vitam emendare, vel officium deponere. Probatur. Tales homines non ſolum tenentur ex charitate, ſed etiam ex officio, & ex iuſtitia conſulere ſaluti ſpirituali ſuorum ſubditorum: ergo tenentur ſeipſos reddere aptos ac idoneos ad huiuſmodi officium exequendum. Et confirmatur à ſimili. Qui debet alicui aliquas pecunias tenetur, ſi illas non habet, dare operam, vt habeat, & ex conſequenti, vt reddat, quia illud debitum eſt ex iuſtitia, ergo pari ratione prælatus tenetur dare operam, vt ſit idoneus ad corrigendos ſuos ſubditos, cum id non ſolum ex charitate, ſed etiam ex iuſtitia ſit debitum. Item, Si prælatus ita eſſet infirmus, vt non poſſet ſuo officio ſatiſfacere, proculdubio teneretur officium deponere: ergo pari ratione, qui propter ſua peccata ſe reddit inutilem ad ſuum officium exequendum, tenetur ſine dubio, aut emendare vitam, aut officium deponere. *3. Concluſio.*

¶Sed dubitabit aliquis hoc loco, vtrùm qui exiſtens in peccato alios corrigit peccet. De qua re Nicolaus de Lyra ſuper caput ſeptimum. Matthæi in illa verba, Quid vides feſtucam, &c. videtur tenere partem affirmatiuam. Nam dicit, quod qui manens in peccato alium corrigit peccat duplex peccatum, vnum ſcandali, aliud præſumptionis, ſi correctio ſit publica, ſi verò ſecreta, vnum ſolum, ſcilicet, præſumptionis. Et probari poteſt hæc ſententia aliquibus teſtimonijs ſacræ ſcripturę. Nam ad Roma. 2. dicit Paulus. In quo alium iudicas, te ipſum condemnas. Quibus verbis videtur reprehendere eos, qui, cùm ipſi ſint in peccatis, alios reprehendunt: & loquitur principaliter de doctoribus legis. Et ad Galatas ſexto. Si præoccupatus fuerit homo aliquo delicto, vos, qui ſpirituales eſtis huiuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis. Vbi apertè ſignificat correctionem ſolis iuſtis conueni- *Dubium.* *Argum.*

re, non reprobis, aut prauis hominibus. Pro quo etiam facit illud Matth. 7. Hypocrita, quid vides feſtucam in oculo fratris tui, trabem autem in oculo tuo non vides.

1. *Dictum.* ¶ His tamen non obſtantibus ad explicationem difficultatis dico primo, quòd peccator occultus bene poteſt alium peccatorem corripere, nec in tali correctione peccat. Probatur. Talis peccator poteſt alium corripere ſine ſcandalo, & cum fructu, cùm eius peccatum ſit occultum, tam ex parte eius, qui corripitur, quàm aliorum, ergo non peccat talem correctionem faciendo.

2. *Dictum.* ¶ Dico ſecundo, quòd ſi peccator publicus alium peccatorem corripiat, non obiurgando, ſed obſecrando, & ſeipſum cum proximo ſuo exhortando ad pœnitentiam non peccat, ſed potius meretur, ſi id in gratia efficiat. Dico notanter, ſi id in gratia efficiat contra magiſtrum Soto, qui loco citato abſolutè concedit talem peccatorem per illam correctionem mereri, cum tamen ſit certum, quod nullus homo quandiu in peccato manet aliquo opere à ſe facto meretur, nec etiam de congruo, vt diximus in ſuperioribus, cùm de augmento charitatis ageremus. Sed quod illa correctio non ſit mala probatur: nam habet omnes conditiones neceſſario requiſitas ad operis honeſtatem, & præterea eſt talis naturæ, vt per illam diſponat ſe homo ad obtinendam remiſsionem proprij peccati, iuxta illud Matth. 5. Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur & Iacob. 5. Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, liberat animam à morte, & operit multitudinem peccatorum. V[illegible] D. Auguſtinus in lib. de ſermone Domini in mõte ſic inquit: Cogitemus, cùm aliquem reprehendere nos neceſsitas cogit, vtrum tale ſit vitium, quod nunquam habuimus, & tunc cogitemus nos homines eſſe, & habere potuiſſe, vel tale quod aliquando habuimus, & iam non habemus: & tunc tangat memoriam communis fragilitas, vt illam correctionem non odium, ſed miſericordiam præcedat. Si autem inuenerimus nos in eodem vitio eſſe non obiurgemus, ſed congemiſcamus, vt non alium ſolum ad pœnitendum, ſed ad æqualiter conandum inuitemus. Hæc Auguſtinus.

3. *Dictum.* ¶ Dico tertio. Si publicus peccator ſit in æquali, vel maiori peccato cum altero, & illum corripiat ſine poſitis conditionibus, peccat grauiter, tum ratione ſcandali, tum etiam, quia ſuperbè agit. Hanc concluſionem probant teſtimonia ſcripturę ſuperius adducta. Et præterea probatur: nam talis corripiens prætermittit ordinem charitatis, cùm ſecundum illum à ſeipſo deberet incipere. ¶ Et ad argumentum quo Richardus, atque Paludanus probant peccatorem teneri exire à peccato ad correctionem faciendam reſpondetur quòd quamuis correctio non procedat ex habitu charitatis inſuſo ſufficit tamen ad implendum præceptum, quantum ab ſubſtãtiam, atq; adeo, vt connumeretur inter alios bonos actus, q̃ procedat ex naturali dilectione, & fiat cũ debitis circunſtantijs. *Argum. Richar.*

¶ Sed dubium eſt de correctione, quæ fit per prædicationem, vtrùm poſsit aliquis in peccato mortali exiſtens alios hoc modo corripere ſine nouo peccato mortali. *Dubium.* Quod eſt quærere, Vtrum prædicatores in peccato mortali prædicantes peccent mortaliter. In qua re Caietanus in tertia parte. quæſt. 64. art. 6. partem tenet affirmatiuã. Et ratio illius eſt: quia exercere in peccato mortali aliquem actum, ad cuius exercitium miniſtri conſecrantur, eſt peccatum mortale, vt docet D. Tho. ibi in ſolutione ad primum: ſed ad actum prædicationis cõſecrantur miniſtri: ſolis enim epiſcopis primario, & ſacerdotibus ſecundario ex officio conuenit prædicare, ergo ſi id fiat in peccato erit peccatum mortale. In hoc tamen ſit prima concluſio. Peccator publicus peccat mortaliter prædicando. Probatur ex vulgata illa ſententia D. Gregorij in paſtorali, Cuius vita deſpicitur neceſſe eſt, vt eius prædicatio contemnatur. Et Ariſt. 10. Ethic. dicit: Quando ſermones non conſonant moribus contẽnuntur: ſed eſſe cauſam, quòd ſermones Dei contemnantur eſt peccatum mortale, ergo & quod prædicet ille, qui eſt publicus peccator. Et confirmatur ex Paulo ad Roma. cap. 2. de illis hominibus, qui cum ipſi ſint fures prædicant nõ furandum, dicit, Per illos nomen Dei inter gentes blaſfematur: eſſe autem cauſam quòd nomen Dei blaſfemetur eſt peccatũ mortale.

¶ Secunda concluſio. Exiſtens in peccato mortali occulto non peccat mortaliter prædicando, præſertim ſi id faciat cum humilitate, & tremore, illique incumbat ex officio. *2. Concluſio.* Hæc concluſio eſt contra Caietanum vbi ſupra, & contra Syluestrum in ſumma,

ſumma, verbo, correctio. nume. 15. & contra Nauar. in Manuali cap. 25. nume. 141. Sed illam tenet Soto in. 4. diſt. 1. quæſt. 5. art. 6. & probatur. Ille prædicator non ponit obicem ſuæ prædicationi, ſed prædicat cum fructu, ergo non peccat mortaliter prædicando. Item, Hæc eſt differentia inter opera ſacramentorum, & opera charitatis, & aliarum virtutum, quòd opera ſacramentorum ſunt quadam ſpirituali conſecratione conſecrata, & ideò exigunt miniſtrum ſanctum, at verò opera virtutum, quamuis ſint ſancta, non tamen ſunt ſpirituali conſecratione conſecrata, & ideo non requirunt ſanctitatem in miniſtro, ſicut ſacramenta, quin potius per ipſa opera virtutum diſponitur homo ad pœnitentiam, & ad conſequendam iuſtitiam, vt tradit Diuus Thomas. 3. part. quæſt. 64. art. 6. quem ſequitur Caietanus ibidem: ſed prædicare non eſt opus aliqua ſpirituali conſecratione conſecratum, ergo etiam ſi prædicator ſit in aliquo peccato mortali non peccat mortaliter. Conſequentia cum maiori eſt nota, & minor probatur. De iure diuino prædicare non eſt munus ſacerdoti annexum: prædicabant enim olim prophetæ, & eremitæ, qui non erant ſacerdotes, nec in ordinatione miſſæ aliqua fit mentio prædicationis, imo eſt hæreticum affirmare quòd ſacerdotibus conuenit ex officio prædicare, vt conſtat ex articulis. 13. &. 14. Ioannis Vvicleff damnatis in concilio Cõſtantienſi, ſeſsione. 8. & ex articulis. 17. & 18. Ioannis Hus condemnatis in eodem cõcilio, ſeſsio. 15. Et in cap. excommunicamus primo. extra de hæreticis, præcipitur ſub pœna excommunicationis, ne quis ſine licentia ſedis apoſtolicæ, aut Epiſcopi catholici aſſumat ſibi officium publicè, aut priuatim prædicandi, ergo ſi nec omnibus, nec ſolis ſacerdotibus, hoc officium incumbit, manifeſte ſequitur, quod ad illud non eſt opus aliqua conſecratione, atque ex conſequenti non erit peccatum mortale prædicare in peccato mortali. Verum tamen eſt, quòd ex diſpoſitione iuris poſitiui omnes prohibentur prædicare, niſi ſint ſacerdotes, vt eſt videre in cap. adiecimus. 27. quæſtio. 1. Et in cap. ſicut præcipitur. de hæreticis, cohibentur laici prædicare. Ex hoc tamen non ſequitur, quod ad id requiritur conſecratio. Cæterum, quia opus prędicationes excellẽtiam habet ſupra omnia alia opera virtutum, idcirco ad illud requiritur maior dignitas, atque bonitas in miniſtro prædicationis, quàm in miniſtro aliarum virtutum. Ex quo fit, vt ſit probabiliſsimum quod affirmat Caietanus in ſumma. verbo, prædicatorum peccata. Vbi dicit, quòd prædicare cum conſcientia peccati mortalis ad minus eſt peccatum veniale, proueniens ex eo, quod talis prædicator non exhibet ſe talem miniſtrum, qualem oportet ad eximium opus virtutis exercendum.

Dubium. ¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco, vtrùm ſi peccator corripiat alium eo fine, vt ipſe exiſtimetur bonus, talis correctio ratione illius ſuperbiæ ſit mala, atque peccatum.

Nota. ¶ Ad cuius explicationem eſt aduertendum, quòd in correctione fraterna dupliciter poteſt ſuperbia reperiri. Vno modo cõcomitanter, vt quando aliquis peccator alium corripit bono animo, ſimul tamen iudicat ſe eſſe altero meliorem: & tunc illa exiſtimatio proprie eſt ſuperbia, & tamen ipſa correctiò eſt bona. Secundo modo reperitur ſuperbia in correctione, ità, vt conſtituatur pro fine correctiònis: vt quando aliquis corripit potiſsimum, vt probet apud alios ſuam ſanctitatem, & virtutis ſtudium: & tunc proculdubio correctio eſt mala vitiaturque ex fine, de quo loquebatur Chriſtus apud Matth. cap. 7. quando dicebat: Hypocrita eijce primo trabem de oculo tuo, &c. Quo in loco non damnat eos, qui alios reprehendunt, cum ipſi ſint peccatores, ſed illos, qui ſua peccata parui pendentes, alios grauiter, & acerbè reprehendunt, vt ſibi apud homines ſeueritatis, & ſanctitatis opinionem acquirant, quod eſt propriè eſſe hypocritam.

Dubium. ¶ De correctiòne iudiciali vim coercitiuã habẽte eſt difficultas, vtrũ ſi fiat ab homine exiſtente in peccato mortali, ſit peccatum. In qua re D. Tho. in. 4. diſt. 19. quæſt. 2. de prælato eccleſiaſtico partem tenet affirmatiuam. Et ratio illius eſt: quia talis indigne vtitur officio ſuo. Paludanus in. 4. diſt. 19. quæſt. 3. tenet idem quod D. Tho. ſed aſsignat aliam rationem, dicens, id prouenire ex eo, quod qui eſt in peccato mortali, quo ad ſe, eſt ſuſpenſus ſua iuriſdictione, vt habetur in. c. vltimo extra de tempo. ordi.

Sentẽtia autoris. ¶ Hoc tamen non obſtante dico cum D. Tho. infra quæſt. 60. art. 2. ad tertium argumentum, quòd ſi illi, qui alios iudicãt, ſunt in equalibus, vel maioribus peccatis, quam illi, circa quos iudicium exercent, & peccata

ta ſunt publica, atque manifeſta peccant quidem iudicantes ratione ſcandali, cuius ſunt cauſa. Cæterum ſi peccata ſunt occulta, & cum humilitate corripiunt, vt ſuo muneri ſatiſfaciant nullum peccatum cõmittunt, vel ſi peccant erit tantum venialiter. Et ratio huius eſt: quia peccatum mortale non contrariatur rectitudini rationis requiſitæ ad iudicandum, cum lumen naturale intellectus neceſſarium ad reddendum ius vnicuique non auferatur per peccatum, nec præterea contrarietur poteſtati iuriſdictionis, quæ fuit hæreſis Vviclef, vt diximus ſupra quæſt. 10. art. 10. Et ad D. Tho. reſpondeo cum Caietano infra quæſt. 60. art. 2. quod ſequutus alios tenuit in quarto. quod poſteà in ſumma correxit. Et ad illius rationem dico dupliciter poſſe contingere, quod aliquis indigne vtatur ſuo officio, vnò modo priuatiue, alio modo contrariè. Et quidem exiſtens in peccato mortali vtitur indigne ſuo officio priuatiue, non autem contrariè. Hoc eſt, eſt priuatus conditione, quam natus eſt habere, vt condigne iudicis officium exerceat, non tamen habet aliquid contrarium iuſto iudici, vt ſic, & propterea non eſt opus, vt peccet iudicando.

ARTICVLVS VI.

Vtrum quis debeat à correctione ceſſare propter timorem, ne ille fiat deterior.

4. diſt. 3. q. 2. art. 2. q. 2 ad. 1. Et Vir. 3. ar. 1. ad. 1 & Epheſ. 5. lec. 4. fi. AD SEXTVM ſic proceditur. Videtur quòd aliquis nõ debeat à correctione ceſſare propter timorẽ, ne ille fiat deterior. Peccatũ enim eſt quædam infirmitas animæ ſecundum illud Pſalmiſtæ, Pſalm. 33. Miſerere mei domine, quoniam infirmus ſum. Sed ille, cui imminet cura infirmi, etiã propter eius cõtradictionem, vel contemptum, non debet ceſſare, quia tũc maius imminet periculum, ſicut patet circa furioſos. Ergo multo magis debet homo peccantem corrigere quantumcunque grauiter ferat.

In epiſt. ad Titum c. 1. Habetur in Glo. or. Mat- 2 ¶ Præterea, Secundum* Hierony. veritas vitæ non eſt dimittenda propter ſcandalum. Præcepta autem Dei pertinent ad veritatem vitæ. Cum ergo correctio fraterna cadat ſub præcepto, vt dictum* eſt, videtur quòd non ſit dimittenda propter ſcãdalum eius, qui corripitur. tha. 15. ſuper illud: Scis quia Phariſæi audito hoc ſcandalizati ſunt. Ar. 2. huius quæſt.

3 ¶ Præterea, Secundum Apoſtolum ad Roman. 3. Non ſunt facienda mala, vt veniant bona. Ergo pari ratione non ſunt prætermittenda bona, ne veniant mala. Sed correctio fraterna eſt quoddam bonum. Ergo non eſt prætermittenda propter timorem, ne ille, qui corripitur fiat deterior.

¶ SED CONTRA eſt, quod dicitur Prouerbiorum. 9. Noli arguere deriſorem, ne oderit te. Vbi dicit *gloſſa. Non eſt timẽdum ne tibi deriſor, cum arguitur, contumelias inferat, ſed hoc potius prouidendum, ne tractus ad odium inde fiat peior. Ergo ceſſandum eſt à correctione fraterna, quando timetur, ne fiat ille inde deterior. Glo. ordina. ibid. Prou. 9

¶ RESPONDEO dicẽdum, quòd ſicut dictum* eſt, duplex eſt correctio delinquentis. Vna quidem pertinens ad prælatos, quę ordinatur ad bonum commune, & habet vim coactiuam. Et talis correctio non eſt dimittenda propter turbationem eius, qui corripitur, tum quia ſi propria ſponte emendari non velit, cogenduſeſt per pœnas, vt peccata dimittat, tum etiã quia ſi incorrigibilis ſit, per hoc prouidetur bono communi, dum ſeruatur ordo iuſtitiæ, & vnius exemplo alij deterrẽtur. Vnde iudex non prætermittit ferre ſententiam condemnationis in peccantem, propter timorem turbationis ipſius, vel etiam amicorũ eius. Alia verò eſt correctio fraterna, cuius finis eſt emendatio delinquentis, non habens coactionẽ, ſed ſimplicem admonitionem. Et ideo vbi probabiliter æſtimatur, quòd peccator admonitionẽ non recipiat, ſed ad peiora labatur, eſt ab huiuſmodi correctione deſiſtendum: quia ea, quæ ſunt ad finem, debent regulari, ſecundum quod exigit ratio finis. Art. 1. & 3 huius q.

¶ AD

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd medicus quadam coactione vtitur in phrenetico, qui curam eius recipere non vult. Et huic aſsimilatur correctio prælatorum, quę habet vim coactiuam, nō autem ſimplex correctio fraterna.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd de correctione fraterna datur præceptū, ſecūdum quod eſt actus virtutis. Hoc autem eſt ſecundum quod proportionatur fini. Et ideo quando eſt impeditiua finis, puta cū efficitur homo deterior, iam non pertinet ad veritatem vitæ, nec cadit ſub præcepto.

¶ Ad tertium dicendum, quòd ea quę ordinantur ad finē, habent rationem boni ex ordine ad finem. Et ideo correctio fraterna, quādo eſt impeditiua finis, ſcilicet, emendationis fratris, iam non habet rationem boni. Et ideo cum prætermittitur talis correctio, non prætermittitur bonum, ne eueniat malum.

SVMMA TEXTVS.

SVppoſito, quòd correctio delinquentis eſt duplex, vna iudicialis, quę ordinatur ad bonum commune, altera fraterna, quæ ordinatur ad bonum particulare illius, qui corripitur, reſpondet D. Tho. ad propoſitam difficultatem per duas propoſitiones.

¶ Prima concluſio. A iudiciali correctione non eſt ceſſandum propter timorē perturbationis illius, qui corripitur, aut amicorum eius. Probatur. Huiuſmodi correctio ordinatur ad bonum commune, ad quod eſt neceſſarium quòd ſeruetur ordo iuſtitię, vt vnius exemplo alij à malis terreantur: vnde qui ſponte emendari non vult cogendus eſt per pœnas, vt peccata dimittat: ergo non eſt ceſſandum à tali correctione propter timorem eius, qui corripitur, aut amicorum eius. ¶ Secunda concluſio. A correctione fraterna eſt ceſſandum quādo probabiliter timetur illum, qui corripitur futurum deteriorem. Probatur. Finis huius correctionis eſt particularis emendatio fratris, ergo illa ceſſante ceſſandum etiā erit à tali correctione.

EXPLICATIO ARTICVLI.

PRima concluſio huius articuli eſt certiſſima: & circa ſecundam reducenda ſunt in memoriam quæ diximus ſupra articulo 2. huius queſtionis. Vbi oſtendimus quòd quando ſumus certi, quòd non obedimus noſtra correctione dubitamus autē, vtrùm proficiamus tunc tenemur corripere exemplo boni medici, qui in tali caſu applicat medicinas. Ex quo infertur perperam agere eos, qui omittunt correctionem, quando dubitant, vtrùm ſint profuturi: cum tamen in hoc caſu omnes teneantur corripere. ¶ Et ſi quis quærat, vtrùm quando mihi eſt probabile, quod ſi correxero fratrem ad tempus fiet deterior, tandem tamen curabitur, & ſi non correxero peribit, quid in eo caſu debeo facere, reſpondeo quòd de hoc iam nos diximus ſupra artic. 2. huius quæſtionis. *Dubium.* *Reſponſio.*

¶ Sed dubium eſt, vtrùm quando aliquis ſcit proximum ſuum ex ignorantia exercere aliquod opus de ſe illicitum, quod tamen operans arbitratur licitum eſſe, debeat illum tunc corripere, ſi probabiliter timet, quod per illam correctionem non abſtinebit ab eo opere, & ſic peccabit, quia iam non poterit per ignorantiā excuſari. Verbi gratia, Mulier aliqua ante concilium Tridentinum contraxit clandeſtinè cum Petro, & ante conſummationem matrimonij contraxit in facie Eccleſiæ cū Paulo, & conſummauit matrimonium cum illo, mulierque arbitratur inuincibiliter hoc ſecundum matrimonium eſſe validum, ego autem ſcio illud eſſe nullum, dubium eſt vtrùm debeam talem mulierem admonere ſuppoſito, quòd probabiliter credo, quod poſtquam fuerit admonita non ſeparabitur à Paulo. Similiter, homo aliquis abijt in regionem longinquam, & eius vxor audiens illum eſſe mortuum contrahit cum ſecundo, & ego ſcio viuere priorem maritum: dubium eſt, vtrùm tenear talem mulierem corripere, quando intelligo meam correctionem non profuturam ad hoc, vt à ſecundo viro ſeparata viuat. Dico notanter, quando intelligo meam correctionem non profuturam: nam ſi credo quòd proficiet, certum eſt quod teneor admonere, ne fiat opus quod ex genere ſuo eſt grauis Dei offenſa, vt diximus articulo ſecundo huius quæſtionis. *Dubium.*

¶ Ad hanc difficultatem reſpondet Adrianus in quarto, in materia de confeſſione *Sententia Adriani.*

ſione dub. 7. poſt quintam quæſtionē. & quodlibet. quinto. artic. 2. ſuppoſita diſtinctione de triplici ignorantia, ſcilicet, iuris diuini, iuris humani, & facti, per duas propoſitiones. Prima propoſitio. Confeſſor, qui ſcit proximum ſuum ex ignorantia iuris diuini facere aliquid, quod ex ſe eſt illicitum, tenetur illum admonere, etiam ſi probabiliter credat admonitionem illam non profuturam, ſed potius obfuturam, vt in exemplo de muliere, quæ ante cōcilium Tridentinum contraxit clandeſtinè cum vno, & poſteà in facie Eccleſiæ contrahit cum alio. Et ratio Adriani eſt, nam ignorantia iuris diuini nunquam poteſt eſſe inuincibilis, niſi quando non adeſt, qui illam poſſit depellere. Et confirmatur ex regula, qui ſcandalizauerit. de regulis iuris. in. 6. Vbi dicitur, quod cum de veritate ſcandalum naſcitur, vtilius ſcandalum naſci permittitur, quam veritas relinquatur. Secunda propoſitio Adriani eſt. Si quis ex ignorantia iuris humani, quod ipſe ſcire tenetur facit aliquid illicitum, eſt neceſſario corripiendus à confeſſore, etiam ſi ſciat correctionem nō profuturam, vt verbi gratia, quando quis contrahit cum aliqua in quarto gradu. Ratio Adriani eſt, quia nec hæc ignorantia iuris humani excuſat. Et idem dicit de ignorātia facti, quod quis ſcire tenetur. Addit tamen quòd quando ignorantia iuris humani, vel facti, eſt inculpabilis, & ex conſequēti excuſat, non tenetur confeſſor de illa ignorantia admonere, ſi probabiliter credit non profuturam. Hæc Adrianus.

Sentētia autoris. ¶ Sed ſuppoſito ex his, quæ diximus. q. 10. cū de infidelitate ageremus, quòd ignorantia ſiue iuris diuini, ſiue humani, ſiue facti quædam eſt vincibilis, & quędam inuincibilis, & quod ex tali ignorantia aliquando ſequitur detrimentum alterius, aliquando autem non ſequitur, reſpondeo ad difficultatem propoſitam per plures propoſitiones.

1. Concluſio. ¶ Prima concluſio. Priuatus homo non tenetur alium inſtruere de veritate, quam ignorat, ſiue illa pertineat ad ius diuinum, ſiue ad ius humanum, ſi probabiliter credit talem monitionem non profuturam, niſi fortè ea ignorantia eius eſſet naturæ, vt vergeret in aliorum detrimentum. Probo primam partem huius concluſionis quia Deus non obligat ad actus inutiles, & certum eſt, quòd illa admonitio nullius eſſet valoris. Secundo, Si ille priuatus homo in caſu poſito teneretur corripere, maximè ex præcepto charitatis, ſed ex hoc non, ergo. Probo minorem: nam ſub præcepto charitatis tantum cadit quod prodeſt, & non quod obeſt. Sed quod obligetur corripere, quando ex ignorantia ſequitur aliorum detrimentum, probatur ex capitulo. qui cum fure. de furtis. vbi dicitur, quod non ſolum eſt fur, qui habet rem alienam, ſed etiam ille, qui poſſeſſori quærēti quod ſibi eſt ſublatum, non indicat.

¶ Secunda concluſio, Sacerdos, qui ex commiſſione parochi audit confeſſiones ſubditorum illius, & videt aliquem facientem aliqua ex ignorantia inuincibili, quæ aliâs ſunt illicita non tenetur illum admonere, ſi probabiliter credit ſuam admonitionem non profuturam: ſed potius obfuturam, ſiue illa ignorantia ſit iuris diuini, ſiue humani, ſiue facti. Verbi gratia, ſcit aliquis per confeſſionem caſum illum ſupra poſitum de muliere, quæ ante concilium Tridentinum contraxit clandeſtinè, &c. in tali caſu non debet confeſſor illam admonere de illa ignorantia, ſi probabiliter credit illam à ſecundo viro non receſſuram, aut ex ſeparatione ſecundi viri graue ſcandalum in republica oriundum. Et idem eſt dicendum de illo, qui cum ignorantia inuincibili contraxit cum ſorore, aut cum aliqua conſanguinea in gradibus prohibitis. Hæc concluſio probatur eiſdem rationibus, quibus probauimus priorem. Et prӕterea probatur: quia, ſicut confeſſio ordinatur ad bonum pœnitentiæ in communi, ita etiam hæc confeſſio ad bonum huius pœnitentiæ: ergo ſi confeſſor videt admonitionem à ſe factam de aliqua ignorantia pœnitenti obfuturam non debet illum admonere. Et confirmatur ex Paulo, qui primæ ad Corinth. cap. 3. dicit: Non potui loqui vobis, quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus, ideſt, quia capaces non eſtis non tradidi vobis omnem, quam potui doctrinam. *2. Concluſio.*

¶ Tertia concluſio. Prælatus, & paſtor non tenetur admonere eos, qui laborant ignorantia inuincibili cuiuſq; iuris, & facti, quando probabiliter credit illam admonitionem potius damnum, quam commodū allaturam. Probatur ex illa vulgari ſententia D. Auguſtini. Si ſcirē tibi nihil prodeſſe non te admonerē. Et eſt determinatio Innocentij III. in cap. quia circa. de conſanguinitate. Vbi conſultus Papa à quodam Epiſcopo quid agendum eſſet cum quodam *3. Concluſio.*

dam homine nobili, qui per falſam diſpenſationem contraxit cum muliere conſanguinea in quinto gradu, qui tunc erat prohibitus, reſpõdit, Poteris diſsimulare, vt in copula ſic contracta permaneant cum ex ſeparatione vt aſſeris graue videas ſcãdalum imminere. Ecce qualiter expreſſe Papa dicit diſsimulãdum eſſe in matrimonio aliâs nullo, inuincibiliter tamen ignorato, ne ex cogitatione maius ſcandalum oriatur. Nec audiẽda eſt gloſſa in fine illius capitis, quæ tenet diſsimulationem Papæ vim tenere diſpenſationis. Quam gloſſam ſingularem appellat Sylueſter verbo. lex. quæſt. 6. illãque ſequũtur Abbas, & alij canoniſtæ. Sed quod gloſſæ ſententia in propoſito ſit falſa egregiè oſtendit Adrian. loco citato, & Couar. in epitome. 4. lib. decreta. part. 2. cap. 6. num. 15. & Nauar. de pœnitentia. d. 7. cap. ſi quis, num. 69. Et ratio eſt, quia etiã ſi illa diſsimulatio eſſet diſpenſatio, imo etiam ſi Papa explicite, & formaliter diſpenſaret, non poterat matrimonium inter illos eſſe validum ſine nouo conſenſu ſuperueniente. Cum ergo Papa nihil dicat de nouo conſenſu exigendo, manifeſtè ſequitur, quòd poterant eſſe tuti in conſcientia perſeuerantes in illo matrimonio, quod inuincibiliter exiſtimabant eſſe validum, quãdiu illa inuincibilis ignorantia perſeueraſſet.

4. Concluſio. ℭ Quarta concluſio. Quando aliquis laborat inuincibili ignorantia iuris diuini, humani, vel facti, & poteſt de illa admoneri cum fructu, & ſine graui ſcandalo, confeſſor tenetur illũ admonere, & multo magis prælatus, ad quem ex officio pertinet ſubditos docere, vt diximus art. 2. huius quæſtionis. Probatur tamen de confeſſore: quia pœnitens accedit ad confeſsionem non ſolum, vt à peccatis abſoluatur, ſed etiam, vt inſtruatur in illis, quæ ignorat, ergo ad id tenetur confeſſor quando ex tali inſtructione ſperatur fructus, nec timetur ſcãdalum. Quando autem penitus laborat ignorantia culpabili alicuius iuris confeſſor tenetur illum admonere, ſiue admonitio proſit, ſiue obſit, cum in tali caſu, non poſſet illum abſoluere, quoadusque inſtruatur. Et ſimiliter tenetur confeſſor admonere pœnitentem, quando ille confitetur ſuum ſcrupulum, & de illo interrogat, vtrùm ſit licitum necne, etiam ſi eius rei habeat ignorantiam inuincibilem, vt in caſu propoſito de muliere, quæ contraxit clandeſtine ante concilium Tridentinum: nam aliâs per illam diſsimulationem illa mulier confirmaretur in ſuo errore.

ℭ Vltima concluſio. Publicus doctor, ſiue docendo, ſiue prædicando tenetur apertam veritatem docere, etiam ſi probabiliter credat talis veritatis notitiam nocituram aliquibus ex auditoribus, qui anteà per ignorantiam inuincibilem excuſabantur à peccato. Probatur: nam hoc intereſt inter doctrinam publicam, & priuatam quòd priuata ordinatur ad bonum huius hominis particularis, vnde illo fine ceſſante debet etiam doctrina ceſſare. At vero doctrina publica ordinatur ad bonum cõmune, & ideo propter detrimentum aliquorum omittenda non eſt. Has omnes concluſiones latè docet & probat Soto in. 4. diſtinctio. 18. quæſtio. 2. art. 4. in quodam dubio, quod mouet pro ſolutione cuiuſdam argumenti, & Cano in relectione de pœnitentia part. 5. & Medina. C. de confeſsione. tract. 2. & Nauar. & Couarruuias locis citatis. Vltima concluſio.

ARTICVLVS. VII

ℭ Vtrum in correctione fraterna debeat ex neceſsitate præcepti, admonitio ſecreta præcedere denuntiationem.

AD SEPTIMVM ſic proceditur. Videtur quòd in correctione fraterna non debeat ex neceſsitate præcepti admonitio ſecreta præcedere denuntiationem. In operibus enim charitatis præcipuè debemus Deum imitari, ſecundũ illud Epheſ. 5. Eſtote imitatores Dei, ſicut filij chariſsimi, & ambulate in dilectione. Deus autem interdum publicè punit hominem pro peccato, nulla ſecreta admonitione præcedente. Ergo videtur, quòd non ſit neceſſarium admonitionem ſecretam præcedere denuntiationem. *4. d. 19. q. 2. ar. 3. q. 1. ad 1. Et quodl. 11 art. 13.*

2 ¶ Præterea, Sicut * Auguſt. dicit in lib. contra Mendacium, Ex geſtis ſanctorum intelligi poteſt qualiter ſunt præcepta ſacræ ſcripturæ intelligenda. Sed in geſtis ſanctorum inuenitur facta publica denuntiatio peccati occulti, nulla ſecreta monitione præcedẽte, *In lib. de mẽdacio. c. 15. ante med. to mo. 4.*

ſicut

ſicut legitur Geneſ. 37. ꝙ Ioſeph accuſauit fratres ſuos apud patrem crimine peſsimo. Et Actuum. 5. dicitur, quòd Petrus Ananiam & Saphiram occultè defraudantes de pretio agri publicè denunciauit, nulla ſecreta admonitione præmiſſa. Ipſe etiam Dominus nō legitur ſecreto admonuiſſe Iudam, antequā eū denuntiaret. Non ergo eſt de neceſsitate præcepti, vt ſecreta admonitio præcedat publicam denuntiationem.

3 ¶ Præterea. Accuſatio eſt grauior, quàm denuntiatio. Sed ad publicam accuſationem poteſt aliquis accedere, nulla admonitione ſecreta præcedente. Determinatur enim in Decretali, quòd accuſationem debet præcedere inſcriptio. Ergo videtur, quòd non ſit de neceſsitate præcepti, quòd ſecreta admonitio præcedat publicam denuntiationem.

4 ¶ Præterea, Non videtur eſſe probabile, quòd ea, quæ ſunt in communi conſuetudine religioſorum, ſint contra præcepta Chriſti: Sed conſuetum eſt in religionibus, quòd in capitulis aliqui proclamentur de culpis, nulla ſecreta admonitione præmiſſa, Ergo videtur, quòd hoc non ſit de neceſsitate præcepti.

5 ¶ Præterea, Religioſi tenentur ſuis prælatis obedire. Sed quandoque prælati præcipiunt, vel communiter omnibus, vel alicui ſpecialiter, vt ſi quid ſcit corrigendum ei dicatur. Ergo videtur, quòd eis teneantur dicere etiam ante ſecretam admonitionem. Nō ergo eſt de neceſsitate pręcepti, vt ſecreta admonitio præcedat publicam denuntiationem.

Ser. 16. inter princip. & med. to. 10. ¶ SED CONTRA eſt, quòd * Auguſtin. dicit in lib. de Verbis Domini, exponens illud, Corripe ipſum inter te & ipſum ſolum, Studens correctioni, parcens pudori. Fortè enim præ verecundia incipit defendere peccatum ſuum, & quem vis facere meliorem facis peiorem. Sed ad hoc tenemur per pręceptū charitatis, vt caueamus, ne frater deterior efficiatur. Ergo ordo correctionis fraternæ cadit ſub præcepto.

¶ RESPONDEO dicēdum, quòd circa publicam denuntiationem peccatorum diſtinguendū eſt, Aut enim peccata ſunt publica, aut ſunt occulta. Si quidem ſint publica, non eſt tantum adhibendum remedium ei, qui peccauit, vt melior fiat, ſed etiam alijs, in quorum notitiam deuenit, vt non ſcandalizentur. Et ideo talia peccata ſunt publicè arguenda, ſecundum illud Apoſtoli. 1. ad Tim. 5. Peccantes coram omnibus argue, vt & cæteri timorem habeāt. Quod intelligitur de peccatis publicis, vt Aug. dicit * in lib. de Verbis Domini. *Serm. 16. à med. to. 10.* Si verò ſint peccata occulta, videtur habere locū quod Dominus dicit, Si peccauerit in te frater tuus. Quando enim te offendit publicè coram alijs, iam non ſolum in te peccat, ſed etiam in alios, quos turbat. Sed quia etiam in occultis peccatis poteſt parari proximorum offenſa, ideo adhuc videtur diſtinguēdū eſſe. Quædam enim peccata occulta ſunt, quæ ſunt in nocumentum proximorum, vel corporale vel ſpirituale, puta ſi aliquis occultè tractet quomodo ciuitas tradatur hoſtibus, vel ſi hæreticus priuatim homines à fide auertat. Et quia ille qui ſic occultè peccat, non ſolum in te peccat, ſed etiā in alios, oportet ſtatim procedere ad denuntiationem, vt huiuſmodi nocumentum impediatur, niſi fortè aliquis firmiter exiſtimaret, quòd ſtatim per ſecretam admonitionem poſſet huiuſmodi mala impedire. Quædam verò peccata ſunt quæ ſolum ſunt in malum peccantis & eius in quem peccatur, vel quia à peccante ſolum læditur, vel ſaltem ex ſola notitia: & tunc ad hoc ſolum tendendum eſt, vt fratri peccanti ſubueniatur. Et ſicut medicus corporalis ſanitatē ęgroto con-

to confert ſi poteſt, ſine alicuius mem bri abſciſione, ſi autē non poteſt, abſcindit mēbrum minus neceſſarium, vt vita totius conſeruetur, ità etiam ille, qui ſtudet emendationi fratris, debet ſi poteſt, ſic emendare fratrē, quantum ad cōſcientiam, vt fama eius conſeruetur, quæ quidem eſt vtilis. Primo quidem & ipſi peccanti non ſolum in temporalibus, in quibus quantum ad multa homo patitur detrimentum amiſſa fama, ſed etiam quantum ad ſpiritualia: quia præ timore infamiæ multi à peccato retrahuntur. Vnde quando ſe infamatos conſpiciunt irrefrænatè peccant. Vnde Hierony.* dicit: Corripiendus eſt ſeorſum frater, ne ſi ſemel pudorem vel verecūdiam amiſerit, permaneat in peccato. Secundo debet conſeruari fama fratris peccantis: tum quia vno infamato, alij infamantur: ſecundum illud Auguſtini* in epiſtola ad plebem Hipponenſem, Cum de aliquibus, qui ſanctum nomē profitentur, aliquid criminis vel falſi ſonuerit, vel veri patuerit, inſtant, ſatagunt, ambiunt, vt de omnibus hoc credatur, tum etiam, quia ex peccato vnius publicato, alij prouocantur ad peccandum. Sed quia conſcientia præferenda eſt famæ, voluit Dominus, vt ſaltim cū diſpendio famæ, fratris conſcientia per publicam denūtiationem à peccato liberetur. Vnde patet, quòd poteſt eſſe de neceſſitate præcepti, ꝙ ſecreta admonitio publicam denuntiationem præcedat.

Sup illud verbum Matth. 18. tomo. 9.

Epiſtol. 137. inter mediū, & finē to. 5.

¶ AD PRIMVM ergo dicendum, quòd omnia occulta ſunt Deo nota. Et hoc modo ſe habent occulta peccata ad iudicium diuinum, ſicut publica ad humanum. Et tamen plerunque Deus peccatores quaſi ſecreta admonitione arguit, interius inſpirando vel vigilanti, vel dormienti: ſecundum illud Iob. 33. Per ſomnium in viſione nocturna, quādo irruit ſopor ſuper homines, tunc aperit aures virorum, & erudiens eos inſtruit diſciplina, vt auertat hominē ab his quæ fecit.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd Dominus peccatum Iudę, tāquam Deus, ſicut publicum habebat: vnde ſtatim poterat ad publicandum procedere. Tamen ipſe non publicauit: ſed obſcuris verbis eum de peccato ſuo admonuit. Petrus autem publicauit peccatum occultum Ananiæ & Saphiræ, tanquam executor Dei, cuius reuelatione peccatum cognouit. De Ioſeph autem credendū eſt, quòd fratres ſuos quadoque admonuerit, licet non ſit ſcriptum. Vel poteſt dici, quòd peccatum publicum erat inter fratres: vnde dicit pluraliter, accuſauit fratres ſuos.

¶ Ad tertium dicendum, quòd quando imminet periculum multitudinis, non habent ibi locum hæc verba Domini: quia tunc frater peccans, non peccat in te tantum.

¶ Ad quartum dicendum, quòd huiuſmodi proclamationes, quæ in capitulis religioſorum fiunt, ſunt de aliquibus leuibus, quæ famæ non derogant: vnde ſunt quaſi quædam commemorationes potius oblitarum culparum, quàm accuſationes vel denuntiationes. Si eſſent tamen talia, de quibus frater infamaretur, contra præceptum Domini ageret, qui per hunc modum peccatum fratris publicaret.

¶ Ad quintum dicendum, quòd prælato non eſt obediendum contra præceptum Domini: ſecūdum illud Act. 5. Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus. Et ideo quando prælatus pręcipit, vt ſibi dicatur quod quis ſcierit corrigendum, intelligendum eſt præceptū ſanè, ſaluo ordine fraternæ correctionis: ſiuè præceptum fiat communiter ad omnes, ſiuè ad aliquē ſpecialiter. Sed ſi pręlatus expreſſe præciperet cōtra hunc ordinē à Domino inſtitutū: & ipſe peccaret præcipiēs, & ei obediens, quaſi cōtra præceptū Domini agens. Vnde non eſſet ei obedien

 dum,

dum, quia prælatus non eſt iudex iudiciorum occultorum, ſed ſolus Deus. Vnde nõ habet poteſtatem præcipiendi aliquid ſuper occultis, niſi inquantum per aliqua indicia manifeſtantur, putà per infamiam, vel per aliquas ſuſpiciones: in quibus caſibus poteſt prælatus præcipere eodem modo, ſicut & iudex ſecularis, vel eccleſiaſticus poteſt exigere iuramentum de veritate dicenda.

SVMMA TEXTVS.

SVppoſito, quòd peccata ſunt in duplici differentia, quędam enim ſunt publica, alia ſecreta, & rurſus ex peccatis ſecretis quædam ſunt, quæ vergunt in damnum corporale, vel ſpirituale alicuius, vt proditio ciuitatis, & crimẽ hæreſis, alia verò quæ tantum nocent peccanti, reſpõdet D. Tho. ad propoſitam difficultatem per tres propoſitiones. ℭ Prima concluſio. In peccatis publicis non debet neceſſariò præcedere ſecreta admonitio. Probatur. In peccatis publicis non ſolùm eſt adhibendũ remedium ei, qui peccauit, vt fiat melior, ſed etiam illis, in quorum notitiã crimina deuenerunt, vt nõ ſcandalizentur, ſed ad hoc eſt neceſſarium, vt peccata publicè arguantur iuxta illud Pauli ad Timot. cap. 5. Peccantes coram omnibus argue, ergo in peccatis publicis non eſt neceſſarium, vt præcedat ſecreta admonitio. ℭ Secunda concluſio. In peccatis publicis, quæ ſunt cõtra Rempublicam, vt hęreſes, & proditiones, & etiam in peccatis, quæ ſunt contra ſalutem alicuius proximi, vt homicidium, furtum. &c. non debet neceſſariò præcedere ſecreta admonitio, niſi in caſu, quo ego ſciã indubitanter meam admonitionem profuturam. ℭ Tertia concluſio. In peccatis, quæ ſolũ nocẽt peccãti, vt peccatũ gulę, & fornicationis ſemper eſt neceſſariũ, vt ſecreta admonitio præcedat. Probatur. In huiuſmodi correctione ſolũ prętenditur bonum priuatum eius, qui corripitur, ergo debet ei ſubueniri quanto minori damno fuerit poſsibile. Probo conſequentiam exẽplo medici, qui ſalutem corporalẽ ægroto cõfert, ſi poteſt ſine alicuius membri abſciſsione, & ſi nõ poteſt abſcindit membrum minus neceſſarium, vt vita totius conſeruetur. Et confirmatur ex D. Hierony. dicente, Corripiendus eſt frater ſeorſum, ne ſi ſemel pudorem, vel verecundiam amiſerit permaneat in peccato.

EXPLICATIO ARTICVLI.

IN hoc articulo, & ſequenti agit D. Tho. de ordine in correctione ſeruando, quæ eſt præcipua pars huius materiæ. Pro cuius intelligentia eſt aduertendum, ꝙ vt cõſtat ex Euangelio in modo correctionis faciendæ tantum ſunt tres gradus, ſcilicet, ſecreta admonitio, teſtium inductio, & denuntiatio, quæ fit apud iudicem: nam inobedientis excõmunicatio, quæ ponitur eo in loco iam pertinet ad correctionem iudicialem, habetque huiuſmodi ordo inuentus apud Matthæum vim non ſolùm ex præcepto Euãgelij, ſed etiam ex iure naturali. Nam, ſicut ratio naturalis dictat, vt nos ipſos mutuò diligamus, ità etiam eadem ratio dictat, vt aliorum cõmoda, & ſalutẽ procuremus ea ratione, qua cõmodè fieri poſsit. Et quia conuenientiſsima ratio eſt, vt primo adhibeamus ad ſanandos fratres facillima remedia, & poſteà, ſi priora fruſtra adhiberi viderimus applicemus aſperiora, quouſq; ſalus fratris comparetur, idcircò ſimiliter ipſa ratio dictat, vt peccantem proximum primo admoneamus ſecretò, quod eſt facillimum remedium, deinde adhibeamus teſtes, & poſtremò deferamus ad iudicem, quod eſt maximè graue atque durum. *Nota. 1.*

ℭ Secundò eſt aduertẽdum, quòd cum vnicus finis correctionis ſit ſalus proximi, idcircò ex iſto fine, & ex ſpe, quæ habetur conſequendi illum omnis correctio, & omnis ordo, atque proceſſus correctionis moderandus eſt, ex quo fit, vt admonitio ſecreta toties ſit repetenda, quoties ſpectatur profutura. Et nonnunquam omiſſa admonitione ſecreta ſtatim eſt deueniendum ad denuntiationem, tunc, ſcilicet, quando non adeſt ſpes proficiendi alijs remedijs, videlicet, ſecreta admonitione, & teſtium inductione. Et interdum etiam iſta omnia tria omittenda ſunt, quando, ſcilicet, creditur omnia forè inutilia. His ità conſtitutis circa primam concluſionem D. Thom. in qua de peccatis publicis eſt ſermo, aduertendum eſt, quòd ea eſt certa, & ab omnibus conceſſa: Nam illam tenet Paludanus in. 4. diſtin. 19. quæſt. 4. Ricardus eadem diſtinctione. artic. 3. quæſt. 1. Adrianus in. 4. in materia de correctione fraterna. Soto in relectione de ratione tegendi & detegendi ſecretum memb. 2. quæſt. 4. concluſione. 1. *Nota. 2.* *Nota circa. 1. concl. D. Th.*

& Do-

& Doctores canonici ſuper caput. nouit. de iudicijs. & ſuper caput, ſi peccauerit. 2. quæſt. 1. & ibidem Turrecremata quæſt. 11. concluſione. 6. Et probatur ex cap. 1. extra de pœnitentijs & remiſsionibus. Vbi dicitur: Manifeſta peccata non ſunt occulta correctione punienda. Et cap. ſi peccauerit iam citato dicit D. Auguſtinus: Illa peccata, quę coram omnibus peccantur coram omnibus ſunt corripienda: ipſa verò corripienda ſunt ſecretius, quæ peccantur ſecretius. Et ratio eſt manifeſta: nam peccata publica ſunt corripienda non ſolùm propter bonum priuatũ ipſius peccantis, ſed etiam propter bonũ aliorum, qui ex illo peccato publico ſcandalizantur, ad quod maximè conducit, ꝙ talia peccata publicè arguãtur.

Dubium. ¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco quodnam ſit peccatum publicum, de quo illa prima concluſio eſt intelligenda. Ad cuius explicationem eſt aduertẽdum; ꝙ, vt colligit Panormit. in cap. veſtra. de cohabitatione clericorum & mulierum. peccatum tripliciter poteſt dici publicum. *Peccatũ tripliciter põt dici publicum.* Nam primo dicetur illud peccatum publicum, quod pluribus quam vni eſt manifeſtũ, quod in iure appellatur probabile, quia illorum teſtimonijs poteſt probari. Secundò dicitur publicum illud peccatum, de quo cõmuniter fama eſt promulgata quamuis poſsit tergiuerſatione celari, quod iuriſperiti appellãt famoſum. Tertiò dicitur publicum, quod in oculis omnium geritur, & in iure appellatur notorium, notorietate facti, ità, vt nulla poſsit tergiuerſatione celari.

Sententia autoris. ¶ Hoc ſuppoſito dico, quod prima concluſio D. Thom. tantùm debet intelligi de peccatis publicis tertio modo, hoc eſt, de illis, quæ ità ſunt publica, vt nulla poſsint tergiuerſatione celari. Nam in alijs peccatis publicis, ſcilicet, in probabilibus, vel famoſis præmittenda eſt ſecreta admonitio quotieſcunq; ſpem habemus, quod erit profutura, ità tenent Soto, Palude, & Adrianus locis citatis: eſtque communis ſententia Canoniſtarum, quam defendit Ioannes Andręas in. cap. nouit. extra de iudicijs. Et probatur. Nam, ſi liceret peccata primo, & ſecundo modo publica ad iudicem deferre id eſſet maximè propter bonum commune, cui debemus potius conſulere quàm bono priuato, ſed in illis criminibus bonum publicum non læditur, ſiquidem nec ordinantur, vt ſupponimus in perniciem Reipublicæ, nec ex illis communitas ſcandalizatur, cum non ſint notoria, ergo in his peccatis corrigendis tantum eſt attendenda & reſpicienda ſalus particularis proximi, atque ex conſequenti, quam minimo incommodo procuranda. Quod & aperte docet Diu' Auguſtinus cuius verba referuntur in capite. ſi peccauerit. 2. quæſtione. 1. Qui dicit, Forte quod ſcis, & ego ſcio, non tamen coram te corripio, quia curare volo, non accuſare.

Dubium. ¶ Et ſi quis quærat, vtrùm in peccatis tertio modo publicis, ſi adſit ſpes, quod mea admonitio ſecreta ſit profutura, teneat illam præmittere ante denuntiationem, *Reſponſio.* reſpondetur, quòd ſi ex illo peccato ſcandalizatur Reſpublica non tenemur præmittere admonitionem ſecretam, etiam ſi illa ſit profutura, ſi verò non oritur ſcandalum in Republica præmittenda eſt, ſecreta admonitio, dummodo ſit ſpes quòd ſit profutura. Prima pars huius concluſionis probatur. In caſu, quo ex peccato oritur ſcandalum tenemur eiuſmodi hominem accuſare propter bonum commune, ergo non tenemur illum prius ſecretò admonere. Probo conſequentiam: nam ſecreta admonitio tantùm ordinatur ad bonum particulare. Secunda verò pars probatur. In caſu, quo ex peccato publico nullum oritur ſcandalum, non tenemur accuſare proximum, cum ex illius peccato bonum publicum non periclitetur, ergo in illius correctione tantùm debemus procurare bonum particulare ipſius peccantis, atque ex conſequenti debet fieri cum minimo incommodo.

Dubium. ¶ Et ſi quis quærat, vtrùm perſonæ priuatæ, quib' id ex officio nõ incũbit teneantur corripere, & reprehendere prędicta peccata publica, dico, ꝙ priuatæ perſonæ tenẽtur publicè reprehendere eũ, qui corã omnibus & cũ multorum ſcãdalo peccat. *Reſponſio.* Probatur: quia ex lege charitatis nõ ſolùm tenemur cõſulere ſaluti, & cõmodo particulari, ſed etiã communi. Et hæc obligatio charitatis etiam pertinet ad priuatas perſonas.

Argum. ¶ Sed contra hoc eſt argumentũ. Finis publicæ correctionis non eſt propriè loquendo ſalus ipſius peccantis, ſed potiſsimum eſt ſalus ipſius Reipublicæ; ergo ad illos propriè pertinet, quorum eſt curare bonum commune, atque ex conſequenti perſonæ priuatæ non tenentur publicè reprehendere. *Solutio.* ¶ Reſpondetur tamen, quòd non ſolùm prælati, ſed etiam priuatæ per-

ſonæ tenentur reſpicere bonum commune, diuerſimodè tamen. Nam priuatæ perſonæ ad id tenentur ſolùm ex charitate: at verò prælati obligantur, non ſolùm ex charitate, ſed etiam ex iuſtitia. Et hæc de prima concluſione Diui Thomæ dicta ſufficiant.

Dubium.

℄ Circa ſecundam concluſionem eſt difficultas, vtrùm denuntiationem peccati ſecreti, quod vergit in perniciem publicam, quale eſt crimen hæreſis, aut proditio ciuitatis ſemper neceſſariò debet præcedere ſecreta admonitio. *1. Argum.* Et pro parte affirmatiua eſt argumentum deſumptum ex textu Euangelij Matth. 18. Si peccauerit in te frater tuus corripe eum inter te, & ipſum ſolùm, vbi ſine diſcrimine loquitur Chriſtus de omnibus peccatis. Et, vt colligunt Canoniſtæ ex capite, quod ſi dormierit. 31. q. 1. & ex capite ſolicite. de maioritate & obedientia. vbi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus, ergo. *Cõfirmatio.* ℄ Et cõfirmatur ex Paulo ad Titũ. 3. dicente, Hæreticum hominem poſt vnam, & alteram correctionem deuita, ergo antequam ſemel, aut bis corripiatur non erit vitandus, atque ex cõſequẽti nec denuntiãdus. *2. Argum.* ℄ Item, Correctio ſecreta hæretici eſt opus miſericordiæ, ergo debet illi impendi ante denuntiationem. Conſequentia patet ex illo Eccleſiaſtici. 16. Vnicuique Deus mandauit de proximo ſuo: & ex illo Matth. 7. Quęcunque vultis, vt faciant vobis homines, hæc vos facite illis, certum eſt autem, quòd quilibet rationabiliter vellet prius ſe admoneri de errore, quam denũcietur. Antecedens vero probatur: nam Iacobus capit. 5. dicit, quod qui conuertere fecerit peccatorem ab errore, ſcire debet ꝙ animam ſuam liberat à morte, & in capite. tria. 45. diſtinct. inter tria genera eleemoſynarum vnum ponitur corrigere errores.

℄ In contrarium tamen eſt D. Thom. in hoc articulo, quem communiter ſequuntur omnes Doctores. *Concluſio.* Vnde ad explicationem difficultatis ſit concluſio. Peccatum, quod vergit in perniciem publicam, etiam ſi ſit occultum, atque ſecretum, dummodo non ſcitum per ſacramentalem confeſſionem, ſtatim eſt indici denuntiandum, ante ſecretam admonitionem, niſi pro certo habeatur, quod poterit emendari ſecreta admonitione. Appoſui illam limitationem, dummodo non ſit ſcitum per ſacramentalem confeſſionem: nam quod in confeſſione ſcitur nullo modo, nec vlla ratione, nec propter aliquem finem eſt detegendum. Et dixi notanter, per ſacramentalem confeſſionem: nam quando quis dicit alicui ſe committere ei ſecretum ſub ſigillo confeſſionis, etiam ſi flexis genibus, & præmiſſo ſigno crucis, & confiteor Deo, illud tantum crimen manifeſtet, non erit dicendum ſecretum confeſſionis, ex quo fit, vt ſit detegendum quando vergit in perniciem Reipublicæ. ℄ Et ſi quis quærat, quando ſacerdos intelliget peccatum ſibi manifeſtari in confeſſione, vt ſub ſigillo confeſſionis teneatur illud celare, reſpondet Soto libro. 5. de iuſtitia & iure. *Sententia Soti.* quæſt. 7. articulo. 1. ad primum argumentum, quòd tunc tenebitur ſacerdos crimen celare ſub ſigillo confeſſionis: quando pœnitens integram fecerit confeſſionem ſuorum peccatorum: & idem dicit in relectione de ratione tegendi & detegendi ſecretum. memb. 2. quæſt. 7. poſt quartam concluſionem. ℄ Hæc tamen opinio meo iudicio non poteſt ſuſtineri, *Impugnatur à Soto.* Nam, ſi aliquis confiteatur aliquod peccatum ſine dolore ſufficienti, & ſine intentione emendandi ſe in futurum, cum animo tamen accipiendi ſalutare conſilium, proculdubio confeſſor teneretur illud peccatum ſub ſilentio confeſſionis celare, vt communiter tenent Doctores in. 4. diſtinct. 21. & oſtendit contra quoſdam Canoniſtas Simancas in catholicis inſtitutionibus, capit. 42. num. 13. Alioqui deterrerentur homines à confeſſione & petendo conſilio. Vnde verè ille concludit, quod ſi aliquis confiteretur ſe eſſe hæreticum, nec vellet ſe ab hæreſi abſtinere, nullo modo liceret ſacerdoti illum detegere. ℄ Dicimus ergo cum Caietano. 2. 2. quæſt. 70. artic. 1. ad ſecundum, *Sentẽtia Caietani.* quod quando aliquis in nullo confitetur ſe peccaſſe, etiam ſi flexis genibus, & præmiſſo, confiteor, loquatur, ſed tantum communicat ſacerdoti, quæ dicturus, vel facturus erat, & communicat illo modo, quia arbitratur magis obligari ſacerdotem ad occultandum tale ſecretum, non eſt ſecretum confeſſionis, nec qui illud reuelat, reuelat conſilium confeſſionis. Ità etiam habet Nauarro in Manuali. capit. 18. numero. 55. & Innocentius, & Panormitanus in capit. omnes vtriuſque ſexus. Concluſio ergo ſic intellecta eſt de mente Diui Thomæ infra quæſtione. 70. articulo. 1. ad ſecũdum. Vbi dicit, quod ille, qui nouit extra confeſſionem

nem peccatum quātuuis occultum, dummodo ſit in perniciem Reipublicæ, tenetur illud expreſſe iudici manifeſtare, etiam ſi de illo non ſit requiſitus. Idem tenet Caietanus ibidem, & Caſtro libr. 2. de iuſta hæreticorum punitione. capit. 25. & eſt communis ſententia Canoniſtarum in capit. nouit de iudicijs. & in capit. ſi peccauerit. 2. quæſt. 1. Et probatur, Bonum commune eſt præferendum bono particulari, ergo potius eſt conſulendum ſaluti totius communitatis, quàm famæ vnius particularis. Et de hoc peccato intelligitur illud Diui Auguſtini, Qui veritatem occultat & qui mendacium prodit, vterque reus eſt, ille quia prodeſſe non vult, iſte quia nocere deſiderat.

Dubium. ¶ Et ſi quis quærat, vnde aut quo modo ſit ſumendum iudicium ad cognoſcēdum, vtrum aliquod peccatum ſit contra communitatem, nec ne: nam videntur omnia eſſe contra communitatem, ſiquidem omnia quantum eſt de ſe videntur ordinata ad aliorum ſcandalum, dico, quod huiuſmodi
Reſponſio. iudicium ſumendum eſt ex obiecto, ità, vt illa peccata, quæ habent pro obiecto bonum publicum, vt proditio ciuitatis, quæ eſt contra bonum communitatis, & peccatum hæreſis, quod eſt contra publicam religionem, dicenda erunt contra communitatem, & contra Rempublicam. Illa autem peccata, quæ habent pro obiecto bonum alicuius priuatæ perſonæ, vt homicidium, & furtum. &c. dicuntur peccata, quæ vergunt in detrimentum alicuius priuatæ perſonæ. At verò illa peccata, quorum obiectum, nec attingit bonum publicum, nec priuatum alicuius, propriè dicuntur peccata particularia, quale eſt peccatum for-
Corollarium. nicationis, & gulæ. ¶ Ex dictis infertur, quod qui nouit aliquem eſſe hæreticum tenetur illud crimen reuelare iudici competenti, etiam ſi de illo non ſit ſpecialiter requiſitus, & quamuis in ſecreto fuerit ſibi hæreſis reuelata. Eſt enim hæreſis peſtilentiſsimum venenum, quod cito, & facile maximam quamque poteſt inficere multitudinem. Propter quam cauſam Diuus Paulus. 2. ad Timot. ca. 2. de hæreticis loquens, dicit: Sermo eorum, vt cancer ſerpit. Et Deutero. cap. 15. de ſeductore, & ad Idololatriam perſuadente dicebat Dominus: Si tibi voluerit perſuadere frater tuus filius matris tuæ, aut filius tuus, vel filia, ſiuè vxor, quę eſt in ſinu tuo, aut amicus, quem diligis, vt animam tuam, clam dicens, Eamus & ſeruiamus dijs alienis, quos ignoras tu, & patres tui cunctorum in circuitu gentium, quæ iuxta, vel procul ſunt ab initio vſq; ad finem terræ, non acquieſcas ei, nec audias, nec parcat ei oculus tuus, vt miſerearis, & occultes eum. In quibus verbis id maxime aduertendum eſt, quod etiam ſi talia ſeductionis verba clam & ſecretò dicantur à ſeductore, Dominus tamen præcipit, vt nō ſeruetur ſecretum, ſed ſtatim reueletur. Idem etiam tenet gloſſa ordinaria in illud Pauli ad Romanos. 1. Non ſolum digni ſunt morte. &c. & in illud Leui. cap. 20. Succidam omnes, qui conſenſerunt, & Leo Papa, qui dicit, quod error cui non contradicitur approbatur. Ex quibus omnibus locis colligit Caſtro loco citato, quod qui crimen hæreſis occultauerit, præſertim ſi ſpeciali, aut generali edicto fuerit de eo requiſitus, eſt adeò ſuſpectus de hæreſi, vt iure illi poſsit canonica purgatio indici. In qua & ſi bene ſe gerat punietur, non vt hæreticus, ſed vt negligens in reuelando id, quod reuelare tenebatur. Si verò in purgatione defecerit, dicit, quod ipſe cenſeret illum tanquam hæreticum puniendum, quemadmodum ſi ob aliquam aliam cauſam fuiſſet violenta ſuſpicione de hæreſi notatus & in purgatione illi à iudice, & iure indicta defeciſſet. Hoc, tamen dictum Caſtri admonet Simancas non eſſe abſolutè recipiendum in catholicis inſtitutionibus capit. 18. num. 2. Quia ex varijs circunſtantijs maior, minorve ſuſpicio oriri poteſt, & ſic non ob id tantum de crimine hęreſis debet quis eſſe vehementer ſuſpectus, quia crimen occultum hæreſis non manifeſtauit.

¶ Sed reſtat nunc probare, quod crimen hæreſis, aut quoduis aliud peccatum occultum ex ijs, quæ vergunt in damnum Reipublicæ, non eſt ante denunciationem manifeſtandum iudici, quando pro certo habetur, quòd poterit emendari ſecreta admonitione, quæ eſt præcipua pars ex ijs, quæ continentur in concluſione à nobis propoſita. Et quoniam hoc eſt præcipuum *Dubium.* punctum huius articuli, vt in illius explicatione clarius procedamus denuò ponimus dubitationem, vtrùm verum ſit, quod in aliquo caſu debeamus hominem hæreticum admonere ante denūciationem. Ad cuius explicationem eſt aduertendum, aliud eſſe hominē eſſe hæreticum, & aliud

labi in aliquem errorem, aut hęreſim. Nam ad hoc, vt aliquis ſit hæreticus non ſat eſt quod affirmet aliquod dogma cōtra fidem ſed vltra hoc requiritur pertinacia, quæ facit conſummatum hæreticum, vt docet D. Auguſtinus epiſtola.162. Quid autem ſit hæc pertinacia explicauimus ſupra quæſt. 11. artic. 2. & 3. dicentes cum Caietano atq; Caſtro de iuſta hæreticorum punitione. capit. 7. quòd pertinacia nihil aliud eſt, quàm quod quis ſciens, & prudens aſſentiatur alicui propoſitioni, quam ſcit eſſe contrariam noſtræ fidei.

1. Dictum. ¶ Quo ſuppoſito dico primò, quòd ad hoc, vt hæreticus occultus non denuncietur, ſed admoneatur, & corripiatur, nō ſufficit illa probabilitas, & ſpes emendæ, quæ ſufficit in alijs peccatis. Probatur. Nam cum in huiuſmodi peccato hæreſis bonum commune verſetur in maximo periculo, niſi hæreticus denuncietur, fit, vt non ſufficiat probabiliter exiſtimare noſtram correctionem eſſe profuturam, quando enim res eſt dubia, videtur periculum certiſſimum imminere.

2. Dictum. ¶ Dico ſecundò, q̄ ſi omnib9 circunſtātijs perſpectis, atq; penſatis certiſsimè atq; firmiſsimè ſcio meā admonitionē hæretico eſſe profuturam, poſſumus, & tenemur illum ſecreto admonere ante denunciationem. Ità tenet D. Tho. in hoc art. quem cōmuniter ſequūtur oēs Theologi in. 4. d. 19. Soto in relectione de ratione tegendi, & detegendi ſecretum. membro. 2. quæſt. 4. poſt ſecundam concluſionem & libro. 5. de iuſtitia & iure. quæſt. 5. artic. 1. Caſtro de iuſta hæreticorum punitione. libro. 2. cap. 25. & communiter Canoniſtæ in capite. nouit. de iudicijs, & eſt apertum præceptum Chriſti Matth. 18. vbi vniuerſaliter dicit: Si peccauerit in te frater tuus, nec aliquod crimen Chriſtus excipit. Item ratione ſic argumentor. In caſu noſtræ concluſionis ſufficienter conſulimus ſaluti totius communitatis, & etiam ſaluti priuatæ perſonæ per noſtram admonitionem, ergo male faciam, ſi non ſecretò corrigam. Et confirmatur. Detractio honoris illius hominis, de quo loquimur & inductio in periculum vitæ, quæ fit per denunciationem de illo apud inquiſitores non eſt neceſſaria ad aliquem bonum finem conſequendum, ergo ſi fiat erit mala. Conſequentia eſt nota, & antecedens probatur. Ad conſeruandum bonum publicum id non eſt neceſſarium, ſiquidem ſine tali iactura ſufficienter conſeruatur, nec etiam ad bonum particulare, ergo. Denique hoc ipſum probant argumenta, quæ fecimus pro parte affirmatiua in principio diſputationis.

¶ Dico tertiò, quòd moraliter, & regulariter loquendo de homine hæretico maximè dogmatizante, non poſſumus habere illam ſpem, & certitudinem, quam diximus eſſe neceſſariam ad hoc, vt non ſtatim illum denunciemus. Probatur primò ex experientia. Secundò, quia intellectus dirigit omnes alias potentias, & ideo quando cæteræ potentiæ deordinantur per hoc, quod in illis aliqua peccata committuntur, ſi intellectus maneat rectus facilè poſſumus illas in ordinem reuocare, quando verò intellectus deprauatur, vt contingit in hæretico vix poteſt tale malum mederi: & ideo regulariter loquendo de homine hæretico non poteſt haberi firmitas, & certitudo, quod ſecreto correctus emendabitur. 3. Dictum.

¶ Dico quarto, iuſtiſsimè eſſe latam legem, quæ præcipit, vt abſque ſecreta admonitione hominem hæreticum etiam occultum ſtatim denunciemus. Ità tenent communiter omnes Doctores. Et probatur. Nam ſi regulariter loquendo non poteſt haberi certitudo de illius emendatione, vt ſtatim dicebam, manifeſtè ſequitur, quod iuſtiſsimè eſt lex lata, quæ præcipit, ne illum ſecreto admoneamus: leges enim debent dari de rebus, quæ regulariter contingunt. Et præterea, Hæretici ſciūt ſua dogmata eſſe contraria totius Eccleſię diffinitionibus, & tamen ſuum priuatum iudicium anteponunt autoritati totius Eccleſiæ, & illud amplectuntur, ergo nullo modo eſt credendum, quod cedent admonitioni ſecretæ hominis particularis, atque ex conſequenti non eſt facienda. Item, Fama illius hæretici poſtponenda eſt ſaluti ſpirituali eiuſdem, ſi aliter ſaluti ſpirituali prouideri nō poteſt, ex quo fit, vt omiſſa correctione fraterna debeam illum ſtatim denunciare, ergo à fortiori id erit faciendum, vt conſulam ſaluti ſpirituali totius Reipublicæ. Quæ enim miſericordia eſt (vt dicit D. Hieronymus) vni parcere, & multos in diſcrimen inducere: ex vno enim peccatore polluitur populus, ſicut ex vna oue morbida tot9 grex. Item, Matth. 18. præcipit Chriſtus illum haberi tāquam Ethnicum & publicanum, qui Eccleſię non audierit, ſed talis eſt hęreticus, ergo ſtatim eſt habēdus, vt Ethnicus, 4. Dictum.

& pu

& publicanus, & ſic eſt denunciandus. Et cōfirmatur. Chriſtus ſolum præcipit corripere fratrē; ſed hæreticus nō eſt frater, ergo. Item, Si tu ſcires ſecretò aliquē decreuiſſe te occidere, vel domum tuam comburere, etiā ſi ille ſecretò admonitus iuramento affirmaret, ſe iam pœnitere de ſuo propoſito, & eſſe emendatum, adhuc tamen te non ſatis tutū exiſtimares & à fortiori quādo imminet periculū, & nocumentū, boni cōmunis, etiam ſi peccator ſecretò admonitus dicat, iam ſe eſſe correctū non debemus illi ſecretæ admonitioni confidere, ſed ſtatim eſt denunciandus, vt bono publico conſulamus.

Corollar. ¶ Ex quo infertur perperā & periculoſe loqui prædicatores, qui dicunt publicè, hæreticos eſſe ſecreto admonēdos ante denunciationē, ſi ſit ſpes de eorū ſalute. Nam cum regulariter loquēdo huiuſmodi ſpes certa haberi non poſsit; & doctrina in moribus ſit danda iuxta ea, quæ regulariter contingunt, fit, vt hæc doctrina ſit periculoſa, & ex qua indoctum vulgus neſciens diſtinguere inter ſpem certam, & dubiam ſumit occaſionē errandi cum magno detrimēto totius Reipublicæ.

Vltim. dict. ¶ De illo autē, qui nō ex malitia, ſed ex ignorantia lapſus eſt in aliquē errorem, vt ſi, verbi gratia, homo ruſticus negaret aliquam propoſitionē ſacræ Scripturæ, quam nō tenebatur ſcire explicitè, dico vltimò, ꝙ ille homo eſt ſecretò corripiendus, ante denunciationē, ſi ſit ſpes emendæ, & ſi ex tali admonitione ſecreta nullū aliud poteſt detrimentū euenire propter rationes iam dictas. Dixi notanter, ſi ex tali admonitione ſecreta nullū aliud poteſt detrimentū euenire, nam ſi ruſticus accepiſſet illū errorem ab eo, q ex malitia tales errores ſeminaret, proculdubio ipſe ruſticus teneretur id iudici manifeſtare. Quod ſi nō faceret, ille alius q ruſtici errorē cognouit, teneretur ſtatim denūciare, vt hac ratione malū Reipublicæ radicitus euelleretur. Ità tenēt Caſtro lib. 2. de iuſta hęre. puni. c. 25. Richardꝰ in. 4. d. 19. art. 3. q. 1. Adrianus in materia de correctione fraterna. & Turrec. ſuper. c. ſi peccauerit 2. q. 1. q. 11. conc. 5. eſtq; cōmunis ſententia Doctorum. Et probatur. Nam ex charitate tantū tenemur cōſulere ſaluti proximi ſine detrimento famę, quādo id fieri poteſt citra periculū boni cōmunis, ſed in caſu poſito id facere non poſſumus, ergo.

Dubium. ¶ Sed dubiū eſt de alijs criminibus, quæ ſunt contra priuatam alicuius hominis ſalutem, vt ſi, verbi gratia, ego ſciam, ꝙ Petrus habet in animo Paulū occidere, vel domū illius igne comburere. &c. vtrū in huiuſmodi criminibus, quamuis occulta ſint, tenear ſtatim Paulum certiorem facere, nulla pręmiſſa ſecreta admonitione. Et pro parte negatiua eſt argumētum. *Argum.* Fama Petri, qui paratus eſt alterius domū ſuccēdere maius bonum eſt, quam ipſa domus, ergo non debeo Petrū diffamare; vt alterius opibus, aut facultatibus conſulam.

Reſponſio. Hoc tamen non obſtante dico, ꝙ nō ſolum eſt licitū in caſu poſito Paulum certiorem facere de ſuo periculo, & de malo animo Petri, ſed etiam id tenemur facere dummodo id poſsimus ſine noſtro incommodo atq; periculo. Et quidem, ꝙ hoc ſit licitum eſt res manifeſta. Nā ſi licet mihi pro defenſione bonorum meorū cum bona mea furto auferuntur apprehenſo fure clamare & tradere iudici, in quo non ſolum fama furis læditur, ſed etiam vita in diſcrimen adducitur, ſimiliter idem potero facere pro conſeruandis bonis proximi, quę per iniuriam læduntur. Sed quod hoc etiam tenear facere quando poſſum ſine meo periculo, vel incōmodo, probatur. Nam ex lege charitatis vnuſquiſq; tenetur bona proximi procurare quando id poteſt facere ſine ſuo incommodo, vel periculo; ſed ab iſta lege nullus deobligatur ex alterius nequitia, ſeu ex infamia, quæ hic inde ſequitur, ergo vnuſquiſq; tenetur alium certiorē facere de ſuo periculo. Item non nobis incumbit maior cura de ſeruanda vita proximi, quam de ſeruandis opibꝰ. Omnia enim bona proximi tenemur tantum ex charitate procurare ſeruato in his rebus quodam ordine, ſed ſic eſt quod tenemur defendere vitam innocētis, quando ab altero inuaditur, ſi id commodè facere poſſumus ſine noſtro periculo, vt cōmuniter docent Doctores: ergo idem dicendum erit de opibus, atq; ex conſequenti tenemur manifeſtare latronem.

Ad argum. ¶ Et ad argumentum in contrarium factum reſpōdetur, ꝙ quamuis verū ſit, quod fama Petri, ſit maius bonū, quam opes Pauli, tñ iniuria, quā Petrus infert Paulo facit, vt fama Petri ſit negligenda, & poſtponenda: ipſe enim Petrus ſua malitia, atq; culpa meretur, vt nulla ratio de illius fama habeatur. Dico tamen, ꝙ ſi in ijs peccatis, quæ ſunt cōtra bonum proximi ſit magna probabilitas (etiam ſi non ſit plena certitudo de emendatione peccantis) quod admonitio ſe-

creta proſutura eſt tunc prius debeo admonere ſecretò, peccantem, quam illum denuntiem, aliàs facerē contra charitatem, quæ nos obligat ad ſubueniendum neceſſitati ſpirituali proximi, & etiam temporali minimo quo poſſumus alterius nocumento. Sed quod requiratur magna probabilitas ad hoc, vt ſecreta admonitio præcedat manifeſtationē, probatur: nā, ſi leuis & tenuis probabilitas ſufficeret, tunc dubia vtilitas nocentis anteponeretur incolumitati innocentis.

Dubium. ¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco, vtrùm clerici poſsint huiuſmodi crimina manifeſtare quando probabiliter timent, ꝙ ex tali manifeſtatione illi, qui manifeſtantur vitæ detrimentū poſſunt pati. Et ratio dubitandi eſt. Nam in conci. quodam Toletano, & refertur in. c. ijs à quibus. 23. q. 8. præcipitur clericis, ne ſe immiſceant cauſis ſanguinis.

Reſponſio. ¶ Dico tamen, ꝙ clerici poſſunt hæc crimina manifeſtare, etiam cum manifeſto periculo mortis ipſius peccatoris, dummodo prius faciant vſitatā proteſtationem, ne, ſcilicet, ex tali denūciatione effuſio ſanguinis ſequatur, aut mutilatio membri, vt conſtat ex Concilio citato. Et ratio eſt manifeſta: nam omnes fideles etiam clerici tenentur ex pręcepto charitatis bonum proximi procurare.

Nota circa .3 conc. D. Tho. ¶ Circa tertiam concluſionem D. Tho. in qua de peccatis, quæ ſolùm nocent peccanti eſt ſermo, eſt aduertendum, ꝙ in ijs ſemper ſecreta admonitio debet præcedere denuntiationē, & teſtium adhibitionē, vt conſtat ex verbis Euangelij Matth. 18. vbi dicitur: Si peccauerit in te frater tuus corripe eum inter te & ipſum ſolum. Super quæ verba dicit Auguſt. ſermone. 16. de verbis Domini. & refertur in. c. ſi peccauerit. 2. q. 1. Si peccauerit in te frater tuus corripe eū inter te & ipſum ſolum. Quare? quia in te peccauit. Quid eſt in te peccauit? tu ſcis quia peccauit. Quia enim ſecretū fuit quando in te peccauit, ſecretū quære cū corrigis, quod peccauit in te: nam ſi ſolus noſti quia peccauit in te, & eū vis corā omnib⁹ arguere non eris corrector erroris, ſed proditor. Attēde quemadmodum vir iuſtus Ioſeph tāto flagitio de vxore fuerat ſuſpicatus tanta benignitate pepercit, ante quā ſciret vnde illa cōceperat, quam grauidā ſenſerat & ſe ad illam non acceſſiſſe nouerat. Reſtabat itaq; certa adulterij ſuſpicio, & tamē quia ipſe ſolus nouerat, ipſe ſolus ſciebat: quid dicit Euangeliū? Ioſeph autem cum eſſet iuſtus & nollet eam traducere voluit occultè dimittere eam. Ergo corripienda ipſa ſunt coram omnibus quæ peccantur coram omnibus, ipſa verò corripienda ſunt ſecretius, quæ peccantur ſecretius. Hæc Auguſt. Ex quo infertur, quòd illa particula, in te, non eſt exponēda ſi te iniuria affecerit, vt gloſſa interlinearis interpretatur, ſed intelligenda eſt de omni peccato, quod fit coram te. Et ratio cōcluſionis eſt. Nam in hoc differt correctio fraterna ab accuſatione, & inquiſitione, quia finis correctionis eſt emendatio fratris, accuſationis verò & inquiſitionis punitio. Ex quo fit, vt correctio eo modo fieri debeat, qui melius conducat ad eius emendationem, fama autem plurimum iuuat, vt peccator reſipiſcat. Vnde D. Hieron. dicit: Seorſum corripiendus eſt frater, ne ſi ſemel pudorem, & verecundiam amiſerit remaneat in peccato. Et confirmatur exemplo medici corporalis, qui quam minimo fieri poteſt diſpendio tenetur ægroto mederi. Sicut enim qui ſanare poſſet, ſine abſciſſione mēbri grauem inferret iniuriam abſcindendo, ita qui fratrem corrigere poſſet ſine diſpendio famæ, quę pretioſiſſimū bonum eſt, iniuſtiſsimus eſſet diffamando.

Dubium. ¶ Sed dubitabit aliquis hoc loco, vtrùm ſi aliquis ſit certus, quod prælatus, ſi ipſe denunciet illi crimen fratris, ſe geſturus eſt verè vt pater, in tali caſu poſſet crimen fratris prælato manifeſtare, nulla ſecreta admonitione præmiſſa? De qua re Richardus in. 4. diſt. 19. art. 4. partem tenet affirmatiuam dicens, quod nō ſolum quis poteſt, ſed etiam tenetur in illo caſu crimen prælato denuntiare, ſi ipſe poſtulet.

Sententia autoris. ¶ Ego tamen dico primò, quòd ſi eſt ſpes, quod admonitio ſecreta, vel teſtium inductio profutura eſt peccanti falſum eſt, quod tenear tale peccatum manifeſtare. Hoc enim repugnat manifeſte Euangelio dicenti. Corripe eum inter te & ipſum ſolum, atque etiam rationi, quæ docet me poſſe in tali caſu conſulere ſaluti fraternæ multo leuiori remedio, quam per denunciationem: ſcilicet, per admonitionem ſecretam. ¶ Dico ſecundo, quòd ſi non ſit aliqua ſpes, quòd ſecreta admonitio, vel teſtium adhibitio profutura eſt, & eſt magna probabilitas, quod prælati admonitio profutura eſt, poſſum prælato crimen manifeſtare ante ſecretam admonitionem, & teſtium adhibitionem. Et ratio eſt: nam in iſto caſu cætera remedia

media, ſcilicet, ſecreta admonitio, & teſtiũ inductio inutilia habẽtur. Ex hoc infertur quod potero in tali caſu crimen fratris amico fideli ipſius manifeſtare, vt ipſe amicus maiori fructu corrigat, aliter verò nõ: quia quandiu per meipſum poſſum admonere, per meipſum experiri debeo, nec alteri manifeſtare, etiam homini amiciſsimo, niſi propter maiorem fructum.

Dubium. ¶ Sed dubitabit aliquis conſequenter vtrum ſi peccator admonitus ſecretò iã eſt emendatus poſsim tunc denuntiare prælato, qui non obeſſe, ſed prodeſſe poteſt. In qua re Richardus partẽ tenet affirmatiuã.

Concluſio. ¶ In hoc tamen ſit vltima concluſio, quod nec etiam in iſto caſu eſt licitũ crimen prælato manifeſtare. Et ratio eſt, quia fratris bona opinio læderetur apud Prælatum ſine cauſa, quod eſt inconueniens. De hac re videndus eſt Soto. in relectione de ratione tegẽdi & detegẽdi ſecretũ, membro. 2. q. 4.

ARTICVLVS VIII.

¶ Vtrùm teſtium inductio debeat præcedere publicam denunciationem.

3. d. 19. q. 2. ar. 3. q. 2. Et quodlib. 11. ar. 12. et. 13.

AD OCTAVVM ſic proceditur. Videtur quòd teſtium inductio non debeat præcedere publicam denuntiationem. Peccata enim occulta non ſunt alijs manifeſtanda, quia ſic homo magis eſſet proditor criminis, quàm corrector fratris: vt Auguſt. dicit.* Sed ille, qui inducit teſtes, peccatum fratris alij manifeſtat. Ergo in peccatis occultis non debet teſtium inductio præcedere publicam denuntionem.

De verb. Domi. Ser. 16. aliquantulũ à med. to. 10

2 ¶ Præterea, Homo debet diligere proximum, ſicut ſeipſum. Sed nullus ad ſuum peccatum occultum inducit teſtes: ergo neque ad peccatũ occultũ fratris debet inducere.

3 ¶ Præterea, Teſtes inducuntur ad aliquid probãdum: ſed in occultis non poteſt fieri probatio per teſtes. ergo fruſtra huiuſmodi teſtes inducuntur.

4 ¶ Præterea, Aug. * dicit in regula, quòd prius præpoſito debet oſtendi, quàm teſtibus. Sed oſtendere præpoſito vel prælato, eſt dicere Eccleſiæ, Nõ ergo teſtiũ inductio debet præcedere publicam denuntiationem.

In regula. c. 23. to. 1.

¶ SED CONTRA eſt, quod Dominus dicit Matthæi. 18. Adhibe tecum vnum vel duos, vt in ore duorum, &c.

¶ RESPONDEO dicendũ, quòd de vno extremo ad aliud extremum conuenienter tranſitur per medium. In correctione autem fraterna Dominus voluit, quòd principium eſſet occultum, dũ frater corriperet fratrem inter ſe & ipſum ſolum. Finem autem voluit eſſe publicum, vt ſcilicet Eccleſiæ denuntiaretur. Et ideo conuenienter in medio ponitur teſtiũ inductio: vt primo paucis indicetur peccatum fratris, qui poſsint prodeſſe, & non obeſſe, vt ſaltem ſic ſine multitudinis infamia emendetur.

¶ AD PRIMVM ergo dicẽdum, quod quidam ſic intellexerunt ordinem fraternæ correctionis eſſe ſeruandum, vt primo frater ſit in ſecreto corripiendus, & ſi audierit, bene quidem: ſi autem non audierit, ſi peccatum ſit omnino occultum, dicebant non eſſe vlterius procedendum. Si autem incipit iam ad notitiam plurium deuenire, aliquibus indicijs debet vlterius procedi, ſecũdũ quod Dominus mandat. Sed hoc eſt cõtra id quod Auguſt. * dicit in regula, quod peccatum fratris non debet occultari ne putreſcat in corde. Et ideo aliter dicendum eſt, quod poſt admonitionem ſecretam ſemel, vel pluries factam, quandiu ſpes probabiliter habetur de correctione, per ſecretam admonitionem procedendum eſt. Ex quo autem probabiliter cognoſcere poſſumus, quod ſecreta admonitio non valet, procedendum eſt vlterius, quantumcũque ſit peccatum occultum ad teſtium inductionẽ. Niſi fortè probabiliter æſtimaretur, quod hoc ad emendationem fratris nõ proficeret, ſed exinde deterior

In. 3. regula c. 23. quæ incipit, Ante omnia fratres chariſſimi, to. 1.

redderetur: quia propter hoc eſt totaliter à correctione ceſſandum, vt ſupra dictum *eſt.

Ar.6.huius quæſt.

¶ Ad ſecundum dicendum, quòd homo non indiget teſtibus ad emendationem ſui peccati: quod tamen poteſt eſſe neceſſariũ ad emendationem peccati fratris. Vnde non eſt ſimilis ratio.

¶ Ad tertium dicendum, ꝙ teſtes poſſunt induci propter tria. Vno modo ad oſtendendum, quod hoc ſit peccatum, de quo aliquis arguitur, vt Hieronymus* dicit: ſecũdo modo, ad cõuincendum de actu, ſi actus iteratur, vt Aug. dicit *in regula: tertio modo ad teſtificandum, quod frater admonens fecit quod in ſe fuit, vt Chryſoſt.* dicit.

Id innuit Hiero. Mat. 18. tom.9.
Loco citato, in cor. artic.
Aug. in Regu. cap. 23.
Homil. 61. in Matth. parũ ante me. to. 2.

¶ Ad quartum dicendum, ꝙ Aug. intelligit, quòd prius dicatur Prælato, q̃ teſtibus, ſecundum quod prælatus eſt quædam ſingularis perſona, quæ magis poteſt prodeſſe quàm alij, non autem, quòd dicatur ei tanquam Eccleſiæ, id eſt, ſicut in loco iudicis reſidẽti.

SVMMA TEXTVS.

Concluſio eſt affirmatiũa, & probatur. De vno extremo ad aliud extremum conuenienter tranſitur per medium, ſed inductio teſtiũ eſt medium inter ſecretam admonitionem, & denuntiationem, ergo conuenienter poſt ſecretam admonitionem ante denũtiationẽ ponitur teſtium inductio.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Nota.

Circa iſtum articulum eſt aduertendum, quod denuntiatio, & accuſatio differunt in multis. Nam primo differunt in hoc, quod accuſatio ordinatur ad bonũ fratris propter bonum publicum. Denuntiatio vero ordinatur ad priuatam fratris emendationem. Secundo differunt in eo, quod in accuſatione opus eſt inſcriptione accuſantis & teſtium, in denuntiatione autem nihil horum requiritur. Tandem differunt: nam qui accuſat, ſi in probatione defecerit obnoxius manet pœnæ talionis: at vero in denuntiatione licèt denuntians in probatione deficiat non manet obnoxius tali pœnæ.

Dubium.

℄ Sed eſt difficultas circa concluſionem D.Thomæ. Vtrùm ſi crimen proximi ita ſit occultũ, vt à nemine præter me ſciatur, & ego iam adhibui ſecretam admonitionẽ ſine fructu tamen, an in tali caſu ſint teſtes inducendi. De qua re eſt ſententia Durãdi in.4.diſt.19. q.4. dicentis, non eſſe licitum teſtes adhibere, niſi quando peccatum eſt notum pluribus, quã vni, quam etiam ſententiã tenet Altiſſiodorenſis, lib.3. ſuæ ſummæ. tractatu.25.c.2. Et probatur: nam illi teſtes, vel ſunt adhibendi ad hoc, vt iſte peccans deprehendatur in ſuo peccato, & hoc non, quia eſſet illius vitæ inſidiari, quod eſt illicitum: vel eſſent inducendi ad hoc, vt coram multis iterũ reprehẽdatur, & illi multi ſint mihi poſteà teſtes apud prælatum me feciſſe omnia illa, quæ facienda præcipiuntur in euangelio: ſed hoc etiam eſt vanum atq; inutile, poterit enim peccator crimen negare, ſicut ſi non eſſent teſtes adhibiti, ergo illa teſtium inductio non eſt facienda.

Sentẽtia Durandi.
1. Argum.

℄ Item nemo habet ius diffamãdi proximũ ipſo inuito, etiam propter bonum ſpirituale eiuſdem, ſed qui reuelat crimen eis, qui non illud nouerant quodammodo diffamat fratrem ſuum, ergo hoc non eſt licitum. Conſequentia cum minori eſt nota, & maior probatur. Nam ſi aliquis ſit luſor non poſſumus ab eo ſubtrahere opes, quæ ſunt materia ludi, vt hac ratione à ludo abſtineat, ergo nec etiã poſſumus tollere famã proximo, vt illum à peccatis liberemus.

2. Argum.

℄ His tamen nõ obſtantibus dico, quod quando frater ſecreta admonitione non corripitur, etiam ſi crimen ſit occultiſſimum tunc adhibendi ſunt vnus aut duo teſtes ante denuntiationẽ prælato factam.Ità tenet D.Th. in hoc articulo. & Richardus & Paluda. in.4.d.19. & Gabriel. ſuper cano. lectione.74. eſtq; cõmunis ſentẽtia omnium doctorum. Et probatur primo ex verbis euangelij, vbi nulla diſtinctio fit de hoc, aut illo peccato, ſed vniuerſaliter dicitur, *Si te non audierit adhibe vnum aut duos teſtes.* Ex quo ſequitur quod non ſolum quando peccatum eſt probabile, ſed etiam quotieſcũq; peccator ſecreta admonitione non corrigitur, ſunt teſtes adhibendi. Imo expreſsè loquitur Euãgelium de peccato ſecreto, nam de illo peccato, de quo dixerat ſi peccauerit in te frater tuus, (hoc eſt, te ſolo ſciente, vt D.Auguſtinus interpretatur) ſubdit ſtatim, ſi te non audierit adhibe vnum, aut duos teſtes. Et ſic dicere quod in peccato ſecreto eſt neceſſaria admonitio non tamen licet poſt admonitionem teſtes inducere

Sententia autoris.

eſt

eſt negare formam Euangelij. Et confirmatur ex D. Auguſtino, qui in regula dicit, Si autem & poſt admonitionem iterum, aut alio quocunq; die id ipſum facere eum videritis, iam velut vulneratum ſanandum prodat, quicunque hoc potuerit inuenire, prius autem alteri, aut tertio demonſtretur, vt duorum vel trium poſsit ore conuinci. Certum eſt autem, quod demonſtrare importat reuelationem criminis factam illis, qui illud neſciebant. Sed reſpondet Durand. ad hoc argumentum, quod Auguſtinus non intelligit reuelandum eſſe crimen, ſed oculi petulantiam diſponentem ad crimen, de qua prius dixerat ſtatim admonente, ne male cœpta progrediantur. Sed hæc ſolutio non ſatisfacit verbis Auguſtini. Primo, quia D. Auguſt. ſupponit poſt ſecundam, aut tertiam admonitionem petulantiæ oculorum iam cenſeri fratrem vulneratum, hoc eſt peccati reum & tunc dicit eſſe demonſtrandum alijs per quos conuincatur, ſcilicet, de peccato. Et ſecundo, id patet exẽplo adducto, de vulnere corporali. Nam dicit, quòd, quemadmodum hoc manifeſtandum eſt ne putreſcat in corpore, ità etiam & illud eſt reuelandum ne putreſcat in anima. Et tandem manifeſtatur intẽtio Auguſtini ex verbis immediatè ſequentibus. Nam dicit, Et hoc quod dixi de oculo non figendo, etiam in cæteris inueniendis, prohibendis, indicandis, iudicandisque peccatis diligenter, & fideliter obſeruetur. Quibus verbis apertè ſignificat adhibendos eſſe teſtes poſt ſecretam admonitionẽ quantumcunque crimen ſit occultum, modo ſit ſpes de fratris emendatione. Et ratio eſt manifeſta: nam bonum animæ maius bonum eſt, quam bonum famæ, imo hoc ordinatur ad illud, ergo vbicunque fuerit neceſſarium ad ſalutem animæ facere iacturam famę, debemus bonum animæ anteferre bono famæ.

Ad. 1. arg. ¶ Ad primum argumentum Durandi reſpondeo, quòd teſtes in caſu poſito ſunt inducẽdi propter vtrumq;. Primo, vt ſi peccatum iteratur videatur ab aliquibus, qui mihi poſtea ſint teſtes apud iudicem, nec hoc eſt inſidiari vitæ alterius, ſed potius delinquentem hominem ad ſalutem reuocare eo modo, quo Chriſtus præcipit in euangelio reuocari illum, qui admonitionem negligit. Secundo, inducuntur teſtes, vt peccator verecundia affectus reſipiſcat, atque etiam, vt ipſi teſtes teſtimonium perhibeãt apud iudicem me feciſſe omnia neceſſaria ad fratris ſalutem, nec hoc eſt vanum, quia quamuis prælatus non poſsit in tali caſu delinquentem punire debet tamen illum admonere, atq; cautius obſeruare. Et tandem inducuntur teſtes, vt ſi frater ideò peccat, quia putat id eſſe licitum, autoritate duorum vel trium ab errore reuocetur. ¶ Ad ſecundum reſpondetur negando maiorem. *Ad. 2. arg.* Et ad probationem dico, quod in caſu poſito reuelatio criminis alterius eſt medium per ſe ordinatum ad ſalutem ſpiritualem ipſius. Ex quo fit, vt poſsit vnuſquiſque illud adhibere etiam inuito eo, qui corripitur, at verò auferre opes à luſore non eſt medium per ſe ordinatum ad hoc, vt alter non ludat, ideò non poteſt à quocunque adhiberi. Et eſt aduertẽdum, quod non ſunt ſtatim adhibendi duo teſtes, ſed prius vnus, deinde alter, vt ſi forte frater corrigatur, vno teſte adhibito apud duos non diffametur. Propterea enim dicitur in Euangelio, Adhibe vnum, aut duos teſtes, hoc eſt, prius vnum, & ſi non ſufficeret deinde alterum.

¶ Sed dubiũ conſequens eſt, quidnã ſit *Dubium.* faciendũ, ſi non inueniantur teſtes idonei, qui adhibeantur, vel ſi adhibitis teſtib⁹, aut emẽdatur frater, aut deſperamus de illius ſalute. ¶ Ad cuius explicationẽ dico primò *1. Dictum.* certum eſſe, quod ſi non reperiantur teſtes idonei, & ſit ſpes, quod eſt profutura prælati admonitio, licitum erit tunc prætermiſſa teſtium adhibitione denunciare prælato. Et ratio eſt, quia in tali caſu nullum aliud remedium poteſt adhiberi fratri peccanti. ¶ Dico ſecundò, quòd ſi adhibitis te- *2. Dictum.* ſtibus frater emendatur, non eſt vltra procedendum, quia iam habetur finis correctionis, qui eſt ſalus ſpiritualis proximi. ¶ Di- *3. Dictum.* co tertio, quod ſi adhibitis teſtibus proximus non emendatur, timetur tamen probabiliter, quod ſi denunciatur prælato obſtinatius perſeueraturus eſt in peccato, aut certè non emendabitur, in tali caſu debemus à correctione ceſſare, nec debemus denuntiare prælato. Hoc dictum eſt contra Panormitanum in capit. nouit. de iudicijs. Qui dicit, quod licet timeatur maior peruerſio fratris procedendum eſt ad denunciationem, vt cæteri timorem habeant. Eſt tamẽ hęc ſententia Panormitani vera ſolum in peccatis ſcandaloſis, & pernicioſis, in quibus publicæ ſalutis habenda eſt ratio. Nam in alijs peccatis cum in illis ſolum intendatur ſalus particularis proxi-

proximi, fit, vt quando non ſit ſpes de ſalute fratris, omnino debeamus à correctione ceſſare.

Dubium. ℭ Sed dubium eſt, quidnam debeat facere prælatus aduerſus fratrem denuntiatum, vtrum, ſcilicet, poſsit, & debeat illum iuridice punire, an verò tantum ſecretò admonere.

1. Dictum. Ad cuius explicationem dico primo, quòd ſiue peccatum poſsit probari teſtibus, ſiue non, prælatus peccat mortaliter, ſi ſibi ſubditum denũtiatum, & ſecretò peccantem publicè puniat: ſed debet illum ſecretò admonere. Et ratio eſt: nam finis huius denuntiationis tantum eſt ſalus particularis fratris, ergo nõ eſt manifeſtandum crimen illius, nec contra illum iuridice procedendum, ſed omnia debẽt ordinari ad hoc, vt frater quam minimo detrimento ſalutẽ conſequatur.

2. Dictum. ℭ Dico ſecundo, ꝙ ſi peccatum non poteſt teſtibus probari, & frater admonitus à prælato, vel negat, vel non emendatur, prælatus non poteſt vlterius procedere, nec illum punire, quoadusque exiſtat aliquid, quod crimen manifeſtum faciat, aut ſint indicia ad inquirendum, aut teſtes ad conuincendum delictum. Et ratio eſt, quia prælatus nõ poteſt procedere, niſi vt iudex. Proceſſus autem iudicialis non habet locũ, niſi quando exiſtunt, vel indicia, vel infamia, vel ſemiplena probatio.

3. Dictum. ℭ Dico tertio, quòd ſi crimen fratris poſsit probari, & nulla ſit ſpes, quod corrigeretur per iudicialem punitionem, ſed potius timetur contrarium, & peccatum nec eſt pernicioſum, nec ſcandaloſum, prælatus in tali caſu non poteſt iudicialiter procedere. Ita tenet Soto in relectione de ratione tegẽdi & detegẽdi ſecretũ, mẽbro. 2. q. 4. Et ratio eſt, quia ex tali punitione nulla vtilitas ſperatur.

Dubium. ℭ Sed eſt aliud dubium, vtrum quando iam prælatus procedit ad punitionem iudicialem poſsit denuntians fungi officio teſtis.

Sententia Soti. *Argum.* Ad quam difficultatem Soto, loco citato, reſpondet probabile eſſe, quòd denuntians fraternaliter poteſt eſſe teſtis. cum finito proceſſu fraternali incipiat forũ iudiciale. Idque colligit ex verbis Euangelij, in quibus dicitur, Si te nõ audierit adhibe tecum vnum, aut duos teſtes, vt in ore duorũ, vel trium ſtet omne verbum. Nam dicit, ꝙ, In ore duorũ, refertur ad primã partem, ſcilicet, Adhibe tecum vnum: & quod addit, Vel triũ, refertur ad illud, Vel duos: & ſic videtur colligi, quod ille, qui fuit denuntians connumeratur inter teſtes. Item ratione argumẽtatur. Proceſſus fraternalis, & iudicialis ſunt aduerſi, ergo qui fuit denuntians fraternaliter non eſt à iudiciali teſtimonio repellendus.

Sententia auctoris. ℭ Hoc tamen non obſtante dico, quod hæc ſententia non eſt tam probabilis, vt videtur Soto: nam ſine dubio qui denuntiauit in proceſſu fraternali quodammodo videtur accuſator, atque ex conſequenti meritò poteſt dubitari de illius fide, atque dicto, niſi comprobauerit verũ eſſe id, quod prælato denuntiauit: & ſic iſte teſtis ſemper eſt ſuſpectus. Ex quo fit, vt tales denuntiatores non ſint, regulariter loquendo, habendi pro teſtibus idoneis. Dixi regulariter loquendo: nam in crimine hæreſis propter atrocitatem criminis admittũtur teſtimonia, quæ in alijs criminibus non admittuntur, qualia ſunt ea, quæ ab hominibus infamibus, & periuris redduntur.

Ad argum. ℭ Et ad argumentum Soti ex Euangelio deſumptum, dico, quod illa interpretatio tantum eſt ab eo conficta. Et ad rationem dico, quod quanuis illi proceſſus ſint diſtincti, adhuc tamẽ, qui in priori eſt denũtians, meritò in ſecũdo habetur ſuſpectus, quod eſt contra rationẽ boni atq; legalis teſtis.

Dubium. ℭ Eſt aliud dubium, vtrum ſi prælatus me iniuſte interroget de proprio, vel alieno peccato, in tali caſu tenear illi obedire, reſpõdereq; iuxta prælati interrogationem? Ad cuius explicationem ſupponẽdum eſt, aliqua eſſe peccata omninò occulta, alia autem, quæ licet poſsint, vno vel duobus teſtibus probari, nulla tamẽ circa iſta ſunt indicia, aut infamia. Secũdo eſt ſupponẽdum aliquando eſſe certum quod iudex iniuſte interrogat, & aliquando eſt certum ꝙ interrogat iuſte, aliquãdo autem eſt ſub dubio, vtrum iuſte interroget necne.

1. Dictum. ℭ Quibus ſuppoſitis dico primo, certum eſſe, quod nullus prælatus poteſt aduerſus aliquem particularem facere inquiſitionẽ niſi præcedant, vel infamia, vel indicia, vel clamoroſa inſinuatio. Probatur manifeſtè ex cap. inquiſitionis. & ex cap. quanti. de accuſatio. vbi id expreſsè dicitur. Itaq; etiã ſi crimen poſſet idoneis teſtibus probari, ſi tamen non præcedit, vel infamia, vel indiciũ, vel iudicialis denũtiatio, nõ poteſt prælatus contra talẽ ad inquiſitionẽ procedere, ſine grauiſsimo peccato. Et ratio eſt manifeſta: nam nullus iudex poteſt, vt iudex cõtra aliquẽ procedere, niſi ad petitionẽ partis, vel rei gerentis vicẽ partis, vt D. Tho. infra quæſt. 63.

quæſt.63. art.8. docet ex ſententia Ariſt.5. Ethicorum dicentis, quod iudex, vt iudex eſt cuſtos iuſtitiæ. Iuſtitia autem formaliter eſt inter duos, quorum vnus, vt actor alter, vt reus ſe habere debent.

2. *Dictum.* ¶ Dico ſecundo, ſubditos non teneri obedire prælatis præcipiẽtibus, vt aliquod crimen iniuſte reuelent, quando certum eſt, quod id iniuſte præcipiunt. Probatur, Nulla lex obligare poteſt, niſi quatenus eſt deriuata à lege diuina: ſed in caſu poſito, præceptum prælati contrariatur legi diuinæ: ergo non eſt illi obediendum. Et confirmatur ex Diuo Auguſtino, qui ſuper illud ad Romanos. cap.13. Qui poteſtati reſiſtit ſibi ipſi damnationem acquirit, vbi Diuus Auguſt. dicit ſi aliquando iuſſerit poteſtas quod non licet, tunc ſanè contemne poteſtatem.

¶ Et ſi quis quærat, quidnam faciendum ſit ſi prælatus ſententiam excommunicationis imponat, vel id præcipiat in virtute obedientiæ, dico tertio, quod etiam ſi prælatus ſententiam excommunicationis imponat ſubditus non debet obedire, nec propterea in foro conſcientiæ excommunicationem incurrit cum excommunicatio non incurratur, niſi per inobedientiã, & ſubditus in illo caſu non teneatur obedire.

3. *Dictum.*

4. *Dictum.* ¶ Dico quarto, quod ſi ſit in dubio vtrũ prælatus iniuſte præcipiat necne etiam tunc teneor ei obedire, hoc dictum eſt contra Palud. in.4. diſt. 19. quæſt.4. & contra Sylueſtrũ, verbo, inquiſitio, paragrapho.3. & contra aliquos ex canoniſtis qui vniuerſaliter dicunt ſubditos in rebus dubijs teneri prælatis obedire, ſed probatur noſtra ſententia: nam maius peccatum eſt infamare fratrem ſine cauſa & illum adducere in periculum, quam non obedire prælato criminis reuelationem præcipienti, ergo ſi vtrũq; fuerit ſub dubio, potius illud erit vitãdum. Probo conſequentiam, ex regula cõmuniter à Theologis recepta in materia de ignorantia, qui dicunt, quod in rebus dubijs tutior pars eſt eligenda, vel ſi vtraque fuerit dubia, illa eligenda erit in qua minus imminet malum. Item vnuſquiſq; præſumitur eſſe bonus quoaduſq; contrarium probetur: ſed quando eſt dubium vtrum prælatus habeat ius faciendi inquiſitionem contra aliquem, ille talis, nec eſt malus, nec præſumitur malus: ergo non eſt malum contra illum dicere.

¶ Sed contra hoc eſt argumentum. Si mihi prælatus præciperet vt non ieiunarem, vel vt non recitarem officium diuinum propter ſuſpicionem infirmitatis de quo dubium eſt, vtrum eius præceptum ſit rectum, necne: tunc proculdubio tenerer illi obedire: ergo pari ratione dicendum erit de quocunque alio præcepto de quo eſt dubium vtrum rectè ſit impoſitum necne, *Argum.*

¶ Reſpõdetur tamen cõceſſo antecedenti, & negando conſequentiam. Et ratio eſt, nã in caſu antecedentis id quod præcipit prælatus, eo ipſo quod præcipitur eſt res tuta: cũ prælatus in illis rebus habendus ſit à ſubditis tanquam iuris interpres. At vero in caſu, de quo nos diſputamus eſt res periculoſa & quæ alteri poteſt eſſe iniurioſa, & idcirco in illa non eſt audiendus prælatus, niſi quando res fuerit certa & extra controuerſiam poſita, & hæc dicta ſufficiant de iſta materia. Reliqua quæ circa illam deſiderantur videnda erunt infra quæſtione.60. cum de iudicio fuerit ſermo. *Solutio.*

Quæcunque in hoc opere contenta ſubiecta eſſe volo correctioni Sacroſanctæ matris Eccleſiæ, & omnium rectè ſentientium iudicio.

Frater Petrus
de Aragon.

SALMANTIÇAE.
Excudebat Ioannes Ferdinandus,
Anno. 1584.

Folio.2 col.1.verſo.De fide.pro.artiulos.lege, articulus.fol.4.col.2. verſ.in te.pro. indiſcrieriminatim.leg. indiſcriminatim.fol.4.col.2.verſ.tio.pro.diffeunt.leg.differunt.fol.6.col.1.verſ.quartam.pro.probat.leg. probant fol.13.col.1.verſ.na.pro.diſſicis.leg.diſſicilis.fol.13.col.2.verſ.veni.pro.mes.leg.mous.fol.13.col.2. verſ.pra.pro.sem.leg.item.fol.24.col.1.verſ.ſtiam.pro.conſecraram.lege.conſecratam.fol.34.col.2. verſ.nā pro.habet leg.habent.fol.37.col.1.verſ.iſtam.pro.agnifica.lege.ſignifica fol.42.col.2,verſ.ratio.pro.pertinet leg.pertinent.fol.43.col.1.verſ.Acce.pro.Accedendentem.leg.Accedentem.fol.45.col.2.verſ.naat.pro. pertinaat.leg pertineat.fol.46.col.1.verſ.des. pro.aliquado.leg. aliquando.fol.47.col.1.verſ.ſlat.pro.24. lege.42.fol. 59.col. 2. verſ. cir. pro. circiſus. leg. circunciſus. fol.60. col.2. verſ. accep. pro. bonum. lege.benorum.fol.66.col.1.verſ.7.c pro.7.c.lege.2.c.fol.72. col.1. verſ. vinci. pro. vincibiliteleg. vincibiliter. fol.77.col. 2. verſ. fecundo. pro. ſecundo. lege. tertio. fol.83. col.1. verſ. lita. pro. fitentur.lege.fiterentur.fol.84.col.1.verſ.propo.pro.legimum.lege. legitimum. fol.90. col.2. verſ. in te.pro.nſi.leg.niſi.fol.91.col.1. verſ.impe.pro.peruaſus.leg.perſuaſus.fol.105.col.2.verſ.nit.pro.contimata.leg.continuata.fol.111.col.2.verſ.prio.pro.mulgabit.leg.mulgauit.fol.133.col.2.verſ.inge.pro.vita. leg.via.fol.159.col.2.verſ.ſlum.pro.dicit ſe non eſſe Chriſtianum.leg.dicit eum non eſſe Chriſtum.fol.159.col. 2.verſ.ſta.pro.ſtanum.leg.ſtianum.fol.188.col.2.ver.illius.pro.noſto.leg.noſtro.fol.222.col.1.verſ.hoc.pro. medianbus.lege.mediātibus.fol.223.col.1.verſ.maxi.pro.veritate.leg.varietate.fol.224.col.1.verſ.artit.pro. reſpondent.leg.reſpondet.fol.234.col.1.verſ.ligiles.pro.ligiles.leg.ligibiles.fol.256.col.1.verſ.pæ.pro.haberet.leg.haberent.fol.263.co.1.verſotiali.pro.intelliur.leg.intelligatur.fol.286.col.1.verſ.&.pro.Chriſtianus.leg.Chriſtianis.fol.286.col.1.verſ.minu.pro.minuerint.leg.inuenerint.fol.297.col.1.verſ.mines.pro.pro ficunt.leg.proficiunt.fol.308.col.2.verſ.poſ.pro.poſſums.leg.poſſumus.fol.322.col.2.verſ.theologi.pro.26.leg. 25.fol.337.col.2.verſ.ptis.pro.quaſtinc.leg.quaſtione.fol.339.col.1.verſ.Ad.pro.dicedum.leg.dicēdum.fol. 350.col.1.verſ.ter.pro.eſtis.lege.teſtis.fol.360.col.1.verſ.eſſe. pro. quomo.lege.quomodo.fol.373: col.2.verſ.ſed.pro.blaphe.lege.blaſphe.fol.377.col.2. verſ. nita. pro.blaſpe. leg. blaſphe. fol.384. col.2.verſ. gna.pro. ſi inſibilia.lege.ſenſibilia. fol.427.col.2.verſ. tur. pro. timibit. leg.timebit.fol. 428.col.1.verſ. malum.pro.reſpondetur.lege.reſpondet.fol.429.col.1.verſ.vnde.pro.32.lege.72. fol.437.col.1.verſ. Epheſ. pro. Auarita. lege. Auaritia.450.col.1. verſ.34.pro. aric. leg. artic. fo.464.col.1.verſ.qua pro.habet.leg.habēt.fo.469.co.1.verſ.pra.pro.praſumpio.leg.praſumptio.fo.482.co. 1.verſ.bibito.pro.legibus.leg.legimus.fol.517.col.2.verſ.aſt.pro.aſt.leg.eſt.fol.522.col.1.verſ.randum.pro. 22.leg.1.fol.539.col.1.verſ.patet.pro.Ergo.leg.Ego.fo.543.co.2.verſ.sia.pro.praſtituros.leg.praſtaturus.fo. 551.col.2.verſ.4.phi.pro.sex.4.leg.sex.84.fol.559.col.2.verſ.114.pro.Sotus.leg.Scotus.fol.561.col.2.verſ. ſpe.pro.agmentum.lege.augmentum.fol.58: col.2.verſ.nus.pro.2.par.lege.3.par.fol.586.col.2.verſ.tur.pro ego.lege.ergo.fol.590.col.1.verſ.incl.pro.inſi.leg.niſi.fol.593.col.1.verſ. Domi.pro.Domins.leg.Dominus. fol.605.col.1.verſ.citia.pro.ego.leg.ergo.fol.611.col.2.verſ.prop.pro.c.7.lege.c.8.fol.617.col.1.verſ.nec.pro. eam.leg.ea.fol,640.col.1.verſ.quod.pro.fui.lege.frui.fol.661.col.2.verſ.debe.pro.debebam.lege.debeam. fol.665.col.1.verſ.par.pro.parte.leg.patre.fol.678.col.1.ver.ſtus.pro.pinquauit.leg.pinquabit,fol.679.col.2. verſ.eſt.pro.vnicuſque.leg.vnicuique.fol.701.col.1.veſ.Res.pro.Reſpodeo.leg. Reſpondeo.fol.706.col.1.verſ. babe.pro.cognoſcat.leg.cognoſcas.fol.711.col.1.verſ.dia.pro.perfectionem.leg.imperfectionem.fol.711.col.2 verſ.poſ.pro.poſſet.leg.poſſit.fol.737.col.2.verſ. Ex quo.pro. ſit colligo.lege.ſic colligo.747.col.2.verſ.diti. pro.ſiaſticus.leg.ſiaſticis.fol.759.col.2.verſ.qua.pro.petio.leg.pretio.fo.765.col.1.verſ.quod.pro.faudem.leg. fraudem.fol.768.col.1.verſ.perdi.pro.canſeunt.leg.tranſeunt.fol.768.col.2.verſ.liqua.pro.memba.leg.mēbra.fol.789.col.2.verſ.ceſſa.pro.mortaliter.lege.moraliter.fol.811.col.1.verſ.dica. pro.dicationes. lege. dicationis.fol.811.col.1.verſ.non.pro.Doīi.leg.Domini.fol.818.col.2.verſ.tione. pro.cenſeret. leg. cenſeretur: fol.821.col.2.verſ.poteſt.pro.mderi.leg.mederi.fol.824.col.2.verſ.diſt:pro.didens.leg.dicens.

fol.558.col.1.pro Alexād. Alēſ.lib.7.ſua ſumma.tit.12.q.7.leg.Altiſiod.lib.3.ſua ſumma.tract.12.q.3.

INDEX LOCORVM
SACRAE SCRIPTVRAE QVI IN HOC OPERE EXPLICANTVR.

OMNIA teſtimonia ſacræ ſcripturæ, quæ vel obiter tantum attinguntur inter explicandas quæſtiones ſemper reputaui ocioſum omnino, & ſuperuacaneum in indicem congerere. Id enim ad oſtentandam magis quandam ſcribentium diligentiam, quam ad legentium vtilitatem conducere mihi videtur. Quamobrem quòd locorum ex profeſſo, & peculiari quadam ratione à me tractatorum indicem tantummodo tibi propoſuerim (Lector optime) æqui boniq́; conſule, id enim eam ob cauſam factum eſt, vt te moleſtia quærendi loca, ex quibus aut nihil, aut parum emolumenti poſſes eruere, leuarem. Sæpenumero enim vſu euenit, vt loci alicuius, alioquin perdifficilis explicationem, lector anxiè perquirat, recurrat ad indicem libri, quærat, inueniat, legat: dumq́; ſperat eius intelligẽtiam ſpes ſuas fruſtratas & laborem fruſtra impenſum incaſſum pœnitet. Perinde enim ſe feciſſe poſt temporis iacturam experitur ac ſi textum ipſum biblicum dumtaxat conſuluiſſet.

EX GENESI.

Capit. 1. VIDIT Deus cuncta quæ fecerat & erãt valde bona. 610.a

6. Proni ſunt ſenſus hominis ad malum ab adoleſcentia ſua. 643.a

4. Qui occiderit Cain ſeptuplum punietur. 623.b

EX EXODO.

Capi. 14. ¶Credidit populus Deo & Moyſi ſeruo eius. 13.a

20. Ego ſum Dominus Deus tuus fortis zelotes viſitans iniquitates patrum in filios, in tertiam & quartam generationẽ, eorum qui oderũt me. 353.a

32. Aut dimitte populo noxam hanc, aut ſi nõ facis dele me de libro tuo quẽ ſcripſiſti. 647.a

EX DEVTERONOMIO.

Capit. 6. ¶Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua 638.b

Si difficile & ambiguum apud te iudiciũ eſſe perſpexeris, ſurge & aſcende ad locum, quem elegerit Dominus, veniesque ad ſacerdotes Leuitici generis, quæreſque ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem. 75.b 17.

Facies quæcunque dixerint, qui præſunt loco quem elegerit Dominus, & docuerint te, iuxta legem eius, ſequeriſque ſentẽtiam eorum, nec declinabis ad dexteram, nec ad ſiniſtram. 76.a 17.

Non offeres mercedem proſtibuli, nec precium canis in domo Domini Dei tui. 788.b 23.

Suggeret mel de petra oleumque de ſaxo duriſsimo. 794. 32.

EX LIBRO 4. Regum.

Si occurrerit tibi homo nõ ſalutes eũ, & ſi ſalutauerit te quiſpiam, non reſpondeas ei. 628.a Capit. 4.

a EX

EX LIBRO
Iudith.

Capit. 9. ¶ Percuties ex labijs charitatis meæ. 482.a

EX LIBRO IOB.

Capi. 15. ¶ Qui bibunt iniquitatem ſicut aquã. 542.a
16. Columnæ cæli pauent & contremiſcunt ad nutum eius. 454.b

EX LIBRO
Pſalmorum.

Pſalm. 18 ¶ Timor Domini ſanctus permanet in ſeculum ſeculi. 454.b
42. Emitte lucem tuã & veritatem tuam, ipſa me deduxerunt & adduxerũt in templum ſanctum tuum. 126.b
57. Lætabitur iuſtus cum viderit vindictã manus ſuas lauabit in ſanguine peccatoris. 269.a
83. Beatus vir cuius eſt auxiliũ abs te, aſcẽſiones in corde ſuo diſpoſuit, ibunt de virtute in virtutem, & videbitur Deus deorum in Sion. 651.a
110. Initiũ ſapientiæ timor Domini. 440.a
118. Beati qui ſcrutantur teſtimonia eius nõ enim qui operatur iniquitatem in vijs eius ambulauerunt. 595.a

EX LIB. PROuerbiorum.

Capit. 3. ¶ Ne innitaris prudentiæ tuæ. 53.a
4. Semita iuſtorum quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit vſque ad perfectum diem. 573.a
18. Frater qui adiuuatur à fratre quaſi ciuitas firma. 800.a
19. Vbi non eſt ſcientia animæ non eſt bonum. 610.a

EX LIB. CANticorum.

Capit. 4. ¶ Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te. 59.b
6. Sexaginta ſunt reginæ, & octoginta concubinæ. 82.a
8. Fortis eſt vt mors dilectio. 510.b

EX LIBRO
Sapientiæ.

8. ¶ Attingit à fine vſq; ad finẽ fortiter, & diſponit omnia ſuauiter. 545.b &. 642.b

EX LIBRO ECcleſiaſtici.

Capi. 18. ¶ Ne verearis vſque ad mortem iuſtificari. 567.a
42. Melior eſt iniquitas viri quam benefaciens mulier. 793.a

EX ESAIA.

Capit. 2. ¶ Conflabunt gladios ſuos in vomeres & lanceas ſuas in falces. 298.a
11. Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet, & requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilij & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis, & replebit eum ſpiritus timoris Domini. 454.b
11. Non occident & non interficient in vniuerſo monte ſancto meo. 298.a
26. Sicut quæ concepit dum appropinquauerit ad partum, dolens clamat in doloribus, ſic facti ſumus à facie tua domine, concepimus & quaſi parturiuimus ſpiritũ ſalutis. 526.b

EX IEREMIA.

Capi. 33. ¶ Dabo legem meam in cordibus eorum, & in mentibus eorum ſuper ſcribam eam. 57.b

EX EZECHIELE.

Cap. 19. ¶ Anima quæ peccauerit ipſa morietur,

tur. Filius nō portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filij. 354.a

EX DANIELE.

Capit. 4. ¶ Peccata tua eleemoſinis redime. 721.b

EX AMOS.

Capit. 3. ¶ Non faciet Dominus verbū, niſi reuelauerit ſecretum ſuum ad ſeruos ſuos prophetas. 307.a

EX MICHEA.

Capit. 2. ¶ Vtinam de ſenſu meo loquutus fuiſſem, & inter pſeudoprophetas cōputatus ego ſolus periſſem. 647.b

EX MATTHAEO.

Capit. 5. ¶ Si diligitis eos qui vos diligūt quam mercedem habebitis. 689.b

6. Attēdite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus. 721.b

7. Non omnis, qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum cælorum, ſed qui facit volūtatem Patris mei qui in cælis eſt, ipſe intrabit in regnum cælorum. 174.a

10. Qui me negauerit coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo. 161.b

10. Capilli capitis veſtri omnes numerati ſunt. 558.a

10. Neminē per viam ſalutaueritis. 626.a

12. Qui dixerit verbū cōtra filiū hominis remittetur ei, qui aūt dixerit verbū in Spiritū ſanctū, nō remittetˀ ei, nec in hoc ſeculo, nec in futuro. 373.a

13. Vis imus & colligimus ea? quibus paterfamilias reſpōdit: Non, ne forte colligentes zizania, erradicetis ſimul & triticum, ſinite vtraq; creſcere vſque ad menſem. 299.a

16. Tu es Petrus & ſuper hāc petram ædificabo Eccleſiam meam. 64.b

16. Beatus es Simon Bar-iona, quia caro, & ſanguis non reuelauit tibi. 95.a

18. Serue nequam omne debitum remiſsi tibi quoniā rogaſti me, nonne ergo oportuit & te miſereri cōſerui tui, ſicut & ego tui miſertus ſum? 627.b

Si peccauerit in te frater tuus corripe 18.
eū inter te & ipſum ſolū. &c. 784.b

Diliges Dñm Deū tuū ex toto corde 20.
tuo, & ex tota anima tua. &c. 638.b

Ideo auferetur à vobis regnū & dabitˀ 21.
genti facienti fructus eius. 58.a

Qui præibant & q ſequebātur oēs cla 21.
mabāt, Oſanna filio Dauid. 133.b

Qui occiderit gladio, gladio peribit. 25.
294.b

EX MARCO.

¶ Prædicate Euangeliū omni creatu- Cap.vlt.
ræ, qui crediderit & baptizatus fuerit ſaluus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur. 134.b

EX LVCA.

¶ Neſcitis cuius ſpiritus ſitis. Nō venit Capit. 9.
filius hominis animas perdere, ſed ſaluare. 300.a

Rex præcepit ſeruis ſuis dicens, Exite 14.
in vias & plateas, & quoſcūq; inueneritis compellite intrare. 289.a

Si habueritis tantam fidem ſicut gra- 17.
num ſinâpis. 3.b

Non veniet regnū Dei cum obſerua- 17.
tione, nec dicent: Ecce hic, aut ecce illic. Regnū Dei intra vos eſt. 58.a

Date eleemoſinā, & ecce omnia mun 11.
da ſunt vobis. 731.b

Simon Sathanas expetiuit vt cribaret 22.
vos ſicut triticum, ſed ego rogaui pro te, vt nō deficiat fides tua. 94.b

EX IOANNE.

¶ Lex per Moyſen data eſt, gratia & Capit. 1.
veritas per Ieſum Chriſtum. 58.a

Nemo venit ad me, niſi Pater meus 6.
qui miſit me traxerit eum. 540.a

Spiritus ſanctus docebit vos omnem 14.
veritatem, & ſuggeret vobis omnia quæcunque dixero vobis. 102.a

Qui diligit me diligetur à Patre meo, 14.
& ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum. 600.a

Paſce oues meas. 90.a 21.

EX EPISTOLA
ad Romanos.

¶ Iuſtitia Dei reuelatur ex fide in fi- Capit. 1.

dem. 166.b
1. Digni ſunt morte non ſolũ qui faciũt,
ſed qui cõſentiunt faciẽtibus. 785.a
2. Gentes, quæ legem non habent natu-
raliter quæ legis ſunt faciunt, oſten
dunt enim opus legis ſcriptũ in frõ-
tibus ſuis. 125.b
3. Eſt autẽ Deus verax & omnis homo
mendax. 22.a
3. Iuſtitia Dei per fidem Ieſu Chriſti in
omnes & ſuper omnes qui credunt
in illum. 231.b
3. Arbitramur hominem iuſtificari per
fidem ſine operibus. 232.a
3. Non ſunt facienda mala vt inde eue-
niant bona. 616.b
4. Si Abraham ex operibus legis iuſtifi-
catus eſt habet gloriã, ſed non apud
Deum. 233.a
4. Credidit Abraham Deo & reputatum
eſt illi ad iuſtitiã, & rurſus in ſpem
contra ſpem credidit. 394.a
5. Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus
noſtris per Spiritũ ſanctum. 526.a
6. Quicũq; baptizati ſumus in Chriſto Ie
ſu, in morte ipſius baptizati ſumus:
conſepulti enim ſumus per baptiſ-
mum in morte, vt quomodo Chri
ſtus ſurrexit à mortuis per gratiam
Patris, ita & nos in nouitate vitæ
ambulemus. 221.a
7. Non quod volo bonum hoc ago, ſed
quod odi malum illud facio. 643.a
8. Non accepiſtis ſpiritum ſeruitutis ite-
rum in timore. 440.a
8. quis nos ſeparabit à charitate dei. 594.b
8. Quos vocauit, hos & iuſtificauit, quos
iuſtificauit, hos & magnificauit. 596.b
9. Optabã Anathema eſſe pro fratribus
meis. 647.b
10. Corde creditur ad iuſtitiã ore autem
confeſsio fit ad ſalutem. 26.a
14. Vnuſquiſq; in ſuo ſenſu abũdat. 49.b

EX EPISTOLA
1. ad Corint

Capit. 2. ¶ Non accepimus ſpiritũ huius mun-
di: ſed ſpiritũ qui ex Deo eſt, vt ſcia
mus quæ à Deo donata ſunt. 49.b
Vbi ſapiẽs, vbi ſcriba nõne ſtultã fecit 1.
Deus ſapientiã huius ſeculi? 126.b
Sapientiã loquimur inter pfectos, quę 2.
abſcondita eſt, & quã nemo princi-
pum huius ſeculi cognouit, ſi enim
cognouiſſent nunquam dominum
gloriæ crucifixiſſent. 145.a
Nõ iudicaui me ſcire aliquid inter vos 2.
niſi Ieſum Chriſtum & hunc cruci
fixum. 246.a
Si quis ædificat ſupra fundamẽtũ hoc 3.
aurũ, argentum, lapides precioſos,
ligna, fœnum, ſtipulã, vniuſcuiuſq;
opus maniſeſtũ erit, dies enim Dñi
declarabit quia in igne reuelabitur,
& vniuſcuiuſq; opus quale ſit, ignis
pbabit: ſi cuius opus mãſerit quod
ſupra ædificauit mercedẽ accipiet:
ſi cuius opus arſerit detrimentũ pa
tietur, ipſe autem ſaluus erit ſic ta-
men quaſi per ignem. 588.a
Quod ſi opertũ eſt Euãgeliũ in ijs qui 4.
pereunt opertũ eſt, in quibus Deus
huius ſeculi excæcauit mẽtes infi-
delium, vt non fulgeat illuminatio
Euãgelij gloriæ Chriſti, qui eſt ima
go Dei. 30.b
Quid mihi de ijs qui foris ſunt iudica 4.
re. 61.a
Si is, qui frater nominatͬ inter vos, eſt 5.
fornicator, aut auarus, aut idolis ſer
uiẽs, aut maledicus, aut rapax, cum
huiuſmodi nec cibũ ſumere: quid
enim mihi de ijs qui foris ſunt iudi-
care. 291.b
Charitas omnia credit omnia ſperat. 13.
&c. 394.a
Si diſtribuero in cibos pauperum oẽs 13.
facultates meas charitatem autem
non habuero nihil ſum. 724.a
Cum eſſem paruulus loquebar vt par 13.
uulus, ſapiebã vt paruulus, cogitabã
vt paruulus: cum aũt factus ſum vir
euacuaui quæ erant paruuli. 573.a
Cum venerit quod perfectum eſt eua 13.
cuabitur quod ex parte eſt. 573.a
Charitas nunquam excidit. 594.b 13.
Cum tradiderit regnum Deo. 58.a 15.

15. Omnia ſunt ſubiecta Chriſto propter eum qui ſubiecit ei omnia. 288.a
21. ¶Si quis videtur contentioſus eſſe nos talem conſuetudinem non habemus, nec Eccleſia Dei. 221.a

EX EPISTOLA ad Galat.

Capit. 1. ¶Si ego ipſe, vel Angelus de cœlo euãgelizet vobis præter quam quod euangelizauimus vobis Anathema ſit. 724.a
2. Cum vidiſſent Apoſtoli ꝙ creditum eſt mihi euangelium præputij ſicut & Petro circunciſionis, qui enim operatus eſt Petro in Apoſtolatũ operatus eſt & mihi inter gentes. 807.a
3. Lex Pędagogus noſter fuit in Chriſto vt ex fide iuſtificemur at vbi venit fides iam non ſumus ſub pædagogo. 68.a
3. Antequam aduenirer fides ſub lege cuſtodiebamur incluſi in eam fidem, quæ reuelanda erat. 133.a
5. Caro cõcupiſcit aduerſus ſpiritum & ſpiritus aduerſus carnem. 643.a
6. Alter alterius onera portate & ſic adimplebitis legem Chriſti. 800.a

EX EPISTOLA ad Epheſios.

Capit. 1. ¶Ipſum dedit caput ſuper omnem eccleſiam. 50.b
5. Chriſtus eſt caput Eccleſiæ & Saluator corporis eius, & tradidit ſemetipſum pro ea, vt illam ſanctificaret mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ. 51.a & 59.b
5. Eratis aliquando tenebræ nũc autem lux in Domino. 29.b

EX EPISTOLA ad Philip.

Capit. 1. ¶Coarctor aũt ẽ duobus deſideriũ habẽs diſſolui & eſſe cũ Chriſto multo magis melius, permanere aũt in carne neceſſariũ ꝓpter vos. 646.b
Quicũq; ergo perfecti ſumus hoc ſentiamus, & ſi aliquid aliter ſapitis, & hoc vobis Deus reuelabit. 5[illegible] 3.
Non ꝙ iam acceperim aut perfectus ſim. 577.b 3.

EX PRIMA AD Timothe.

¶Adoleſcẽtiores viduas deuita cum enim luxuriatæ fuerint in Chriſto nubere volunt habentes damnationem quia primam fidem irritam fecerunt. 3.b Capit. 5.

EX SECVNDA EPIſtola ad Timotheum.

¶In magna domo non ſolum ſunt vaſa aurea & argentea, ſed & lignea & teſtacea. 61.b Capit. 2.

EX EPISTOLA ad Titum.

¶Hæreticũ hominem poſt vnam aut alterã admonitionẽ deuita. 282.a & 327.b Capit. 3.

EX EPISTOLA ad Hebræos.

¶In eo qđ omnia ei ſubiecit nihil dimiſit non ſubiectũ: nũc autem nec dũ videmus omnia ſubiecta. 288.a Capit. 2.
Confidimus aũt de vobis dilectiſsimi meliora & viciniora ſaluti, tametſi ita loquimur: non enim iniuſtus Deus vt obliuiſcatur operis veſtri & dilectionis quam oſtendiſtis in nomine ipſius. 596.b Capit. 6.
¶Impoſsibile eſt eos, q̃ illuminati ſũt, iterũ recipi ad pœnitentiam. 540.a 6.
Iuxta fidem defuncti ſunt omnes nõ acceptis repromiſsionibus. 68.a 11.
Accedentem ad Deum oportet credere quia eſt, & quia inquirentium ſe remunerator eſt. 127.a 11.
Fides eſt ſubſtãtia rerum ſperãdarum argumentũ non apparentiũ. 165.a 11.
Per patientiã curramus ad propoſitũ nobis certamẽ aſpiciẽtes in autorẽ fidei, & conſummatorẽ Ieſum qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem confuſione contempta. 681.a 12.

EX EPISTOLA Iacobi.

Capit. 1. ¶Poſtulet in fide nihil hæſitans. 36
2. Quicunque totam legem ſeruauerit offendat autẽ in vno factus eſt omnium reus. 599.b

EX EPISTOLA 1. Petri.

Capit. 2. ¶Vos tanquam lapides viui ſuperædificamini in domos ſpirituales, ſacerdotium ſanctum, ad offerendas hoſtias ſpirituales. 59.a

EX PRIMA IOANNIS.

Capit. 1. ¶Non neceſſe habetis vt doceat vos aliquis nam vnctio docebit vos. 436.b
2. Vos vnctionem habetis à ſancto & noſtis omnia. 29.a &c. 49.a
2. Ex nobis prodierũt ſed nõ erant ex nobis, nam ſi fuiſſent ex nobis permanſiſſent vtique nobiſcum. 60.b
3. Qui natus eſt ex Deo non peccat, quoniam ſemen illius manet in eo, & nõ poteſt peccare. 231.b &c. 594.b
3. Qui habuerit ſubſtantiam huius ſeculi, & viderit fratrem ſuum neceſſe habere, & clauſerit viſcera miſericordiæ ab eo, quo modo charitas Dei manet in illo? 738.a
Chariſsimi nolite credere omni ſpiritui, ſed probate ſpiritus, vtrum ex Deo ſint, quoniam multi pſeudoprophetæ venient in mundum. 9.b 4.
Si teſtimonium hominum accipitis teſtimonium Dei maius eſt. 151.b 4.
Qui non diligit fratrem ſuum quem videt? Deum quẽ non videt quo modo poteſt diligere? 603.a
Omnis qui ex Deo eſt non peccat, generatio enim cœleſtis cõſeruat eum & malignus nõ tangit illum. 594.a 5.

EX EPISTOLA Iudæ.

¶ Hi ſunt in epulis ſuis. 482.a

EX APOCALYPSI.

¶ Et vidi cælum apertũ & ecce equus albus & qui ſedebat ſuper eum vocabatur fidelis & verax. 21.b Cap. 19.
Qui iuſtus eſt iuſtificetur adhuc. 567.a 22.

1 000397

INDEX RERVM, ET SENTENTIARVM, QVAE IN HOC OPERE CONTINENTVR.

a. Primam columnam. b, Secundam indicat:

ABEL initium Eccleſiæ. pagina. 68.b

Abraham certò credidit, quòd ex ſemine Iſaac aliqua proles naſceretur, quamuis ante id tempus à Deo mori præciperetur. 165.b

Abraham non habuit ex inſtinctu fidei, ſed ex animi ſui coniectura, quòd filius à ſe interficiendus erat à Deo reſuſcitandus. ibidem.b

Abraham amicus Dei inuentus eſt per multas tribulationes tentatus. 483.b

Abraham creditur ſuos poſteros docuiſſe circumciſionem, & alia ad diuinum cultum pertinentia, non ſcripto, ſed verbis. 107.b

Abſtinens à voluptate corporea gaudens, temperans, qui verò dolens, intemperans eſt. 586.b

Abulenſis ſententia de poteſtate ordinis & iuriſdictionis. 660.b

Abulenſis aſſeruit habitum fidei eſſe æqualem in omnibus, nec poſſe intendi, aut remitti. 212.b

Abutitur aliquis virtute duobus modis. 396.a

Accidens commune corrumpitur, vel à forma contraria, vel ad corruptionem ſubiecti. &c. 550.a

Accidentia plura ſolo numero diſtincta in eodem ſubiecto eſſe non poſſunt. 553.a

Actus fidei eſt aſſentiri reuelatis. 4.b

Actus fidei formaliter eſt credere. 7.b

Actus fidei ita pendet à noſtra voluntate, vt niſi libere, & voluntarie non credamus. 26.a

Actus fidei, & actus ſcientiæ nõ poſſunt eſſe de eadem propoſitione. 34.b

Actio, vt ſit perfecta quid requiratur. 224.b

Actus contrarij poſſunt proficiſci ab eodem habitu reſpectu diuerſorũ obiectorũ. 30.b

Actus fidei quid ſit. 165.a

Actus fidei, vt ſit perfectus debet procedere ab intellectu, & à voluntate perfectis per fidem, & charitatem. 168.b

Actus fidei proprie loquendo non meritorie, aut effectiue, ſed diſpoſitiuè auget habitum. 214.a

Actus meritorij omnes ſunt proprij charitatis vel elicitiuè, vel imperatiuè. ibidem.

Actus alicuius potentiæ, vel habitus diuerſimode conſiderantur. 115.b

Actus virtutum ſemper habent ordinem ad obiectum. 130.b

Actus interiores dupliciter cõſiderantur, vno modo, vt ſeparati omnino ab actu exteriori, & ſic non ſubduntur poteſtati Eccleſiæ, alio modo, vt coniuncti operationi, & ſic Eccleſia habet poteſtatem ſuper illos. 141.b

Actus ad hoc, vt ſit meritorius, duo requirit. 150.b

Actus primus fidei non eſt meritorius licèt procedat ab ſpeciali auxilio. 151.a

Actus naturæ procedentes à charitate, & in Deum ordinati ſunt meritorij. ibidem.b

Actus poſſunt procedere ab vna potentia elicitiuè, & ab alia imperatiuè. 556.a

Actus fidei diuiditur, in credere Deum, credere Deo, & credere in Deum. 115.b

Actus humanus pendet à Deo, & à libero arbitrio, & tunc eſt defectuoſus quando liberum arbitrium eſt deficiens. 225.b

Actus morales debẽt eſſe in voluntate. ibidẽ.

Actus infidelitatis, & infidelitas eſt formaliter in intellectu rãquam in ſubiecto. 258.b

Actus interior, & exterior non ſunt duo peccata, ſed vnum in quo interior ſe haber, vt forma, & exterior, vt materia. 259.b

Actus fidei in quo conſiſtat. 276.b

Actus interior voluntatis, à quo exterior procedit, eſt pars exterioris in quantum moralis. 259.b

Actus vnus, atque idem poteſt ſimul procedere à pluribus virtutibus, ab vna elicitiuè ab alijs imperatiuè. 117.a

Actus fidei eſt meritorius. 150.b

Actus, vt ſit meritorius, duo debet habere, ſcilicet, quod ſit liber, & quod procedat à charitate. ibidem.

Actum primũ fidei alij duo antecedunt vnus intellectus, qui eſt iudicium euidens de credibilitate articulorum, alter voluntatis qui dicitur pia affectio. Ibidem.
Actus primus fidei ac volitio, qua quis primum vult credere, no ſunt actus meritorij. Ibidem.
Actus, vt ſit meritorius neceſſarium eſt quod procedat à charitate, vel elicitiuè, vel imperatiuè. Ibidem.
Actus naturales ſi ordinẽtur in Deum, & procedant à charitate ſunt meritorij. 155.b
Actus ad hoc, vt imperetur ab vna virtute requiritur quòd ad finem illius ordinetur. 156.a
Actus poteſt procedere ab vna potentia elicitiuè, & ab alia imperatiuè. Ibidem.
Actus fidei eſt firmiter aſſentiri rebus non viſis. 165.a
Actus fidei, vt ſit perfectus neceſſarium eſt, quod procedat ab intellectu, atque voluntate per fidem, & charitatem perfectis. 168.b
Actus intellectus notiores ſunt nobis, quàm actus voluntatis. 198.b
Actus fidei propriè loquendo non auget habitum meritorie, aut effectiuè, ſed diſpoſitiuè. 214.a
Actus omnes meritorij ſunt à charitate, vel elicitiue, vel imperatiuè. Ibidem.
Actus fidei ità pendet ab intellectu, atque voluntate, vt vtraque potentia requiratur ad credendum. 217.a
Actus humanus, qui à Deo & à libero arbitrio dependet, vt ſit defectuoſus ſatis eſt, quod liberum arbitrium ſit deficiens. 225.a
Actus moralis non poteſt eſſe quin ſit à voluntate, nec malus actus moralis, quin ſit à mala voluntate. 225.b
Actuum humanorum duplex eſt regula, vna proxima, quæ eſt ratio, alia ſuprema, quæ eſt lex æterna. 226.b
Actus exteriores imperati à voluntate quatenus ſubiectantur in proprijs potentijs ſunt propriè, & formaliter peccata. 258.b
Actus interior voluntatis, & exterior alterius potentiæ non efficiunt duo peccata, ſed vnum, in quo actus interior ſe habet, vt formale, & exterior, vt materiale. 259.b
Actus interior voluntatis à quo exterior procedit, eſt pars exterioris, inquantum moraliſ eſt. Ibidem.
Actus infidelitatis conſiſtit in hoc, quòd quis aſſentiatur ſententiæ contrariæ fidei. 276.b
Actus infidelitatis eſt actus intellectus moti à voluntate. Ibidem.
Actus idololatriæ propriè loquendo non eſt actus intellectus, ſed voluntatis. 361.a
Actus bonus ſemper correſpõdet virtuti, vel alicui, quod ſit maius virtute. 396.a
Actus ſpei formatæ per charitatem, & eſt meritorius, & cadit ſub merito. 396
Actus ſpei ſunt duo, ſcilicet, confidere, & confidẽdo ſperare, qui ſola ratione diſtinguuntur. 409.a
Actus ſpei, nec eſt deſiderium futuræ beatitudinis, nec iudicium, quo iudicat ſe futurum beatum. 409.b
Actus ſpei eſt motus voluntatis, in quo ineſt conatus, & eleuatio voluntatis in bonum arduum, quatenus eſt poſsibile. 410.a
Actus ſpei infuſæ, & Chriſtianæ non poteſt eſſe, quin præcedat actus fidei: & amiſſa fide ſemper amittitur ſpes. 411.a
Actus ſpei quatenus fertur in bonum ſperatum præſupponit amorem, & deſiderium illius. 413.a
Actus charitatis, quo beatitudinẽ diligimus præcedit actum ſpei, quo eandem beatitudinem ſperamus. Ibidem.
Actus ſpei, quo quis ſperat in Deo eſt prior, quàm actus charitatis, quo idẽ Deus amatur. Ibidem.
Actus ſpei quatenus fertur in eum, à quo aliquid ſperamus, regulariter loquendo, non præſupponit amorem illius. 413.b
Actus primus ſpei non poteſt eſſe meritorius. Ibidem.
Actus vnus atque idẽ põt eſſe prior & poſterior charitate ſecundum diuerſas rationes. 416.b
Actus ſupernaturalis poteſt eſſe in peccatore. 421.a
Actus ſpei, qui elicitur ab ſpe manente in peccatore eſt eiuſdem ſpeciei cum actu, qui educitur ab eadem ſpe formata charitate. 421.b
Actus imperatus non eſt obiectum actus eliciti ab aliqua potentia ſeu virtute. 433.b
Actus timoris ſeruilis, quo quis metu fugit culpam, vel adimplet præceptum, eſt bonus. 440.b
Actus boni ſunt in duplici differentia, quidã enim ſunt perfecti, alij autem imperfecti licèt boni. 452.b
Actus, quẽ timor filialis habet in patria alius eſt ab actu, quem habet in via. 454.a
Actus appetitus conformis vero [illegible] in particulari eſt bonus. 458.a
Actus [illegible] virtutum Theologalium, & [illegible] ſunt ab Spiritu ſancto, mediis [illegible] ſu
pe ad-

... 498.b
A... , q procedat ab aliqua potentia ... ingit, & elicitiue, & impera- tiue. 507.b
Act⁹ fidei quando eſt à ſola fide elicitus. 508.b
Actus fortitudinis immediatè ordinatur ad ſeruandam fidem, vltimatè verò in finem charitatis, & eſt imperatus ab illa. 510.a
Actus interior martyrij duas difficultates continet, & quæ? ibidem
Actualis ſuſtinentia mortis eſt quædam fidei confeſſio, vel confirmatio præcedentis confeſſionis, elicitur tamen à fortitudine. 521.a
Actus primarius charitatis non eſt electio mediorum, ſed amor, & intentio finis vltimi. 523.b
Actus noſtri ſunt duplices, & naturales, & ſupernaturales, & qui ſint vtriq; ? 526.a
Actus charitatis ex auxilio diuino procedens, concurrit effectiuè ad productionem habitus charitatis. 523.a
Actus ſupernaturalis eſt perfectior actu naturali, non tamen connaturaliter procedit ab obiecto, nec omnino proportionatur habitui ſupernaturali. 517.a
Actus quilibet charitatis quantumcunq; remiſſus meretur augmentum charitatis, & ad ipſum diſponit. 554.a
Actus quilibet non eſt ſufficiens generare habitum aquiſitum. ibidem.b
Actus remiſſus licet continuatus per multum tempus non poteſt augere habitum. 555.a
Actus intenſiores habitum augent, & quomodo. ibidem
Actus intenſus, & remiſſus nõ poſſunt eſſe ſimul. ibidem.
Actus remiſſus charitatis quis ſit? 556.b
Actus ſupernaturales nõ poſſunt effectiuè attingere habitum ſupernaturalem. 557.a
Actus ſupernaturales ſunt actiones immanentes, ex quibus actionibus non producitur neceſſario quid diſtinctũ ab actione. 557.b
Actus quilibet charitatis, quantumuis remiſſus meretur augmentum gloriæ, gratiæ, & charitatis. 558.a
Actus remiſſi per accidens diſponunt ad diminutionem habitus. 559.a
Actus remiſſi merentur augmentum charitatis, quomodo intelligatur. 561.b
Actus intenſus, per quem charitas augetur, à qua ſit charitate intẽſa ne, vel remiſſa. 561.a
Actus intenſus eſt prior in genere cauſæ diſpoſitiuæ & meritoriæ ipſa charitate quantum ad eius augmentum, ſed eſt poſterior charitate in genere cauſæ efficientis. 562.a
Actus charitatis in ordine ad eius augmentum ... pliciter ... conſiderari. ibidem.b
Actus noſtri duplíciter poſſunt cauſare augmentum charitatis. 564.b
Actus charitatis dupliciter poſſunt diminui. 589.a
Actum charitatis quomodo peccata venialia diminuant. ibidem.
Actus directè non contrariatur habitui, ſed actui. 599.a
Actus idem propter diuerſa motiua voluntatis poteſt ſe extendere ad diuerſas virtutes. 605.a
Actus interior charitatis eſt finis actuum externorũ, qui à charitate imperantur. 685.b
Actus quanto eſt magis debitus, eſt magis meritorius. 688.b
Actus exterior ad illam virtutem refertur, ad quam pertinet motiuum quod mouet ad operandum. 722.a
Actus idẽ exterior poteſt procedere à diuerſis motiuis volũtatis, & ſic pertinere ad diuerſas virtutes. 722.a
Actus miſericordiæ verè dicitur actus charitatis. 723.a
Actus aliquis multipliciter poteſt procedere ab aliqua virtute. ibidem.
Actus ſuperioris virtutis poteſt imperari à virtute inferiori. ibidem.
Actus eleemoſynæ poteſt eſſe ſine charitate. 724.a
Actio & factio in iure diſtinguuntur, & qualiter. 767.a
Actus prudẽtiæ ordinatus ad alicuius virtutis moralis finẽ, primariò ... dicitur eſſe actus eius virtutis, ad cuius finẽ ordinatur. 781.a
Adam ante peccatum habuit fidem de incarnatione, & fuit membrum Chriſti. 67.b
Adam nõ obtinuit ſacrificium pro ſe ipſo. 68.b
Adam non fuit principium Eccleſiæ, nec ad eam pertinebat. 69.b
Adam ante peccatum habuit fidem. 69.a
Adam ante peccatũ habuit reuelationem myſterij incarnationis. 132.a
Adam ante peccatum non præſciuit caſum ſuum. ibidem.
Adam ante peccatum habuit fidem explicitam de myſterio incarnationis, quatenus erat ordinatus ad gloriæ conſequutionem. 144.b
Adam non ſolũ naturę, ſed etiam morum imaginem continebat. 289.a
Adam ſunt creatus electus à Deo, & amiſit gratiam, & iuſtitiam originalem, vt mulieri placeret. 552.b

Additio quælibet eſt alicuius ad aliquid. 549 b
Admonitio ſecreta quando in correctione debeat præcedere denunciationem. 819 a
Admonitio ſecreta non debet præcedere denunciationem in illis peccatis, quę vergunt in detrimentum Reipublicæ. 820.a
Admonitio ſecreta ſemper debet pręcedere denunciationem, & teſtium adhibitionem in illis peccatis, quæ tantum nocent peccanti. 824.a
Adriani ſententia de ignorantia inuincibili fidei. 254.a
Adulterium commiſſum ex amore, & adulterium commiſſum ex timore mali temporalis non differunt ſpecie. 434.a
Aduentus Meſsiæ duplex, vnus glorioſus ad iudicium, alter humilis ad ſalutem. 58.b
Adultis non denegantur auxilia ad pœnitentiam agendam. 539.b
AEgydij Roni. meritum de congruo. 530.b
AEmulatio non poteſt eſſe in gratuitis. 657.b
AEqualitas duplex, ſimpliciter, & proportionis, & quæ illarum ſit inter nos, & Deum. 484.b
Agens, & patiens in initio actionis diſsimilia eſſe debent. 554.b
Agẽs quodlibet fortius agit in propinquum, quam in diſtans, 555.b
Agnatio & cognatio diſtinguuntur apud Iuriſconſultos. 659.b
Alberti Pighij ſentẽtia de Papa hæretico. 9.b
Alexandri III. decretum in cap. cum eſſet de teſtamentis declaratur. 97.a
Alexãdri de Ales ſententia de fide, quam habuerunt Angeli in prima ſua conditione ante peccatum. 203.a
Almaini ſententia de eo, in quo propriè conſiſtat deſperatio. 461.a
Amare, & ſperare prout pertinent ad appetitum ſenſitiuum ſunt actus ſpecie diſtincti, ſecundum eſſe naturæ. 416.a
Amare, propriè loquendo, nullus dicitur niſi eam rem, quam tãquam finẽ quærit. 435.b
Amans creaturam amore mundano non poteſt Deum diligere ſuper omnia. 437.a
Amans creaturã amore mũdano non eſt neceſſariũ, ꝙ illã habeat pro vltimo fine. ibidem.
Amans creaturam amore mundano ſemper habet ſeipſum pro vltimo fine. 437.a
Amare aliquid actu propter Deũ, habitu, & virtute, valde diſcrepãt: & quo modo. 589.b
Amare & amari ſunt vnus & idem act⁹, ſicut mouere, & moueri. 672.b
Amãs ex eo, ꝙ amans eſt, maiorem habet nobilitatẽ quàm ex eo ꝙ amatur, & ſic amare eſt nobilius, quam amari. [illegible].b
Amare Deum importat maius bonum honeſtum, quàm amari à Deo. ibidem.
Amari quæritur eadem ratione, qua quæritur honorari. 674.a
Amici ſunt illi, qui habent mutuam beneuolentiam, & non ſunt latentes. 483.a
Amicitiæ veræ, quatuor ſunt conditiones. ibidem.
Amicitia ex excellentia quæ ſit. 484.b
Amicitia quælibet fundatur ſuper communicationem alicuius boni. 485.b
Amicitiæ fundamentũ, & finis eiuſdem, multum differunt. 486.a
Amicitia dupliciter ſumitur. 499.a
Amicitia ſimpliciter & abſolutè eſt virtus vniuoca cum alijs. ibidem.b
Amicitia laudatur. 550.a
Amici dicimur etiã ſi ceſſemus à dilectione. ibidem.
Amicitia magis, quàm iuſtitia neceſſaria eſt in Republica. ibidem.
Amicitia eſt media inter duo extrema turpia, id eſt, inter indulgentiam & odiũ. ibidem.
Amicitia humana minuitur per leues offenſas. 586.
Amicitia quæ habetur erga alterum inclinat non ſolum ad diligendũ amicum, ſed etiam ea, quæ amicus amat, & quæ aliquo modo ſunt vtilia amico. 605.a
Amicus laudabiliter exponit vitã pro amico. 649.b
Amicus eſt maximum bonum ex temporalibus. 650.a
Amicus quęcũq; bona tẽporalia põt exponere periculo pro ſimilibus bonis amici. 651.b
Amicitia inter conſanguineos eſt ſtabilior ex natura rei, ſed aliæ poſſunt eſſe potiores 669.a
Amicitia cõſanguineorũ terminatur in quarto gradu. 660.a
Amicus intimus poteſt anteponi omnib⁹ cõſanguineis excepto patre, & filio. ibidem.b
Amicus vitæ redemptor in extrema neceſsitate exiſtens æquatur filio in eadem neceſsitate exiſtenti. 661.a
Amici dilectio eſt melior, abſolutè loquendo dilectione inimicorum. 687.a
Amici dilectio abſolutè eſt magis meritoria, quàm dilectio inimici. 6[illegible]8.b
Amor naturalis non ſufficit ad iuſtificationem efficiendam, ſed requiritur amor, qui ſit ſufficiens ad reficiendam naturalem rectitudinem. ibidem.

Amor

Amor concupiſcentiæ non requirit in ſua ratione, quòd id quod concupiſcitur ordinetur tanquàm in finē in illum, cui concupiſcitur, ſed ſatis eſt, quòd ſit volitum alteri, 404.a
Amor & ſpes prout pertinent ad voluntatem diſtinguuntur ſpecie ſecundum eſſe naturæ. 416.a
Amor malus, & inhoneſtus non dicitur mundanus, niſi ſit peccatum mortale. 435.b
Amor creatu æ propriè loquendo, non eſt dicendus mundanus propter ſolam intenſionē, quanuis illa ſit maxima. 436.a
Amor mūdanus eſt ille, quo creatura amatur tanquàm vltimus finis. ibidem.
Amor, quem Deus habet erga omnes, exprimitur per nomina illarum rerum, ex quibus inter homines maiores amicitiæ oriri ſolent. 484.a
Amor quicunq; ſit, ſiuè amicitiæ, ſiuè concupiſcentiæ, eſt alicuius boni. 605.a
Amor, quo amatur proximus aliquando eſt amor cōcupiſcentiæ. 605.b
Amor quo proximus diligitur ratione alicuius boni in ipſo exiſtentis, eſt amor amicitiæ, ſed non à charitate. 605.b
Amor charitatis includit beneuolentiam, & vltra hoc addit vnionē affectus. 675.b
Amor ſenſitiuus brutorum nunquàm poteſt beneuolentiā includere, benè tamen amor ſenſitiuus hominis. ibidem.
Amor eſt quædam inclinatio animalis ex boni apprehenſione conſurgens, & in illud tendens. 693.a
Amor eſt principiū omnium paſsionum. ibidem.b
Anaſtaſius ſummus Pontifex fuit hæreticus. 91.a
Angeli in prima ſui conditione habuerunt fidem de rebus ſupernaturalibus, atque diuinis. 201.b
Angelis reuelauit Deus myſteria fidei, non quidem omnibus immediatè, ſed ſuperioribus immediatè, inferioribus autem per ſuperiores. 203.a
Angelis fuit collata gratia ſecundum capacitatem naturalium. 545.b
Angeli perfectiores maiori conatu ſe conuerterūt in Deum, quā inferiores. 546.b
Angeli ſpecie differunt, & vnus eſt alio perfectior eſſentialiter. ibidem.
Angelus fuit creatus in gratia, vt colligitur ex ſacra Scriptura. 593.b
Anima rationalis vna cùm ſit, & indiuiſibilis, & ſpiritualis, tribuit homini id, quod multæ aliæ formæ ſeorſum ſumptæ ſuis ſubiectis tribuere ſolent. 148.b
Anima rationalis ità tribuit homini eſſe corporeum, ac ſi ſolùm eſſet forma corporea, & eſſe vegetatiuum, ac ſi ſolùm eſſet vegetatiua. 149.a
Animæ exiſtentes in purgatorio habent ſpem. 422.a
Animal non eſſe rationale ſecundū ſuam rationem nō eſt idem, ac ſi dicatur, quòd ſecundū propriam rationem eſt irrationale. 569.b
Animi rectitudo duplex, vna naturalis, altera ſupernaturalis. 123.a
Animæ immortalitas ſemper fuit explicitè credenda tanquàm fundamentum, cui cætera omnia nituntur. 132.b
Apoſtoli, cum in die pentecoſtes acceperunt Spiritum ſanctum non omnia explicitè cognouerunt, ſed tempore ſuccedente fuerūt edocti, atq; inſtructi de alijs rebus ad fidem pertinentibus. 39.b
Apoſtoli crediderūt explicitè omnia, quæ nos explicitè credere tenemur. 40.a
Apoſtoli omnibus alijs Sanctis ſunt præferendi. ibidem.
Apoſtolis cōmendata in Euangelio æquè congruentia omnibus fidelibus, ea omnibus futuris Chriſtianis, in ſenſu literali ſunt dicta. 98.b
Apoſtoli primū viua voce docuerūt Euangelium, & deinde ſcriptis mādauerunt. 105.b
Apoſtoli magnis, & rationabilibus de cauſis quædam literis, quædam autem viua voce prodiderunt. 108.a
Apoſtoli ſeruanda ſanxerunt multa, quæ tantum ſunt de iure humano. 303.b
Apoſtaſia grauius peccatum eſt, quàm hæreſis. 324.a
Apoſtaſia, & hæreſis ad eandē ſpeciem infidelitatis pertinent. ibidem.
Apoſtata, qui efficitur Iudæus, aut Paganus duplex peccatū committit, vnū hæreſis, alter illius infidelitatis, ad quam cōuertitur. ibidem.b
Apoſtata profitetur fidem Chriſti characterem. ibidem.
Apoſtoli tēpore paſsionis Chriſti nec amiſerunt fidem, nec fuerunt hæretici. 337.a
Apoſtoli poſt reſurrectionē fuerunt increduli, non Domino, ſed illis, qui viderant eum reſurrexiſſe a mortuis. ibidem.
Apoſtaſia, qua quis recedit a fide eſt ſimpliciter,

citer, & propriè apoſtaſia. 358 b
Apoſtaſia ſimpliciter dicta pertinet ad infidelitatem. 359.a
Apoſtaſia eſt nomen Græcum ſignificans retroceſsione à cœpto negotio. ibidem.
Apoſtaſia tuplex, ab ordine, à religione, & à fide. ibidem.
Apoſtaſia à minoribus ordinibus, per ſe loquendo, nõ eſt peccatũ mortale. ibidem.
Apoſtata non dicitur ille, qui veram fidem habens in intellectu exterius colit idolum. 361.a
Apoſtaſia non differt ſpecie ab hæreſi. ibidem.b
Apoſtaſię ex natura ſua non repugnat dominium in ſubditos. 361.a
Apoſtoli & alij viatores, quibus à Deo fuit reuelatum ſe futuros beatos, habuerunt ſpem. 422.a
Appetitus ſenſitiuus, non fertur in Deum, tanquàm in obiectum, vt charitas. 521.a
Appetitus ſenſitiuus, vel caro dicuntur delectari in Deo ex quadam redundantia voluntatis affectæ charitate in ipſum. ibidem.b
Appetitus ſenſitiuus non habet motum in obiectum charitatis ſecũdum ſe, ſed per quandã redũndantiam naturalẽ. 522.a
Appetitus hominis duplex, vnus ſenſitiuus, qui fertur in bonũ ſenſibile, alter rationalis, qui fertur in bonum rationis. 641.a
Appetitus tam intellectiuus, quàm ſenſitiuus, & deniq; omnis creatura magis inclinatur ad amandum dilectione naturali, bonum diuinum, quàm proprium. 642 a
Appetitus humanus propter coniunctionem ad rationem habet quandam rationem participatã, & propterea poteſt eſſe ſubiectum virtutis. 676.a
Arca Noe fuit figura Eccleſiæ. 61.a
Ardua quando vitare debent incipientes in charitate, & ſpirituales, & quando ea amplecti poſſunt & debent. 579
Argumẽta ad probandum, quòd Deus ſub ratione deitatis eſt obiectum formale fidei. 6.a
Argumenta ad probandum, quòd fides immediatè inclinet ad aſſenſum vnius articuli, & mediante illo ad reliquos. 58.a
Argumẽta ad probandum, quòd Deus poteſt mentiri. 20.b
Argumenta ad probandum, quòd credere non eſt actus liber. 25.b
Argumenta ad probandum, quòd articuli fidei non ſunt euidenter credibiles. 27.b
Argumenta ad probandum, quòd Eccleſia tantum conſtat ex hominibus interioribus. 53.b
Argumenta ad probandum, quòd Eccleſia tantum conſtat ex bonis, & iuſtis hominibus. 54.a
Argumenta ad probandũ, quòd Eccleſia tantũ cõſtat ex prædeſtinatis. ibidem.b
Argumenta ad probandum, quòd hæretici ſunt membra Eccleſiæ. 55.a
Argumenta ad probandum, Eccleſiam non eſſe vnam. 66.a
Argumenta ad probandũ, Eccleſiam non incepiſſe ab Abel. 67.b
Argumẽta ad probandum, quòd Concilia generalia poſſunt errare in diffinitione fidei, & morum. 78.b
Argumenta ad probandum, quòd Concilium per legatos celebratum poteſt errare. 85.a
Argumenta ad probandũ, ꝙ Papa, vt priuata perſona non poteſt errare. 90.b
Argumenta ad probandum, quòd Romanus Pontifex, vt perſona publica poſsit errare in diffinitione fidei, & morũ. 93.a
Argumenta ad probandum, Eccleſiaſticas traditiones nihil habere autoritatis. 111.a
Argumenta ad probandum, non eſſe neceſſariam cognitionem ſupernaturalem ex parte principij ad ſalutem. 124.b
Argumenta ad probandum, tẽpore Euangelij non eſſe neceſſariam fidem explicitam Chriſti. 134.a
Argumenta ad probandum, quòd eſſentia diuina videri poſsit ſine perſonis, vel vna perſona ſine alia. 146.b
Argumenta ad probandum, quod primus actus fidei ſit meritorius. 151.a
Argumenta ad probandum, ꝙ fides non poteſt manere ſine charitate. 173.b
Argumẽta ad probandum, ꝙ fides formata charitate non ſit virtus intellectualis, vel quod fides informis ſit virtus. 179.a
Argumenta ad probandum, quod ſcientia ſit certior fide. 192.a
Argumenta ad probandum, quod fidelis non poſsit eſſe certus certitudine fidei de ſua fide. 197.a
Argumenta ad probandũ in damnatis eſſe fidem infuſam, atq; diuinam. 205.a
Argumẽta ad probandum, ꝙ homo poteſt aſſentiri toti prædicationi Euangelicæ per fidem acquiſitã & humanam. 216.b
Argu

Argumētū ad hoc, vt cōuincat, duas debet habere conditiones, ſcilicet, veritatē præmiſſarū & bonitatē conſequentiæ. 238.b
Argumenta facta contra res fidei poſſunt euidenter ſolui à Theologo. 239.a
Argumenta ad probandum, quòd infidelitas non eſt maius peccatum, quàm illa, quæ fiunt contra virtutes morales. 261.a
Argumenta ad probandum, quòd infideles nullum bonum opus morale poſsint efficere. 267.a
Argumenta quibus Theologi vti debent in ſuis diſputationibus ſunt præcipuè, autoritas ſacræ Scripturæ, diffinitiones Eccleſiæ, & autoritas Sanctorum patrum. 283.
Argumentum à ratione naturali ad tria adduci debet à Theologo. ibidem.b
Argumenta ad probandum, quòd infideles, qui nunquàm fidem ſuſceperūt ſunt compellendi ad fidem. 286.a
Argumenta ad probandum, quòd hæretici non ſunt compellendi, nec puniendi pro pter primam hæreſim. 293.b
Argumentatio facta ab autoritate negatiuè in Dialectica eſt ineptiſsima. 299.a
Argumenta ad probandum, quòd pueri infidelium poſsint baptizari inuitis parentibus. 317.b
Argumētum ad probandum, quòd dubius in fide non eſt hæreticus. 335.a
Argumenta ad probandum, quòd Eccleſia non habet poteſtatem ſuper actus interiores. 340.b
Argumenta ad probandum, ꝙ hæreticus ſtatim ac incidit in hæreſim teneatur ſua bona fiſco reſignare. 345.b
Argumenta ad probandum, ꝙ ſpes non diſtinguatur ab alijs virtutibus Theologicis. 394.a
Argumenta ad probandum non eſſe neceſſarium ad virtutem Theologicam quòd habeat Deum pro obiecto immediato. 402.b
Argumenta ad probandum, quòd ſpes ordine generationis, eſt poſterior charitate. 412.a
Argumenta ad probandum, ꝙ ſpes non eſt in peccatoribus. 420.b
Argumenta ad probandum, ꝙ malum culpæ non ſit immediatum obiectum timoris filialis. 431.b
Argumenta ad probandum, ꝙ homo, cui facta fuerit reuelatio abſoluta de ſua condemnatione teneatur ſperare. 477.a
Argumenta ad probandum, quòd charitas non ſit amicitia. 482.b
Argumenta ad probandum, quòd ſimoniacus tantum iure poſitiuo teneatur ad reſtitutionem. 759.a
Argumenta ad probandum, quòd præceptum de correctione fraterna non obligat cum periculo mortis. 795.b
Ariminenſe conciliū fuit illegitimum. 80.a
Ariſtoteles non cognouit vocationem noſtram in conſortium diuinæ naturæ, & vitam ſpiritualem, cuius principium eſt charitas. 485.a
Armacani, & Nouati error de irremiſsibilitate peccati. 537.a
Armeni dicebant Deum in ſacra Scriptura ſæpe fuiſſe mentitum. 20.b
Articuli fidei ſunt velut prima principia noſtræ fidei. 11.a
Articulorum propoſitio & explicatio non ſemper fit vno & eodem modo, ſed pluribus atque diuerſis. ibidem.b
Articulorum propoſitio, & explicatio eſt neceſſaria, vt illis fidē adhibeamus. 12.a
Articulorum propoſitio, & explicatio non eſt cauſa efficiens aſſenſus, ſed cōditio, ſine qua non. ibidem.b
Inter articulos eſt vnus, in quo reliqui omnes cōtinentur, & is eſt, Eccleſia regitur ab Spiritu ſancto. 18.b
Articuli noſtræ fidei ſunt euidenter credibiles. 28.a
Articulus deriuatur à voce latina artus, quę ſignificat nodum. 37.a
Articulus eſt propoſitio catholica, veluti principium in materia fidei omnibus ad credendum explicitè propoſita, continenſq, peculiarem difficultatē. ibidem.
Articulus nouus eſt ponendus vbi eſt ſpecialis ratio non viſi. ibidem.
Articuli fidei non creuerunt tēporū ſucceſſione quantū ad ſubſtantiā, creuerunt tamen quantū ad explicationem. 39.a
Articulorum numerus ſumitur per ordinē ad materiam, de qua tractant. 42.b
Articuli fidei ſunt explicitè credendi, reliqua autē, quæ in ſacra Scriptura cōtinentur non eſt neceſſarium, ꝙ cognoſcantur explicitè, ſed ſufficit implicitè. 130.b
Articuli fidei autoritatibus ſunt probandi, apud eos, qui autoritates ſuſcipiūt, apud alios autem ſatis erit oſtendere non eſſe impoſsibiles. 284.a
Aſſentiri reb' reuelatis nullus poteſt aſſenſu certo, & ſine formidine, qualis eſt aſſenſus

ſenſus fidei, ſine lumine ſupernaturali. 11.a
Ad aſſentiẽdum articulis fidei per accidens eſt, quod ab hoc, vel ab illo homine, vel Eccleſia proponãtur. 12.a
Aſſenſus fidei materialiter concurrit aliquando ad aſſenſum falſum, non autem formaliter. 23.a
Aſſenſus vnus dicitur verior alio ratione obiecti habentis maiorem, vel minorem neceſsitatem. 140.b
Aſſenſio, ſeù aſſenſus accipitur pro iudicio firmo. 114.a
Aſſenſus Theologicus differt ab aſſenſu fidei, ex diuerſo modo tendendi in obiectum. 115.b
Aſſentiens rebus fidei, ſine aliqua ratione propoſitis leuis eſt corde. 153.b
Aſſentiri, firmam & conſtantem adhæſionem importat. 167.a
Aſſenſus inæqualiter attingunt verum, & & qua ratione. 193.a
Aſſenſus poteſt eſſe magis certus ſecũdum ſe, & minus certus quo ad nos. 192.a
In aſſenſu fidei poſſunt eſſe aliqui ſubiti motus dubitationis, qui in aſſenſu ſcientifico eſſe non poſſunt. 193.a
Aſſenſus fidei eſt liber, & voluntarius ità, vt poſsit quis credere, & diſcredere. ibidem.
Aſſenſus alicuius rei, & obiectum ipſius aſſenſus, ità ſe habent, quod nullus poteſt dubitare, vel de veritate, vel de euidẽtia, vel de certitudine aſſenſus, quin ſimul etiam dubitet de veritate, vel de certitudine, aut de euidentia obiecti. 196.a
Aſſenſus fidei catholicæ, & aſſẽſus fidei diuinæ diſtinguuntur. 198.a
Aſſentiẽs propoſitionib⁹ erroneis nõ amittit fidem. 210.b
Aſsiſtentia Spiritus ſancti pertinet ad gratias gratis datas, & reduci poteſt, vel ad donum prophetiæ, vel ad donum interpretandi ſacram Scripturam. 85.a
Aſsiſtentia Spiritus ſancti eſt in Concilio ex promiſsione Chriſti. 88.b
Auerſio dupliciter poteſt cõſiderari. 459.a
Auget Deus habitus ſupernaturales eundem ordinẽ ſeruans, quem ſeruat in naturalibus. 549.b
Augentur meritoriè fides & ſpes in peccatore, & qualiter? 557.b
Augmentum charitatis reſpondẽs actibus intenſioribus confertur ſtatim, ac quis intenſe operatur. 559.a
Augmẽtum gratiæ & charitatis, qd meretur homo per actus remiſſos non datur ſtatim ſecundum D. Thom. & quando datur. ibidem.
Augmẽtum, qd confertur quando charitas per actus feruentiores augetur eſt illud, quod correſpondet actui intẽſiori. 561.b
Augmentum charitatis, ſeù uirtutum infuſarum penes quid debeat attendi. 564.a
Augmentum charitatis non commenſuratur intenſioni actus. ibidem.
Augmentum pro actibus remiſsis, licèt non detur in hac vita, dabitur in alia, vt placet D. Tho. ibidem.b
Augmentum charitatis debere transferri vſque in futuram vitam rationabile non videtur. ibidem.
Auguſtini ſentẽtia fuit omne opus, vel eſſe peccatum, vel meritorium. 271.a
Auguſtini ſententia de operibus infideliũ, plurimum deffert ab errore damnato Lutheri. ibidem.b
Auguſtinus quid intelligebat, quando dicebat nos eſſe ſapientia diuina ſapientes, bonos bonitate diuina, dilectores charitate diuina. 490.a
Autoritas Eccleſiæ eſt prior tẽpore autoritate Scripturæ. 105.a
Autoritas Eccleſiæ vniuerſalis latior eſt autoritate ſacræ Scripturæ. ibidem.
Auxilia ad pœnitentiam neceſſaria omnibus conferuntur à Deo. 537.a
Auxiliũ denegare, & non dare illud, multũ inter ſe differunt. 538.a
Auxiliũ copioſum multis hominibus nec dat Deus, nec eſt dare paratus. ibidem.
Auxilia poſteriora cur Deus non dedit aliquibus ciuitatibus, & quomodo illa nõ denegabit. 539.a
Auxiliũ quod Deus denegat peccatoribus, ex quo indurantur non facile quidem ſcitur. 540.b
Auxiliũ ſpeciale Dei eſt duplex. 541.a
Auxilium antecedẽs diuidi poteſt in quatuor genera. ibidem.
Auxilium interius, ſi detur æqualiter duobus hominib⁹ exiſtentib⁹ in peccato nõ conuertetur vnus ſine altero. 543.a

B.

Beati non perinent ad Eccleſiam. 50.b
Beatiſsimæ Virginis Marię virginitas, & deſcenſus Chriſti ad inferos habetur ex traditione Apoſtolica. 110.
Beati diuina vident non in ſpeculo, aut in ima

imagine, ſed clare atque diſtinctè inſeipſis ſicuti ſunt, 203.b
Beati habent timorem filialem. 229.b
Beatitudines ſunt actus virtutum, & precipuè donorum Spiritus ſancti, per quos ad vltimum finē, in quo beatitudo æterna conſiſtit appropinquamus. 246.b
Beatitudines diſtinguuntur à donis, ſicut actus diſtinguuntur à ſuis habitibus. ibidem.
Beati non dicuntur fideles negatiuè, quāuis fidem non habeāt. 245.b
Beatitudo æterna eſt proprium obiectum. ſpei. 398.a
Beati in patria non indigent virtute ſpei ad ſperandum alijs beatitudinem. 400.b
Beati nec quātum ad actum, nec quantum ad habitum habent ſpem. 418.b
Beati dicuntur nō habere fidem, nec ſpem, quia iſtæ virtutes repugnant ſtatui beatorum. ibidem.
Beati per charitatem ſperant beatitudinem illorum, quos vident ad beatitudinem perventuros. 419.a
Beatitudo eſt ſperāda eo modo, quo à Deo fuit promiſſa. 425.b
Beati qualiter habeāt timorē filialē. 432.b
Beati in quo excedant viatores. 575.b
Beatiſsima Virgo, & Apoſtoli, nō poterāt charitatem amittere, quia erant in gratia confirmati. 592.b
Beatitudinis gradus appellantur à D. Tho. diuerſæ ſpecies. 656.b
Beati in patria magis diligūt ſe, quàm alios beatiores. 670.b
Beati habent plenum gaudium non viatores. 696.b
Beatus eſt qui habet quidquid vult, & nihil mali vult. 703.b
Benefactor ex parte obiecti eſt magis diligendus, quàm beneficiatus. 668.a
Beneficiatus ex parte coniunctionis magis diligitur, quàm benefactor. ibidem.
Benefactore, & beneficiato in extrema neceſsitate exiſtentibus potius eſt ſubueniendum benefactori, quàm beneficiato. 668.b.
Beneuolentia diſtinguitur ab amore tam intellectiuo, quàm ſenſitiuo. 675.a
Beneficentia ſecundū communē rationem boni eſt act⁹ amicitię, vel charitatis. 713.a
Benefacere, quod eſt actus charitatis nō poteſt inueniri in quocunq; habente charitatē reſpectu cuiuſcunq; obiecti. ibidē.b
Beneficentia ſicut alij actus virtutis debet fieri pro loco & tempore. 714.b
Beneficentia magis eſt habenda ad magis propinquos ſecundum vnamquāq; coniunctionem. 716.b
Beneficentiæ ordo poterit variari ſecūdum diuerſitatem temporum, locorum & negotiorum. 717.a
Beneficentia nō eſt virtus diſtincta à charitate. 719.b
Berengarij verba in concilio Romano ſub Nicolao Papa declarantur. 83.a
Bigami etiam apud Gentiles non admittebantur ad ſacerdotium, 360.a
Blaſphemia eſt nomē Græcum idem ſignificans quod latinè maledictio, ſeù conuitium, ſed accipitur particulariter pro maledicto in Deum iniecto. 365.a
Blaſphemia oris opponitur fidei confeſsioni. ibidem.
Blaſphemia eſt falſa loquutio aduerſus Deum prolata ab eo, qui non ità iudicat, ſed eum male vult. 365.b
Blaſphemia ſemper requirit malam voluntatē aduerſus eū cui maledicitur. ibidem.
Blaſphemus, vt ſic, non peccat peccato infidelitatis. 366.a
Blaſphemi dicuntur quicunq; nominant pudenda Chriſti, aut Sanctorū. ibidem.
Blaſphemia poteſt dici formata, & informis ſicut fides. ibidem.
Blaſphemia ſiuè in Deū ſiuè in Sanctos iactetur, ſemper habet vnā rationē. ibidē.b
Blaſphemia ex genere ſuo ſemper eſt peccatum mortale. 367.b
Blaſphemia, quæ directè fertur in Deū, aut in Sanctos non poteſt eſſe peccatum veniale, ex grauitate materiæ, beneramen ex ſurreptione, vel ex defectu deliberationis, ibidem.
Blaſphemia ex genere ſuo eſt maximum peccatum. 368.b
Blaſphemia reperiri poteſt ſine infidelitate. 369.a
Blaſphemia continet in ſe grauitatem infidelitatis. ibidem.b
Blaſphemus ex diuina lege præcipiebatur lapidari. ibidem.b
Blaſphemia cordis interior eſt nūc in damnatis, & poſt diem Iudicij erit etiam blaſphemia oris. 370.b
Blaſphemia in Spiritum ſanctum quid ſit explicatur. 373.& 374.
Blaſphemia in Spiritum ſanctum, quare dicatur nec remitti in hoc ſeculo nec in futuro. 374.a

Boua,

Bona, quæ à Chriſto deriuantur in Eccleſiam tanquam in eius corpus ſunt duplicia, quædam ordinata ad propriam ſalutem eius, cui cōferuntur, alia ad bonum totius corporis. 56.a

Bonū morale dicitur id opus, quod eſt conſonum rectę rationi, bonum autem meritorium eſt quod vltra hoc eſt tanti valoris, vt ſit dignum vita æterna. 245.b

Bona ſunt in duplici differentia, quædam ſunt ardua, & difficilia, quædam verò facilia, 392.b

Bona ſupernaturalia, vt auxiliū gratiæ, & virtutū quibus homo perducitur ad vitā æternam cadunt ſub obiecto ſpei. 398.b

Bona omnia præter beatitudinē æternam ſecundario pertinent ad ſpem, & beatitudo pertinet primario. ibidem.

Bona tēporalia qua ratione poſsint cadere ſub obiecto ſpei. ibidem.

Bonum ab homine diſtinctum poteſt eſſe in illo obiectum amoris cōcupiſcentiæ. 404.a

Bona, quæ per charitatem volumus, Deo ſunt duplicia, in quibus & reliqua continentur. 483.b

Bonum vtile honeſtū, & delectabile valde differunt inter ſe. ibidem.a

Bona nobis cōmunia cum Deo ſunt in duplici differentia. 484.b

Bonū ad quod virt⁹ ordinatur eſt duplex, vnū vniuerſale, & vltimū, vt De⁹, aliud particulare, vt diligere parentes. 513,a

Bonum particulare, aliud eſt bonum ex natura ſua, aliud verò ſecundum apparentiam. ibidem.

Bonum ſummum hominis eſt Deus, qui beatificans hominem implet totaliter & quietat appetitum eius. 515.a

Bonus vt aliquis dicatur, quid requiratur. ibidem.b

Bonum diuinū eſt obiectum proximū charitatis, ideo charitas poni debet in voluntate cuius eſt in bonū diuinū ferri. 521.a

Bona noſtra tripliciter poſſunt comparari cum bonis proximorum. 645.b

Bonum ſpirituale proprium præferendum eſt bono ſpirituali cuiuſcunq; priuatæ perſonę: vtrum autem ſit præferendum bono ſpirituali Reipublicæ, & qualiter, diſputatur. 646.b

Bonum maius poteſt ordinari in minus bonum. 679.a

Bonitas, aut malitia actus in cōparatione ad alium ſumitur ex pluribus. 687.b

Bonum eſt prius malo. 698.a

Bonū ſpirituale, cuius adeptione voluntas lætatur, eſt præſtantius omnibus bonis ſenſibilibus. 697.a

Bonorum genera ex quibus eleemoſynas facere poſſumus ſunt in triplici differentia. 735.a

Bona per vſurā acquiſita debēt pauperib⁹ diſtribui, quando non conſtet, qui nam ſint illorum domini. 756.a

Bona perdita in ludo, quæ non tranſeunt in dominium lucrantis poſſunt propria autoritate recuperari ab illo, qui ea perdidit, ſi cōmodè autoritate iudicis ea non poteſt recuperare. 798.a

Bona perdita in ludo, licèt tranſeant in dominium lucrantis, poſſunt tamen repeti ab eo, qui ea perdidit. 768.b

Bona paraphernalia quæ dicantur. 773.a

Bona cōmunitatis ſunt duplicia. ibidem.b

Bona caſtrenſia, & quaſi caſtrenſia quę ſint explicatur. 774.a

Burlei & Gotfredi ſententia de augmento habituum naturaliū impugnatur ab omnibus Doctoribus. 550.a

C.

CAietani opinio de obiecto formali fidei. 6.a

Caietani ſententia de modo, quo Deus eſt cauſa malitiæ moralis. 225.a

Caietani ſententia de Chriſtianis ſuam fidem occultantibus ſigno aliquo exteriori. 160.b

Caliditas & ſiccitas in his inferioribus, quia ſunt duæ res habēt duas rationes formales, in ſole autem, quia ſunt vna res vnicam habent rationem formalem. 148.a

Calor cum intenditur augetur & fit perfectior non per additionē noui caloris, ſed per maiorē participationē ſubiecti. 551.a

Calor cum intenditur terminus, ad quem, illius motus non eſt aliquis nouus calor producendus, ſed maior inhærentia in ſubiecto. ibidem.b

Calor intimius inhæret aquæ, quàm ferro, & difficilius ſeparatur à corde animalis, quàm à ferro calido: ſed ferrū candens eſt calidius aqua & corde animalis. ibidem.

Calor quando efficitur intenſius augetur etiam ſecundum eſſentiam, & qui contrariū dicit ignorat propriā vocem. 552.a

Capacitas ſubiecti requiſita ad argumentum eſt duplex, remota & proxima, & quæ vtraque ſit, 569.b

Caſus in quibus communicatio cum infidelibus interdicitur explicantur. 302.a
Catechumenus dum baptizatur quanuis non reciperet gratiam reciperet tamen fidem, qua vere diceretur Chriſtianus. 186.a
Catholici atque hæretici partim differunt, & partim conueniunt. 198.b
Catechumenus, qui ſciẽs & prudẽs errat in fide nec eſt hæreticus ne vt talis puniendus. 337.b
Cauſæ, quæ efficiunt fidei aſſenſum ſunt certiores & efficaciores ad inducendam certitudinẽ, quam cauſæ, ex quibus procedit ſcientia. 192.b
Cauſæ efficientes ſunt in duplici differentia, quædam ſunt naturales, & aliæ morales. 224.b
Cauſa actus, ad quam ex natura ſua ſequitur priuatio conſequẽter cauſat priuationem. 227.a
Cauſa actus, ad quem non abſolutè, ſed vt procedit à tali agenti ſequitur priuatio, non dicitur cauſare illam priuationem, ſed tantum illa cauſa à qua dependet, ibidem.
Cauſæ, propter quas malefactores vita priuantur ſunt tres. 295.b
In cauſa finali ſicut & in cauſa efficienti tria poſſumus conſiderare. 404.a
Cauſa quãtitatis charitatis aliquãdo eſt ſola diuina voluntas, aliquando vero conatus vel diſpoſitio proxima. 536.a
Cauſalitas diſpoſitionis in hac vita eſt per actus intenſiores. 564.b
Certitudo poteſt prouenire, vel ex parte cauſæ, vel ex parte ſubiecti. 189.a
Certitudo non conſiſtit in intenſione habitus, vel actus. 189.b
Certitudo non conſiſtit in veritate, ibidẽ.
Certitudo non conſiſtit in claritate, & euidentia, ibidem.
Certa dicuntur illa, quæ dubia, & ambigua non ſunt, ibidem.
Certitudo eſt quædam indubietas, & determinatio ab omni mutatione, & indifferentia procul remota, ibidem.
Certitudo aſſenſus conſiſtit in duobus, ſcilicet, in attingendo verum, & in attingẽdo illud ſine dubitatione & vacillatione, 190.a
Certitudo aſſenſus recipit magis, & minus, 190.b
Certitudo triplex vna moralis altera fidei, altera euidentiæ. 195.b
Certitudo dupliciter poteſt alicui conueniẽs re, ſcilicet, eſſentialiter, & participatiuè. 424.a
Certitudo participata poteſt aliquãdo deficere impedita ab alio, ne ſuum finem cõſequatur, ibidem.
Certitudo voluntatis excludit omnẽ timorem. 424.b
Certitudo ordinis quæ eſt propria certitudo ſpei, non eſt conditionalis ſed abſoluta, ibidem.
Certitudo euentus eſt conditionalis in ſpe & non abſolutè. 425.a
Catholicũ nomẽ Græcum idem ſonat Latine quod vniuerſale, ibidem.
Catechumeni pertinent ad Eccleſiam meritò tantum. 67.a
Catholici nomen tribus rebus dari conſueuit. 52.a
Character baptiſmalis non eſt ſufficiens efficere membrum Chriſti, 61.a
Character eſt ſufficiens ad exercẽdos actus ordinis. 65.b
Charitas eſt forma fidei. 170.b
Charitas qua ratione poſsit dici forma intrinſeca fidei. 171.a
Charitas facit, vt fides eliciat actum perfectiorem, quantum admodũ, in quo præcipue ratio veræ virtutis conſiſtit, 179.b
Charitatem habens poteſt non vti ea ad actum fidei exercendum, ſed excitari ad credendum ex alterius, vel habitus, vel paſsionis affectu. 280.a
Charitas eſt pręſtantior virtus, quàm fides, & quam reliquæ virtutes. 185.a
Charitas licèt realiter diſtinguatur à gratia, nõ tamẽ poteſt eſſe ſine illa: & ſic quodcunque peccatum corrumpens gratiam corrumpit charitatem. 222.b
Charitas efficit in nobis vt fugiamus, & timeamus culpam. 433.a
Charitas deteſtatur culpam per actũ odij, qui eſt circa malum abſolutè, ibidem.
Charitas varie accipitur in ſacris literis. 482.a
Charitatis deductio ſecundum Grammaticos, ibidem.
Charitas proprie atque perfectè habet rationem amicitiæ, ibidem.
Charitatem an habeamus tantum per coniecturas non perfectè ſcire poſsumus. 484.a
Charitas dicitur propriè de amore Dei, abuſiuè verò de amore hominis. 486.a
Charitatem eſſe Spiritum ſanctum aliquan-

quando poterat cum aliqua explicatione defendi, nunc verò non ſine errore. 488.b
Charitas poteſt ſuſcipere magis & minus, & quomodo. 494.a
Charitas in ſe magis inclinat ad actum, quam reliquæ virtutes acquiſitæ, ibidem.b
Charitas, & actus dilectionis qualem habeant infinitatem, ibidem.
Charitas eſt virtus. 497.b
Charitas eſt virtus ſpecialis. 502.b
Charitas quantumcunque remiſſa eſt vera virtus, quantum ad eſſentia, & etiã quantum ad ſtatum. 498.b
Charitas quantumcunque minima quomodo ſe extendat, ibidem.
Charitas habet connexas omnes virtutes. 499.a
Quòd Charitas ſimpliciter ſit anima perfectior, ſententia probabilis. 501.a
Charitas verſatur circa Deum ſecundum quod eſt obiectum beatitudinis. 502.b
Charitas eſt vna virtus. 504.b
Charitas eſt vnus finis, ibidem.
Charitas eſt excellentior fide ſpe, & omnibus virtutibus. 506.a.&.b
Charitas quam tollat difficultatem in actu martyrij, dum quis moritur pro Chriſto. 510.a
Charitas eſt perfectior virtus, quam fortitudo, licèt nullus actus charitatis ſit præſtantior martyrio. 511.a
Charitas eſt forma virtutum. 518.a
Charitas quomodo dicatur forma omniũ virtutum. ibidem.b
Charitas recipit eſſe virtutis à gratia, ſed non, vt aliæ virtutes recipiunt à charitate. 519.b
Charitas regulatur per diuinam ſapientiã, non per prudentiam infuſam, quia potius prudentia à charitate regulatur. 523.b
Charitas reſpectu cuius dicatur prima regula. ibidem.
Charitas cauſatur in nobis ex infuſione Dei, & quantum ad actum, & quantum ad habitum, & eſt de fide tenendũ. 524.b
Charitatem eſſe connaturalem alicui creaturæ, vel quod aliquis eam ſuis viribus acquirat implicat contradictionem. 525.b
Charitas & gratia quomodo ſint perfectiones finitæ, & tamen per ſe pertinent ad ordinem entis infiniti, qui eſt Deus, ibidem.
Charitas eſt in nobis per infuſionem Spiritus ſancti, qui eſt amor patris & filij, ſed non ita quòd non à patre, & à filio: tota enim Trinitas illã operatur cum ſit opus ad extra. 526.a
Charitas infunditur maior in vno, quam in altero ſecundum maiorem, vel minorem diſpoſitionem ſubiecti, in quo eſt recipienda. 535.a
Charitas viæ poteſt augeri. 547.a
Charitas dum intelligitur addi charitati ad minus ſecundum intellectum ſupponere debemus diſtinctionem vnius charitatis ab alia. 549.b
Charitas non poteſt augeri in eodem ſubiecto per extenſionem ad plura obiecta, ibidem.
Charitas non poteſt augeri per additionem charitatis ad charitatem, ſed per hoc, quòd magis intenditur in ſubiecto. ibidem.
Charitatem infundit Deus ſe ſolo, & eam auget ad modum, quo reliqui habitus naturales augentur. 550.a
Charitas non augetur in actu per quemlibet actum, ſed per feruentiorem. 554.a
Charitas non augetur efficienter, ſed meritorie noſtris actibus. 557.b
Charitas & cæteræ virtutes infuſæ conſequuntur gratiam tanquam propriæ paſſiones illius. 560.b
Charitatem nunquam actu augeri niſi per actus intenſiores & feruentiores valde eſt probabile. 561.a
Charitas vel gratia ſtatim augetur per quẽcunque actum meritorium. 562.a
Charitas penes quid augeatur à diuerſis diuerſa dicuntur. 564.a
Charitas augetur quolibet actu ſecundum totam latitudinem meriti. ibidem.b
Charitas viæ non habet terminum, ſed poteſt in infinitum creſcere. 566.a
Charitas poteſt augeri in infinitum ſyncategorematice. ibidem.b
Charitas viæ poteſt creſcere in infinitum, & quomodo, ibidem.
Charitati de facto non conuenit augeri niſi vt eſt in via. 569.b
Charitas eſt forma creata, & finita tamen in infinitum poteſt augeri, vt ignis. 570.a
Charitatem maximam cur Deus producere non

re non poſsit. 570.b
Charitas habet duplicem quantitatem intenſiuæ perfectionis ex parte obiecti & ex parte ſubiecti. 571.b
Charitas viatoris poteſt peruenire ad quantitatem perfectionis charitatis comprehenſoris, loquendo de perfectione ſubiecti. 571.b
Charitas viæ poteſt adæquare charitatem comprehenſoris, & illam ſuperare, loquendo de perfectione charitatis ex parte obiecti. ibidem.
Charitas patriæ eſt quanta duabus quantitatibus ratione tamen diuerſis. ibidem.
Charitatis ſtatus duplex eſt, naturalis in patria, extra naturalis in via. 572.b
Charitas appellatur à D. Paulo via, & peregrinatio. 572.b
Charitas viæ, & gloriæ cui comparetur in ſacra ſcriptura. 573.a
Charitas viæ quomodo remaneat in patria. 573.a
Charitas viæ poteſt in infinitum augeri, & ad illius augmentum proportionaliter augetur charitas patriæ; quæ tamen nequit in infinitum creſcere, quomodo verum ſit. 574.b
Charitas non augetur in infinitum ſimpliciter, ſed in infinitum intra latitudinem viæ. 575.a
Charitas comprehenſoris in quo excedat charitatem viatoris. ibidem.b
Charitas beatæ Virginis, qua perfectione ſupremæ Angelorum charitati, ſuperat. ibidem.
Charitatis perfectio dupliciter poteſt intelligi, ex parte diligibilis & ex parte diligentis. 577.a
Charitas nullius creaturæ poteſt eſſe perfecta perfectione ſe tenente ex parte diligibilis. ibidem.
Charitas viæ non poteſt eſſe ità perfecta, vt homo per illã ſemper feratur in Deũ. ibidem.
Charitas viæ in omnibus hominibus iuſtis eſt ità perfecta, vt nihil in ſe admittat, quod ſit contrariũ diuinæ charitati. ibidem.
Charitatis perfectio triplex deſumitur ex ſcriptura ſancta. ibidem.b
Charitas eſt triplex incipiens, proficiens, & perfecta. 578.b
Charitas minui poteſt dupliciter, & ex parte obiecti, & ex parte ſubiecti. 581. & 595.a
Charitas reſpectu obiecti principalis non poteſt minui, nec augeri. ibidem.b
Charitas & reliquæ virtutes infuſæ non minuuntur per ſolam ceſſationem ab actu, nec cauſantur à noſtris actibus. ibidem.
Charitas nõ minuitur in nobis à ſolo Deo. ibidem.
Charitas ſi diminuitur per peccata venialia. 582.a
Charitas eſt forma, & eſt virtus. ibidem.b
Charitas, ſecundum quam quantitatem non poteſt eſſe maior in vno, quam in alio. ibidem.
Charitas, & gratia concreantur, vt ait Caietanus, ſed cæteri doctores contrarium ſentiunt. 585.a
De charitate aliqui cenſuerunt, quòd poteſt Deus illam conſeruare cum peccato mortali in eodem homine. ibidem b.
Charitas non poteſt minui per peccata venialia vſque ad eius correptionem. 587.b
Charitatis effectus remittuntur non ipſa charitas. 589.a
Charitas non æqualiter ſe habet reſpectu augmenti & diminutionis, & cur. ibidem.
Charitas tripliciter poteſt conſiderari, & quomodo. 591.b
Charitas omnino inamiſsibilis, quomodo. ibidem.
Charitas patriæ nullo modo poteſt amitti. ibidem.
Charitas viæ ſemel habita poteſt per peccatum mortale amitti, niſi confirmetur in gratia, vt beata Virgo, & Apoſtoli cõfirmati fuerunt. 592.b
Charitas viæ, & patriæ differunt ſpecie in genere moris. 595.b
Charitas & gratia ſimul amiſſa non neceſſario reſtituitur. 596.b
Charitas ſi eſſet habitus acquiſitus non recuperetur vnico actu peccati mortalis. 599.a
Charitas dependet ex Dei infuſione ſicut lumen à ſole. ibidem.b
Charitas inclinat ad diligendum proximum propter Deum duplici ratione. 605.b

Charitas naturalis Dei nulla ratione ſe extendit ad proximos diligendos, & quid vltrà requiratur. 606.a

Charitas eſt amor, qui poteſt ſupra ſeipſum reflecti, & cur. 608.a

Charitas non eſt ſimpliciter amor, ſed habet rationem amicitiæ, per quam aliquis dupliciter amatur. ibidem.

Charitas amatur per charitatem, non vt amicus, ſed vt bonum, quod optamus omnibus, quos ex charitate diligimus. ibidem.

Charitas ex ſua ratione inclinat ad diligendum Deum pluſquam proximum, nō ſolum obiectiuè & appretiatiuè, ſed etiã intenſiuè. 636.b

Charitatis magis proprium eſt amare, quã amari. 672.a

Charitas quanto perfectior eſt tanto perfectius amat. 674.a

Charitas cur dilexit Deum propter præmium, vel temporale, vel æternum tanquam propter finem, vel primarium, vel ſecundarium. 681.a

Chriſtus dicitur Saluator corporis Eccleſiæ, quia pro omnibus dedit remedium ſufficiens. 61.a

Chriſtiani appellantur Reges & Sacerdotes per metaphoram. 76.a

Chriſti corpus ratione ſacramentaliũ ſpecierum vere dicitur tractari atque frangi 83.a

Chriſtus optimè inſtituit, quòd in Eccleſia eſſent duæ regulæ infallibiles, vna Concilium, altera Papa. 89.b

Chriſtus vnum paſtorem vniuerſalis Eccleſiæ Petrum inſtituit: quo defuncto diuino iure alij ſuo ordine illi ſuccedunt in eadem auctoritate, & poteſtate. 90.a

Chriſtus aliquando habuit aliquid in communi, aliquando autem nihil habuit, nec in communi, nec in particulari. 96.a

Chriſti gratia, atque meritum ſemper fuerunt neceſſaria, vt homines conſequerẽtur remiſsionem peccati, atque gloriã. 135.b

Chriſti meritum, & gratia non applicantur hominibus, niſi habeant fidem illius, vel implicitam, vel explicitam. ibidem.

Chriſtiani omnes cuiuſcunque ſtatus, & conditionis ſint tenentur explicitè credere fidei articulos in ſymbolo contentos. 139.a

Chriſtiani ſimplices, id eſt, vulgus Chriſtianorum tenẽtur fidei articulos ità credere explicite, vt interrogati de illis poſſint dicere ità eſſe. ibidem.

Chriſtianus habens ignorantiam inuincibilem incarnationis non poteſt ſaluari. 141.b

Chriſtiani ſimplices errantes circa ſubtilitatem fidei excuſantur & à culpa hæreſis, & à pœnis contra hæreticos ſtatutis, ſi deſit pertinacia. 142.a

Chriſti nomine ſignificatur tota doctrina fidei. 146.a

Chriſtus qualiter habuerit timorem filialem. 432.b

Chriſtianus Chriſtiano multis rationibus proximus dicitur. 606.b

Chriſtus quanuis habitu, atque potentia habeat poteſtatem ſupra omnes, actu tamen tantum habet eam ſupra illos, qui ſunt Chriſtiani. 288.a

Chriſtiani tenentur credere explicite multa quæ Iudæi non tenebantur explicitè credere. 388.b

Chriſtus omnia præcepta naturalia illuſtrauit. 784.b

Ciuis magis diligit bonum ciuitatis, quã proprium. 643.b

Ciues ſunt magis diligendi, quam alij in ciuilibus. 669.a

Claudus quod praue moueatur habet non à virtute motiua, ſed à tibia claudicante. 23.a

Clericus habens beneficium Eccleſiaſticũ eo ipſo quod ſit hæreticus manet priuatus illo. 66.a

Clerici non reſidentes, tenentur in conſcientia reſtituere fructus perceptos ante iudicis condemnationem. 351.a

Clerici conſtituti in minoribus ordinibus non deferentes habitũ, & tonſuram clericalem non gaudent priuilegio clericorum. 359.b

Clerici non poſſunt mutare ſtatum, ſed tenentur omnia quæ ſuperfuerint pauperibus erogare. 741.a

Clerici qualiter teneantur denuntiare hæreticum, etiam cum manifeſto periculo mortis. 824.a

Coactio infidelibus facta per ſe terminatur ad ſacrilegam, & illicitam fidei confeſsionem. 286.b

Cæcitas mentis, quæ conſiſtit in priuatione

ne luminis naturalis, non poteſt homini conuenire. 383.a
Cæcitas mentis, quæ conſiſtit in priuatione luminis ſupernaturalis gratiæ, non eſt peccatum, ſed pœna peccati. ibidem.
Cæcitas mentis quæ conſiſtit in eo ꝙ quis nō intendat principio intelligibili ſemper eſt peccatum.ibidem.
Cæcitas mentis & ignorantia diſtinguuntur,& qualiter. 386.a
Cæcitas mentis naſcitur ex luxuria, hebetudo autem ſenſus ex gula. 386.a
Cognitio ſupernaturalis eſt triplex.ſ. obiectiuè tantum, effectiuè tantum, & vtroq; modo ſimul. 121.b
Cogitare idem eſt, quod inquirere ſeu diſcurrere. 114.a
Cognitio ſupernaturalis ſaltim ex parte principij, & effectiuè tantum ſemper fuit neceſſaria ad ſalutem conſequendā. 123.b
Cognitio aliquarum rerum ſupernaturalium ſemper fuit neceſſaria ad ſalutem conſequendam. 126.a
Cognitio ſupernaturalis ex parte principij, & ex parte obiecti eſt neceſſaria ad ſalutem non ſolum neceſsitate pręcepti, ſed neceſsitate finis. 127.a
Cognitio duplex, vna implicita, alia explicita. 130.b
Cognitio eadem eſt implicita, & explicita ſecundum diuerſas cōſiderationes. 131.a
Cognitio implicita vnius rei non poteſt eſſe ſine explicita alterius, in qua illa contineatur.ibidem.
Ad cognitionem implicitam eſt neceſſarium, quòd res ſic cognita poſsit deduci ex re, quæ cognoſcitur explicitè per idem lumen, quo res explicitè cognoſcitur.ibidem.
Cognitio maior requiritur ad conſequendam gloriam, quam ad conſequendam gratiam. 135.b
Cognitio humana non eſt regula fidei, ſed diuina veritas. 142.b
Cognitio dupliciter poteſt eſſe euidens, vno modo in ſe, alio modo in atteſtante. 252.a
Cognitio euidens in atteſtāte, poteſt ſimul eſſe cum fide.ibidem.
Cognitio eſt triplex, vna ænigmatica, alia in imagine, tertia clara, & euidens. 203.b
In cognitionibus naturalibus præter potentiam eſt lumen naturale, & ſunt ſpecies intelligibiles repræſentantes obiectum, & præterea ſunt habitus inclinantes ad aſſeuerandum rebus propoſitis. 221.b
Cognatio eſt ſuperius nomen, quàm conſanguinitas. 659.b
Cognatio triplex, ſcilicet, carnalis, ſpiritualis, & legalis.ibidem.
Cognationis ſpiritualis gradus numerantur, & explicantur.ibidem.
Collectio eorū, quæ certa ſunt de augmēto charitatis. 575.a
Compoſitio duplex, vna phyſica, altera logica, logica eſt in intellectu, phyſica in rebus ipſis. 17.b
Comparatio debet fieri inter ea, quæ ſunt eiuſdem generis. 262.a
Communicatio cum infidelibus qui nunquam fidem ſuſceperunt ſtando in iure naturali, & diuino, tunc ſolum eſt fidelibus prohibita, cum ex ea probabiliter timetur malum. 32.a
Communicatio cum infidelibus ex iure poſitiuo eſt interdicta fidelibus in decē caſibus.ibidem.
Communicatio cum excōmunicato duobus tantum caſibus eſt prohibita. 34.b
Comeſtio carnis per prohibitionem in genere moris acquiſiuit nouam malitiam. 585.a
Conditiones in ſummo Pontifice inueniēdæ ſunt in duplici differentia. 64.a
Conditio neceſſaria ad eſſe Papæ tantum in fieri eſt voluntas ipſius pōtificis, qua ſuæ electioni conſentiat.ibidem.b
Conditio requiſita ad eſſe Papæ nō ſolùm in fieri, ſed in facto eſſe eſt fides ſiue formata, ſiue informis,ibidem.
Concilijs, in quibus agitur de rebus in fide dubijs, poſſunt intereſſe quicunque ſeculares, non tamen præeſſe, aut ſententiam ferre. 75.a
Concilium dicitur à conſidendo, ſiue à conſulendo. 77.a
Concilij diffinitio in genere.ibidem.
Conciliorū origo repetitur à Chriſto. ibid.
Concilia celebrantur, propter multas, & graues cauſas.ibidem.b
Conciliorum genus triplex.ibidem.
Concilia epiſcopalia non poſſunt aliquid de fide diffinire. 78.a
Concilia prouincialia poſſunt errare, & de facto aliqua errauerunt. ibidem.
Concilium generale duplex. 79.b
Concilium generale legitimum repræſentat

tat totam Eccleſiam.ibidem.
Concilium generale illegitimum, hoc eſt, abſque Pontificis autoritate congregatū vel ipſo renuente proſequutum poteſt errare in diffinitione fidei, & morum. 8o.a
Concilium generale legitimè congregatū non poteſt errare, etiam per modicum tempus in diffinitione fidei & morum. ibidem.b
Concilium generale legitimè congregatū non poſſe errare eſt de fide. 81.b
Conſtantinopolitanum concilium illegitimum. 80.a
Conſtantienſe Concilium, an fuerit legitimum. 82.b
Concilia priora qualiter emendentur, à poſterioribus. 84.b
Concilia habent poteſtatem diffiniendi, & aſsiſtentiam Spiritus ſancti. 85.a
Concilium legitimè congregatum cui interſunt legati ſummi Pontificis, habet poteſtatem diffiniendi res fidei. 86.a
Concilia plenaria per legatos celebrata ꝙ habeant poteſtatem diffiniendi res fidei immediatè à Chriſto eſt probabile. 86.b
Concilium generale per legatos celebratū quòd habeat poteſtatē diffiniendi à ſummo Pontifice delegatam eſt certū. 87.a
Concilia generalia per legatos celebrata non poſſunt errare in diffinitione fidei, & morum.ibidem.b
Concilia generalia per legatos celebrata petunt à ſummo Pontifice confirmationē propter multas rationes. 88.b
Concilium & Papa non ſunt duo capita, ſed ſolus Papa eſt caput Eccleſiæ. 89.a
Concilia congregantur non propter ſolam poteſtatem diffiniendi, ſed propter collationem,& diſcuſsionem quæſtionum fidei cum multitudine virorum ſapientum. 99.b
Contenta in ſacra ſcriptura, & ſimiliter illa,quæ ab Eccleſia ſunt diffinita, vſqueadeo ſunt vera, vt his,atque illis ſit neceſſario fides adhibenda. 106.a
Confeſsio exterior eſt actus fidei, & quomodo. 155.b
Confeſsio fidei dicitur actus fidei,quia per illam regulatur. 156.b
Confeſsio fidei exterior tunc tantum eſt in præcepto, quando ex eius dimiſsione, vel ſubtrahitur debitus honor Deo, vel vtilitas proximorum. 158.a
Confeſsio fidei exterior tantum obligat in tribus caſibus. 162.a
Contractus,tam venditionis, quàm donationis facti ab hæretico ſunt ipſo facto nulli. 347.b
Conſtitutio concilij Conſtantienſis de cōmunicatione cum excommunicatis ponitur,& declaratur. 304.a
Conuerſio ad bonum commutabile ſi poſſet eſſe ſine auerſione, quanuis eſſet inordinata, non eſſet peccatum mortale. 464.b
Continentia eſt quid imperfectum in genere virtutis. 499.a
Confeſsio fidei tripliciter fieri poteſt. 508.a
Confeſsio fidei,quæ fit cum periculo mortis, ſimul elicitur à fide,& à fortitudine. 508.a
Confeſsio fidei facta cum periculo mortis duplicem continet difficultatem. 509.a
Contraria ſunt in duplici differentia, ſcilicet,formaliter,& ab extrinſeco.
Contritio, qua vltimate homo diſponitur ad gratiam non eſt actus naturalis, ſed ſupernaturalis. 532.a
Contritio à quo principio procedat declatatur.ibidem.
Concurſus actualis Dei,quo cōcurrit cum aliquo ad conuerſionem & ipſa conuerſio ſunt ſimul in eodem inſtāti, nec vnū alterum tempore præcedit. 545.a
Contritio in quo genere cauſæ ſit prior gratia. 562.a
Contraria ſunt, quæ eidem ſubiecto viciſſim inſunt, declaratur. 589.a
Contraria habēt fieri circa idem.ibidem. b
Conſanguinei ſunt magis diligendi quam alij in ijs, quæ pertinent ad naturam. 659.a
Condiſcipulus eſt præferendus patri in re literaria.ibidem.b
Conſanguinitas,ſeu cognatio definitur ex ſententia Ariſt.ibidem.
Cor lapideum cur dicantur habere obſtinati peccatores. 542.a
Corpus quando validum, & ſanum dicatur. 576.a
Corpus humanum diligitur ex charitate, & quomodo. 612.b
Corporis caſtigatio eſt laudabilis, & quomodo ſit facienda. 613.a
Corrumpere effectiue ſtat dupliciter, phyſice,& moraliter. 584.b
Credenti Deum eſſe trinum, & vnum duplex poteſt fieri interrogatio. 7.b
Credere nullus poteſt prudenter,atque cordate

date niſi prius iudicet ea, quæ credit eſſe euidenter credibilia. 32.a
Credere qualiter ſit cum aſſenſione cogitare. 114.a
Credere accipitur dupliciter. ibidem.b
Credere in Deum eſt magis, quàm credere Deo, & credere Deum. 116.a
Credere Deum, & credere Deo ſemper eſt vnus, & idem actus. ibidem.
Credens in Deum credit etiam Deo, & Deum. ibidem.b
Credens Deo & Deum non ſemper credit in Deum. ibidem.
Credere in Deū eſt vnicus ſimplex actus elicitus ab intellectu imperatus à voluntate. ibidem.
Credere aliquid ſupra rationē naturalē eſt neceſſarium ad ſalutem. 102.a
Creaturæ omnes in mundo exiſtentes recipiunt à naturis ſuperioribus aliquam perfectionem. 102.b
Credere aliquid explicitè ſemper fuit neceſſarium ad ſalutem. 131.b
Credere explicite myſterium Trinitatis eſt de neceſsitate ſalutis. 146.b
Credere vniuerſos fidei articulos certo & indubitato aſſenſu nullus poteſt, ſine auxilio ſpeciali Dei, & contrarium dicere eſt Pelagianum. 217.b
Credere Deum nec in veteri, nec in noua lege fuit præceptum.
Creatura tunc amatur tanquam vltimus finis quādo præfertur Deo & legi diuinę. 436.b
Creatura omnis in quantum fit ex nihilo poteſt dici vanitas. 496.b
Creaturæ irrationales non poſſunt amari, vt amicus, ad quem amicitia habetur. 609.b
Creaturæ irrationales poſſunt diligi ex charitate tanquam bona, quæ alijs volumus. 610.
Correctio fraterna, quæ ordinatur ad bonum delinquentis, eſt actus charitatis. 779.b
Correctio fraterna, quæ ordinatur ad bonum aliorum, & maximè communitatis eſt actus iuſtitiæ. 780.a
Correctio, & correptio qualiter inter ſe diſtinguantur. ibidem.
Correctionis fraternæ nomine ſignificatur totus ille proceſſus poſitus in euangelio. ibidem.
Correctio fraterna, accuſatio, & inquiſitio diſtinguuntur inter ſeſe. ibidem.b
Correctio fraterna, eſt immediatus actus miſericordiæ, & mediatus charitatis, ſicut eleemoſyna. 780.b
Correctio fraterna, non eſt conſiliū quanuis illud præſupponat. ibidem.
Corrigere fratrem de peccato ſuo eſt præceptum affirmatiuum de iure diuino naturali & poſitiuo omnes obligans. 783.b
Correctio fraterna poteſt eſſe de quocunque peccato mortali tā præterito, quàm futuro. 785.b
Correctionis fraternæ præcepto obligamur corripere non ſolùm inferiores, & æquales, ſed etiam ſuperiores. ibidem.
Correctio fraterna quando debeat eſſe de peccato veniali. 786.a
Correctionis fraternæ obligatio qualiter ſit maior quam obligatio eleemoſynæ corporalis explicatur. 787.a
Correctio fraterna eſt adhibenda in caſu, quo quis dubitat vtrū ſua correctione ſit profuturus dummodo ſit certus quod non eſt obfuturus. 791.a
Correctio fraterna nō eſt adhibenda, quando quis dubitat an obèrit bono communi. ibidem.b
Correctio fraterna non eſt dimittenda prò pter bonum temporale eius, qui corripitur. 791.b
Correctio non eſt adhibenda quando eſt dubium, an oberit in ſpiritualibus ei qui corripitur, niſi forte peccatum eſſet in perniciem reipublicæ. 792.a
Correctio fraterna poteſt in aliud tempus differri ſi conuenientius expectatur. 793.a
Correctio fraterna non eſt adhibenda, niſi quando adeſt certa cognitio peccati. 794.b
Correctio fraterna, non eſt adhibendà cum periculo mortis illi homini, qui ex malitia eſt in neceſsitate ſpirituali. 796.a
Correctio fraterna eſt adhibenda cum periculo mortis exiſtenti in extrema neceſſitate ſpirituali, ex fragilitate, vel ex paſſione aut ignorantia proueniente. 796.b
Correctio fraterna quando obligat cum periculo vitæ, explicatur. 797.
Correctio procedens per ſimplicem admonitionem pertinet ad homines. 799.b

Correctio iudicialis non conuenit ſubdito reſpectu ſui prælati, ſed tantum correctio fraterna. 803.b
In correctione fraterna, qualiter poteſt ſuperbia reperiri. 811.b
A correctione iudiciali non eſt ceſſandum propter timorem perturbationis illius, qui corripitur, aut amicorum eius. 813.a
A correctione fraterna eſt ceſſandum, quãdo probabiliter timetur eum, qui corripitur futurum deteriorem. 813.a
Correctionis fraternæ modus tres continet gradus. 818.b
Correctionis fraternæ finis eſt ſalus proximi, & ideo ex iſto fine omnis correctionis ordo ſumendus eſt. 818.b
Correctio fraterna ſemper debet fieri minori periculo quo poteſt. 824.b
In correctione fraterna teſtium inductio debet præcedere denuntiationem. 826.a
In correctione fraterna ſunt adhibendi teſtes etiam quando crimen eſt occultiſsimum. 826.b
In correctione fraterna inducuntur teſtes propter duo. 827.a
In correctione fraterna quando ſecreta admonitio prodeſt non eſt vlterius procedendum ad inductionem teſtium, vel denunciationem. 827.b
Creatura nulla eſt adeò venenoſa, quæ aliqua ex parte homini non poſsit eſſe vtilis. 610
Creaturis irrationalibus licitum eſt vti pro libito, quantum eſt ex parte ſua. ibidem.
Creatura omnis eſt ſubiecta miſeriæ inquantum eſt in potentia. 710.b
Crimen publicum appellatur in iure illud, cuius accuſatio, vel denunciatio nõ ſolum perſonæ, quæ ex ipſo aliquam paſſa eſt iacturam, ſed cuilibet ex populo competere poteſt. 351.b
Culpa vt ſic, ſecluſa omni pœna, poteſt eſſe immediatum obiectum timoris, in quantum timor verſatur circa malum poſsibile imminens. 432.a
Culpa quatenus eſt voluntaria non poteſt eſſe obiectum timoris, bene tamen quatenus eſt cauſa extrinſeca impellente. ibidem.
Culpa abſolutè loquendo poteſt eſſe obiectum timoris. ibidem. b
Culpa poteſt conſiderari dupliciter. 433.a
Culpa habet duo, vnum eſt prauitas, & deordinatio mentis, aliud eſt violatio amicitiæ. 627.b

D.

Damnati ſemper permanent in odio Dei, ex quo vellent plura alia peccata commiſiſſe. 206.b
Damnati amittunt fidem ratione ſtatus, quia ſunt in termino ſimpliciter. 207.a
Damnati fideles diſtinguuntur ab infidelibus per characterem. ibidem.
Damnati cognoſcunt bona, quæ amiſerũt, non per fidem infuſam, ſed per fidem ortam ex coniecturis, quibus conuincuntur ad ità iudicandum. ibidem. b
Damnati, nec quantum ad actum, nec quantum ad habitum habent ſpem. 420.b
Ad damnaturum pœnam pertinet, vt intelligant ſuos cruciatus fore perpetuos. ibidem.
Doniel ſua, & non aliorum peccata confitebatur Domino. 596.a
Debita ex iuſtitia, & debita ex charitate diſtinguuntur inter ſe. 801.a
Deceptio non contingit circa quod quid eſt, ſiue circa definitionem, niſi per accidens. 117.b
Deceptio non poteſt contingere circa ſubſtantias incompoſitas, & ſeparatas, ſed ignorantia. 118.a
Definitio fidei à D. Paulo aſsignata explicatur. 161.a
Defectus in aliquo exiſtens eſt ſibi ratio miſerendi in quantum reputat alterius miſeriam propriam. 705.b
Definitio de virtutibus data non conuenit virtutibus moralibus ſine charitate. 516.b
Defendere cupiens opinionem Diui Thomæ de augmento charitatis quando conferatur, quid obſeruare debeat. 564.b
Degradatus non priuatur ordine quantum ad poteſtatem conſecrandi, ſed quantum ad legitimum vſum illius. 63.a
Dilectione naturali prius tempore diligimus proximum quam Deum, dilectione autem ſupernaturali prius diligimus

gimus Deum, non ſolum perfectione ſed tempore. 634.a

Delectatio diſtinguitur à gaudio, & latius patet quam illud. 693.b

Delectationes ſenſuum quo ad nos ſunt efficaciores, atque vehementius mouẽt, quam bona ſpiritualia. 696.b

Delectationes, quæ ſunt in appetitu intellectiuo & maxime illę, quæ conſequuntur ex charitate ſecundum ſe ſunt meliores & longe præſtantiores, quam quę ſunt in appetitu ſenſitiuo. 697.a

Ad delectationem requiruntur tria. ibidẽ.

Dæmones aut damnati non poſſunt habere fidem diuinam, nec quantum ad actum, nec quãtum ad habitum. 206.b

Dæmonum, & damnatorum voluntas eſt adeo firmata in malo & præſertim erga res diuinas, & ſupernaturales, vt nullam bonam affectionem poſsint habere circa illas. 206.a

Dæmones qualiter ſunt ex charitate diligendi. 630.b

Denunciatio, & accuſatio differunt inter ſe. 816.b

Denuncians fraternaliter non poteſt eſſe teſtis dum peccatum denũciatur. 828.b

Deſperatio eſt peccatum. 458.a

Deſperatio poteſt eſſe ſine infidelitate, ſicut quæcunque alia peccata mortalia. 460.b

Deſperatio non eſt cum quis non habet actum ſpei priuatiuè, eo tempore, quo tenetur ſperare. 461.b

Deſperatio priuatiuè ſumpta poteſt eſſe ſine eo, quòd in voluntate poſsit eſſe aliquis actus. ibidem.

Deſperatio propriè eſt cum quis habet cõtrarium actum ſpei poſitiuè. 462.a

Deſperatio propriè conſiſtit in illo actu voluntatis quo quis non vult ſaluari. ibidem.

Ad deſperationem ſatis eſt, quòd quis non velit beatitudinem conſequi nullo iudicio ſiue in vniuerſali, ſiue in particulari de poſsibilitate beatitudinis in intellectu exiſtente. 462.b

Deſperatio reſpectu noſtri periculoſius peccatum eſt, quam infidelitas aut odiũ Dei. 466.a

Deſperatio naſcitur ex luxuria ea parte, qua luxuria facit, vt obiectum ſpei non appareat arduum, ac difficile. 466.b

Deſperatio oritur ex accidia ea parte, qua accidia facit, vt obiectum ſpei non appareat nobis poſsibile adipiſci. ibidem.

Deſperatio ſpecialius oritur ex accidia, quam ex luxuria. 467.a

Deſiderare æqualem beatitudinem omnibus eſt contra diuinam diſpoſitionem. 657.b

Deſiderium quòd beati habent de gloria ſui corporis non eſt propriè ſpes. 415.a

Deus conſideratur multipliciter, ſecũdũ diuerſa, & multiplicia attributa, quæ in illo inueniuntur. 6.a

Deus ſub ratione veritatis eſt obiectũ formale fidei. ibidem. b

Deus ab alio habet ꝙ ſit, & ab alio, ꝙ credatur talis qualis in ſacris literis proponitur. 7.a

Deus ſæpè dixit aliqua in ſacra ſcriptura ex quibus audientes decepti ſunt. 21.b

Deus nec per ſe, nec per alium poteſt mentiri & de potentia abſoluta. ibidem.

Deus quidquid facit per cauſam ſecundã, ſe ſolo facere poteſt, qualiter ſit intelligendum. 22.a

Deus duplici ratione eſt remunerator. 127.a

Deus hunc honorem voluit filio ſuo deferre, vt quicunque gloriam conſequerentur ipſius haberent fidem explicitam. 137.a

Deus eſt vnica res ſimplicisſima habens in ſe, quod eſt abſoluti & quod eſt relatiui. 148.b

Deus paulatim, atque ſenſim procedit in iuſtificatione & illuminatione hominum. 185.b

Deus non ſemper infundit ſimul omnem ſanitatem, ſed ſæpe illã, infundit ſucceſſiue. 186.b

Deus dum infundit fidem infundit etiam lumen ſpirituale, & intellectuale, quo intellectus illuſtratur, & illuminatur ad aſſenſum rerũ ſupernaturaliũ. 221.b

Deus dum confert fidem non ſolum illuminat intellectum, ſed etiam confert habitum, quo inclinemur ad credendum. 222.a

Deus non poteſt eſſe cauſa peccati, aut faciendo illud, aut faciendo alium peccare. 223.b

Deus ita eſt cauſa actionis peccati, vt nihil poſitiui ſit in illo ꝙ à Deo non cauſetur. 224.a

Deus non eſt cauſa malitiæ moralis poſitiuę

tiuæ, nec priuationis rectitudinis moralis debitæ in eſſe tali actui. 226.b
Deus multos in pueritia, & in adoleſcentia ex hac vita præripit, vt crimina, à quibus tunc liberi ſunt, poſteà viuentes non committant. 297.a
Deus bona temporalia dat indiſcriminatim bonis & malis. 309.b
Deus multos abſque aliqua illorum culpa affligit, & torquet, non tamen prius eſt vltor, quàm aliquis ſit peccator. 354.a
Deus quanuis ſecundum ſe non ſit futurus eſt tamen futurus ſperanti, & hoc ſatis eſt ad hoc, vt ſit obiectum ſpeciei. ibidem.
Deus non poteſt timeri vt malum circa quod verſatur timor. 428.a
Deus poteſt timeri quatenus ab ipſo, vel per comparationem ad ipſum poteſt nobis aliquod malum pœnæ prouenire. ibidem.
Deus ſecundum ſe ipſum non poteſt odio haberi. 429.a
Deus non eſt bonum noſtrum, quia confert nobis bona, ſed potius quia eſt bonum noſtrum confert nobis bona. ibidem.
Deus de potentia ordinaria poteſt reuelare alicui ſuam condemnationem, reuelatione conditionata. 476.b
Deus de potentia abſoluta poteſt reuelare alicui ſuam condemnationem reuelatione abſoluta. 477.a
Deus remittit hominibus peccata, & iuſtificat, dupliciter poteſt intelligi. 489.b
Deus dupliciter à nobis cognoſcitur & dupliciter eſt finis noſter, & de eo dupliciter loqui poſſumus. 492.a
Deus qualiter prouideat creaturis liberis, & rationalibus. 7ſt.b
Deus vt Deus eſt obiectum beatitudinis non autem ſub ratione ſpeciali, ſed totali. 502.b
Deus poteſt conſiderari, vt cognoſcitur lumine naturæ, & vt cognoſcitur lumine fidei. 503.a
Deus quando eſt obiectum charitatis, & quando amoris naturalis. ibidem.
Deus dicitur ſtare ad oſtium, & pulſare, quia ipſe prius mouet voluntatem ad operandum. 529.a
Deus actualiter ſuſtẽtat res vniuerſas ſuggeritque illis vim, qua ſubſiſtere, & mouere ſe poſsint in ſuas operationes. 545.a
Deus pronior eſt ad miſerendum, quam ad puniendum. 558.b
Deus cognoſcit omnes partes cõtinui præter vltimam, minimam, & maximam, quia nec ſunt nec dari poſſunt. 570.b
Deus dicitur cauſa mali in quantum vult illud, & quomodo. 583.a
Deus eſt diligendus ex toto corde in hac vita, non actualiter, ſed habitualiter. 638.b
Deus conſideratus vt finis, & bonum totius vniuerſi non poteſt odio haberi, bene tamen inquantum producit aliquos effectus particulares in creaturis. 643.b
Deus non eſt diligendus propter aliud, ſi ly, propter, dicat cauſam formalem finalem, aut efficientem, bene tamen ſi dicat cauſam diſpoſitiuam. 677.a
Deus qualiter poſsit in hac vita totaliter diligi. 683.a
Deus non poteſt diligi quantum eſt diligibilis, etiam de potentia abſoluta de aliqua creatura. 683.b
Deus eſt diligendus ſine modo, & menſura. 685.a
Deum colimus per exteriora ſacrificia non propter ipſum, ſed propter nos. 752.a
Deus dupliciter dicitur mala permittere. 793.a
Deus permittit mala, vt inde eliciat bona. ibidem. b
Dicere quod Eccleſia, vel ſummus Pontifex non poſſunt aliquem ſanctum canonizare hæreſis eſt. 100.b
Dicere quod ſummus Pontifex de facto errauit in ſpeciali huius, vel illius ſancti canonizatione eſt ſententia valde temeraria. 100.b
Dicere, quod malefactores non ſunt interficiendi repugnat ſacris literis perturbatque vniuerſalem ſtatum reipublicę. 294.b
Difficile mobile, vt diminuatur dupliciter poteſt contingere. 588.a
Dilectio rerum, quæ ſunt ſupra naturam eſt melior, quam cognitio rerum. 511.a
Dilectio qua vltimatè diſponimur ad gratiam non eſt actus naturalis ſed ſupernaturalis à principio ſupernaturali procedens. 531.b
Dilectio, à quo principio oriatur explicatur. 5?2.a

Differentia, quæ eſt inter imaginationem & æſtimationem ſeu opinionem declaratur. 228.b
Differentia ſecundum implicitum & explicitum aliquando conſtituit diuerſas ſpecies aliquando vero non. 278.a
Differentia, quæ eſt inter infidelitatem & blaſphemiam. 282.b
Differentia, quæ eſt inter principem apoſtatam, & excommunicatum. 363.b
Differentia quæ eſt inter opera ſacramentorum, & opera charitatis & aliarum virtutum. 81r.a
Differentiæ temporis non ſe habent ad partem intellectiuam quatenus eſt appetitiua. 419.a
Dilectio Dei, quæ omnibus hominibus naturaliter inſit, & quomodo non contradicat noſtris dictis. 533.a
Dilectio naturalis dupliciter elicitur à voluntate explicitè & implicitè. 533.b
Dilectio proximi non eſt dilectio naturalis, quia Dei dilectionem includit. 604.a
Dilectio proximi quomodo ſufficienter expleatur. ibidem.
Dilectio Dei eſt duplex naturalis, & ſuper naturalis. 634.a
Dilectio proximi elicita à charitate ſemper eſt minus intēſa quam dilectio Dei. 637.a
Dilectio proximi non elicita à charitate ſed imperata aliquando eſt intenſior dilectione Dei. ibidem.
Dilectio obiectiua intenſiua & appreciatiua diſtinguuntur & in quo, ibidem.b
Dilectio amici abſolutè loquendo, eſt melior dilectione inimici. 687.a
Dilectio amici tripliciter poteſt comparari ad dilectionem inimici. ibidem.
Dilectio inimici eſt ſignum certius charitatis, & eius perfectionis, quam dilectio amici. 689.a
In dilectione amici, quæ eſt ex charitate ratio diligendi eſt ſolus Deus. 690.a
Dilectio amici, abſolutè loquendo, eſt magis meritoria, quam dilectio inimici. ibidem.
Dilectio Dei præciſè eſt magis meritoria, quam dilectio proximi. 691.a
Dilectio proximi ex accidenti poteſt eſſe perfectior dilectione Dei. ibidem.b
Diligere Deum ſuper omnia, & velle placere ei in omnibus, quanuis realiter ſit vnus actus virtute tamen multas & difficillimas res continet. 492.b
Diligere Deum ſuper omnia, vt eſt obiectum ſupernaturale, nemo poteſt etiam in natura integra conſtitutus, niſi eius voluntas eleuetur à Deo per gratiam ſpecialem. ibidem.
Diligere Deum, & ſeruare eius mandata propter conſequendam vitam æternam tanquam propter finem præcipuum, & principalem eſt peccatum. 680.a
Diligere amicum æquali conatu, & eodem habitu eſt magis meritorium, quam diligere inimicum. 688.a
Diſtinctio generica in habitibus ſumitur ex diuerſo modo tendēdi in obiectum. 9.a
Diſcrimen inter iuſtificationem, quæ fit cum ſacramento, & ſine illo.
Diſtinctio de ſalute inchoata, & de ſalute perfecta accommodata gratiæ atq; gloriæ eſt valde conſona rationi habetque fundamentum in ſcriptura, & eſt deſumpta eſt D. Auguſtino. 136.a
Diſcrimen quòd eſt inter iuſtos prioris tēporis, & noſtri. 137.a
Diſtinctio ſpecifica in actibus ex diuerſitate formali obiecti ſumenda eſt. 279.a
Diſputare de fide animo, & intentione inquirendi veritatem, de qua diſputans certus non eſt, eſt peccatum mortale. 281.b
Diſputare de fide ad conuincendas hæreſes, & etiam ad exercitiū eſt laudabile. 282.a
Diſputare de fide coram ſapientibus, & firmis in fide nullum eſt peccatum. ibidem.
Diſputare de fide coram ſimplicibus & infirmis ſolicitatis ab infidelibus, vt ſuam fidem relinquant, non ſolum eſt laudabile verum eſt neceſſarium, dummodo diſputantes ſint ſufficientes ad conuincendos errores. ibidem.
Diſputare de fide coram ſimplicibus, & in firmis non ſolicitatis ab infidelibus eſt periculoſum. ibidem.
In diſputationibus, quæ in capitulis generalibus, vel prouincialibus publicè fiunt à religioſis, cauendum eſt ne illæ quæſtiones diſputentur, ex quibus ſimplicium animi reddi valeant infirmiores. 282.a
Diſtinctio fidelium, & infideliū non impedit quominus infideles poſsint habere dominium, & prælationem ſupra fideles,

fideles. 309.b
Diſpoſitiones ad gratiam ſunt in triplici differentia. 526.b
Diſpoſitiones imperfectę antecedentes noſtram iuſtificationem, non poſſunt eſſe in nobis ex viribus naturæ ſine auxilio ſpirituali Dei. 528.a
Diſpoſitiones intrinſecæ ſubiecto quod tranſmutatur non concurrunt efficienter ad productionem formę, ſecundum quam tranſmutatur. 533.a
Diſtinctio informis duplex eſſe poteſt ſpecifica, & numerica. 549.b
Diuites difficulter ſaluantur. 741.a
Diuites poſſunt compelli per poteſtatem, vt pauperibus iuxta eorum neceſsitatē ſubueniant. 742.a
Doctrina euangelica non eſt dicenda hæreſis etiam ſi nomen hæreſis in bonam partem accipiatur. 323.a
Doctrina fidei habet quaſdam propoſitiones, quæ ſunt velut principia communia, alias, quę ſunt proprię fidei, & alias, quę ex his deducūtur per euidentem cōſequentiam. 329.a
Dominiū & poſſeſsio rei ita diſtinguuntur, vt vnum ſine alio poſsit inueniri. 755.a
Dominium, & poſſeſsio rei in temporalibus diſtinguuntur ſecundum naturā & ſecundum legem. 346.b
Donatiſtarum ſententia de membris Eccleſiæ. 53.b
Dona Spiritus ſancti eſſe ponenda eſt de fide. 235.a
Dona Spiritus ſancti ſunt ſeptem, & colliguntur ex Eſaia cap. 11. ibidem.
Dona Spiritus ſancti ſunt quidam habitus à Deo infuſi ad hoc, vt illis perficiatur & diſponatur homo ad bene ſequendū inſtinctum Spiritus ſancti. 235.b
Dona Spiritus ſancti realiter diſtinguūtur à virtutibus. 236.a
Dona aliquando dicūtur virtutes late ſumpto vocabulo. ibidem.
Donorum neceſsitas, & efficaeia explicatur. 236.b
Donum intellectus principaliter eſt ſpeculatiuum, ſecundariò autem, & quadam extenſione eſt practicum. 240.a
Donum intellectus non eſt in peccatoribus. 243.a
Donum intellectus diſtinguitur ab alijs donis, & qualiter. 245.a
Dona perfectius inclinãt in aſsēſum, quàm fides. 245.b
Dono intellectus correſpondet ſexta beatitudo, quę eſt, Beati mūdo corde. 246.b
Dona ſupernaturalia etiam ſi non ſint directè neceſſaria ad ſalutem conſequendã, cadunt ſub obiecto ſpei. 398.b
Donum Spiritus ſancti poteſt dici aliquid dupliciter. 449.b
Dubius in fide ſi ſciens & prudens dubitat amittit fidem infuſam. 335.b
Dubius in fide non ſolum ſecundum regulas philoſophiæ moralis, ſed etiam logicè, & metaphyſicè loquendo eſt dicendus hæreticus. ibidem.
Dubius in fide neceſſario iudicat propoſitionem, de qua iudicat non eſſe infallibilem. 336.a
Dubius in fide eſt hæreticus non ſolum ratione prædicti iudicij, ſed etiam ratione ipſius dubitationis. ibidem.
Dubius in fide incurrit pœnas hæreticorū. ibidem.b
Dubius in fide adhæret pertinaciter priuatæ diſciplinæ. ibidem.
Dubitatio includit iudicium poſitiuum ſi dei formaliter contrarium. ibidem.
Dupliciter poteſt aliquid dici forma alterius. 171.a
Dupliciter poteſt aliquid dici verum. 175.a
Durandi ſententia de eo, in quod debet fieri vltima fidei reſolutio. 10.b
Durandus Scotus, & Gabriel tenent ſine charitate poſſe reperiri veras, & proprias virtutes morales. 514.a

E.

ECcleſia eſt regula infallibilis in proponendo. 14.a
Eccleſia comparatur auroræ. 39.b
Eccleſia, eſt nomen Græcū, & ſignificat cō uocatam concionem, differtque à ſynagoga. 50.a
Eccleſiæ diffinitio. ibidem.b
Eccleſia vna ſancta catholica, & apoſtolica, &c. 51. & 52.a.b
Eccleſia Chriſti vera ſemper eſt coniuncta, & copulata cum vera Chriſti doctrina, & vero vſu ſacramentorum. 52.b
Eccleſia vera cognoſcitur ex concordi, & vnanimi confeſsione fidei Chriſtianæ, quam Apoſtoli verbo & ſcripto tradiderunt intellectæ eo modo quo ſancti Patres, & Concilia intellexerunt. ibidem.

Eccleſia Chriſti vera eſt ea hominum congregatio, quæ in Chriſtum credens in fide, & huius ſacramẽtorum tenet eam doctrinã, quam ex ſacra ſcriptura & ex aliqua traditione ſancti patres atque cõcilia, elicuerunt. 53.a
Eccleſia in ſacris literis appellatur multis nominibus. 55.b
Eccleſia Chriſti conſtat ex hominibus interioribus, & exterioribus. & ſic eſt viſibilis, & ſenſibus expoſita. 56.b
Eccleſia conſtat non ſolum ex bonis, aut prædeſtinatis, ſed etiam ex iniuſtis & reprobis fidelibus. 57.a
Eccleſia conſtat ex his hominibus tãquam partibus, quæ in fide permanentibus habent ad reliquum corpus, ſiue boni ſuit, ſiue mali ſiue reprobi ſiue prædeſtinati. ibidem.b
Eccleſia creditur, & videtur à nobis ſecundum diuerſas rationes. 59.b
Eccleſia creditur ſancta à principaliori parte, quæ ſancta eſt. ibidem.
Eccleſia eſt viſibilis propter fidei perfectionem, quam ſignis exterioribus faciunt fideles. 61.b
Eccleſia eſt vna multis rationibus. 66.b
Eccleſia vno tẽpore fuit magis vna, quàm alio. 67.a
Eccleſia pro cõgregatione fidelium fidem ſuam ſigno aliquo viſibili incipit ab Abel. 68.b
Eccleſia, quæ nunc eſt, & ea, quæ fuit ante Chriſti paſsionem, eſt vna, & eadem eccleſia. 69.a
Eccleſia eſt duratura vſque ad finem mundi, nec aliquando deſinet eſſe. ibidem.a &.b
Eccleſia non poteſt in vno conſeruari. 70.a
Eccleſia Chriſti vera eſt illa congregatio fidelium, quæ Roma. Pontificẽ ſuum caput agnoſcit. ibidem.
Eccleſia Romana, & firma, ſtabilis, & inconcuſſa manens contra omnes mundi turbines & procellas. ibidem.b
Eccleſia Roma. eſt ſancta atque perfecta, non Eccleſia hæreticorum. ibidem.
Eccleſia Roma. eſt vna & ita catholica, & vniuerſalis, vt ſit fuſa per totum orbem. 71.a
In Eccleſia Roma. inuenitur legitima ſucceſsio Epiſcoporum ab ipſis vſque ad Apoſtolos repetita. ibidem.b
Eccleſia Chriſti vera non poteſt eſſe in aliquo errore, nec ignorare aliquid eorum, quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem. 72.a
Si Eccleſia vniuerſalis habet pro certis, & indubitatis aliqua, ea nulla ratione falſa eſſe poſſunt. ibidem.b
Si Eccleſia habet pro veris, ſed non indubitatis aliqua ea interdum poſſunt eſſe falſa, & ſic in eorum iudicio errare. ibidẽ.
In Eccleſia neceſſarius eſt ordo graduum, & dignitatis. 89.a
Eccleſia non poteſt diſſentire ab ijs, quæ Roma. Pontifex definit, & proponit credenda. 93.a
Eccleſia, quæ nunc eſt, ſolum in perſonis differt à primitiua Eccleſia. 104.b
Eccleſia, quæ modo eſt, non poteſt edere, vel ſcribere nouum librum canonicum, verum orta quæſtione ſitne aliquis liber canocus nec ne poterit illud diffinite. 106.a
Eccleſia teſtatur de contentis in ſacra ſcriptura de determinatis ab Eccleſia, & ſic ſunt ſibi inuicem teſtes ſuæ veritatis. ibidem.b
Eccleſia in canonicas ſcripturas habet ius interpretandi, & vera à falſis dignoſcendi. 107.a
Eccleſia Dei, ante quam eſſet ſcriptura, patrum traditione retinebat fidei doctrinam, & morum. ibidem.b
Eccleſia non prohibet communicationem cum infidelibus, qui nunquam fidem ſuſceperunt in pœnam ipſorum infidelium. 301.b
Eccleſia habet poteſtatem tam ferendi leges, quàm puniendi illarum tranſgreſſores. 302.b
Eccleſia non debet permittere, vt infideles acquirant prælationes de nouo ſupra fideles, vel qualitercunque eis perficiantur in aliquo officio. 309.b
Eccleſia poteſt ſua ordinatione tollere ab infidelibus ius, & dominium, quod habent ſupra fideles. ibidem.
Eccleſia de facto eximit à ſeruitute fideles ſeruientes illis infidelibus, qui ſunt ſubditi Eccleſiæ, ibidem.
Eccleſia in foro exteriori non habet poteſtatem ſupra actus pure interiores. 341.b
Eccleſia indirectè reſpicit actus interiores quatenus ſunt cõditio requiſita ad actus exteriores. 342.a
Eccleſia in foro conſcientiæ habet poteſtatem

tem ſupra actus interiores. 343.a
Ecclesia, primo reuertentes ab hæreſi, non ſolum recipit ad pœnitẽtiam, ſed etiam conſeruat ad vitam. 356.a
Eccleſia poteſt priuare principes apoſtatas dominio, quod habent in ſubditos, & eo conuenienter illos priuat. 363.a
Eccleſiaſtici arctius tenentur ad eleemoſynas faciendas, quam ſeculares. 744.a
Eccleſiaſtici habentes beneficium poſsunt bona patrimonialia reſeruare & reddi tus beneficij in proprios vſus conuertere. ibidem.b
Eccleſiaſtici quorum bonorum habeant plenum dominium. ibidem.&.745.
Eccleſiæ ſtatus ſunt varij. ibidem.b
Eccleſiaſtici vſurpantes ea bona, quæ à fidelibus fuerunt data pro pauperibus, tenentur ad reſtitutionem. 746.a
Eccleſiaſtici ſunt veri domini fructuum, prouenientium ex poſſeſsionibus eccleſiaſticis, ſibi ratione alicuius miniſterij conceſsis. 776.b
Eccleſiaſtici non tribuentes eleemoſynam de bonis ſuperfluis peccant mortaliter, ſed non tenentur ad reſtitutionem. 748.a
Eccleſiaſticorum conſanguinei, quibus ipſi ſua bona largiuntur non tenentur ad reſtitutionem. 749.a
Eccleſiaſticorum dona qualiter dicantur bona pauperum. ibidem.
Effectus procedens à pluribus cauſis non poteſt eſſe effectus quin omnes cauſæ ſint perfectæ. 224.b
Effectus charitatis tres, qui conſiderari debent. 567.a
Eleemoſyna deriuatur à verbo Græco, quod ſignificat miſereor. 721.a
Eleemoſyna apud Hebræos appellabatur iuſtitia, propter vtilitatem, quam affert ad iuſtitiam conſequendam, & augendam. ibidem.
Eleemoſyna in ſacris litteris adeò laudatur, vt ei omnis iuſtificatio tribuatur. 721.b
Eleemoſyna eſt magis ſatisfactoria, quam ieiunium, vel oratio. ibidem.
Eleemoſyna proprie eſt actus miſericordiæ. 722.a
Eleemoſyna peculiari quadam ratione ad charitatem pertinere dicitur. ibidem. b
Eleemoſynæ definitio ponitur, & declaratur. 723.b
Eleemoſynæ collatæ epiſcopis, vel monaſterijs ſunt vere & proprie eleemoſynæ. ibidem.
Eleemoſynæ corporalis genera ſunt ſeptẽ, & alia ſeptem elemoſynæ ſpiritualis. 726.b
Eleemoſynæ ſpirituales, ſimpliciter & abſolute loquendo, ſunt corporalibus præſtantiores. 729.a
Eleemoſyna potius eſt danda homini iuſto, quàm peccatori, etiam ſi homo iuſtus minus indigeat. ibidem.
Eleemoſynæ recompenſatio non tollit meritum, ſi non ſit intenta tanquam finis principalis. ibidem.b
Eleemoſynæ corporales, quãtum ad ſuam ſubſtantiam nullum habent effectum ſpiritualem, bene tamen in quãtum dantur propter Deum. 730.b
Eleemoſynæ corporalis non eſt tanta vis, vt qui eam fecerit, non ſit finaliter periturus. 731.b
Eleemoſyna ſecundum ſuam ſubſtantiam non delet peccatum ex opere operato, ſicut ſacramentũ, nec etiam formaliter, & contrarium dicere eſt hæreticum. ibidem.
Eleemoſyna accepta formaliter, cum omnibus ſuis circunſtantijs, valet maximè ad augendam gratiam, & ad illius conſeruationem. 732.a
Eleemoſyna qualiter ſit in præcepto. 735.a
Eleemoſyna in caſu neceſsitatis extremæ eſt facienda etiam de bonis neceſſarijs ad perſonam. 736.b
Eleemoſynæ ſunt faciẽdæ ex præcepto ex bonis ſuperfluis naturæ, & perſonæ in communibus neceſsitatibus. 737.a
Eleemoſynæ nomine intelligimus donũ gratuitum, 739.a
Si Eleemoſynam conferens habet bona ſimpliciter ſuperflua, & ille, qui accipit eſt ſimpliciter pauper, id, quod illi datur debet gratis donari, nec ſatis eſt dari mutuo. 739.b
Eleemoſyna non eſt facienda de neceſſario ſimpliciter. 751.b
Eleemoſynam dare de neceſſarijs ſimpliciter, quando ſit in præcepto. 752.a
Eleemoſyna non debet fieri de illis bonis, quæ ità ſunt illicite acquiſita, vt illorum dominium remaneat penes alterũ. 754.b

Elec-

Eleemoſyna poteſt fieri de illis bonis, quæ
itá ſunt illicité acquiſita, vt dominium maneat penes ipſum poſſeſſoré. ibidem.
Eleemoſyna eſt facienda de illis bonis, quę itá ſunt in poteſtate alicuius, vt ipſe non habeat verū dominium, nec ſit dandum alteri, à quo illa accepit. 761.a
Eleemoſyna qualiter fieri poſsit de bonis per ludum acquiſitis. 765.a
Eleemoſyna quando poſsit fieri ab illis, qui ſunt ſub alterius poteſtate conſtituti. 772.a.&.b
Eleemoſynam accipientes ab eis, qui alterius poteſtati ſubduntur contra voluntatem ſuperioris tenentur ad reſtitutionem. 774.b
Eleemoſynam cæteris paribus eſt danda propinquioribus. 775.b
Eleemoſynæ diſpenſator, ſi pauper fuerit, poteſt ſibi ipſam applicare pro ratione paupertatis. ibidem.a
Eleemoſyna multipliciter poteſt dici abundans. 775.a.777.a
Eleemoſynam alicui dare itá abundanter, vt habeat ad ſuperfluitatem quando ſit peccatum. 777.b
Enoch ante diluuium aliquid in poſteros, ſcriptum tranſmiſit. 105.b
Epiſcopi per ius humanum poſſunt priuari ſuo officio, & dignitate. 63.b
Epiſcopi ſtatim ac incidunt in crimen hæreſis ſunt excommunicati. 64.a
Epiſcopi facti hæretici ex iure humano nō priuantur ſua dignitate atq; iuriſdictione. ibidem.
Epiſcopi in concilijs exiſtentes non ſolum ſunt dicendi conſiliarij, ſed etiam veri iudices. 86.b
Epiſcopus niſi in ſeptuaginta duobus teſtibus non poteſt damnari. 96.b
Epiſcopi ita tenentur articulos fidei explicite credere vt penetrent reconditiora in illis incluſa myſteria & diſſoluant quęſtiones quæ circa illos fuerint exortę. 140.a
Epiſcopi debent ſcire omnia quæ ſpectant ad gregem Domini perfectè paſcendū. 140.a
Epiſcopi tenentur per ſe ipſos prædicare. 140.b
Epiſcoporum proprium munus eſt prædicare. ibidem.
Epiſcopi qui nihil præter meros canones ſciunt ſunt in malo ſtatu. ibidem.
Epiſcopi poſt concilium Tridentinū poſſunt per ſe ipſos & non per ſuos vicarios in foro conſcientiæ abſoluere hæreticos ſibi ſubditos occultos tamen. 343.b
Epiſcopus qui relicto extraneo ſubditum docet proprium, magis meretur quam qui docet alienum. 689
Error tripliciter poteſt contingere. 72.a
Error duplex vnus perſonalis alter iudicialis. 96.b
Error contra doctrinam reuelatam non eſt hæreſis niſi habeat adiunctam pertinaciam. 327.a
Erroneum eſſet concedere quod viribus naturæ mereri poſſumus veram gratiam ſi per meritum de condigno intelligeremus opus cui ex aliqua lege debetur præmium. 531.a
Error Begardorum & Beguinarum de augmento charitatis quis ſit. 547.a
Error Iouiniani dicentis omnes iuſtos eſſe æquales in hac vita in charitate & in futura vita futuros æquales in gloria. ibid.
Error Origenis quod miſeri beati, & beati miſeri futuri erant refellitur. 597.a
Eſſentia Diuina non poteſt videri ſine perſonis etiam de potentia Dei abſoluta nec vna perſona ſine alijs. 147.a
Eſſentia in creaturis non includit relatiuū in Deo tamen aliter contingit. 145.b
Eſſe rei & operatio rei differunt, ita vt alia erit forma quæ dat eſſe rei & alia per quā operatur res. 522.b
Euangelium ſeu veritas ſcripturæ & ſacra ſcriptura diſtinguuntur. 104.a
Euangelium fuit aliquando cum non eſſet ſcriptura Euangelij. ibidem.
Euangelia eſſe ſcripturam Canonicam dictatam ab Spiritu ſancto ſolum colligitur ex Eccleſiæ determinatione. 106.a
Euidentia alicuius rei dupliciter poteſt cōtingere, ſcilicet, in ſe vel in ſua cauſa aut effectu. 203.a
Excommunicati vere pertinent ad Eccleſiam & illi ſchiſmatici qui nulla hæreſi ſunt infecti. 57.b
Excommunicatio partim eſt pœna ſpiritualis & partim temporalis. 303.a
Excommunicatio in quantum eſt pœna temporalis poteſt inferri in eos infideles qui nobiſcum commorantes noſtræ religioni iniuriam irrogant. ibidem.
Excommunicatio eſt quædam pœna & cenſura Eccleſiaſtica priuans hominem

hominem quacunq; communione tàm ciuili quàm ſpeciali. ibidem.
Excommunicatus nominatim appellatur ille cõtra quem hęc cenſura eſt impoſita expreſſo proprio nomine, aut officio, vel dignitate. 305.a
Excommunicatio contra hæreticos poſita cæteris omnibus eſt antiquior. 339.b
Excommunicatio contra hæreticos poſita non poteſt abſolui per bullam cruciatæ. 343.b
Excommunicatio poſita in iure contra hæreticos non ſe extendit ad eos qui retinentes fidẽ integram in corde aliquid ad infidelitatem pertinens dixerint aut fecerint. 344.a
Excommunicati & Apoſtatæ multum differunt. 363.b
Excommunicati non perpetuo priuantur dominio ſed eo tempore tantum quo excommunicatione plectuntur, ibidem.
Excæcati & indurati in quo differãt. 540.a
Extenſio charitatis ad ſuũ obiectum quomodo fiat. 552.b

F.

FAcienti quod in ſe eſt Deus non denegat gratiam, qualiter ſit intelligendũ. 266.b
Falſa poſſunt eſſe credibiliora veris. 30.a
Ferdinandus & Eliſabeth Reges Hiſpaniæ iuſtiſsime tulerunt legem qua præceperunt vt Iudæi à ſuis regnis exirẽt. 290.a
Fides accipitur pro fidelitate hoc eſt pro cõſtantia & veritate in dictis & factis. 3.b
Fides pro conſcientia, ibidem.
Fides pro fiducia nil aliud eſt quam ſpes quædam roborata, ibidem.
Fides cui tribuitur vis efficiendi miracula diſtinguitur à fide qua credimus & eſt donum quoddã gratis datum, ibidem.
Fides accipitur pro aſſenſu quo aliorum dictis aſſentimur & eſt propria acceptio contra Laurentium Vallam. 4.a
Fides pro credulitate differt à fiducia in multis, ibidem, b
Fides catholica eſt neceſſaria ad ſalutẽ nec poteſt amitti ſine propria volũtate. ibid.
Fides & charitas diſtinguuntur ex diuerſo modo tendendi in Deum. 7.a
Fides & viſio habent idem obiectum materiale & differunt in formali. ibidem. b
Fides & prophetia differunt ſecundum rationes formales & in multis alijs. 8.b
Fides & Theologia noſtra diſtinguuntur ex diuerſo modo tendẽdi in obiectũ. 9.a
Fides acquiſita non ſemper neceſſario debet præcedere fidem infuſam. 10.b
Fidei vltima reſolutio non eſt facienda in fidem acquiſitam, ibidem.
Fidei lumen quo indigemus ad credẽdum eo modo ſe habet circa articulos fidei ſicut lumen naturale intellectus circa prima principia naturalia. 11.a
Fidei vltima reſolutio eſt facienda in lumẽ internũ & in motionẽ ſpiritus ſancti qui interius in anima fidem operatur. 13.a
Fides differt ab alijs habitibus ſcientificis. 14.a
Fidei nomen interdum accipitur pro actu credendi & interdum pro obiecto. 15.a
Fidei catholica & fides diuina diſtinguuntur, ibidem.
Ad fidem catholicam tantum pertinent ea quæ omnibus proponuntur credenda, ibidem. b
Fidei obiectum materiale ſe extendit ad omnia à Deo reuelata ſiue publicè ſiue priuatim, ibidem.
Fides diuina & fides catholica ſunt vnus habitus, ibibem.
Fides immediatè inclinat ad aſſenſum omnium articulorum. 18.b
Fides & opinio generantur in nobis mediãte ratione, vel auctoritate. 26.b
Fideles nõ ſolum ex teſtimonijs ſed etiam ex lumine fidei infuſæ vident articulos eſſe euidenter credibiles. 29.a
Fides ita inclinat in res reuelatas vt non inclinet in res diuerſas, ibidem.
Fides intrinſece eſt quædam lux, ibidem.
Fidei eſt illuſtrare & illuminarę, ibidem.
Fideles quamuis habeant nomen fidei non tamen omnes cognoſcunt ex lumine ꝙ articuli ſunt euidenter credibiles ſed illi tãtum qui ſunt rectè diſpoſiti. 30.a
Fides & ſcientia non poſſunt eſſe de eadẽ propoſitione, & in eodem ſubiecto bene tamen in diuerſis. 34.a
Fidelibus non eſt licitum diſſentire ab ijs quæ Rom. Põtifex definit & proponit credenda toti Eccleſiæ. 93.a
Fides explicita mediatoris fuit apud homines ante peccatum in ſtatu innocentiæ. 132.a
Fides explicita Dei fuit ſemper neceſſaria poſt peccatum, ibidem.
In hac fide explicita Dei quatuor continentur quæ ſemper fuerunt explicitè creden-

credenda, ſcilicet, Deũ eſſe vnum & eſſe creatorem, eſſe iuſtificatorem, & eſſe glorificatorem. ibidem.
Fides explicita Dei, quæ etiam eſt fides implicita mediatoris, in ſtatu legis naturæ fuit ſufficiẽs quantum attinet ad intellectum & iuſtitiã & gloriá conſequendã ibidem.b
Fides explicita mediatoris ſaltim in vniuerſali fuit neceſſaria ad ſalutem cõſequendam tempore legis ſcriptæ omnibus Iudæis tàm minoribus quàm maioribus. 133.a
Fides Chriſti ſiue implicita ſiue explicita pro ratione temporis ſemper fuit neceſſaria ad ſalutem cõſequendam. ibidem.b
Fides explicita Chriſti eſt ſimpliciter neceſſaria iſto tẽpore neceſsitate finis ad gloriam conſequendam. 134.b
Fides explicita Chriſti nunc iſto tempore non ſimpliciter neceſſaria neceſsitate finis ad cõſequendã iuſtificationẽ, ſed ſufficit implicita illis qui ignorant inuincibiliter Euangelium. 135.b
Fideles explicita Chriſti eſt medium neceſſarium ad realem conſequutionem gloriæ. 136.b
Fideles ex iure diuino tenẽtur explicitè credere myſteria incarnatiõis, trinitatis, paſſionis, & reſurrectionis Chriſti & aduentus ipſius ad iudicãdum, reliquos autem articulos tenentur credere explicitè tantum de iure poſitiuo. 141.b
Fides Petri, prout eſt in illo & in ſucceſſoribus eius eſt eadem fides quam vniuerſalis Eccleſia tenetur ſuſcipere. 142.b
Fidei maiorum poſſumus inniti bene, vel male. ibidem.
Fidei proprium munus eſt ſuſtentare noſtram ſpem, quæ in fide tanquam in fundamento nititur. 165.a
Fides Euangelica nõ eſt timoris ſed gaudij & ſpei. ibidem.
Fides ſola eſt quæ Deo cooperante ſine argumentorum ſtrepitu credenda conuincit. 166.a
Fides qualiter diſtinguatur à ſcientia & opinione. ibidem.
Fides eſt duplex vna artificioſa alia inartificioſa. ibidem.
Fides diuina partim eſt artificioſa & partim inartificioſa. ibidem.
Fidei definitio à D. Paulo aſsignata conuenit tã fidei formatę quam informi. 167.a
Fides informis adhuc eſt fundamentum & inchoatio vitæ ſpecialis & æternę. ibidẽ.
Fides eſt in intellectu tãquam in ſubiecto, 168.b
Fides propriè loquẽdo nec practica nec ſpeculatiua ſed eminenter vtrumque eſt dicenda. 169.b
Fides manet in peccatoribus, qui per peccatum mortale charitatem amittunt & nõ fidem. 173.b
Fides formata & informis eſt idẽ habitus. 175.a
Fidei tribuitur iuſtificatio in ſacris literis quia eſt initium illius. ibidem.
Fidem informẽ non eſſe veram fidem qua ratione dicatur à Sanctis. ibidem.
Fides non ſolum dirigitur à charitate in vltimum finem ſed etiam ab eadem habet perſectione robur & firmitatem in ſperando. 178.b
Fides formata charitate eſt ſimpliciter virtus non ſolum Theologica ſed etiam intellectualis. ibidem.
Fides informis ſimpliciter loquẽdo nec eſt virtus Theologica nec intellectualis. 179.a
Fides ex receſſu charitatis plurimum amittit quantum ad exercitium & actus & operationes. ibidem.b
Fides inquantum talis habet quod inclinet in verum ex autoritate diuina. 180.a
Fides ex ſe habet quod ſit fides quod autem ſit virtus habet ex charitate extrinſecus adueniente. ibidem,
Fides formata, quatenus formata eſt, nõ poteſt elicere actũ, qui ſit malus. ibidem.
Fides quæ eſt formata poteſt elicere actum qui ſit malus ex circunſtantia finis. ibidem.
Fides dicẽda eſt vnica tantum virtus ſecundum ſpeciem. 182.a
Fides patrum veteris teſtamenti atq; noui eſt vna & eadem. 183.a
Fides per ſe loquendo eſt prima inter omnes virtutes per accidens tamen poteſt fieri quod aliqua virtus ſir prior fide. 184.b
Fides in iuſtificatione tenet primũ locum, ſed non præcipuum. 185.a
Fides quantum ad actum poteſt inſundi ſine gratia & charitate etiam ante baptiſmum. ibidem.b
Fides abſolutè loquendo nec quantum ad actum nec quantum ad habitum habet cõnexionem cum alijs virtutibus. 186.a
Fides eſt certior prudentia & arte. 188.a

Fides eſt certior ſapientia ſcientia & intellectu etiam conſideratis, vt ſunt dona Spiritus ſancti. ibidem.b

Fides ex ſe habet vim ad excludendam penitus omnem dubitationem, multo magis quàm ſciẽtia, illamq; de facto in multis fidelibus excludit. 193.b

Fides ſimpliciter & abſolute loquendo eſt certior ſcientia & alijs virtutibus intellectualibus quamuis ſecundum quid ex parte ſubiecti ſcientia poſsit dici certior fide. ibidem.

Fides & opinio differunt quantum ad hoc quod eſt habere dubitationem admixtam. 194.a

Fidelis poteſt eſſe certus certitudine morali quod habet actum & habitũ fidei. 195.b

Fidelis non poteſt eſſe certus certitudine euidentiæ quod habeat habitum, vel actum fidei ſupernaturalis & diuinę. ibidem.

Fidelis poteſt eſſe certus certitudine fidei q̃ habet actum fidei ſupernaturalis, ſed non quod habeat habitum. ibidem.

Fides nunquam amittitur niſi per crimen hæreſis, charitas autem amittitur per quodlibet peccatum mortale. 198.b

Fides quæ fuit in Angelis & nunc eſt in hominibus eſt eadem quantum ad rationem formalem obiecti. 201.a

Fides quantum ad obiectum materiale nõ fuit omnino eadem in Angelis & hominibus. ibidem.

Fides Angelorum fuit perfectior quam ea, quæ nunc eſt in hominibus. 204.a

Fides qua aſſentimur reuelatis ex imperio voluntatis motæ à Deo non eſt in Dæmonibus, aut in damnatis. 205.a

Fides qua quis coactus euidentia ſignorum aſſentitur reuelatis à Deo eſt in Dæmonibus aut in damnatis. ibidem.

Fides eſt in exiſtẽtib⁹ in purgatorio. 207.a

Fides tam ex parte obiecti materialis quã ex parte ſubiecti põt eſſe maior in vno, quàm in alio. 212.b

Fides ex parte ſubiecti augetur. 213.a

Fides poteſt infundi ſine gratia ſicut poteſt manere ſine illa. 219.a

Fides informis infunditur à Deo. 220.a

Fides dicit duo, ſcilicet, ſupernaturale lumen, atque habitum, proprius tamen dicit habitum, quàm lumen. 222.a

Fides informis eſt cauſa timoris ſeruilis. 228.b

Fides informis eſt principium purificationis cordis, & fides formata cauſat perfectam purificationem. 230.b

Fides ſola non eſt ſufficiens ad efficiendam perfectam cordis purificationem, ſed vltra illã réquiritur ex parte volũtatis motus amoris, & voluntatis. 231.a

Fides etiam formata non ſufficit facere rectam ęſtimationem practicè de Deo, ex charitate diligendo, ſed ad id requiritur donum intellectus. 242.a

Fides tantum ſe extendit ad ea, quæ quis audiuit, dona autem eiam ad ea, quæ quis nunquam audiuit. 246.b

Fides in fructibus correſpondet dono intellectus. 247.b

Fidei diſſenſus conſtituens hominem infidelẽ tripliciter poteſt contingere. 258.a

Fides, quę erat in patribus veteris teſtamenti, & quæ in nobis eſt, eſt eiuſdem ſpeciei. 278.b

Fidelibus, qui ſunt in fide firmi Eccleſia nõ interdicit cõmunicationem cum illis infidelibus, qui nunquam fidem ſuſceperunt maximè ſi neceſsitas vrget. 301.b

Fidelibus ſimplicibus interdicẽda eſt communicatio cum fidelibus ad ipſorum cautelam. ibidem.

Fideles ſeruientes infidelibus, regulariter loquẽdo, verſantur in maximo periculo amittendi ſidem. 313.b

Fides non conſiſtit ſolum in oris confeſsione, ſed præcipuè in aſſenſu mentis. 333.b

Fides in ſacris literis interdũ accipitur pro aſſenſu practico operi cõiuncto. 394.a

Fides abſolutè præcedit ſpem. 411.a

Fides quomodo à ſanctis Patribus appelletur. ibidem.b

Fides minus repugnat ſtatui damnatorum, quàm ſpes. 423.a

Fidei confeſsio tripliciter fieri poteſt. 508.a

Fidem dum verbis confitemur, ad exhibendum cultum Deo inſtitutis, tunc actus illi à religione eliciti ſunt, præſuppoſita fide. ibidem.b

Fides in martyrio excludit timorem mediante fortitudine. 510.a

Fides, & ſpes ſine charitate non habent rationem virtutis. 514.a

Fides, ſpes, & reliquæ omnes virtutes acquiſitæ habent perfectam rationem virtutis adueniente charitate. 516.b

Fides non poteſt dici forma charitatis, & cur. 519.a

Fidelis non poteſt dolere de offenſa facta Deo propter Deum ipſum ſine auxilio ſpeciali.

ſpeciali. 529.b
Fides per quam accedimus fideliter ad quærendum ſacramentũ baptiſmi eſt à Deo. 530.a
Fides & ſpes, meritoriè augentur in peccatore, & ad quem ſenſum. 557.b
Filij eorum infidelium, qui ſunt ſerui, ſeù mancipia poſſunt à dominis ſuis vendi, aut donari, & tunc licitum erit illos baptizare. 319.a
Filij ſunt aliquid patris. 353.a
Filij mali aliquando naſcuntur ex bonis parentibus, ſed maiori ex parte eorum peccata imitantur. ibidem.b
Filius ex parte diligentis eſt magis diligendus, quàm pater. 661.a
Filij extra caſum extremæ neceſsitatis ſunt præferendi parentibus. 662.a
Si filius præferatur patri in caſu extremæ neceſsitatis non erit peccatum mortale. ibidem.
Filij ſunt ſubiecti parentibus, & qualiter. 771.b
Filij familias non poſſunt facere eleemoſynam ſine licentia parentum. 774.a
Finis charitatis eſt vnus. 504.b
Finis eſt regula appetendi media. 523.b
Finis poteſt accipi dupliciter primò intentionaliter, & ſecũdò intẽtionaliter. 673.b
Finis in operabilibus habet rationem menſuræ. 685.a
Fiſcus poteſt bona ab hæreticis alienata de manu cuiuſcunq; poſſeſſoris reuendicare. 347.b
Fiſcus accipiens bona hæretici ante ſententiam iudicis peccat, & tenetur ea reſtituere. 348.b
Fœlicitas eſt cum quis potitur eo, quod vult quod ad iuſtitiam pertinet. 703.b
Fœlicitatis definitio explicatur. 704.a
Forma dans eſſe rei, nõ eſt forma dans operari, ſicut eſſe rei, non eſt operatio rei. 522 b
Formæ ſunt in duplici differentia, naturales, & animales, & valde differunt inter ſe. 571.a
Fortitudo quam difficultatẽ tollat in morte alicuius martyris. 510.a
Fortitudo eſt in appetitu ſenſitiuo, & non in voluntate. 521.a
Fratricellorum ordo reprobatus à Bonifacio Papa. 101.a
Fundamẽtum dicitur aliquid materialiter, vel formaliter. 186.b
Fundamentum, & finis amicitiæ differunt inter ſe. 486.a
Furtum, adulterium, & alia mala opera ab auerſione quam includunt habent quod ſint peccata. 465.a

G.

GAbrielis, & nominalium ſententia de augmento charitatis. 559.b
Gaudium ſpirituale, quod de Deo habetur cauſatur ex charitare. 693.a
Gaudium ſpirituale non eſt paſsio, ſed habet proportionẽ cum gaudio paſsione. ibidem.
Gaudiũ, & delectatio diſtinguuntur. 693.b
Gaudium diſtinguitur à lætitia. 694.a
Gaudium de bono diuino ſecundum ſe nõ poteſt habere admixtam triſtitiam, bene tamen, vt à nobis participatur. 695.a
Gaudium beatorum eſt plenum ex parte gaudentis, non autem gaudium viatorum. 696.b
Gratiæ gratis datæ ordinãtur ad vtilitatem totius Eccleſiæ. 56.a
Gratia, & iuſtitia ſunt quædã ſalus inchoata, gloria verò eſt ſalus conſummata atq; perfecta. 135.b
Grauitas peccati, quæ prouenit ex obiecto eſt intrinſeca, & eſſentialis, nec poteſt augeri, aut minui. 261.b
Grauitas prouenĩẽs ex circunſtantijs eſt velut accidentalis, & variatur ſicut cauſæ ex quib⁹ procedit variari poſſunt. ibidẽ.
Grauitas peccati nõ ſumitur ex oppoſitione ad virtutem, ſed ex maiori, aut minori auerſione à Deo. 263.b
Gradus octo propoſitionũ cathegoricarũ à quibus quicunque diſſentiens, erit dicendus hæreticus. 350.a
Gratia, & charitas diſtinguuntur realiter ſecundum D. Tho. ſed Durandus, & Scotus dicunt diſtingui ſolùm ratione. 522.a
Gratia ſubiectatur in eſſentia animæ. 523.a
Gratiam, & gloriam contulit Deus Angelis ſecũdum diuerſitatem naturæ. 545.b
Gratia non poteſt augeri, niſi & charitas augeatur. 560.b
Gratia, & gloria conuertuntur ad inuicem. ibidem.
Gratia creata in Chriſto non erat infinita ſimpliciter in ſuo genere, & quomodo. 561.a
Gratia non poteſt augeri in eſſe gratiæ, niſi augeatur in eſſe qualitatis loquendo de lege ordinaria. 561.a
Gratia Chriſti habitualis habuit omnẽ perfectionem ſibi poſsibilem de lege ſecundum

..u ordinē à Deo propoſitum. 168.a
..adus nullus charitatis poteſt eſſe infinitus, niſi ſit vltimus, qui non datur cum ſint infiniti. 570.b
Gratia ad quā neceſſario ſequitur charitas quid immediatè reſpiciat, & quem ſibi ordinem ponat. 586.a
Gregorius de Arimino nūquam dixit omnia opera infidelium eſſe peccata. 272.a
Gregorij de Arimino ſententia fuit, ꝙ omne opus, vel eſt peccatum, vel eſt meritorium. ibidem.
Gubernator Reipublicę tenetur magis toti Reipublicæ, quàm vni, aut alteri prouidere. 296.a

H.

HAbēs fidem implicitam Chriſti, qua tempore Euangelij iuſtificatur nō morietur ante quam habeat fidē explicitam Saluatoris. 136.b
Habitus cognoſcitiui habent duplex obiectum, vnū materiale, alterū formale. 5.b
Habitus, & potentiæ diſtinguuntur ſpecie ex ratione formali ſuorum obiectorū, genere autem ex diuerſo modo tēdendi in obiectum. 9.a
Habitus fidei, & habitus ſcientiæ, poſſunt eſſe ſimul. 34.a
Habitus fidei, & habitus ſcientiæ inclinant ad vnum, & eundem aſſenſum. ibidem.
Habitus fidei, & charitatis poſſunt eſſe in homine multo ante quam primum credat. 150.b
Habitus nō eſt principium actus in eſſe naturæ, ſed potius in eſſe moris. 156.b
Habitus fidei vnus cum ſit poteſt eſſe formatus, & informis. 573.a
Habitus ſpeculatiui, ſcilicet, ſapiētia intellectus, & ſcientia ſunt virtutes intellectuales, & etiam ſunt tres ex donis Spiritus ſancti. 188.b
In habitib⁹, vel aſſenſibus intellectus poſſumus cōſiderare quatuor, veritatē, claritatem, intenſionem, & firmitatem. 189.a
Habitus ſunt propter actus. 206.b
Habitus infuſi pendent à ſolo Deo in fieri, & conſeruari. 209.b
Habitus acquiſiti, nec generantur, nec corrumpuntur vnico actu, infuſi autē vnico actu contrario corrumpuntur. 210.b
Habitus fidei augetur tantum per proprios actus quos elicit. 213.b
Habitus naturales per actus ſibi cōuenientes non ſolum generantur, ſed etiam corrumpūtur, & firmiores fiunt. 214.a
Habitus fidei quantum ad ſubſtantiam nō minuitur quāuis interdum propter peccata nō poſsit ità prōptè, & faciliter in actum exire. 214.b
Habitus fidei realiter diſtinguitur ab ſpeciebus intelligibilibus res fidei repræſentantibus. 222.a
Habitus, vt habeat rationem virtutis ſufficit, quòd attingat obiectum ſecundum ſtatum & conditionem eius, qui operatur. 393.a
Habitus fidei, & charitatis, non ſunt ſufficientes ad eliciendum actum ſpei, ſed vltra illos requiritur alius habitus. 394.b
Habitus ſpei ſecundum metaphyſicam conſiderationem, non eſt ſimpliciter neceſſarius ad ſperādum. 395.a
Habitus ſpei nō datur nobis ex meritis, ſed infunditur à Deo gratis cum prima gratia. 396.b
Habitus ſpei manet in peccatore non peccante contra ſpem. 421.a
Habitus ſpei formatæ, & informis eſt vnus atque idem. 421.b
Habitus naturales quod augeantur per aduentum nouæ formæ corrupta priori minus intenſa, dicūt Burleus, & Gothphredus. 550.a
Habitus acquiſitus non augetur quolibet actu ſuo, ſed intenſiori. 554.b
Habitus temperantiæ, vt quatuor, corrumpit habitum intemperātiæ, vt tria. 556.b
Habitus, qui ſunt principium actionū animalium dicuntur animales. 571.a
Habitus quidem, vt ſcientia, duplicem habet quantitatem extenſiuam, & intenſiuam. 582.a
Habitus acquiſiti quo modo corrumpantur. 583.a
Habitus acquiſiti pendent à ſuis actibus in conſeruari, & qualiter. 583.a
Habit⁹ & diſpoſitio ſunt eiuſdem ſpeciei. 588.b
Habitus charitatis vnus cum ſit extendit ſe ad dilectionem Dei, & proximi. 602.a
Habit⁹ diſtinctos reſpectu dilectionis Dei, & proximi cur dicant aliqui eſſe ponendos.
Hebes & hebetudo quid ſint explicatur. 384.b.
Hebetudo ſenſus eſt peccatum diſtinctum à cæcitate mentis. 385.a
Hebetudo ſenſus, ſicut, & cæcitas habet rationem

tionem peccati inquantum voluntarium. ibidem.
Hebetudo, & cæcitas mentis opponuntur dono intellectus. ibidem.
Hæretici non pertinent ad Eccleſiam, nec ſunt membra illius. 57.b
Hæretici puniũtur ab Eccleſia, quia aliquã do fuerunt intra illam. 61. a
Hæreticus celebrans verum conficit ſacramentum per orationes tam antecedentes & conſequentes cõſecrationem, nec ſibi, nec alijs prodeſſe poteſt. 63.a
Hæreticus ità eſt inhabilis ad omne officiũ publicũ, & ad omne beneficium Eccleſiaſticum, vt ſi ei conferatur collatio ſit irrita, & nulla. 66.a
Hæretici ſæpe mutantur à fide quam prius tenent in aliam. 70.b
Hæretici nituntur ſcripturis ſua dogmata confirmare. 109.a
Hæretici negantes vnum articulum ipſo facto iudicant doctrinam Eccleſiæ eſſe falſam. 209.b
Hæretici vni articulo diſcredentes, nec habent habitum, nec actum fidei infuſæ. ibidem.
Hæretici quòd non habeant actum, vel habitum fidei nõ eſt de fide, quanuis ſit ità certum, vt contrarium dicere ſit temerarium, & erroneum. 210.b
Hæreticus diſcredens vni articulo nõ aſſentitur alijs eodem modo quo antea. 211.a
Hæreſis diſtinguitur à Iudaiſmo per hoc, quod hæreticus relinquit fidem profeſſam, Iudæus autem tantum promiſſam. 277.b
Cum hæreticis, qui ad ſuſcipiendam fidem parati non ſunt nulla ratione eſt diſputandum. 282.a
Hæreticos morte punire, & cõtra eoſdẽ bellũ mouere poſtquã de illorũ pertinacia, & rebellione cõſtitent eſt licitũ. 294.a
Hæreſis cui pertinacia adiungitur eſt iuſta cauſa propter quam homo hæreticus occidatur. 285.b
Hæreticorum conditio eſt, vt niſi prohibiti malitiam quotidie augeant nouos ſemper ſuſcitando errores. 297.a
Hæreticos debellare eſt licitũ atq; iuſtum. 297.b
Hæretici non ſunt excõmunicati iure diuino, ſed ſolùm iure poſitiuo. 303.b
Hęretici nõ ſunt neceſſario vitandi ratione excõmunicationis quoaduſque fuerint nominatim excommunicati, 305.a
Hæreticorũ libri multis de cauſis fidelibus interdicuntur, & comburuntur. 305.b
Hæreticorum libri magis nocere poſſunt quam ipſa illorum cõmunicatio. 306.b
Hęreticorum libri nulla continent bona, & bene tractata, quæ apud libros catholicorum non reperiantur. 306.b
Hęretici ſtando in iure diuino nõ amitrunt dominium quod ante habebant.
Hæreſis eſt nomen Græcum idem Latinè ſignificans quod electio. 323.a
Hæreſis accipitur tam in bonã quam in malam partem. ibidem.
Hæreſis eſt error contrarius catholicæ veritati in eo, qui Chriſtianam fidem profitetur. 323.b
Hæreſis differt à Paganiſmo, & Iudaiſmo. ibidem.
Hęreſis eſt actus intellectus procedẽs ab electione voluntatis cuius imperio intellectus mouetur ad aſſentiendum. ibidem.
Hæreſis, & apoſtaſia eiſdem pœnis puniuntur in iure. 324.a
Hæreſis eſt peccatum formaliter contrarium fidei. 325.b
De hæreſis ratione non ſolum eſt quod ſit contra doctrinam reuelatam, ſed etiam quod ſit contra doctrinam quam conſtat eſſe reuelatam. ibidem.
Ad hæreſim conſtituendam tria ſunt neceſſaria. 325.a
Hęreſis duo includit, ſcilicet, errorem circa res credendas, & diſſenſum circa rationem formalem credendi. 326.b
Hæreſis & propoſitio hæretica diſtinguuntur. 331.b
Hæreticus formaliter non eſt niſi ille, qui mente, ſeù animo affirmat aliquam ſententiam contra fidem. 333.b
Hæreſis & hæretici definitio. 338.a
Hæretici ſecundum canones duplici pœna puniuntur. 339.b
Hæretici & eorum fautores & defenſores excommunicantur. ibidem.
Hæretici receptor, aut fautor dicitur ille, qui recipit hæreticum quatenus hæreticum. 339.b
Hæreticus duplicter poteſt dici occultus. 340.a
Hęretici, qui verbis, aut ſignis ſuã hęreſim protulerũt quanuis expreſsio ſit occulta in curruntexcõmunicationem. ibidem.
Hęreſis mente concepta nõ ſolùm eſt vera, ſed perfecta hæreſis. 340.a
Hęretici pure mentales, qui hęreſim habuerunt

runt in intellectu, nec eam verbis, aut ſignis declararunt non incurrunt excommunicationnem. 341.b
Hæreſim proferens cõſilij capiendi gratia non eſt excommunicatus. 341.a
Hæreſis mente cõcepta nec exteriùs prolata poteſt abſolui à quocunque idoneo confeſſore. 344.a
Hæreticus eo ipſo eſt priuatus dominio bonorum ſuorum. 445.
Hęreticus ante cõmiſſum crimẽ verè habet dominiũ, & poſſeſsionẽ bonorũ ſuorũ, nec crimen hæreſis ex natura ſua efficit, vt hęreticus ſit bonis ſuis priuat⁹. 347.a
Hæretici ante latã à iudice ſententiã non tenẽtur in foro cõſcientię abdicare à ſe bona ſua & tradere ea fiſco. ibidem.
Hæreticus ante iudicis ſententiã nõ poteſt excludi ab agendo contra proprios debitores. 347.b
Hæreticus nullũ põt conficere teſtamentũ, & ſi cõfecerit, nullius erit roboris. 348.a
Hæretic⁹ cuius crimẽ ita eſt occultũ, vt moraliter loquẽdo, ꝓbari nõ poſsit, nõ peccat vẽdẽdo, aut donãdo bona ſua. ibidẽ.
Hæreticus retinẽs bona ſua ante iudicis ſententiam non retinet alienum inuito domino rationabiliter. 348.b
Hæreticus ante iudicis condemnationem eſt ipſo facto infamis. 352.a
Hęreticus nõ põt eſſe teſtis, niſi in caſu hæreſis in quo hæreticus contra hęreticum poteſt redere teſtimonium. 352.b
Hæretici ſunt priuati quocunq; beneficio, & dignitate. ibidem.
Hæreticorũ filij iuſtiſsimè eiſdem pœnis ſubijciuntur quibus eorum parentes puniuntur. 353.a
Ab hęreſi reuertentes ſemper ſunt recipiendi ab Eccleſia ad pœnitentiam. 356.a
Ab hęreſi reuertẽtes nõ ſemp ſunt recipiendi ab Eccleſia, vt in vita ſeruẽtur. ibidẽ.
Hæreſiarchis quanuis reſipiſcãt non remititur pœna capitis, nec relapſis dum ad Eccleſiam reuertuntur. 356.b
Hæretici, & etiã multi ex catholicis dixerũt peccatores poſſe peruenire ad talem ſtatum in quo non ſit eis ſperandum, de ſalute. 537.a
Hæreticorũ quorundã opinio aſſerentium omnes homines, qui ſemel charitatẽ habuerunt tandem ſaluandos eſſe. 596.
Hęretic⁹ eſt denũciand⁹ iudici ſtatim nulla præmiſſa ſecreta admonitione. 822.b
Holcoth dicebat Deũ poſſe mentiri. 20.b
Homo nõ põt aſſentiri omnib⁹ reuelatis à Deo aſſenſu certo, & ſine formidine qualis eſt aſſenſus fidei ſine lumine ſupernaturali. 21.a
Homo in quantum bonum perfectum, & vniuerſale cognoſcit, & illud appetit, habet immediatũ ordinẽ ad Deũ. 121.a
Homo non poteſt perfectè intelligere ea, quæ per ſe pertinent ad fidem. 238.a
Homo dũ eſt extra gratiã non poteſt ſine ſpeciali auxilio Dei bene moraliter operari, vel ſemp, vel vt in plurimũ. 268.a
Homo extra gratiã poſitus poteſt ſine auxilio Dei ſpeciali bene moraliter operari, raro tamen & infrequenter & maxima cum difficultate. ibidem.
Homo ſine auxilio ſpeciali Dei non poteſt efficere ea opera, per quæ, ſiuè mediatè, ſiuè immediatè diſponitur ad gratiam conſequendam. 268.b
Homini Chriſtiano non licet vendere, vel donare paruulos ſuorum mancipiorum eo animo, vt à cura parentum ſeparati Chriſtiani fiant. 319.b
Homines, qui exteriùs hæreſim proferunt exiſtimantur hæretici quanuis non habeant animum errandi. 334.a
Homo, cui facta fuerit reuelatio abſoluta de ſua condẽnatione non poteſt ſperare, nec ad id tenetur. 477.b
Homo cui facta fuerit reuelatio de ſua condẽnatione non cogitur deſperare. 478.a
Homo cui facta fuerit reuelatio de ſua condemnatione ſecluſo odio Dei, & cõtemptu diuinę miſericordię põt habere hũc actum nolo beatitudinem, quia Deus non vult mihi illam dare. 478.a
Homo non poteſt facere, vt ſibi non facta fuerit reuelatio de ſua condemnatione, poſtquam illa facta eſt. 478.b
Homo non poteſt viuere diu bene moraliter per multum tempus ſine auxilio ſpeciali Dei. 529.b
Homo nõ meretur primã gratiã de cõgruo ꝑ opera ex auxilio ſpeciali facta, ita', vt ex lege illi debeatur & oppoſitũ dicere eſt falſiſsimum. 531.a
Homo nec de congruo nec operibus à ſe factis viribus naturæ, nec auxilio gratiæ poteſt mereri primam gratiam. 531.b
Homines facile irritãtur, & nõ facile placãtur nec remittũt offenſas ex aĩo. 588.b
Homo (null⁹ niſi ſit cõfirmat⁹ in gr̃a) quantumuis iuſtus põt eſſe ſecurus ſe nõ poſſe à charitate & gratia recedere. 596.a

Homo

Homo nõ diligit ſe ex charitate,loquendo de charitate ſecũdum communem rationem amicitiæ. 611.b
Homo diligit ſe ex charitate,loquendo de charitate ſecundũ propriã rationẽ illius, quæ eſt eſſe amicitiam hominis ad Deum principaliter & minus pricipaliter ad ea, quæ ſunt Dei. 611.b
Homo poteſt ſibi, & ſuis optare mortẽ quando ſcit eam eſſe conuenientem ad vitanda peccata. 616.a
Homo non peccat in eo, quod inteſius diligit alium hominem,quàm Deum. 636.a
Homo dilectione ſupernaturali debet diligere Deum pluſquam ſe. 640.a
Homo maxima cum difficultate oppetit mortẽ ꝓ Chriſto, quãuis naturaliter inclinetur ad diligendum Deum plus quam ſe. 643.a
Homo & Angelus diligendo Deũ plus quam ſe diligunt ſe optimo modo. 644.a
Homo debet ex charitate ſe diligere poſt Deũ plus quam quemcunq; alium. 645.a
Homo,nec tenetur, nec debet pro ſalute ſpirituali toti⁹ mũdi velle carere grã, & amicitia Dei,aut aliqđ peccatum cõmittere. 646.a
Homo pro ſalute ſpirituali cõmuni alicuius Reipublicæ poteſt, & debet ad certum tempus velle pati aliquam iacturam (citra culpam tamẽ)in bonis ſpiritualibus.646.b
Homo priuatus non tenetur inquirere neceſsitates aliorum, vt illis opem ferat, tenetur tamen inquirere illa,quæ ſibi,& corpori ſuo fuerint neceſſaria. 648.a
Homo priuat⁹ tenetur ſubuenire ꝓximo quãcũq; ſpiritualẽ neceſsitatẽ patienti, ſi ſolo verbo id poteſt efficere. ibidem.
Homo quicũq; tenetur ſubuenire ꝓximo extremã neceſsitatẽ ſpiritualem patienti etiã cum periculo propriæ vitæ. 648.b
Homo laudabiliter poteſt negligere propriã vitam pro tuenda vita amici. 649.b
Homo quando moritur pro amico magis diligit ſe quam proximum. 650.b
Homo ex charitate magis debet diligere proximum,quàm corpus proprium. 651.a
Homo priuat⁹ tenetur depellere à ꝓximo ſuo quancũq; ignorantiã etiã inuincibilem, ex qua ſequitur grauis alterius iactura. 790.a
Homo quicũq, etiã priuat⁹ tenetur leuare à ꝓximo quãcunq; ignorantiã quantũ ad ea, quæ tenetur explicitè credere. ibidem.
Honorius Papa fuit hæreticus. 91.a
Honor in ſacris literis accipitur pro munerum largitione. 736.b
Hoſti Reipublicæ in extrema neceſsitate exiſtenti non tenemur bene facere. 714.b
Humanæ vitæ ætates ſex ad tres reducuntur, & cur. 579. a

I.

Ieiunium quadrageſimale habetur ex traditione Apoſtolorum. 109 b
Idololatra dicitur ille,qui ſponte ſua colit Idolum quanuis nullum errorem habeat in intellectu. 361.a
Ignorare,& decipi diſtinguuntur. 117. b
Ignorans inuincibiliter credẽda, ſi aliâs faciat quod eſt in ſe illuminabitur à Deo. 125.a
Ignorantia inuincibilis Chriſti poteſt eſſe nũc tempore Euangelij. 534.b
Ignorãtia inuincibilis vix põt haberi de illis articulis quibus celebrandis Eccleſia dies feſtos dicauit. 142.a
Ignorantia inuincibilis fidei põt dari. 254.b
Ignorantia inuincibilis iuris diuini dabilis eſt in peccatore. ibidem.
Ignorantia, vt ſit vincibilis & peccatum opus eſt,vt ignorans habeat negligentiam, circa talem materiam. ibidem.
Ignorãtia,quę aliâs eſt inuincibilis non redditur vincibilis ex eo, quod ignorans eſt in peccato. 255.a
Ignorantia prauæ diſpoſitionis elongat ab eo quod ſic ignoratur. 265. a
Ignorãs aliquã doctrinã eſſe reuelatã nõ põt eſſe hæreticus quanuis erret cõtra illam, ſiuè ignorantia ſit inuincibilis, ſiue vincibilis, ſiuè affectata. 325.&.326.
Ignorantia affectata nõ minuit peccatũ quanuis tollat rationem hæreſis. 326.b
Ignorantia de eo, quod Deus eſt non poteſt eſſe inuincibilis. 465.b
Ignorantia eſt duplex, vna iuris, altera facti. 789.b
Ignorãtiam etiam inuincibilem ex qua ſequitur grauis iactura proximi tenetur quiſq; depellere. 790.a
Ignorantiam iuris diuini circa ea,quæ non tenetur homo explicitè credere nõ tenemur tollere. 790.b
Ignorantiã facti circa ius humanum & ciuile nõ tenentur homines regulariter loquendo tollere à proximo ſuo. ibidem.
Incarnatio eſt fons,& origo omnis boni ſpiritualis. 137. b
Inclinatio naturalis ſemper eſt ad bonũ.641.b
Infamia eſt duplex, vna iuris,altera facti.351.b
Infamia facti eſt illa, quam quis incurrit propter criminis ſui manifeſtationẽ. ibidem.
Infamiæ pœna in hæreticos poſita etiam illorum

 rum

rum filios comprehendit. 352.a
Infideles non excuſantur in eo, quod credunt ſuæ religioni. 30.b
Infidelitas, quæ dicit puram negationem, magis habet rationem pœnæ, quàm culpæ. 263.b
Infidelitas, quæ dicit contrarietatem fidei qualis eſt illa, quam habent illi, qui fidem audierunt eſt peccatum mortale. 253.b
Infidelitas puræ negationis, quæ non ſit peccatũ poteſt dari in illis, qui nihil audierunt de fide Chriſti. 254.b
Infideles non tenentur credere quando ſimpliciter eis proponitur fides Chriſti ſine miraculis, & ſine quacunque alia perſuaſione. 255.a
Si infideles rogati, & admoniti à Chriſtianis pacificè loquentibus de religione, vt ſe audiant, nollẽt audire nõ excuſatentur à peccato mortali. 255.b
Infideles ſub pœna peccati mortalis tenentur accipere fidem Chriſti conuenienter ſibi propoſitam. ibidem.
Infidelitas cõtrarietatis eſt non ſolùm quando quis tenet aliquid contra fidem, ſed etiam quando non vult aſſentiri doctrinæ Euangelicæ ſibi ſufficienter propoſitæ. ibidem.
Infidelitas eſt in intellectu tanquam in ſubiecto. 257.a
Infidelitas in quantum eſt peccatũ eſt formaliter in intellectu tanquã in ſubiecto. 258.b
Infidelitatem eſſe grauius peccatum quam illa, quæ fiunt contra virtutes morales eſt adeò certum, vt contrarium ſine errore dici non poſsit. 262.a
Infidelitas per ſe non ſolùm repugnat vero, ſed bono. 263.b
Infidelitas per ſe & directè repugnat virtuti. ibidem.
Infidelitas verſatur circa Deum, ex quo fit, vt quidquid continetur ſub infidelitate ſit Deus, vel aliquid pertinẽs ad Deũ. ibidẽ.
Infideles in deteriori ſtatu ſunt, quàm fideles quantumcunque peccatores. 265.b
Infideles nullum opus meritorium poſſunt efficere, benè tamẽ poſſunt efficere aliqua opera moraliter bona. 266.b
Infidelium omnia opera non ſunt peccata, ſed ea tantum, quæ procedunt ex infidelitate. ibidem.
Infidelitatis ſecundum ordinem, quem habet ad fidem, tres ſunt ſpecies, ſcilicet, Paganiſmus, Iudaiſmus, & hæreſis. 275.b
Infidelitatis ſecundum corruptionem eorum, quæ per fidem ſunt credenda poſſunt eſſe infinitæ ſpecies. ibidem.
Infidelitatis ſpecies diuerſa eſt, vbicunque inueuitur diuerſa ratio voluntariè aſſentiendi contra fidem. 277.a
Infidelitatis ſpecies diſtinguuntur ex parte obiecti, & qualiter. ibidem.
Infidelitatis ſpecies aſsignatæ à Diuo Thoma ſunt ſpecialiſsimæ, nec vltra illas eſt aliam aſsignare. 279.a
Infidelitatis ſpecies ſumitur ex diuerſa habitudine, quam habet ad fidem. 279.a
Infidelitas Mahumetanorum pertinet ad infidelitatem Paganorum. ibidem.
Infidelitas Hæreticorum eſt grauior, quàm Iudæorum, aut Paganorum ſecundum habitudinem, quam habet ad fidem. 280.a
Infidelitas Paganorum eſt grauior infidelitate Iudæorum, aut Hæreticorum ſecundũ corruptionem eorum, quæ ad fidem pertinent. ibidem.b
Infidelitas Hæreticorum in ratione culpæ eſt grauior infidelitate Iudæorum, aut Paganorum. ibidem.
Infideles, qui nunquam fidem ſuſceperunt non ſunt compellendi ad fidem. 787.a
Infideles blanditijs, & non coactionibus ſunt compellendi ad fidem. 289.b
Infidelibus non debet bellum inferri, vt Principibus Chriſtianis ſubiecti melius doceantur de rebus fidei. 290.a
Infideles, qui non ſunt ſubiecti Principibus Chriſtianis non poſſunt compelli, vt deſerant Idololatriam, nec, vt obſeruent alia præcepta legis naturæ. 291.b
Infidelis Princeps cuiꝰ Reſpublica incipit corrumpi cultu Idololatriæ poterit cogi à quocunque alio Principe, vt ſuæ Reipublicæ conſulat. 292.a
Infideles, qui ſunt adeò Barbari, vt viuant more ferarum poterunt compelli à quocunq; Principe, vt feritate depoſita viuant humano more, ibidem.b
Infideles Principibus Chriſtianis ſubiecti poterunt compelli ad hoc, vt ſeruent legem naturæ. ibidem.
Infidelium Reſpublica, quæ aliquibus inuitis impedit Euangelij prædicationem iuſtè poteſt à quocunque Principe debellari. 293.a
Infideles, qui per iniuriam occiderint Euangelij prædicatores iuſtè poſſunt à quocunque fideli Principe debellari. ibidem.b
Infidelitas non eſt impedimentum quominus aliquis habeat verum dominium ciuile. 311.a
Infideles ſunt in triplici differentia. 312.a

Infideles, qui nec iure nec facto ſubdũtur principibus Chriſtianis, nõ poſſunt priuari dominio ſuorum bonorum. ibidem.b

Infideles qualiter poſsint priuari ſeruis fidelibus per eccleſiam. ibidem.a

Infidelium ritus non ſunt ab Eccleſia tolerandi, niſi propter maius malum vitandum, aut quia ſperatur illorum conuerſio. 314.b

Infidelium paruuli antequam perueniant ad vſum rationis non ſunt baptizandi inuitis parentibus. 318.a

Infidelium paruuli, ſi baptizentur inuitis parentibus manent vere baptizati. ibidem.b

Infidelium filij, qui iam habent vſum rationis poſſunt religionem noſtrã ſuſcipere contra voluntatem ſuorum parentum. 320.b

Infideles proferentes de Deo ea quæ ipſi credunt, non ſunt propriè blaſphemi. 366.a

Infidelitas ex natura ſua eſt maius peccatum, quàm blaſphemia. 369.b

Infidelitas & odium Dei ex genere ſuo ſunt grauiora peccata, q̃ deſperatio. 464.a

Infideles qualiter poſsint ex charitate corrigi. 788.a

Informare alias virtutes ità charitati propriũ eſt dando eis eſſe virtutis, vt nulli alteri conuenire poſsit. 519.a

Inimici ſunt diligendi non ſolũ ex præcepto Euãgelico, ſed etiam ex præcepto Moſaico, & naturali. 623.a

Inimicorum dilectio poteſt tripliciter conſiderari. 624.b

Inimicos excipere à beneficio cõmuni, quod in alios confertur eſt peccatum mortale. 625.b.

Inimicis ſunt exhibenda particularia ſigna dilectionis in multis caſibus. 626.a

Inimicum non reſalutare, hoc eſt, ſalutanti non reſpondere, moraliter loquendo, eſt peccatum mortale. 626.a

Inimicis, nec poſt petitam veniam, nec ante ſunt oſtendenda ea ſigna exteriora, quæ iuxta communem hominum ſenſum teſtantur odium internum. 626.b

Inimicis reconciliatis plura amoris ſigna debemus exhibere, quam alijs. 627.a

Inimico veniam petenti nullus tenetur remittere ſatisfactionem iniuriæ. ibidem.

Inimicis æquè potentibus, nec mortem, nec alium malum licèt optare propter priuatam vtilitatem. 627.b

Inimicis potentioribus à quibus manifeſtum, vel probabile imminet periculum licitum eſt optare, vel mortem, vel amiſsionẽ bonorum propter propriam vtilitatem. 628.a

Inimicum volentem me interficere nũquam licet præuenire. ibidem.

Inimici dilectio ſignum certius eſt charitatis, quam dilectio amici. ibidem.

Ad intelligẽdum non ſolum eſt neceſſarium, quòd cõcurrant obiectum & potentia, ſed etiam quòd intellectus inſit intelligenti: & præterea quod obiectũ inhæreat, vel quaſi inhæreat ipſi intellectui mediante ſpecie intelligibi. 148.a

Intellectus humanus, quia diuinæ naturæ immenſitatem vnico conceptu comprehendere nõ poteſt illam per varios tãquam diuidit. 7.à

Intellectus humanus, & Angelicus habent idem obiectũ & differũt ex diuerſo modo tendendi in illud. 9.à

Intellectus difficulter aſſentitur rebus, quas non videt. 11.b

Intellect⁹ humanus differt ab Angelico in eo, quod vnus intelligit cõponẽdo, & diuidendo, alter autem ſine compoſitione. 17.a

Intellectus humanus comparatur rebus corruptibilibus, Angelicus incorruptibilibus. 17.a

Intellectus tripliciter poteſt moueri ad credẽdum ea quæ ſunt fidei. 206.b

Intellectus noſter ex natura ſua magis aptus eſt ad aſſentiendum rebus naturalibus, quàm rebus falſis. 218.b

Intellectus ponitur vnus habitus quatenus aſſentitur primis principijs mediante lumine naturali. 603.a

Interrogatio de religione multiplex. 159.b

Si interrogatus ab eo, qui fidẽ perſequitur, metu mortis negat ſe eſſe Chriſtianum, peccat mortaliter. 159.b

Si interrogatus à Tyranno, an ſit Chriſtianus quis metu mortis tacet ita, vt alij opinentur eum non eſſe Chriſtianum peccat mortaliter. ibidem.

Non interrogatus de fide poteſt tacere, & occultare propriam fidem abſque peccato, niſi ex confeſsione ſperetur vtilitas maxima proximorum. 160.a

Si interrogatus ab eo, qui Chriſtianos perſequitur, non quia infenſus ſit religioni, ſed quia iudicat illos eſſe homines ſceleratiſsimos, negaret ſe eſſe Chriſtianum, non peccaret mortaliter. 160.b

Ioannis Hus & Vvitcleff ſententia de membris Eccleſiæ.

Iudæi Romæ vtuntur ſigno, quo à Chriſtianis diſtinguuntur. 159.a

Iudæorũ ritus tolerantur ab Eccleſia propter teſti-

teſtimoniũ, quod perhibẽt fideì nr̃æ. 314.b
Iudæorũ libri ſunt in duplici differẽtia, & eorũ aliqui permittuntur ab Eccleſia alij nõ. 315.a
Iudæus in veteri lege infideliũ filios inuitis parentibus circũcidens peccaret, ſicut ſi modo bapuzaret. 320.b.
Iudicium practicũ de aliqua re poteſt eſſe duplex. 243.b
Iudices tenentur ſtatim reſtituere ea, quæ à litigantibus acceperint. 351.a
Iudicia, quę poſſunt cõcurrere ad actum ſpei, ſunt duo, ſcilicet, ego ſaluabor, & poſſum ſaluari. 425.b
Iudicium, quod ego ſaluabor, non eſt neceſſariũ ad actum ſpei, ſed ſufficit illud, quo iudicome poſſe ſaluari ex meritis Chriſti. 426.a
Iudiciũ verũ de aliqua re poteſt eſſe, vel in particulari, vel in vniuerſali. 458.a
Iudiciũ de impoſsibilitate beatitudinis in eo qui deſperat poteſt eſſe duplex. 462.b
Iudicare in peccato mortali quando ſit peccatum. 812.a
Iura, quæ de hæreticis loquuntur, nõ comprehendunt ſummum Pontificem. 63.b
Iuſtificatio duplex, vna cum ſacramento, altera ſine illo. 123.a
Iuſtus poteſt habere ignorantiam ſpeculatiuam circa operabilia. 241.b
Iuſtus licet poſsit habere ignorãtiam practicã circa operabilia nõ tamẽ poteſt habere ignorantiam, quæ ſit vltimate practica circa neceſſarium ad ſalutem. ibidem.
Iuſti non poſſunt habere ignorãtiam mortaliter culpabilẽ circa neceſſaria ad ſalutẽ. ibid.
Iuſti, generaliter loquendo, non errant circa agenda, quia ſemper habent donum intellectus, quo illuſtrãtur à Deo. 242.a

L.

LAicis ſub pœna excõmunicationis non latæ, ſed ferendæ interdicitur ne publicè aut priuatè de fide diſputent. 282.b
Lamiæ necromantici, ſortilegi, incantatores, malefici, & diuinatores eaſdem pœnas incurrunt, quæ cõtra hæreticos ſunt impoſitæ, excepta dũtaxat bonorum cõfiſcatione. 361.b
Latitudo duplex in actibus meritorijs. 563.b
Legati ſummi Pontificis accedũt ad conciliũ inſtructi prius de fide Eccleſiæ Romanæ circa ea, quæ ſunt in concilio diffinienda. 85.b
Legati ſummi Pontificis ad concilium accedentes non debent excedere cõmiſsionem à Papa acceptam, alioquin concilium erit illegitimum. 88.a
Lex Chriſti potius tradita, quam ſcripta eſt appellanda. 108.a
In lege naturæ erant alia præcepta vltra naturalia. 125.b
Lex de occidendo homicidas, tam in veteri, quam in noua lege fuit ſtatuta. 295.a
Lex diuina, quæ ad actus interiores ſe extendit eſt neceſſaria vltra legem humanam, & Eccleſiaſticam. 341.b
Lex Eccleſiæ hæreticos excõicans inter odia computatur, & ſic eſt reſtringenda. 344.a
Leges pœnales ſũt in duplici differẽtia. 349.a
Leges pœnales, quæ impònũt pœnã nõ obligant ſuos tranſgreſſores ante iudicis cõdemnationem. 349.b
Leges pœnales, vt odioſę in mitiorem partem ſunt interpretandæ. ibidem.
Legum pœnalium tranſgreſſores non tenentur in conſcientia ante iudicis condemnationem ſubire eas pœnas, quæ in actione & paſſione conſiſtunt. 350.a
Leges multum difficiles quanuis ſint ex obiecto bonæ, ſunt pernicioſæ, quia præbent hominibus offendiculum, ibidem.
Lex humana non poteſt obligare tranſgreſſores ad ſubeundas eas pœnas, quæ in actione & paſsione conſiſtunt ante iudicis condemnationem. 30.a
In lege veteri ſuppoſita fide vnius Dei, nulla alia præcepta fidei fuerunt data. 388.a
In lege veteri non fuit præceptum de habẽda fide, quod ad ipſam legem pertinebat. ibid.b
Lex, quæ præcipit actũ exteriorem, præcipit etiam interiorem, ſine quo exterior conſtare non poteſt. 623.b
Lex Moſaica non docet licitum eſſe odio habere inimicos. 624.b
Lex iuſtitiæ dupliciter præcipit aliqđ dare, ſcilicet, ſimpliciter, & in caſu particulari. 743.b
Lex communis de ludo ponitur, & declaratur. 766.b
Lex regia đ ludo ponitur, & explicatur. 767.b
Lex, quæ pręcipit, vt abſq; ſecreta admonitione hæreticum hominem, & occultũ ſtatim denuntiemus eſt veriſsima. 822.b
Lætitia diſtinguitur à gaudio, & delectatione, & declaratur quid ſit. 694.a
Liberius Papa fuit hæreticus. 91.a
Licitum eſt homini priuato cupere, vt peccator incidat in mortem, & in alias calamitates ſub ratione boni, ſcilicet, vel vt conuertatur ad Deum, vel vt deſinat peccare. 615.b
Licitum eſt propter bonum, vel temporale, vel æternum tanquam propter motiuum moueri ad diligẽdum, & ſeruiendum Deo, ſine talia opera ſuit in præcepto, ſiue in conſilio. 678.a

Linea

Linea aliqua augetur dupliciter in infinitum. 574.b
Ludens fraudulenter, & doloſe tenetur ad reſtitutionem eorum, quæ ſic lucratus fuerit. 765.a
In ludo, quæ dicantur fraudes explicatur. ibidem.
Ludens cum illo, qui nõ poteſt res ſuas alienare tenetur ad reſtitutionem illorũ, quæ ſic lucratus fuerit. 765.b
Ludus eſt quidã cõtractus, qui, vt ſit licitus, debet ex vtraq; parte eſſe æqualis. 766.a
Ludentes cũ minoribus, quãdo teneantur ad reſtitutionem. 766.a
Ludentes credita pecunia, ſtando in ſolo iure naturali, tenentur illam ſoluere. 769.a
Ludens credita pecunia ſtando in iure particulari huius regni nõ tenetur ſoluere id; quod perdiderit. ibidem.
Ludens credita pecunia, ſi iuramento promittit ꝙ ſit eam ſoluturus tenetur illam in conſcientia dare, & poterit poſteà in iudicio repetere. 769.b
Lumẽ fidei ſe habet ad articulos fidei, ſicut lumen naturale intellectus ad prima principia. 11.a
Lumen fidei, quod ex ſe eſt ſufficiens ad inducendum intellectũ in aſſenſum articulorũ ex parte ſubiecti retardatur propter duplex impedimentum. ibidem.b
Lumen naturale intellectus inclinat immediatè ad omnia principia. 19.a
Luminis propriũ eſt, vt quãtumuis exiguũ illuſtret ſemper illud cui applicatur. 29.b
Lumẽ ſupernaturale ſemper fuit neceſſariũ ex parte intellectus ad iuſtitiam conſequendam. 123.b
Lumen ſupernaturale, quo homo indiget, vt penetret ea, quæ per lumen naturale cognoſcere non valet vocatur donum intellectus. 235.a
Lumen in aere non augetur per additionẽ luminis ad lumen. 553.a
Luminare minus additum maiori auget lumen ab illo productum. 555.a
Luminare quodlibet agit vniformiter quo modo intelligatur. 555.b
Lutheri ſententia de eo, in quod debet fieri vltima fidei reſolutio. 9.a
Lutheranorum ſententia de iudice viſibili in Eccleſia conſtituendo. 47.a
Lutheranorũ ſñia de mẽbris Eccleſiæ. 53.a
Lutheranorũ ſententia de illis, apud quos eſt vera Chriſti Eccleſia. 70.a
Lutheranorũ ſententia de eo, penes quẽ eſt poteſtas diffiniendi res fidei, & morũ. 73.a
Lutheri ſententia de autoritate apoſtolicarum traditionum. 110.b
Lutheranorum ſententia de eo, quod fides ſufficit ad iuſtificationem. 230.b
Lutheri initia, atq; geſta. 297.a
Lutheranorũ ſñia de timore ſeruili. 439.a
Lutheranorum ſentẽtia de hominis iuſtificatione. 489.b
Lutherus affirmabat omnes ſanctos eſſe tã ſanctos, ſicut beata virgo. 347.b

M.

Magiſtri ſententia de poteſtate ordinis. 62.b
Magiſter ſentẽtiarum opinatur charitatem eſſe ipſum met Spiritũ ſanctum. 488.a
Maiores, ad quos ſpectat alios erudire, tenẽtur plura explicite credere, quam minores. 139.a
Mala, penes quæ verſatur miſericordia, ſunt in triplici differentia. 704.a
Mala aliquando licite permittũtur, vt peccator cautius reſurgat. 793.b
Mala ſunt in duplici differentia, quædam ſunt mala, quia prohibita, alia prohibita, quia mala. 798.a
Maledictio quanuis potiſsimum conſiſtat in verbis exteriorib⁹, nõnũquã in ſola animi cogitatione fieri poteſt. 365.a
Maledictio in Deum eſt quotieſcunq; in illum falſa obijcimus. ibidem.b
Maledictio mẽdax in aliquem prolata ex quibus oriri poſsit. ibidem.
Malũ culpæ poteſt cõſiderari, vel in quãtũ eſt contrariũ rectæ rationi, vel in quãtum ſeparat nos à Deo. 442.b
Malũ alterius poteſt cõſiderari, vel in quantum eſt malũ, vel in quantum eſt quidam defectus. 708.a
Matrimoniũ, quod altero coniungum inepto ad reddendum debitum contrahitur diſſolui poteſt. 97.a
Matrimonij rati nõ conſummati per votũ ſolenne religionis dirẽptio, habetur ex traditione Apoſtolorum. 110.b
Martyrium pro cõfeſsione fidei multa includit, & quo modo. 509.a
Martyrium, quod eſt actus fortitudinis eſt præſtantius aliquo actu charitatis, ſed nõ eſt perfecti⁹, quo ad actũ charitatis. 511.a
Medium, qđ participat vtroq; extremo reſpectu cuiuſcunque illorum habet rationem contrarij. 60.a
Medium poteſt eſſe multiplex. 509.b
Melchioris Cani ſententia de modo, quo Deus

Deus eſt cauſa actionis peccati, & non deformitatis. 224. b
Membrum dicit duo, ſcilicet, quod recipiat influxum ab anima, & quod habeat ordinem ad reliquum corpus. 55.b
Membra non ex æquo participant influxum ab anima, ſed magis, aut minus pro vniuſcuiuſque diſpoſitione. 56.a
Eſſe Membrum Chriſti, & mēbrum Diaboli poteſt eidem cōuenire ſecundum diuerſas rationes. 6⁀.a
Mentiri eſt falſum dicere cum animo fallendi. 21.a
Mētiri, & falſum dicere diſtinguūtur. 20.b
Mēſura vera charitatis, quæ infundirur, eſt diuina voluntas & non capacitas naturalis. 535.a
Metus, & ſpes ſimul poſſunt concurrere reſpectu eiuſdem obiecti. 428.b
Meretrix pro actu venereo poteſt preciū accipere. 764.a
Meretrix accipiēs exceſsinū preciū pro vſu corporis tenetur illud reſtituere. 764.b
Meretrix tenetur reſtituere ea, quæ per fraudē & dolū ab amico fuerint extorta. ibid.
Meretrices qualirer ſint ex charitare corripiendæ. 787.b
Meritum dicit ordinem ad præmium mercedē, & debirum, ita, vt qualis fuerit ratio debiti, talis eſſe poſsit ratio meriti. 529.a
Meriti nomen abſolute importat rationem iuſtitiæ, ſed cū additur illa particula, de cōgruo extrahitur nomē à primæua ſignificatione, & ſignificat opus. 530.b
Meriti nomen aliquando meriti rationem ſignificat aliquando opus cui correſpondet aliquis fructus ex mera liberalitate præmiantis. 530.b
Meritum de congruo definitur. 530.b
Mereri primam gratiā viribus naturæ non poteſt concedi, ſi per meritum de cōgruo intelligamus opus, cui debetur præmium ex perfectione operis. 531.a
Meritum de cōgruo, non eſt meritum ſimpliciter, nec importat debitum. 531.b
Meretur de cōgruo auxilium ſpeciale quo poſsit ſe ad grariam præparare, qui viribus naturæ facit quantum poteſt. 531.a
Militia eſt licita, nec damnatur in concilio Niceno. 83.a
Minores ordines habētur ex traditione Apoſtolorum. 109.b
Si Miniſter iuſtitiæ volens clericum ſe defendētem carceri mancipare eum percuſſerit non tenemur illum vitare, quanuis percuſsio ſit manifeſta. 305.a
Miſericordia eſt alienæ miſeriæ in noſtro corde compaſsio, qua vtique ſi poſſumus ſubuenire compellimur. 703.b
Miſericordia verſatur circa malum tanquā circa proximum obiectum. 704.a
Miſericordia Dei declaratur in eo, quod noſtram miſeriam propriā reputauit. 706.a
Miſericordia pro motu appetitus ſenſitiui non eſt virtus, ſed paſsio. 707.b
Miſericordia pro motu voluntatis reſpectu mali alterius eſt virtus. ibidem.
Miſericordia, ſicut & liberalitas ſubiectatur in voluntate, & in appetitu ſenſitiuo. 708.b
Miſericordia ſecundum ſe eſt maxima virtutum. 709.b
Miſericordia in ordine ad habentem non eſt maxima virtus, niſi in eo, qui non habet ſuperiorem. ibidem.
Miſericordia in ſe ipſa exigit immunitatē à miſeria. 710.b
Miſericordia ſecundum ſe exigit tātam ſuperioritatem, vt ſit actus purus. ibidem.
Miſericordia qualiter ſit maxima virtus, etiam in Deo. 711.a
Miſericordia eſt in Deo quantum ad hoc, quod dicit promptirudinē voluntatis ad ſubueniendum miſeris, non aurem quātum ad hoc, quod dicit triſtitiam. ibidem.b
Ad Miſericordiā pertinet repellere alienā miſericordiam in quātum expedit & decet. ibidem.
Miſericordia nihil aliud eſt, quam quædā particularis, & conſtricta charitas ad ſpecialem rationem boni. 722.b
Moyſi preceptū fuit à Deo, vt legem tantū populo ſcriberet, legis autem occulta myſtica, ipſe miniſtro ſuo Ioſue, & hic deinceps ſuccedētibus ſacerdorū maiorib⁹ magna ſilentij religione reuelarunt. 18.b
Monarchia eſt præſtantiſſimus gubernandi modus. 90.a
Monachus diſcedens à religione cū animo ad illam nunquā reuertendi eſt verè apoſtata, & ſubiectus omnibus pœnis, quę in iure contra apoſtatas diſcernūtur. 360.b
Monachus qui diſcedit à religione animo non omnino deſerendi illā, ſed vagādi per aliquot dies, vel mutādi prælatum nō eſt propriè apoſtata, tamē ſi relinquit habitū erit excommunicatus. ibidem.
Monachus diſcedens à religione animo nūquam reuertendi ſi non dimittit habitum quāuis ſit vere Apoſtata non incurrit excommu-

communicationem loquendo de iure cõmuni. ibidem.
Monachus fugiens ad aliam religionem, etiam ſi ſit minus arcta, dum tamen habitum deferat non eſt excõmunicatus, nec verè apoſtata. ibidem.
Monachi, qui à religione mendicãtiũ ſe cõferunt ad monachalem ſine licentia ſummi pontificis ſunt excommunicati. ibidẽ.
Monachi qui ex diſpẽſatione ſummi Pontificis habitum dimittunt regulariter loquendo ſunt in apoſtaſia ex defectu informationis. 361.a
Monachi ſunt ſubiecti prælatis, & qualiter. 771.b
Monachus non poteſt facere eleemoſynã, ſine licentia ſui prælati. 773.b
Mortem ſuſtinere propter Deum eſt actus elicitus à fortitudine & imperatus à charitate præſuppoſita fide. 509.a
Motus appetitiuæ partis eſt duplex, ſcilicet proſequutio, & fuga. 409.a
Motus omnis appetitus conformis iudicio falſo eſt ſecũdum ſe malus & peccatum. 458.a
Mulier vtẽs veſte virili nõ mentitur. 161.b
Mulieres, quæ dicuntur beatæ, quæ tãtum emiſerũt votum ſimplex caſtitatis, ſi matrimonium contrahant peccãt mortaliter non tamen erunt dicẽdæ apoſtatæ. 360.b

N.

NAbuchonoſor, & Pharao æqualiter admoniti ſunt, tñ vnus ingemuit alter vero obduratus fuit. 543.a
Natura rationalis dupliciter poteſt conſiderari, vno modo ſecundum ſuum eſſe, alio modo ſecũdum operationem eius immanentẽ, quæ eſt cognitio, & appetitio. 121.a
Natura non deficit in neceſſarijs qualiter ſit intelligendum quantum attinet ad cognitionem rerum naturalium. 129.a
Naturæ humanæ ſtatus multiplex. 131.b
Natura, & inclinatio naturalis ad bonum in homine non fuit extincta penitus per peccatum. 515.a
Naturalis diſpoſitio ſola, non ſufficit ad habendã gratiam, & quid requiratur. 529.b
Neceſſarium dicitur aliquid tripliciter, ſcilicet neceſsitate præcepti, neceſsitate finis, & vtroq; modo ſimul. 122.a
Neceſſarium eſt homini, vt accipiat per modum fidei, non ſolum ea quæ ſunt ſupra rationem, ſed etiam ea quæ per rationem cognoſci poſſunt. 128.a
Neceſsitas ſpiritualis debet determinari per reſpectum ad auxilium quod eſt præſtandum. 648.a
Neceſsitates in quibus eleemoſynæ ſunt faciendæ ſunt in triplici differentia. 735.a
Neceſsitas ſpiritualis duplex vna quæ prouenit ex malitia, altera quæ prouenit, vel ex fragilitate, vel ex paſsione, vel ex ignorantia. 796.a
Negamus in beatis fidẽ & ſpem, quia ſunt incompoſsibiles ſtatui beatorum. 418.b
Nolens aſſentiri Euãgelio poſtquã eſt ſibi ſufficienter propoſitum, peccat mortaliter. 256.b
Nomen hoc Deus dicitur de Deo propriẽ, & abuſiue de Angelis & excellẽtibus hominibus: & ita nomẽ charitas dicitur propriẽ de amore Dei abuſiue autẽ de amore hominum. 486.a
Nominales exiſtimãt poſſe in nobis aliquẽ habitũ generari ex dilectione Dei quæ fit ex auxilio Dei ſæpius frequentato 525.a
Nominales, quid intelligant de interceſsione qualitatum. 550.b
Non ſunt facienda mala, vt inde eueniant bona explicatur. 616.b
Nouitij religionis quomodolibet habitum relinquentes non ſunt dicendi apoſtatæ religionis. 360.a
Nicolaus Papa definit Chriſtum aliquo tempore ſeruaſſe eam paupertatem quæ nihil habet, nec in communi, nec in particulari, 96.a
Nicolai atque Pelagij contradictio ſuper baptiſmũ nomine Chriſti collatum diſſoluitur. ibidem.
Nicolaus Antiochenus diaconus, qui ab Apoſtolis electus fuit tanquã vir boni teſtimonij peccauit, & de hoc dicitur, Apocalypſi. 2. quia odiuit Deus facta Nicolaitarum. 593.a

O.

OBedientia nonnũquam imperat charitati, & econtra. 519.a
Obdurati in quo differant ab alijs peccatoribus. 541.b
Obdurare aliquos quid ſit. ibidem.
Obdurati & obſtinati nullam diſplicentiam peccatorum ſentiunt, ſed ſecuri & ocioſi reſident in peccatis. 342.a
Obdurati qualiter diſtinguantur ab alijs peccatoribus. 541.b
Obiectum formale fidei eſt veritas prima materiale autem eſt Deus. 3.a
Obiectũ in habitibus eſt id circa quod talis habitus verſatur. 5.a

Obiecti ratio formalis duplex vna vt quæ, altera ſub qua. 7.b

Obiectũ fidei ex parte rei creditæ eſt quid incomplexum, & ex parte credentis, eſt quid complexum. 17.a

Obiectum fidei non poteſt eſſe aliquid viſum, ſiue per intellectum, ſiue per ſenſum. 25.a

In obiecto cuiuſcunq; virtutis, duo poſſumus conſiderare vnum quod per ſe pertinet ad illud, & alterũ quod per accidens ſe habet ad propriã rationẽ obiecti. 130.b

Obiectum fidei per ſe eſt, id quod eſt obiectum viſionis qualiter ſit intelligendum declaratur. 137.a

Obiectum beatificum appellatur non ſolum id quo obiectè beatificamur, ſed etiam illud per quod tanquam per mediũ peruenimus ad beatitudinem. ibid.b

Obiectum formale fidei in ordine ad nos non eſt veritas prima præciſè, ſed cum hac modificatione, ſcilicet, ſecundum doctrinam & explicationem Eccleſiæ quę errare non poteſt. 290.b

Obiectum gaudij poteſt eſſe aliquid extra nos poſitum. 404.b

Obiectum immediatũ virtutis eſt, id quod ipſa virtus efficit. 415.a

Obiectum immediatum timoris filialis eſt offenſa Dei. 433.b

Obiectum timoris duo potiſsime includit, ſcilicet, quod ſit malum arduũ, & quod immineat, vel quod ſit poſsibile. 451.b

Obiectum timoris filialis diminuitur ex parte poſsibilitatis creſcente charitate, augetur autem ex parte æſtimationis maioris mali. 452.a

Obiectum proprium ſpei eſt poſsibile bonum aut arduum, aut difficile & pertinet ad alias paſsiones. 467.b

Obiectum ſpei virtutis Theologiæ eſt beatitudo æterna. 469.b

Obiectum virtutum moralium infuſarum ſunt paſsiones in quibus moderãdis verſantur. 525.a

Obiectum virtutis moralis duplex proximum & remotum. ibidem.

Obiectum duplex in charitate conſiderare poſſumus primarium & ſecũdarium, & etiam bona diuina quæ ipſi Deo volumus per eſſentiam, & nobis per participationem. 603.a

Obiectum principale & minus principale, non variat virtutis ſpeciem. ibidem.

Obiecti nobilitas facit ad perfectionem habitus, vel virtutis inquantum reſpicit habentem. 71.b

Obligatio maior non tollit meritũ ſed auget. 689.a

Obligatio quæ oritur ex iuſtitia, non ſemper obligat ad reſtitutionem. 743.a

Ex obſeruantia præceptorum diuinorum inter alia bona etiam ſequitur bonũ temporale. 679.b

Obſeruare diuina mandata propter præmium temporale, vel æternum tanquam propter finẽ principalem, ita vt illo ſublato non eſſet obſeruaturus eſt peccatum mortale. 680.a

Occultare propriam fidem & alienam profiteri diſtinguuntur, primum eſt indifferens, ſecundum autem eſt intrinſecè malum. 158.b

Odium Dei, quod opponitur charitati tria habet. 459.a

Odium Dei & infidelitas diuerſimode conſiderantur, & ita vnum eſt maius peccatum quam aliud. 507.a

Odire aliquem eſt velle ei malum ſub ea ratione, qua malum eſt ei. 615.a

Odire peccatorem, & odire peccatum diſtinguuntur. ibidem.

Odium poteſt dupliciter conſiderari, & ſecundum vnám rationem eſt conditio conſequens omne peccatum, & ſecundum aliam eſt peccatum ab alijs ſpecie diſtinctum. 620.a

Officium Petri, & ſucceſſorum eius fuit confirmare fratres ſuos in fide. 65.a

Opera in quibus homines peccãt ſunt multiplicia. 33.b

Opera quæ habent ordinem ad obiectum difforme rationi ſecluſa quacunque auerſione à Deo ſunt mala atq; peccata. 465.a

Opera mala mortaliter habent quod ſint peccata mortalia ab auerſione. ibidem.

Opera quæ faciamus adiuti gratia nõ ſunt partim à gratia & partim à libero arbitrio, ſed indiuiſim ab vtroque, de fide tamen eſt quod liberum arbitrium, ita cooperatur gratię, vt poſsit illi reſiſtere. 542.b

Opera noſtra non eodem modo ſe habent, & quando primo infunditur charitas, & quando augetur. 582.b

Opera bona quæ tantum ſunt in conſilio licet facere propter aliquod præmium aſſequendum: ſiue temporale, ſiue æternũ tanquam propter finem principalem quo ſublato non operaretur. 678.b

Opera præcepti poſſunt fieri licitè propter conſe-

conſequendum bonum, vel temporale, vel æternum tanquam propter finem ſecundarium. 679.a

Operari remiſſe non eſt vti negligenter dono Dei, ſed nullo modo operari. 559.a

Oppetere mortem pro conſeruatione boni temporalis, quando ſit licitum. 741.a

Opinio generatur in nobis mediāte ratione. 26.b

Opinio de rebus fidei ſi ſit cum pertinacia facit hominem hæreticum, ſicut & dubitatio. 336.b

Opinans in fide incurrit pœnas hæreticorum. ibidem.

Opiniones variæ de modo metendi. 530.a

Opiniones diuerſæ de duobus hominibus habentibus idem auxilium ſpirituale, quis eorum conuertatur. 544.a

Opiniones diuerſæ penes quid augetur charitas. 564.a

Opus honeſtum ex ſe ordinatur in Deum, niſi ex malitia operantis in alium finem trahatur. 266.b

Opus moraliter bonum quod fit ex facultate naturæ, nullo modo poteſt eſſe meritorium de cōgruo primæ gratiæ. 528.b

Opus præcedens iuſtificationem eſt diſpoſitio ad gratiam, tamen nullum eſſe poteſt meritorium de condigno primæ gratiæ, vel charitatis. 530.a

Opus quod totum fit à libero arbitrio, & totum fit à gratia aliquo modo videtur eſſe à libero arbitrio, quo non eſt à gratia. 542.b

Orans pro bono temporali conſequendo, facit duo. 679.a

Ordo inſtitutus in Italia à fratre Baptiſta Cremenſi Venetijs publico edicto fuit exploſus. 1[illegible]1.a

Ordo charitatis in quo cōſiſtat. 600.b

Ordinem eſſe in charitate eſt de fide. 633.a

Ordo inuenitur vbicunq; eſt primum & ſecundum. 633.a

Ordo includit in ſe aliquem modum prioris & poſterioris. 634.a

Ordo charitatis qualiter ſit intelligendus anteponere vnam rem alteri. 648.a

Ordo charitatis non obligat, niſi in caſu extremæ neceſsitatis eſtq; intelligēdus cæteris paribus. 660.a

Ordo charitatis manet in patria & qualiter. 670.a

Origenes aſſeruit, vt referunt grauiſsimi autores miſeros beatos, & beatos miſeros eſſe futuros. 597.a

Originale peccatum leuius eſt quam peccatum mortale. 600.b

P.

PApa per ius humanum non poteſt priuari pontificali ſua dignitate. 63 b

Papa poſtquam cōſenſit ſuæ electioni etiā ſi eum pœniteat voluntatis præteritæ & renunciet papatui adhuc tamen erit papa quoadusq; ab Eccleſia eius renunciatio acceptetur. 64.b

Papa, vel Epiſcopus factus hæreticus iure diuino amittit ſuam dignitatem atque iuriſdictionem. 65.a

Papam, vel Epiſcopum quandiu non fuerit ſuſpectus de hæreſi tenentur fideles habere tanquam Papam & quæ ab ipſo tradita fuerint recipere. ibidem.b

Papa hæreticus non eſt caput Eccleſiæ, ibidem.

Papa debet intereſſe concilio per ſe, vel per legatos. 78.a

Papa poteſt delegare concilio poteſtatem definiendi, licet non aſsiſtentiam Spiritus ſancti. 88.a

Papa diuino iure ſuccedit Petro in eadem autoritate & poteſtate. 90.a

Papa poteſt conſiderari dupliciter vno modo, vt priuata perſona alio modo, vt caput Eccleſiæ & perſona publica. ibidē.b

Papa, vt priuata perſona poteſt eſſe hæreticus. ibidem.

Papam, vt priuatā perſonam poſſe eſſe hæreticum eſt adeò certum, vt contrarium dicere ſit errori proximum. 92.b

Papa in his quæ ſunt facti, ideſt, quādo eius ſententia non verſatur circa res fidei, aut morum poteſt errare, ibidem.

Papa in diffinitiōe fidei nō pōt errare. 94.a

Ad papam ſunt deferendæ cauſæ maiores Eccleſiæ, vt eas diffiniat, & determinet. ibidem.

Papam non poſſe errare, eſt intelligendum dummodo adhibeat ſufficientem diligentiam pro qualitate quæſtionis. 95.b

Papa cum diffinit aliquid de fide, & id proponit toti Eccleſiæ habēdum eſt pro certo illum adhibuiſſe ſufficientem diligentiam. ibidem.

Papam non poſſe errare, non eſt de fide, eſt tamen adeo certum, vt contrarium dicere ſit grauis error. 96.a

Papa interdum reſpōdet ad priuatas huius, vel illius Epiſcopi quæſtiones, non ſententiam ferendo, ſed explicando ſuam opinionem. 97.a

Papa in cõcluſione ſi determinar fidei quæſtionem nõ poteſt errare: cæterũ in rationibus ſæpeſæpius errat. Ibidem.
Papa quanuis ſit tantæ autoritatis in definiendo ſicut concilium generale non tamen eſt tantæ ſapientiæ, nec tantæ acceptationis indubitatæ ab omnibus. 95.b
Papa non ex ipſo quod labitur in hæreſim eſt depoſitus, ſed eſt ab Eccleſia deponẽdus. 99.b
Papa non poteſt errare in canonizatione ſanctorum & contrarium dicere eſt periculoſum. 100.b
Papa approbans aliquam religionem non poteſt errare quantum ad hoc quod in eius regula cõtineat aliquid illicitum bene tamen quantum ad hoc quod talis religionis leges, non ſunt cõuenientes pro loco & tempore. 101.a
Papa directè non habet poteſtatem compellendi infideles principibus Chriſtianis ſubiectos, ad obſeruantiam legis naturæ. 293.a
Partes continui quomodo infinitas eſſe dicunt aliqui. 566.
Pars minima vltima & maxima continui non datur. 570.b
Pars rationalis in homine & intellectiua in angelo ſemper inclinant naturaliter in bonum honeſtum & conſonum rationi. 641.b
Pars ſenſitiua in homine naturaliter inclinat in bonum ſenſibile quod interdum eſt contrarium bono rationis. 642.a
Parochi curam animarum habentes, & alij clerici Chriſtianum munus adminiſtrãtes tenentur articulos fidei ita explicitè credere, vt poſsint illos explicare alijs & diſtinguere rationis illorum. 137.b
Parochi tenentur ſcire ea quæ ſunt neceſſaria ad erudiendum populum mediocriter in moribus. 140.a
Paſsiones animæ ſunt vndecim earumq́ue ſufficientia clarè ponitur. 693.b
Paſsiones omnes originãtur ex amore. ibidem.
Pater beatificatur comprehenſione eſſentiæ in qua diuinæ perſonæ & aliæ res creatæ continentur: & ſic in primo ſigno originis habet eſſentiam & perſonas pro obiecto beatificante. 148.a
Pater præferendus eſt in extrema neceſsitate cuicunq; amico etiam vitæ redemptori. 661.b
Pater ex parte obiecti eſt magis diligendus quam filius. 661.b
Pater in caſu extremæ neceſsitatis eſt filio præferendus. 664.a
Pater in ijs quæ pertinent ad honorẽ ſemper eſt præferendus filio. ibidem.
Pater abſolutè loquendo eſt magis diligendus quãm filius. 664.b
Pater eſt magis diligendus quam mater. 665.b
Pater eſt præferendus vxori in caſu extremæ neceſsitatis. 666.b
Patre & creditore exiſtentibus in extrema neceſsitate potius debeo ſubuenire patri quam creditori. 788.a.&.b
Patres & domini magis obligantur corripere filios & ſuam familiã quam alias perſonas. 802.a
Patres & domini non tenentur ita ſtrictè corripere filios aut familiam ſicut prælatus ſibi ſubditos. ibidem.b
Paupertas à Chriſto inſtituta eſt duplex vna eſt nihil habere, nec in cõmuni, nec in particulari, altera nil habere in particulari. 96.a
Paupertas ſpiritus eſt beatitudo correſpondens dono timoris. 456.b
Pauperes ſunt in duplici differentia ſimpliciter, & ſecundum quid. 739.b
Pauperi qui nõ eſt ſimpliciter pauper, ſed pro tempore & loco non tenemur dare gratis eleemoſynã, ſed ſufficit mutuare. 740.a
Pauperibus in extrema neceſsitate exiſtentibus competit actio contra diuitem, ita vt poſsint illum coram iudice conuenire, vt ſibi tribuant neceſſaria. 742.b
Pauperes extra extremã neceſsitatem poſſunt implorare iudicis officium qui poteſt & debet cogere diuites ſuperflue habentes, vt pauperibus ſubueniãt. 743.a
Pauper in extrema neceſsitate exiſtens licitè poteſt accipere etiam ab inuito ea quæ ad ſubleuandam talem indigẽtiam ſunt neceſſaria. 749.b
Pauper quando teneatur reſtituere ea quæ in extrema neceſsitate accepit. 750.a
Pauper qui in extrema neceſsitate conſumit ea quæ extra talem neceſsitatem acceperat non tenetur illa reſtituere. 750.b
Pax diſtinguitur à concordia. 699.a
Pacem appetunt omnia. ibidem.b
Pax eſt proprius effectus charitatis. 701.a
Peccatores dicuntur mẽbra mortua in comparatione ad iuſtos. 60.a
Peccatores ſunt membra Chriſti, & membra

bra Diaboli ſecundum diuerſas conſiderationes. ibidem.

Peccatores non eſſe membra Eccleſię qualiter ſit intelligendum. ibidem.

Peccatores non poſſunt credere in Deum, ita vt habeant Deum per vltimo fine ſuper omnia dilecto. 117.b

Peccatores poſſunt ità credere in Deum, vt ea potiſsimum ratione credant, vt Deo præcipienti obediant, & ſatisfaciāt. ibid.

Peccatum conſtituitur in duplici genere mali, ſcilicet, in genere mali ſimpliciter, & in genere mali moralis. 223.a

Peccatum conſtituitur in genere mali ſimpliciter per priuationem rectitudinis debitæ. ibidem.

Peccatum cōſtituitur in eſſe mali moralis per ordinem poſitiuum ad obiectū diſformé rationi. ibidem.

Peccatum quantum ad id, per quod conſtituitur in genere mali ſimpliciter non eſt à Deo, tamen quantum ad id, per quod conſtituitur in ſpecie mali moralis eſt à Deo. ibidem.

Peccatores credentes pœnas ęternas ſibi imminere non timent nec ſugiunt peccatum propter tres rationes. 229.a

Peccatores non habent rectam æſtimationem de fine. 243.b

Peccatum etiam exterius eſt ſubiectiuè in voluntate, non ſecundum ſe totum, ſed quantum ad actum interiorem voluntatis ad cognoſcendum. 259.a

Peccatum infidelitatis eſt maius omnibus illis, quæ fiunt contra virtutes morales. 260.b

Peccatum infidelitatis non eſt maius illis, quæ opponuntur cum virtutibus theologicis. 261.a

Peccati grauitas ex duplici poteſt ꝓuenire capite, ex obiecto, & circūſtantijs. ibid.b

Peccatum quod ex obiecto eſt minus graue pōt ex circūſtantijs eſſe grauius. 263.a

Peccatum eo ipſo, quod eſt peccatum includit odium Dei aliquo modo. 263.b

Peccata, quæ fiunt contra virtutes morales primo, & per ſe non importāt ſeparationem à Deo nec ex natura ſua, nec ex intentione operantis. ibidem.

Peccatum tanto eſt grauius quanto per ipſum homo magis ſeparatur à Deo. 264.a

Peccata fideliū grauiora ſunt, quam peccata infidelium. 265.b

Peccatum ſicut conſtituitur in duplici genere, ſcilicet, mali moralis & mali ſimpliciter ſic etiam ſub vtroque genere poteſt habere diſtinctas ſpecies. 266.a

Peccatum mortale nō impedit quominus fideles aut infideles poſsint habere dominium ſupra alios & contrarium dicere eſt hæreticum. 310.b

Peccatum illius, qui ex ignorantia affectata errat contra doctrinam reuelatam, eſt in ſpecie hæreſis non formaliter, & directè, ſed reductiuè. 326.b

Peccata venialia habens obligatur e xprę cepto Eccleſię illa ſemel in anno cōfiteri. 342.a

Peccati in Spiritum ſanctum ſex ſunt ſpecies. 376.a

Peccata in Spiritum ſanctū poſſunt procedere, vel ex malitia vel ex ignorātia, vel ex paſsione. 376.b

Peccatum, vt propriè dicatur in Spiritum ſanctum debet procedere ex malitia, & eſſe contrarium remiſsioni per Spiritum ſanctum datæ. ibidem.

Si peccatum in Spiritum ſanctum accipiatur pro finali impœnitentia ſic ſimpliciter eſt irremiſsibile. 378.a

Si peccatum in Spiritum ſanctum accipiatur pro blaſphemia in Chriſti diuinitatē iactata, vel pro eo, quod fit ex certa malitia dicitur irremiſsibile, quia ex ſe non habet vnde remittatur. 378.b

Peccatum nullum eſt quòd ſecundum legem ordinariam non poſsit deleri per pœnitentiam. ibidem.

Peccatum in Spiritum ſanctum quare dicatur irremiſsibile. 379.a

Peccatum in Spiritum ſanctū qualiter prę ſupponat alia peccata, & qualiter poſsit eſſe ſine illis. 381.a

Peccatum, nec vt pœna, nec vt culpa poteſt eſſe à Deo. 429.b

Peccatum quod committitur propter finē licitum, & honeſtū non augetur, ſed potius minuitur quantum ad grauitatē ex illo fine. 434.a

Peccator abſolutè appellatur malus, quia eſt auerſus ab vltimo fine. 440.a

Peccatum omne ſiue ſit contrarium virtuti theologicæ, ſiue morali conſtituitur in ſpecie per conuerſione ad obiectū. 458.b

Peccata oppoſita virtutibus theologicis, vel moralibus maxime differunt inter ſe. 459.a

Peccata oppoſita virtutibus theologicis ex genere ſuo ſunt grauiora cęteris peccatis. 464.a

Peccatum deſperationis non ita oritur ex luxuria, vel accidia, vt habeant intrinſece neceſſariam connexionem inter ſe iſta peccata. 467.a
Peccatum præſumptionis conſiſtit in eo, quod quis velit gloriam ſine meritis, & etiam in eo, quod quis velit gloriam & ſimul nõ pœnitere, quanuis diuerſimode. 471.b
Peccatores interius inſpirati, & à Deo illuſtrati licèt non ſemper pœniteant concipiunt tamen ſemper animo aliquam diſplicentiam peccatorum, ſuntq; inquieti & fluctuant inter cupiditates & metus. 542.a
Peccato cuilibet quantumuis minimo de nouo pœna correſpondet diſtincta ab illa, quę pro alijs peccatis debebatur. 558.b
Peccatum mortale nõ minuit charitatem, ſed illam totaliter corrumpit effectiue, & demeritoriè. 581.b
Peccata venialia nec effectiue, nec demeritoriè diminuunt charitatem, nec attingunt illam. 581.b
Peccatum dupliciter poteſt conſiderari, & qua volitione, & qua conſideratione nõ ſit volitum à Deo ex ſententia Caietani 583.b
Peccati cauſa poſitiua nullo modo eſt Deus etiam ſi in alterius pœnam permittatur quidquid latret Caietanus. 583.b
Peccatum mortale duo importat conuerſionem poſitiuam ad bonum commutabile, & auerſionem à Deo. 584.a
Peccatum mortale verè & propriè contrariatur charitati, & illam effectiue corrumpit. 584.b
Peccatum mortale corrumpit charitatem corrumpendo diſpoſitionem neceſſariã ad eius conſeruationem, non eſt tamen immediatum inſtrumentum annihilationis. 585.b
Peccatum, quod trãſacto actu peccati reatu tanquam habitu manet in anima, in quo conſiſtat. 585.b
Peccatum, & gratia quomodo opponãtur. 586.a
Peccatum veniale poteſt fieri mortale non ratione ſui, ſed ratione amiſsionis charitatis, & quomodo. 585.a
Peccata venialia corrumpant ne totam charitatem inter doctores lis eſt, ſed partem negatiuam tenẽt D. Thom. & ſequaces. 587.a
Peccata venialia multa, & qũanuis grauia nullo modo charitatem corrumpere poſſunt. 587.b. & .588.a
Peccata venialia diminuunt quoſdam effectus charitatis. 588.b
Peccatum mortale quodcunq; ſit eſt ſufficiens corrumpere charitatem. 599.a. & .b
Peccatum, cur mortale dicatur, & quo ſupplicio ſit dignus homo pro tali peccato. ibidem.
Peccatum vnum mortale ſufficit, vt aliquis homo condemnetur ad ignem æternũ, & cõtrarium affirmare temerarium eſt. 600.a
Peccatum, quod opponitur charitati directè, eſt ex contemptu commiſſum. ibid.
Peccatum mortale duo dicit. ibidem.
Peccatores quantum ad naturam ſunt ex charitate diligendi, quãtum ad culpam autem ſunt odio habendi. 615.a
Peccatores non rectè diligunt ſe. 619.a
Peccatores iudicio practico iudicant partem ſenſitiuam in illis eſſe potiſsimum. 619.b
Peccatum aliquando prouenit ex ignorantia aliquando autem ex paſsione, aut ex malitia. 787.a
Peccati grauitas poteſt attendi, & ex parte obiecti, & ex parte circunſtantiarum. ibidem.
Peccatum cognitum in confeſsione non poteſt eſſe materia correctionis fraternæ. 794.b
Peccator per ſe loquendo poteſt, & debet alium corripere. 808.b
Peccator non tenetur exire à peccato, vt alium corripiat. 809.a
Peccator occultus aliũ corripiens non peccat. 810.a
Peccator publicus aliũ corripiens ſine debitis circunſtantijs grauiter peccat, tum ratione ſcandali, tum quia ſuperbe agit. 810.b
Peccator publicus peccat mortaliter prędicando. 810.b
Peccata dicuntur publica tripliciter. 819.a
Peccatum quando dicitur cognitum in cõfeſsione. 820.b
Peccatum id dicitur contra communitatẽ, quod habet pro obiecto bonum publicum. 821.a
Peccatum proximi quando ſit manifeſtandum prælato nulla præuia admonitione. 824.b
Pecuniã dare alicui quando nõ eſt actus alicuius virtutis, & quando eſt actus miſericor-

ſericordiæ, & quando eſt actus amicitiæ & tandem quando eſt actus iuſtitiæ: 605.a
Pecunia per ſimoniã acquiſita eſt tribuẽda illi Eccleſiæ, in cuius contumeliam commiſſa eſt ſimonia. 761.a
Pelagianorum ſentẽtia de cognitione ſupernaturali neceſſaria ad ſalutem. 122.a
Percuſſor clerici manifeſtus dicitur ille, cuius factũ eſt ita notum, vt ab omnibus vel a pluribus ſciatur. 305.a
Perfectio effectus, qui recipitur in ſubiecto à duobus prouenit, ſcilicet, à cauſa efficiẽti, & à ſubiecto, in quo recipitur. 191.b
Perſonæ diuinæ ſola ratione diſtinguuntur ab eſſentia. 147.a
Pertinatia ad hæreſim requiſita non cõſiſtit in eo quòd is, qui errat admoneatur de ſuo errore, & poſtquam fuerit admonitus per longum tempus in ſuo errore perſeueret. 317.a
Pertinatia eſt voluntarius conſenſus in eo, quod aperte cognoſcitur, quòd eſt contra Eccleſiam. ibidem.
Pia affectio voluntatis neceſſario requiſita ad primum actum credendi non poteſt procedere á charitate, nec elicitiuè, nec imperatiuè.
Pœna mortis in legibus apponitur, vt eã audientes intelligant, quam grauia ſint peccata, quæ prohibentur. 296.b
Pœnæ, quibus Eccleſia poteſt punire ſuarum legũ tranſgreſſores, ſunt in duplici differẽtia, ſcilicet, ſpirituales, & corporales. 302.b
Pœnæ ſpirituales non ſunt aptæ, vt contra infideles exerceantur, ibidem.
Pœnæ legibus oppoſitæ ſunt in duplici differentia. 349.a
Pœna eſt duplex, vna, quæ nullam habet rationem culpæ, alia quæ habet rationem culpæ. 429.b
Pœnę, quas homines poſſunt timere, ſunt vel naturales, vel ſupernaturales. 441.a
Poteſtas & autoritas diffiniendi & iudicãdi in fide & moribus, quæ eſt in iudicibus eccleſiaſticis, eſt alia á poteſtate ciuili. 48.a
Poteſtas cõueniẽs Eccleſiæ miniſtris eſt duplex, vna ordinis, altera iuriſdictionis. 62.a
Huiuſmodi poteſtates ita diſtinguuntur, vt vna ſine altera inuenire poſsit. 62.b
Poteſtas diffiniendi, & iudicandi res fidei non eſt penes reges. 73.b
Poteſtas diffiniendi eſt non penes ſingulos Chriſtianos. 74.a
Poteſtas diffiniendi & iudicãdi de rebus fidei non eſt penes alios ab Epiſcopis, ſiue diuiſim, ſiue copulatim. ibidem.b
Poteſtas diffiniendi res fidei eſt penes cõuentum legitimum Epiſcoporũ, quem vocamus concilium generale. 75.a
Poteſtas diffiniendi eſt penes ſummum Pontificem. ibidem.b
Poteſtas diffiniendi differt ab aſsiſtentia Spiritus ſancti. 85.a
Poteſtas iuriſdictionis eſt duplex, vna legiſlatiua, altera fidei diffinitiua, ibidẽ.
Poteſtas collata Petro appellatur clauis, quia aperit nobis cęlum, ideſt, tollit omnia ea, quæ poſſunt eſſe impedimento, ne beati ſumus. 95.a
Poteſtas vota ſoluẽdi & remittendi iuramenta eſt in Eccleſia ex apoſtolica traditione. 110.b
Poteſtas excommunicãdi iure diuino eſt tradita Eccleſiæ, modus autem excommunicandi eſt ab ipſa Eccleſia adinuentus. 303.b
Præceptum nullum euangelicum, ſeu diuinum præcipit, vt omnes cauſæ tribus duobuſus tantum teſtibus abſoluatur. 79.a
Præcepta dantur de actibus virtutum. 130.a
Præceptum iuris diuini eſt, quod omnes fideles explicite credãt myſteriũ incarnationis Trinitatis, paſsionis Chriſti, & aduentus ipſius ad iudicium. ibidẽ.
Præceptum de credendo poſt primũ actũ ſolum obligat pro tempore neceſsitatis 142.a
Præceptã diuina dantur creaturis rationalibus ſecundum gradus naturæ, quos habent. 256.a
Præcepta diuina ſunt duplicia. 388.b
Præceptum de fide habenda ſemper pertinuit ad legem euangelicam. 389.a
Præcepta pertinentia ad ſcientiam, & intellectum conuenienter fuerunt tradita tam in veteri, quàm in noua lege. 390.b
Præceptum de ſpe habẽdã eſt affirmatiuum, obligans ſemper, ſed non pro ſemper. 475.b
Præceptum ſpei obligat in primo inſtanti vſus rationis. 476.a
Præceptum ſpei obligat eo tempore, quo

obligat præceptū de orando, & de agē do pœnitentiam. ibidem.

Ex præcepto ſpei tenetur homo in quocūque tēpore non habere actum ſpei. ibid.

Præceptum de habenda ſpe qualiter pertinebat ad veterē & ad nouam legē. 476.a

Præceptum de timore qualiter fuerit datū in veteri lege, & in noua. 479.b

Præceptum de dilectione inimicorum dicitur euangelicum, quanuis fuerit in lege naturæ, & Moſaica, multis de cauſis. 624.a

Ex præcepto charitatis tenemur diligere Deum pluſquam proximum obiectiue, & appreciatiuè, nō tamē intenſiue. 637.a

Præcepta diuina non obligant ad intenſionem actus. 638.a

Præcepta non dantur de habitibus, ſed de actibus, & ideò diuerſitas præceptorum non arguit diuerſitatem habituum, ſed actuum. 719.b

Præceptum de facienda eleemoſyna eſt diuinum, & naturale. 736.a

Præceptum de facienda eleemoſina reducitur ad quartum decalogi. ibidem.

Præceptum de correctione fraterna, ex genere ſuo, obligat ad mortale. 784.b

Præceptum de correctione fraterna non obligat pro quolibet loco & tēpore ſed ſecundū quod conducit ad emēndationem fratris 788.a

Præceptum affirmatiuum & præceptum negatiuum qualiter diſtinguantur. ibid.

Præceptum de correctione fraterna non obligat niſi quando adeſt ſpes emendæ. 791.a

Preciū quod accipitur pro aliquo beneficio eccleſiaſtico quādo pro illo nō redditur beneficium non eſt pauperibus erogandū ſed illi qui dedit reſtituendū. 760.b

Precium per ſimoniam conſummatam acquiſitum debet aut in pauperes aut in alios pios vſus erogari etiā ante iudicis cō demnationem. 762.a

Precium acceptum pro ſententia iniuſta aut pro homicidio perpetrando quando opus pro quo precium datur non ſubſequitur debet reſtitui illi qui dedit. 763.a

Precium acceptum pro ſententia iniuſta, vel pro homicidio opere ſubſequuto debet reſtitui pauperibus etiam ante iudicis condemnationem. ibidem.

Prædicator aliquando debet velle pati iacturam in bonis ſpiritualibus (citra culpam tamen) pro communi bono reipublicæ. 646.b

Prælatus tenetur inquirere neceſsitates ſpirituales ſubditorū & illis opem ferre cū periculo propriæ vitæ. 648.b

Prælatus cui aliorum cura incumbit ſubditis reclamantibus non poteſt mori pro amico. 651.a

Prælati tenentur ſibi ſubditos admonere quacunq; ignorantiā laborent ſiue iuris ſiue facti. 789.b

Prælati tenentur cum periculo vitæ corripere ſibi ſubditas quāuis illorum correptio nō ſit ſimpliciter neceſſaria. 797.b

Prælati ſtrictius obligantur præcepto correptionis fraternæ quam cæteri homines. 800.a

Prælatorum officium habet ſibi propoſitū duplicem finem vnus eſt bonum commune alterum bonum priuatum vniuſcuiuſque. 801.a

Prælati tenentur inquirere peccata ſubditorum non ſolum propter bonum commune ſed etiam propter bonum priuatum. ibidem. b

Prælati ex vi præcepti de correctione fraterna ad nullum actum obligantur ad quē non obligentur ſubditi inter ſe ſe. ibidem.

Prælatus eſt publicè corripiēdus de peccato hæreſis, & de quocunque alio, quod vergit in ſcandalum aliorum. 805.a

Prælati ſunt publicè reprehendendi, etiā ſi non adſit ſpes emēdæ, quando ex hoc quod non publice reprehenduntur probabiliter timetur aliorum lapſius. 805.a

Prælatus non eſt publice reprehendendus à prædicatore, quando ex tali reprehenſione non ſperatur vtilitas cōmunis, vel particularis. ibidem. b

Prælati, ſi intelligūt ſe eſſe inutiles ad emēdandos ſuos ſubditos propter peccata, quæ committunt, tenentur in tali caſu, vel emendare vitam, vel officium deponere. 809.b

Prælatus non tenetur admonere eos, qui laborant ignorantia inuincibili, quando probabiliter creditur talem admonitionem potius damnum allaturam. 814.b

Prælatus, & quicunque confeſſor tenetur ſubditum admonere de illis, quorum habet ignorantiam inuincibilem, quando admonitio poteſt fieri cū fructu, & ſine ſcandalo. 815.a

Prælatus peccat mortaliter, ſi ſubditum ſecretò peccantem publicè puniat. 818.a

Præla-

Prælati non poteſt aduerſus aliquem facere inquiſitionem, niſi præcedant, vel infamia, vel indicia, vel clamoroſa inſinuatio. 828.b
Præſumptio, quæ dicit immoderantiam ſpei, qua quis cõfidit de propria virtute circa obiectum, quod propriam facultatem excedit, propriè opponitur virtuti magnanimitatis. 469.a
Præſumptio, per quam aliquis innititur diuinæ potentię, vt cõſequatur bonum, quod etiam diuinæ virtuti non eſt poſsibile opponitur virtuti ſpei. ibidem.
Præſumptio, quæ exceſſum dicit in ſpe, poteſt contingere, vel nimiũ confidendo propriæ virtuti, vel nimiũ confidendo virtuti diuinæ. 469.a
Præſumptio, qua quis ſperat beatitudinẽ ex propria virtute non opponitur ſpei virtuti Theologicæ. 469.b
Præſumptio, quæ opponitur virtuti Theologicæ eſt cum quis plus nimio confidit diuinæ virtuti. ibidem.
Præſumptio, quę immediatè innititur diuinæ virtuti, grauior eſt illa, quæ innititur proprię. 470.a
Præſumptio eſt peccatũ, ſed minus, quàm deſperatio. 471.b
Præſumptio eſt actus voluntatis inordinatè in gloriam tendens. ibidem.
Præſumptio ex ſe poteſt eſſe ſine infidelitate, quamuis aliqua præſumptio habeat admixtam infidelitatem. 472.a
Prima principia cognoſcuntur per lumen intellectus, tanquàm per rationem ſub qua. 5.a
Primum inſtans iuſtificationis, ſicut Deus præcipit hominibus, vt ſe conuertant, ità etiam illuſtrat ſpeciali auxilio ipſorum mẽtes, & mouet volũtates ad hoc, vt iuſtificari velint. 125.a
Princeps eſt cuſtos iuris naturalis. 320.a
Principes ſeculares, regulariter loquendo, non poſſunt diſpenſare in morte cum hæreticis ſibi traditis. 356.b
Principes Eccleſiæ ſubiecti non ſolùm ob apoſtaſiam, ſed etiam ob quodcunq; crimen, cui eſt annexa excommunicatio amittunt dominium in ſubditos, donec Eccleſiæ ſatisfaciant. 363.a
Priuatio dupliciter poteſt ſequi ad aliquã ſpeciem. 226.b
Priuatus homo non tenetur alium inſtruere de veritate, quam ignorat, ſi probabiliter credit talem monitionem, non profuturam, niſi fortè ea ignorãtia eius eſſet naturę, vt vergeret in aliorum detrimen tum. 8.4.a
Probatio alicuius rei poteſt eſſe duplex, ſcilicet, teſtimonio, & ratione. 202.b
Prophetia, & fides diſtinguũtur ſecundum rationes formales, & in multis alijs. 8.b
Prophetia comparatur viſui, & fides auditui. ibidem.
Propoſitio, & explicatio articuloriũ eſt neceſſaria ad hoc, vt illis aſſentiamur. 12.a
Hęc propoſitio, & explicatio exterior non ſemper fit vno, & eodem modo, ſed pluribus, atque diuerſis. 11.b
Propoſitio hęc, Quilibet intelligit ipſo obiecto vt eſt formaliter in intelligẽti, habet duplicem ſenſum. 148.a
Propoſitio, quæ ſequitur ex vna de fide, & altera ſcita, eſt de fide. 195.a
Propoſitionis euidentia cõſiſtit in eo, quod manifeſtè, & clarè videatur, qualiter prædicatum conuenit ſubiecto. 202.b
Propoſitionum gradus, à quibus diſſentiẽs eſt dicendus hæreticus, ſunt octo. 330.a
Propoſitiones deductæ ex alijs de fide ſunt de fide. ibidem.b
Propoſitiones repugnantes fidei quatenus à nobis proferuntur poſſunt diuidi in plura genera. 331.a
Propoſitio hæretica eſt, quæ apertè repugnat alicui propoſitioni de fide. ibidẽ.
Propoſitio ſapiens hæreſim quid ſit explicatur. 332.a
Propoſitio falſa, propoſitio erronea ſimpliciter, propoſitio erronea in fide, & propoſitio hæretica, valde differunt inter ſe. ibidem.b
Propoſitio temeraria eſt quæ nõ de errore, nec de hæreſi ſuſpicione, ſed de temeritate, & impudentia notatur. ibidem.
Propoſitio ſcandaloſa eſt, quæ etiam ſi ſit vera ſcandalum, vel occaſionem ruinæ pręſtat auditoribus. 333.a
Propoſitio periculoſa eſt illa, quæ abſolutè dicit licitum eſſe, aut fieri poſſe id, quod non, niſi ab aliquibus, & cum multis circunſtantijs fieri poteſt. ibidem.
Propoſitio ſeditioſa eſt, quæ viam parat ſeditionibus, atque factionibus. ibidem.
Propoſitio iniurioſa eſt, quæ in aliquem aſſerta irrogat ei iniuriam, infamiam, vel contumeliam. 333.b
Propoſitio malè ſonans & offenſiua eſt, quæ malum & bonum ſenſum habere poteſt, & quæ cum expreſſa modificatione

tione eſt vera, abſolutè tamen prolata accipitur in malo ſenſu. ibidem.
Propoſitio eadem poteſt multis, atq; diuerſis titulis inuri. ibidem.
Proximus dupliciter poteſt conſiderari. 605.a
Proximus quis ſit dicendus. 606.b
Proximus dupliciter poteſt ex charitate diligi, vt amicus &, vt aliquid Dei. 608.b
Proximus ex charitate eſt magis diligendus, quàm proprium corpus. 652.a
Vnus proximus eſt magis diligendus ex charitate, quàm alius, non ſolùm quantum ad effectum, ſed etiam quantum ad affectum. 654.a
Proximi meliores ex parte obiecti ſunt magis diligendi ex charitate, quàm propinquiores. 656.a
Proximis propinquioribus poſſumus velle maius bonum gratiæ, & gloriæ, quàm melioribꝰ voluntate cõditionata. 657.b
Proximi bonum conſiderari poteſt in communi, & in particulari. 657.a
Prudentia concurrit ad actus aliarum virtutum, mediantibus virtutibus moralibus. 157.a
Puer baptizatus, apud Infideles nutritus, cui fides noſtra nunquàm fuit ſufficienter propoſita, ſed illam ignorat, non eſt cenſendus hæreticus, quanuis Infidelium more viuat. 337.b
Si puero huic fides noſtra fuiſſet ſufficienter propoſita, & adhuc ipſe perſiſteret in errore Infideliũ verè eſſet hæreticus & apoſtata. 338.a

Q.

QValitas quædam, & habitus ex conſuetudine peccãdi radicatur in humana mente, quibus inclinatur ad malum amandum. 540.b
Qualitates prauæ generantur in animo ex frequentatione peccatorum venialium. 588.a
Quantitas habitus poteſt attendi, ſcilicet, ex obiecto, vel ex maiori participatione ſubiecti. 212.a
Quantitas charitatis depẽdet ſolùm ex voluntate Spiritus ſancti diſtribuentis dona ſua prout vult. 535.a
Quantitas charitatis dupliciter conſideratur, ſimpliciter & ex ſuppoſitione. 536.a
Quantitas charitatis viæ, & quantitas charitatis patriæ ſunt diuerſarum rationum. 570.b
Quantitas amicitiæ erit eiuſdem rationis, quando notitia perfecta & imperfecta ſunt eiuſdem ſpeciei. 572.a
Quantitas charitatis, quæ erat in via remanet in patria. ibidem.
Quantitas pueri defuncti in ætate puerili manet in reſurrectione. 571.a
Quantitas formæ ex quo attendatur. 582.b
Quatuor res ſunt, de quibꝰ ſolet diſputari, vtrùm explicita illarum cognitio neceſſaria ſit ad ſalutem. 131.a
Quod, & quo non ſunt duo obiecta, quorum vnum ſit primarium, & alterum ſecundarium, ſed ex vtroque quaſi integratur vnum obiectum. 148.a
Quod non licet velle non licet optare, explicatur. 616.a

R.

RAtio formalis obiecti duplex, vna, vt quæ, altera ſub qua. 7.b
Ratio formalis obiecti, vt quæ in fide, & in Theologia eſt dietas. 8.a
Ratio formalis obiecti, ſub qua in Theologia ſecundum ſe conſiderata eſt lumen diuinitus infuſum. ibidem.
Rationes formales obiecti, ſub qua in fide, & in Theologia ſecundum ſe conſiderata diſtinguuntur. ibidem.
Ratio formalis obiecti, ſub qua in fide, & in noſtra Theologia eſt eadem. 9.a
Ratio naturalis non ſufficit cognoſcere ea, quæ pertinent ad naturam, loquendò de genere humano, quantum ad ſingulos homines. 129.a
Ratio inducta antecedenter ſe habẽs ad ea, quæ ſunt fidei minuit, imò tollit meritum fidei. 153.a
Ratio inducta conſequenter ſe habens ad voluntatem credendi non minuit meritum fidei. ibidem.
Ratio inducta humana antecedens, dupliciter ſe poteſt habere ad illam. 153.b
Rationes lumine naturali inductæ ſunt minoris ponderis in Theologia, quàm authoritas ſacræ Scripturæ, vel Decreta Pontificum, vel traditiones Eccleſiæ, vel teſtimonia Sanctorum. ibidem.
Rationes inductæ ad probandum res propriè ad fidem pertinentes, ſunt in dupli ci differentia. ibidem.
Ratio formalis mali moralis eſt prior, atque fundamentum rationis formalis mali ſimpliciter. 213.b

Ratio boni, atque mali non ſumitur ex voluntario, quantuis illud præſupponat, ſed ex obiecto, ad quod actus tendit. 263.a
Ratio voluntarij, quantuis ſit intrinſeca, & neceſſaria cuicunq; peccato, tamen ratio magis, vel minus voluntarij accidentaliter ſe habet ad illud. 263.a
Rationes propter quas abſtinendum eſt à libris hæreticorum. 306.
Rationes propter quas fideles non debent ſubijci infidelibus. 310.a
Ratio formalis mali moralis eſt prior, atq; fundamentum rationis formalis mali ſimpliciter. 464.b
Ratio diuerſa quantitatis charitatis viæ, & quantitatis charitatis patriæ, in quo conſiſtat. 573.a
Rectitudo ſupernaturalis eſt quædam animi conſtitutio omnem virtutem humanam vincẽs, & proxime accedẽs ad diuinam ſimilitudinem, 123.a
Rectitudo naturalis eſt quædam recti animi affectio concordans cum eo, quod naturalis ratio dictat. ibidem.
Regulæ ad cognoſcendum, vtrùm aliquod dogma ſit ab Apoſtolis traditum. 109.b
Regnum cœlorum multipliciter accipitur in ſacris literis. 58.a
Regula ad cognoſcendum quando aliquid amatur amore concupiſcentiæ. 404.a
Regula humanorum actuum duplex, vna eſt ratio naturalis, altera lex diuina. ibidem.
Regula Diui Auguſtini ad intelligendas ſacras Scripturas. 483.b
Reges, & Principes ſeculares ſunt cuſtodes legum diuinarum. 289.b
Relapſus eſt, qui poſtqnam ſemel conuictus quis eſt de aliqua hæreſi in eãdem, vel in aliam incidit. 356.b
Religioſi in ſpiritualibus ſunt præferendi ſecundum ordinem charitatis conſanguineis. 661.b
Religio noſtra excedit omnes alias ſectas. 704.b
Remiſsio peccatorum & iuſtificatio dupliciter poteſt intelligi. 489.b
Renouatio interior, qua homo ex prauo fit rectus, dupliciter poteſt intelligi. ibidem.
Reprobis nullis in extremo vitæ dat Deus illud auxilium neceſſarium, vt verè pœniteant, ſed eſt paratus dare. 538.
Reprobis viuentibus confert Deus auxilia priora, & eſt paratus dare poſteriora, ſi prioribus rectè vtantur. 538.b
Reprobis de quorum damnatione futura conſtat per diuinam reuelationem non tenemur ſperare beatitudinem ex præcepto ſpei infuſæ. 616.b
Reprobos omnes, ſiuè occultos, ſiuè manifeſtos tenemur ex charitate diligere. 617.a
Reprobi quandiù ſunt in hac vita ſunt capaces beatitudinis, & recipiunt à Deo dona ſupernaturalia gratiæ & charitatis. 617.a
Res ab vno habet quod ſit, & ab alio quod credatur talis. 7.a
Res cognita poteſt conſiderari ſecundum eſſe quod habet in ſe, & ſecundum eſſe quod habet in cognoſcente. 17.b
Res vnica in Deo exiſtens, itá tribuit eſſe abſolutum, ac ſi non eſſet reſpectiua. 149.a
Res fidei ſunt in duplici differentia, quædam enim ſunt, quæ propriè pertinent ad fidem, aliæ verò impropriè, quæ alio nomine appellantur præambula. 154.a
Res, quæ venduntur infidelibus, ſunt in multiplici differentia. 272.b
Res fidei dupliciter poſſunt conſiderari, vno mòdo ſecundum ſe, alio modo quo ad nos. 330.a
Res, & conſequutio rei non ſunt duo fines, ſed vnus. 403.b
Res, quæ ſubiecto eſt ab altera diſtincta, ſecundum bonitatem quam habet in ſe ipſa, poteſt eſſe proprium bonum alterius. 404.a
Res vna poteſt dici alterius multipliciter, 641.b
Res omnes naturaliter diligunt bonum ſuum, & quo magis aliquid eſt ſuum bonum, eo magis diligunt illud. ibidem.
Reſpublica nulla fuit adeò barbara, quæ ob aliqua certa crimina mortem maleficis infligendam non determinauerit. 289.b
Reſolutio vltima fidei non eſt facienda in fidem acquiſitam, & teſtimonium humanum. 10 b
Reſolutio vltima fidei non eſt facienda in autoritatem Eccleſiæ, nec in aliam cauſam, quæ exterius moueat ad credendum, ſed in lumen internum, & in motionem Spiritus ſancti. 13.a
Reuelatio non eſt de intrinſeca ratione obiecti formalis fidei, ſed conditio, ſine qua non. 7.a

Reuelatio myſterij incarnationis fuit facta Adæ in ſtatu innocentiæ. 132.a
Reuelatio diuina, ſiuè interior, ſiuè exterior ſit, poteſt eſſe duplex, vna abſoluta, altera conditionata. 476 b
Romanum Pontificem Petro ſuccedere iure diuino eſt de fide tenendum.

S.

SAcerdos ritè conſecratus etiam ſi ſit hæreticus, vel degradatus poteſt conficere verum Chriſti corpus. 162.b
Sacerdos cofeſſarius debet eſſe diſcretus, vt more periti medici ſuper infundat vinum & oleum vulneribus. 140.a
Sacerdos ex commiſsione Parochi audiens confeſsiones, ſi videt aliquem facientem ex ignorantia inuincibili ea, quæ aliàs ſunt illicita, non tenetur illum admonere, ſi probabiliter credit ſuam admonitionem non profuturam. 814.b
Sacræ ſcripturæ intelligentia obſcura & difficultatibus implicata. 53 a
Sacra ſcriptura eſt illa, quæ eſt à Deo autore, ſiuè quia ipſe ſolus illam ſcripſit, ſiuè quia ad id vſus fuerit alicuius hominis miniſterio, 101.a
Scriptura, vt ſit ſacra opus eſt, vt ex diuina inſpiratione ſit ſcripta. ibidem.
Scriptura tripliciter poteſt intelligi, quod ſit ex diuina inſpiratione. ibidem.
Scriptura, vt ſit ſacra, quid requiratur. 102.a
Scriptores ſacri multa ſcripſerunt, quæ ſibi euidenter fuerunt nota. ibidem.
Sacra ſcriptura fuit dictata ab Spiritu ſancto, non ſolum quantum ad ſententias, ſed etiã quãtum ad ſingula verba. 102.b
Sacra ſcriptura eſt habenda tanquam menſura, & regula infallibilis, non ſolùm eorum, quæ pertinent ad fidem. 103.a
Sacra ſcriptura & Eccleſiaſticæ determinationes quantum ad veritatem, & infallibilitatem prorſus ſunt idem. 104.b
Sacra ſcriptura ſimpliciter loquendo, eſt maioris autoritatis, quam Eccleſia. 106.b
Sacramentum pœnitentiæ fruſtra daretur, niſi charitas perdi poſſet. 59·.a
Sacri ſcriptores quamuis fuerint partes Eccleſiæ, non tamen ea ratione, qua erant partes Eccleſiæ, ſed quatenus inſtrumẽta diuinæ ſapientiæ ſuos libros ediderunt. 107.b
Salus eſt duplex, vna conſummata, quę eſt conſequutio gloriæ, alia inchoata, quæ ſit per iuſtificationem. 122.a
Sancti omnes, in veteri lege cum fuerunt iuſtificati ſemper crediderunt aliquid ſupernaturale. 526.b
Sancti magis diligunt ſua corpora, quàm peccatores. 613.a
Sancti, qui ſe rectè cognoſcunt verè ſeipſos diligunt. 619.a
Salomon à Domino dilectus & vltra omnes homines ſapientia dotatus, fuit mulieroſus & idololatra. 593.a
Satisfactio, non ſolùm ſumitur ex pœnalitate, ſed etiam ex bonitate operis. 712.a
Saul gratiſsimus Deo poſtea ſe interfecit. 593.a
Scibile, & credibile differunt. 30.a
Scientia illuſtrat intellectum perfectè, fides imperfectè. 34.b
Schiſmatici, qui nulla hæreſi ſunt infecti propriè pertinẽt ad Eccleſiam tanquam membra illius. 57.b
Scoti ſentẽtia de eo, in quod debeat fieri vltima fidei reſolutio. 9.b
Scoti ſententia de ſubiecto peccatorum inquantum peccata ſunt. 258.a
Sententia in rebus diuinis non eſt menſuranda ex numero ſuffragantium, ſicut in humanis. 86.b
Sententia iudicis criminis declaratiua quid efficiat in peccato hæreſis declaratur. 348.b
Sepulturæ carentia non obeſt defunctis reſpectu vitæ futuræ, 726.a
Sepelire corpora defunctorum maximè iuſtorum, atque fidelium eſt valde laudabile, & ſpecies miſericordiæ. 727.a
Serui ſunt ſubditi dominis, & qualiter. 771.b
Serui non poſſunt facere eleemoſynas ſine licentia ſuorum dominorum. 774.a
Signa ad cognoſcendum quando Papa loquitur, vt perſona publica. 100.a
Signa ſolita deferri ab infidelibus ſunt in duplici differentia. 558.b
Significatio vocum plurimum differt à ſignificatione aliorum ſignorum. 159.a
Simoniæ vitium, varijs pœnis in iure afficitur, 756.b
Simonia duplex, vna mẽtalis, altera realis. ibidem.
Simoniaci mentales non ſunt excommunicati.

cati. 757.a
Simoniaci mentales an teneantur ad reſtitutionem. ibidem.
Simoniaci reales ſunt excommunicati non ſolum ipſi, ſed etiam illi, qui intercedũt. 758.b.
Simoniaci acquirentes beneficium, vel aliã rem ſpiritualem ex ſolo iure poſitiuo tenentur illa reſtituere, etiam ante iudicis condemnationem. 760.a
Siſebutus rex laudatur in concilio Toletano. 290.a
Spes accipitur multipliciter. 392.a
In ſpem erigi quid ſignificet. 363.b
Spes eſt de bonis futuris arduis. 392.b
Spes eſt quædam proſequutio boni timor autem eſt fuga mali. ibidem.
Spei motus tam in voluntate, quam in appetitu ſenſitiuo quatenus eſt iraſcibilis poteſt inueniri. 393.a
Spes eſt verè & propriè virtus. 363.b
Spes qualiter dicatur diſpoſitio perfecti ad optimum. ibidem.
Spes realiter diſtinguitur à fide, & à charitate. 394.a
Spes non ſolum gloriam animæ, ſed etiam corporis, quæ eſt accidentaria quædam fœlicitas ſperat. 398.b
Spes eſt virtus Theologica. 402.
Spes habet Deum pro obiecto, non ſolùm præcipuo, ſed immediato. 403.a
Spes poteſt comparari ad Deum, veluti ad primam cauſam efficiẽtem, & veluti ad cauſam finalem. ibidem.b.
Spes eſt diſtincta virtus ab alijs virtutibus Theologicis. 408.a
Spes & deſiderium qualiter diſtinguãtur. ibidem. b
Spes non eſt deſiderium beatitudinis, quatenus bonum noſtrum eſt. 410.a
Spes poteſt cõparari ad bonum, quo quis ſperat & ad Deũ, per quem ſperat ſe bonum conſequuturum. 413.a
Spes ſimpliciter, & abſolutè loquendo eſt prior charitate. ibidem.b
Spes eſt in voluntate tanquam in ſubiecto. ibidem.
Spes in peccatore exiſtens, non eſt ſimpliciter virtus. 421.b
Sperare nullus poteſt viribus naturæ ſine auxilio Dei ſpeciali. 395.a
Sperare in homine tanquam in prima, & præcipua cauſa beatitudinis eſt peccatum. 401.a
Sperare in homine, vel in Angelo tanquam in cauſa ſecundaria, & inſtrumentali, ad conſequendam beatitudinem eſt licitum. ibidem.
Sperare beatitudinem nullus poteſt, niſi prius iudicet poſſe eam conſequi. 409 b
Sperare, & diligere prout ſunt actus ſupernaturales charitatis ſpecie differunt ſecũdum eſſe naturæ. 416.a
Spes habet certitudinem non eſſentialiter, ſed participatiuè, cum qua poteſt ſtare timor, de non conſequendo bono ſperato. 424.b
Spem Chriſtianam neceſſario debet præcedere in intellectu iudicium certum, & infallibile, ad quod ipſa ſpes ſequatur. 425.b
Spes vltra certitudinem, quam habet de fide habet etiã certitudinem propriam illi conuenientem. 426.b
Spem non habere poteſt contingere, vel priuatiue, vel contrariè. 461.a
Non habens actum ſpei priuatiuè eo tempore quo ex præcepto tenetur ſperare, peccat contra præceptum ſpei, ſed tale peccatum non eſt deſperatio.
Sperans gloriam ſine meritis detrahit aliquid à diuina virtute, & ipſam diminuit. 420.b
Sperare abſolutè beatitudinem non eſt prę ſumptio, ſed ſpes. ibidem.
Species rerum in indiuiſibili conſiſtunt, & ſunt ſicut numeri, quibus ſi fiat additio tollitur ſpecies. 550.b
Spirituale accipitur dupliciter, ſcilicet, eſſentialiter, & cauſaliter. 59.a
Spiritus ſanctus quomodo moueat nos ad actũ credendi, & ſperandi, & ad actũ diligendi, quando mediantibus virtutibus ſuperadditis, & quando per ſe ipſum. 48.b
Spiritus ſanctus à quo detur. 496.a
Spiritus ſanctus infallibiliter operatur. 591.b
Statuta collegiorum, quæ priuant collegas fructuum perceptione obligant in conſcientia ante iudicis condemnationem. 350.b
Statuta noſtræ vniuerſitatis de ſuffragijs ferendis non decernũt tranſgreſſores eorum inhabiles eſſe ipſo facto ante iudicis condemnationem. 350.b
Statutorũ huius vniuerſitatis noſtræ tranſgreſſores, non poſſunt in conſcientia ferre ſuffragium, etiam ſi à iudice non ſint

condemnati ratione iuramẽti, quod præ ſtant. ibidem.
Stoici reijciebant omnes paſsiones animæ, excepto gaudio. 694.a
Stoici miſericordiæ affectum à viro bono excludebant. 708.a
Subditus in correctione prælati multas debet cõditiones obſeruare, vt debitè fiat, 806.a
Subditi nõ tenentur obedire prælatis præcipientibus, vt aliquod crimen iniuſtè reueletur, etiam ſi apponatur ſententia excommunicationis. 829.a
Subditus non tenetur obedire prælato præcipienti, vt crimen fratris reuellet, etiam quando dubitat, vtrùm præceptum ſit iniuſtum. ibidem.
Subſtantiæ & accidentis diſcrimen. 508.a
Symbolũ deducitur à verbo Græco, quòd interdum collectionem interdum militię teſſeram ſignificat. 42.a
Symbolum fuit excogitatum ab Eccleſia propter multas, & rationabiles cauſas. 42.b
Symbola, quę circumferuntur ſunt triplicia. 42.b
Symbolum, quod nomine Apoſtolorum circumfertur, fuit ab ipſius confectum. 45.a
In ſymbolo an ſit dicendum, Credo ſanctam Eccleſiam, vel, Credo in ſanctam Eccleſiam. 45.b
Symboli editio pertinet ad ſummum Pontificem. 47.a
Synagoga vetus nunquam errauit in diffinitione fidei, & morum. 83.b
Synagogæ ædificatio ex natura ſua ordinatur ad malum. 273.b

T.

Templum, ſacerdotium, & ſacrificium poſſunt accipi propriè, & impropriè. 59.a
Temperantia in gradu remiſſo an ſit virtus. 497.b
Temperantia cur ponatur diſtincta à iuſtitia. 603.a
Terminus alicuius formæ præfigi poteſt. 566.a
Teſtimonia, quibus probatur articulos fidei eſſe euidenter credibiles. 28.a
Hæc teſtimonia ex ſe ſunt ſufficientia, etiã apud infideles ad efficiendam euidentiam de credibilitate articulorum. ibidem.b
Teſtimonia ſunt maioris põderis in Theologia, quam rationes naturales. 154.a
Teſtimoniũ ſemper eſt extrinſecũ rei, de qua teſtimonium fertur. 202.b
Theologia noſtra in duobus deficit à ratione virtutis Theologicæ. 405.a
Theologia noſtra, & fides qualiter diſtinguantur. 405.b
Timor filialis dicit duos actus, vnus eſt timere ſeparationem à Deo, alter reuereri ipſum Deum. 229.b
Timor filialis eſt in beatis quantum ad iſtũ actum, qui eſt reuereri Deum, ibidem.
Timor adeo minuit rationem, vt ea quæ extrinſece fiunt quodammodo appellentur inuoluntaria. 286.b
Timor ſeruilis incuſſus à Deo, & incuſſus ab homine differunt inter ſe. 287.b
Timor incuſſus ab homine ex natura ſua ordinatur ad fictam confeſsionem fidei, ibidem.
Timor habet pro obiecto Deum, & malum, quod Deus infert peccatori. 404.b
Timor accipitur multipliciter. 428.b
Timor eſt quidam motus, quo appetitus fugit, & deteſtatur malum imminẽs. ibidem.
Timor habet duplex obiectum, ſicut ſpes, quanuis diuerſimode. 429.a
Timor conuenienter diuiditur in filialem, initialem, & ſeruilem, & mundanum. 431.a
Timor filialis oritur à duplici radice, ſcilicet à cognitione diuinę magnitudinis, & à dilectione Dei. 432.b
Timor filialis quantum ad tertium actum, qui eſt honor & reuerentia diuinæ Maieſtatis fuit in Chriſto, & eſt nunc in beatis. ibidem.
In timore inuenitur duplex actus, vnus principalis, & elicitus, alter minus principalis, & imperatus. 433.b
Timor mundanus ſemper oritur ex amore mundano tanquam à mala radice. 435.a
Timor mundanus ſemper eſt malus. ibidem.
Timor ſeruilis quantum ad ſeruitutem eſt malus, tamen quantum ad ſubſtantiam eſt bonus. 439.a
Timor dupliciter dicitur ſeruilis, ibidem.
Timor, qui eſt ſeruilis ex parte obiecti ſemper eſt malus, & peccatum mortale, 439.b

Timor, qui tantum eſt ſeruilis ex parte ſubiecti ſimpliciter, & abſolutè eſt bonus. ibidem.
Ex timore ſubire pericula non eſt actus fortitudinis. 441.a
Timor pœnalis bene poteſt eſſe ſine auxilio ſupernaturali. ibidem.
Timor pœnę ſupernaturalis firmus, & qualis oportet non poteſt eſſe in homine ſine auxilio ſpeciali Dei. 441.b
Timor ſeruilis ea parte, qua reſpicit mala ſupernaturalia eſt in nobis à Spiritu ſancto. ibidem.
Timor ſeruilis non eſt idem in ſubſtantia cum timore filiali. 442.b
Timor culpæ propter pœnam nulla alia circunſtantia poſita eſt ſeruilis & non filialis. 433.a
Timor culpæ, qui ſimul eſt propter pœnã, & propter ipſam culpam, eſt compoſitus ex filiali, & ſeruili. 443.a
Timor ſeruilis bonus non eſt actus, ſed habitus. ibidem.
Timor ſeruilis, ſeu pœnæ poteſt ſimul manere cum charitate. 444.a
Timor pœnæ cõtrariæ illi bono, quod aduerſatur charitati, non poteſt manere ſimul cum charitate. ibidem.b
Timor pœnæ contrariæ illi bono, quod in charitate includitur, non ſolum manet cum charitate, ſed etiam in ipſa continetur. ibidem.
Timor pœnæ cõtrarię illi bono, quod à charitate diſtinguitur, non tamen illi contrariatur, poteſt manere ſimul cum charitate. ibidem.
Timoris ſeruilis ſubſtantia, in quo conſiſtat. ibidem.
Timor non eſt initium ſapientiæ quãtum ad eius eſſentiam, ſed fides. 446.a
Timor eſt initium ſapientiæ, quantum ad eius effectum. ibidem.
Timor ſeruilis aliter eſt initium ſapientiæ, quãtum ad eius effectum, & aliter timor filialis. ibidem.
Timor initialis non differt ſecundum ſubſtantiam à timore filiali. 447.b
Timor initialis, & filialis non differunt ſpecie. ibidem.
Timor initialis ſecundum ſe non habet pœnam pro obiecto, ſed ſolam culpam. ibidem.
Timor mundanus nõ eſt donum Spiritus ſancti. 449.a
Timor filialis eſt donũ Spiritus ſancti. ibidem.b.
Timor filialis habet primum locum inter dona Spiritus ſancti aſcendẽdo, & poſtremum deſcendendo. ibidem.
Timor initialis eſt donum Spiritus ſancti ſubeſſe tamen imperfecto. 450.a
Timor non eſt virtus Theologica, ſed aliquid minus illa. ibidem.
Timor filialis creſcente charitate nõ minuitur, ſed creſcit. 451.a
Timor ſeruilis, quãtum ad ſeruilitatem, adueniẽte charitate penitus tollitur. 451.b
Timor ſeruilis, quantum ad ſubſtantiam, adueniente charitate minuitur. ibidẽm.
Timor per ſe ſimpliciter augetur ad augmentum mali, quod timetur. 452.a
Timor ſeruilis nullo modo erit in patria. 454.a.
Timor filialis erit perfectiſsimus in patria. ibidem.
Timor filialis habet plures actus. 455.a
Timor filialis appellatur quaſi genus ad dilectionem Dei. 480.a
Toleratio ſicut promiſsio, aut prohibitio, non poteſt eſſe, niſi reſpectu ſubditorum. 314.
Torquentur ſancti dum vident alios diuina præcepta tranſgredientes. 483.b
Traditiones Apoſtolorũ valent plurimum ad probandum fidei doctrinam. 107.a
Traditione Apoſtolorum recepimus multa ad fidem pertinentia, quæ in ſacra Scriptura non continentur. 108.a
Traditiones maiorem vim habent ad confutandas hæreſes, quam ſacra Scriptura. 109.a
Traditiones Apoſtolorum ſunt in duplici differerentia, aliæ temporales, aliæ perpetuæ. ibidem.
Ex traditionibus quædam ſunt, quas Apoſtoli à Chriſto Domino acceperunt, quędam verò, quas ipſi Apoſtoli ad Eccleſiæ vtilitatem ediderunt. ibidem.
In traditionibus à Chriſto acceptis Eccleſia non poteſt diſpenſare, bene tamen in illis, quæ fuerunt ab Apoſtolis editæ. 109.b
Traditiones Apoſtolorum æqualẽ habent autoritatem ad confirmandas res fidei cũ ſacra Scriptura. 111.a
Ex traditionibus minus attente auditis, vel parum ſolicitè cuſtoditis, aut intellectis nonnulli decepti ſunt. 112.a
Tranſgreſſores legum pœnalium ante iudicis condemnationem incurrunt eas pœnas.

pœnas,quæ in ſola priuatione conſiſtũt. 349.b
Tranſgreſſor legis pœnalis priuantis voce actiua, & paſsiua erit ipſo facto illa priuatus. ibidem.
Tridentinum cõcilium eſſe legitimum eſt de fide. 64.b
Trinitas perſonarum eſt quaſi pars obiecti primarij viſionis beatificæ. 147.b
Triſtitia,quæ eſt paſsio conſurgens ex præſentia mali,quatuor habet ſpecies.708.a
Triſtitia eſt accidens miſericordiæ ab ea ſeparabile. 711.b

V.

Velle confiteri fidem eſt actus elicitus à fide. 156.b
Vendens infidelibus ea, quæ ad nihil aliud ſunt vtilia,quam ad peccatum mortale, peccat mortaliter. 273.a
Vendens infidelibus ea,quorum vſus communis eſt ad bonum, & ad malum neſciens quod infideles illis ſunt vſuri ad actum ſuæ religionis nullum peccatum committit. 273.a
Vendens res infidelibus,quarum vſus communis eſt ad bonum, & ad malum, cognoſcẽs quod infideles illis ſunt vſuri ad ritus ſuæ infidelitatis nõ peccat, ibidem.
Vendens triticum vltra taxatum pretium tenetur reſtituere ſtatim id, quod vltra iuſtum pretium accepit 351.a
Veritas duplex,vna in eſſendo, altera in dicendo. 5.a
Veritas prima in eſſendo,eſt primũ,& maxime ens. ibidem.
Veritas prima in dicendo eſt,quæ nec falle re,nec falli poteſt. ibidem.
Veritas eſt reſpectus quidam rationis conſurgens ex adæquatione rei ad intellectum. 104.a
Veritas ſcripturæ, & ſcriptura differunt. ibidem.
Veritas pendet ab exiſtentia rerum velut à fundamento. 106.b
Veritas aſſenſus, non ſolum ſumitur ex adæquatione intellectus ad rem,ſed etiã ex neceſsitate, & immobilitate obiecti cogniti. 194.a
Veritates ſupernaturales fidei non poſſunt à nobis cognoſci, niſi Deo illas per ſe, aut per alios tradente, atque reuelante. 217.a
Vnitas ſpecifica eſt per ſe & ſimpliciter vnitas. 181.b
Vnitas eſt potior vnione. 611.b
Vnumquodque eſt in cognoſcẽte per modum cognoſcentis. 17.b
Vnũ dicitur multipliciter. ſ. vnũ gnere, & vnum ſpecie, & vnum numero. 181.b
Viri miſericordes,qui multas eleemoſynas faciunt propter Deum vt in plurimum conſequuntur vitam æternam. 732.b
Virtutes omnes efficiunt practicam euidentiam eorum, quæ ſecundum ipſas homini conueniunt. 31.a
In virtutibus vnam imperari alteri eſt eſſe formam illius. 170.b
Virtutes morales infuſę corrumpuntur corrupta charitate à qua pendent in fieri,& in conſeruari. 175.b
Virtutes ſunt in duplici differentia, quædã ordinantur ad bonum particulare, quædam verò ad bonũ vniuerſale totius hominis. ibidem.
Virtutes morales, & intellectuales in quo diſtinguantur. ibidem.
Virtus eſt perfectio potentiæ, circa eius obiectum tribuẽs potentiæ facultatem, vt ſuum obiectum attingat quantum poteſt attingi ſecundum ſtatum, & conditiones eius,qui operatur. 178.a
Virtus quæcunque, ſiuè intellectualis, ſiuè moralis eſt vnica ſimplex qualitas.ibid.
Virtutes intellectuales ſunt quinque, quarum tres ſunt habitus ſpeculatiui, alij duo practici. 187.a
Virtuti vni plura vitia poſſunt opponi. 275.a
Virtutes ponuntur in hominibus propter duas rationes. 393.a
Virtus in ſua ratione includit quod rectificat ſubiectũ in ordine ad obiectũ, circa quod talis virtus verſatur. ibidem.b
Virtus vna ſpei ſufficit ad ſperandum nobis,& alijs beatitudinem. 399.
Virtus Theologica non eſt, quæ non habet Deũ pro obiecto immediato. 403.a
Virtutes acquiſitæ fidei ſpei & charitatis ſunt ponendæ. 406.a
Virtutes acquiſitæ fidei, ſpei, & charitatis habent Deũ pro obiecto materiali,& nõ pro formali,& in hoc differunt à ratione virtutis Theologicæ. ibidem.b
In virtutibus theologicis poſſumus conſiderare duplex obiectũ, alterum primarium alterum vero ſecundarium. 407.a
Virtutes Theologicę reſpectu ſui obiecti ſecundarij conſiſtunt in medio, ſicut virtutes morales. 407.a

Virtutes theologicæ proprie, & per ſe loquendo ex parte obiecti principalis, nõ conſiſtunt in medio. ibidem.
Virtutes theologicæ qualiter diſtinguantur ex diuerſo modo, quo Deo inhærẽt. 408.b.
Virtutes morales acquiſitæ & morales infuſæ ſpecie diſtinguuntur. 415.b
Virtutes morales infuſe habent Deũ pro fiue, ſed non pro obiecto. ibidem.
Virtus vna, atque eadem pro diuerſis ſtatibus diuerſos etiam poteſt habere actus, & modos operandi. 422.b
Virtutes morales manẽti in futura vita, nõ quantum ad id, quod eſt in illis materiale, ſed quantum ad id, quod eſt formale 422.b
Virtutes dupliciter conſiderãtur, quãtũ ad eſſentiã & quantũ ad modum. 498.a
Virtutis cuiuſque ratio, quæ fit. ibidem.a
Virtutes veræ, quæ cenſeantur. ibidem.
Virtutes deſcribitur. 500.a
Vertutes theologicæ ſunt excellentiores virtutibus moralibus. 506.a
Virtus quælibet ſufficit ad reſiſtendũ ſuo contrario diuerſimode tamen. 510.a
Virtus vera, & perfecta nulla poteſt eſſe ſine charitate, ſed vera & imperfecta tãtum ſine charitate poteſt reperiri. 513.a
Virtus falſa, & apparens poteſt eſſe in homine ſine charitate. ibidem.
Virtutes intellectuales non ſunt virtutes ſimpliciter. ibidem.b.
Virtutes morales infuſæ, nec poſſunt eſſe vere virtutes ſine charitate nec ſine illa ſimpliciter eſſe poſſunt. ibidem.
Virtutes acquiſite non ſunt ſimpliciter veræ, & perfectæ virtutes ſine charitate. 514.b.
Virtus charitatis, qua diligimus Deũ, & proximos vna eſt. 603.a
Virtus alia moralis infuſa vltra charitatẽ non eſt neceſſario ponenda, vt inclinemur ad dilectionẽ proximi. ibidẽ.b
Virtus dupliciter põt dici maxima. 710.a
Viſio beatifica clarè, & euidenter oſtendit ipſam Dei bonitatem, & neceſſario rapit voluntatem ad illius dilectionem. 595.b
Viſio albedinis & nigredinis poſſunt dupliciter conſiderari. 604.b
Vita abſoluere præfertur bonis tẽporalibus, tamen poſſunt eſſe tãtæ diuitiæ ex vna parte, vt merito ſint præferendę vitæ. 740.b
Voces ſuapte natura ſunt inſtitutę ad ſignificandũ, & ſic nullus poteſt vti eis præter id, quod proprie, & figurate ſignificant. 161.a
Voluntas non eſt ſufficiens mouere intellectũ in aſſenſum fidei, ſed vltra hoc requiritur quod ex parte rei creditæ ſint motiua, & apparentes rationes, quæ moueant intellectũ ad aſſentiendũ. 26.b
Volũtatis conuerſio neceſſario requiritur in adultis ad iuſtificationẽ. 123.a
Volũtas non poteſt mouere intellectum ad actũ credendi, niſi ex parte obiectis ſit aliqua ratio, quæ illud faciat euidenter credibile. 569.a
Volũtas perfecta per charitatem non eſt ſimpliciter neceſſaria ad credendũ, ſed tantum ad perfecte credendum. 175.b
Voluntariũ eſt cõmune omni actui morali. 263.a
Voluntas & appetitus feruntur in bonũ, ſed diuerſimode. 392.b
Volitiones omnes ſunt eiuſdẽ generis, & diſtinguũtur ſpecie ſicut diſtinguũtur obiecta, circa quæ verſantur. 416.b
Voluntas ſimul tẽpore poteſt elicere duos actus, vnũ qui ſit ſperare, alterũ qui ſit diligere ibidẽ.
Voluntas dupliciter poteſt in ordinate tendere in beatitudinum. 471.b
Volũtas eleuata exercere poteſt illos act⁹ quos ex ſua natura exercere non poteſt. 491.a
Volũtas ſine habitu ſupernaturali per ſolũ Dei auxiliũ extrinſece monens poteſt diligere Deũ ſuper omnia ſine implicatione contradictionis. 491.a
Volũtatis lętatur adeptione boni ſpiritualis. 697.a
Volũtas rectitudo eſt ſemper adiũcta fœlicitati. 704.a
Votũ interius emiſſum aut eſt de actu exteriori, aut de actu interiori. 342.b
Votũ interius, emiſſum, & de actu interiori poteſt per Papam diſpenſari. ibidem.
Vſuratius non acquirit dominiũ eorũ bonorũ, quæ accipit vſuram. 754.b
Vſurarius qui nõ habet alia bona prætereà, quæ neceſſaria ſunt ad reſtituẽdas vſuras de nullis, etiãſi ſint legitimi acquiſita, poteſt eleemoſynas facere. 755.b
Vſurarius nõ poteſt facere eleemoſynam de rebus per vſuram acquiſitis, quæ nõ conſumũtur vſu, etiã ſi per talem eleemoſynam non reddatur imputẽs ad reſtituen-

ſtituendas vſuras. 755.b

Vſurarius poteſt facere eleemoſynam de illis rebus per vſurā acquiſitis, quæ vſu conſumuntur, dummodo per hoc non reddatur impotens ad reſtituendas vſuras. ibidem.

Vſurarius de bonis emptis pecunia vſuraria poteſt facere eleemoſynā, ſi aliunde habet, ex quo poſsit debita reſtituere. 756.a

Vti ſignis infideliū inſtitutis ad deferendum honorē falſo Deo, vel ad præſtandam fidem, vel religionē, quam habent quacunq; ex cauſa fiant ſemper eſt peccatum mortale. 158.b

Vti ſignis infideliū, non inſtitutis ad profeſsionem religionis, ſed, vt per illa ab alijs nationibus diſtinguatur licitum eſt fidelibus. ibidem.

Vxor legitima interdū appellatur concubina in ſacris literis, 82.a

Vxor eſt præferenda filio in caſu extremæ neceſsitatis. 664.b

Vxor eſt magis diligenda, quā pater aut mater ex parte coniunctionis. 666.b

Vxor diligitur ratione carnalis cōiunctionis. 667.a

Vxor ſubditur viro & qualiter. 971.b

Vxor habet verum dominium ſuæ dotis. 772.a

Vxor non poteſt ſine licētia viri magnas eleemoſynas facere, etiam de bonis proprijs. 773.a

Z.

Zizaniorum parabola declaratur. 799.a

FINIS.


FINIVNT PARITER RENOVANTQ; LABORES